[Bibliotheca patrum ... T. V]

JOHANNIS CRELLII FRANCI

Operum

EXEGETICORUM TOMUS TERTIUS.

Contenta Sequens pagina exhibet.

Omnia hactenus inedita.

IRENOPOLI
Post annum Domini 1656.

Catatogus generalis hoc volumine contentorum.

JOHANNIS CRELLII FRANCI Commentarius in varia loca Euangeliorum Matthæi, Marci & Lucæ.
——— in Magnam partem Euangelii Johannis.
——— in Magnam partem Actorum Apostolicorum.
——— in plurima Capita & Loca Epistolarum Pauli Apostoli.
——— in II ad Timotheum Epistolam.
——— in multa loca Epistolarum Catholicarum.
——— in maximam partem Apocalypseos Johannis.
——— Synopses aliquot Concionum.

Catalogus particularis Librorum, Capitum & Locorum Sacræ Scripturæ, in hoc opere Explicatorum & resolutorum.

IN JOELIS.

Cap.	verf.
II.	12.

MICH.

V.	6.

MATTHÆI.

II.	6.
III.	11.
———	11, 12.
IX.	1 ad 9.
XII.	18 ad 22.

MARCI.

IX.	49, 50.

LUCÆ.

II.	14.
———	41.
IV.	18, 19.
VII.	36 ad fin.
X.	25 ad fin.
XI.	5 ad 14.
XII.	13 ad 35.
XIV.	1 ad 15.
———	16.
XV.	totum.
XVI.	totum.
XX.	34, 35, 36.
XXIV.	13 ad 35.

JOHANNIS.

IV.	20 ad 25.
V.	21.
———	34 ad finem.
VI.	37, 38, 39.
VII.	integra.
VIII.	
IX.	
X.	
X.	1 ad 21
XI.	1 ad 49.
XII.	2 ad 28.
XIII.	1 ad 18.
XX.	1 ad 19.

ACT. APOST.

Cap.	verf.
I.	integra.
II.	
III.	
IV.	
V.	
VI.	
VII.	1, 2.
VIII.	1 ad 24.
IX.	1 ad 36.
XVI.	16, 17, 18.

AD ROM.

VIII.	28 ad 33.
XII.	20.

I COR.

III.	10 ad 16.
	21, 22, 23.
VI.	2, 3, 4.
VII.	7.
X.	1 ad 13.
———	16, 17.
———	28 ad fin.
XI.	1 ad 14.
———	7.
XIII.	1, 2, 3.

II AD COR.

I.	3 ad 11.
III.	4, 5, 6.
———	6, 7 ad fin.
V.	1 ad 10.
———	11 ad 18.
———	14, 15.
———	16, 17.
V.	1 ad 10.
X.	12.
XIII.	5.

AD GALAT.

III.	20, 21.
———	26.

AD EPHESIOS.

Cap.	verf.
II.	1 ad 11.
III.	13.
IV.	1.
———	10 ad 15.

AD COLOS.

III.	12.

II AD THESSAL.

I.	3 ad fin.
III.	6 ad 15.

I AD TIMOTH.

Argum. Epistolæ ab Authore correctum, Argum. Cap. 6.

VI.	13.
II.	4 ad 7.

II AD TIMOTH.

In totam Epistolam exceptis 12 postremis versibus.

HEBR.

X.	26 ad 32.
———	23, 24, 25.
XII.	22 ad finem.

EP. JACOBI.

I.	1 ad 5.
———	5.
———	5 ad 9.
———	25.
———	26.

I PETR.

III.	18 ad fin.
IV.	1.
———	17, 18.

II PETR.

I.	5 ad 8.

JUDÆ.

verf. 22 & seqq.

APOCAL.

Cap.	verf.
IV.	6 ad fin.
V.	integra.
VI.	
VII.	
VIII.	
IX.	
X.	
XI.	1, 2.
XII.	1 ad 12.
XIII.	5 ad fin.
XIV.	integra.
XV.	
XVI.	
XVII.	
XVIII.	
XIX.	
XX.	
XXI.	1 ad 12.
———	1 ad 9.

Synopses Concionum in

1 Cor. X. 31.	
Phil. IV. 13.	
Jac. IV. 5.	
2 Cor. IV. 17.	1 a Conc.
2 Conc, in eundem locum.	
Phil. III. 7.	
1 Cor. XIV. 20.	
1 Joh. V. 4.	
Hebr. III. 3.	
1 Petr. V. 5.	
Matth. XVI. 24.	
1 Concio.	
2 Concio in eadem verba.	
Rom. IV. 25.	
Col. III. 1.	

Plura alia loca lector benevolus in primi voluminis, Tomo Sedundo inveniet, una cum eorum Catalogo.

JOHANNIS CRELLII FRANCI

Explicatio

Variorum locorum in

Euangeliis

MATTHÆI, MARCI, LUCÆ,

& in magnam partem

EUANGELII

JOHANNIS.

IRENOPOLI

Post annum Domini 1656.

PRÆFATIUNCULA,

In qua de operibus hiſce neceſſaria quædam cognitu explicantur.

NIhil fere eſt in mundo iſto ſublunari, ac præſertim in rebus humanis, etiam bonis, quod in ſtatu eodem conſiſtat atque perduret perpetuo, quod non vices mutationum patiatur. Ejus rei ſpecimen præter alia ſpectatur & in Politiis, quæ inſtar hominis per diverſas ætates progrediuntur, ut à ſuo ortu per adoleſcentiam & juventæ florem ad virilem naturitatem procedentes, tandem conſeneſcant, & interdum quaſi reddita juventute revireſcant. Quales periodos in populi Romani ſtatu, floridus ille hiſtoricus Florus obſervavit: tales vero in aliis etiam Rebuſpub. poſſunt obſervari.

Spectatur ſimile quippiam in artibus, quæ à primordiis per vigorem ad deliquium quoddam deveniunt, ac nonnunquam rurſus inſtaurantur.

Tale quid evenit quoque in negotio religionis: quæ quamvis vera atque ab ipſo Deo tradita, tamen reſpectu hominum qui eam profitentur, ſubit mutationes.

Sic in populo Iſraëlitico, poſt Moſis & Joſuæ tempora, oborta eſt a vero Dei cultu ad cultum idolorum defectio. ut patet ex libri Judicum cap. 2.

Sic in Eccleſia Chriſtiana, poſt Apoſtolorum tempora, prædicta ab ipſis Apoſtolis corruptela (Act. 20. & 2 Theſſ. 2. & 1 Tim. 4. & 2 Pet. 2.) atque triticeæ ſementi interſperſorum zizaniorum ſeges erupit. Matth. 13.

Quorum vaticiniorum eventum Hegeſippus ab Euſebio in Hiſtoria Eccleſiaſtica citatus, indicavit.

Philoſophi præcipue Platonici, quorum ſecta tunc viguit, ſicut poſtea Ariſtotelica, Chriſtianiſmo aſſentientes, ſed ultra Sacram Scripturam ſapere affectantes, ejus aureæ ſimplicitati atque puritati, ſuarum opinionum ſcorias admiſcuerunt.

Inter alia religionis dogmata, maximè circa ipſius Jeſu Chriſti naturam atque ſubſtantiam ſeu perſonam excitatæ ſunt controverſiæ.

Quibus tamen temporibus, dum errores iſti emergerent, viri nonnulli Apoſtolicæ ſimplicitatis tenaces eis reſtiterunt. Ut Theodotus Byzantinus, circa annum Chriſti 190: quem Victor Epiſcopus Romanus genere Afer, ob ſententiam de Jeſu Chriſto cum Apoſtolica conſentientem, ſed ab ea quæ tunc invaleſcebat diſſentientem, ab Eccleſia excluſiſſe ſcribitur: tum Artemon cum ſuis ſociis: & Paulus Samoſathenus Epiſcopus Antiochenus circa annum Chriſti 260. & (ut præteream Beryllum Boſtrenſem in Arabia, & Marcellum Ancyranum in Galatia Epiſcopos) Photinus Epiſcopus Sirmienſis, circa annum Chriſti 350, à quo denominati Photiniani, per tempus aliquod veritati teſtimonium præbebant: quod ex hiſtoriis apparet.

Sed errores torrentis inſtar ſubinde magis magiſque exundantes, florentes divinæ veritatis campos inundarunt; vel inſtar caliginis tenebroſæ, Solis iſtius ſpiritualis lucem obnubilarunt.

Quod factum eſt non abſque Dei ſapienti atque juſta gubernatione: qui homines partim per negligentiam, partim per vanam curioſitatem, tenebras pro luce amplexantes, pro merito puniens, à Cacodæmone ſalutis humanæ ac veritatis hoſte, principe tenebrarum, ita in tenebras errorum deduci permiſit.

Sic mulier illa myſtica illuſtris, Sole amicta, Lunæ inſiſtens, ſtellis duodecim coronata, id eſt veritas cœleſtis, in deſertum delata, ibi manſit occultata per dies Propheticos id eſt annos 1260; ut prædictum eſt vaticinio S. Johannis, Apoc. cap. 12.

Tandem

PRÆFATIUNCULA.

Tandem aliquando Divina benignitate genus humanum revisente, post obscuræ noctis plusquam Cimmerias tenebras, quæ per diluculum Erasmi, Lutheri, Zvinglii & aliorum dispelli cœperunt, reducis veritatis diurnam lucem non tantum circa alia, sed etiam circa Christi Servatoris personam atque officium, is ipse mundi Servator, & lux mundi, mundo restitui voluit.

Id vero ab Italis exordium cepit, à Lælio Socino Senensi, & deinde ejus fratris filio Fausto: sicut in hujus vita & in adjuncta eidem de scriptis ejus dissertatione ab Equite Polono conscripta declaratur.

Verumtamen non subest causa justa, cur ii qui cum Socino in plerisque consentiunt, ideo Socinianorum nomine notentur. Nam & ante Socinum post Apostolos extitisse ejus sententiæ confessores, jam est ex historiarum Ecclesiasticarum testimonio indicatum: & ipsi eorum adversarii cautiores, sententiam hanc (quam hæreseos macula aspergunt, sicut olim ipsorum Apostolorum confessio à Judæis simili macula aspergebatur) non demum natam, sed renatam, nec primum ab hominibus istis cusam, orbique Christiano expositam, sed recusam & postliminio repositam agnoscunt atque confitentur. Nec vero ii qui Socinum pro hæretico non censent, neque reprobant ac detestantur, continuo omnia ejus dicta pro ratis sententiis habent, velut ipsius addicti jurare in verba magistri.

Et sane mirandum est, etiam eos qui ipsi, quamvis cum Zvinglii & Calvini sententiis non pridem in orbem terrarum prolatis consentientes, Zvinglianorum & Calvinianorum titulos sibi imponi ægre ferunt, eosque recusant, tamen istis imponere titulum Socinianorum. Isti vero etsi maxime vellent atque optarent, ut à Christo magistro ac Domino Christiani simpliciter nominarentur; tamen quando ii qui Christianorum nomine gloriantur in multas sectas diversas sunt dissecti, ut huic communi nomini differentiæ causa aliquid adjiciatur, non abnuunt quominus ad discrimen Trinitariorum appellentur Christiani Unitarii; quia unicum strictissima unitate non tantum essentiæ sed & personæ, Deum altissimum, & unicum non tantum persona sed & essentia Filium Dei Jesum Christum, confitentur: quo quidem nomine in Hungaria & Transylvania jam recepto usitate appellantur.

Quippe præter Poloniam, in qua utpote regno ejusmodi quod tunc libertate egregia gaudebat eaque vigebat, religionis quoque libertas locum invenerat, sub Rege Sigismundo Secundo, cognomine Augusto, etiam in Transylvania, sub ejusdem sororis filio, principe Johanne Secundo Sigismundo, ei confessioni assentiente, istius confessionis homines, cum cæteris ab Ecclesia Romana dissidentibus, sedes quietas obtinuerant.

Et initio quidem cum Euangelicis Reformatis eandem frequentabant Ecclesiam: sed postquam de Deo & Christo sententia istorum à vulgari diversa innotuit, quidam ex Euangelicis zelo amaro flagrantes, eos pro hæreticis habitos, tolerare noluerunt.

Itaque Cracoviæ, quæ est Poloniæ urbs præcipua, duce potissimum Gregorio Pauli concionatore, cœtus separatos habere cœperunt. Sicut olim quum Paulus Apostolus Ephesi Synagogam Judaicam frequentaret, postquam nonnulli sermonibus ejus assensum præbere recusantes, viam Domini maledicebant, is discedens ab eis, segregavit discipulos. (Actor. 19)

Habueruut vero Ecclesias, per Poloniam ac Lituaniam eisque annexas provincias, tum in urbibus regalibus, ut Cracoviæ, Lublini, Novogrodiæ, tum etiam in nobilium oppidis atque pagis passim: per annos fere centum pacate vixerunt, atque religionis suæ exercitium celebrarunt, vix aliquibus interdum adversis intervenientibus. Ita ut de eis potuerit dici quiddam tale, quale de illis primævis Apostolicis Ecclesiis est scriptum, (Actor. 9.)

Sed non est ea sors verorum Christi discipulorum, ut hic in terris habeant sedes fixas & manentem civitatem, (Hebr. 13.) imo omnes fere qui volunt pie vivere

vere in Christo Jesu, persecutionem patiuntur. (2 Tim. 3.)

Jam dudum adversarii ægris oculis spectabant, quod tum alibi nonnulli à Pontificiis, atque ab Euangelicis, ad Unitarios accederent, tum etiam præcipuè quod Racoviæ, Poloniæ minoris oppido, & Synodi quotannis celebrarentur, & libri sententias nostras defendentes excuderentur, atque inde in diversas oras spargerentur, & juventus in artibus liberalibus ita erudiretur, ut ex ipsis quoque Pontificiis non pauci liberos suos institutionis causa in gymnasium illud mitterent.

Idcirco malignis invidiæ stimulis agitati, hæc ipsa impedire atque disturbare moliebantur. Obtulit se eis cui inhiabant occasio, quum è schola illa adolescentes aliquot spatiatum extra oppidum in agrum egressi, ligneam Christi crucifixi effigiem, viæ imminentem, per petulantiam saxis impetentes, fregerunt.

Hac occasione cupide arrepta, in Comitiis Regni Warsawiensibus, 1638. decretum est latum, ut Racoviæ tum Schola diroueretur & studia interdicerentur, tum Ecclesia clauderetur, tum ejus Ministri atque Scholæ Præceptores in exsilium pellerentur, tum officina typographica tolleretur.

His ad exequutionem deductis non contenti, mox similia deinde Kiselini & Beresci in oppidis Voliniæ, quo Ministros atque Magistros Racovia pulsos sese contulisse insimularunt, per tribunalis Lublinensis judicium effecerunt.

Atque ut alia minus notabilia prætereantur, Jonas Slichtingius ob editam secundum Symboli Apostolici capita Confessionem Christianam, ex ipsis ferme Sacrarum Literarum dictis collectam, in Comitiis 1647. proscriptus est, & liber ipse tanquam blasphemus carnificis manu publice est combustus.

Quum tamen congregationes & exercitia religionis, quanquam pauciore hominum numero in locos singulos conveniente, non intermitterentur, conabantur excogitare modum, quo ansa quapiam arrepta, omnes hujus religionis confessores exterminarent.

Itaque quum Sveci Poloniam invasissent, & pleraque ejus loca occupassent, ita ut & provinciæ multæ missis legatis Regi Svecorum ut victori sese subjicerent, & exercitus ipsi cum Ducibus suis eidem sese addicerent, quia ex Unitariis nonnulli etiam ad Svecorum patrocinium & protectionem confugerant, quamvis multi eorum nullam cum Svecis inirent societatem, post Svecorum discessum, omnes ii quos Arianos vocant, publica regni constitutione, 1658. non prætextu perduellionis, ne Sveci, qui per tractatus amnestiam iis qui ipsis adhæserant pacti sunt, offenderentur, sed directe ob religionem, ob id quod Jesu Filii Dei præ æternam, quam vocant, Deitatem non agnoscant, extorres acti sunt, ut scilicet Deus hisce blasphemis amotis, omnia prospera isti regno tribueret: ita ut nisi patria excederent, accusati pœnæ capitali subjicerentur: bona quoque eorum fisco publico sunt applicata: & vetitum ne quusquam eos ullo modo juvare, vel extra solum patrium exsulantes, aliquo benignitatis ac benevolentiæ indicio prosequi audeat, alioqui eidem cum ipsis pœnæ obnoxius futurus.

Hoc igitur edicto pulsi in diversas, sed maxime limitibus Poloniæ conterminas oras, cum suis domesticis commigrarunt, dispersi per Silesiam, Prussiam, Marchiam, Transylvaniam, &c.

Interim Deo Optimo Maximo, in mediis afflictionibus (quas ad ipsos tum ob non inventa eorum opera in conspectu suo completa castigandos, tum isto igne explorandos, atque perpurgandos, permisit:) eis consulente, subducti sunt in loca tutiora è Polonia, quæ diversis tumultibus, & belli non tantum externi sed & interni terroribus exagitatur: in qua libertas in licentiam degeneravit, & licentia in servitutis metum delabitur.

Interea istis Ecclesiarum candelabris è locis suis amotis atque alio translatis, non desinit Deus eam, ob quam isti patiuntur, confessionem hominibus veritatis atque pietatis amantibus per diversas regiones commendare: ita ut non pauci hic illic

reperiantur, qui huic confessioni in plerisque assensum præbeant.

Jam ergo omnium hominum, qui veritatis ejus quæ est secundum pietatem sunt amantes, qui alienarum opinionum non sunt mancipia, officium erit, ne incognita, quod est inconveniens, damnare præsumant, ut ista quæ in his scriptis offeruntur absque præjudicio, sed cum recto judicio legant, atque ad verbi divini non dubii normam applicent, & exigant, non quis sed quid dicat attendentes, ac omnibus ex Apostoli Pauli monito exploratis atque probatis, si quæ bona invenerint, ea retineant & amplectantur.

Scopus vero istis præfixus & fructus ex eis proveniens, is esse debet, ut non tantum erroribus depulsis, lux veritatis percepta animos contemplatione sui delectet, sed ut ista omnia ad praxin pietatis excitandæ & fovendæ atque exercendæ, & inprimis ad charitatem, quæ est vinculum perfectionis & verorum Christi discipulorum nota atque tessera, etiam erga eos qui passim tanquam blasphemi immerito traducti exosi habentur, provocandam atque exacuendam, deducantur.

Monendus vero est lector, Socini Opera ex exemplari ab eruditissimo viro à quam plurimis mendis castigato esse expressa, adjectis nonnullis ante hac nunquam editis. In Crellii vero operibus nunc recusis, Ethica Christiana à prolixa illa (non ipsius Crellii) de virtute Christiana & gentili dissertatione sunt liberata, retentis illis quæ de Ethicis Crellianis agunt. Ex indicibus locorum S. Scripturæ, illa loca quæ nude tantum citantur, quorum infinitus fere erat numerus, rejecta sunt, & ex ipsis rerum & verborum Indicibus multa, quæ inutilia & minime necessaria videbantur resecta, ne, quod alias factum fuisset, fere quadraginta philyras occuparent, & pretium libri non leviter gravarent. Adjecimus vero omissa illa ex Ethicis Christianis, quæ seorsim in tribus vel quatuor pagellis impressa, in multis exemplaribus desiderabantur. Grotii tractatum de Satisfactione Christi, duasque ipsius ad Crellium Epistolas adjunximus, quibus Crellio pro responso ad suum librum gratias agit.

Inter ista quæ Crelli operum exegeticorum tertio Tomo continentur, nonnulla ex Crellii prælectionibus ab aliis excepta, ab ipso vero Crellio non recognita, reperiuntur. Inter Woltzogenii opera reperies explicationem in Acta Apostolorum, Epistolas Jacobi & Judæ, ab A. W. & in in capita 6, 7, 8, 9, 10. Johannis Joachimi Stegmanni Junioris commentarium, à nobis adjecta, quia in M. S. ipso Woltzogenii non reperiebantur, ne liberaliquis Novi Testamenti, vel quædam illius pars, ab Ecclesiarum istarum luminibus non illustrata reperiretur, sed istud integrum explicatum orbi Christiano exhiberemus. Vale, & istis utiliter fruere.

EXPLICATIO VARIORUM MATTHÆI, MARCI & LUCÆ LOCORUM.

In Joëlis cap. 2. vers 12.

ET *etiam nunc dixit* DOMINUS: *Convertimini ad me in toto corde vestro, & in jejunio, & in fletu, & in planctu.*

Par esset ut homines semper ad voluntatem Dei, vitam moresque suos componerent. Id enim & mandantis Dei authoritati, & naturali justitiæ atque æquitati, & suæ denique utilitati, quæ inde emergit, debent. Sed aliter ferè fit: partim ipsa hominum non solum imbecillitate sed & perversitate, partim ob causas externas, quibus ad peccandum incitamur. Deus verò graves pœnas sibi non obtemperantibus minatur. Quid hîc agendum? Docet hîc propheta, in verbis prælectis, quibus nos ad resipiscentiam vocat. Ea quippe tabula est, qua ex isto naufragio emergere datur.

Primò autem nobis notanda venit authoritas hortantis, quæ exprimitur his verbis, *dicit Dominus*. Si homo Dei nomine præsertim ab illo missus nos adhortaretur, meritò illi obsequeremur. Quid quum Deus ipse præcipit, atque hortatur is qui jus habet in omnes nostras actiones, qui obsequentes remunerari, refractarios punire potest? Is qui manum jam sustulerat ad feriendum, rationem evadendi pœnam per pœnitentiam monstrat, & ad eam amplectendam nos incitat. Sic primo mundo antequam diluvium immitteret, præconem justitiæ Noam indulsit. Antequam Pharaonem oppressit, Mosen ad eum misit. Ad Sodomæos Lotum, ad Ninivitas Jonam, ad Judæos Christum & Apostolos. vide Matth. 23. 34. Nota hîc, prophetas non sua somnia, sed verbum Dei afferre debere. Vox dicebat Esaiæ, *clama*, nec ille tamen de suo proloqui ausus, quærit, *quid clamabo?* Esa. XI. 6. Michææ exemplum vide 1 Reg. 22. 14. Vide & Deut. 18. 22. Jer. 23 28. Sic Paulus, Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis. 1 Cor. XI. 23. Duas autem notas populo tradidit Deus, quibus agnoscerent suum per prophetas prolatum sermonem. Prima fuit conformitas vaticiniorum cum lege Dei scripta, Esa. 8. 20. Secunda, vaticiniorum eventus, Deut. 18. 22. Jerem. 28. 9. Nos verò quum audimus dictum Domini, ita comparati simus prout Samuëlem instituit Heli 1 Sam. 3. 9. *Loquere Domine, servus tuus audit*, imò auscultat & obtemperare tibi paratus est.

Notandum deinde ad quid nos Deus hortetur, *Convertimini* vel *convertite vos*. Quum jubet converti, innuit eos aversos fuisse. Potest autem hæc aversio esse particularis, potest & universalis: atque ita duplex quoque conversio: quippe vel totius vitæ morumque omnium, vel in certo quodam vitiorum virtutumque genere. Ad conversionem requiritur primò agnitio peccati: quæ paratur collatione factorum nostrorum legisque divinæ: sive ea cordibus nostris sit inscripta, sive libris sacris promulgata. Hac primò opus est. Nec enim de remediis morbi cogitabit ægrotus, si se ægrotare nesciat. Imponit autem nobis amor nostri, ne facile vitia nostra agnoscamus. Judex à partium studio alienus esse debet. Itaque ponamus affectus omnes quum de nostris ipsorum factis judicare volumus. Agnitionem peccatorum sequitur pudor, ac dolor de admissis. Pessimi enim sunt illi qui ad doloris sensum obcalluerunt: quales describuntur Eph. 4. 19. Dolor iste fit partim consideratione turpitudinis quæ peccatis ipsis inest, partim expensione iræ divinæ quæ peccata consequi solet, pœnæque metu. Dolorem de admissis, sequitur odium eorundem. Odium fertur & in præteritum, & in futurum. In præteritum, ut aboleantur quæ male admissa sunt. Cæterum quum factum infectum fieri nequeat; non possunt quidem actiones malæ perpetratæ aboleri: sed reatus tamen illis inhærens ac pœna eis debita aboleri potest, per remissionem, quæ solicita deprecatione impetranda est. In futurum quod fertur odium, cavet ne iterentur peccata, imò ut peccatis succedat cultus justitiæ. Peccata cavendi optima ratio est, si peccatorum vites occasionem. Juvabit conatum tuum consideratio legislatoris atque judicis, qui supra te, angelorum hominumque, qui circa te, mortis atque inferni, qui sub te. Non sufficit autem declinare à malo, sed etiam faciendum quod bonum est, Psal. 34. 14. Nec sufficit conatus in hoc seculo, quem opere compleas in futuro; sed opus ipsum nunc temporis exigitur. Tit. 2. 12. His omnibus adesse imò præesse debet fides in Deum vera, quæ gratiam ejus amplectatur. Atque ita censeri poterit plena esse conversio hoc loco præcepta. Cavendum autem sedulò in conversione, ne ab uno peccato conversi ad aliud revertamur. Eoque notandum tertiò quòd conversio debeat fieri ad DOMINUM. Is enim hîc dicit, *ad me*. DOMINUS autem *sanctus est*, imò ipsa sanctitas. Ad DOMINUM converti, est ad voluntatem ac mandatum DEI vitam suam componere. Hæc enim cynosura nostra est ad quam collimandum. Non ergo attendendum ad hominum placita, ad patrum authoritates, ad conciliorum decreta. Notandum quartò quod inquit, *etiam nunc*. Quasi dicat; quanquam id quidem jam olim antea oportuisset fieri; tamen etiam nunc adhuc tempus est, nec diu tamen tempus erit. Observa non properare Dominum ad pœnam, sed moram sæpenumero longam interponere. Sic primo mundo 120 annos ad resipiscentiam concessit. Sic Babylonicam captivitatem, sic Jerosolymorum excidium, longè antè minatus est. Nobis quoque longo tempore non desunt minæ ex ipso Dei verbo petitæ, ac sæpius repetitæ. Observa tamen; Esse tempus aliquod ultra quod pœnitentia differri non possit. Nota est parabola de quinque virginibus; Matth. 25. 10, 11, 12. vide & Luc. 13. 25. Item exemplum Esavi, de quo Gen. 27. 24, 28. & Hebr. 12. 17. Ignotum est verò nobis quousque Deus connivere peccatis nostris velit. Pendet enim hoc ab illius arbitrio. Itaque ne differamus unquam resipiscentiam nostram. *Hodie si vocem* DOMINI *audieritis, ne obdurate corda vestra.* Psal. 95. 7. Heb. 3. 7, 8, 13, 15. Ne nobis servator objiciat illud Matth. 16. 3. Et Jerem. 8. 7. Redimendum est tempus, Eph. 5. 16. vide & Gal. 6. 10 1 Corinth. 7. 29. 2 Corinth. 6. 2. Luc. 19. 44.

Nota quintò, quòd conversio debeat esse ex toto corde. Non sufficit externa contritio: sed in corde originem conversio habere debet. *Mortalis spectat quod est ob oculos, Deus autem quod est in corde* seu animo 1 Sam. 16. 7. Ipse est scrutator cordium & renum Psal. 7. 10. Cordis inclinationem externa deinde membra facilè sequuntur. Sed nec in corde tantum utcunque debet esse conversio, verùm *ex toto corde*. Ut *utroque pede claudicare* nobis non liceat, quod Israëlitis

 objecit

objecit Elias, 1 Reg. 18. 21. *Nemo potest duobus Dominis servire.* Matth. 6. 24. Summa legis est, *Diliges Dominum, Deum tuum, ex toto corde* &c. Luc. x. 27. Nec est quod quis impossibilitatem hîc prætexat. David de se inquit, Psal. 119. 10. *Ex toto corde meo quæsivi te*, ô Deus. Vide etiam quid de Josua Rege dicatur, 2. Reg. 23. 25. Imò Judæis in genere tribuitur quòd fœdus inierint Deum ex toto corde quærendi 2 Chron. 15. 12.

Notandum sextò: Ad conversionem cordis, externam quoque contestationem accedere debere. Ea fit *jejunio, fletu, planctu.*

De jejunio. Jejunium vel involuntarium vel voluntarium est. Involuntarium, quum quis vel non habet quod edat, etsi vellet: quale jejunium proculdubio Samariæ fuit, 2 Reg. 6. ℣. 26. Vel etiamsi habet cibum, tamen fastidit, aut ob morbum, aut ob circumstantias, aut ob aliquod discrimen, ut Actor. 23. ℣. 21. Voluntarium autem est naturale, aut civile, aut religiosum. Naturale quod quis suscipit ob naturæ conservationem, aut valetudinis recuperationem. Civile ob civilem finem suscipitur, ut illud 1 Sam. 14. ℣. 24. Religiosum, quod ob finem religiosum, puta, ut quis humilietur coram Deo, ut carnem suam mortificet, ut aptus sit ad devotionem. [Esdras jejunavit ob peccata eorum qui Babylone exiverant 1 Esd. 10. 6. 3 Esd. 8. 73, 74. Esther mandavit integrum triduum jejunare, ut obtineret populi Dei liberationem. Esth. 4. 15, 16.] Jejunium est abstinentia ab omni cibo & potu ad tempus certum. Ut apparet ex descriptione aliquot jejuniorum in sacris; Davidis, 2 Sam. 3. 35. Esdræ cap. 10. 6. Estheræ cap. 4. 16. Ninivitarum Jonæ 3. 7. Pauli Actor. 9. 9. Quin & per luctum describitur jejunium Matth. 9. 15. Et dicitur afflictio animæ Esai. 58. 3. Quis verò luctus, quæ animæ afflictio quum quis piscibus probe effarcitur, & vino sese ingurgitat? Jejunium Judæis ex lege ordinarium erat die decima septimi mensis, Levit. 16. 29. Idem tempore captivitatis Babylonicæ, mensibus quarto, quinto, septimo & decino sibi jejunium indixerant. De quo vide Zach. 7. 5. & 8. 19. Sic alio tempore alia sibi jejunia vel populus integer vel privati homines pro arbitrio imponebant. Pharisæus apud Luc. 18. 12. Jejunabat bis in hebdomada, nempe secundo & quinto die. Nec Christus jejunia improbat, quin potius legem illis certam præscribit, Matth. 6. 16. & 9. 14. inquit appropinquare tempus quum discipuli sui jejunaturi sint. Laudatur jejunium Annæ Luc. 2. 34. & Cornelii Actor. 10. 30. Jejunavit Paulus Acto. 9. 9. 2 Cor. 6. 5. & xi. 27. Jejunavit Ecclesia Antiochena Actor. 13. 3. Paulus iterum, atque Barnabas Actor. 14. 23. Sic conjugibus commendatur jejunium 1 Cor. 7. ℣. 5. Meritò verò & nunc à Magistratu hujus urbis jejunium publicum indictum est, avertendo bello, pesti, aliisque malis, partim præsentibus, partim imminentibus. Edicto parêre debent omnes qui possunt. Possunt autem omnes quotquot vel ætate ut pueri atque senes, vel morbo non sunt infirmi.

Cum jejunio conjungitur *fletus*, testis & ipse doloris nostri, quem capimus ex præsente rerum statu, desideriique quo cupimus ex eo liberari. Sic Petrus Matth. 26. 75, post negatum Dominum flevit amarè. Sic Luc. 7. 38. Mulier peccatrix fletu pœnitentiam suam testata est. Vide & 6. 21. Unde cum jejunio fletus conjungi sæpe solet. Vide exemplum Israëlitarum Jerem. 9. 1. Judic. 10. 23, 26. Esd. 10. 1. Id quod fortasse, Israëlitæ adumbrare voluerunt 1 Sam. 7. 6. quum hauserunt aquam eamque coram Domino effuderunt. Hinc & pro ipso jejunio notando luctus sive fletus interdum ponitur. Ut Zach. 7. ℣. 3. Matth. 9. 15. Flevisse Dominus Jesus aliquoties legitur, risisse nunquam. Nobis quidem flendi argumentum nunquam deest, sive peccata nostra, sive aliena, sive præsentem rerum statum, & in hoc regno, & in vicinis regionibus, sive etiam impendentia mala cogitemus.

Cum fletu jungitur planctus. Is percussionem quandam significat quam quis adhibet ad vehementem suum dolorem testandum: quæ quidem ad pectus plerumque fieri solet. Id quod expresse legitur Luc. 18. 13. & 23. 48. Vide & Jer. 6. 26. xlvi. 3. Ezec. 27. 31. Joël. 1. 13. Pectus enim est cordis & affectuum sedes. Inde mala quæ perpetramus originem habent, Matth. 15. 19. Marc. 7. 21, 22. Ad illud quoque sensus doloris quem capere debemus pertinet: ut ista percussio vel castigatio quædam pectoris velut excitatio ad dolorem videri possit. Interdum verò etiam percussio ista fiebat apud Judæos ad femur, Jerem. 30. 6. & 31. 19. Ezec. 21. 17. ad exemplum puerperarum, quæ in magno dolore similiter facere solent.

In Matth. 2. 6. Locus Mich. cap. 5. 6.

Continetur his verbis vaticinium de Christo Domino: ut non modò Pontifices & scribæ apud Matthæum, & Chaldæa paraphrasis, sed & ipsimet hodierni Judæi agnoscunt: quod opportune subjicitur ad consolationem Israëlitarum, postquam & ob peccata graviter eos increpuisset Propheta, & iram eis Dei fuisset minatus. Partes hujus vaticinii duæ sunt. Primò enim locum in quo Messias esset nasciturus designat; deinde ortûs ejus antiquitatem deducit. De primo. Alloquitur locum ipsum ex quo Messias esset proditurus. Nec enim insvetum est in Sacris Literis, ut majoris Emphaseos caussa sermo ad res inanimatas, ut ad cœlum & terram atque ad urbes dirigatur. Locus in quo Messias esset nasciturus, vocatur *Bethlehem Ephrata.* Bethlehemi vicus seu oppidum erat sex passuum millibus ab Jerosolyma versus meridiem distans, in monte porrectum. Latinè significat domum panis, ut credibile est à fertilitate, quam alterum ejus nomen *Ephrata* significat, quo prius fuit appellatum. Erat autem in tribu Judæ, ut apparet ex Matth. cap. 2. ubi loco Ephratæ *terra Juda* nominatur. Id autem factum est ad distinguendum illud ab altero Bethlehemo, quod in tribu Zabulon fuit. Optimè autem conveniebat, ut in civitate Davidis, quemadmodum appellatur Luc. 2. 4. ex qua David oriundus erat 1 Sam. 16. 1. Messias Davidis progenies nasceretur. Adde quòd *panis vitæ* quo nomine sese Servator noster apud Joh. 6. aliquoties appellat, nusquam melius quam in domo panis exoriretur.

Nomini loci additur descriptio, sed ita comparata ut dignitatem ejus non parum imminuere videatur, dicitur enim *minima in millibus Judæ.* Erant tribus in millia divisæ, ut videre est Judic. 6. 15. 1 Sam. 10. 19. suosque singula duces seu præfectos habebant, qui quidem apud Matthæum pro millibus ipsis substituuntur. Non poterant autem ista millia omnia inter se exactè semper esse æqualia. Nam & numerum hominum interdum auctum, interdum diminutum fuisse credibile est, & opes & potentia sine dubio dispar erat. Ita & Bethlehemum inter minima fuisse hîc dicitur. Mirum ergo quòd in tam vili oppido Messiam Deus nasci voluerit: sed multum differunt cogitationes viæque Dei, à cogitationibus hominum. Esai 55. 8, 9. Infirma enim & ignobilia mundi Deus elegit, ne caro ulla gloriaretur. 1 Cor. 1. 27, 28. Unde neque nunc mirum cuipiam esse debet, renatum esse Euangelium, & cum illo ipsum quodammodo servatorem nostrum in gentibus quæ ab aliis pro barbaris habentur, & in vilibus oppidulis: qualia sunt aut Witemberga, aut similia illi alia oppida. Qualecunque verò sit Bethlehemum, ait tamen Deus apud prophetam nostrum, *Dux mihi ex te egredietur, qui sit dominator in Israël.* Egressus non ipsam nativitatem hîc significat, sed eam præsupponit. Erat Bethlehemi nasciturus Messias, atque inde egressurus. Non caret autem mysterio, quod inquit, *egredietur mihi.* Significatur enim hac ratione respectus Messiæ illiusque nuncii, ad Dominum, ad cujus nutum atque honorem ille sese actionesque suas omnes compositurus sit.

Sequi-

Sequitur insigne Messiæ elogium, *qui sit dominator in Israël.* Per Israëlem, Israëlis posteros intelligi, cuilibet patet. Erant autem quum hæc Michæas vaticinaretur, diversæ tribus, neque unus Rex Israëli toti imperabat. Imò Israëlis nomen aliis à tribu Judæ distinctis nominatim tribuebatur. Hic tamen Deus tribum Judæ à Messiæ imperio sine dubio noluit excludere, ei enim præcipue illum destinabat. Itaque per id omnes tribus omnesque posteri Israëlis, ut diximus, rectè intelliguntur. Qui maximus illius honor reputandus est, quippe illud perfecturi quod nemo per tot secula potuerat. Quando hoc vaticinium impletum fuerit, vide Luc. 2. Ubi animadverte quomodo per multam Dei providentiam, Augusto Romanorum Imperatore regnante, Maria Dominum Jesum in utero gerens, quæ domicilium alioqui Nazareti habebat, Bethlehemum adducta sit, ut Messiam ibidem pareret. Judæi, quum negare nequeant, Dominum Jesum Bethlememi natum, quominus tamen credant eum esse qui hoc in loco pro Messia designatur, obtendunt Dominum Iesum non fuisse dominatorem in Israële, quin contrà Israëlem ipsi potius dominatum. Sed ad posterius ipsi responderunt Ioh. 18. 32. *Nobis non licet occidere quenquam*, & satis docet historia, nil illos id temporis nisi præsidibus Romanis volentibus aut conniventibus potuisse. Malè verò Judæi Dominum Iesum impugnant ex eo quòd dum in terris ageret nullum ipse dominium in Israëlem exercuerit, quasi nos intra illud tempus dominium istud coarctemus. Habuit ille quidem jus regni & in terris, unde & Regem sese fassus est coram Pilato, qui titulum ejus deinde cruci affixit. Usurpavit quoque jus regni eatenus, quatenus jam tum leges plurimas à populo suo observandas tulit. Plenam tamen usurpationem, præsertim eo modo quo Judæi eam intelligebant, etsi oblatam, acceptare noluit, ut patet Ioh. 6. 15. Sciebat pati se prius debere, atque ita ad gloriam suam ingredi, Luc. 24. 26. Confer Philip. 2. 9. Hebr. 2. 9. Inde ergo regnum ejus verè censendum est, ab eo tempore quo plurimos habuit ex Israëlitis, qui imperium illius acceptarent, eique obsequerentur. Actor. 2. 41. c. 5. 14. XXI. 20. & alibi passim. Quotquot autem eum acceptare noluerunt, hos per eversam eorum Rempublicam graviter punivit, & in ultimo porrò judicio puniet. Imò non ii tantùm Israël censendi, qui secundùm carnem ex Israële nati, sed & ex omnibus gentibus quotquot promissionem Abrahæ factam acceptarunt, ejusque hæredes facti sunt, qui verus sunt Dei Israël. Rom. 9. 5, 7, 8. Gal. 6. 16. His omnibus ille imperat. Imò non tantùm Israëlitis obedientibus, sed etiam refractariis omnibus, & non tantùm hominibus, sed etiam Angelis, atque adeo quicquid est vel in cælo vel in terra uliius dominii capax.

De secundo. *Egressiones ejus ab antiquo, à diebus seculi.* Variè hunc locum varii & interpretantur & explicant. Plerique generationem hic Messiæ æternam significari putant. Sed ii nimium sunt absurdi. Si enim generatio Messiæ hic significatur, quomodo æterna esse poterit? quum generatio sit productio à non esse ad esse. Piscator in Apologia suæ versionis, alio eam refutat argumento, quòd generatio filii divina, quam ipse alioquin concedit, sit una, hic verò de egressionibus in plurali numero sit sermo. Responderi solet, vel ad duas generationes Christi hic respici, unam ex Deo, alteram ex Maria: vel exprimi hac ratione ejusdem ex Patre generationis continuationem. Sed prior responsio, præter alia hoc habet absurdi, quòd generatio Christi ex Maria hac ratione ab æterno sit futura. Posterior quum generationis continuatio asseritur, generatum facit quiddam fluxum & evanescens, quod nisi perpetuò restauraretur, in nihilum abiturum sit. Piscator egressiones Messiæ intelligit ejus sub Angeli alicujus forma ad Patres egressus. Sed ut hæc interpretatiò valere possit, primùm probandum esset, Angelorum istorum quenquam qui Patribus apparuerunt, Messiam fuisse. Id verò ille non facit. Nos verò alias contrà probavimus, nec inter illos qui Abrahamo apparuerunt, Messiam fuisse, ex Heb. 13. 2. Nec inter eos qui Mosi, sive in rubo, Actor. 7. 30, 35. sive in Sina, Actor. 7. 38. Gal. 3. 19. Hebr. 2. 2, apparuerunt. Tertia explicatio est Sebastiani Munsteri, Glossæ ordinariæ, & Calvini, qui ad decretum Dei de Messia respectum putant; cum quorum sententia convenire videtur, id, quod Judæi vulgò ajunt, Messiam, ut & legem, & res alias quasdam, ante mundum creatas fuisse; quod de decreto Dei explicandum, ratio docet. Quarta est Paraphrastæ Chaldæi, qui sic habet: cujus nomen præparatur ab antiquo, à diebus seculi. Cum quo fere conveniunt Tremellius & Junius, qui sic: cujus exortus à principio, à diebus seculi, & per exortus intelligunt declarationes atque demonstrationes, tanquam exortus solis. Quinta Johannis Tosarii, & Judæorum, qui de origine à primis & prisci seculi Regibus sermonem esse putant. Eligat ex his tribus posterioribus quam quis volet, aut omnes eas conjungat. Ultima tamen earum simplicissima videtur. Ad quam ut & penultimam confirmandam notandum; verba quæ in Hebræo habentur, non rem ab æterno factam propriè aut præcisè significare, ut multi hic prætendunt, sed ut Piscatoris interpretatio recte habet, *ab antiquo, & à diebus seculi*, sive mundi. Verba enim Hebraica antiquitatem sive temporis sive loci significare, idem Piscator affirmat, & probat. De tempore notentur illa loca, Psal. 74. 2, 12. *Dies seculi* quoque æternitatem absolutam non significare, patet ex illis, Malach. 3. 4. Psal. 25. 6. Esai. 64. 4. Joh. 9. 32.

Notetur autem hoc quoque argumentum præstantiæ Messiæ, quòd egressiones ejus ab antiquo & à diebus seculi esse dicantur. Sive enim hoc ad decretum Dei de illo factum, sive ad declarationes per prophetas, visiones, atque typos, sive denique ad originem generis ejus referas, omnia illa nihil vulgare sed quiddam penitus eximium asserunt.

Matth. 3. 11.

OStendit his verbis Johannes sui Christique baptismi, & per consequens utriusque eorum muneris discrimen. Videamus primo quomodo nobis baptismum munusque suum proponat, deinde quomodo Christi. De primo: *Ego quidem baptizo vos aqua.* Quid hic loquatur ex antecedentibus constat. Johannes nimirum, Zachariæ atque Elisabethæ filius, in senectute eorum singulari Dei cura conceptus & genitus, in deserto educatus. Vir austera vita, veste ex camelorum pilis texta vestitus, coriaceo cingulo cinctus, cujus cibus erat locustæ & mel agreste. Ad illum sermo Dei factus Luc. 3. 2. ipseque missus à Deo fuerat Joh. 1. 6, & quidem ad baptisandum ℣. 23. unde quod deinde de munere suo prædicat, non sua sponte, sed divino jussu præstitisse existimandus est. Noc enim sumere quicquam homo potest, nisi quæ à Deo illi fuerint data, ut ipse loquitur Joh. 3. 27. Hic ergo Johannes dicit: Ego baptiso aquâ. Baptismus proprie immersionem in aqua significat, id apparet ex 2 Reg. 5. ℣. 14. per consequens vero etiam ablutionem & purgationem, ut Marc. 7. 4. Johannem ita baptisasse apparet ex eo, quod sepulturam baptismo comparet Paulus Rom. 6. 4. Col. 2. 12. Unde intelligi potest quantum à baptismi ritu recedant, qui effusione aquulæ in solum caput illum se perficere posse putant. Quum nec vocabuli vis istud ferat, nec ullo exemplo probari possit. Porrò quorsum ista immersio hominum à Johanne usurpata pertinuerit, id sequentia docent, quum addit: *in resipiscentiam.* Nimirum exprobrabat Johannes Dei jussu populo & singulis ex populo peccata sua, & ut ab illis recederent justitiæque studerent, eos hortabatur, pœnam gravissimam, nisi facerent, minatus. Quotquot ergo ad illum accederent, & peccata sua confiterentur, hos baptisabat in resipiscentiam, sive eo pacto ut à peccatis resipiscerent, & meliori vitæ studerent, qua ratione

tione futurum erat ut deinde remiſſionem peccatorum conſequerentur: quemadmodum videre eſt Mar. 1. 4. Luc. 3. 3. Erat autem baptiſmi ceremonia ad hanc rem aptiſſima, utpote non modò à profanis gentibus ſed ab Iſraëlitis Dei juſſu ad purgationes expiationeſque adhibita. De leproſorum purgatione Levit. 14. 5, 9. De laborantibus ſeminis profluvio Lev. 15. 5, 6, 7, 8, 9. De iis qui tetigerint cadaver Lev. 17. 15. vide quoque Num. 19. toto. Hinc manaſſe videntur illa quæ ex Mar. 7. antea recitavimus. Imò ritus proſelytos baptiſandi, quem in Thalmude & Rabbinis videre licet, hinc quoque eſt. Adumbrat verò commodè externus baptiſmus internam animi à peccatis ablutionem. Unde & noſter nos baptiſmus admonere poteſt internæ animi purgationis, cui ſemper ſtudendum. *Facite fructus* (inquit hîc Johan. ℣. 8.) *dignos reſipiſcentiâ.* Reſipiſcentia verò duo in ſe complectitur. Primò ut quis doleat de peccatis admiſſis, & ad ea nunquam redeat. Deinde ut bonum amet, atque faciat.

Porrò quum Johannes inquit, *Ego vos baptiſo*, Judæos alloquitur, quippe ad quos miſſus fuerat. Nam Gentes Apoſtoli demum baptiſarunt. Paries enim intergerinus inter Judæos & Gentes per Chriſtum ejuſque crucem demum disjectus fuit. Particula *quidem* oppoſitionem ſeu diſcrimen inter Johannis Chriſtique munus indicat: cujus unius deſcriptionem quum viderimus, videamus jam & alterius. *Qui autem poſt me venit, validior me eſt*, Chriſtum intelligit, ut Johannes ipſe interpretatur, Joh. 1. 29, 30, & ſeqq. Poſt Johannem enim Chriſtus venit, non ut ſervus poſt Dominum, ſed contrà, ut Dominus poſt anteambulonem. Illud poſt ad locum propriè refertur, conſequenter etiam ad tempus. Nam qui loco poſterior incedit, is & tempore poſterius venit. *Venire* autem Chriſtus dicitur non quum natus eſt, ſed quum munus ſuum aggreſſus eſt: quod ex hoc loco perſpicue apparet: & notandum eſt propter illud *in carne venit* 1 Joh. 4. 2. & 2 Joh. ℣. 7. quod ad nativitatem vulgò ſed male referunt. Erat autem adventus Chriſti cùm hæc Johannes loqueretur, in propinquo, ut apparet ex iis quæ apud Euangeliſtam noſtrum ſequuntur; itaque non dicit veniet in futuro, ſed *venit* in præſenti.

Cùm Chriſtus Johanne *validior* dicitur, non ad robur corporis, ſed ad virtutem Spiritûs reſpicitur: de qua & Heb. 1. 9. Vide ejuſdem Johannis Baptiſtæ confeſſionem, Joh. 1. ℣. 15. & Joh. 3. 28. Notanda hæc præſtantiæ Chriſti confeſſio, ab eo edita, qui quantus vir fuerit, vide Matt. 11. 7. Nobis roboris Chriſti conſideratio eo quoq; ſervire debet quò Paulus eam applicat 1 Cor. 10. 22. ut ne Dominum ad zelum irritemus.

Pergit Johannes exaggerare Chriſti præſtantiam cùm addit: *Cujus non ſum dignus portare calceamenta.* Dignitatem Chriſti ex eo adſtruit, quòd ipſe viliſſimo ejus miniſterio indignus ſit. Id enim proverbiali hac loquutione denotatur. Cui ſimilis eſt illa Mar. 1. 7. Luc. 3. 16. ubi ſe dicit indignum qui corrigiam calceamenti ejus ſolvat. Et illa Pſal. 60. 10. & Pſal. 108. 10. ubi David ſe ſuper Edomum dicit projecturum calceamenta ſua. Locutio inde ſumta videtur, quòd accubituri calceos deponebant, quos honoratiores ſervi aſſervabant. Quin & locum Sacrum ingreſſuros veriſimile eſt calceos poſuiſſe: quod Moſi mandatum legimus Exo. 3. 5. & Joſ. 5. 15: quodque Turcis & Africanis etiam nunc in uſu eſt. Notanda hic iterum ſumma Chriſti præſtantia & dignitas. Notanda & ſumma in Johanne animi demiſſio, ut tanto in viro; eaque nobis imitanda, cùm alibi, tum inprimis quando cum Chriſto negotium nobis eſt. Notandum tamen & hoc quod Johannes licet ſeſe indignum agnoſcat qui vel calceamenta Chriſti geſtet, munus tamen præcurſoris Chriſti, à Deo ſibi delatum non detrectaverit ſed pro virili adminiſtraverit. Ita & nobis infirmitatis noſtræ agnitio non debet obſtare quominus officium faciamus. Malè Moſes balbutiem, Jeremias juventutem ſuam prætendebat, contra Domini mandatum.

Ille vos baptiſabit Spiritu ſancto & igne. Oſtendit Chriſti baptiſmum non modo a ſuo diverſum, ſed & eo longè præſtantiorem atque efficaciorem, ut non vanè illum ſe fortiorem dixerit. Quanto enim plus poteſt Spiritus atque ignis, quàm aqua? Opponi poſſet, legi nihilominus & Dominum Jeſum aquâ baptiſaſſe Joh. 3. 22. IV. 1. quod quanquam ibid. ℣. 2. explicetur, per diſcipulos ejus id fuiſſe peractum, credibile eſt tamen diſcipulos nil niſi volente magiſtro in re tanti momenti feciſſe: id etiam dici poteſt de baptiſmo ab iiſdem poſt aſcenſionem Chriſti adminiſtrato. Sed reſponderi poteſt non ſtatim negari, Chriſtum aqua baptiſaturum, etſi Spiritu ſancto quoque & igne eum baptiſaturum affirmetur; atque hoc ſufficere ut baptiſmus hujus tanquam præſtantior Johannis Baptiſmo aquæ opponatur. Sumit enim ad Chriſti præſtantiam præſe probandam argumentum ex Chriſti Baptiſmo potiſſimùm, eumque ſuo aquæ Baptiſmo opponit; qui & ipſo diſcipulorum Chriſti aquæ Baptiſmo inferior dici poteſt. Iſte enim & reſipiſcentiam perfectiorem, & remiſſionem peccatorum pleniorem adumbrabat, & in nomine Chriſti adminiſtratus fidem in eum apertè requirebat. Jam quòd Chriſtus Spiritu baptiſaturus dicitur, id quomodo intelligendum ſit, ipſemet oſtendit Actor. 1. 5. Et Petrus Act. 11. 16. Reſpicitur enim hac phraſi, primùm ad abundantiam Spiritûs, quæ tanta futura eſſet, ut illa veluti obrui & immergi poſſint: quam abundantiam Chriſtus notat Joh. 7. 38. Deinde & ad purgationis effectum, quem & Petrus notat Epiſt. 1. c. 1. ℣. 22. Quod autem additur, *& igne*, id nonnulli proprie intellectum volunt, quemadmodum de Abyſſinis fertur, eos aqua baptiſatis notam igne inurere. Alii, ut Origenes, Hilarius, Hieronymus, ad purgatorium ignem hoc trahunt, ineptè. Cùm & purgatorius ille ignis nuſpiam ſit, & Baptiſmo ignis non pœna ſed beneficium potiùs hoc loco denotare Johann. videatur. Certè ſi hîc ignis intelligendus eſſet noxius, ille potius intelligeretur cujus & in antecedenti & in ſequenti verſu fit mentio. Sed ex collatione Marci, qui de Baptiſmo Spiritûs loquens ignem omittit, Mar. 1. 8, ſatis conſtare videtur per ignis Baptiſmum nihil hic à Spiritûs Baptiſmo diverſum ſignificari, ſed illum potiùs explicari. Vult quippe Johannes ſignificare, Dominum Jeſum igneo quodam Spiritu ſuos donaturum, qui mentes eorum illuſtret, incendat, purget. Hanc virtutem Spiritûs notat Eſaias c. 4. ℣. 4. & c. 6. ℣. 6, 7. Ea res verò ſignificatur eo quoque quòd die Pentecoſtes Spiritus ſancti effuſio, ſymbolo linguarum diviſarum inſtar ignis figurabatur. Unde videmus quanta ſubito in diſcipulis Domini immutatio facta fuerit. Baptiſet nos quoque Dominus Jeſus Spiritu S. & igne, quo ab omnibus peccatis purgati, plenaque veritatis notitia colluſtrati, fervide feramur ad id quod nobis injunxit, faciendum, ejuſque Patriſque ejus gloriæ ſtudio flagremus.

Matth. 3. verſ. 11, 12.

ARgumentum. In his verbis Johannes Baptiſta extollit præſtantiam muneris Domini Jeſu Chriſti; idque comparatione inter ſe atque illum, ratione muneris inſtituta. Loci duæ ſunt partes: Protaſis comparationis & Apodoſis. In protaſi ſeu priori comparationis parte ſuum munus exprimit Johannes, in Apodoſi ſeu altera parte, munus Chriſti, ſeu muneris ipſius præſtantiam muneri ſuo opponit. Prius illud continetur ℣. 11. *Ego Baptiſo vos aqua in pœnitentiam.* Ubi duo explicantur. 1. Quid Johannes ratione ſui muneris fecerit. 2. Quem infinem. Illud eſt, *Baptizo vos aquâ*, hoc, *ad pœnitentiam.* Per Baptiſma autem in aqua ſimul etiam doctrinam ſuam intelligit. Quanquam poſſet aliquis jure ſuſpicari Johannem noluiſſe totum munus ſuum explicare, ſed partem ipſius, nempe aquæ Baptiſmum tantùm, abſque doctrina ipſa: quia eam opponit Baptiſmo Spiritus, qui hoc loco non videtur complecti Baptiſmum doctrinæ. Altera pars comparationis continetur in ſequentibus ℣. 11 & 12. ubi duo ſunt conſideranda. 1. Quomodo Dominum Jeſum deſcribat. 2. Quomodo præſtantiam muneris ipſius exprimat. Primum eſt ibi *qui verò poſt me venit.* Alterum duplici ratione præſtat. 1. Generatim, 2. Speciatim. Generatim ibi, *Fortior me eſt, cujus non ſum dignus*

dignus calceamenta portare. Ubi in priori parte exprimitur ista præstantia, in posteriori amplificatur. Speciatim verò in sequentibus. Ista autem duabus in rebus cernitur. Primò in præstantia istius doni quod Dominus Jesus suis, vel hominibus in se credentibus in hoc seculo largiturus erat. Deinde in eo quòd potestas judicandi ipsi fuerit demandata. Vel potius, primo in eo quòd divinissimum donum in hac vita in suos sit effusurus; deinde quòd judicium de hominibus instituturus sit. Prius illud explicat in verbis, *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne.* Ubi videndum, primò quomodo hoc donum exprimat; secundò qua ubertate illud Dominus Jesus effusurus erat. Donum ipsum 1, voce *Spiritus* 2 *ignis*; ubertas effundendi illius, voce *baptizandi* exprimitur. Posterius in versiculo 12, toto continetur. In quo iterum duo possunt considerari. Nam primò, potestas illa judicandi explicatur; deinde illius exercitatio & actus sive effectus. Illud est ibi, *Cujus ventilabrum in manu ipsius.* Quanquam eadem verba possunt etiam significare præparationem quandam, & ut ita dicam accinctionem ad judicis munus exercendum: quasi dicat, jam est paratus & accinctus ad judicandum. Exercitatio verò in sequentibus exprimitur. Ubi consideranda 1. descriptio bonorum, & ipsorum felicitatis 2. descriptio malorum & ipsorum infelicitatis. Vel potiùs exercitatio ista exprimitur, primò quidem generatim, in verbis, *& perpurgabit aream suam*, deinde speciatim: dum duas veluti partes illius exprimit, quarum prior ad bonos spectat, estque læta, ibi *& congregabit triticum suum in horreum*; posterior ad malos, estque tristis, *paleam comburet igni inextinguibili.*

De sensu verborum.

EGo vos baptizo aqua. His verbis Johannes vel solum baptismum intelligit, à doctrina distinctum, vel simul & doctrinam comprehendit: & ita una parte muneris expressa totum munus intelligit: quemadmodum fit & alibi Matth. 21. 25. Exprimere autem voluit hoc pacto vilitatem quandam muneris sui, quòd nimirum aquâ, quæ res est vulgaris, & ad animum hominis plane non penetrat, nullamque per se ad pietatem efficiendam habet efficaciam, homines tingeret. Erat autem baptismus ille adumbratio quædam duarum istarum partium quæ in munere Johannis continebantur: hoc est tum ejus quod hominibus ipsis faciendum præcipiebat, tum ejus quod Dei nomine iisdem si obtemperassent promittebat. Præcipiebat enim pœnitentiam, promittebat peccatorum remissionem. Utrumque repurgatio & ablutio quæ ablatio quædam est, illa quidem ipsarum peccati sordium, hæc verò reatus, seu pœnarum. Quare utraque ablutione quadam externa adumbrabatur.

Hinc doctrina, 1. Non esse baptismum aquæ perse magnifaciendum, neque illi tribuendam esse perse vim & efficaciam aliquam in salutis negotio, quam quidem ut jam diximus perse habeat, quicquid tandem velis in & cum aqua ista fieri. Sed per se adumbratio tantùm illi quædam tribuenda est rerum earum quæ ad salutem istam pertinent, vel in quibus etiam ipsa salus quodammodo posita est. Adeoque baptismo aquæ tantum tribuendum est in salutis nostræ negotio, quantam vim habere potest externa, & hominum ipsorum operâ peracta negotii salutis adumbratio. Per accidens enim non est negandum posse aliquid baptismo aquæ tribui. Adumbratio autem ista eatenus tantùm aliquid virium in hoc negotio potest habere, quatenus ejus consideratio nos aliquo modo ad pietatem incitare potest. Eo præsertim addito quòd ii qui hoc modo à Johanne sese abluendos curabant, ea ratione solenniter stipularentur se id præstituros quod ea ablutione designabant: hoc est animum à sordibus peccatorum repurgaturos, & vitæ rationem in melius mutaturos. Quæ res si memoria teneatur, & diligenter expendatur, hominem ad virtutis studium aliquo modo excitare potest. Nota obiter, discrimen hac in parte esse inter Dei verbum, & baptismum aquæ, quod attinet ad rationem nos ad pietatem impellendi. Verbum Dei, præsertim Euangelium, ipsummet, modò consideretur, ad pietatem nos invitat & impellit, non ratione alicujus accidentariæ qualitatis: imò verbum Dei, modò intelligatur, & in animum incidat bene præparatum, tanquam in agrum fertilem, sua majestate ac præstantia efficere videtur ut diligenter consideretur. Baptismus autem aquæ, hoc est ipsa ablutio, quæ aqua fit, ratione qualitatis seu finis accidentarii tantùm, qui non perse sed ex instituto, sive Dei, sive hominum illi additur, nempe quatenus aliquid adumbrat, vim aliquam habet, si ea res consideretur; nec tamen illa ipsa adumbratio tanti est ut hominem videatur magnopere ad diligentem consideratione excitare: longè sane minus quàm Dei verbum illud vivum & permanens in æternum, quod promissiones maximas & pretiosissimas quæ animum hominis maxime feriunt ac perstringunt, complectitur. Unde etiam fit, ut etsi tandem æque diligenter utrumque perpendatur, longe minus tamen baptismus efficiat quàm Dei verbum, imò propemodum nihil. Adde quod ratio istius adumbrationis, unde totum id proficiscitur quod baptismus hac in parte efficere potest, fere in nuda tantùm consideratione sit posita, adeoque sit intellectûs ipsius humani quædam operatio. Ablutio quidem ipsa, & similitudo quæ inter eam & spiritualem nostri ablutionem est, à consideratione nostra non pendet, sed tamen quòd ea ablutio istum in finem adhibeatur ut ablutionem spiritualem adumbret, id totum videtur intellectu nostro niti. At verò id quòd Dei verbum nos ad pietatem excitat, intellectûs nostri operationem antecedit: nempe voluntas divina, partim de promissionibus nobis reipsa exhibendis, partim de pietate à nobis præstanda, & si quæ sunt quæ promissionum aut certitudinem ostendunt, aut ullam ad pietatem illam vel pleniùs intelligendam vel commendandam vim habent, quale est exemplum Domini Jesu, & similia. Quod ad Spiritum sanctum attinet, ille quia perse in animum hominis illabitur, vel consideratione non videtur indigere, sed sua veluti sponte nos ad pietatem incitare, cùm in nobis cogitationem rerum salutarium ipsemet excitet, & spem salutis confirmet, augeat, atque altius elevet, ita ut etiam sensum quendam voluptatum futurarum præstet: vel si indiget, eam considerationem partim ipse excitare facile potest, partim aliquid amplius præstat quàm ipsa tantùm ejus consideratio, & hac ratione vel ipsum Dei verbum quod est sigillum quoddam, superat. Istud enim tantum in nobis videtur efficere quantum ejus consideratio præstare potest. Spiritus autem sanctus, aliquid amplius in nobis præstat quàm id est quod ex ejus consideratione proficiscitur.

Doctrina 2. Quando sermo est de baptismo qui à Christo in Christianos proficiscatur & Christianorum planè sit proprius, non debere aquæ baptismum intelligi: siquidem hunc Ichannes tanquam sui muneris proprium ponit, & Christi baptismo quo ille suos sit abluturus opponit.

Appendix. Potest hoc loco differi de causis cur aquæ baptismus fuerit usurpatus ab Apostolis, tum Christo adhuc in terris versante, tum etiam post ipsius ascensionem in cœlos: & præterea quod sit discrimen inter baptisma Iohannis & Apostolorum, præsertim post ascensionem D. Iesu. Videatur Faustus Socinus de baptismo.

Ad pœnitentiam, hoc est ut homines hac ratione pœnitentiam & profiteantur & agant, vel potiùs hoc solum ut agant. Hoc ipso partim commendat illud quod hactenus quodammodo depresserat: quasi dicat, habet tamen iste baptismus aquæ egregium finem, licèt ipse per se non sit tanti, partim etiam videtur deprimere velle suum munus, quasi dicat, ut ita homines præparentur ad aliquid longe majus, quod postea Deus per Christum est facturus. Hæc erat præparatio viæ Domini, vide Canticum Zachariæ Luc. 1. 76, & prophetiam Esaiæ 40. 3, *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini*, &c.. Tanto autem magis hoc admittendum videtur, quia pœnitentia quam Iohannes prædicabat non erat usquequaque perfecta. Nam supra legem Mosis & id quod naturalis ratio dictat vix ascendebat.

Hinc Doctrina. Requiri ad ſalutem pœnitentiam: imò etiam ut doctrina Chriſti commodius & facilius recipiatur requiri aliquam vitæ emendationem, ut homines ſaltem ſecundùm legem & rationis dictamen vivant. Non tamen hoc abſolute requiritur, ſed ut tanto facilius & commodius ſuſcipiatur. Nam duplex eſt probitas quæ poteſt reperiri in eo qui Chriſti doctrinam non fuerit amplexus, quarum altera eſt omnino neceſſaria, altera utilis ad iſtam doctrinam ſuſcipiendam. Illa imperfectior, hæc perfectior. Illa in pronitate tantùm animi ſeu propenſione quadam ad virtutem conſiſtit, etiamſi facta ipſa à virtute abhorreant, hæc factorum etiam probitatem complectitur, non contrà. Pœnitentia ſeu reſipiſcentia eſt animi primùm deinde actionum externarum ex animo proficiſcentium in melius mutatio. Sed mutatio illa vel eſt imperfectior, vel perfectior. Illa quæ ad normam legis Moſaicæ & rationis dictamen eſt inſtituta: perfectior quæ ad Chriſti doctrinam. NB. Sacræ Literæ iiſdem vocabulis nunc plura nunc pauciora complectuntur. Plura cùm minus proprie illis utuntur, & brevius loqui volunt: pauciora cùm magis proprie & explicatius loquuntur. Sic pœnitentiam nonnunquam accipiunt proprie planè, ita ut animi tantùm mutationem in melius ſignificet: quod fit cùm fructus pœnitentiæ ſeu bona opera à pœnitentia tanquam effectum à cauſa diſtinguunt. Nonnunquam minus proprie, cùm eo nomine & factorum externorum in melius mutationem ex animi mutatione proficiſcentem complectuntur: ut hoc loco, & aliis omnibus ubi officium hominum qui remiſſionem peccatorum adipiſci velint, hoc ſolo nomine exprimitur. Præterea interdum adhuc latius quodammodo extenditur hoc vocabulum, cùm non tantum pro perfectiſſima quadam mutatione tum animi tum morum ſumitur, quæ nimirum eſt inſtituta ad normam Euangelii, ſed etiam fidem quæ illius eſt cauſa efficiens, complectitur: quæ tamen aliàs à pœnitentia diſtinguitur. Hoc modo ſumitur pœnitentia Luc. 24. 47, ubi prædicatio Euangelii Apoſtolis demandata duabus in rebus ponitur, *annunciatione pœnitentiæ*, & *remiſſionis peccatorum*: cùm tamen nemo neſciat illos fidem quod attinet ad hominum officium prædicare debuiſſe. Ita Act. 5. 31. Hoc tantum fortaſſis dici poteſt ibi ubi fides à pœnitentia diſtinguitur imperfectiori quadam fere ratione pœnitentiam accipi, hoc eſt ut eam tantùm animi & factorum mutationem ſignificet, quæ ad legis & naturalis rationis regulam ſit inſtituta. Eodem modo fides nonnunquam plenius accipitur, & totum Chriſtianorum officium ſeu totum id quod ex parte noſtri ad ſalutem eſt neceſſarium comprehenditur, ut cùm dicimur *fide juſtificari*: interdum à charitate, quæ altera eſt eaque maxima officii noſtri pars, tanquam cauſa à ſuo effectu diſtinguitur, & magis proprie ſumitur. Interdum denique pro firma de rebus divinitus nobis revelatis, & de certitudine promiſſorum divinorum, perſuaſione, ab earundem deſiderio ſeu ſpe, quam ſuperior ſignificatio complectebatur, ſejuncta, ſumitur: quæ ſignificatio maxime propria eſt, ut 1 Cor. 13 ult. Sic etiam *ſpes*, nunc fidem complectitur, nunc à fide diſtinguitur. Idem contingit in *cognitione Dei & Chriſti*: nunc enim utriuſque fit mentio ſimul, & utraque paulò ſtrictius ſumitur, nunc alterius tantùm horum cognitio utriuſque notitiam complectitur.

Qui poſt me venit. Hoc eſt qui munus ſuum poſt me demum aggredietur. Ratio eſt quia Chriſti munus debuit eſſe longe præſtantius ac perfectius Johannis munere: perfectiora autem tempore ſolent fieri poſteriora. Hæc ratio poteſt ita illuſtrari: Johannis munus fuit quædam præparatio ad id quod Chriſtus poſtea peragere debuit, atque adeo peregit. Venit enim Johannes ut præpararet viam Domino. Præparatio autem rem ipſam cujus eſt præparatio antecedere debet. Quare hinc elici poteſt quædam commendatio muneris Domini Jeſu. Hic fortaſſe eſt occaſio diſſerendi, cur Deus poſtquam denuo voluit in lucem producere veritatem, non omnia ſtatim aperuerit quæ ad pleniſſimam veritatis cognitionem pertinent. Quia perfectiora ſolent fieri tempore poſteriora, & ad perfectiora illa intelligenda præparationibus quibuſdam opus eſt, quas Deus voluit præmittere: quemadmodum olim voluit per Johannis prædicationem præparari animos hominum ad Chriſti doctrinam recipiendam. Doctrina. Non ſemper antiquiſſima ſunt optima & præſtantiſſima. Prior fuit Johanne lex Moſis, & tempora quæ Legem anteceſſerunt: nec tamen præ doctrina Chriſti & noſtris temporibus præſtantiora. Hoc quidem certum eſt, quòd illa quæ habita ratione ejus temporis quod à Chriſti revelatione initium ducit ſunt antiquiora, ratione doctrinæ, ſint meliora, præſertim reſpectu temporis quod aſcenſionem Chriſti brevi eſt conſequutum. Nam hic non tantum Doctorum ſed & auditorum ratio habenda. Omnis nempe quæ eſt in doctrina Euangelica præſtantia ea exinde pendet, & ad illam conformari debet, tanquam ad normam ſuam perfectiſſimam: ita ut ſupra illam aſcendere infra illam fere ſubſiſtat. Quod attinet ad auditores, illi qui olim fuerunt poterant aliqua ex parte noſtros ſuperare: ſed non eſt impoſſibile eoſdem aliquatenus ſuperari ab hodiernis.

Fortior me eſt. Id eſt ob præſtantiam muneris ſui præ meo, majores vires ac potentiam ad ea quæ muneris ipſius ſunt, exercenda, conſequutus eſt: idque jure quodam, quia finis iſtius muneris fuit etiam præſtantior, nempe ſalutem humani generis plane perficere: ad quam rem plura requirebantur quàm ad inchoationem. Doctrina. Quò majus & præſtantius munus Deus alicui imponit, eo majores vires addit. (Sed nemo idcirco debet ſibi arrogare aptitudinem ad aliquod munus cui non eſt par.) Nota, loco *prioris* qua voce Johannes utitur, Joh. 1. 15 & 30; tres Euangeliſtas uti voce *fortioris*. *Fortior me* id eſt fortis. [Ut 1 Pet. 3. 17. *Melius eſt benefacientes pati, quàm malefacientes*. Hoc eſt, illud ſolum eſt bonum] Nam Johannes ad Spiritu ſancto baptiſandum, & judicium exercendum, nihil habuit roboris. Fieri tamen poteſt ut iſtam fortitudinem opponat viribus naturalibus quas habuit ad baptiſandum aqua. Majoribus viribus eſt inſtructus, inquit, quàm ego, qui nullas hujuſmodi habeo vires.

Cujus non ſum dignus calceamenta portare. Exaggeratio præſtantiæ Chriſti præ Johanne. Quaſi dicat: Non tantùm non ſum illi æquiparandus, ſed ne dignus quidem ut viliſſimum illi ſervitium præſtem, vel qui inter viliſſima ipſius mancipia reputer: quales ii ſunt qui ſolent portare calceamenta dominorum. [Vide Maldonatum, aut alium quemvis de conſuetudine ambulandi nudis pedibus, vel tantùm cum ſoleis.] Doctrina. De modeſtia ſingulari Johannis; & ſimul de præſtantia Domini Jeſu. Magnum eum eſſe oportet, cujus calceamenta portare tantus Dei ſervus quo nullus major ſurrexerat, ſe indignum profitetur. Apparet eum non ſimpliciter fuiſſe Dei ſervum, imò non tantùm dominum qualemcunque (nam hujus calceamenta portare, vel corrigiam ſolvere dignus eſt ſervus) ſed præditum divinitate quadam ſingulari.

Ille vos baptiſabit, Spiritu ſancto. Hic primo deſcriptio iſtius doni conſideranda, deinde etiam quanta ubertate iſtud donum Dominus Jeſus ſit effuſurus. Modus quo deſcribitur primus eſt quum dicitur *Spiritus ſanctus*. Videtur autem hoc loco Spiritus ſanctus potiſſimùm debere accipi de donis iſtis viſibilibus quæ ab initio in Apoſtolos Chriſtique Eccleſiam effundebantur. Qua de re vide Act. 1. 4, 5. Sed poteſt deinde accommodari ad dona illa inviſibilia Spiritus ſancti, quæ etiamnum effunduntur in eos qui Chriſto fidunt ac parent, & effundentur uſque ad finem ſeculi. Eadem enim per Chriſtum etiam hominibus tribuuntur. Eſt enim *Dominus ille per quem omnia*. Poteſt etiam accommodari, quanquam minus propriè ad doctrinam illam ſpiritualem, ſeu à Spiritu ſancto profectam, qua Chriſtus hominum animos imbuit. Sed de hac vix videtur ſermo eſſe: partim quia eſt diſſimilis admodum

modum istis donis de quibus Christus hæc verba revera explicat, & alterius revera generis: partim quia doctrina Christi vix fortasse ipso Spiritus sancti nomine significatur, licet aliàs Spiritus appelletur, & eodem pacto etiam Spiritus sanctus dici queat: sed hic non quid fieri possit, verùm quid fiat, & quidem usitatè in Sacris Literis spectandum est: partim denique quia hic sermo esse videtur non de effectu muneris prophetici Domini Jesu, sed potiùs muneris Regii, & summæ illius potentiæ Christi, quæ in isto munere cernitur, cujus ratione Johannes hoc loco omnino dixisse videtur Christum se robustiorem, & se indignum qui vel calceamenta ipsius portet. Secundus modus describendi hoc donum, *& igne.* Quod idem donum intelligatur ex collatione locorum constat. Dicitur autem ignis ob effectus similes effectibus proprii ignis. Ignis lucet adeoque res obscuras aut in tenebris positas illustrat, deinde calefacit ac denique arendo purificat. Spiritus ille sanctus collustrat etiam hominum mentes, præsertim conjunctus cum doctrina ista ad cujus confirmationem impertiebatur. Idem calefacit, & ardorem tum erga Deum, tum erga proximum, seu mavis erga pietatem universam gloriamque divinam excitat: atque hac ratione etiam exurit si quid est impuritatum. Incidit tamen etiam aliud quippiam ob quod Johannes videtur Spiritum sanctum ignis nomine descripsisse, quia numirum illum aquæ tanquam rei terrestri opponit; ignis autem quidpiam magis cœleste videtur, & naturæ cujusdam præstantioris, præsertim propter lucem & claritatem quandam. Nam quæ lucida sunt ea cœlestia videntur. Unde *Angelus lucis*, & *Deus inhabitare lucem inaccessam* dicitur: & contra tenebræ malè audiunt. Hinc alia cœlestia ostenta, ignea specie apparuerunt. Ut Deus sive Angelus Mosi in rubo ardente. Elias curru igneo raptus in cœlum. Elisæi servo currus & equi ignei apparuere. Mons Sinai fumabat, eo quòd Deus descendisset in igne. Exod. 19. 18. Vide & 3 Reg. 19. 11, 12. Quanquam ibi non in igne Deus, sed ignis illum sibilum proxime antegressus est in quo Deus erat. Quæ etiam causa esse videtur cur ignis quadam specie (ita enim statuendum videtur) postea fuerit hic Spiritus effusus in Apostolos: & facile fieri potest ut Spiritus divinus per Johannem loquens ad eam rem aliquo modo alluderet, ac ita quodammodo indicaret quidnam illud esset quod hoc loco promitteretur: quanquam id nisi re exhibita intelligi vix poterat. Hæc causa videtur probabilior superiore quæ ex effectibus propriis ignis ducitur, ad quam vix videtur Johannes respexisse.

Ubertas istius doni indicatur in voce *baptisabit.* Ille vos non asperget aliquo modo, sed veluti immerget & penitus imbuet. Vide 1 Cor. 12. 13, quasi dicat, exterius & interius vos ejus participes faciet. Nam istis duobus modis potest aliquis liquoris alicujus fieri particeps, quem utrumque modum una baptisandi voce hoc loco Johannes expressit.

Doctrina 1. Hic potest commendari singulari ratione hoc donum Spiritus sancti: sed ita ut ad totum genus hujus doni hæc præstantia extendatur, non tantum ad visibilia, sed etiam ad invisibilia.

Doctrina 2. De nostro officio, & de signis ex quibus pateat nos esse Spiritu sancto præditos.

Doctrina 3. Spiritus sanctus non est persona Dei. Nemo enim baptisari potest Deo, vel Christo.

Doctrina 4. De Dei & Christi benignitate, qui non parcè sed ubertim dat tam præclarum donum: habita tamen ratione necessitatis. *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* Joh. 3. 34. Quasi dicat Johannes Baptista ibi, non habet Deus certam aliquam mensuram, ut nimirum pariter omnibus Spiritum impertiat, sed nunc uberius nunc parcius, prout vult; Christo uberrime.

Reliqua pars tota per similitudinem seu allegorice prolata est. Ducitur autem similitudo a Patre familias, qui postquam frumentum tribula excussit, ventilabro repurgat, &c. Primùm autem potestas Domini Jesu exprimitur, dum dicitur esse *in ipsius manu ventilabrum.* Secundò cùm dicitur illum *repurgaturum aream suam*, per quam non tantum Ecclesia, sed etiam illi omnes intelliguntur ad quorum aures Euangelium pervenit. Johannes videtur proprie ad Judaicam gentem respicere. Itaque area ista est cœtus hominum istorum qui habuerunt occasionem amplectendi Christi veritatem, sive amplexi sint, sive minus, sive ei obedierint, sive minus.

Doctrina. Populus Dei est jam Christi populus. Quanquam prioribus verbis non tantùm potestas sed etiam illud denotatur, quòd paratus sit, adeoque velit, judicare. Hic potest institui comparatio inter Christum & alios Dei servos. Nemo illorum habuit hoc ventilabrum.

Repurgare est separare ratione mercedis bonos à malis.

Doctrina. Etsi sunt permisti boni malis, separabuntur tandem. Huc pertinet parabola de *Zizaniis*, & de *sagena.* Matth. 13. 40, 41. seqq. & 47. seqq.

Doctrina 2. De præmio bonorum, & pœna malorum.

Hic bonorum descriptio, & ipsorum felicitatis; descriptio item malorum & ipsorum infelicitatis consideranda. Nota hanc repurgationem non tantum pertinere ad ultimum illum diem, sed etiam ad alia judicia divina: in quibus discrimen est inter bonos & malos. Et hoc potissimùm pertinet ad excidium Jerosolymitanum. *Triticum* vocantur boni, quia hoc est utile, & hoc quærit is qui repurgat. Pii demum sunt Deo grati. *Paleæ* nulli fere sunt usui. Nam porci in Judæa non alebantur eis: quemadmodum etiam apud Turcas. Imò & in Podolia, in Russia paleæ exuruntur. Et quia exuri solitæ, ideo aptissimè malis idem accommodatur. *Ignis inexstinctus* est inprimis ille futurus, qui ita consumet omnia, ut ad meliorem statum nullus sit reditus, & exitium plane æternum afferet. Deinde etiam alia judicia, licet temporaria, æternum tamen exitium secum trahentia. Per *horreum* partim cœlum, partim locus aliquis tutus & veluti munimentum quoddam adversus Dei judicia intelligitur.

De Judiciis Dei.

DE Judiciis seu pœnis divinis nonnihil dicturi, & abyssi hujus ripas aliquomodo lecturi 1. Semovebimus aliqua Dei judicia quæ singulares tantummodo homines nominatim prosequuntur, & de iis tantum dicemus aliquid, quæ ad totam aliquam societatem & veluti corpus ex pluribus membris conflatum pertinent. Hujusmodi autem societates sunt Regna integra, Civitates, familiæ, in primis autem etiam Ecclesiæ, de quibus positis potissimum hic nobis erit differendum.

Jam ut ad pœnas, quæ integram aliquam communitatem premunt, aditum nobis aliquem struamus, intelligendum est esse nonnunquam totius alicujus societatis quædam vitia & veluti morbos, qui non pauca tantum aliqua membra occupent, sed per totum propemodum corpus serpant, ita tamen ut alia membra minus, alia magis iis laborent, nonnulla etiam iis prorsus vacent, sed pauciora. Hinc fit ut tota etiam societas à Deo puniatur, ita tamen ut non singula membra attingat pœna, nec etiam ea omnia membra, quæ malum aliquod ex pœna totius corporis sentiunt puniri dici debeant, sed pœna ad totum illud corpus propriè spectat, quod in membris nunc pluribus, nunc paucioribus supplicium patitur. Nam cum membra illa inter se singulari ratione sint colligata, fieri non potest, quin pluribus calamitatem aut afflictionem in se experientibus, ad cætera membra partim dolor, partim ejusdem mali metus præter alia incommoda redundet, ita ut totum corpus jure punitum censeri debeat. Verum tamen in ipsis corporis totius membris, quod ad malorum istiusmodi pertinet, magna est varietas & singularis ac ut

Sacræ Literæ loquuntur haud perveſtigabilis Dei cernitur ſapientia, cujus vix veſtigia legere etiam liceat. Quantum tamen licet, & fas eſt ingenio humano ſcrutari, ejus rationem aſſequi pro viribus conemur. Quod ut præſtemus diſtinguenda ſunt primum Dei judicia, quæ partim ex ira tantum proficiſcuntur atque ad perdendum ſolummodo ſpectant, partim ex amore quodam manant atque ad corrigendum pertinent quæ caſtigationes propriè appellamus. Deinde diſtinguenda ſunt Societatis quæ punitur membra. Alia enim meliora ſunt, alia deteriora: Et rurſus alia quæ præſunt & cætera veluti gubernant; Alia quæ ſubſunt & reguntur. Et hæc quidem nunc ad Eccleſiam, de qua nobis potiſſimum agendum tranſferamus.

Quod ad ea judicia attinet, quæ ex ira Dei profecta ad perdendum tantum pertinent non ad corrigendum, non dubium eſt, quin magnum hic ſit diſcrimen inter meliora ſocietatis alicujus membra & deteriora, præſertim ſi meliora illa verè etiam bona dici queant, & deteriora videantur prorſus inſanabilia. Nam qui vere ſunt boni & ejus vitii, quo pleraque alia membra ſunt infecta expertes, ii proculdubio judiciis iſtis divinis ſubducuntur, licet nonnunquam aliquam rerum ſuarum jacturam patiantur, aut incommodum aliquod natura rei ita ferente, ſentiant. Hac ratione Loth Gen. 19. 10. & ante eum, Gen. 7 toto, Noë ſervatus fuit, cæteris omnibus ad eandem ſocietatem pertinentibus, judicio divino pereuntibus. Sic Joſue & Caleb inter Iſraëlitas. Num. 14. 30. Legatur etiam hac de re id quod eſt apud Jerem. 36. 26. & 45 toto. Jeremiam ubi imminente urbis Hieroſolymitanæ vaſtatione & excidio, Barucho de miſeria ſua conquerenti Deus promittit, ipſum animam ſuam in lucro habiturum, eaque re illum debere eſſe contentum. Quod ſi meliora illa membra cæteris tantummodo comparata meliora dici queant, interim tamen ſimpliciter bona dici nequeant; plerumque etiam una cum prioribus eadem pœna corripiuntur, niſi forte ſingulare aliquod illorum factum eos communi pœnæ eximat. Quemadmodum videtur contigiſſe olim Elimelecho Æthiopi, qui Jer. 38. 7 & ſeq. Hieremiam in ſquallidiſſimo carcere morti jam fere vicinum inde liberaverat, cui etiam Deus liberationem à morte quam cæteri ſubituri eſſent, promittit.

Quod ad membra deteriora attinet, eorum tum nullum vel propemodum nullum evadit pro ratione ſupplicii, quod Deus tum immittit. Nam Gen. 7 toto, in diluvio, & Gen. 19 toto in incendio, Sodomæ urbium integrarum terræ hiatibus ſorptionibus nemo evadit: in aliis omnibus, ut in bello aut incediis naturali quadam ratione excitatis aut graſſantibus in peſtilentia quidam etiam mali evadunt, qui ſi ſint plane deplorati ad majora judicia reſervantur, quin etiam cæteri, qui iſtis pœnis divinis poſtmodum non corriguntur. Fit autem nonnunquam ut ii, qui omnium ſunt peſſimi, aut ii à quibus contagio vitiorum in reliqua membra manarat, quales ferè ſunt ii, qui præſunt, non corripiantur primi ubi judicium divinum moram aliquam habet, & non ſtatim omnes uno veluti ictu conficit, ideo nimirum ut tanto gravius puniantur, cum oculis ſuis veluti cernunt pœnam ſibi imminentem, præſertim cum terror nonnunquam ipſo malo ſit gravior, & melius videatur cum illis agi, qui pœna cito defunguntur.

Sed jam ad ea judicia deveniamus quæ tamen ex amore aliquo divino proficiſcuntur & ad emendationem ſocietatis ſpectant: quod fit cum pauci ſunt in ſocietate aliqua prorſus improbi atque incurabiles, ſed plerique morbo aliquo laborant qui medicinam tamen admittant, nonnulli etiam vere boni reperiuntur. Jam quod ad meliora membra attinet, perquæ cum de Eccleſia potiſſimum agamus intelligimus eos qui nullo vero & perfecto vitii alicujus habitu laborant, ea diſtinguenda ſunt, quemadmodum etiam paulo ante fecimus, in eos qui ſimpliciter etiam boni dici queunt, & tales ſunt qui ex vi Novi Fœderis nulli pœnæ aut damnationi ſunt obnoxii nec æternæ nec temporariæ, hoc eſt ii omnes qui in Chriſto Jeſu non ſecundum carnem, ſed ſecundum Spiritum ambulant & tamen ratione aliqua perfectiori, & eos, qui vel diſpoſitionem quandam, ut loquimur, ad vitium aliquod habent, & à vero habitu parum abſunt, atque ita veluti in confinio verſantur eorum, qui ſecundum carnem ambulant, vel ſaltem ob facta aliqua ſeu lapſus graviores judicio divino ſunt obnoxii, præſertim ſi ſeſe, ut Paulus loquitur, non dijudicent, idque in tempore.

Jam quod ad priores attinet, hoc eſt verè bonos, eos admodum probabile eſt ab eo malo, quod toti corpori infligitur eſſe immunes, licet ob conjunctionem cum aliis fieri vix poſſit, quin dolorem aut incommodum aliquod ex eorum malis ſentiant. Quod ſi tamen fortaſſis eodem malo, quod cæteros premit involvantur, id pœnæ loco habendum non eſt; idque tum demum videtur contingere, cum vel ipſimet in periculum ſe conjiciunt, aut cum illud vitare poſſunt, non vitant, & bonum aliquem in finem v. gr. ut fratres juvent, aut aliquos ex ſuis domeſticis, conſanguineis, amicis: qui interdum non modo ſine peccato aliquo, ſed etiam magna, cum charitatis laude facere poſſunt, cum nimirum eſt locus illi præcepto quod animam pro fratribus ponere jubet. Neque enim iis, qui tam egregium facinus ſuſcipiunt, ſpes aliqua à Deo facta eſt, quod periculum omnino effugere debeant. Nam hoc pacto facile eſſet animam pro fratre ponere, ſi ſemper aut plerumque ſaltem ii, qui hoc faciunt, vi promiſſi divini periculum effugerent, imo hujuſmodi promiſſum præceptum quodammodo everteret. Vix vero dici poteſt eum animam ponere pro fratribus, qui certam ſpem habet periculum effugiendi. Deinde ejuſmodi judiciorum divinorum tempore, non vulgarem, ſed ſingularem quendam in precibus ardorem ac diligentiam requiri arbitror, quo fiat ut Deus etiam naturalem alicujus mali vim inhibeat, & ſingularem aliquam corporis ac vitæ tuæ aut etiam tuorum, vel etiam rerum tuarum curam ſuſcipiat. Quæ diligentia in precibus ſi abſit, fieri poſſe videtur, ut Deus naturæ vim non inhibeat, & ſic malum aliquod verbi gratia peſtis aut incendii ad eos etiam perveniat, qui alias verè boni ſunt, ſi alias naturæ ratio ita ferat. Neque enim Deus naturæ curſum facilè mutat, nec pios omnino vult ab iis rebus, quibus cæteri ſubjacent, prorſus eſſe immunes, ut hac ratione etiam judicia ejus aliquo modo tegantur & iis quos improbitas planè ex cœcavit non ſint manifeſta. Unde etiam fit, ut ſi hujuſmodi homines Deus malis aliquibus eripiat, tamen plerumque naturalia quædam media aut alias conſueta adhibeat, ut cum eos ante periculum ſubducit, aut auxiliis aliquibus humanis aut naturalibus inſtruit, aut ſimile quidpiam præſtat quod ad avertendum ab iis malum vim habeat.

Quod ad eos attinet, qui licet non videantur eſſe hujuſmodi ut ex vi novi Fœderis æternæ pœnæ ſint obnoxii, tamen ſint pœnæ alicui leviori, licet ſæpè fiat, ut eorum culpa non admodum ſit manifeſta. Quo pertinent ii, de quibus ſermo eſt 1 Cor. XI, qui poſtquam peccaſſent, ſe non dijudicant (quanquam ea verba forte non ad ſingulos ſed ad totum cœtum ſint referenda) ii facile poſſunt iſtiuſmodi judiciis divinis corripi, quanquam forte non omnes, & veriſimile eſt hic naturæ ſuum curſum relinquere Deum. Nam ſive puniantur revera, præſertim morte, ſive etiam diſcrimen effugiant, finem ſuum aſſequi poteſt Deus. Si moriantur exemplum quoddam divini judicii in iis ſtatuitur, unde ad cæteros metus perveniat. Si effugiant, cauſam habent & ſpatium ad id, ut ſeſe corrigant & emendent, ac cautius in poſterum in conſpectu Dei verſari diſcant. Fieri autem poteſt, ut ſi initio ſtatim divini judicii metu perculſi reſipiſcant & ſe dijudicent, lachrymis, precibus, jejunio, elemoſynis Dei miſericordiam anxie quærant, in eorum numero à Deo reponantur.

Quod ad deteriora membra attinet, hoc eſt eos qui vero

vero aliquo vitii habitu laborant, ii rursus vel curabiles sunt, vel incurabiles. Incurabiles vel in judicio illo pereunt, vel ad gravius aliquod supplicium reservantur, & nonnunquam id, ut per eos puniantur alii.

Quod ad curabiles attinet, hic quoque naturæ vis multum valet, ita ut qui malo vicinior est, facilius corripiatur, & sic etiam pereat, non parum tamen etiam valere videtur id, si quis vitia sua aliis quibusdam virtutibus, aut egregiis factis quodammodo compenset. Inde enim fieri potest, ut Deus vel hanc illi gratiam largiatur, ne vitam saltem hanc amittat & spatium ad resipiscentiam habeat, vel quia æternam illi vitam daturus non est, ei vitam hanc proroget & à calamitatibus temporariis eum liberet. Atque hinc fieri videmus, ut ab initio istiusmodi Dei judiciorum, nec pessimi, nec ii qui vero aliquo vitii habitu laborant, corripiantur, sed meliores ferè: ut cæteri & occasionem & incitamentum ad emendationem sui habeant, & cum metu illo perculsi, quod cum viride lignum ardere videant, se quoque aridos & iræ divinæ opportunos incendium vix effugituros colligere queant.

Jam quod ad eos attinet, qui Ecclesiæ præsunt (nam quæ hactenus diximus ad cœtum auditorum referri volumus) quia illi in dextera Domini Jesu gestantur, & singulari aliqua cura foventur, si quidem illi officium suum diligenter faciunt; non est dubium quod ii hujusmodi Dei judicia effugiant, quanquam dolore vacare non possint, nec à damnis aliquibus semper sint immunes. Quod si officium suum non fecerint, nec illud studium in corrigenda Ecclesia quod decebat adhibuerint, multo vero magis, si contagio ab ipsis in reliquos manarit, fieri vix posse videtur, quin pœna tum corripiantur, licet forte ad malorum exemplum reserventur, ut terrore ipso diu excruciati puniri se sentiant, nec cito malo suo defungantur. Quanquam & hic resipiscentiæ aliquis est locus, & via ad pœnam effugiendam pro ratione tamen delictorum.

Matth. 9. 1. *ad* 9.

DEscribitur his verbis miraculum à Christo editum in homine paralytico. Quam descriptionem ita instituit Matthæus, ut 1. Locum describat, ubi miraculum sit editum. 2. Ipsam miraculi historiam. Locus exprimitur his verbis: *Et ascendens in navigium, trajecit, & venit in propriam civitatem.* Suprà cap. 8. 28, dixerat, Christum fuisse in ulteriori parte lacus in regione Gergessenorum, & dæmoniacum curasse, dæmonibusque permisisse, ut ingrederentur in porcos: posteà rogasse incolas, Christum, ut discederet à finibus suis, quia magno metu tenebantur, ne graviori aliquo malo eos afficeret. Hoc facto, trajecit, & venit in civitatem suam, id est, Capernaumum, ut indicat Marcus cap. XI. 1, quæ urbs ideò vocatur ejus propria, quia in eâ domum habuit vel propriam, vel conductam, vel talem, ad quam semper ei licuit divertere, inque eâ habitare. In ipsius miraculi historiâ tria sunt consideranda. 1. Miraculi antecedentia. 2. Ipsum miraculum. 3. Miraculi consequentia. In primâ parte videndum. 1. Quæ fuerit Domino data occasio ad hoc miraculum edendum? 2. evibus verbis Christus aditum sibi fecerit quendam ad hoc miraculum? 3. Quo animo inimici Christi verba ejus acceperint? Occasio fuit allatio miseri cujusdam hominis, ejusmodi morbo affecti; qui hominem sensu & usu membrorum privat; fidesque eorum, qui ipsum afferebant: ℣. 2. Quæ fides in eo erat, quòd benè persuasi de Christi potentiâ benignitati ejus fuerint confisi. Et hanc fidem ità testati sunt, ut describit Marcus, ut cùm ad Dominum appropinquare non possent propter turbam, detexerint tabulatum domûs, in quâ erat, eoque perfosso, funibus demiserint grabbatum, in quo paralyticus jacebat. Tanto studio elaborarunt, ut hunc ægrotum ob oculos Domino ponerent, ut viso eo sanaret illum. Hoc arguit magnam eorum fidem. *Docemur* hîc, ut nos quoque eos imitari studeamus. Etsi enim præsentem ac conspicuum nunc non habeamus Dominum, ipsi tamen nos conspicui sumus, inque ejus oculis semper versamur. Feramus ergo ad eum etiam ægrotos nostros; exhibeamus eos ac sistamus ipsi animo, fide ac precibus, ut eos respiciat, & sanitate donet. Hoc si faciamus, eandem charitatem exercebimus, quam exercuerunt isti, qui paralyticum Domino obtulerunt; imò majorem istâ: quia in eo quod isti fecerunt, minus est laboris, quam in precibus. Illud quivis facere potest: hoc nemo nisi qui confidit Deo. *Discendum* etiam hinc, quàm misericors sit Dominus, qui ægris sanitatem restituit. Non id quidem nunc facit eo modo, quo tunc fecit, cum doctrina ejus confirmatione indigeret. Interim tamen nobis hodiè quoque miraculosè auxiliatur, non ut in oculos omnium incurrat ejus auxilium, sed benedicit media, quibus utimur, vimque eis & efficaciam addit. Experti sumus ipsi sæpissimè divinam ejus opem. Inquit autem Matthæus, *Videns Jesus fidem eorum.* Intelligitur hîc fides tùm eorum, qui ægrum attulerant, non sine magno labore, tùm ipsius ægri, qui se portari curavit: ideò ipsum potissimùm Christus alloquitur: *Confide fili.* Sed videndum, de quali fide hîc sit sermo, & quomodò fides ista servaverit hunc calamitosum hominem. Non intelligitur hîc fides salvifica. Incredibile enim est, eam in istis hominibus potuisse habere locum, cùm nondum in Apostolis fuerit, qui non intelligebant, neque credebant, Christum moriturum ac resurrecturum. Deindè quia Christus ex ipsorum facto colligebat fidem eorum, apparet, eam non talem fuisse, ex quâ sequitur salus, sed eos credidisse tantùm, quòd Dominus possit sanare ægros. Semper Christus requirebat talem fidem ab iis, quos curabat, qualem isti habuerunt: ut legimus infra hoc eodem capite ℣. 28. *Dicit Jesus cæcis: Creditisne, me hoc posse facere?* & ℣. 29. *Secundùm fidem vestram fiat vobis.* Noluit Christus, ut ad se accederent dubii & fluctuantes, ut cogitarent: si fieri poterit, ut nos sanet, benè est; sin minùs nihil nobis nocebit. Nec tam de eo agebatur, ut illi crederent, Christum velle sanare, quàm eum posse, si velit. Hoc enim facile erat creditu, Christum si posset, velle id facere. Sed alterum erat difficilius. Hanc fidem habuit leprosus ille, qui dicit Matth. 8. 2. *Domine, si vis, potes me sanare*: & hæc fides in eo firma fuit. Demus & nos operam, ut tali fide simus præditi, eamque gignamus in nobis per considerationem eorum beneficiorum Domini, quæ aliis hominibus, & nobis ipsis præstitit. Talis fides fuit & centurionis illius, qui dixit: *Non sum dignus Domine, ut subeas tectum meum* Matth. 8. 8. Cujus fide major ne in Israële quidem inventa est. Eadem fides fuit etiam mulieris illius Chananææ Matth. 15. 22. Ità & alibi Christum fidem hominum requisivit, quandò miracula facturus erat. Similis fides in nobis quoque esse debet hodiè, ut credamus, quod possit nos juvare, etiam in morte constitutos, & quòd velit: quia benignus ac misericors est Deus, & Dominus noster Jesus Christus, & quod majus est, quia promisit, & hanc promissionem confirmavit morte suâ. Itaque & illi qui ad salutem adspirant, oportet ut tali fide sint præditi: quæ hoc in se complectitur, ut faciant ea sine quibus salus non potest contingere. Tales enim solum Dominus vult salvare. Hâc fide alios quidem salvare non possumus, sed possumus tamen procurare, ut media eis & subsidia ad salutem necessaria suppeditentur. Quia fundamentum fidei salvificæ est credere, quòd Deus per Christum possit nobis dare vitam æternam. Quam si ex animo optamus ac desideramus, faciamus ea quæ nobis injuncta sunt: hoc pacto fides nostra consummata ac perfecta fiet; sicut fides Abrahami, cùm filium suum offerret, in quo factæ ipsi erant promissiones. Desiderabat impleri istas promissiones in filio factas, ideoque occidit filium suum in animo suo, quamvis non reipsa. Perfectissima

fectissimæ fidei specimen edidit. Si fides effectu careat, & operibus, nihil valet. Ità si homines isti credidissent quidem, Dominum posse sanare paralyticum, sed id se credere facto ac opere non monstrassent, non obtinuissent id, quod obtinuerunt. Major fuisset ipsorum fides, si eo non allato, pro ipso orassent. Novit quidem Jesus fidem eorum ex eo quia norat corda hominum & cogitationes, etiam eorum, qui murmurabant. Sed Euangelistæ ostendunt, Christum ex eo cognovisse fidem eorum, quod fecerunt; ex factis apparebat eorum fides. Ità nostra quoque fides ex factis & operibus debet patere Deo, Domino Jesu & omnibus. Si non vivamus, ut decet Christianos, non habemus hanc fidem. Quandò videmus, nos ut plurimum facere ea quæ Deus vult, possumus & ipsi ex eo colligere, nos habere hanc fidem: & de aliis eodem modo judicare possumus; quanquam non tam perfectè ut de nobis ipsis. Deus tam nostram quàm aliorum omnium fidem perfectè videt. In contrariam partem certior est illatio: Impiè vivit. Ergò non habet fidem. Hactenus fuit occasio miraculi.

Sequitur aditus, quem sibi Dominus fecit ad miraculum verbis suis; cum dixit Paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* In quibus continetur consolatio data ægro; ubi simul elucet insignis Christi humanitas ac comitas. Ità dixit quoque infrà ℣. 22, mulieri illi hæmorrhoissæ: *Confide filia.* Confide, id est, certus estone dubita, te consecuturum, quod petis ac desideras. Quare? quia *remissa sunt tibi peccata.* Apparet istum hominem ægrotum peccatorum suorum conscientiâ fuisse vexatum. Fieri enim potest, ut sanus cum esset, gravi se peccato obstrinxerit, & subitò fuerit hoc morbo correptus, posteà verò se recolligens, agnoverit peccatum suum, anxiamque propterea mentem semper habuerit, & tunc quoque ante Christum jacens cogitarit: quis scit, an me sit sanaturus, cùm ille peccata summo odio prosequatur. Christus igitur applicat animo ejus suavissimum consolationis emplastrum: quasi dicat. Ne sis solicitus ampliùs, jam tibi Deus id remisit, quo eum offendisti. Quòdsi verò tunc homo iste tales in animo non fovit cogitationes, nihilominus Christus ità loqui potuit, ut ostenderet, morbum istum non ex causis naturalibus esse profectum, sed propter peccata ipsi esse à Deo immissum; addens simul solatium, hoc ipsi ad recipiendam sanitatem non fore impedimento. Quapropter & nos, quandò adversi aliquid nobis accidit, examinemus nos ipsos, excutiamus actiones nostras, annon Deum ad iram provocaverimus aliquo facto voluntati ejus contrario; & si quid in nobis tale deprehendamus, deploremus factum ac detestemur. Si non deprehendamus, nihil nobis nocet istud examen; quin potiùs incitamento nobis erit, ut imposterùm simus cautiores. Multi seipsos decipiunt, quòd se non examinent, neque accusent. Magnus error est, cùm existimas te innocentem esse, cùm sis nocens; multò gravior est hic error, quàm si putes, te nocentem esse, cùm sis innocens: præsertim cùm homines non sint proclives ad desperationem. Cùm ægrotamus, oremus, ut nobis remittantur peccata: hoc si obtineamus, statim sequetur effectus. Considerandum etiam qualem remissionem hîc Christus intelligat, & quomodò aliena fides afflicto ac ægro profuerit. Remissio peccatorum est, quandò Deus jure suo cedit, quod habuit ad puniendum aliquem, inprimis autem, quandò homini dat privilegium, ne ampliùs pœnam timeat: perfectissimè verò, quandò pœnam ipsam tollit & aufert. Cujus rei exemplum habemus in Davide, qui cùm fassus esset se esse virum mortis, seu reum mortis ac morte dignum, dixit ei Nathan: Transtulit à te Jehova peccatum tuum, ut non sis moriturus. Sed pœnæ peccatorum aliæ sunt æternæ, aliæ temporales. Temporales pœnæ nobis remittuntur, quandò in hâc vitâ nos non punit Deus. Æterna remissio est, quandò nobis condonat pœnam mortis sempiternæ. Hæc remissio in cælis est; hîc autem Christus loquitur de remissione, quæ est in terris, quæ respicit solùm pœnas temporales, à quibus liberatum iri hunc miserum promittit Dominus. Ita sub Lege legalis modus remittendi peccata erat in terris: nam & præcepta ibi tantùm terrena erant. Homo iste æger sub lege quoque constitutus, legali pœnâ fuit affectus: quod & ex eo liquet, quòd propter alienam fidem ei pœna ista remissa sit. Jacobus cap. 5. ℣. 13 cùm ait, *Infirmatur aliquis inter vos? accersat seniores Ecclesiæ, & orent pro eo*, &c. loquitur de remissione peccatorum in terris; perindè quasi dicat: Si peccata commiserit, quæ ipsi causa morbi fuerunt, remittet ea Deus. Nam quod justificantem fidem attinet, propriâ tantùm quisque justificabitur, & Deo se approbabit. In rebus ad corpus spectantibus multum nobis prodesse etiam aliena fides potest. Cùm ergò tam magna sit fidei efficacia, demus operam, ut eâ simus præditi; consideremus potentiam & misericordiam Dei, ac Domini nostri Jesu Christi. Ad res temporarias nullo privilegio nobis jus datum est: ad æternas datum habemus. Ideò dicit Jacobus: *Multum valet oratio justi*, &c. Non dicit; Omnia potest; quia loquitur de rebus temporariis, in quibus Deus multas sæpenumerò causas habet, cur eas nobis dare nolit, vel à nobis auferat: interdùm nobis melius est sine illis. In ejusmodi rebus debemus voluntati divinæ nosmet submittere. Ponit autem Christus hic præsens pro futuro: *Remittuntur*, id est, remittentur tibi peccata tua.

Quo animo inimici Christi verba ista ejus exceperint, describit Matthæus ℣. 3. quòd scandalisati sint Pharisæi hoc Christi sermone, ubi etiam responsio Christi attendenda est, quâ hoc scandalum refutavit. Nullos graviores inimicos Christus habuit, quàm Pharisæos, qui primatum obtinebant in populo Israëlitico. Populus Dominum glorificabat; illi ferre id non poterant, quia Dominum odio habebant. Sic & hodiè, qui primi deberent veritatem suscipere, pessimi sunt omnium. *Dicebant*, inquit Matthæus, *intrà se.* Cogitabant tantum, non loquebantur: ideò Marcus ait, Christum cognovisse Spiritu eorum cogitationes. Ità interdum impii proferre non audent, pudore impediti, quæ cogitant mala. *Iste*, ajunt, *blasphemat*, id est, dicit id, quod Deo contumeliosum est, quodque cum imminutione divinæ gloriæ est conjunctum. Argumentum eorum tale fuit: Solus Deus habet potestatem remittendi peccata. Iste sibi hanc potestatem arrogat. Ergò blasphemat. Verbum blasphemandi varias habet in Sacris Literis significationes. In genere tamen significat detrahere alicujus dignitati ac honori verbis suis: Sed interdùm etiam hoc vocatur blasphemia, quandò quis, etiamsi nihil loquatur, Deum contumeliâ afficit. Aliquandò convitium etiam vocatur blasphemia.

Responsio Christi est ℣. 4, 5, 6. ubi primò reprehendit eorum factum, deinde argumentum eorum refellit ac diluit, ostendens eos non habere justam causam scandalisandi, & se rectè esse locutum. Liquet hîc primùm sapientia Christi in eo, quòd in terris existens cogitationes hominum habuerit perspectas. Multò magis nunc omnia novit, cum sit constitutus Judex, qui illuminabit occulta tenebrarum. Ad judicium requiritur, scire, quis & quam ob rem judicandus sit: ad hoc interest nosse occulta tenebrarum. Ille est qui scrutatur corda & renes. Proindè quàm cautissimè in conspectu ejus agamus. Revereamur eum, & gaudeamus, quòd Dominus videat & nostra & calumniantium nos adversariorum corda. Si hominum aliquis posset corda nostra introspicere, non auderemus eo præsente quicquam cogitare mali. Si metu ignominiæ vel pœnæ ab hominibus irrogandæ abstinemus ab inhonestis rebus: cur non magis reveremur Dominum, è cujus gratiâ & arbitrio omnis nostra felicitas pendet. Sed quia de eo non multum laboramus, inde fit, ut non tantum cogitare, sed & loqui ac facere ea nobis permittamus, quæ non decent. Constringit eos porrò Christus rationibus. *Quid est facilius, dicere, Remittuntur*

tantur peccata tua; an dicere, surge & ambula? Id est, si possum efficere id quod difficilius est, cur mihi etiam non liceat ità loqui? Statim reipsa id præstabo: ergò videbitis, me jure posse isti homini dicere, Remittuntur tibi peccata. *Facilius* inquit, *est, dicere.* Nam & Nathan dixit Davidi, Transtulit à te Dominus peccatum; quamvis non haberet potestatem pœnas auferendi. Nulla potestate opus est ad dicendum, *Remittuntur tibi peccata*, dummodò id velit Deus & Christus facere. At dicere, *surge*, risum moveret apud homines, si effectus non sequeretur. Potestate hic opus est, sivè propriâ, sivè ab alio communicati. Facilius est pronuntiare aliquid de rebus remotis, quàm proximis, de occultis, quam apertis & in omnium oculos incurrentibus.

Ipsum miraculum exprimitur ỳ. 6. *Ut autem sciatis, Filium hominis habere potestatem in terrâ remittendi peccata; ait paralytico: surge &c.* Confirmat Christus antecedentia. Credebant illi, neminem posse peccata remittere, nisi Deum: & hoc verum est, si addas, *per se ipsum*, vel *propriâ potestate*: sed potest etiam Deus alteri hanc potestatem communicare. Monstrat igitur Christus, collatam sibi esse talem potestatem. Ità quoque dicitur, Deum solum facere miracula, quia reliqui omnes ejus vi sibi communicatâ ea faciunt. Apostoli etiam annunciarunt remissionem peccatorum ex Dei voluntate. *In terrâ.* Discrimen facit Christus inter remissionem peccatorum. Perfectior potestas data est Christo post resuscitationem ex mortuis. In tertis nemini poterat dare immortalitatem, sine quâ perfecta remissio peccatorum esse nequit, quia nec ipse tunc immortalitatem habuit. Nunc à dextris Dei sedens in cœlis, potest vitâ æternâ donare, quem vult.

In eo verò est miraculum ipsum, quòd dixerit paralytico: surge, tolle lectum tuum, & abi domum; quod ille statim surrexerit, & abierit. Magnum est paralytico, surgere: majus, tollere lectum suum; majus adhuc, portare illud domum. Ità & Joh. 5. 8. Sabbato jubet lectum portare ægro. Eximia & insignis hæc fuit Christi potestas: sed insignior erit, quandò omnes fideles suos simul, à morte in vitam reducet. Tunc admirabilis fiet in omnibus credentibus. 2 Thess. c. 1. 10. Hanc potestatem Christi consideremus, eique nos subjiciamus.

Miraculi consequens fuit, quòd turba videns mirata sit, & glorificaverit Deum, qui dederit talem potestatem hominibus: ỳ. 8. Proborum hominum ingenium, dignum imitatione, ut & nos ità Dei actiones spectemus, ut Deum laudibus celebremus, non tantùm quandò nobis ipsis, verùm etiam, quandò aliis hominibus benefacit. Non dicit Euangelista, quod Christum glorificarint, ac celebrarint; quanquam & hoc fecerunt: sed quod crediderint, eum à Deo missum esse. *Quòd dederit talem potestatem hominibus*, id est, quòd per hominem tanta & talia beneficia in homines effuderit. Datam esse Christo potestatem dicit hic Euangelista, approbans judicium populi. Perperam igitur argumentantur, qui hinc colligunt, Christum esse unum illum Deum. Quæ sententia & Dei gloriam obscurat, & nobis solatium eripit; quod in eo situm est, quod Deus unum è genere mortalium ita extulerit, gloriâque ac honore coronatum, ad dexteram suam collocarit, ut nobis daret pœnitentiam & spem remissionis peccatorum. Hoc nos altius in animum admittentes, laudemus Deum ac glorificemus exemplo istius turbæ, per Jesum Christum Dominum nostrum.

Matth 12. *à vers.* 18 *ad vers.* 22.

IN his verbis continetur commendatio Christi, habita ratione ejus temporis quo munus suum in terris obiit. 1. Primò autem Deus qui in his verbis loquens introducitur, eum describit, maximè ex suo erga ipsum affectu. 2. Deinde ea de ipso commemorat quæ ad rationem muneris ipsius quod in terris obiit magis pertinent. Quod ad prius attinet, id continetur illis verbis, *Ecce servus meus quem eligi, dilectus ille meus, in quo complacuit anima mea.* Ubi 1. Attentionem nostram excitat, ut eum quem commendaturus est veluti digito demonstret, quum ait *Ecce.* Deinde munus ipsius generali nomine describit, dum eum *servum suum* vocat: quæ appellatio utut ostendat quanto Christus fuerit Deo inferior, nihilominus tamen ad illius commendationem non parum facit. Est enim valde honorificum esse servum Dei, summi illius Regis, præsertim in re tanta quanta ea fuit in qua Christus Deo ministravit: hoc est in salute totius humani generis, primum promulganda ac confirmanda, adeoque in Dei regno in terris constituendo. Hinc & Paulus authoritatem sibi conciliaturus, nonnunquam in epistolarum initiis, se Dei aut Christi servum appellat, habita inprimis muneris sui ratione. At in hoc servitio seu ministerio Paulus Christo ipsi subserviit. Quodsi nihilominus ad laudem Pauli id pertinet quòd Dei servus fuerit, quanto magis ad Christi laudem id pertinere censendum est, quòd Dei servus olim fuerit, hoc est servorum omnium præstantissimus seu princeps servorum. Tertio denique suum erga illum affectum atque amorem exprimit, dum addit: *Quem elegi, dilectus ille meus, in quo complacuit anima mea.* In Hebræo paulò alia sunt verba, licet rei summa eodem redeat. Ita enim ibi legitur: *Innitar ei, electus meus*, [in quo sibi] *complacuit anima mea.* Ubi verba illa *innitar ei*, per metaphoram dicta censeri debent. Videtur enim Deus sese comparare cum hero seu patre familias qui quum servum habet fidelem ac summa diligentiâ omnia in domo administrantem, ei omnia libenter committit, & in eo veluti recumbit: Quo pacto Potiphar olim Josepho, Gen. 39. 6, commisit rei familiaris administrationem, nulla de re solicitus, quum nil dubitaret omnia recte ab eo curari. Ejusmodi servus est Domino instar scipionis cui innitatur, & quo sese fulciat. Simili ergo ratione Deus apud prophetam, Christum commendaturus, ait, se ei innixurum vel inniti, (futurum enim pro præsenti sumi potest, Hebraico more) quia nimirum ei tanquam fideli servo omnia sit commissurus: quum nullum sit dubium quin omnia rectissime sit administraturus & ex voluntate ipsius gesturus. Itaque quod ad sententiam attinet, non longe ab illis verbis discedunt Græca, *quem elegi.* Significatur enim Deum servum hunc tanquam eximium ac fidelem delegisse, & munus ei singulare, nempe salutem humano generi & offerendi & confirmandi dedisse. Illa quæ sequuntur, ac divinum erga Christum amorem luculentius explicant, satis sunt perspicua, nempe illa: *Dilectus ille meus* (pro quibus est in Hebræo *electus meus*) *in quo complacuit anima mea* hoc est quo vehementer delectatur anima mea, qui mihi vehementissime placet; singulariter dilectus: dicuntur enim hæc κατ' ἐξοχὴν. Hæc de priori membro.

Quod ad posterius membrum attinet, in quo ea explicantur quæ ad muneris Christi in terris administrati rationem inprimis pertinent, ea ad 4 capita revocari possunt. 1. enim ostenditur quo pacto eum Deus ad munus illud consecraverit, seu mavis consecraturus fuerit. 2. qua in re muneris illius administratio fuerit constituta 3. qua lenitate ac mansuetudine in muneris illius administratione fuerit usurus, & 4. denique quis muneris illius seu administrationis ejus officii futurus fuerit effectus; quamque late ejus fructus patere debuerit. Primum est in illis verbis, *ponam spiritum meum super eum.* In Hebræo est, *dedi spiritum meum super eum.* Vox *dandi* pro voce *ponendi* apud Hebræos frequentissime sumitur, ut & præteritum pro futuro. Itaque nihil hic est in re discriminis. Intelligitur autem hic ille spiritus quo & mysteria divina exactissimè tenebat, sibi jam antè à Deo revelata, cujusque adeo ductu omnia ipsius dicta ut & facta gubernabantur, ita ut nil nisi quod veritati divinæque voluntati usquequaque consentaneum esset, diceret, atque etiam faceret: & simul etiam occultas hominum cogitationes, resque longissime distitas atque ab externis sensibus remotas perspiciebat, & denique miracula innumera longeque maxima edebat. Hujusmodi enim spiritu illi erat opus, partim ut sine omni errore salutarem veritatem sublimia-

limiaque illa Dei myſteria nobis explicare poſſet, partim ut eadem nobis luculenter demonſtraret, & ſe divinitus miſſum eſſe omnibus teſtatum faceret. Etſi autem hujus Spiritus ab ineunte ætate habuerit quaſdam primitias, quæ cum ipſa ætate in ipſo creverunt, ut ex Luc. cap. 2. 40. Intelligitur; tamen tum temporis revera eo fuit impletus, quum poſt baptiſmum à Johanne ſuſceptum cœlitus in eum deſcendit.

Secundum, nempe muneris iſtius adminiſtratio, illis verbis continetur, *& judicium gentibus annunciabit*, vel, ut eſt in Hebræo, *proferet*. *Jndicium* Hebræorum more pro jure ſeu legibus ponitur. Itaque ſenſus eſt, fore, ut leges, nempe divinas, non uni tantùm genti ſed omnibus terræ nationibus promulget ſervandaſque tradat. Ubi una quidem tantùm adminiſtrationis illius pars exprimitur, ſed tamen altera etiam tacite in ea intelligitur, nempe promiſſorum quoque divinorum annunciatio. Illam autem ſolam expreſſe commemoravit, quia ſi Dei ſcopum hac in parte ſpectes, promiſſa illa ideo promulgavit per Chriſtum, ut leges ac præcepta ipſius ſervarentur: ita ut promiſſiones legibus earumque obſervationi ſubſerviant. Nos quidem leges obſervamus, ut promiſſa obtineamus; ſed nihilominus tamen Deus promiſſa nobis propoſuit, ut leges obſervare vellemus. Itaque legum promulgatio aliqua ratione eſt potior annunciatione promiſſorum. Dico aliqua ratione, quia alia ratione diverſum ſtatui poteſt, nempe reſpectu Dei: non quod præcepta ſint præſtantiora promiſſis. Eandem autem rem paulo poſt iterum veluti aliud agens commemorat Deus, quum ſignificat Chriſtum ejecturum judicium ad victoriam, de quibus paulò pòſt agemus in explicatione tertiæ particulæ, ad quam nunc ſtatim accedimus.

In ea autem diximus exprimi ſingularem Chriſti lenitatem ac manſuetudinem, quâ in munere ſuo adminiſtrando, vel totius iſtius adminiſtrationis tempore fuerit uſurus, atque adeo uſus fuit: Quæ quidem res explicatur illis verbis; *Non litigabit, neque clamabit, neque audiet quiſpiam in plateis vocem ejus, calamum contuſum non confringet, & linum fumigans non exſtinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium.* Quorum verborum primùm nobis ſenſus eſt eruendus: deinde oſtendendum quomodo ea ad rem propoſitam pertineant: ſiquidem hæc ſola eſſe videntur ob quæ totus locus à Matthæo fuerit hîc citatus. Duplex autem manſuetudinis, adde & modeſtiæ atque humilitatis Chriſti effectus in his verbis commemoratur, quorum alter in verbis alter in factis conſiſtit. Prior in ℣. 19, poſterior in 20. In quo etiam ejus virtutis conſtantia oſtenditur. Quod ergo ad ℣. 19 attinet, primò animadvertendum eſt, in Hebræo non exſtare iſta verba, *non rixabitur*, vel *non litigabit*. Interim tamen ſententia ejus verbi ſatis in Hebræo continetur. Et Paulò pòſt aliud verbum quod in Hebræo exſtat, in Græco omiſſum eſt, nempe *non exaltabit* ſeu *tollet*. Intellige, vocem ſuam: quemadmodum nimirum illi ſolent qui cum aliis rixantur, ac pertinaciter certant, iiſque vel minantur, vel conviciantur. Quare ſententia verbi *litigandi* ſatis videtur expreſſa, tum in iſto *exaltandi*, tum etiam in *clamandi* verbo. Adjunctum enim rixarum eſt expreſſum, nempe clamor. Facile autem eſt intelligere, diſputationes ac certamina Chriſti, quæ cum ſingulari modeſtia, manſuetudine, ac patientia, pro veritate cum adverſariis ſuis ſuſcepit, nequaquam his Prophetæ verbis adverſari, aut rixarum nomine cenſenda eſſe. Aliud enim eſt diſputare, idque pro veritate, maximè divina, cum ſingulari modeſtia, lenitate ac manſuetudine: aliud verò rixari ac litigare. Hoc enim iræ, pertinaciæ, atque ambitionis eſt, neque intra modeſtiæ limites conſiſtit, & crebrius pro mendacio quam pro veritate, libentius pro iniquitate quam pro æquitate ſuſcipitur. Ex his etiam perſpici facile poteſt, quid per iſtum clamorem intelligi debeat, dum hîc dicitur *eum non clamaturum, neque vociferaturum, neque auditurum quenquam eſſe in plateis vocem ipſius.* Tale nimirum clamoris genus intelligi debet, quod iracundorum vel ſaltem ambitioſorum eſt proprium. Cujus generis eſt illud clamoris genus quod Apoſtolus prohibet, Epheſ. 4. ℣. 31. ubi ex antecedentibus & conſequentibus, quivis videt de eo clamore ſermonem eſſe, qui ex ira vindictæque cupiditate & quadam animi impotentia proficiſcatur, ac proinde comitati ac manſuetudini opponatur. Cum quo clamore conjungenda eſt & illa vociferatio quæ hominum eſt pertinacium & ambitioſorum, dum cum aliis certant iiſque cedere nolunt, ne de laude illis aliquid depereat, aut etiam ad certamen alios provocant. Cæteroquin notum eſt, Chriſtum ut veritatem ſalutarem hominibus inculcaret, ſæpe etiam clamaſſe, & vocem extuliſſe, ut ab omnibus exaudiri poſſet: idque vel in templo, vel in aliis locis publicis, qui hîc *platearum* nomine ſignificantur. Et hæc de manſuetudine Chriſti, quatenus ea in verbis ſeu voce apparet. Quod attinet ad facta in quibus manſuetudo ipſius fuit conſpecta, ea exprimuntur illis, cùm ait, *calamum contuſum non confringet, & linum fumigans non exſtinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium.* Ubi etiam virtutus iſtius conſtantiam explicari ſuprà monuimus. Verba autem iſta, præſertim priora hujus verſiculi, allegorica eſſe nemo non videt. Verus autem & genuinus illorum hic eſt ſenſus, Chriſtum tanta uſurum lenitate, tanta manſuetudine ut nemini planè noceat, ne illi quidem cui nocere facillime poſſet, maximaque hac in re uſurum eſſe cautione ac prudentia: perinde atque ſi quis adeo leniter incederet adeoque molliter veſtigia pedum imponeret rebus ſubjectis, ut ne quidem calamum jam aliqua ratione contuſum, in quo pedem poneret, confringeret, aut linum fumigans, quod pede impreſſo facile exſtingui poteſt exſtingueret, ſeu ut noſtri loqui conſueverunt, ne quidem ſi per ova incederet eorum ullum confringeret. Solent aliàs hæc verba vulgò ita accipi, acſi dictum eſſet, Chriſtum ea manſuetudine uſurum erga homines fide infirmos, aut habita ratione pietatis imbecilles, ut eos ſuppliciis ſuis non conterat, nec auxilium illis ſuum ut convaleſcere ac corroborari queant ſubducat, ſed potius ut manum ſalutarem illis admoveat, eos ſanet, fide corroboret, ſpe fulciat, & robur illis ad pietatem colendam inſpiret. Sed hic ſenſus, licèt aliàs eximius, & conſolationis plenus, genuinus tamen non eſt: quod clariùs apparebit poſtea, ubi de ſcopo agemus, ad quem Matthæus hæc verba citans reſpexit. Addit autem propheta, *donec ejiciat ad victoriam judicium.* In Hebræo eſt, *ad veritatem proferet*, vel *egredi faciet*, *judicium.* Cur nomen *veritatis* in nomen *victoriæ* fuerit mutatum, Maldonatus non pauca diſputat, qui videri poteſt. Cæteroqui quod ad rem ipſam attinet, non multum intereſt inter Hebræam & Græcam lectionem. Duplici autem modo utraque verba tum Hebræa tum Græca accipi poſſunt. Prior ſenſus eſt, Chriſtum exactè atque ad verum omnia in judicio examinaturum, & ita jus dicturum non ut Judices terreni ſolent, qui ſæpe eum condemnant quem abſolvere, aut abſolvunt quem damnare, deberent, ſed juſtam de unoquoque ſententiam laturum. Et de verbis quidem Hebræis dubium eſſe non videtur, ea ſententiam iſtiuſmodi ferre. De Græcis dubitari poteſt. Sed nihilominus tamen idem de illis ſtatui poſſe, is animadvertet, qui intelligit ea nos ſic interpretari poſſe quaſi dictum eſſet, Chriſtum effecturum, ut judicium, hoc eſt, jus atque æquum vincat, atque ita ad victoriam perducatur. Jus enim tum vincit cùm juſta ſententia tandem obtinet, & ad verum omnia examinantur, ac pronunciantur. Verùm hæc iſtorum verborum ſententia, non tam muneri Chriſti prophetico quàm regio, atque ut ita dicam judiciario convenit. Hîc autem Chriſtum ratione muneris prophetici revera ſpectari diximus: quod verba ℣. 18 ſatis arguunt, & id oſtendit quod Matthæus hæc verba ad illud tempus retulit quo

Chriſtus

Chriſtus in terris fuit verſatus, idque eum in finem ut oſtenderet, qua manſuetudine Chriſtus tum temporis uſus erga hoſtes ſuos fuerit. Quare aliquanto diverſa iſtarum verborum ſententia inquirenda eſt. Quam quidem non difficile erit deprehendere, ſi nomen judicii eodem modo hîc accipiamus, quo antea ỳ. 18, nempe pro legibus atque adeo in univerſum pro doctrina Chriſti. Illæ autem leges tum ad victoriam ejiciuntur, vel conatu labore, curâ, perducuntur, quum efficitur ut leges illæ inter homines obtineant, & pro juſtis ac veris agnoſcantur. Tum enim jura divina vincunt. Eadem autem eſſe poteſt verborum Hebræorum ſententia. Tum enim profertur judicium hoc eſt jura, ad verum, quum efficitur ut illa vera juſta ac legitima agnoſcantur. Significabitur ergo Chriſtum tamdiu uſurum iſtiuſmodi lenitate, quamdiu in eo ſit verſaturus ut leges doctrinamque ſuam hominibus tradat atque ita confirmet ut ab omnibus merito ea recipiatur, & pro vera divinaque agnoſcatur, ac ſic in animis hominum regnet. Quanquam quum dicitur *donec* id fiat, non eſt omnino intelligendum, Chriſtum poſt illud tempus non amplius ea manſuetudine uſurum, ſed tantùm eum intra id tempus ab ea lenitate non receſſurum, licet ſit multas plurimaſque habiturus cauſas quæ eum ad vindictam de adverſariis ſumendam incitent, eumque de tanta animi manſuetudine deducere poſſe videantur. His ita explicatis, jam videndum eſt, quorſum hæc verba citaverit Matthæus, vel quomodo ad ſcopum ipſius pertineant. Omiſſis igitur aliis ea de re ſententiis, de quibus Maldonatus videri poteſt, hæc omnium videtur eſſe ſimpliciſſima, quòd nimirum rationem oſtendere voluerit Matthæus, cur Chriſtus cùm cognoviſſet Phariſæos conſilium inter ſe iniiſſe de ipſo interimendo, illorum furori ceſſerit, & poſtea quum alibi tantam ægrotorum multitudinem curaſſet, apertumque documentum dediſſet quàm facile ipſi eſſet non tantùm reſiſtere adverſariis ſuis, verùm etiam uno verbo atque adeò halitu eos penitus frangere atque proſternere, tamen ne illos irritaret, atque ad ſe perſequendum incitaret, his interdixerit ne ipſum manifeſtum facerent, hoc eſt ubinam verſaretur indicarent. Poterat enim aliquis ita ſecum cogitare, Quid cauſæ eſt cur Chriſtus tanta præditus potentia, tam eximius Dei legatus, adverſariis ſuis cedat, eos fugiat, & tanquam eos metueret ſeſe occultet? Cur non potiùs homines perditiſſimos perdit, & ſic ſeſe de illis ulciſcitur? Reſpondet Matthæus eam ob cauſam id factum eſſe ut impleretur illud quod à propheta de Chriſto ſit ſcriptum, nempe eum toto illo tempore quo munus ſuum ſit in terris adminiſtraturus, adeo manſuetum, adeo lenem adeoque modeſtum fore, ut nec verbis adverſarios ſuos irritet eoſve provocet aut offendere cupiat, nec alia aliqua ratione eos lædat, eive noceat: utut ejus iræ maximè paterent, & ab eo inſtar calami contuſi facile confringi, atque instar lini fumigantis facile exſtingui poſſint. Itaque nullam tantam fore injuriam, quæ eum ab hac lenitate deducat: ut ita mirum nequaquam ſit, Chriſtum maluiſſe adverſariis hoſtibuſque ſuis cedere, quam vi ac potentiâ qua divinitus erat inſtructus illis reſiſtere, eoſque conterere ac perdere.

Reſtat ultima ſecundi membri atque adeo totius loci particula, *& in nomine ejus gentes ſperabunt*. Nam quæ in Hebræo inter hæc & ſuperiora verba interjiciuntur, nempe illa; *Non remiſſus erit, nec frangetur animo, donec ponat in terra judicium*, eorum ſententia in præcedentibus ſaltem ex parte continetur. Nam quod ad priora attinet, nempe *non remiſſus erit nec frangetur animo*, quanquam id tantùm ſignificare videntur, eum non iri debilitatum adverſariorum injuriis, ita ut ab inſtituto ſuo deducatur, tamen etiam illud intelligi poteſt quod antea dictum fuerat, eum à manſuetudine animi nullis adverſariorum injuriis deductum iri. Etenim & hæc quædam animi imbecillitas eſt, ſi cujus patientia ac lenitas expugnetur, ita ut injurias ferre amplius non poſſit, atque adeo ad vindicandum ſeſe, contra priſtinum animi propoſitum permoveatur. Illa vero poſteriora, *donec ponat in terra judicium*, continentur in illis verſiculi præcedentis, *donec ejiciat in victoriam judicium*. Et non eſt incredibile horum poſtremorum verborum repetitionem quandam in cauſa fuiſſe, ut & ipſa, & una cum illis præcedentia ejuſdem verſiculi verba omitterentur, tanquam eandem cum prioribus ſententiam continentia. Quod autem attinet ad illa verba quæ ultimo loco à Matthæo expreſſè citantur, illa in Hebræo paulò aliter leguntur, hoc nimirum pacto, *& legem ejus insulares exſpectabunt*. Ubi primùm quæri poteſt, cur pro *lege* poſitum ſit *nomen*. Eſt autem credibile, Græcam lectionem, non quidem in Matthæi codice, ſed in ipſa Græca Eſaiæ interpretatione etiam ante Matthæum fuiſſe mutatam, & pro voce νόμῳ ſcriptum ὀνόματι, non modo ob ſimilitudinem ipſarum vocum Græcarum, verùm etiam propterea quòd vox ὀνόματι, melius videatur ſententiæ & communi loquendi apud Hebræos uſui congruere. Etenim non ſatis convenienter loquendi conſuetudini dictum videtur, aliquem ſperare in lege alicujus, ſed in nomine alicujus ſperare, credere, aut confidere, id Hebraicæ loquendi conſuetudini maxime congruum eſt. Itaque ab illis qui Hebræum textum non inſpexerunt, creci potuit, errore quodam vocem νόμῳ pro ὀνόματι in Græcam interpretationem irrepſiſſe, itaque hanc poſteriorem tanquam genuinam pro illa reponendam. Quam lectionem non mutavit Matthæus, utpote quæ nec falſam efficiat ſententiam, nec revera diverſam ab ea quæ ipſorum Hebræorum verborum eſt. Etenim catenus *insulares* vel *gentes* dicuntur exſpectaturæ legem Chriſti, quia legem ejus avidè ſint recepturæ, tanquam æquiſſimam, & ſibi maxime ſalutarem: quod qui faciunt eo ipſo in nomine ipſius ſpem ac fiduciam ſuam collocant. Quod verò pro *insularibus* quorum in Hebræo fit mentio, reponuntur *gentes*, in eo etiam verborum potiùs quam ſententiæ diſcrepantia eſt. Etenim apud prophetas *insulæ* vel homines inſulares poni ſolent pro gentibus longiſſime à Judæa terra diſſitis. Quaſi dicat, Non tantùm homines qui terras Judææ propinquas incolunt, ſed remotiſſimi etiam terrarum populi, quales ſunt ii qui in inſulis degunt, legem atque jura ipſius avide & inquirent, & recipient: nec mare eis obſtabit, quominus ei ſe ſubjiciant, felicitatem ſibi ab eo certam pollicentes. Quare ſynecdochice inſulares pro gentibus omnibus ponuntur, ſpecies nimirum certa, quam alias minimè veriſimile eſſet id facturam de quo hîc ſermo eſt, pro genere hoc eſt gentibus univerſis. Itaque ſententiam nihil immutarunt ſive Græci interpretes, ſive Matthæus illos ſequutus, dum pro inſularibus gentes repoſuerunt. His ita explicatis vix quidquam reſtat quod ad ſententiam hujus loci eruendam pertineat: quandoquidem ſatis apparet, quid ſit gentes in Chriſti *nomine* ſeu in ipſo Chriſto ſpem ſuam eſſe collocaturas, nempe eas ſpe certæ felicitatis quam ſibi pollicentur, ſi Chriſti legibus paruerint, leges eas inquiſituras, ac recepturas, & ad earum obſervationem ſeſe compoſituras. Oſtendere nempe voluit Deus, Chriſti doctrinam non intra unius Judaicæ regionis aut gentis terminos conſtituram, ſed in omnes terras propagandam, nec unam tantum illam gentem Chriſto parituram, ſed omnes gentes. Qua de re vide quæ apud prophetam Eſaiam legantur ibidem paulò poſt, verſiculo 6.

Explicatio locorum quorundam difficiliorum in Euang. Marci & Lucæ.

In Marci IX. 49, 50.

Hæc verba duobus modis cum ſuperioribus connectî poſſunt. Vel enim referuntur ad ea quę ſunt remotiora, hoc eſt ad ea quę de eruendo oculo de abſcinden-

dis pedibus ac manibus ſi nos offendant, ſuprà dicta ſunt. vel ad proximè præcedentia, ubi dicitur ignem quo cruciandi ſunt ii qui præceptum hoc Dei neglexerunt, non exſtingui. Priori modo ſi ſuperioribus annectantur, ſcopus horum verborum erit, docere, iis qui Deo placere velint, omnium neceſſarium eſſe ut præceptum Chriſti de eruendo oculo obſervent, ita ut ſenſus ſit, omnem qui Deo velit placere, igne quodam qui vehementer urat, debere condiri, ac veluti ſaliri, ut ita quicquid ibi impurum eſt expurgetur: & omnem victimam, hoc eſt quemvis qui ſeipſum Deo conſecrare eique placere velit, debere ſale quod ipſum quoque valde mordet, condiri, ut ita putredo ac corruptio omnis ab eo avertatur: quemadmodum ſub lege quoque omnis victima quæ grata eſſe Deo debebat, ſale erat conſpergenda. Per *ignem* autem iſtum intelligi poterit doctrina Euangelii aſpera & in carnem noſtram dura, quæ non ſine dolore aliquo vitia noſtra expurgat, & nos à corruptione liberos atque immunes reddit. Quanquam in ſequentibus Chriſtus eadem voce *ſalis* qua in præcedentibus uſus fuit in abſtracto, utitur in concreto, & eum intelligit hominem qui ſale ſit aſperius, ſeu doctrinâ Euangelii imbutus, Chriſtique diſcipulus: quemadmodum ex collatione hujus loci cum verbis Matt. 5. 13. & Luc. 14. ỷ. fib. duobus ultimis apparet. Tandem iterum in abſtracto ſumit in verbis ultimis hujus capitis, cùm dicit, *Habete in vobis ſal.* Qualis diverſitas ſignificationis etiam alibi reperitur: ut inter alia in voce *lucis* Eph. 5. 8. 2 Cor. 5. ult. quamvis ibi vox *peccati* diverſa ſignificatione uſurpatur. Videtur autem propterea Dominus Jeſus doctrinam ſuam igni & ſali hac in parte comparaſſe, ut oſtenderet, doctrinam ſuam ea hominibus præcipere, quæ carni noſtræ admodum eſſent moleſta, eamque urerent, ac morderent: quia præceptum illud quod ſuperius tradiderat, de oculo eruendo, manu & pede abſcindendis, carni noſtræ eſt moleſtiſſimum: ſiquidem eo præcepto adeo jubemur rerum jucundarum & carni noſtræ allubeſcentium conſpectu, aut tactu, aut etiam auditu, abſtinere, ut iis ipſis membris propemodum noſmet ipſos privare dici queamus. Quare, ut Dominus Jeſus nobis perſuadet, id licet acerbiſſimum nobis ſit, tamen nobis eſſe neceſſarium, ait: Neceſſe eſſe quemvis qui Deo probari velit, & tanquam victimam ipſi ſe conſecrare, igni & ſale condiri, & nullam carnis moleſtiam aut dolorem defugere.

Si poſteriori modo hæc verba ſuperioribus connectas, tum per *ignem* intelligetur ille ignis quo cruciabuntur tranſgreſſores mandati Domini Jeſu ſuperius traditi: & per vocem illam πᾶς ſeu omnis intelligentur omnes illi qui vel iſtud mandatum vel aliquod ſimile fuerint tranſgreſſi. Quam interpretationem reddit veriſimilem tum vicinitas ſeu propinquitas verborum, tum vox ignis utrobique poſita. Duplici tamen modo nihilominus verba hæc accipi poterunt. Primùm ita ut vult Maldonatus, quaſi dicat: quod dixi ignem non exſtingui, adeoque ſignificari pœnam eorum qui mandatum iſtud meum tranſgredientur, fore ignem, id ideo aſſerui, quia omnis qui pœnam ſubibit, & inſtar victimæ iræ divinæ mactabitur, igne ſalietur, ac veluti condietur: quemadmodum omnis victima legalis ſale condiri debet. Solent enim qui à Deo morte puniuntur, victimæ vocari, quod tanquam victimæ quæ ſacrificanti reſiſtere non poſſunt, à Deo ad ipſius gloriam, & declarationem potentiæ aut etiam juſtitiæ quodammodo trucidentur. Quam in ſententiam citat Maldonatus loca, Eſai. 34. 6. Jer. 12. 3. & 46. 10. & 51. 40. Ezech. 2. 9, 10. & 39. 17. Quia enim Chriſtus in verbis ſuperioribus, *vermis eorum non moritur, & ignis non exſtinguitur*, reſpexit ad locum Eſai. 66. 24, in quo de occidione bellica agitur, ii verò qui in bello à Deo occiduntur, ejus vocantur victimæ, perſtitit in metaphora admodùm Prophetis uſitata, & de damnatis tanquam de victimis loquutus eſt. Ac quia victima omnis ſub lege ſaliendà erat, dixit etiam damnandos eſſe ſaliendos, verumtamen eorum ſalem non eſſe iſtum quo alias victimas ſaliri Lex præcipiebat, ſed pro ſale futurum illis ignem in exſtinguibilem, cujus cruciatibus torqueri debent. Verba verò ſequentia, *& omnis victima ſale ſalietur*, quæ ex Levitico citantur, ita connectit Maldonatus præcedentibus, ut conjunctionem *Et* ex Hebræorum idiomate, non tam copulativam hoc loco quàm comparativam eſſe velit: quaſi dicat Chriſtus; ſicut omnis victima, quemadmodum in Lege præſcribitur igne ſalitur, ita omnis damnatus ſalietur igne. Cujus locutionis exempla Prov. 25. 3. & 23. & 25. & 27. Quæ apud ipſum videre licet. De ſequentibus, *Bonum eſt ſal.* &c. ſuſpiciatur, ea à Chriſto non hoc ſed alio loco fuiſſe prolata; à Marco autem, ut alia multa, alieno loco poſita, ea tantum occaſione quod ſalis mentio in ſuperioribus fuerit facta: quemadmodum ſoleamus in ſolitis colloquiis unius verbi occaſione in alios labi ſermones.

Deinde poſſunt ita accipi hæc verba, ut vox πυρὶ non ſit caſus inſtrumenti, ſed finem quodammodo denotet, adeoque vertenda ſit *igni* Dativo caſu, non igne. Nam non ſemel Dativus finem ut loquuntur *cui* denotat: idque tum Hebraici tum Græci ſermonis conſuetudo permittit: cum & Hebræi præfixum *Lamed* quod Dativi ſolet eſſe nota, ponant pro *ad*: ut hoc loco *le eſch igni* pro ad ignem; & Græci. Unde illa appellatio eſt nata τῶ πάλαι ὦ. Exempla hujus rei in Sacris Literis habemus Mich. 5. 2. ubi vide Vatablum. Eſai. 9. 6. Luc. 12. 21. ubi opponuntur diteſcere ſibi, & diteſcere in Deum. 1 Cor. 14. 20. Imò etiam ibid. ỷ. 2. & 3. & 2 Cor. 2. 15. Hoc ergo dicere cenſendus erit Chriſtus; omnem eum qui inſtar victimæ mactatus, igne conſumi debet, & ad divini numinis gloriam ob ſua ſcelera puniri, ſale condiendum, & hoc modo ad ignem præparandum eſſe: quemadmodum omnis in univerſum victima, ut olim ſub lege, ſale propriè ſic dicto, ita nunc ſub Euangelio ſale doctrinæ Chriſti, quæ res Deo gratas efficere, & à corruptione conſervare debet, eſt condienda. Probamus enim Maldonati conjecturam de alluſione, quæ in primis hujus loci verbis ad victimas fiat, atque in primis ad holocauſta. Sed conſiderandum eſt, duplicis generis eſſe victimas; Aliæ enim igne judiciorum divinorum ad nominis ejus laudem conſumendæ ſunt, aliæ per vitæ pietatem nominis divini gloriæ conſecrantur. Utriuſque generis victimæ præparantur & veluti conſecrantur per cœleſtis veritatis ſalem: quemadmodum olim nulla victima ſine ſale Deo erat grata. Nam ut aliquis meritò cum ſingulari divinæ juſtitiæ laude puniri queat, cognitio divinæ veritatis, ejus præſertim quæ in Euangelio continetur, efficit: Ut ex multis Sacrarum Literarum locis patet. Rurſus ut aliquis per veram vitæ pietatem Dei gloriæ conſecretur, & victima grata efficiatur, itidem doctrina Chriſti quæ perfectam pietatem ſub ſpe immortalitatis præſcribit, præſtat. Utrumque hunc ſalis effectum in ſequentibus verbis non obſcure Chriſtus explicat, dum ait: *Bonus eſt ſal.* hoc eſt vehementer eſt utilis doctrina mea, vel doctrinâ meâ imbutum eſſe admodum eſt fructuoſum; *ſed ſi ſal ſaporem ſuum amiſerit*, hoc eſt ſi is qui doctrinâ meâ imbutus eſt, vel eam abjiciat, vel ei convenienter non vivat, adeoque ſit plane inſipidus; *quare iterum condietur?* hoc eſt qua ratione poterit in priſtinum ſtatum reſtitui?

Quibus verbis graviſſima iſtiuſmodi hominum pœna deſcribitur. Quemadmodum ex Matth. & Lucæ verbis ſupra citatis apertius conſtat. Unde tandem admonitionem ſubjungit Chriſtus, *ut habeant ſal*, ſeu doctrinam ſuam ſartam tectam uſque ad finem retineant, ejuſque vim exprimant, atque inprimis pacem inter ſe mutuò colant, non verò ut ſupra eos feciſſe legimus, inter ſe de primatu certent, aut aliis Chriſti profeſſoribus levi de cauſa negotium faceſſant, ut apparet ex ỷ. 34. & ỷ. 38, 39.

Planior eſſet ſenſus verborum primorum, ſi admittenda eſſet conjectura Joſephi Scaligeri, qui arbitratur

tratur verba Græca ab aliquo vel per incuriam, vel quia ea non satis intellexerat, mutata esse. Nam pro πᾶς γὰρ πυρὶ, legendum esse πᾶσα πυρία, vel saltem πᾶσα γὰρ πυρία, hoc est, omnis enim incensio, seu omne sacrificium igne consumendum. Facile enim fieri potuit ut α ultimum in voce πυρία propter α initiale sequentis dictionis ab aliquo fuerit ablatum, qui illud per incuriam putavit additum, ob sequentis dictionis initium, quæ cum priore aliquomodo fuit confusa: præsertim cùm olim non ita accurate spiritus, qui initiis à vocalibus incipientium nunc adduntur, & eas à prioribus aperte distinguunt, apponerentur. Mutata autem voce πυρία, etiam in prima voce πᾶσα mutatio aliqua fuit facienda, & vel α prorsus abjiciendum, vel adjectis duabus literulis, in patriculam aliquam nempe γὰρ convertendam, unde hæc quam codices vulgati habent, nata est. Ingeniosa quidem conjectura, sed cui sine codicum authoritate non facile est fidendum. Quanquam id illam valde reddit probabilem, etiam sine codicum authoritate, quòd sensus loci hoc pacto longe foret planior: dicereque posset aliquis, cùm in aliis compluribus locis deprehendamus varietatem, eamque tanto majorem quanto plures reperiuntur codices, & nonnunquam ea lectio sit probior quæ in paucioribus aut uno tantum exstet; non mirum esse si quis hoc in loco idem factum suspicetur, licet ob defectum codicum testimonio destituamur, cujus loco nobis ratio esse debeat. Quod si aliquid huic conjecturæ tribuendum est, nostra de Dativo πυρὶ sententia fit probabilior, cùm ex ea lectione idem sensus eliciatur, licet res non sit ita plana atque aperta: dicique potest non sine Dei providentia factum esse, ut licet lectio vera fuerit mutata, non tamen ita mutari potuerit, quin nihilominus verus sensus verbis aliquantum depravatis accommodari possit, & sic facem præferentibus loci circumstantiis ex iisdem elici. Atque hinc etiam ratio aliqua peti potest, cur vocem πυρὶ non pro instrumentali sed pro Dativo casu accipiamus, cùm tamen postea vocem ἀλὶ, eidem verbo ἀλισθήσεται, cum quo etiam πυρὶ in præcedentibus conjuncta fuerat, præpositum, pro casu instrumentali accipiamus, & in similibus quod ad Grammaticæ rationem attinet phrasibus, dissimilem tamen significationem agnoscamus. Neque enim id mirum censeri debet, si lectio loci fuit mutata, & genuina verba non integrè retenta. Quanquam illud quoque duritiem istam excusare debet, quòd nisi hæc admittatur, alia sit admittenda haud minor, nempe quod aliquis igne debeat saliri, quod certe omnes durissimum esse animadvertunt.

In Lucæ 2. vers. 14.

HUjus voti & gratulationis Angelicæ, duo, si rem ipsam spectes sunt membra: licèt eorum alterum, de cujus sententia controvertitur, duabus iterum veluti partibus constet. Nam quum dicitur, *& super terra pax, in hominibus beneplacitum*, seu *benevolentia*, in prioribus quidem ipse effectus nempe felicitas quæ in terris regnare debeat, exprimitur, in posterioribus autem ejus felicitatis fons ac caussa, nempe benevolentia, qua homines Deus complectatur, aut qua ut Deus homines complecteretur Angeli optabant. Quasi dicant, Deus hominibus faveat eosque singulari amore, prout quidem jam facere aliquomodo cœpit, prosequatur: inde felicitas in eos manet. Cur autem si verba spectentur duas putemus esse hujus posterioris membri partes, facit constans Græcorum codicum lectio, facit etiam vocum vis & loquendi consuetudo. Nam quod ad prius attinet, ita legunt Græci codices; *in hominibus benevolentia*: quum Latini legant, *hominibus bonæ voluntatis*: primùm particulam ἐν quæ in Græcis constanter legitur, expungentes, deinde nominativum εὐδοκία in Genitivum vertentes. Quod factum esse ideo non est mirandum, quòd authores istiusmodi lectionis ignorare potuerunt quæ vis esset phrases, & cùm commodam sententiam verborum Græcorum reperire non possent, & præterea si rem ipsam spectes duo tantùm hujus voti seu mavis hymni Angelici membra esse cernerent, inde putarunt ex duobus verborum commatibus unum omnino esse constituendum. Idem etiam Græcis quibusdam accidere potuit. Quare quod aliter illi hunc locum interpretati sint, aut legendum putarint, id fidei codicum Græcorum vulgatorum præjudicare nihil debet. Sed deinde, quod attinet ad vim verborum, si legas *hominibus bonæ voluntatis*, quæ bona voluntas Græce est εὐδοκία, & Hebraico *Ratzon* respondet, non videtur sat commodus inde emergere sensus; nam homines εὐδοκίας seu favoris, significare potius viderentur homines qui ipsi benevoli sint aliis, quàm quos quispiam alius, nempe Deus, benevolentiâ complectatur: quum tamen benevolentia hæc activè nonnisi Deo tribuatur: passive autem cuipiam tribui, ita ut nimirum quispiam dicatur esse homo εὐδοκίας, legere vel audire non memini. At illa phrasis εὐδοκεῖν τινὶ, hoc est alicui favere, satis est in Sacris Literis usitata. Sic, dicit Deus de Christo, ἐν ᾧ εὐδόκησα. Sic Author ad Hebræos Habacuci verba citans, ἐὰν ὑποστείλῃ ἡ ψυχή μου οὐκ εὐδοκεῖ ἐν αὐτῷ Heb. 10. 38. Cum hac autem phrasi plane congruit hæc, εὐδοκία scilicet ἐστὶ ἐν ἀνθρώποις, ut particula ἐν denotet objectum in quod feratur, seu quod respiciat favor ac benevolentia divina. Deinde hoc modo distinguerent angeli homines ab hominibus, & significarent non omnibus hominibus sed tantùm certis, se felicitatem istam vovere atque cupere: quemadmodum etiam illi volunt qui Latinæ interpretationis lectionem Græcæ lectioni præferunt. Atqui longè magis est & menti Angelicæ, & præcedentibus Angeli pastores alloquentis verbis consentaneum, ut illi hominibus gratam pacem ac felicitatem hic optent. Dixerat Angelus ℣ sic. 10. *Ecce annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni* seu toti *populo*: & hoc sanè proculdubio cupiverunt Angeli, ut toti populo Israëlitico, ac porrò etiam cæteris omnibus hominibus gaudium illud contingeret, id autem gaudium, pacem illam de qua hic loquuntur, complectitur. Cur ergo non censendi sunt id ipsum hic optasse? Neque enim refert quòd non omnibus reipsa contingat. Optari enim nihilominus recte potest ut omnibus contingat. Idque est Angelorum benevolentiæ erga homines, & gaudio quod hic testantur admodum consentaneum.

Lucæ 2. vers. 41. ad finem.

IN his verbis narratur Historia de Domino Jesu, quum duodecim annorum esset, & simul quid post illud tempus eo factum fuerit, breviter explicatur. Historia autem illa est, quòd cum parentibus profectus Jerosolymam ad festum, iis ignorantibus ibidem postea substiterit, & in templo cum Doctoribus fuerit colloquutus, & factum suum defenderit, redierit tamen cum parentibus domum, iis paruerit, & incrementum tum corpore tum animo ceperit.

Etsi autem multæ sunt hujus narrationis partes, quum non tantùm ipsius Christi facta dictaque, sed etiam aliorum, & inprimis parentum dicta & facta, istorum quæ Christus fecerat occasione narrentur, tamen tota Historia ad tria capita potest reduci. Primò autem narratur occasio qua Christus Jerosolymam pervenerit. Deinde quid Jerosolymæ fecerit, dixeritve, & quid ejus occasione parentes fecerint dixerintve. Denique quid Christus fecerit eive contigerit, postquam Jerosolymis discessisset. Quod ad primum caput attinet, occasio illa est profectio parentum Christi ad festum Jerosolymis agendum: explicatur autem ℣. 41. & 42: quæ profectio iterum duobus modis exprimitur, 1. Generatim, 2. Speciatim. Generatim ℣. 41, ubi ista tria ordine consideranda sunt. 1. Descriptio Josephi & Mariæ, voce *parentum*, 2. Illorum assiduitas in profectione Jerosolymam suscipienda, nempe quòd quotannis iverint Jerosolymam,

mam. 3. Quo tempore, nempe in feſto Paſchæ. Quod ad primum, oſtendendum diverſa ratione Mariæ, & diverſa Joſepho accommodari parentis vocem; quod etiam infrà notandum, *Ecce ego & pater tuus.* Illa enim naturalis, hic legalis erat parens Chriſti. Secundò conſiderandum præceptum Dei de feſtis agendis, & quidem in loco eo quem Dominus elegerat, ut apud Moſen ſcribtum eſt. Locus autem eſt Hieroſolyma. Ubi 1. Quanta moleſtia fuerit in hoc itinere ter repetendo. Unde exemplum. 2. Quod cultus divinus fuerit alligatus certo loco. Qua in re differentia N. Fœd. a veteri obſervanda. Nempe, quod olim certus locus & ſtatus fuerit electus, ad quem omnes omnino Judæi deberent convenire, & cultum divinum publicum peragere, extra quem Deum adorare, & ſolennem ei cultum exhibere, non licebat. At hodie nullus ejuſmodi locus eſt, qui certus ſit & fixus, & extra quem, Deum colere non liceat, locus tamen ſemper eſt aliquis, præſertim ubi res ipſa permittit. Eſt autem is ille, ubi convenerit inter Chriſtianos, præſertim vicinos, ut eò conveniant, & ibi verbum Dei audiant, ac cætera peragant, quæ ad ſolennem ac publicum Dei cultum pertinent. Nam quicquid fuit in hac re poſitivum ut loquuntur, & ex placito Dei pependit, id ceſſavit. Quod naturale eſt, non deſiit. Naturale autem eſt, ut fideles, ad publicum ſolennemq; Dei cultum, & cætera quæ ſinguli peragere vel non poſſunt, vel non quæ commodè poſſunt, certo aliquo in loco, quem ipſimet pro arbitrio elegerint conveniant. Quare, non eſt ſtatuendum, iſtud eſſe hac in parte inter Antiquum & N. Fœderus diſcrimen, quòd ibi aliquis fuerit locus, ubi ea quæ ad publicam religionis exercitationem ſpectant, peragerent, hic verò nullus prorſus eſt: ſed, ibi fuiſſe fixum, hic non fixum. Ibi unum, hic poſſe eſſe innumeros. Ibi, Deum ipſum, rem hanc definiviſſe, hic ipſorum Chriſtianorum arbitrium & commodum valere.

Cauſæ autem cur Chriſtiani homines, illi nimirum, qui poſſunt unà eſſe præſertim commodiùs, omnino & quam frequentiſſimè inter ſe, ad publicum religionis exercitium, convenire debeant, ad tria poſſunt revocari capita. 1. Quia id ipſum à divino ſpiritu præceptum eſt. 2. Quia ea ſunt præcepta, quæ nonniſi in publico aliquo fidelium conventu poſſunt peragi, ita ut hac quoque in parte id de quo agitur, quaſi præceptum eſſet, cenſeri poſſit. 3. Quia inſignes inde manant fructus, & utilitates. Quod ad primum attinet, Præceptum ea de re continetur, Heb. 10. 25, ubi præcipitur ne fideles relinquant congregationem ſuam mutuam, quemadmodum quidam conſueveverint, ſed adhortentur, nempe ſe invicem. Nam etſi non deſint, qui verba iſta, ita intelligenda putent, quaſi tantum prohibeatur apoſtaſia à doctrina Chriſti & ſic etiam à ſocietate fidelium, tamen vel hunc ſolum, vel præcipuum eſſe ſenſum, verba non permittunt. Nam primum vox ἐπισυναγωγὴν, non tantum ſignificat ſocietatem, quæ ſit inter fideles, ſparſim etiam exiſtentes; ſed omnino ſignificat congregationem in unum aliquem locum, ſeu conventum publicum. Quare jubentur fideles non relinquere conventus publicos. Adde quod autor ille dicit, quibuſdam id in more fuiſſe poſitum, ut relinquerent iſtam congregationem, quod ſignificat eoſdem crebro id factitaſſe. At non eſt veriſimile, aliquos fuiſſe, qui crebro committerent, ut, nunc ad eccleſiæ ſocietatem accederent, nunc recederent, idque frequenter. Denique, quòd oppoſitio hujus relictionis, & finis iſtius congregationis, ſatis indicet, non tantum de ſocietate, quam omnes fideles inter ſe colunt, hic ſermonem eſſe; ſed de conventibus quos Chriſtiani inter ſe agitent. Nam verbis illis, *Non relinquentes congregationem veſtram mutuam*, opponuntur illa, *Sed adhortantes* nempe vos mutuo, id quod tum omnium commodiſſimè & uſitatiſſime fit, cum pii inter ſe conveniunt, & res ſacras, unà tractant. Quin etiam verba ſuperiora ℣. 24 *Sed conſiderantes alii alios, ad incitationem charitatis & bonorum operum*, quibus ſubjungun-

tur illa, *Non relinquentes* ſatis indicant, iſtum in finem hanc congregationem, cujus poſtea fit mentio, inſtitui debere, & ſic à nemine relinqui, quia nimirum hoc pacto alii aliorum mores inſpicere, & ſe mutuò incitare poſſunt ad charitatem, aliaque bona opera exercenda. Plura hac de re dici poterunt in ſequentibus, ex quibus facile erit colligere, idem ſi non expreſſis verbis, tacitè tamen, quamquam non ita obſcure, quin quivis id intelligere queat, idem eſſe præceptum.

Quod ad alterum caput attinet, duo imprimis ſunt, quæ non niſi in publicis conventibus à piis peragi poſſunt, aut debent; quorum alterum eſt, cœnæ dominicæ celebratio, de qua Paulus ait, in ea commemorationem eſſe corporis Chriſti, quia unus panis, unum corpus, multi ſimus, quandoquidem uno pane participemus, ſatis aperte indicans, cœnam dominicam, à pluribus vel omnibus Chriſtianis, qui ſimul vivant, celebrari debere. Aliàs enim non poſſet ex illo cœnæ Dominicæ ritu, iſta communio Chriſtianorum apparere, non magis quam ex aliis, quæ quivis ſeparatim facit. Adde, quod ibi vult, ut cum cœnam dominicam volunt celebrare, alii alios exſpectent, nec ſeſe invicem præveniant. Ne quid dicam de illis verbis, *Congregatis igitur vobis, non eſt id cœnam dominicam comedere, &c.* in quibus pro conceſſo ſumit Apoſtolus, cœnam Dominica in congregatione ipſorum haberi ſolitam. Alterum eſt, quod eccleſiæ ſit hoc officium, ut illos qui peccant enormiter aut inordinatè ambulant, à communione ſua ſegreget, & à conſortio illorum ſe removeat. Quin etiam ſi frater offenderit fratrem, ad rem illam cognoſcendam, & eum qui peccaverit, ac privatim non reſipuerit corrigendum, ut Chriſtus loquitur, ſit parata: quod fieri non poteſt, niſi conventus publici, & quidem uſitati habeantur, cum poſſint tales cauſæ, præſertim in frequentiori cœtu creberrimè incidere, niſi quis dicat, per legatos, aut per literas, debere hanc rem peragi, quod nemo cordatorum dixerit, & communis ratio atque uſus in ejuſmodi rerum genere, contrarium docet. Quomodo enim ſinguli, præſertim in frequentiori & numeroſiori cœtu, ſeparatim cauſas audire & defenſionem ſi ea ſit opus, cognoſcere queant; quomodo item, ſi diverſitas ſententiarum oriatur, res commodè diſceptari, & argumenta inter ſe conferri; quomodo denique, una eademque ſententia, ab omnibus generatim ferri poteſt. Nulla judicia in ulla Repub. quæ quidem à pluribus debent haberi, à ſingulis ſeparatim exercentur. Ratio omnes gentes docuit, judicium in unum convenire debere; quod idem in aliis ſuffragiis fieri videmus. Huc refer locum Matth. 18. ubi etiam poteſtas quædam datur eccleſiæ ligandi & ſolvendi, & promiſſio additur, ratum id fore, in cœlis, quod ipſa in terris concluſerit. Refer huc locum 1 Cor. 5. ubi tum de inceſto iſto, ex eccleſiæ medio tollendo & quidem in unum collectis agitur, tum de aliorum qui fratres appellantur, ſed in peccato aliquo hereant, vitando conſortia: quæ omnia ad eccleſiæ totius judicium pertinent, & in conventibus publicis, agitari debent. Huc pertinet, quod Timotheo Paulus præcipit 1 Tim. 5. 20. ut peccantes nempe presbyteros coram omnibus arguat, ut & reliqui timorem habeant. Quomodo autem id fieri poteſt, niſi omnes conveniant. Alia nonnulla, quæ huc referri poſſent, in tertio cap. videbimus, ad quod nunc accedimus, in quo fructus iſtorum conventuum publicorum, nobis ſunt conſiderandi. Fructus autem illi, trium ſunt generum. Quidam enim ad Deum Chriſtumque pertinent. Quidam ad ipſos fideles. Quidam denique ad extraneos, ſeu à veritate alienos. Quod ad primum genus fructus attinet, nemo non videt illuſtriorem quandam ad Deum redundare gloriam, ex publicis religionis exercitationibus quæ & à multis ſimul agitantur, ac omnium oculis ſint expoſitæ, quam ex privatis ſingulorum, quæ ſæpius tegendæ potius ſint, quam oculis omnium exponendæ. Quanquam enim ex illis quoque Deo proficiſcitur gloria, multum ei rei decederet, ſi publici cœtus non habe-

haberentur. At ſi publicæ religionis exercitationes, cum privatis conjungantur, tum demum hac in parte, plena ac perfecta erit, divini nominis celebratio.

Quod ad alterius generis fructus attinet, qui ad ipſos fideles ſpectant, iis ſunt ſanè plurimi. Primum autem locum obtinere poteſt inter eos, ille, qui verbis Chriſti, Matth. 18. 20 exprimitur, ubi Dominus Jeſus promittit, ſe ubi duo aut tres congregati fuerint, in ipſius nomen, in eorum medio fore; quod ut omnes intelligunt, nihil eſt aliud, quam cum ſingulari quadam gratia favore, & auxilio iis adfuturum; qualem ſingulis fidelibus, ordinariè, non præſtet; nempe, ſi cætera ſint paria. Nam alioquin fieri poteſt, ut uni alicui valde pio, magis adſit Chriſtus, licèt ſoli, quàm aliis duobus aut tribus, pluribuſve, quorum omnium pietas, etiam juncta iſtius ſolius pietate minor eſt, & minor erga Chriſtum amor, & gloriam ejus fervor. Duo autem ad hanc Chriſti præſentiam, potiſſimum pertinent; nempe donum Spiritus ſancti, quod tunc in ſuos Chriſtus ſolet effundere, idque vel immediatè in ſingulorum animos, vel ita ut eos qui cœtui præſunt, eum docent, ac regunt, cœleſti iſti dono primò imbuat, ut ex iis tamquam ex fonte aliquo, rivi aquæ viventis, ad reliquos omnes manent, & ſic omnes iſto Spiritu potent. Deinde Angelorum à Chriſto emiſſorum præſentia & cuſtodia, piis circumpoſita, ne vel Satanas, ille malus, ut aliàs ſemper, ita tum maximè intentus, cum pii id agunt, quod ipſi maximè diſplicet, vel mali homines, vel aliud aliquod incommodum, illis noceat. Unde Paulus etiam vult, ut mulieres in eccleſia, capita tegant, propter angelos. Quanquam haud ſcio, an plus hac in parte præſtent angeli, quam ut fideles tantum à periculis externis cuſtodiant, & non potius aliquid amplius, ad ipſam religionem pertinens, præſtent piis. Nam ſi Satanas homines ad mala incitare, & impias cogitationes in illorum cor injicere poteſt, quemadmodum de Juda legimus, cur non boni angeli, bonas injicere queant, aut cur Deus ac Chriſtus, illorum hac in parte opera non utatur, cum is ubi ordinaria adſunt media, extraordinaria adhibere non ſoleat; qua de re nunc non eſt amplius diſſerendi locus.

Secundum locum, inter fructus illos obtinet, quod divinum verbum ab omnibus audiri poſſit, unde omnes fidem, vel in ea incrementum acquirere, & ad omnis generis pietatem, excitari poſſunt. Nam ſi dicas, Poſſe quemlibet privatim divinum verbum legere, primò non animadvertis, id non poſſe ab omnibus præſtari, nec etiamſi præſtetur, eodem fructu præſtari plerumque ſolere. Etenim plerique ferè in eccleſia, rudiores eſſe ſolent, qui ipſi, vix ea ex S. L. ſatis poſſunt colligere, quæ ad ſalutem prorſus ſunt neceſſaria, nedum ut alia, ad eam valde utilia, ſpontè ſua inde colligere queant; & fieri vix poteſt, quin ſi ſinguli ſeorſim S. tractent Literas, & neminem in conſilium adhibeant, in varios errores, utut tandem ſaluti perſe non noxios, noxios tamen aliquomodo non incidant. Adde, quòd viva vox, plus videatur habere efficaciæ, præſertim quando dicentis accedit fervor, devotio ac religio, quæ verbis, ſpiritum & animam quandam indit, quam eadem, tantum lecta, & hunc fervorem, auditorum quoque frequentia, & devotio in omnium vultu apparens, imprimis autem ſuſpiria ad Deum Chriſtumque pro dicentibus miſſa, divinumque auxilium, illis cœlitus ſuppeditatum, facillimè extitare poſſunt. Quare vel hac ipſa de cauſa, longe ſatius eſt conventus eoſque quantum fieri poſſunt numeroſiſſimos, quam creberrimè frequentare. Et ſanè ſi quis tum Chriſti, tum Apoſtolorum exempla conſideret, videbit illos frequentes cœtus agitaſſe, & conciones ad eos qui confluerent, aut ad ipſam eccleſiam habuiſſe. Quin etiam Paulus ita ſæpe in epiſtolis loquitur, ut omnino pro conceſſo ponat, conventus in eccleſiis haberi, & in iis res divinas tractari. Quo pertinet illud, quod 1 Cor. 14 docetur, de donis ſpiritualibus, imprimis verò de prophetiæ dono, itemque linguarum, & earundem interpretationibus, in eccleſiæ utilitatem conferendis, deque cœtu erudiendo, conſolando, hortando, ut alia jam loca præteream. Huc etiam pertinet, quod prohibet, ne mulieres in eccleſia doceant, itidem pro conceſſo ponens, eccleſiam convenire & debere & ſolere, & in ea eſſe debere, qui doceant: quæ res ita manifeſta eſt, ut probatione nulla indigere videatur, poteſtque hæc res annumerari iis quæ ſecundo loco expoſuimus, nempe quæ ſine conventibus publicis, rectè exerceri nequeant. Adde huic quod eccleſia univerſa donis ſingulorum quæ in eccleſia ſunt, iis divinitus, ad eccleſiæ totius ædificationem conceſſis perfrui vel plane non poſſit, vel vix ac ne vix quidem poſſit, niſi conventus iſtiuſmodi agitentur, ubi omnes ſuo loco ac tempore dicere, & cœtum erudire, atque inſtruere queant. Atqui Deus, non ideò largitur ſingulis dona peculiaria, ut iis ſinguli tantum perfruantur, ſed ut omnes, qui inſtar ejuſdem corporis membra ſunt, quorum alterum alteri ſuccurrere, omnia autem totius corporis uſui, ſervire debent. Qua de re prolixè Apoſtolus 1 Cor. 12. & Rom. 12.

Tertium locum obtinet id, quod autor ad Hebr. cap. 10. ut ſupra vidimus, pro fine quodam ponit congregationum publicarum, nempe, ut alii aliorum vitam moresque inſpiciant, ſeſe mutuò ad officium faciendum cohortentur, reprehendant, corrigant, conſolentur, confirment, erudiant ac inſtruant, quo inter alia multa pertinet præceptum Apoſtoli 1 Theſſ. 5. 14. At niſi frequentes, omnium habeantur conventus, nec facilè, quid alii agant reſcire, nec eos ita commodè emendare, & prout opus eſt, caſtigare, ad frugemque reducere poſſumus, neque etiam ita commode conſolari & confirmare.

Quartò. In publicis conventibus, alii etiam aliorum exemplo, ad religionem, devotionem, ac pietatem majorem excitari poſſunt, & cum ſinguli pii, aliquid ferè habeant peculiare, quo præ cæteris emineant, ex ſingulis aliquod diſcere, & ad omnia præclara, hoc pacto excitari quiſque fidelium poteſt.

Quintò. Conventus iſti, mutuam concordiam & amorem, qui inter pios, tamquam ejuſdem corporis membra, ſervari debet, imprimis alunt, ac fovent. Quod ſi congregationes illas tollas, facile concordiam quæ inter fideles ſervari maximè debet, & quæ diſcipulorum Chriſti nota eſt, & eccleſiæ veluti ſpiritus, convelles, & ſic ipſam quoque eccleſiam diſſolves, ac deſtrues, non ſecus ac ſi corporis membra ſeparares. Recte olim dictum eſt, τὸν ἀπροσηγορίαν ſeu ſilentium, multas amicitias diſſolviſſe, & Philoſophi docent, imo ipſa quoque experientia, convictum, amicitias retinere, eoque ſublato, illas quoque concidere. Quare idem continget amicitiæ & ſocietati illi, quæ inter pios eſſe debet, ſi crebrò non conveniant, & ſecum non colloquantur, ac converſentur. Nam ſi dicas per literas aut internuncios id fieri poſſe, vix eſt cur reſpondeamus, cum nec omnes nec facilè, nec eodem fructu, nec ita frequenter id præſtare queant, niſi conventus illi agitentur.

Sextò. Communibus conſiliis & auxiliis ſæpiſſimè opus eſt, tum ad gloriam divinam promovendam, tum ad aliorum ſalutem curandam, tam ad pauperes, ægrotos, alioſque ſublevandos, quorum nil rectè, aut commodè, niſi conventus illi habeantur, perfici poteſt.

Septimò. Ipſi quoque fideles, cum unà ſunt, communes preces de certa aliqua re concipere, & id facilius quod petunt, à Deo Chriſtoque ſecundùm promiſſum ipſis Matth. 18. 18 impetrare poſſunt, qui fructus, vel inter præcipuos numerandus eſt. Quo pertinet etiam, ſingulorum fratrum commodum, qui alios omnes ad preces pro ſe ad Deum fundendas, excitare facilius poſſunt.

Octavò. Ipſi illi, qui eccleſiam docent, hoc pacto, ad diligens in officio faciendo ſtudium, excitari poſſunt, & ſic à ſegnitie, quæ omnibus facilè obrepit, prohiberi. Excitat enim auditor ſtudium, non facilè autem dici poteſt, quantum damnum ad eccleſiam redunder, ſi doctores ac miniſtri eccleſiæ ſegneſcant. Idem enim

vitium, facillimè ad totum cætum manat, cum ad eorum exemplum, totus cætus componatur facillimè. Contra autem maximum redundet ad eccleſiam commodum, ſi doctores & paſtores eccleſiarum lectioni ut Timoth. hortatur Apoſtolis, ac doctrinæ, diligenter incumbant, & quod ſimul etiam iſtorum conventuum, ope, perfici poteſt, ipſimet in officio contineantur. Hoc enim pacto, ut Apoſtolus ait, & ſeipſos ſervant, & eos qui illos audiunt. Hoc idem tranſferri poteſt ad omnes qui aliquod in eccleſia munus gerunt. Nam neſcio quo pacto, omnes ferè, negligentius facimus officium, cum nullus eſt officii exactor, & metus omnis reprehenſionis abeſt. Is verò non aberit, ſi crebri conventus inſtituantur, in quibus ratio officii ab omnibus exigatur.

Quod ad extraneos attinet ad eos ex iſtis conventibus, magna redire poteſt utilitas. Quia hoc pacto, facilius omnes verbum Dei audire, cum viris piis, & divinorum myſteriorum gnaris colloqui; illorum fervore, religione, ac pietate in Deum ad eorundem virtutum imitationem excitari facilius queant: Poteſtque huc jure referri illud, quod generatim, de omnis generis pietate dictam eſt, *Luceat lux veſtra coram hominibus ut videant*, &c. Ne de eo nunc quidquam dicam, quòd in publicis conventibus facilius etiam à multis, de eorum ſalute conſilium capi, & cura ſuſcipi poteſt.

Dicet hic aliquis. Præceptum illud, quod ſupra exſtare diximus ut & cætera eum quæ præcepti vim habent, ad eos tantum ſpectare, qui eodem in loco habitant, vel ſaltem ita ſunt inter ſe vicini, ut facili negotio convenire inter ſe queant.

Reſponderi poteſt. Præceptum illud, proculdubio omnes illos comprehendit, qui id quod præcipitur, præſtare poſſunt & ad eam rem, occaſionem, & adjumenta, qualia in humanis requiruntur habent. Quare, ſi qui ita diſſiti ſunt inter ſe loco, ut licet aliquanto difficilius illis accidat, ut unà ſint, tamen ſi id fieri queat, ita nempe ut res humanæ ferunt, omnino illi curare debent, ut inter ſe conveniant, & tantò crebrius, quantò vel commodius id facere poſſunt, & magis ea re indigent, aut vel gloria divina, vel ipſorum, vel aliorum ſalus ac neceſſitas id poſtulat. Minus tamen crebri conventus ab iis exiguntur neceſſariò, in quibus contraria locum habent. Proportio enim hic inſtituenda eſt inter eos qui convenire debent, tum ratione commoditatis id perficiendi, tum ratione neceſſitatis aut utilitatis, quæ duo non ſemper æquali paſſu ambulant, ita ut nonnunquam is, qui longius verbi gratia habitat, magis ea re indigeat, ut crebro frequentet cœtum, quàm is qui propius. Commoditas autem illa, non tantum exlonginquitate & propinquitate æſtimanda eſt, verum etiam ex aliis adjumentis & impedimentis quæ hic aliquid habeant momenti. Poteſt autem nonnunquam is qui remotior eſt facilius frequentare cætum, quàm is qui propior eſt, vel quia valetudo firmior eſt; vel quia res familiaris, cæteraque negotia, id facilius admittunt. Interea omnibus cogitandum eſt, He rem gratiorem Deo facturos, & tanto majorem fructum ex ſuo labore percepturos, quanto majori cum difficultate id fecerint.

Quæri hic poteſt. Quid tum faciendum foret, ſi in locis admodum vicinis exempli gratia, duobus aut tribus milliaribus à ſe diſtantibus, plures ſint miniſtri, qui ſuis quiſque locis poſſent conventus aliquos, licet non ita ſolennes inſtituere, & extraneos etiam ad ſeſe admittere. Hic primum dicendum eſt. Niſi ſinguli illi conventus, qui in diverſis locis habeantur, ita ſint frequentes, ſeu ratione perſonarum numeroſi, ut pro ſolennibus habendi videantur, etiamſi fortè non ſit ſimpliciter neceſſarium, ut plures illi cœtus inter ſe conveniant, tum ſi quis rationes ſuperius allatas diligentius perpendat, facilè videbit, valde utile, imò propemodum neceſſarium eſſe, ut illi cœtus, certis temporibus, de quibus inter ipſos convenerit, & quam creberrimè fieri poteſt, inter ſe coëant, & celebriores conventus agitent, præſertim ad cœnæ dominicæ celebrionem, quin etiam ad diſciplinam, tantò majori cum gravitate & fructu exercendam, maximè cum de iis agitur, qui autoritate aut opibus, in eccleſia aliqua excellunt, qui facilius in eccleſia numeroſiori à multis, qui ſapientia & autoritate pollent, coërceri, & in officio contineri queunt, quàm à cœta quodam exiguo, præſertim eo, cui ipſi præſunt, aut qui ab illis ferè totus pendet, quales ſunt patroni & miniſtri, tum denique ad conſilia publica, quæ poſſunt eſſe varia. Nam quemadmodum omnium eccleſiarum inter ſe, debet eſſe aliqua conjunctio, & ſocietas ſpiritualis quæ uſu ipſo exerceatur, ita proportione multò major debet eſſe conjunctio inter eccleſias viciniores, præſertim exiguas, quum ut ita loquar ſint mobiles, & propè totæ ex uno loco in alium migrare, queant; & quemadmodum ii, qui in eodem planè loco vivunt, in unum cœtum coire debent, niſi fortè ipſe numerus ſuperet, ita ut in eadem etiam urbe, plures conſtitui debeant eccleſiæ, ita etiam habita ratione analogiæ, plures cœtus privatorum, & exigui, qui ſingulis perſonis aliquando reſpondent, in unum cœtum, ſi id fieri queat convenire debent, habita ratione, ut ſupra diximus, tum commoditatis ſeu facilitatis, tum utilitatis, neceſſitatiſque. Qua in re, variæ circumſtantiæ ſunt obſervandæ. Primò ergo, ut diximus Synaxis illa ſacra, ſeu cœnæ dominicæ celebratio, & quæ cum hac conjuncta eſſe ſolent, crebrò unà eſſent peragenda, v. g. tertia, aut quarta quaq; ſeptimana. Deinde ſi id fieri queat, etiam viciniores cœtus, ſingulis ſeptimanis ex pacto inter ſe convenire poſſent, & nunc hîc illum, nunc ille hunc adire; quo tamen tempore videndum eſſet, ne nimis multi cogerentur in loco aliquo ſubſiſtere, & auditu verbi divini carere; qui ſi domi maneret loci miniſter, eo poſſent uti. Præterea cœtus minus numeroſus, aut etiam ubi major eſſe poteſt aliorum ædificatio, aliquomodo cedere debent, ut jam alias circumſtantias omittam, quæ ad commoditatem itineris faciendi, aut cœtum cogendi pertinent, quæ generatim definiri vix queunt, eaſque prudentia moderari debet.

Tertium eſt, de tempore anni, quo proficiſci ſolerent, Hieroſolyma, nempe feſto paſchæ, de quo legatur Exod. 12. Hoc autem loco, cauſa reddi poteſt, cur deus voluerit, ut omnes Iſraëlitæ, quotnanis unum in locu inter convenirent, ad feſtum, Hieroſolymę agendum. Videtur autem id feciſſe Deus, imprimis ad unitatem religionis ac cultus divini, & ſic etiam ejuſdem puritatem conſervandam; deinde ad concordiam totius populi, politicam & civilem, & quæ inde naſcitur, fœlicitatem, quæ ea nititur alendam. Quod de unitate diximus, id ex ſuperioribus quoque facile conſtare unicuique poteſt, & patet exemplo contrario, nempe ex facto Jeroboami 3 Reg. 12. 26. & ſeq. qui cum vellet regnum ſibi reddere firmum, & prohibere, ne tribus decem, quibus ipſe præerat, cum reliquis duabus denuo conjungerentur & eundem eligerent regem, ex familia Davidis, effecit, ne populus amplius Hieroſolymam ad feſta iret; ſed alia illis deſignavit loca, eaque duo tantum, in quibus populus ille indiverſis partibus conveniret, videmus quæ ab eo tempore, & religionis & Reipub. unitatem, ita fuiſſe diſſolutam, ut nunquam poſtea coiverit. Quod autem ad religionis puritatem attinet, ea faciliùs inter multos ſervari poterat, quam inter paucos ſparſim ſacra foveri, poſtquam jam vera religio, toti populo eſſet tradita. Nam facilius eſt paucos corrumpere, & à vera religione deducere, quam multos, aut omnes, qui communia ſacra habeant, quemadmodum Ariſtoteles, de Repub. populari ait, eam ſtabiliorem eſſe, & conſilia ferè minus corrupta, quam cum pauci rerum potiuntur, & ait quemadmodum aqua magna, quale eſt mare difficilius corrumpitur, quam parva, ita etiam populum magnum, quam parum. Adde quòd hoc pacto, major eſſe poterat, religionis iſtius, ſeu cultus ceremonialis reverentia, ſi non in diverſis obſcuriſque locis, ſed in

unico

unico tantum loco celeberrimo, ad quem exornandum omnes, opes ſtudiaque ſua conferrent, quemque omnes frequentare cogerentur, perageretur, qui ob ſuam imperfectionem facile potuiſſet evileſcere, niſi ſplendor ille & magnificentia acceſſiſſet. Huic adde, quòd hoc pacto, omnis ſacerdotum & Levitarum ordo, uni loco ſerviens ac miniſtrans, multum majeſtatis, & loco & cultui divino addere poterat, quod factum non fuiſſet, ſi populus potuiſſet, diverſis in locis, ſacra privata, aut ſaltem minus ſolemnia peragere. Ut nunc illud taceam, quod longe major futura fuiſſet, in ſacerdotum ſorte inæqualitas, ſi in diverſis locis, ſinguli primitias, victimas, oblationeſque contuliſſent. Nam omnibus iſtis rebus, quæ ad ſacerdotum victum & ſuſtentationem pertinebant, in unum locum collatis major poterat eſſe inter omnes hac in parte æqualitas.

Hinc colligi poteſt, etiamſi non ſint ſub N.Fœd. fixa aliqua, certaque tempora, præſertim in perpetuum, à Deo conſtituta, quibus omnes Chriſtiani convenire debeant, (hoc enim non erat naturale, ſed planè poſitivum) tamen quia naturalis aliqua ſubeſt ratio, qua conventuum iſtorum utilitas ac neceſſitas oſtenditur, hinc patet, Chriſtianos ipſos, vehementer decere, ut ipſi pro commoditate & uſu, certas aliquas & maximè ſolennes inſtituant congregiones ſeu Synodos, ad quas, totius alicujus ſi fieri poſſit regni incolæ, aut ſaltem præcipua ſingularum eccleſiarum membra, conveniant. Ita enim charitas & conjunctio omnium eccleſiarum, quæ ſunt inſtar magnorum, magni alicujus corporis membrorum, facilius conſervari poteſt, quæ abſque his tandem prorſus exoleſceret. Quin etiam gloria divina, hoc pacto facilius promoveri, communibus omnium conſiliis & auxiliis, eam in rem collatis, aliæque eccleſiæ ab aliis facilius curari, & adjuvari queunt, & exorientibus malis aut erroribus occuri, ac præterea ſi ſemel divina veritas omnium animos occuparit, facilius hoc pacto religionis puritas, & inter omnes de ea conſenſus, retineri poteſt. Veriſimilius enim eſt, eos à ſe diſſentire, qui de religione inter ſe nunquam colloquia inſtituant, & communia ſacra peragant, quàm qui id faciunt. Quanquam non eſt diffitendum, errores etiam hoc pacto, facilius ſtabiliri poſſe ac ſolere, ita ut hac quidem in parte, conventus illi, errantibus eccleſiis, quodammodo ſint perniciosi. Dico, quodammodo; quia etiam poſſunt eſſe ſalutares, ſi nimirum deus excitet viros aliquos, qui univerſam iſtam Synodum, erroris admoneant, & veritatem edoceant. Itaque propter hunc abuſum, vel malum accidentarium, conventus iſti haud quaquam ſunt intermittendi; præſertim cum concordia, quæ eccleſiæ omnium maximè neceſſaria, & ejus anima eſt ac ſpiritus, hoc pacto firmari poteſt, ut antea diximus. Different autem iſtorum conventuum tempora, ſeu mavis feſta illa, non uno modo, ab ipſis legalibus. Primò enim, non tam fixa eſſe debebunt, quin pro arbitrio ipſarum eccleſiarum, mutari queant, prout uſus exegerit. Deinde, numerus etiam eorum, non erit definitus, ut in lege fiebat. Tertio, non omnes mares, ut in lege ad eas frequentandas neceſſario obſtringantur, præſertim, cum ipſi illi etiam conventus, non ſint ſimpliciter & omnino neceſſarii; ſed vehementer tantum utiles Maximè autem, illos celebrare decet iſtiuſmodi conventus, qui ſapientia & rerum gerendarum dexteritate, aliiſque donis, maximè excellunt, quique univerſos præ cæteris juvare poſſunt, tum eos qui ea re maximè indigent, vel habita rationæ ſuæ perſonæ, vel eccleſiarum in quibus vivunt, aut quibus præſunt. Omitto alias differentias, quæ circa feſta illa occurrunt, & ad celebrandi modum, ritus, ac ceremonias ſpectant. Nam, quidquid hîc naturale eſt, id ſolum debet eſſe firmum ac ſtabile, cætera, vel planè omitti debent, vel pro utilitatis ratione, nunc omitti, aut aliqua ratione mutari, nunc ſervari. Omitti ea debent, quæ ſpirituali cultui, qui conventuum iſtorum finis eſſe debet, obſunt, retineri ea quæ ſunt utilia, & ſi, nunc hæc, nunc illa ſunt utilia, ea protemporum ratione ſunt mutanda. Hujus rei occaſione conſiderandum eſt, qua de cauſſa leges ceremoniales, & ex judicialibus nonnullæ, Placita appellentur, cum tamen naturalis iis videatur ſubeſſe ratio, quamquam non omnibus æque. Placita autem illa dici merentur, quæ non naturali aliqua ratione nituntur, ſed tantum arbitrio conſtituentis, nempe ejus, qui poteſtatem legem aliquam ferendi habet. Hic nodus, ita poteſt expediri. Omnes leges, quas poſitivas vocant, jurè dici poſſe Placita, ſeu dogmata, licet eæ omnes ex utilitate aliqua pendeant, & ad uſum ſocietatis aut Reipub. alicujus, vel eorum qui Reipub. præſunt, interdum etiam privatorum aliquorum ſint comparatæ. Hæc enim earum natura eſt, ut tum ex jure civili, tum ex lib. 5. ethic. Ariſtot conſtat. Quo pacto decretum Auguſti, de univerſo orbe, qui nimirum Romanæ poteſtati eſſet ſubjectus cenſendo, aut deſcribendo, dogma appellatur Luc. 2. non quod nullam haberet rationem naturalem (utile enim erat cognoſcere, totius imperii vires, aut etiam fortaſſis facultates) ſed quòd ratio illa non eſſet planè cogens, nec ex perpetua naturæ ratione petita. Opponuntur enim leges poſitivæ naturalibus, quarum ratio perpetua in ipſa natura eſt defixa, ita ut eas mutare ſine ſcelere aut delicto aliquo, nemo poſſit. At nihil peccaſſet Auguſtus, etiamſi decretum iſtud non tuliſſet, licèt aliquam utilitatis partem neglexiſſet. Idem dicendum eſt, de legibus ceremonialibus, quæ licet ratione aliqua nitantur, tamen ea numque eſt perpetua, & in ipſa natura ita defixa, ut leges iſtas planè ferre cogat, ita ut ad leges eas figendas, omnino accedere debeat arbitrium, ac voluntas, conſtituentis. Unde jam jure dogmata ſeu placita appellantur; quia nimirum niſi id videatur, aut placeat ei, qui pietatem habet, alios lege obſtringendi, eæ neminem obſtringant, ſed in cujuſque arbitrio ſint poſitæ. Sed deinde, inter ipſas leges poſitivas, magnum eſt diſcrimen. Aliæ enim, ad naturales propius accedunt, aliæ ſunt ab illis remotiores, & illæ quidem firmioribus nituntur rationibus ac naturæ propioribus; unde fit ut in illis non tanta ſit in diverſis locis, regionibus ac provinciis, aut urbibus, aut etiam in eodem loco, diverſis temporibus varietas. Hæ verò majorem varietatem admittant, & minus ſint conſtantes. Prioris generis, multæ ſunt judiciariæ leges, apud Moſen, quibus etiam in Romano jure, & aliarum etiam gentium legibus, non paucæ ſunt ſimiles; his adde ceremonias quaſdam, ſed pauciores. Poſterioris autem generis pleræque fuerunt ceremoniæ, quæ adeò longe, à legum naturalium conditione diſcedunt, ut nonnunquam vix ratio aliqua naturalis pateat, cur eæ ſint conſtitutæ, ita ut robur iſtarum legum, totum cenſendum ſit, in conſtituentis arbitrio ac voluntate eſſe ſitum, & hæ leges, καθ' ἐξοχὴν dicuntur placita, earumque ratione, populus Iſraëliticus, præcipue fuit ſegregatus ab aliis gentibus. Animadvertendum autem præterea eſt, nonnunquam rem ipſam, magis ex natura & ratione certa pependiſſe; modum autem ac circumſtantias ac tempus, magis ex arbitrio conſtituentis, nonnunquam etiam contra, quod nunc prolixius perſequi non eſt opus.

Hactenus Lucas, generatim deſcripſit profectionem parentum Chriſti Hieroſolymitanam, ſequitur ut ſpecialem deſcriptionem videamus, quæ continetur ℣. 42. in quo itidem tria continentur. 1. Tempus, 2. Ipſamet profectio. 3. Cauſa impulſiva. Primum eſt ibi. *Et cum factus eſſet puer Jeſus, annorum* 12. Hoc loco quæri poteſt, cur nihil de Chriſto habeamus deſcriptum, ab ejus in templum oblatione, fugaq; in Ægyptum, & exinde reditu, uſque ad annum ipſius 12. & inde iterum uſque ad annum circiter trigeſimum, cum munus ſuum obire cœpit. Cauſa autem hæc eſſe videtur potiſſima, quòd nullæ adeò inſignes Chriſti actiones, aut Dei circa illum, per illud tempus apparuerint, ut in hiſtoria ſacra, ubi nil niſi divina ac Chriſti majeſtate digna referri inſtituerunt viri divini, commemorari merentur; præſertim cum alia eſſent longe majora, ut miracula, de quibus Johannes, cap. ultimo & penultimo,

quæ tamen prolixitatis cauſa, fuerunt omiſſa, cum cætera ad Chriſto fidem habendam, & ejus doctrinam quantum ſatis erat cognoſcendam ſufficerent. Nam etſi certum eſſe debet, ut ex ℣. ult. hujus cap. ut poſtea videbimus, ſatis apparet, totam Chriſti vitam fuiſſe laudabilem, & in eo ſapientiam etiam quandam ſingularem apparuiſſe, tamen quia Deus aliquo pacto ipſe videtur ejus dignitatem tum occuluiſſe, quæ poſtea eſſet apparitura, ut ne Johannes quidem Baptiſta eum antea, quam Deus certo argumento ipſi oſtenderit, noſſet, ut ſic munus poſtea ſuum obire incipiens, & planè novus inaudita ſapientia ac potentia divina præditus, in conſpectum omnium prodiens, probis quidem & verè cordatis, tanto eſſet admirabilior, & tanto facilius à Deo veniſſe crederetur; improbis verò occaſio quædam daretur offenſionis, quòd is qui antea inter vulgares homines fuiſſe videretur, poſtea tamen novam doctrinam proponere auderet, & tantam ſapientiam præ ſe ferret, quod in patria ipſius potiſſimum accidiſſe legimus. Quia inquam, hoc Dei conſilium fuit, apparet in eo non apparuiſſe facta tum illuſtria & notabilia, quæ hic commemorare eſſet neceſſe. Et certè ſi talia apparuiſſent, præſertim crebra ac manifeſta, vix fieri potuiſſet, ut in patria ſua ita eſſet contemtus, ut ei objiceretur: *Nonne hic eſt ille fabri filius?* vel ut alicubi legimus, faber; unde huic iſta ſapientia? & ſi quæ ſunt ſimilia. Adde quod ita ferè homines ſunt comparati, ut plerumque ea qua maximi ſunt momenti, vel prætereant, vel minoris faciant, ac minus diligenter conſiderent, quam ea, quæ longè ſunt minora; facile etiam fieri potuiſſet, ut ſi Chriſti facta, vel in pueritia, vel in juventute, pleraque fuiſſent deſcribta, majori diligentia cognoſcerentur atque adeò etiam præferrentur iis, quæ ab eo tempore geſſit, ex quo munus ſuum obire cæpit ad ſalutem nimirum, vere pertinentia. Quin etiam, ſi quid tale de illo fuiſſet ſcribtum, quod imitari aliquomodo potuiſſemus, etiamſi tandem id per ſe, ad religionem non pertinuiſſet, homines ſuperſtitioſi, facilius, ad earum rerum imitationem ſe compoſuiſſent, quam ad ſequenda, in quibus revera Chriſtus ſe nobis imitandum propoſuit. Videmus ſanè, quantopere mundus hac in parte deſipuerit, qui cum ſemper velit, puerum atque infantem agere, non potuit in hiſtoria Chriſti virili conquieſcere, ſed pueriles, pueritiæ Chriſti hiſtorias, nobis procudit, & non ſine veneratione quadam & delectatione complexus eſt: quid tum futurum fuiſſe putamus, ſi divini ſcribtores, quorum auctoritas ſacroſancta eſt, hiſtoriam pueritiæ, adoleſcentiæ, ac juventutis Chriſti retuliſſent, annon putamus, facilè eam reliquæ hiſtoriæ præferre potuiſſe. Sed hæc nunc ſufficiant.

Ipſa profectio, quàm ſecundo loco, in hoc verſu expreſſam diximus, eſt in illis verbis: *Aſcendentibus illis Hieroſolymam*, ubi nil occurrit notatu dignum; ſiquidem, id in ſuperioribus jam eſt explicatum. Cauſa impulſiva, eſt in illis *ſecundum conſuetudinem feſti*, &c. hoc eſt ita exigente ritu iſto feſti Paſchatos, à Moſe deſcribto, & à populo Judaico recepto. Nam conſuetudo, interdum ſumitur pro ritu ut Act. 6. 14. fortaſſe ideò, quia in conſuetudinem, vel abeant, vel abire debeant, vel etiam ſimpliciter, quia externa facta, non habita ratione crebræ iterationis, aut publicæ conſuetudinis, mores Latinè, Græce ἔθη appellari ſolent. Quod ſi velis accipere hoc de conſuetudine ipſorum Chriſti parentum, qui feſti illius tempore ire ſolerent Hieroſolymam, non admodum repugnaverim; ſed illud tamen malim.

Hæc de prima loci parte. Sequitur altera, in qua narratur quid Dominus Jeſus Hieroſolymæ dixerit feceritve, & quid ejus rei occaſione, parentes. Primò ergo de factis Chriſti agendum eſt; deinde dictis, in quibus factorum ſuorum rationem reddit, eaque defendit. Facta autem duo imprimis ſunt. 1. Quòd Hieroſolymæ inſciis parentibus remanſerit. 2. Narratur etiam, qua re per illud tempus, fuerit occupatus. Prius narratur ℣. 43. ubi tria conſideranda; tempus, quo Dominus Jeſus ſubſtiterit Hieroſolymæ in verbis, *Et cum abſoluiſſent*, dies nempe feſti, *cum referterentur ipſi*, nempe parentes. 2. Ipſa Chriſti permanſio. *Remanſit puer Jeſus Hieroſolymæ* &c. 3. Modus, quòd ignorantibus parentibus id fecerit, *Et non noverunt*, &c. Antequam ad alteram factorum Chriſti partem tranſeat Lucas, ſubjungit ipſorum parentum Chriſti facta, quæ occaſione facti illius Chriſti contigerunt ℣. 44, 45. uſque ad medium ℣. 46. nempe verba, *& factum eſt, poſt dies tres repererunt illum*, &c. Primus autem effectus parentum Chriſti eſt, quòd venerint, hoc eſt iverint dici iter, nempe domum verſus; qui effectus illuſtratur, à cauſa impulſiva; nempe quòd putarent eum eſſe in comitatu, ubi poteſt aliquid dici, quod ad excuſationem parentum Chriſti pertineat, qui aliàs negligentiæ videntur fuiſſe accuſandi, quod diligentiorem curam filii non geſſerint, nempe quia cum haberent alios ex civitate ſua comites, & quidem cognatos ac familiares, ut ex ſequentibus verbis apparet, nil dubitarent, quin Chriſtus, cum ſecum non eſſet, inter cæteros comites ac conſanguineos ſaltem eſſet, neque enim illis in mentem venerat ſuſpicari, eum ſponte ſua aliò iviſſe, aut poſt parentes alicubi reſtitiſſe. Secundus effectus eſt, Quòd inquiſierint *Jeſum inter cognatos & notos*. Tertius, Quòd reverſi fuerint Hieroſolymam, qui effectus illuſtratur itidem à cauſa impulſiva; nempe quod filium non inveniſſent, tum à fine, qui etiam novi effectus rationem habet, in verbis *quærentes eum*. Quartus, vel ſi mavis. Quintus, qui ex ſuperiori aliquomodo pendet, eſt, Quod Jeſum reperiant, qui illuſtratur a circumſtantia temporis & loci. Temporis, *factum eſt poſt dies tres*. Loci, *In templo*: quanquam hæc poſteriora verba, ad ſequentia quoque referri poſſunt.

Videamus jam alteram partem factorum Chriſti, hoc eſt, Qua re Dominus Jeſus, poſtquam Hieroſol. permanſiſſet, fuerit occupatus. Id autem exprimitur ℣. 46. & ſeq. 47. & initio 48, ab effectis illuſtratur. Occupatio illa fuit, Quod in templo ſederit in mediò doctorum, & audierit illos, eoſque interrogaverit. Ex ſequenti autem verſu apparere videtur Dominum Jeſum, etiam reſpondiſſe ad quaſdam doctorum, ipſius fortaſſe ingenium & profectum explorare volentium, quæſtiones. Dicitur enim quòd auditores mirati fuerint ipſius intelligentiam & reſponſiones. Nam hoc loco, durum videtur, reſponſiones ſumi pro interrogationibus, quas Chriſtus ad doctorum illorum dicta, interrogationeſque attulerit, niſi fortaſſe cenſendum ſit Do. Jeſum interrogando quodammodo ad quædam doctorum dicta reſpondiſſe. Hinc duplex poteſt capi exemplum. Alterum ad eccleſiæ doctores pertinet, alterum ad auditores, & imprimis hoc quidem loco, ad pueros aut adoleſcentes. Iſtud eſt, ut doctores in publicis eccleſiæ conventibus, res ſacras imprimis tractent, populo explicent, & ſi qui ſint, qui erudiri cupiant, & ſcrupulos quoſdam ſibi eximi, illos libenter audiant, iiſque reſpondeant. Hoc verò, quòd auditores ipſoſque etiam pueros & adoleſcentes, vehementer deceat, tractationi rerum ſacrarum ubi aliquid præclari diſcere poſſint inter eſſe, docentibus diligenter auſcultare, & ubi fieri poteſt, ſi quid non intelligant, de eo diligenter quærere. Effectus quibus factum hoc Chriſti illuſtratur, duo ſunt, alter in auditoribus Chriſti, alter in parentibus ℣. 47. *Obſtupuerunt autem omnes*, &c. Cauſa autem ſtuporis fuit, Intelligentia ac ſapientia Chriſti, in ſermonibus ejus lucens. Quæ res ad ſingularem Chriſti commendationem pertinet. Poſterior eſt initio ℣. 48. *Et videntes eum*, &c. ſcilicet parentes, *attoniti redditi ſunt*, &c. Ex quo obiter id notari poteſt, quod ſupra aſſeruimus ante hac quidpiam ita illuſtre, in Chriſto non apparuiſſe, aliàs admiratione rei non ita obſtupuiſſent. Hactenus Chriſti, ac parentum facta. Sequitur ut videamus dicta Chriſti, quibus factum hoc ſuum defendit. Ubi conſideranda imprimis tria. Primò occaſio iſtius defenſionis. Deinde ipſa defenſio.

ſio. Tertiò ejus conſequentia, vel effecta. Occaſio defenſionis fuit, interrogatio matris, qua à Chriſto, rationem facti requiſivit, & eum non obſcurè reprehendit, cauſamque indicavit, cur id minimè probandum eſſet, ab effectu petitam. Interrogatio ipſa, qua ratio facti exigitur, & Jeſus reprehenditur eſt, *Et dixit ad eum mater ipſius, fili, quòd feciſti nobis ita* &c. Cauſa interrogationis, & reprehenſionis eſt petita, ab effectu facti Chriſti, qui gravitatem illius arguere videbatur. *Ecce ego & pater tuus anxii vel cum dolore, quærebamus te*, &c. Reſponſiò ſeu defenſio ipſa continetur ℣. 49, cujus duæ ſunt partes. Primò enim ad rationem Mariæ & ſic poſteriorem ſermonis illius partem reſpondet. 2. Sui facti rationem reddit, & ſic ad interrogationem illius, ſeu priorem ſermonis illius partem reſpondet. Vel ſi mavis, Prius, aliquomodo factum parentum reprehendit, Poſtea, ſuum factum defendit, & rationem affert prioris dicti ſui. Primum eſt ibi, *Quid eſt quod* &c. quaſi dicat nulla erat cauſa, cur me ita anxiè quæreretis. Secundum in quo ratio hujus dicti, & ſuperioris facti Domini Jeſu continetur eſt ibi *An neſciebatis* &c. quaſi dicat facile poterat vobis in mentem venire, me debuiſſe Hieroſol. ſubſiſtere, & ea tractare, quæ ad Deum, quem patrem meum noſtis ſpectant, & in religionis negotio totum occupari, non verò ea prætermittere, & ab iis diſcedere, quæ ad eam rem pertinent, atque adeò etiam, me nulli alii rei hactenus fuiſſe intentum, facile erat conjectare. Qua propter nulla erat cauſa, cur me hinc inde quæreretis, tanquam alibi temere vagatum, aut de me ſolliciti eſſetis.

Hoc loco quæri poteſt, fuerit ne hæc Domini reſponſio ſufficiens. Nam dicet aliquis ſaltem debuiſſe Dominum Jeſum indicare ſuis parentibus ſe Hieroſol. ſubſtituturum & res ſacras, ibi tractaturum, ne illi poſtea, illum quærere, quemadmodum factum videmus cogerentur, & de illo redderentur anxii: pręſertim cum reverentia parentibus debita id videretur exigere. Neque enim Dominus Jeſus, licet Dei filius, ab obedientia parentibus præſtanda fuit ſolutus, præſertim cum legamus eum poſt hoc dictum, cum parentibus deſcendiſſe Nazaretham, & illis fuiſſe ſubjectum. Reſpondendum videtur, Dominum Jeſum, ipſa oratione ſua ſatis oſtendiſſe, non fuiſſe opus, ut is parentibus ſuis, talia indicaret, & aut ab iis licentiam ejus rei peteret, aut exſpectaret, ſiquidem ipſi parentes, id per ſe ipſos noſſe & poterant & debebant, cum tot haberent apertiſſima indicia, & patefactiones divinas, atque imprimis mater, quibus edocerentur, filium hunc ſuum, eſſe verum propriumque Dei filium, idque excellentiori quadam ratione, quam omnes alii Dei filii eſſent, vel fuiſſent, atque adeò ipſum eſſe Meſſiam. Unde erat promptum admodum colligere, hunc in iis omnino debere eſſe occupatum, quæ ad Deum patrem ſuum verum ac proprium pertinerent, nec Deum permiſſurum, ut ille vel aliquid agat, quod non deceat, vel temerè alicubi hæreat, aut detrimentum aliquod patiatur & ſic pereat. Jam verò, quæ ad Deum Chriſti patrem pertinebant, Hieroſol. revera agebantur, & tractabantur, præſertim circa feſtum tam ſolenne, & proculdubiò non fugiebat Joſephum & Mariam, res divinas eo tempore, in templo ſolere tractari, & legem divinam explicari. Quare concludere debebant, ſi rationem tantum conſulere vellent, Jeſum non alibi eſſe, quam in templo inter doctores, & ibi rebus divinis vacare. Quod ſi hoc non intelligebant, illorum hæc culpa erat, non Chriſti, qui non indicaſſet id, quod indicare non erat opus. Dices, ſaltem poterat indicare, cum id videatur eſſe humanius, & charitati erga parentes convenientius, etſi tandem id eſſet factu non omnino neceſſarium. Reſpondendum videtur, Deum voluiſſe ab illo jam tempore indicare, D. Jeſum, in iis quæ ad Deum religionemque ſpectent, à parentibus haudquaquam pendere; ſed potius parentes debere ex ipſo talia quærere, eumque conſulere, numquid velit facere ad religionem & cultum divinum pertinens. Qua de cauſa & Joh. 2 legimus, Dominum Jeſum matri, miraculum aliquod tacitè ab eo poſtulanti, ita reſpondiſſe, ut maternam poteſtatem & autoritatem ea in parte, ſe non agnoſcere profiteretur, & huc autoritatem maternam planè non extendi oſtenderet, ſed eo loco habendam eſſe Mariam ab ipſo, quo alia quævis mulier cum qua nihil illi ſit commune, quæ ad ipſum planè non pertineat. Ita enim reſpondet *mulier* &c. In aliis rebus, quæ ad communem hanc vitam pertinebant, agnovit Dominus Jeſus, parentum ſuorum authoritatem, & illis obedivit, ac paruit. Nam eatenus & tantum illorum erat filius: in rebus divinis, nullius ſupra ſe, auctoritatem ullam vel minimam, preter patris ſui agnovit. Dico vel minimam, quia non tantum non licuit parentibus Chriſto imperare ad religionem pertinens, quod vel Deus non præcepiſſet, vel, idque multò minus, quod Deus prohibuiſſet, id quod omnibus videtur eſſe commune, ſed ne hoc quidem, ut ipſi modum illi perſcriberent, in rebus divinis verſandi, & nunc tractandi ſacra, nunc omittendi, etiamſi fortaſſe tale aliquid liberis præcipere, aliàs parentibus eſſet permiſſum: præſertim cum jam tum parentibus proculdubio, ſapientia & cognitione rerum divinarum antecelleret, & futuri illius officii ac dignitatis, quædam in eo cernerentur præludia, inter quæ hoc ipſum, quod Hieroſol. fecit Chriſtus, reponi poteſt. Hinc apparet, Parentum Domini Jeſu, in rebus ad Deum pertinentibus nullam fuiſſe ſupra Chriſtum autoritatem, non magis quam alienorum.

Unde liquet quanto in errore verſentur pontificii, qui Chriſti matri tantam autoritatem tribuere audent, & nunc etiam, poſtquâ Chriſtus non amplius puer eſt, qui munus publicum nondum ſuſceperit, ſed qui jam rex populi divini evaſerit, & ad dexteram Dei fuerit collocatus, Mariam dicunt thronum ſuum, ſupra Dei per quem Chriſtum intelligunt ſolium extuliſſe, rogantque Chriſtum, ut patiatur ipſos ſui loco matri ſuæ ſervire, & ſi quæ ſunt ſimiles blaſphemiæ audentque verba, quæ poſtea ſequuntur, quòd nimirum Dominus Jeſus ſubditus fuerit parentibus, ad hoc etiam tempus trahere, atque ad res divinas extendere, cum cernamus, ipſos ne puero quidem Domino Jeſu potuiſſe quidquam in religionis negotio præſcribere. Quanquam mirum ſit, cum de parentibus hic ſermo ſit, ipſos Mariæ ſoli, hoc juris & pietatis tribuere, non etiam Joſepho, cum tamen ipſa quoque Maria, ut uxor, marito, fuerit ſubdita tum temporis cum Dominus Jeſus utrique eſſet ſubditus.

Deinde poteſt aliquomodo colligi per quandam analogiam, parentes non debere ſibi in filios arrogare imperium, ratione conſcientiæ, ſeu in rebus divinis. Quanquam alia quadam ratione, quam in Chriſto intelligitur, liberos etiam, non teneri juſſum parentum in rebus divinis omnino ſequi, ſed tantum eatenus, quatenus Dei voluntati minimè repugnant. Nam Do. Jeſu, nihil hac in parte prorſus licebat præſcribere, niſi quantum in lege Deus definiſſet, ut in reliquis liberis ſufficit, nequid illis præcipiatur, aut ab iis fiat, ob parentum auctoritatem, quod Dei voluntati repugnet. Tertio. Omnis negligentia & oſcitantia in conſideratione rerum divinitus patefactarum fugienda eſt, nec excuſationem meretur, ſed reprehenſionem, & unum etiam ex alio colligendum eſt, & ratione utendum; quod ſi quis facere nolit, in illud vitium incurret, quod D. Jeſus ſuis diſcipulis apud Marcum, non ſemel objicit, nempe quod non intelligerent. Nam id videmus, parentibus Chriſti à Domino Jeſu objici, qui ſcire poterant, ſi animum attendiſſent, & id quod ex divinis patefactionibus de Chriſto colligi haud difficulter poterat deduxiſſent.

Denique, diſcant hic omnes qui ſe Dei filios eſſe profitentur, & cum Chriſto hac in parte communionem aliquam habere ſe gloriantur, ut diligentiſſimè verſentur in rebus iis quæ ad Deum patrem ſuum pertinent. Admonentur imprimis adoleſcentes ac pueri, qui ea jam ſunt ætate, ut doctrinam cœleſtem poſſint capere, ut rerum divinarum tractationi liben-

bentiſſimè interſint, eaſque unicè curent. Hæc de ipſa defenſione. Sequitur tertiò loco eventus, vel Sermonis ejus Chriſti ac defenſionis conſequentia; quæ ſunt duplicia. Alterum enim ad utrumque parentum Chriſti pertinet; alterum, ad matrem tantum. Illud exprimitur ℣. 50, *Sed ipſi non intellexerunt*, &c. quod tamen fortaſſe ad præſens illud tempus reſtringendum eſt, nempe, quòd tum non intellexerunt, quorſum id pertineret; vel ſi mavis ad ſequentia tempora trahere, id de pleniore quadam verborum horum intelligentia, accipiendum eſt, quia nimirum vim & ſcopum orationis Chriſti non capiebant. Notatur hic ſtupiditas quædam in parentibus Chriſti, quæ non prorſus vacabat culpa. Alterum effectum, ſeu conſequens, quod ad matrem Chriſti propriè pertinet, explicatur in poſt. part ℣. 51. quæ tamen pars cum his, ſi rem ipſam ſpectes, proxime cohæret, nempe, *Et mater ejus diligenter conſervabat* &c. Ubi diligentia quædam matris, in ſermonibus illis, Chriſti memoriæ mandandis, non verò expendendis & rimandis notatur. Videtur tacitè ſignificari, Joſephum hoc non feciſſe, eumque hac in parte fuiſſe negligentiorem. Nam cur aliàs non ſimiliter ejus diligentia, hac in parte commemoraretur, cum antea, communis cum Maria, non intelligentia verborum Chriſti, fuiſſet notata. Non pugnat autem hoc cum præcedentibus, ut jam indicavimus, quia ibi de intelligentia agitur, hic de memoria. At poteſt quis meminiſſe etiam eorum, quæ non intelligit, aut parum admodum intelligit. Hactenus ſecundum loci membrum. Reliquum eſt tertium, in quo narratur, quid poſt illud tempus Chriſtus fecerit, poſtquam Hieroſolymâ exceſſit. Ea autem tria ſunt. 1. Quod deſcenderit cum parentibus & Nazaretham venerit; quod ideo videtur commemorari potiſſimùm, ut patria, ejus aut locus, unde debebat appellari, ex prædictionibus prophetarum notaretur, Qua de re videre eſt Mat. 2. Secundum. Quòd fuerit parentibus ſubjectus &c. quod quouſque extendendum, & quid reſpondendum pontificiis hunc locum urgentibus, jam dictum ſupra. Exemplum obedientiæ liberis omnibus imitandum hinc petatur, præſertim cum liberi omnes, longe ſint minores Chriſto ea ætate exiſtente. Tertium idque potiſſimum, quod exponitur ℣. 52. nempe, profectus Domini Jeſu: quod in tribus rebus conſiſtit; Sapientia ſtatura & gratia, eaque tum apud Deum, tum apud homines. Primum ergo hic conſiderandum, quid nomine profectus ſignificetur. Ubi contra pontificios oſtendendum, verum profectum hic intelligi, non autem id, quod fieri tantum videretur, partim quia nulla ſit cauſa, cur à proprietate verborum diſcedatur, à qua ſine gravi ratione diſcedendum non eſt; partim quia id, quod medio loco collocatur, nempe ſtatura, quin etiam ultimum, cujus eadem ratio, quæ primi, nempe gratiâ apud Deum & homines, poſtulat, ut de vero profectu id intelligatur. Nam quod illi imprimis objiciunt ſuperius ℣. 40 poſita, ubi dici videtur, Chriſtum jam antea plenum fuiſſe ſapientia, & Dei gratiam fuiſſe ſuper ipſum. Primò non rectè verba vertunt. Deinde etiamſi ita vertenda eſſent nihil tamen efficerent, & potius illa verba ℣. 40 ex his ℣. ultimi, eſſent explicanda, quam contra. Primò non recte vertunt verba, quia ibi non eſt nomen πληρὴς, quod plenum ſignificat, ſed πληρούμενον præſens nempe participum paſſivum vel imperfectum, quod ſignificat impletionem, quæ in actu adhuc verſatur, non verò ſit perfectum; præſertim cum verba quæ præcedunt, in imperfecto ſunt poſita, ita ut participium πληρούμενον, quod & præſentis & præteriti imperfecti ſignificationem habere poteſt, pro imperfecto potius ſit accipiendum, & ſi reſolvatur in verbum indicativi modi, cum particula copulativa, ita reddendum ſit, quemadmodum à Beza & Piſcatore, recte animadverſum eſt: Et implebatur ſeu implebaturque, quod jam indicat, actionem implendi ſignificari, ſed nondum perfectam, ac completam, & quæ ſit in fieri, ut loquuntur. At, qui hoc pacto impletur, illi porrò multum accedere poteſt, imò accedit. Ex quo etiam confirmatur id, quod de hoc loco aſſerimus, & ſatis indicatur, nullam eſſe cauſam, cur hic à proprietate verborum diſcedatur; præſertim, cum ultima hujus cap. verba, iſtis ſuperioribus omnino reſpondeant, & Lucas omnino videatur indicare velle, Quemadmodum puer Jeſus, antea creverit, nempe ratione ſtaturæ, & ſpiritu fuerit confirmatus, hoc eſt ſubinde auctus fuerit ſapientiâ, eaque repletus, & apud Deum gratia valuiſſe, ita etiam idem poſt illud tempus fuiſſe factum. Differentia tantum in eo eſt, Primum, quòd corroborationis ſpiritus, ibi fuit mentio, quæ hic non eſt expreſſa, Verum ea tacitè etiam hic continetur. Nam corroboratio iſta ſpiritus poſtea explicatur, per quandam exegeſin, cum additur πληρούμενον σοφίας. Participium enim illud, modum rei indicat, quia eatenus corroborabatur Dominus Jeſus ſpiritu, quatenus ſapientia, ex divina virtute ſibi conceſſa augebatur. Nam etiam animus alicujus robuſtus eſſe dicitur, robuſtum item judicium, aut judicium firmari dicitur, cum ſcientia augetur, ac firmior, certior & plenior evadit. Similis loquendi modus eſt ſupra cap. 1. ℣. ult. ubi de Johanne etiam dicitur, quod fuerit corroboratus ſpiritu, quod ſimili quadam ratione, licet non pari intelligi poteſt, de incremento quodam ſapientiæ. Et ſanè, ſi corroboratio iſta ſpiritu, quidpiam fuiſſet diverſum, ab incremento ſapientiæ, non videretur Lucas, in ultimis verbis, iſtius roboris, mentionem fuiſſe prætermiſſurus. Neque enim veriſimile eſt Dominum Jeſum, ante duodecimum annum corroboratum fuiſſe, poſtea verò corroborari deſiiſſe; ſed potiùs omnino ſtatuendum, eum porrò in iſto robore, ac viribus, incrementum capere perrexiſſe. Quare ſi Lucas id non cenſendus eſt omiſiſſe, ſtatuendum eſt, eum in iſtis verbis expreſſiſſe, in quibus ait Dominum Jeſum profeciſſe ſapientia: quod tanto fiet veriſimilius, ſi id memoria repetatur, quod ſupra diximus, verba hæc ſuperioribus reſpondere, & Lucam ipſum, modum ipſius corroborationis expreſſiſſe in verbis πληρούμενον σοφίας. Poteſt autem vox ſpiritu, vel de animo accipi ac mente, vel de ſpiritu Dei; imò iſtud propemodum eſt veriſimilius. Deinde in eo quoque aliqua eſt differentia, ſed minoris momenti, quod in ſuperioribus verbis, tantùm ſit ſermo, de gratia Dei ſupra Chriſtum, hic non tantum de gratia Chriſti apud Deum, quæ cum illa eſt eadem, ſed etiam apud homines. Nam hoc poſterius per ſe minoris eſt momenti, & potuit ſuperiùs omitti, ac præterea nihil impedit, quominus in poſterioribus aliquid addatur, quod antea fuerat omiſſum, & denique fieri poteſt, ut poſt illud tempus potiſſimum, Dominus Jeſus gratia apud homines proficeret, quia ab eo tempore inter homines verſari cœpit, & ea in ipſorum conſpectu facere, unde illis gratus redderetur, quod antea factum non fuerat, præſertim tam inſigniter, ut poſtea. Deus autem qui illum à primo ortu ſemper noverat, favoris cauſas in illo ſemper habebat. Favor enim ex notitia & agnitione oritur, quæ ſemper in Deo fuit, in hominibus non ſemper.

Sed jam tempus eſt, ut ad alteram reſponſionem noſtram veniamus, quæ eſt quòd etiamſi ibi legeretur Dominum Jeſum fuiſſe plenum ſapientia, tamen non ſequeretur inde, nullum potuiſſe in eo dari ſapientiæ incrementum. Nam etiam de aliis quibuſdam legitur, quòd pleni fuerunt ſpiritu ſancto, non quòd nullum poſſet eſſe in illis incrementum, ſed quòd ſingularis quædam copia S.S. in illis eſſet. At copia, nunc major, nunc minor eſt, & magnum in ea datur incrementum. Dicitur de Johanne ſupra cap. 1. 15. eum Spiritu ſancto repletum iri; adhuc ex utero matris ſuæ, nemo tamen dixerit, in eo non potuiſſe habere locum, incrementum; imò vix quemquam eſſe arbitror, qui non fateretur S.S. donum in eo auctum fuiſſe. Sic etiam de Zacharia eodem cap. 1. 67 dicitur, quòd repletus fuerit Spiritu ſancto, & ta-

& tamen proculdubio, majus dari poterat ſpiritus illius incrementum. Hic de Elizabeta (quod exemplum, anteponi debuit) eodem cap. ℣. 41. & de Stephano Act. 7. 55, & 6. 5. de aliis quoque Stephani collegis. Hic de Paulo, Act. 13. 9. ut alia omittam. Dici enim poteſt, duplicem eſſe plenitudinem. Aliam planè abſolutam, ad quam nihil poſſit adjici, aliam ſecundum quid, ſeu ſufficientem, ac pro ſtatu & conditione hominis, rationeque temporis & actionis ſufficientem. Priori modo Dominus Jeſus, non fuit plenus ſpiritu ſancto, in pueritia ſua præſertim, cum videamus, Chriſto in baptiſmo, qui hæc tempora de quibus loquimur, longè poſt ſequutus eſt, Spiritum ſanctum, fuiſſe viſibiliter donatum, & ſupra ipſum manſiſſe, & ſic ad munus ſuum, propheticum fuiſſe unctum. Qua de re vide etiam Luc. 4. & Act. 10. Quomodo ergo jam ita plenus fuit ſpiritu, ab ineunte ætate, aut ante annum 12 ætatis, ut nihil illi addi poſſet. Statuendum ergo eſt poſteriori modo Chriſtum fuiſſe plenum ante iſtud tempus, nempe pro ratione ætatis & conditionis ſuæ, & actionibus quibus tum incumbere debebat, ita ut nihil illi deeſſet donorum ſpiritualium aut ſapientiæ, quod illi tum eſſet neceſſarium. Quo pacto etiam intelligenda ſunt exempla ſuperiora, de ſpiritus plenitudine, quæ aliis tribuitur. Cum ergo vox plenitudinis, aut impletionis, alium poſſit ſenſum, ex communi loquendi conſuetudine admittere, quam volunt adverſarii, vocis autem proficiendi, nullum queat afferri exemplum, ubi non de vero incremento, ſed de eo tantum, quod augeri videatur ſumatur, potiùs illud verbum huic, quàm hoc illi cedere debet, & locus ſuperior ex poſteriori, non contra explicandus: præſertim cum adverſarii diffiteri nequeant, verum incrementum ſaltem ex parte, in iſtis verbis intelligi, nempe ratione ætatis, & ratione gratiæ, apud homines, unde nimirum argumentum duci poteſt, ad verum incrementum hoc loco probandum, quemadmodum ſupra indicavimus. Nam ne illud repetamus, quod nulla poſſit afferri idonea cauſa, an idem verbum, reſpectu diverſorum vocabulorum ei ſubjectorum, diverſimodè ſit accipiendum, quæ tamen omnino eſſet afferenda, illud quoque accedit, quòd concinnitas etiam, & elegantia ſermonis ac conſuetudo loquendi, talem diverſitatem, qualem hic illi volunt, nullo modo admittat, ita ut fateri cogantur, Lucam eo modo loquutum eſſe, quo nemo hominum loquitur, idque nullo addito, ejus rei indicio, quod nihil eſt aliud, quam dicere, Eum intelligi noluiſſe. Etenim reſpectu ſapientiæ improprie dictum qualem permutationem, non tam reſpectu diverſorum verborum, ſed etiam reſpectu ejuſdem vocis, ad diverſa ſubjecta tantum relatæ nullum plane exemplum oſtendent. Ne de eo nunc quid quam dicam, quòd cum diverſitas ſignificationis eſt, cum plura conjunguntur, vel reſpectu ſingulorum diverſam ſignificationem admittendam eſſe, vel reſpectu omnium eandem, non verò reſpectu duorum quidem, præſertim ordinis ratione disjunctorum unam, reſpectu unius alicujus, ejuſque intermedii, & rurſus ratione ultimi aliam, quod hoc loco contingeret. Præterea que verbum Proficiebat reſpectu ſapientiæ & gratiæ apud Deum, impropriè accipiendum putant, ſtatuunt id tamen ſignificare proficere videbatur. Atqui iſtud effugium, nihil eos juvat. Nam vel verè videbatur Dominus Jeſus proficere, vel falſò. Si verè, habemus id quod volumus. Si falſo, Quorſum hoc Euangeliſta commemorabat, præſertim quia ſatis conſtat, eum profectum iſtum in ſapientia & gratia apud Deum, ad Dominum Jeſum commendandum afferre. At quæ commendatio ex eo, quod ita fieri videbatur, ſed tamen ita non erat. Reſtat ergo ut proprium incrementum hoc loco intelligamus. Hæc de incremento ipſo.

Quod ad res eas attinet, in quibus incrementum iſtud verum apparuerit, eæ tres ſunt. Primum & ultimum, ſunt potiſſima, & ad animum pertinent, intermedium ad corpus; quanquam ni fallor, quædam exemplaria, medium reliquis præponunt. Vide Bezam: quod veriſimilius facit, collatio hujus ℣. cum 40. Ubi primo loco dicitur, *Puer autem creſcebat*, quod de incremento corporis, omnino videtur accipiendum, agnoſcentibus id quod ſciam interpretibus. Sed nos ſequamur ordinem, qui in pleriſque exemplaribus Græcis exſtat. Quod ergo ad ſapientiam attinet, illa latè ſumi poteſt, tum pro cognitione rerum divinarum, qua quidem illi, antequam munus propheticum obiret, aliquo pacto eſſet opus, tum pro prudentia quadam, qua in actionibus ſuis uteretur, ita ut tum ex dictis illius, ſi quid de rebus divinis loqueretur, tum ex ipſius factis, ſapientia illa eluceret.

Quod ad ſecundum, nempe *ſtaturam* attinet, de ea nihil opus eſt dicere amplius, quam cur Lucas id addiderit, quemadmodum & ſupra dicto ℣. 40. & de Joh. itidem cap. 1. ℣. ult. nempe quia ſignificare voluit, dominum Jeſum, ad juſtam & decentem ſtaturam, per ætatem perveniſſe, quæ dignitatem muneris ipſius deceret, & gravitatem quandam præ ſe ferret, ne vel ob eam cauſam redderetur contemtibilis.

Quod ad tertium, quod eſt *gratia apud Deum & homines*, id nihil eſt aliud, quam favor Dei & hominum erga Chriſtum, qui inde proculdubio ortus fuit, quod in omnibus egregie, & ut ipſo dignum erat ſeſe gereret, & quod ad homines attinet, etiam ideo, quod ſapientia ſingularis & inuſitata in ipſo ſingulis ætatibus & temporibus appareret. Nam quod ad Deum attinet, dubium eſt, num dona quæ ipſe in Chriſtum contulerat, non verò à Chriſto labore fuerant aliquo & ſtudio acquiſita, qualis erat ſapientia, favoris illius erga Chriſtum cauſa fuerint. Sed veriſimilius eſt ea, Chriſto favorem hunc conciliaſſe apud Deum, quæ ab ipſo vere proficiſcebantur, ejuſque ſtudiò peragebantur, quales erant ejus actiones.

Hinc patet primò Quid pueri & adoleſcentes, ſibi, aut parentes liberis ſuis optare potiſſimum debeant, & qua in re eos elaborare oporteat, nempe ut ii in his rebus incrementum capiant, quam poteſt fieri maximum, in quibus olim Chriſtus, & imprimis in iis, quæ magis ſunt ſpiritualia, & ad animam veramque fœlicitatem pertinent, qualis eſt ſapientia & gratia apud Deum, quam vitæ integritas & ſanctitas, nonnunquam bonitas antecedit, tanquam cauſa effectum.

Patet etiam hinc, Sapientiam inter alia quæ à Deo mortalibus conceduntur bona, eſſe bonorum ferè primum & maximum; imò ſi ſapientia perfecta intelligatur, verè eſſe maximum, ex quo reliqua facile proficiſcuntur. Nam ſi ſapientia perfecta ſit, ſpes quoque immortalitatis in ea continetur. Virtus autem, quæ aliqua ex parte eſt optabilior, non in eorum eſt numero bonorum, de quibus nunc loquimur, quæ Deo in ſolidum ſint adſcribenda, non etiam hominis induſtria ex aliqua parte, ſed labore etiam noſtro accedente, comparantur.

Tertiò. Videmus etiam quid potiſſimum debeamus quærere, & quo actiones & ſtudia debeamus referre; quod adoleſcentibus hoc loco obſervandum; nempe ut gratia polleant apud Deum, & conſequenter apud homines cum Deo conſentientes: ille enim favor Dei, hanc felicitatem omnino ſecum trahit.

Quartò videmus, Non eſſe ſpernendum favorem hominum, imò etiam aliquo uſque deſiderandum, & quærendum, quatenus id cum Dei erga nos favore, conſiſtere poteſt, & hominum judicia, cum Dei judicio conſentiunt. Aliàs ſi Deus, hominesque diſſentiant, nullum eſt dubium, quin Dei favor, favori hominum longiſſimè ſit præferendus.

Denique hinc refutantur ii, qui Chriſto divinam naturam tribuunt, atque imprimis ii, qui ſtatuunt divinam illam naturam humanæ, à primo conceptionis momento, proprietates ſuas communicaſſe, aut donis ſupernaturalibus auxiſſe, ut nulli incremento eſſet locus, quales Lutherani & pontificii. Quamquam idem coguntur alii quoque facere, niſi velint,

unio-

unionem perſonæ disjungere, & diverſos intellectus, qui perſonarum ſunt differentiæ ultimæ, in quorum altero ſapientia fuerit immenſa, nullius incrementi capax, in altero definita, & capax incrementorum, introducere, quod ipſum, eſt diverſas perſonas conſtituere. Adde, quod adverſus omnes illud militat, quòd dicatur Jeſus ſimpliciter gratia creviſſe apud Deum, & ſic manifeſtè à Deo ſimpliciter ita dicto, diſtinguatur; & ſane mirum eſſet dicere Dominum Jeſum apud ſemetipſum gratia creviſſe, etiamſi tandem diverſitatem naturarum admittas, non ſecus atq; ſi quis dicat, aliquem apud ſemetipſum proficere gratia, quia corpus ipſius nunc minus, nunc magis ſibi placeat. Quinetiam, quod ad ſtaturam illam attinet, qua ratione Dominus Jeſus ſecundùm humanitatem, quæ certa ſtatura, & magnitudine definita eſſet prædita; cum Deo, ſeu divina natura, quam immenſam ſtatuunt, fuit conjuncta. Nam vel ratione totius fuit conjuncta, vel ratione partis hoc eſt, vel humana ipſius natura, fuit exæquata divinitati, ita ut nihil eſſet divinitatis, cum quo non eſſet conjuncta humanitas, aut ejus pars; vel humanitas tantum, cum aliqua divinitatis parte, fuit conjuncta, & ratione illius cum toto, quemadmodum homo, cum homine, ratione unius lateris, aut ratione manus tantum. Si prius. Ergo humanitas fuit infinita. Infinitum autem incrementum non admittit. Eo enim nihil majus. At hic ſtatura certa, & incrementum ſtaturæ, Domino Jeſu tribuitur, quod nemo etiam negare poteſt, niſi cum ratione velit inſanire. Si poſterius, Ergo divinitas partes habet, quod illis eſt abſurdiſſimum.

Luc. 4. verſ. 18. & 19.

IN his verbis Chriſtus muneris ſui prophetici rationem ac ſcopum explicat, & quam læta hominibus Dei nomine annunciare debeat, docet. Sunt autem verba hæc ut ex præcedentibus etiam apparet, ex Eſaia deſumta, qui Chriſti typum gerens, ea de ſe aliquando pronunciavit, oſtendens ſe quoque ad lætiſſimum à Deo nuncium Judæis afflictis afferendum miſſum eſſe, hoc eſt ad liberationem ipſorum e captivitate Babylonica aliquando ſequuturam, quæ quidem liberatio typus fuit liberationis noſtræ è tyrannide Diaboli, cæterorumque hoſtium noſtrorum ſpiritualium. Sunt autem duæ loci partes. In priori authoritatem dictis ſuis propheta, & porrò ipſe Chriſtus, de quo verba hæc potiſſimùm loquuntur, conciliat. Deinde ſcopum illum muneris ſui proponit. Prius continetur illis verbis, *Spiritus Domini ſuper me; propterea unxit me.* Addi etiam poſſunt illa ſequentis commatis verba, *miſit me* nempe Dominus.

Duo potiſſimum commemorat propheta quibus fidem orationi ſuæ conciliat; quorum prius & quidem apertius, complectitur donum præſtantiſſimum, quo eum Deus inſtruxerat ad munus propheticum recte & ſine omni erroris periculo obeundum, ac fidem eidem adſtruendam. Poſterius eſt ipſa muneris collatio ſeu impoſitio divinitus profecta. Prius continetur illis verbis, *ſpiritus Domini ſuper me, propterea unxit me.* Quum ait ſpiritum Domini ſuper ſe eſſe, ſignificat ſe ſpiritu Dei regi, agi, ac commoveri, ac porrò non ſua ſe ſponte aut à ſe excogitata loqui, ſed impellente ſpiritu ea pronunciare quæ ipſe ſpiritus dictat. Similis phraſis eſt de Simeone Lucæ c. 2. ỳ. 25. Quanquam longe perfectiori ratione ſpiritus Domini erat ſuper Chriſto, quàm ſuper Simeone aut etiam ſuper ipſo propheta Eſaia, qui inſignem Chriſti geſſit imaginem. Intelligitur hinc unde dictorum propheticorum certitudo pendeat, nempe quod ut Petrus ait, Epiſt. 2. c. 1. ỳ. ult. *Non voluntate hominum allata ſit aliquando prophetia, ſed à Spiritu S. agitati loquuti ſunt ſancti Dei homines.* Quod idem intelligendum eſt etiam de Chriſti dictis, prophetico munere in terra fungentis. Quanquam interea non excludenda ſunt ipſa oracula ad prophetas delata & divina veluti alloquia, quibus prophetas omnes ſuperavit Chriſtus, ut pote qui in cœlis apud Patrem fuit, eum vidit, & ab ipſo præſens quæ aliis annunciaturus eſſet, accepit. Sed ſpiritus tamen ſanctus fuit qui ea ipſius menti penitus impreſſit, & perpetuo poſtea ſuggeſſit, atque ut ad rem quamvis quæ ipſi explicanda eſſet, ſine ullo errore, dubitatione, hæſitatione, applicare poſſet, effecit. Ideo autem priori loco hujus rei mentionem facit, poſtea demum miſſionem commemoraturus, licet hæc aliquomodo videatur illam præcedere, quia manifeſtius erat Spiritu Sancto prophetam aut etiam Chriſtum agi, quàm à Deo miſſum eſſe. Ita quidem ut hoc ex illo tanquam clariori potiſſimùm eſſet demonſtrandum. Quanta autem vis ſpiritus hujus fuerit quo Chriſtus fuit à Deo imbutus, patet ex ejuſdem Eſaiæ verbis quæ habentur ſup. c. XI. ỳ. 2 & 3. de quo loco agitur in Tractatu de Spiritu Sancto.

Addit autem propheta, hoc confirmaturus *propterea unxit me.* Non dubito perinde hæc verba eſſe accipienda ac ſi dictum fuiſſet, propterea quod unxit me, ſeu quia unxit me, ut eſt in Hebræo: quemadmodum & ſententia ipſa poſtulat: de unctione enim ſermo eſt, quæ ipſo Spiritu ſancto fuerit peracta, hoc eſt quæ in eo conſiſtat quòd Spiritum S. in Chriſtum Deus effuderit. Jam verò non ideo Deus Chriſtum Spiritu S. unxit, quia Spiritus S. jam ſuper ipſo fuerit, licet ita nonnulli interpretes ineptiant, ſed propterea Spiritus S. ſuper Chriſto fuit, quia Deus illum Spiritu S. unxit: quemadmodum Petrus de eo loquitur Act. 10. 38. Eſtque res inde manifeſta, quòd Spiritum Domini ſuper aliquo vel ſuper aliquem eſſe, ſit effectus unctionis ſeu effuſionis Spiritus S. ſuper eandem perſonam, & hac dudum etiam præteritâ, maneat ac duret. Et ſanè hoc loco cùm Chriſtus ait, *Spiritus Domini ſuper me*, de re præſenti loquitur, ſubaudiendumque eſt verbum *eſt*, quaſi dicat, Spiritus Domini ſuper me eſt. At de unctione tanquam, de re præterita loquitur, quum ait, *unxit me.* Ideo autem Lucas dicit ἕνεκεν, *propter quod* quia ita habebat interpretatio vulgata Græca, quam mutare noluit, quum ſatis ex reipſa intelligi ſententia poſſet. Itaque ἕνεκεν pro διότι, hoc eſt propterea, poſitum eſt propterea quod. Quando autem Chriſtus fuerit Spiritu Sancto unctus, ſatis ex hiſtoria ſacra patet. Etſi enim Chriſtus à primo ſuo ortu Spiritu S. fuerit repletus, eoque ſubinde magis atque magis pro ætatis ratione inſtructus, tum demum tamen uberrime eo fuit perfuſus, quum poſt baptiſmum à Johanne ſuſceptum Spiritus S. viſibili ſpecie in eum deſcendit: quandoquidem etiam illo demum tempore ad munus ſuum propheticum verè fuit conſecratus: unde & interveniente tantùm tentatione dierum 40 in deſerto, protinus munus ſuum eſt exorſus: quemadmodum hoc ipſo capite Lucas docet, & ipſa rei ſeries, hoc & præcedenti capite explicatæ ſatis videtur unumquemque monere, ad quod tempus hæc unctio ſit referenda. Confer inter ſeſe ỳ. 22, cap. præcedentis, & ỳ. 1. hujus ipſius cap. quarti, itemque ỳ. 14. ad hunc uſque locum.

Quod ad poſterius attinet, hoc eſt ad miſſionem, à qua munus Chriſti propheticum pendit totaque illius authoritas, ſatis clarum eſt quid eo nomine ſignificetur. In eo enim conſiſtit *miſſio* quòd alicui munus hominibus quippiam annunciandi demandetur: unde porrò fit ut verba ipſius omnia quæ Deo mandante pronunciat, non ipſius ſed Dei cenſenda ſint. Hæc autem miſſio quibuſnam ſit neceſſaria, alibi docetur. Chriſto ſanè omnino fuit neceſſaria, res antea inauditas Dei nomine hominibus annunciatura. Et hæc quidem de priori hujus loci parte dicta ſufficiant.

Quod ad poſteriorem partem attinet, pluribus verbis eandem rem exprimit propheta, & cum eo Chriſtus: quanquam nonnulla verba, ſalvâ manente ſententiâ, ſunt immutata. Eorum autem ſumma huc redit, quòd eum in finem ſit miſſus, ut homines ob peccata ſua in miſerrimam ſervitutem delapſos, & ut peccati ita ſimul etiam Diaboli & mortis tyrannide oppreſſos, infinitiſque conſcientiæ vulneribus ſaucios, in libertatem vindicandos eſſe doceat, eorumque animos ac conſcientias, tanto ſolatio erigat atque exhilaret. Et primum quidem ipſe propheta ſeu mavis Chriſtus, ſummam

mam rei explicat: poſtea ejus partim effecta ſubjicit, partim etiam paulò ſpecialius beneficii iſtius rationem exprimit, partim denique cauſam unde id beneficium profluat, indicat. Nam primùm dicit, *ſe miſſum eſſe ad euangelizandum*, ſeu ad lætum nuncium ferendum *pauperibus*, ſive hominibus afflictis. Etenim *pauperes* pro afflictis hic eſſe accipiendos, ſatis docet Maldonatus. Agebat enim propheta de illis qui in Babylonica captivitate aliquando eſſent detinendi, quibus ipſe lætum liberationis nuncium tanto antè tempore afferre debebat. Illis autem reſpondent, ut ſupra jam vidimus, homines peccati, Diaboli, ac mortis ſempiternæ ſervitute oppreſſi, quibus Chriſtus lætum liberationis nuncium afferre debuit, atque adeo attulit. Finemque deinde ejus rei explicat, dum ait, *ad ſanandum contritos corde*, hoc eſt ut eos hoc pacto ſoler, quorum animi ac conſcientiæ tot vulneribus quæ peccatis ſuis ſibi ipſis inflixerunt, ſauciæ ſunt, nec ſpem gratiæ divinæ ac ſalutis concipere per ſe poſſunt. Etenim Dominus Jeſus miſſus fuit ad remiſſionem peccatorum omnibus qui in ipſum crediderint, ac porrò vitam ſuam ad mandatorum ipſius normam compoſuerint, annunciandam ac confirmandam. Quæ quidem tam late patet, ut omnia peccata, quantacunque ſint, & quocunque tandem numero, quæ ejuſmodi fidem anteceſſerunt, & lapſus etiam, qui cum iſtiuſmodi fide conſiſtere poſſunt, iis qui fidem illam habent ſint condonanda. vide Act. 13. 38, 39. Itaque omnia illa peccata quæ agnitionem veritatis anteceſſerunt, ita credentibus vi promiſſionis per Chriſtum nobis propoſitæ condonantur, ut nihil illa prorſus ad gratiam divinam ac felicitatem ſempiternam illis obſtent. Quin etiam ſi quis poſt veritatis agnitionem non protinus peccati jugum excuſſerit, modò id poſtmodum excutiat, & ſic illam peccati ſervitutem fides vera atque per charitatem efficax conſequatur, etiam ejuſmodi peccata vi promiſſionis iſtius remittuntur. Vide 1 Joh. 2. 2. Sed eo tamen hæc peccata differunt ab iis quæ ante agnitam veritatem ſunt commiſſa, ut ſi quis aliquanto diutius in illis hæſerit, paulatim ſeſe divino auxilio quo ad excutiendum peccati jugum eſt opus, privet, & ſic difficiliorem ſibi ad remiſſionem peccatorum obtinendam aditum reddat: præſertim ſi aliorum piorum precibus accedentibus non juvetur. Deinde & illud efficit, ut etiamſi mortis æternæ pœnam non incurrat, aliis tamen in hac vita ſuppliciis obnoxium ſe reddat. Vide 1 Cor. XI. 30 ſeqq. Tertiò quod ad lapſus attinet qui fidei ac pietatis curſui interveniunt, ii ſi & leves per ſe ſint, & non adeo crebri, nec quicquam contumaciæ ſibi habeant adjunctum, proculdubio divina benignitate, vi promiſſionis ipſius per Chriſtum nobis factæ, penitus teguntur: præſertim ſi accedat ſingularis coram Deo humiliatio animi culpam ſuam agnoſcentis, ac porrò etiam deprecatio, tum propria, tum aliena, ardor præterea charitatis, & in pauperes atque afflictos major miſericordia, ac liberalitas effuſior. His enim omnibus magna vis ineſt ad lapſus ejuſmodi tegendos, imò etiam ad graviorum quorundam lapſuum pœnam avertendam. At ſi quippiam horum, vel etiam plura, abſint, facile fieri poteſt ut is qui deliquit aliquam ſibi accerſat pœnam, eamque tanto majorem, quanto aut gravius aut ſæpius deliquerit, aut pauciora remedia ad reatum ſuum delendum adhibuerit. Denique ſi contigerit ut aliquis poſtquam fidem per charitatem efficacem habere cœperit, & in vera pietate aliquamdiu duraverit, ad unum alterumve peccatum relabatur, ſi nihilominus ſeſe recipiat & ad veram illam atque efficacem fidem redeat, ejuſmodi etiam peccata, quæ fidei ut ita dicam filum abruperant, vi promiſſionis divinæ per Chriſtum nobis factæ delentur. (Huc faciunt exempla quæ exſtant in epiſtolis ad Eccleſias Aſiaticas; Apoc. 2. 5, 16, 22: 3. 3, 19. Quanquam etiam ex generalibus promiſſis, credentibus factis, remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ idem patet.) Sed iſtiuſmodi tamen hominis ſtatus admodum eſt periculoſus: propterea quòd facile fieri poteſt ut à Deo induretur, & reſipiſcentiæ locus illi non pateat. Duo tamen potiſſimum ſunt quæ ſublevare hujuſmodi miſeriam poſſunt, quorum alterum in ipſo ſitum eſt, alterum in aliis. In ipſo, ſi & antea pietatem atque inprimis charitatem erga alios fervide fuerit ſectatus, & ut in aliqua peccata denuo fuerit prolapſus, alias tamen pietatis partes non deſerverit, atque inprimis charitatem erga fideles, alioſque miſeros atque afflictos; vide Hebr. 6. 10. & præterea ſi animum reſipiſcendi non abjiciat, ſeque ipſum ſubinde accuſet, à conſcientia ſtimulatus. In aliis verò illud ſitum eſt, ut ardentibus eum apud Deum juvent precibus, ut Deus illius miſertus, opem illi ſuam, aut occaſionem reſipiſcendi ne ſubtrahat, ſed potiùs varia morbo ejus ſanando adhibeat remedia: (vide 1 Joh. 5. 16.) ſimul etiam quæcunque facere ad eam rem ipſi poſſunt, diligenter faciant, hoc eſt moneant, corrigant, nunc acrius objurgent, nunc lenius, prout res exigit, tractent, nunc terreant ſuppliciorum divinorum metu, nunc etiam ſolentur, & ſpem divinæ gratiæ faciant, aut ſi quæ ſunt adhuc alia quibus eum ad frugem revocare poſſint. Vide Jud. ℣. 22, 23. Interim tamen id etiam metuendum eſt illis hominibus, & multo quidem magis quàm iſtis qui poſt agnitam veritatem in peccato aliquo perſeverant, vel crebrius aut gravius dum in fidei ſtadio verſantur, labuntur, ne aliis quibuſdam ſuppliciis divinis ſeſe involvant, utut æternum effugiant. Quodſi autem aliquid iſtorum defuerit quæ remedium tantis malis afferre poſſe diximus, facile fieri poteſt ut juſto Dei judicio aditus illis ad reſipiſcentiam quodammodo præcludatur; maximè ſi ad peccata illa acceſſerit animi contumacia.

Sequitur nunc ut videamus quomodo aliquanto ſpecialius propheta id beneficium explicet quod Chriſtus Dei nomine hominibus annunciare debuit. Id autem facit in illis verbis, *Ad prædicandum captivis remiſſionem*, vel emiſſionem, *& cæcis receptionem viſus, ad emittendum vulneratos in remiſſione*. Specialiora enim hæc eſſe, quàm præcedentia, facile cuivis conſtat. Latius enim patet nuncium lætum afflictis allatum, & ſolatium iiſdem adhibitum, quàm prædicatio de liberatione è captivitate, de receptione viſus, & dimiſſione eorum qui ſint vulnerati. Qua autem de re literali ſenſu inſpecto loquatur propheta, ſatis jam antea eſt indicatum. Quin & illud qua de re myſtico ſenſu loquatur Chriſtus. Quum enim ait ſe *miſſum eſſe ad prædicandam dimiſſionem captivis*, ſignificat ſe eum in finem eſſe miſſum, ut iis qui peccati ac mortis inprimis ſempiternæ veluti captivi erant, Dei nomine annunciet, fore ut à peccati reatu, ac ſempiternæ mortis ſupplicio vindicentur, modò reſipiſcant. Vox ἄφεσις quæ *remiſſionem* ſignificare in Sacris Literis ſolet, hoc loco non ad peccata, ſed ad homines ipſos refertur, & hominum dimiſſionem è captivitate ſignificat: quæ in remiſſione quidem peccatorum ſita eſt, ſi myſticum ſenſum ſpectes, ſed tamen eam remiſſionem primò aut propriè non denotat. Quod verò ad ſequentia verba attinet, quum ait Chriſtus, *& cæcis receptionem viſus, ad mittendum vulneratos in dimiſſionem*, ea in Hebræo aliter leguntur. Ubi unum tantum eſt membrum, non duo. Nihil enim ibi dicitur aliud quàm *& vinctis apertionem carceris*. Cur autem eo modo ſaltem ex parte verterint Græci interpretes atque ita citarit Lucas, explicatum eſt à Maldonato. Ultima denique verba quæ habentur verſic. 19, ita explicant divinum beneficium, hominibus per Chriſtum annunciandum, ut ſimul fontem ejus nempe divinam benignitatem aperiant, dum ait *ad prædicandum annum Domini acceptum*. Hebraicè ita ſonant, *ad prædicandum annum beneplaciti*, ſeu benevolentiæ ac benignitatis, *Domini*. Cætera apud Maldonatum videantur.

Lucæ 7. verſ. 36 uſque ad finem cap.

IN his verbis narrat Lucas quomodo fœmina quædam ob peccata infamis, gratiam D. Jeſu & quæſierit & impetraverit: quoq; pacto Chriſtus hoc tum ſuum tum illius factum defenderit. Tria ergo potiſſimum in iis ſpectanda nobis proponuntur. 1. Quomodo fœmina illa ad Chriſtum acceſſerit, ejuſque gratiam ambiverit.

2. Quomodo Christus tum id quod mulier fecerat ipseque admiserat, tum quod porrò facturus erat in mulieris gratiam defenderit. 3. Quomodo gratiam fœminæ illi exhibuerit.

Ad primum quod attinet, rursus tria sunt à Luca nobis proposita. 1. Locus simul & occasio quæ fœminæ illi fuit data adeundi Christum & gratiam ipsius ambiendi. 2. Facta illius mulieris quibus gratiam ambivit. 3. Effectum quoddam in hospite Christi enatum, quod sequenti defensioni occasionem præbuit: quæ proinde particula primo membro cum secundo quodammodo communis est.

Locus & occasio quæ mulieri illi data fuit ut Christum adiret, & gratiam ejus ambiret, exponitur ℣. 36. & ex parte etiam 37. Nempe quòd à Pharisæo quodam rogatus ut cibum unà caperet, ædes ipsius ingressus, accubuerit, idque fœmina illa cognoverit. Ubi occasio est differendi de eo quatenus liceat Christianis hominibus commercium habere cum infidelibus, & ipsorum etiam mensa uti, aut conviviis interesse. Alterum verò, hoc est facta mulieris quibus gratiam Christi ambivit recensentur ℣. 37 & 38. Quanquam priusquam ea recenseantur, ipsa prius fœmina aliqua ratione describitur, dum dicitur fuisse *peccatrix*, quæ in eadem illa urbe vixerit. Vix videtur esse dubium significari eam fuisse meretricem. Nam quemadmodum de viris *peccatorum* nomen ab Euangelicæ historiæ scriptoribus usurpatur potissimum de publicanis, quamvis de variis flagitiorum generibus quibus illi sunt contaminati accipi possit; Sic de fœminis peccatricum nomen usurpatum scortationis vitium sive solum sive unà cum aliis videtur omnino complecti. Hoc enim vitium inprimis in fœminis solet notari easque præ cæteris infames reddere: Non quod fœminis sit familiarius quàm viris, sed potiùs propter id ipsum quòd quum natura eas ad pudorem ac verecundiam finxerit, gravius ab illis delinquatur si verecundiæ ac castitatis metas fuerint transgressæ: unde eas publica infamia statim solet consequi: Ut alias nunc rationes taceam. [Qualis illa est quod quum periculum ex libidine illis sit majus, & ex effectu sæpe in illis libido evadat manifestior, atque ad matrimonia honesta aditum sibi hac ratione præcludant, existimatione fidei quam maritis uxores præstare debent perdita, quia verendum est ne alienos fœtus maritis supponant; ideo tanto majorem illarum libido arguit impudentiam, quod metu etiam illo non absterritæ, verecundiæ limites transilierint.]

Facta autem illius mulieris hæc sunt. Primò quòd attulerit vasculum ex alabastro confectum, unguento repletum, quod factum sequentium quædam est præparatio. Secundò quòd ad pedes Christi consistens, & quidem à tergo, fleverit. Ubi ipsius singularis demissio apparet, quòd non ausa fuerit ad caput ipsius consistere, in lectulo ad mensam accumbentis, neque oculos ejus subire, pudore ex memoria peccati sui suffusa; sed à tergo ipsius constiterit: & denique quod fleverit peccatumque suum acerbe deploraverit. Ubi unà cum demissione etiam dolor ex peccatis commissis conceptus apparuit: quæ duo omnibus peccatoribus, si peccatorum veniam à Deo Christoque impetrare velint, sunt imitanda. His enim rebus eluuntur quodammodo peccata, & ad misericordiam Deus flectitur. Quanquam in illis non est acquiescendum; sed charitas quoque in Deum ac Christum, ut ab hac muliere factum esse mox videbimus, quibus possumus modis testanda, & vita universa emendanda. Tertium illius factum ex secundo quodammodo enatum, est, quòd cœperit rigare pedes Christi lacrymis suis. *Cœpit* inquit, *rigare*, hoc est rigavit. Ita enim in Sacris Literis vox incipiendi non semel usurpatur, ut Act. 1. ℣. 1. Unde apparet & ubertim profluxisse illi lacrymas, quod majoris doloris argumentum est; & voluisse eam hac ipsa ratione Christi pedes quodammodo abluere, & hac quoque ratione ipsius gratiam ac misericordiam sibi conciliare: utpote cujus pedes non aquâ, sed lacrymis ex capite oculisque suis promanantibus ut ablueret, dignum judicasset.

Quartum illius factum est quòd capillis capitis sui extersérit ipsius pedes. In quo iterum illius apparet humilitas seu demissio & veneratio Christi, quem dignum judicavit cujus pedes non linteo aliquo, sed comis suis, comis inquam capitis, quibus superbire solerent mulieres, & ipsa proculdubio superbierat, abstergeret, ac purgaret.

Quintum est, quòd osculata fuerit ipsius pedes; quod itidem summæ demissionis & charitatis in Christum est argumentum. Osculum quidem aliàs charitatis est, sed pedibus fixum, humilitatis. Unde & vulgò quum significare volumus nos non detrectare quominus nos coram aliquo prosternamus ac dejiciamus, dicere solemus nos paratos esse etiam pedes illius osculari.

Ultimum illius factum est quòd eosdem pedes unxerit, unguento illo quod attulerat. Id quod charitatis fuit: Amici enim amicos ungere in convivio solebant; & venerationis: quòd Christi non tantùm caput sed ipsos etiam pedes dignos judicarit, quos unguento ungeret. Imò simul & humilitatis, quod non ausa fuerit unguento caput ipsius perfundere, quasi indigno quod caput ipsius contingeret, seu mavis quasi ipsa sit indigna quæ caput ipsius tangeret.

Hæc illa tunc fecit, quia Christum habebat in terris corpore præsentem; nunc absens aliis est modis colendus, & nostra erga eum charitas contestanda: ac præcipue in ipsius membris, seu ut ipse eos appellare dignatur, fratribus, quibus quicquid præstatur boni, id sibi imputat.

Non omnia autem quæ fœmina hæc præstitit Christo, imò vix quidquam eorum membris Christi convenit: partim quia cum Christo dignitate haudquaquam sunt comparandi, ac porrò tam humilia officia sibi ab aliis præstari, ferre per modestiæ leges non possunt aut debent, quæ Christus Dei filius ac tantus Dei legatus salva modestia potuit admittere: partim quia quædam saltem ex illis consuetudo abrogavit. Itaque loco horum officiorum alia sunt Christo in ipsius membris exhibenda, atque inprimis beneficentia in ipsos exercenda. Hæc erunt loco ablutionis cujusdam, & unctionis pedum Christi.

Sequitur nunc tertium, quod in primo hujus loci membro contineri diximus, nempe effectum quoddam in hospite Christi enatum, quod sequenti Christi orationi ac defensioni occasionem præbuit: ac porrò non magis ad primum quàm ad secundum loci membrum referri potest. Continetur autem ℣. 39. ubi dicitur, *Videns autem Pharisæus qui vocaverat ipsum, dixit*, seu cogitavit, *apud seipsum, inquiens: Hic si esset propheta, nosset* vel cognosceret *utique, quæ aut qualis sit fœmina quæ ipsum tangit, quia peccatrix est.* Conclusit ex hoc mulieris facto quod Christus admitteret, eum prophetam non esse. Ita enim ratiocinatus est: Si Jesus esset propheta, cognosceret cujusmodi hæc sit mulier, nempe ob peccatum infamis. At non cognoscit: quandoquidem eam admittit, & sese tangi ab ea patitur: id non facturus si nosset esse fœminam ob peccata sua infamem. Quare apparet eum prophetam non esse. Ex suo nimirum ingenio æstimavit Christum, & quia ipse aliique ejusdem generis homines, sanctitatis opinione inflati, cum ejusmodi fœminis ne minimum quidem commercii habere vellent, & ab illis tangi putarunt esse contaminari; ideo putavit etiam Christum si hanc fœminam nosset idem fuisse facturum: ignorans rationem muneris Christi, qui peccatorum servandorum causa venerat. Quanquam etiam in eo falsus fuit, quòd putarit omnino necessarium esse, ut propheta protinus cognosceret quales essent homines qui ad eum accederent, eumque tangerent. Neque enim id omnium prophetarum, vel certè non quovis tempore fuit. Et de primo quidem hujus loci membro hactenus.

Sequi-

Sequitur defensio Christi, qua & factum illius mulieris commendat, & jure illam non modo à se admitti, sed etiam gratiam ei exhiberi, docet. Utitur autem ad hanc rem ostendendum, parabola seu comparatione, cujus protasis proponitur vers. 40 & tribus sequentibus: tum demum apodosis seu applicatio, à vers. 44. usque ad finem 47.

Illa ita proponitur, ut prius attentionem hospitis sui excitet Christus, eumque ad audiendum comparet vers. 40. Deinde rem ipsam partim ipse exprimat, partim ex Simone isto eliciat, ut ipsius judicio confirmata, postea ad rem accommodari rectius queat, & ad convincendum Simonem, illum hospitem, tanto majorem vim habeat. Summa autem parabolæ hæc est, ut ostendat ex duobus debitoribus eum magis diligere solere creditorem cui plus sit condonatum, eum minus cui minus. Unde postmodum, ut in applicatione videbimus, vult colligi etiam illum plus diligere Deum cui plus peccatorum condonetur, minus illum cui minus. Unde porrò vult colligi, hanc mulierem peccatricem quæ longe magis ipsum atque in ipso Deum dilexerit, aut diligere se ostenderit, quàm Simon: plus etiam illi quàm isti à Deo condonatum esse; ac porro non spectandam esse illam à Simone ut mulierem peccatricem, sed ut illam cujus peccata sunt apud Deum deleta: ita ut jure Christus eam ad se admittere debuerit, ac porrò etiam certâ remissionis peccatorum promissione aut spe solari debeat.

Sed jam singula protaseos membra propius spectemus. Proponit ergo spectandum fœneratorem seu creditorem quendam, & duos ipsius debitores. Deinde debita illorum, magnitudine diversa. Tertiò effectum creditoris circa utrumque debitum, seu mavis debitorem. Denique Simonis judicium elicit, de effectu in ipsis debitoribus, ex creditoris facto seu beneficio nato. Hic fœnerator seu creditor, Deum proculdubio refert, & ipsum Christum, Deo hac in parte subordinatum, & personam ipsius sustinentem. Quandoquidem Christus Dei nomine debita apud ipsum contracta, hoc est peccata hominum vel remittere vel retinere poterat, in eum finem à Deo missus ut remissionem peccatorum hominibus resipiscentibus annunciaret, non resipiscentibus pœnam comminaretur. Vocabulum *fœneratoris* ad Christum accommodatum, id quod vitiosum in se complecti solet quum de hominibus proprie dicitur, perdit. Quomodo autem Deus sit creditor, mox apparebit, quum videbimus quomodo nos fiamus ipsius debitores. Debitores autem Dei evadimus, quod quidem ad rem præsentem attinet, peccando: quandoquidem peccata omnia sunt offensæ divinæ majestatis. Offensa autem Dei majestate, nos quidem debitores pœnæ, Deus autem creditor evadit. Jam quod ad alterum attinet, hoc est diversitatem debitorum, eam ita exprimit, ut dicat, *unum debuisse denarios* 500, *alterum vero* 50 tantùm. Alterum debitum decuplo superat alterum. Qua in re Christus attemperat sermonem, hominis illius cum quo ipsi res erat, judicio, vel potius opinioni, ut eum postea tanto facilius constringat. Etenim quia mulierem illam peccatricem cum Simone hospite suo conferre volebat, ideo debitores introducit, æris alieni ratione admodum impares: quandoquidem Simon ita sentiebat, se longe minus in Deum peccasse, quàm fœmina illa peccatrix. Itaque Christus illi decimam tantùm debiti alterius partem adscribit, seu mavis ei debitori qui istum refert. Quanquam interea fieri potest ut nonnunquam tam imparia sint hominum merita, & alter alterum decuplo superet: sed tamen nos ipsi nostra delicta eorumque gravitatem ac multitudinem extenuare non debemus, & satius est illis aliquid addere ponderis quàm demere. Ad tertium quod attinet, hoc est effectum creditoris circa utrumque debitum, seu mavis debitorem, est, quòd quum non haberent quod redderent, utrique condonaverit. Ubi divinæ remissionis ratio nobis exprimitur. Usurpatur autem hîc verbum χαρίσασθαι, quod gratiam ac liberalitatem remittentis exprimit. Jam quod ad effectum attinet in utroque debitore inde enatum, de eo judicium ipsius Simonis Christus exquirit, & responsum etiam refert ac denique approbat. Quærit ergo uter illorum plus vel magis creditorem illum sit dilecturus: id quod videtur omnino de effectu illius remissionis accipiendum, hoc est de charitate erga creditorem in debitoribus inde natam quòd debita ipsis essent remissa. Quanquam non desunt qui de charitate ea loqui Christum existiment quæ condonationem præcesserit: quasi ita dixisset Christus, Quis ergo ipsorum magis dilexisse censendus erit? Qua de re inf. ℣. 47 plura dicentur. Hoc autem loco antequam ulterius progrediamur, quæri potest, cur quum fœmina illa humilitatis quoque ac demissionis officiis, ut ex superiùs dictis animadverti potest, superaverit Pharisæum, non hanc quoque commendare voluerit, & mulierem hoc nomine præferre, ac porrò in parabola quoque ejus mentionem facere, seu mavis talem parabolam instituere in qua humilitatis quoque haberetur ratio. Respondemus id tum demum faciendum fuisse, si Christus hic causam voluisset afferre remissionis peccatorum obtinendæ, seu medium proponere quo interveniente mulier illa remissionem peccatorum fuerit consequuta, aut adhuc consequutura. At Christus non hoc agebat, sed argumentum quærebat, remissionis peccatorum, quæ mulieri illi quodammodo jam contigisset, ab effectu quodam manifesto petitum: ut ita ostenderet Simoni, non spectandam esse illam fœminam ut peccatricem, nec ob peccata sua fuisse ab ipso repellendam, sed ita tractandam ut dignum esset ea cui Deus ipse peccata condonasset. Ad hoc autem ostendendum, non humilitas aut demissio, aut demissionis magnitudo, sed charitatis faciebat. Neque enim cum quis sese coram aliquo demittit magis quàm alius quisquam, idque tanto cum pudore, animique dolore, ac solicitudine, id est argumento eum majoris debiti remissionem impetrasse, sed potiùs nondum impetratæ argumentum est, vel saltem magis nondum impetratam esse delicti condonationem, quàm impetratam esse arguit. Adde quòd licèt verisimile sit, eum cui plus sit condonatum, eatenus magis coram creditore à quo debiti condonationem impetravit, sese prosternere, eumque honorare; tamen illud humiliationis seu demissionis genus, quod condonationem sequitur, aliud est ab eo quod mulier illa factis suis ostendit. Illud enim cum gaudio ac voluptate quadam conjunctum est: hoc verò mulieris, cum dolore ac lacrymis conjunctum fuit. Quodsi dicas potuisse Christum ex causa argumentum ducere, & ostendere, non esse eam mulierem à se repellendam, sed potius peccatorum remissionem ipsi Dei nomine annunciandam, quia tantopere se demiserit: clementiæ enim consentaneum esse ut ei plus condonetur qui magis sese humiliet ac demittat; Respondemus, noluisse Christum tantam gratiam, ipsius mulieris facto alicui ita adscribere ut non significaret id ex Dei potiùs clementia, facta mulieris bona ac laudabilia quibus eum ad misericordiam flecteret, antegressa, revera pendere; & Dei clementiam potiùs peccatoribus etiam maximis veniam largissime offerentis in causa fuisse cur illam mulierem à se non repelleret, quàm mulieris illius sive demissionem sive charitatem. Neque verò frustra paulò antè Christus, cùm de remissione debitorum istorum imparium loqueretur, ejus rei hanc attulit causam, quòd non haberent debitores unde redderent. Fecit id nimirum ut significaret, meram Dei benignitatem, hominum miseriam ac perniciem miserantis tanti beneficii causam fuisse, non meritum aliquod ipsorum hominum antegressum, aut factum quo Deum ad tantam clementiam commoveret. Quod tamen non eo dictum volumus, quasi ad plenum beneficii istius fructum percipiendum, nullum hominis factum requiratur, ac nominatim humilitas ac charitas: sed quia hîc ut postea dicetur, non de pleno remissionis actu seu effectu, sermo est, sed de divino potiùs decreto, ejusque contestatione ac declaratione, qua jus remissionis peccatorum concedi-

tur: quæ res non ex hominum factis, sed ex sola Dei clementia pependit.

Responsio autem Simonis est, arbitrari se, eum ex debitoribus magis dilecturum creditorem, cui is plus remiserit; Nempe quia id rei ipsius naturæ est consentaneum, ut is magis diligat alterum, qui majus ab eo beneficium accepit, quàm qui minus. Quanquam non ita est necessarium, quin aliter interdum fieri queat, atque adeo fiat, aliis nimirum causis beneficii majoris vim aliqua ratione impedientibus. Et hæc forte causa fuit, cur maluerit Christus hanc sententiam ex ipso potiùs Simone elicere, quàm eam ipse inferre, ne postea rem fortè revocare auderet, sed fateri cogeretur ita rem sese habere, seu id plane esse consentaneum ac vero simillimum. Unde cernimus, quo quisque majorum peccatorum sibi conscius est, eo illum debere, Deum qui ea ipsi se remissurum esse pollicitus est, ardentius amare. Quanquam ne cæteri quidem cedere hujusmodi hominibus debent; propterea quòd licèt hoc fortè beneficii genere cedant aliis, aliis tamen rursus vel vincunt cæteros, vel saltem æquant. Debent autem hoc pro beneficio Dei maxime insigni habere, quòd eos à gravioribus sceleribus immunes illibatosque conservaverit. Interea tamen negari non potest, habere considerationem clementiæ divinæ, quæ in remittendis peccatis cernitur, singularem quandam vim, ad eos Deo devinciendos qui illam magis sunt experti. Ut non injuriâ dici queat, consentaneum esse ut ii magis Deum diligant, quibus plus à Deo est condonatum, quàm quibus minus; ut ut fortè si cætera Dei beneficia spectes, & cum eo quod in remissione peccatorum cernitur conferas, illis sint pares, quibus plus est remissum. Quam ob causam etiam Christus hoc Simonis responsum comprobans, dixit ei, *Rectè judicasti.*

Adhuc protasis comparationis fuit: succedit Apodosis. Ad quam primùm sibi aditum parat Christus, attentionem Simonis excitans, deinde rem ipsam proponit: partim quidem majorem illius mulieris erga se charitatem, qua, Simonis comparatione ac contentione quadam, effectum utriusque ostendit. Deinde beneficio quoque divino, seu remissione peccatorum hanc mulierem ipsum superare significat. Aditum sibi parat & attentionem Simonis excitat, cùm ita ait Lucas, ỳ. 44. *Christum conversum ad fœminam dixisse Simoni, vides mulierem hanc.* Conversus fuit ad mulierem, quia ea à tergo constiterat: itaque ut & ipse eam intueretur, & Simonem quoque ad eam intuendam excitaret, se ad ipsam convertit, aut vultum reflexit. Quod autem ut eam Simon intueretur jussit, ideo factum est ut altius hæc in Simonis animum descenderent, si mulierem spectans, ea quæ Christus de ipsa diceret, audiret: & quam indignam judicaverat quæ vel pedes Christi contingeret, eam sibi & charitate in Christum & beneficio divino præferri videret.

Comparatio autem charitatis, ex contentione effectuum utriusque hoc est & Simonis & mulieris illius, tribus constat membris. 1. est eodem ỳ. 44. dum ait, *Ingressus sum domum tuam, aquam super pedes meos non dedisti: hæc autem lacrymis rigavit meos pedes, & comis capitis sui extersit.* Ubi nihil sine emphasi dicitur, ut & in sequentibus membris: adeo ut accuratissima hæc sit ac sapientissime instituta contentio. Nam primùm dicit, se venisse in ædes Simonis, intellige, ut cibum caperet, & tamen pedes suos ne aqua quidem esse lotos, quod ministerium aliàs etiam exiguum, hospitibus passim solebat exhiberi. Hæc autem fœmina, inquit, nempe ad quam non ego accessi, sed quæ aliunde ad me venit, non aqua sed lacrymis è capite suo fluentibus rigavit meos pedes, & non linteo aliquo, sed ipsis capitis sui comis, ipso capitis ornamento quo superbire solent fœminæ, abstersit postea pedes meos.

2. Membrum est ỳ. 45, *osculum* inquit, *mihi non dedisti*, id quod aliàs Judæis familiare erat, quod illis etiam præstari solebat cum quibus non adeo magna illis intercederet familiaritas. *Hæc autem*, inquit, *à quo tempore ingressa est, non desiit osculari meos pedes.* Quasi dicat, Tu nullum mihi dedisti osculum, hæc dedit: tu ori meo negasti, illa pedibus, infimo ac quodammodo contemtissimo membro ac vilissimæ corporis parti oscula fixit. Tu ne semel quidem me osculatus es; illa toto illo tempore osculari pedes meos non desiit.

3. Membrum est, *oleo caput meum non unxisti; hæc autem unguento unxit meos pedes.* Tu oleum mihi negasti, simplex liquoris genus; hæc unguento me unxit: tu ne caput quidem meum unxisti oleo; hæc autem pedes meos unxit unguento. De his autem suprà jam actum est, & qua ratione nobis imitanda explicatum.

Sequitur nunc comparatio hujus fœminæ cum Simone, seu mavis contentio, ratione divini beneficii, quod in remissione peccatorum consistit: quanquam de muliere quidem illa, ac remissione peccatorum ipsi vel concessa vel concedenda, speciatim loquitur, de Simone non item, sed eum generali tantùm oratione, ut omnem orationi demeret acerbitatis speciem, designat. Hæc autem contentio continetur ỳ. 47. Quumque omnis comparatio ac contentio duobus constet membris, prius, hoc est protasis, comprehenditur illis verbis, *Quam ob causam, dico tibi, remissa sunt peccata illius multa quia dilexit multum.* Ubi verba illa ἕνεκα χάριν seu *cujus rei gratiâ* tantùm inferendi seu concludendi vim habere videntur, quasi dixisset, itaque. Præteritum autem illud ἀφέωνται *remissa sunt*, vel vim præteriti retinere potest, vel etiam pro præsenti accipi: quasi dicat, remittuntur peccata ejus multa. Id autem quomodo sit intelligendum, aut intelligi saltem queat, ex ratione addita apparebit, *quia dilexit multum.* Quæ verba duplici modo accipiuntur ab interpretibus, vel ut causam rei ipsius denotent, vel ut causam tantùm conclusionis, ut loquuntur, hoc est rationem qua proxime præcedens assertio probetur, ut ab effectu petita. Si prius sequi velis, vel sequenda est illorum sententia, qui verba Christi superius ỳ. 42 posita, *uter ipsorum plus ipsum diliget?* ita accipiunt, ac si dixisset, uter ipsum plus dilexisse censendus erit; vel statuendum, utrumque intelligi illis verbis voluisse, licet alterum tantùm apertè expresserit, alterum cogitandum reliquerit, nempe eum quidem ex debitoribus plus diligere creditorem cui plus ab ipso fuerit remissum: sed vicissim etiam verisimile esse, si ex duobus debitoribus alter plus diligat, alter minus, illi creditorem qui benignitate in utrumque uti velit, plus remissurum, à quo magis se diligi animadverterit. Itaque in protasi prius quidem illud fuit apertè expressum, quia ei loco magis quadrabat; at posterius hîc fuisse à Christo quodammodo assumtum, tanquam æque probabile, quia rei de qua agebat magis conveniret. Prius illud quod nonnullos interpretes asserere diximus, propterea minus est verisimile, quòd & verba omnino præ se videantur ferre, de charitate ea in creditorem sermonem esse, quæ debiti remissionem consequatur; & hic etiam in altera antitheseos parte hæc verba exstant, *cui autem parum remittitur, parum diligit.* Quorum verborum simplicitati longe convenientior est ille sensus, ut dicatur, eum cui parum remittitur, parum etiam tantùm ob beneficium illud acceptum amare eum qui remiserit, non contrà. Adde, quòd ad ostendendum, eum cui multum remissum sit, magis antea dilexisse creditorem, quàm illum cui minus; videretur debuisse Christus ponere æqualia debita utriusque debitoris. Nam alioquin non sequitur, eum plus dilexisse creditorem cui plus postea remissum est, quàm cui minus: quia fieri potest, ut æque diligat uterque, sed alteri tamen minus condonetur, alteri plus; quia nimirum alter plus debuerit, alter verò minus, ita ut illi qui minus debuerat, utut æque creditorem diligenti, tantum remitti non posset, quantum alteri. Alia autem ratio fuisset, si æquale utriusque fuisset debitum. Quæ posterior ratio me movet, ut ne posteriori quidem explicandi rationi quam paulò ante proposuimus satis fidam: quia & hanc aliqua ratione videtur labefactare. Itaque valde in eam sententiam inclino, quæ multis quoque interpretibus placuit, ut sentiam particulam ὅτι

quoniam

quoniam vel *quia* non rei sed conclusionis causam significare. Quasi dicatur, inde apparet illi peccata multa esse remissa, quoniam dilexit multum. Cui postea rectè opponitur, *At ille cui parum remittitur parum diligit*. Quod etiam rationis cujusdam loco est: quasi dicat, si enim parum diligeret, parum illi remitteretur, aut remissum fuisset, perinde ut tibi contigit qui parum diligis. Sed nihilominus tamen duplex in hac quoque explicatione occurrit difficultas. Prima est, quòd charitas erga Deum & Christum non effectus esse videatur remissionis peccatorum, sed causa: quum sciamus tum demum peccata nobis condonari ubi resipuerimus, & ubi in luce ambulaverimus, ut Deus est in luce: qua in re vitæ pietas, atque adeo dilectio quoque Dei ac Christi continetur. Altera est, quòd tum demum charitas major ex remissione majoris debiti consequitur, si debitori de remissione constet. At huic fœminæ de remissione peccatorum suorum nondum videtur constitisse. Ideo enim tot lacrymas videtur fudisse, & Christi gratiam tam solicite ambivisse, ut remissionem peccatorum ab ipso, vel per ipsum à Deo impetraret, ac spem illius certam concipere ex ipsius verbis posset. Quam ob causam etiam Christus, post hæc verba, ad ipsam sermonem suum convertens, dixit, *Remissa sunt tibi peccata tua*, ut ob peccata mœstam erigeret, & ne de gratia divina erga se dubitaret, hoc pacto efficeret. Ad primam, respondemus: Remissionem peccatorum duplici modo sumi, vel pro ipso remissionis actu, vel pro ipsius oblatione ac declaratione quadam, qua jus datur peccatori ad eam obtinendam. Priori modo sumta remissio effectus est charitatis nostræ erga Deum & Christum, præsertim si actus ille remissionis plenus ac perfectus intelligatur. Nam imperfectus etiam præcedere charitatem nostram in Deum & Christum, quæ effectis ipsis sese exerat, potest: quum ad eum sufficiat fides seu fiducia in Deo & Christo collocata, & propensio quædam animi nostri ad pietatem nobis à Christo præscriptam colendam, etiamsi effectus ille, hoc est ipsa vitæ pietas, nondum fuerit consequuta. At, si posteriore modo sumatur remissio, ea charitatis nostræ erga Deum ac Christum causa est, & eam in nobis excitat, ac parit. Et hoc modo videtur sumendum hoc loco verbum *remittendi*. Ad alteram difficultatem respondemus; non constare, imò ne verisimile quidem esse hanc mulierem de remissione peccatorum ad eum modum accepta non audivisse, vel quod audierit non credidisse: sed potius ideo eam ad Christum venisse, & ipsis lacrymis, humilitate, ac charitatis suæ contestatione, remissionem peccatorum, certamve ejus promissionem ac spem obtinere voluisse: quia audierit eum hominibus resipiscentibus, Dei benignitatem, & ex ea pendentem remissionem peccatorum ac vitam æternam polliceri, nec quenquam à se repellere, quibuscunque antea moribus fuerit. Itaque etiamsi nondum crediderit sibi jam planè esse peccata à Deo remissa; animadvertit tamen sibi apud Christum atque adeo apud Deum paratam esse veniam; vel saltem haud incredibile esse sibi quoque veniam peccatorum ab ipso datum iri. Atque hæc remissionis cognitio satis erat ad charitatem illius erga Christum excitandam. Neque verò necesse est, ut per omnia remissio hujus mulieris dilectionem præcedens respondeat illi remissioni quæ charitatem debitoris erga creditorem in parabola propositam præcedit. Satis est & hic & illic remissionem aliquam esse, & utrinque cognitionem ejus aliquam exstare in debitore, qua ad creditorem diligendum accendatur.

Reliquum est, ut videamus tertium hujus loci membrum in quo gratiam exhibet mulieri illi Christus, dum ei de remissione peccatorum quam tam anxie quærebat, spondet. Id autem fit tribus versiculis ultimis. Ubi 1. narratur quomodo Christus ei mulieri certam remissionis sive spem sive fidem fecerit. 2. qui effectus inde in hospitibus simul accumbentibus ortus fuerit: qui Christum aliqua ratione impulit, ut quod mulieri illi promiserat vel spoponderat, confirmaret. 3. exponitur quo pacto id quod dixerat mulieri confirmaverit, & bono illam animo esse jusserit, causa exposita ob quam tanta illi gratia contingat. Primum exponitur vers. 48. ubi ait, *Dixit autem illi* Jesus, nempe, mulieri, *Remissa sunt tibi peccata*. Quasi dicat, ne sis solicita amplius, non sunt metuendæ tibi peccatorum tuorum pœnæ, eas tibi Deus condonare decrevit, idque ego tibi nunc Dei nomine denuncio. Remissio de qua hic sermo est in actu quidem aliqua ratione consistit, hoc est decreto divino de reatu ac pœnis peccatorum hujus mulieris delendis auferendisque, atque adeo in jure quodam quod dabatur jam illi fœminæ ad pœnas effugiendas: sed hęc remissio nondum erat penitus absoluta, verùm à conditione quadam adhuc pendebat, si nimirum in posterum peccare desineret, & Deo per Christum confisa pareret.

Effectus verò in unà discumbentibus hinc ortus, exprimitur ℣. 49, ubi ait Lucas eos *cœpisse dicere in seipsis*, hoc est cogitasse apud seipsos, (vox enim incipiendi ita usurpatur, ut sup. ℣. 38.) *Quis hic est qui etiam peccata remittit?* quasi dicant, Quem hic seipsum facit, aut esse putat, qui non tantùm alia sibi tribuit, & prophetam sese dicens multa & præcipit, & Dei nomine pollicetur; verùm etiam à peccatorum reatu audet homines, & quidem tam flagitiosos absolvere? Est enim hæc res divini tantum juris ac potestatis. Unde etiam alibi legimus, quum Christus paralytico dixisset, Remissa sunt tibi peccata tua, cogitasse Scribas & Pharisæos, *Quis est hic qui loquitur blasphemias? Quis potest remittere peccata nisi solus Deus?* ut loquitur Lucas superius cap. 5. ℣. 21. Quæ verba horum etiam quodammodo sunt explicatio. Oriebatur nimirum hæc cogitatio illorum hominum, ex ignoratione tantæ Christi divinitatis ac potestatis, qua in terris adhuc degens à Deo fuerat instructus, qua fiebat ut in ipsius arbitrio esset positum, cui vellet remissionem peccatorum Dei nomine offerre ac denunciare, ac denunciando aut spondendo plenum ejus jus alteri dare: poteratque non tantùm generatim polliceri hominibus resipiscentibus peccatorum veniam, aut etiam his illisve nominatim, sub illius resipiscentiæ conditione, quod utrumque postea potuerunt & Apostoli, ipsius legati, authoritate ab illo tanta instructi; verùm etiam quum animos hominum nosset, & fidem hominum vel infidelitatem, animi resipiscentiam, vel contrà animum resipiscere nescium, sinceritatem aut hypocrisin cognosceret; poterat etiam non minus quàm ipse Deus, quos vellet ita nominatim à reatu absolvere, ut jam illis actu quodammodo peccata remissa esse sponderet, & jus remissionem plene accipiendi illis largiretur: præsertim cùm id quoque in manibus ipsius esset positum, ut & temporales pœnas, si quas Deus ob peccata aliquibus inflixisset, pro arbitrio suo tolleret. Qua in re itidem Apostolos suos superavit, qui precibus aut voto, quo Domini Jesu opem implorabant ejus rei effectum subinde cogebantur impetrare: ut ita ea res magis in Christi quàm in ipsorum potestate esset. Quanquam promisso se illis Christus obligasset, ut quoties illi non hæsitante fide opem hac in parte suam implorassent, effectus precum sequeretur, & voto ipsorum eventus responderet. Fuit ergò illa res etiam in potestate Apostolorum, sed magis tamen in Christi: quemadmodum etiam dicere licet, in Christi potestate cùm in terris viveret remissionem peccatorum & ablationem pœnarum temporalium sitam fuisse, sed magis tamen Dei, à quo Christi potestas & potestatis effectus pendebat: Ita ut licèt Christus non in singulis miraculis edendis Dei nomen invocaret, aut tale quippiam diceret quod invocationis esset loco, quale fuisset si dixisset, Deus te sanat, aut, in nomine Dei surge & ambula, quo pacto Apostoli Christi nomen invocarunt; nihilominus tamen & invocaverit Christus Deum, ut hanc quam sibi dedisset potestatem, in ipso perpetuam esse vellet, neque unquam permitteret; ut deficiente ejus virtute effectus eum unquam falleret, quum cuipiam hanc gratiam facere vellet ut ab eo pœnas peccatorum temporales auferret. Unde Christus ad miracula sua respiciens, gratias egit

Deo quòd ab eo ſemper exaudiretur; vide Joh. XI. 41, 42. exauditionis enim inſtar erat quòd quoties volebat, miracula divinâ virtute ac poteſtate ſemel conceſſa ederet.

Supereſt jam quomodo Chriſtus id quod mulieri antea ſponderat, aliqua ratione confirmet, eamque bono eſſe animo jubeat. Dixit ergo ad mulierem illam, *Fides tua ſalvam te fecit*, vel *ſervavit te. Abi in pacem*, ut Græca habent, ſeu, quod perinde eſt, *in pace*. Quia animadverterat, convivas putare, nimis arroganter à ſe dictum, quod mulieri proxime dixiſſet, de remiſſione peccatorum certam ei fidem faciens, rem quodammodo repetit, & cauſa illius quæ in muliere exſtabat, indicatâ, aliquo modo confirmat. Maxime quia fieri poterat, ut & mulier illa adhuc vacillaret, nec ex ſolicitudine illa ſua tam facile ſe poſſet recolligere, ut flagitiorum ſuorum tam gravium memor, eorum ſibi veniam certò polliceri, ejuſque fiduciam capere ex verbis Chriſti poſſet. Præſertim ſi ex vultu convivarum animadvertere potuit eos ad verba illa Chriſti veluti attonitos non ſatis ea æquo animo accipere, & nimis arroganter vel etiam blaſpheme dicta exiſtimare. Quare illi ſalutem ſpondet; & fidem ipſius hoc impetraſſe ſignificat; ut cauſa indicatâ & res tanto fieret veriſimilior, & hac ipſa ratione moneretur fœmina ut in fide quæ tantum bonum ſibi peperiſſet conſtanter perſeveraret. *Fidem* autem intelligit Chriſtus eam, quòd credidiſſet Jeſum eſſe verum prophetam, Deique legatum, & talem quidem per quem etiam flagitiorum ſuorum graviſſimorum ob quæ ipſa tam male audiret, veniam conſequi poſſet, & cujus gratia ſibi eſſet quibus poſſet modis ambienda. Major enim aliquanto fides in hac muliere exſtitiſſe, & à Chriſto ei tributa fuiſſe videtur, quàm in aliis quibuſdam, quos ipſorum fides ſervaſſe eatenus à Chriſto dicitur quatenus ſanitatem ejus ope fuerunt conſequuti. In illis enim hæc tantùm fides fuit à Chriſto ſpectata, quòd crediderint poſſe Chriſtum ſeſe ſanare. Quanquam hæc fides ab illa vix ſejungi poterat, imò cum ea conjuncta fuiſſe cenſenda eſt, qua credebatur Jeſum eſſe verum prophetam atque à Deo miſſum; licèt interea nondum fortè animadverteretur quanta ab ipſo vel per ipſum à Deo bona impetrari poſſent: id quod hæc mulier aliquanto rectius videtur animadvertiſſe. Conſentaneum autem eſt, Chriſtum, qui antea charitatem mulieris illius erga ſe tantopere commendaverat, quam ad pariendam remiſſionem peccatorum magnam vim habere, aliunde ſatis conſtat, quamque huic mulieri quoque remiſſionem peccatorum conciliaſſe verba ℣. 44 omnino indicare videntur; Conſentaneum inquam eſt Chriſtum fidei nomine charitatem illam quoque per metonymiam ſynecdochicam complexum fuiſſe: ut & alibi in Sacris Literis fit, quum de fide ſalvifica ſermo eſt, vel ſaltem intelligi voluiſſe fidem illam in cauſa fuiſſe, partim quidem per ſe, partim etiam ob charitatem illam quam in fœmina iſta erga Chriſtum accenderat, ut remiſſionem peccatorum conſequeretur. Maluit nempe Chriſtus fontem iſtius felicitatis quæ mulieri huic contigiſſet, fontem inquam in ipſa exiſtentem quàm rivum inde deductum exprimere & ei felicitatem illius mulieris adſcribere, partim quidem, quia etiam ipſa fides per ſe magnam vim habet ad remiſſionem, eo præſertim modo quo hîc accipitur, impetrandam, partim verò quia hoc modo ſignificatur fidem eſſe illud medium quo cætera quoque comparare & poſſimus & debeamus quæ ad remiſſionem peccatorum ac ſalutem conſequendam requiruntur, ac proindè arctiſſimè nobis eſſe complectendam ac retinendam. Superius autem charitatem potiùs mulieris urſit, quàm fidem: primùm quia, ut nobis magis probatur, non de cauſa illic agebat remiſſionis peccatorum, quæ huic mulieri eſſet à Deo deſtinata, ſed de illius tantùm argumento, hîc autem de cauſa, non de argumento, præſertim omnibus manifeſto, agit. Deinde quia etiamſi ibi quoque de cauſa remiſſionis fuiſſet Chriſtus loquutus, non tamen ita conveniebat fidem mulieris fidei Pharisæi opponere, ut charitatem charitati. Quia utut facta illa mulieris eſſent fidei etiam ipſius argumentum, & illa Pharisæum etiam fide ſuperaret, non tamen tam apertè oſtendebant eam fide Pharisæo eſſe ſuperiorem, quàm charitate. Poterat enim hoc totum quod illa faciebat inde tantùm proficiſci, atque adeo maximè etiam inde profectum fuerat, quod majus à Deo per Chriſtum beneficium quæreret atque exſpectaret, ac proinde ſe ad eum magis diligendum obligatam eſſe cerneret: & hoc inſpectâ tantum mulieris illius vitâ ac famâ unicuique in mentem venire facilè poterat, fidei autem majoris argumentum cenſeri non poterant ipſius facta: quia cogitare unuſquiſque facile potuit, etiamſi uterque parem fidem Chriſto haberet, ſeu Pharisæus non minus Chriſto fidem haberet quàm mulier illa, Pharisæum tamen ideo minus dilexiſſe Chriſtum, aut dilectionis ſigna ipſi oſtendiſſe, quia minus ipſius gratiâ indigere ſe exiſtimaret, ac minus beneficii ab ipſo expectaret: mulierem contrà ardentius eum dilexiſſe, quia ejus gratiâ magis ſe indigere ſenſerit, & plus ab eo boni exſpectarit, & ſibi apud ipſum quodammodo paratum eſſe crediderit. Interim tamen nequaquam negaverimus, voluiſſe Chriſtum illis verbis quibus mulieri fidem, & fidei illius ſalutem adſcribit, obliquè perſtringere atque notare Pharisæum, qui minus quàm mulier illa peccatrix fidei haberet, & hanc quoque ob cauſam minus eum diligeret.

Addidit denique Chriſtus, ut mulierem penitus ſolaretur, *Abi in pace*, quaſi dicat, bene ambula, ſeu animo ſis bono, & omnia tibi proſpere eventura ſpera. Vel, ſi mavis, ut omnia tibi proſpera eveniant, opto ac voveo. Videtur enim Chriſtus uſitatâ inter Judæos loquendi formulâ uſus: quanquam fieri poteſt ut pleniore ſenſu; & quod alii tantùm voverent, id ille potiùs promitteret, ac ſponderet, deque eo certam eſſe mulierem juberet.

Lucæ XI. *à verſ.* 5. *uſque ad verſ.* 14. *initium.*

IN his verbis incitat nos Chriſtus ad precationis ſtudium: idque ita ut partim rationem proponat, quæ nos ad opem divinam implorandam impellere debeat, partim nos ea de re admoneat, ſeu ipſum precationis ſtudium nobis præſcribat. Ratio autem quam affert, petita eſt ab inſigni precationis fructu. Docet enim nos ſi inſtemus orationi, impetraturos id quod petimus. Ita enim in tota hac re progreditur, ut primùm rationem afferat à ſimili petitam, ex qua liquet quantum oratio conſtans efficere poſſit. Deinde rationem illam veluti concludens, ſimul & officium hoc noſtrum hoc eſt orationis ſtudium nobis præſcribat, & fructum ejus ſummum exprimat. Denique iterum ratione quadam fructum precum aſſidue ad Deum fuſarum demonſtret, & ſpecialius explicet. Primum continetur ℣. 5, & tribus ſequentibus: Ubi proponit exemplum ejus hominis qui importunis precibus invitum amicum eo adigat, ut ſibi gratificetur. Ubi quidem tria imprimis proponuntur ſpectanda. 1. Preces illius hominis importunæ, earumque cauſa. 2. Detrectatio illius amici, petitioni alterius certas ob cauſas ſatisfacere nolentis. 3. vis & effectus precum.

De primo ita ait: *Quis ex vobis habebit amicum, & iverit ad ipſum media nocte &c.* ℣. 5 & 6. Ubi id primum ponitur, quòd amicus ad amicum veniat: quia etiam in re quam confirmare vult Chriſtus, ponitur nobis eſſe rem cum benigniſſimo patre. Deinde exprimitur quam importuno tempore amicum adeat, & eum ſibi gratificari poſtulet, nempe *media nocte*. Et hæc duo revera ad ſcopum pertinent: cætera pro emblematis cenſeri poſſunt. Quanquam precibus illis quæ ſubjiciuntur, hîc preces noſtræ quibus varia à Deo bona petimus, reſpondent. Sed quòd *tres panes* nominatim hîc commemorantur, & ratio additur, *quia amicus meus ex itinere ad me venit, & non habeo quod ei appo-*

apponam, id emblema eſt, & per ſe ad ſcopum non pertinet: ſed ſervit concinnitati rei unde exemplum petitur. Neque enim facile noctu pecunia verbi gratiâ petitur, ſed tale quippiam quod præſenti neceſſitati ſerviat, qualis eſt verbi gratiâ panis. Sed quia cogitare is poſſet à quo panes petuntur, quorſum tibi media nocte panes? aut, cur mihi tam importuno tempore de panibus moleſtus es? ideo ratio quæ eum huc impulerit, quæque factum ejus hoc excuſet additur, nempe ℣. 6. Detrectatio verò amici ejuſque cauſæ, exprimuntur ℣. 7. Cui quidem rei id in re de qua agere inſtituit Chriſtus reſpondet, quod nonnunquam Deus nolit quempiam exaudire, & ſat graves ejus rei cauſas habeat, quæ tamen, ut poſtea apparebit, precibus aſſidue fuſis vincuntur. Quare quod dicitur hoc loco amicus ille hanc afferre cauſam, *Jam janua clauſa eſt, & liberi mei mecum ſunt in lecto*, ſeu ſtrato, *non poſſum ſurgens dare tibi*; his ſpeciatim nihil reſpondet; ſed generatim tantùm ſignificatur, Deum quoque habere cauſam cur precibus noſtris non protinus annuat. Vis autem & effectus precum, ſi ab illis non deſiſtatur, exprimitur ℣. 8. ubi ait Chriſtus, *Dico vobis etiamſi non det ei ſurgens propterea quod amicus ipſius ſit, ſaltem propter impudentiam ipſius ſurgens, dabit illi quibus indiget* ſeu, ut Græca vox ſonat, *quot* vel *quantis*, indiget. Quaſi dicat; Tanta eſt vis hujuſmodi precum, ſi quis illis inſtet, nec ſe repelli patiatur, ut ut audiat ſibi negari quod petat, ut tandem impetrent quod quærit: & majorem eſſe hujus in petendo conſtantiæ etiam cum impudentia quadam conjunctæ vim, quàm amicitiæ: cui tamen multum aliàs inter homines dari ſolet.

Sequitur jam altera hujus loci pars, ubi rationem præcedentem concludens Chriſtus, ad preces fundendas nos hortatur, & generalem earum fructum nobis ſpectandum proponit. Idque facit & admonitione, & fructu illo ter repetito. Primùm autem proprie utrumque proponit, deinde impropriè ſeu metaphoricè. Primo enim dicit, *petite, & dabitur vobis*; quæ verba ſunt per ſe clara. Deinde idem repetens ait; *Quærite* nempe Dei gratiam, precando, *& invenietis* hoc eſt impetrabitis. Et tertiò idem repetens, ait; *pulſate, & aperietur vobis*. Metaphorâ ductâ ab iis qui fores alienas pulſant, ut in ædes intromittantur, idem plane ſignificat quod præcedentibus: hoc eſt petere jubet, ut impetremus quod volumus. Ipſa autem repetitione harum rerum, ſimul & aſſiduitatem ac conſtantiam quæ in precibus fundendis ſit adhibenda quodammodo exprimit, & quàm certus ſit precum conſtanter fuſarum fructus, indicat.

Reliquum eſt tertium hujus loci membrum. Fulcit id quod de fructu precum tam inſigni dixerat Chriſtus, primùm generali ratione. Deinde argumento à minori ad majus ducto, ab ipſorum hominum exemplo petito. Generalis ratio eſt ℣. 10 expreſſa, ubi ait; *Omnis enim qui petit accipit &c.* Nam ſi omnis qui petit accipit, Ergo & vos ſi petieritis accipietis, & ſic in cæteris. Ratio verò illa quæ à minori ad majus ducta, & ab ipſorum hominum exemplo eſt petita, continetur ℣. 11, & duobus ſequentibus. Ubi ſi Logice velis argumentationem illam reſolvere, primùm minoris ſententia, ſeu mavis exempla quibus Minor confirmari poteſt, proponuntur. Deinde Major connexa, ſeu conſequentia: quæ ut in connexis propoſitionibus fit, concluſionis ſententiam in ſe complectitur. Etenim ſi rationem illam ad certam formam redigere velis, talis ea erit: Si vos homines ſoletis bona dona dare liberis veſtris; quanto magis pater ille cœleſtis, dabit ſpiritum ſanctum petentibus ipſum. Atqui vos ſoletis bona dona dare liberis veſtris. Ergo multo magis pater ille cœleſtis, &c. Major propoſitio ut diximus eſt ℣. 13. Minor illis exemplis probatur, quæ ponuntur verſ. 11. & 12. Ita ut illius ſententia in iis contineri quodammodo dici poſſit. Sed ſi popularius rem velis proponere, dicere poſſis Chriſtum, 1. fundamentum quoddam ſternere ſuæ argumentationis 2. argumentationem ſuper hoc fundamento exſtruere. Fundamentum ſternit dum exemplis docet quàm benigni ſint patres erga filios ſuos ℣. 11 & 12. ubi exemplis tribus id quod diximus docet. Ea verò ita proponit, ut non tam exprimat quid dare ſoleant parentes liberis, quàm neget eos dare res perniciosas, rebus utilibus quas liberi petant contrarias: ſed eo ipſo ſignificat, parentes ſolere res liberis utiles atque neceſſarias dare. Exempla ipſa per ſe ſunt ſatis manifeſta. Illud tantùm obſervari hic poteſt, pani opponi lapidem, piſci ſerpentem, ovo ſcorpium: quia aliqua tamen inter res illas ſive ratione formæ ſive ratione ſaltem magnitudinis intercedit ſimilitudo: licet qualitatibus longe inter ſe differant, atque adeo inter ſe ſint contrariæ. Lapis & panis, forma aliqua ratione inter ſe conveniunt, ſimiliter piſcis & ſerpens. Ovum autem & ſcorpio magnitudine potius quàm figura: niſi fortè quum ſeſe contrahit & caudam reflectit, ad ovi rotunditatem aliquantulum accedat.

Sequitur nunc argumentatio ſuper hoc fundamento exſtructa, ℣. 13, *Si ergo* inquit Chriſtus, *vos cum mali ſitis, noſtis dona bona dare liberis veſtris, quanto magis pater ille cœleſtis dabit*, &c. Ubi conſiderandum eſt & antecedens hujus enunciationis, ſeu quis mavult dicere argumentationis, & conſequens, & utrique interſerta conſequentiæ ratio. Antecedens eſt quòd nos homines ſciamus dona bona hoc eſt utilia dare liberis noſtris. Ubi noſſe idem videtur ſignificare, quod libenter ſolere. Illa verò verba *quum mali ſitis* ad conſequentiæ rationem pertinent: cujus pars altera huic oppoſita, in illis verbis quanquam tacite continetur, quum nobis malis opponitur *pater ille qui eſt ex cœlo*, quem benigniſſimum eſſe nemo non novit. Vox autem πονηρὸ ſeu mali duritiem potiſſimùm in alios & tenacitatem ac illiberalitatem ſignificare videtur. Quanquam nihil prohibet quominus & alia vitia quæ ad nocendum aliis ſunt comparata, & à beneficentia nos abducunt ſimul includas. Significat ergo Chriſtus, nobis duritiem etiam & illiberalitatem noſtram aut tenacitatem non obſtare tamen quominus liberis noſtris benefaciamus.

Huic membro opponitur conſequens; *Quanto magis pater ille qui eſt ex cœlo, dabit ſpiritum ſanctum petentibus ipſum?* Ubi & author doni præſtantiſſimi deſcribitur, & ipſum illius donum, quod ab eo impetraturi ſimus, & modus impetrandi, & facilitas quædam impetrandi, ſeu impetrationis certitudo. Quanquam hæc primis vocibus indicatur, dum ait; *Quanto magis*. Cur verò dicat, *quanto magis* jam aliqua ratione patet ex conſequentiæ ratione à Chriſto indicata. Nam ſi ii qui mali ſunt, ſeu duri, parci, ac tenaces, libenter tamen liberis ſuis benefaciunt, petentibus; quanto magis pater ille cœleſtis, quem in filios ſuos benigniſſimum ac liberaliſſimum eſſe, conſtat; dabit ſpiritum ſanctum rogantibus ipſum? Authorem deinde deſcribit doni præſtantiſſimi, dum ait, *Pater ille ex cœlo*, ubi Hebraiſmus eſt, pro pater cœleſtis; unde apud Matthæum eſt, *qui eſt in cœlis*. ut *Angelus ex cœlo* eſt angelus cœleſtis. Gal. 1. ℣. 8. (quanquam hæc verba ita poſſis accipere, quaſi dicatur angelus ex cœlo veniens) In hac autem deſcriptione omnia ſunt comprehendenda quæ ad largitionem donorum quæ petimus, ac nominatim ſpiritûs ſancti pertinent, nempe & dantis potentia, rerumque diviniſſimarum apud eum copia, & benignitas, ut jam paulò ante monuimus: quæ *patris* inprimis voce ſignificatur. Quanquam illi additæ voces *qui è cœlis eſt*, vim inſignem addunt, & omnem illam duritiem quam in patribus terrenis paulò antè notaverat Chriſtus, Deo adimunt. In hac autem argumentatione tacite ponitur, illos qui à Deo optimum etiam ſpiritûs ſancti donum impetrare velint, debere eſſe ipſius filios, ſeu filiorum inſtar ab eo diligi, utut fortè nondum perfecta ratione filii illius ſint. Jam donum quod in hac vita nobis contingere poſſit diviniſſimum, exprimit, cùm ait, *dabit ſpiritum ſanctum*. Apud Matthæum cap. 7. ℣. 11. ubi de eadem cæteroqui re agitur, & ſimilis plane argumentatio Chriſti exprimitur, generalius dicitur,

dabit bona petentibus ipsum. Sed hoc loco Christus maluit speciale donum commemorare quod nobis in hac vita contingere posset, & esset nobis maxime optabile atque inprimis necessarium, & Novi Fœderis maxime proprium: ac non obscure indicaret, instare jam tempus quo ubertim divinissimum hoc munus Deus esset in homines sibi addictos effusurus. Quod etiam postea contigisse, historia Sacra abunde docet. Addi fortasse potest & hæc causa, cur cùm videatur generalius concludere debuisse, nempe Deum multò magis bona daturum esse petentibus, ut apud Matthæum fecerat, maluerit nominatim spiritum sanctum promittere petentibus; quia dicere non injuria possis, spiritûs sancti dono quodammodo contineri omnia, quæ in oratione initio capitis hujus nobis præscripta, petere à Deo Christus jussit. Etenim, ut nomen Dei sanctificetur, ut regnum ipsius veniat, ipseque per Christum in animis hominum veluti regnet, utque ipsius à nobis perficiatur voluntas, maximum adjumentum affert divinus spiritus. Unde porrò & remissionem peccatorum à Deo obtinere facile est, & ut in tentationibus firmiter subsistamus, nec à Satana vincamur, idem S. S. inprimis efficit. Quare non mirum est, Christum, S. S. petentibus promisisse, quasi nimirum eo impetrato, omnia quodammodo impetrasse censendi sint. De hoc autem loco egimus nonnihil in libello de spiritu sancto.

Modus denique donum hoc obtinendi exprimitur, dum ait Christus, daturum esse Deum *petentibus*, seu rogantibus, *ipsum*: eum nimirum proponit doni hujus obtinendi modũ, ad quem nos tota hac oratione incitavit.

In Lucæ cap. XV.

IN hoc cap. continetur defensio D. Jesu adversus criminationes adversariorũ de conversatione cum peccatoribus. Ubi tres parabolas proponit Christus, quibus sese defendit adversus iniquam adversariorum reprehensionem, id in ipso carpentium quòd cum peccatoribus familiarius versaretur, & in ipsos telum veluti retorquens, propter hanc ipsam reprehensionẽ reprehendendos esse docet. ubi 1. considerãda est hujus sermonis Christi occasio. 2. deinde sermo ipse quo sese defendit.

Occasio exponitur ỷ. 1 & 2. quæ constat duabus rebus, quarum posterior ex priori pendet, seu quarum prior fuit occasio posterioris; quemadmodum posterior rursus occasio est propria, sequentis Domini Jesu sermonis. Prior est actio publicanorum & peccatorum, conjuncta cum facto ipsius Christi, quæ exponitur ỷ. 1. nempe quòd *omnes publicani* qui ob injustas exactiones pessime apud omnes audiebant, *& peccatores* hoc est homines qui ob scelera aut peccata manifesta publicè erant infames, ad Christum accesserint, ut eum audirent. Ubi tacitè intelligendum est, Christum id non modò non prohibuisse, sed libenter etiam permisisse, uti ex sequentibus apparet. Potest autem hoc intelligi vel de eo quod sæpius fieri soleret, vel de eo quod certo quodam loco ac tempore factum fuerit. Fieri enim potuit ut certo quodam in loco omnes seu plerique publicani ac peccatores qui isthic viverent, ad ipsum convenirent. Unde adversariis Christi insignior quædam data est occasio ipsum hoc nomine reprehendendi. Posterior est adversariorum Christi murmur seu reprehensio; Christum ideo carpentium quòd peccatores reciperet, seu ad familiare colloquium & congressum admitteret, & unà cum illis cibum caperet. Adversarii autem illi fuerunt *Pharisæi, & Scribæ*, homines nimirum & sapientia & pietatis laude inter Judæos celeberrimi. Nullos autem acriores habuit Christus adversarios, quam qui minimè esse debebant, & propter sapientiæ ac pietatis famam, veritati doctrinæ Christi adversaturi minime omnium videbantur. Quomodo sese Christus hac in parte defendat, suumque factum à reprehensione liberet, postmodum videbimus. Interim non erit alienum, etiam hoc loco nonnihil dicere, ad ejus rationem tanto rectiùs intelligendam, & nos ne forte præposterè imitemur, seu mavis, aliud agentes, imitari videamur, monendos. Visum fuit adversariis Christi absurdum, eum qui se pro proheta gereret, & divinorum mandatorum observans videri vellet, familiarius versari cum hominibus ob peccata sua infamibus, à quibus non modò ipsi, sed & alii è vulgo paulò honestiores ita abhorrerent, ut cum illis commercium habere, & cibum unà capere nollent. Sed non animadvertebant, primùm ad hoc ipsum fuisse Christum à Deo missum, ut hoc hominum genus quæreret, & ad resipiscentiam vocaret. Deinde non animadvertebant eum ita cum illis versari, ut medicus cum ægris solet, nempe ut eos ad sanitatem mentis revocaret: & non modò nullum esse periculum, fore ut eorum consuetudine quadam corrumperetur, sed etiam fore ut eos meliores redderet, & salutis compotes faceret. Itaq; etiamsi homines illi non ultro ac sponte sua ad Christũ accessissent, potuisset ille, imò etiam debuisset eos ipsemet adire ac quærere. Cum scopus ac ratio muneris sibi demandati, id exigeret. Multò autem minus eos à se repellere debuit, cùm ipsimet ultrò sese offerrent. Neque verò dubitandum est, Christum, si illi sæpe diuque moniti, & divinam voluntatem edocti, resipiscere noluissent, omniaque adjumenta ad vitę pietatem sectandam frustra habuissent, aut si animadvertisset eos canibus porcisq; similes esse, qui divina oracula vilipenderent; eorum congressionem ac consuetudinem familiarem fuisse fugiturum. unde jam apparet non posse eos se hoc Christi facto tueri, qui cum hominibus prorsus profanis atque impiis, quibus res sacræ ludus & jocus sunt, ac de quibus nulla aut vix ulla spes superest reditus ad frugem, libenter versantur, eorumq; congressum etiam cùm nulla urget necessitas, non refugiunt; vel, quod deterius est, etiam ambiunt. Nec illi se hoc facto Christi defendere possunt, qui cum hominibus ob peccata infamibus aliam aliquam ob causam quippiam habent commercii, quàm ut illos ad saniorem mentem revocent. Nam etiamsi id facere nonnunquam licet, ut Paulus docet, 1 Cor. 5. 10. tamen hoc Domini Jesu exemplum eò nihil facit. Multo autẽ minus illi se hoc Christi exemplo tueri possunt qui cum iis quos Christi Ecclesia fraterna consuetudine & familiaribus congressibus indignos judicavit, familiariter nihilominus versantur, etiam tum cùm id haudquaquam agunt ut eos ad frugem reducant. Siquidem nec hujusmodi fuit illorum cum quibus Christus versatus fuit, status, utut fortè à Synagoga Judaica essent exclusi: propterea quòd Christus per divinam voluntatem sibi patefactam, & per se aliis publicandam etiam hujusmodi hominibus gratiam divinã offerre, & legalia vincula solvere poterat. Quum illa vincula quibus Christi Ecclesia constringit eos qui Euangelicam veritatem habent cognitam, & nihilominus tamen contemtâ tanta Dei benignitate, divina mandata violant, solvi non possint ulla ratione, nisi resipiscentia eorum interveniat: & ipsius Christi interdictum nos ab hujusmodi hominũ familiari cõsuetudine arcet.

Sed jam ad ipsas Christi parabolas quibus sese defendit, & reprehensionem in se injuriâ contortam in adversarios retorquet, videamus. Ex tribus autem quibus sermo Christi constat, parabolis, duæ priores inter se sunt admodum similes, & eodem prope modo à Christo tractatæ. Tertia & fusior est, & prioribus utut scopo similis, tractatione tamen admodum dissimilis. Itaq; priores illæ duæ simul tractari à nobis possunt. In utraque duo ostendit. 1. Majori quadam diligentia queri solere rem eam quę perierat, quàm custodiri etiam longe plura, quę nobis sunt salva. 2. Deinde majorem solere percipi lætitiam ex re quę antea perierat inventa, ac recuperata, quàm ex longe pluribus illis quæ non perierant, & nobis sunt salvæ. Quod posterius ad institutum suum apperte applicat Christus, dum utrobiq; ostendit, magis gaudere ipsos in cœlis angelos uno peccatore resipiscente, quàm ex nonaginta novem justis qui resipiscentiâ non indigeant. Horum utrumque quidem pertinet ad defensionem facti Domini Jesu; sed posterius tamen magis est comparatum ad factum adversariorum reprehendendum: qui non tantum non lętabantur peccatores à Christo ad resipiscentiam vocari, & hunc in finem eum cum illis versari; sed etiam dolebant remque illam indigne ferebant. Ut ergo utrumque illud doceat, exempla proponit. Primò viri alicujus, ovem unam quę perierat, relictis aliis 99 in ipso deserto, sine custode, soli-

solicite quærentis, eamque receptam magno cum gaudio humeris suis impositam domum deferentis, atque ad communionem gaudii ac congratulationis amicos ac vicinos suos excitantis. Deinde fœminæ ex 10 drachmis unam quæ perierat solicite scrutantis, & ea inventa, amicas ac vicinas suas similiter velut ad commune gaudium vocantis. Quo ipso significat, mirari neminem debere, ipsum atque adeo Deum per ipsum, relictis quodammodo iis qui innocenter viverent, in peccatoribus ad resipiscentiam vocandis tam diligenter tamque solicite laborare: præsertim cùm longe plures essent quam qui cum virtute vitam traducerent. Quandoquidem illi homines perierant: rei autem natura, ut parabolæ illæ ostendunt, ita fert, ut majori cura quæramus ea quæ perierunt, quàm custodiamus ea quæ salva sunt, & de quibus ne forte pereant, non admodum metuimus. Præsertim quia inde consequuturum esset ut ipsi quoque angeli cœlestes gauderent: quod ipsorum gaudium significat, quàm ea res sit Deo, ad cujus voluntatem illi sese penitus attemperant, grata atque accepta. Hoc ipso autem & nobis exemplum præbuit Christus, ut summam quoque adhibeamus curam ac diligentiam in peccatoribus ad frugem revocandis, si modò spes de illis bona nobis affulgeat: præsertim si plures illi sint. Nam si vel unum tam solicite quærere deberemus, uniusque resipiscentia tantum Angelis cælestibus affert gaudium; quid de pluribus censendum erit? Hoc ergo pacto seipsum Christus potissimum defendit. Sed adversarios ea ratione inprimis reprehensione dignos ostendit, quòd partim in parabola docuit, & cupere eos qui rem perditam recuperarunt ut alii quoque sibi gratulentur, secumve lætentur, & ipsam humanitatem ut id fiat requirere: partim dum similitudinem ad institutum suum accommodans, docet ipsos quoque Angelos tantopere gaudere super uno peccatore qui resipiscat. Ubi primum opponit gaudium istud, illorum dolori atque indignationi: deinde Angelos hominibus: peccatores qui resipiscunt, justis resipiscentiâ non egentibus, unum peccatorem, 99 justis, & gaudium de illo uno perceptum, gaudio ex 99 justis capto. Significat enim illos non tantum non debuisse indignari aut dolere hoc Christi facto conspecto, sed etiam gaudere, & tum Christo, qui homines illos perditos in viam revocaret, tum ipsis peccatoribus ad resipiscentiam sese quodammodo comparantibus, ipsiusque doctrinam qua ad eam vocabantur audientibus gratulari: idque tanto magis quòd & Angeli in cœlis voluptatem ac lætitiam ex ea re percipiant. Si enim Angeli id faciunt, & natura & actionibus ab illis longe discreti; quanto magis id homines facere debent, qui & naturâ cum peccatoribus istis conjuncti sunt, & ut-ut tandem honeste atque innocenter vitam traduxerint, non sunt tamen à lapsibus prorsus immunes. Adde quòd si non modò æque gaudent Angeli ob resipiscentiam hominum nocentium quàm ob vitam ab aliis innocenter actam, sed magis ex illa quàm ex hac gaudent: adeo quidem ut major exoriatur lætitia vel ex unius peccatoris resipiscentia, quàm ex longe plurium innocentia, atque in pietate colenda, constantia; quis non videt, quàm gravem mereantur reprehensionem ii, qui non tantùm non gaudent plurimos peccatores ad resipiscentiam adduci, verùm etiam dolent, atque illi qui id curat, succensent. Hac autem ratione non illi tantùm monentur qui cernunt alios in peccatoribus ad frugem revocandis occupatos esse, ut non tantùm ægre id non ferant, sed etiam gaudeant; verum etiam ii quibus facultas est & occasio homines ad frugem revocandi, ut ea utantur, nec occasionem sibi fortè oblatam negligant; quum sciant quàm gratam Angelis cœlestibus ipsique adeo Deo sint rem præstituri, si peccatores ab errore viæ suæ in rectum salutis iter deduxerint, aut deducere conati fuerint: siquidem & conatus in laude est, ac præmium apud Deum habet, ut-ut eventus non sequatur. Et denique ipsi peccatores, moneantur ut resipiscentes gaudium Angelis cœlestibus parent, nec reditum ad saniorem mentem differendo illorum gaudium differant. Verùm antequam hinc abeamus, illud explicandum est quod dicit de justis qui non indigeant resipiscentia. Illud quidem planum est, quod verba ista, *qui non indigent resipiscentiâ* non addita sint ad distinctionem justorum, quasi nimirum alii sint qui indigeant resipiscentiâ, alii non indigeant, & de his, non verò de prioribus illis, loqui se Christus indicet; sed proprium quoddam justorum omnium seu justitiæ ipsius consequens, generale exprimant; Quasi dicat; qui quidem justi pœnitentia non indigent. Verùm illud non satis apud omnes constat, an sint, vel quinam sint illi justi qui resipiscentia non indigeant. Nos quidem nihil dubitamus eos justorum nomine hîc intelligi, qui à primis annis legis divinæ notitia imbuti, (de hoc enim hominum genere sermonem hîc habet Christus) eam pro virili semper sunt exsequuti, ita ut quemadmodum Paulus de seipso testatur, secundum justitiam quæ in lege præcipitur essent irreprehensibiles. Cujusmodi fuit inter alios Zacharias, Johannis Baptistæ pater, ejusque uxor Elisabeta, quemadmodum apertè testatur Lucas euangelii cap. 1. ℣. 6. itemque Josephus Mariæ maritus, Matth. 1. ℣. 19. Simeon Luc. 2. 25. & alii. Tales censeri potuerunt omnes quicunque nihil admiserunt unquam quod sacrificiis expiari non posset, nec quicquam tale quod præter sacrificium mulctâ esset expiandum, aut tali aliquo vitio laborarent, quod ipsa ratio atque honestas vitæ respueret: quale fuisset, si ebriosi aut luxuriosi fuissent, si nimis iracundi, aut superbi. Nam nonnulla vitia nisi modum nimiùm excedant, vulgò feruntur, iisque ita ignoscitur, ut bonorum virorum nomen non amittant qui in illis hærent. Ex quibus jam intelligitur, exstitisse & exstare etiamnum posse justos hujusmodi homines. Jam verò inde facilius intelligi potest quo pacto dici possit, justos hujusmodi, resipiscentia non indigere. Etenim quum ii homines nunquam animum habuerint aversum à virtute & pietate, quinimo eam, quatenus non tantùm ratione duce, verum etiam ex lege divina agnoverant, studiose semper coluerint, resipiscentia in illis locum non habuit. Resipiscentia enim si proprie loqui velis, hujusmodi est animi ac vitæ mutatio in melius, ut cùm antea vel plane aversum habueris ab aliqua saltem pietatis parte animum, vel certè non ita eam sequendam omnino statueris, atque adeo sequutus fueris, quin multa commiseris quæ te committere nullo pacto debere vel agnoveris vel agnoscere facilè potueris, jam porrò aliud apud te decernas, & virtutem ac pietatem à te agnitam, constanter sequendam statuas, ac pristina facta detestatus, melioris vitæ iter ingrediaris. Profectui in pietate atque ad perfectionem progressui, locus in illis esse potuit, imò omnino fuit; sed aliud est in pietate proficere, atque ad majorem sanctitatem adspirare, aliud resipiscere. Licèt etiam is qui in pietate proficit, defectus priores relinquat, & eos improbet; sed hujusmodi tamen mutatio, resipiscentiæ nomine in Sacris Literis non solet significari: hoc certè loco non intelligitur.

Veniendum nunc est ad tertiani parabolam, quæ fusior est. In qua duo Christus docet. Primum ac præcipuum est quàm promtus sit Deus ad peccatores resipiscentes in gratiam recipiendos. Alterum, quàm consentaneum sit divinæ huic benignitati ac voluntati, ut homines cæteri, etiam ii qui resipiscentia non indigent nec indiguerunt unquam, ex aliorum resipiscentia summam capiant voluptatem. Hoc ut mentibus nostris infigat, tres nobis potissimùm personas earumque actiones proponit spectandas: patrem nimirum cum duobus filiis, quorum alter peccatores qui postmodum resipiscant, alter homines justos resipiscentia non indigentes, repræsentat. Pater autem ipsum Deum, qualem sese per Christum hominum generi exhibere cœpit, refert. Primum autem de illo agit filio qui peccatores postmodum resipiscentes nobis exhibet. Deinde de Patre, hunc quidem filium in gratiam recipiente, alterum verò qui justos refert, ut inven-

invento fratre gaudeat, monente; & denique de altero illo filio. Quanquam membra hęc non ita sunt inter se distincta, quin ea quæ patri tribuuntur, inserantur partim hujus partim illius filii actionibus aut sermonibus.

Quod ad priorem filium attinet, illius primum ætas, deinde actiones, actionumque effecta, vel consequentia describuntur. Ætas indicatur, dum dicitur fuisse *junior*: eam proculdubio ob causam quia ætas juvenilis petulantior, ad luxum ac lasciviam pronior est: & juniores filii indulgentius sæpe habentur à parentibus, unde laxatis postea habenis ad voluptates sese abjiciunt, & sua libenter abliguriunt. Itaque rem hanc ita refert Christus, ut ad consuetudinem vulgatem sermonem suum accommodet, quo probabilior fiat parabola, & historiæ similior. Jam quod ipsius actiones, actionumque effecta attinet, tria de illo hic narrantur. 1. Ipsius delictum, vel potius delicta. 2. Deinde miseria, in quam suo se delicto præcipitavit. 3. & denique resipiscentia. Nam quod postea in gratiam fuerit à patre receptus id ad patris potius actiones quàm ad filii pertinet.

Delictum ipsius eo continetur, quòd ausus fuerit partem hæreditatis ad se spectantem à patre vivente petere, & acceptam dilapidare. Quæ hîc fusius recensentur, additis quibusdam circumstantiis quæ in rebus unde petita est hæc similitudo cerni solent. Ut quòd omnia illa quæ ad se ex patrimonio pertinerent bona intra dies non adeo multos collegerit, quodque longe à patre, quò licentiosius ac sine monitore molestoque inspectore vivere posset, abierit, atque ibi per luxum rem patriam dilapidaverit. Huic facto simile est omnium peccatorum, eorum pręsertim qui legem divinâ habuerunt cognitam & fœdere cum ipso juncti fuerant, institutum. Etenim qui abjecto Dei metu suum dilapidant ac profundunt. Quanquam alioqui jactura gratiæ divinæ ac bonorum quæ in fœdere illis fuerant destinata, consequens est peccatorum, de quo in sequenti statim particula agemus. Quocunque autem quispiam delicti genere Deum offendat, similis est prodigo huic ac perdito adolescenti: ac non minus Deum offendit, quàm ejusmodi filius offenderet suum patrem, qui & frugi habere filium vellet, & ægerrime ferret bona magno labore à se comparata, ac diligenter custodita, per luxum ac libidines profundi.

Miseria in quam incidit, describitur ℣. 14, 15, 16. & quibusdam veluti gradibus attollitur, atque iterum ad verisimilitudinem accommodatè exprimitur. 1. Primus gradus est, quòd consumtis omnibus inopiâ laborare cœperit: idque eo tempore quo annonæ caritas ac fames, regionem in qua vivebat, oppresserat. 2. Secundus, quòd ad vilissimum ministerium, hoc est ad sues pascendas, cuidam civi, homini extraneo sese addixerit. 3. Tertius, quòd deterior ipsius conditio fuerit quàm ipsorum quos pascebat porcorum: quandoquidem ne siliquæ quidem ipsi suppeditaverint, quibus explere latrantem stomachum utcunque posset, quibus tamen sues vescebantur. Hæc si ad Christi scopum accommodare velis, significant statum peccatoris miserrimum, ac nullis lacrymis satis deplorandum. Perdit nimirum istiusmodi homo Dei gratiam, & quicquid ab illa proficiscitur bonorum, nihil autem non ab hoc fonte proficiscitur. Contra, variis sese implicat suppliciis, & iræ divinæ fit victima. Nullus jam gratiæ divinæ ac benignitatis sensus est, utut quispiam sibi videatur omnibus hujus mundi abundare bonis, fame nihilominus ipsius anima moritur, & deterior ipsius est quàm porcorum conditio.

Resipiscentia illius describitur ℣. 17, 18, 19, parte 20, & 21. inseritur jam initium paternę gratiæ in quam per resipiscentiam recipitur. Quo quidem loco, resipiscentiæ & ortus & progressus egregie nobis depingitur. 1. primùm enim describitur id quod eum ad resipiscentiam vitæque rationem mutandam impulerit, nempe agnitio miseriæ in quam inciderat. 2. Deinde consilium mutandi facti sui, & confessionis delicti, unà cum supplice precatione. 3. Denique hujus consilii exsequutio, h. e. reditus ad patrem, & delicti sui humilis confessio.

Primum exprimitur ℣. 17, ubi dicitur, *in se ipsum autem rediens, dixit: Quot mercenarii Patris mei abundant panibus, ego autem fame pereo.* Ubi infelicitatem suam ita considerat, ut statum suum cum feliciori etiam hominum longe vilioris conditionis conferat, & illos se longe esse feliciores æstimet. Ubi videmus, si quis resipiscere velit, ei necesse esse ut in seipsum descendat, & probè quid secum fiat, quo loco res ipsius sint, quàm periculoso quamque misero in statu versetur, apud animum suum accurate expendat; & deprehensâ hujus miseriæ suæ causâ, nempe discessu à patre, de ratione cogitet, qua possit se hac miseriâ eximere, & ad feliciorem conditione emergere.

Alterum, hoc est consilium mutandi instituti, seu redeundi ad patrem, & culpam apud ipsum tum confitendi, tum humiliter deprecandi, ac gratiam ipsius ambiendi, continetur versic. 18 & 19. Ubi nobis prima veraque resipiscentiæ pars depingitur, nempe animi illa mutatio, quam postea vitæ ipsius mutatio, cum confessione delicti, ac deprecatione conjuncta, sequi debet. Ita ergo apud se cogitasse à Christo dicitur; *Surgens ibo ad patrem meum, & dicam illi, pater, peccavi in cœlum &c.* Duo, ut diximus, sibi proponit. Primum est reditus ad patrem; quo significatur conversio vera ad Deum, hoc est reditus ad pietatem, ac vitæ in melius mutatio. Quemadmodum enim peccando discedimus, nosque avertimus à Deo; ita peccata deserendo, ac justitiam colendo, ad Deum redimus. Alterum est confessio illa ac deprecatio supplex, ac valde demissa. *Dicam* inquit, *Pater, peccavi in cœlum, & coram te, & non amplius sum dignus ut vocer filius tuus, fac me sicut unum ex mercenariis tuis.* Quasi dicat: Et in Deum peccavi, qui in cœlis habitat, & in te; adeo, ut indignus jam sim qui filii loco à te habear, quin & nomine illo sum indignus. Neque etiam postulo, ut filii loco apud te sim, seu sicut filius à te tracter. Satis mihi erit, ut mercenarii apud te sim loco: id unum à te peto, amplius nihil postulo: hoc ipsum gratiæ ac beneficii summi loco sum habiturus. Quo loco de duobus monemur, quæ resipiscere volentibus sunt observanda. Primò ut culpam apud sese agnitam, fateri velint, neque eam præsertim coram Deo tegere ac silentio præterire velint. Deinde ut quàm indigni propterea sint divinâ gratiâ, simul agnoscant, ac confiteantur, sibi nihil deberi, præsertim magnum atque insigne, statuant, & satis sibi fore agnoscant, si aliquâ saltem eos gratiâ Deus dignetur. Nam & ingenua illa confessio, ex animo sincero, candidoque pectore profecta, & illa animi demissio atque humilitas, Deum ad misericordiam flectit, & iram ejus placat. Exsequutio hujus consilii ac decreti exponitur partim initio ℣. 20, partim ℣. 21. Etenim initio ℣. 20 narratur quomodo cœperit ad patrem suum redire: ℣. autem 21 quomodo confessionem delicti sui, suæq; indignitatis, ediderit. Ubi quid intelligendum sit, jam satis ex modò dictis apparet. Per reditum enim illum ad patrem, reditus ad frugem seu abjectio pristinorum peccatorũ, & vitæ emendatio intelligitur. De confessione res per se liquet. Sed illud tamen observandum est ratione ordinis inter rem à qua similitudo ducitur, & inter id quod similitudine declaratur, discrimen esse. Etenim confessio peccatorum atque indignitatis nostræ, non consequi tantùm nostrum ad frugem reditum debet, sed & antecedere. Verùm ordo ille in re à qua similitudo ducitur servari non poterat, propterea quòd filius à patre longe absens, confiteri coram ipso delictum ac culpam deprecari non poterat. Itaque prius surgendum & ad patrem redeundum erat, tum demum ubi ad patrem venisset, confessio edenda & culpa deprecanda. Hinc autem apparet, non satis esse ad resipiscentiam veram ac perfectam hominique fructuosam, apud animum aliquid boni decernere, & reditum ad Deum, hoc est ad frugem seu mutationem vitæ in melius apud animum proponere; sed necesse etiam esse, reipsa ad frugem redire, & hoc pacto ad Deum sese convertere: nec satis esse confessionem tantùm delictorum edere, culpamve deprecari; sed & factis esse opus quibus ad Deum reditur, & amicitia cum eo quæ re-

scissi fuerat, denuo sancitur. Est autem & illud notatu dignum, quòd filius nihilominus dicitur culpam indignitatemque suam confessus, etiamsi jam videret quam gratus patri suus esset adventus. Dicit enim Christus, patrem quidem quum eum è longinquo videret, ipsius misertum accurrisse, & complexum osculatumque fuisse: sed nihilominus filium dixisse, *pater peccavi &c. & non amplius sum dignus ut vocer filius tuus.* Quod nobis exemplo est, ut etsi videamus quàm gratus sit Deo noster ad frugem atque adeo ad ipsum reditus, quantaque nos charitate complectatur, non desinamus tamen culpam indignitatemque nostram confiteri, & coram ipso nos posternere, eum deprecari, ac veniam petere. Quæ causa fere præcipua fuit, cur Christus voluerit, ut delictorum nostrorum veniam à Deo quotidie peteremus. Et de factis filii junioris, peccatores resipiscentes nobis repræsentantis, hactenus.

Sequuntur nunc patris facta, eaque duplicia. Priora præcipuè spectant ad filium perditum in gratiam recipiendum, & beneficiis singularibus afficiendum. Posteriora ad alios monendos, ac præcipue filium alterum, ut secum lætari ob filium restitutum velit.

Priora exprimuntur partim ℣. 20. partim 22 & parte 23. Etenim ℣. 20 dicitur, filio illo juniore adhuc longe absente, patrem illius ipsum vidisse, & misericordiâ motum accurrisse, & eum in amplexus suos recepisse, osculatumque fuisse. Ubi singulari quodam artificio vel potius sapientiâ utitur Christus in exprimenda summâ Dei erga peccatores charitate, ac propensissima voluntate: qui non exspectata plena perfectaque eorum resipiscentia ac vitæ emendatione, illos statim simul atque resipiscere ac vitam emendare inceperint, gratiâ suâ complectatur, & peccatorum ab illis commissorum memoriam protinus deponat, iisque mirum in modum favere incipiat. Quandoquidem statuitur hic pater non exspectasse donec filius ad sese veniret, & advolutus forte pedibus, culpam prius deprecaretur, tantum abest ut deprecantem etiam ac diu multumque veniam orantem à se repelleret, & vultum ab eo suum averteret; sed potius e longinquo conspecti misertus fuisse, & accurrisse, eum amplexus osculatusque fuisse. Indulgentissimi nimirum & amantissimi patris ingenium hac in parte exprimit. Quanquam hæc non ita sunt accipienda, quasi remissio peccatorum quæ homini peccatori resipiscere incipienti apud Deum parata est, jam sit plane absoluta ac perfecta. Tum enim demum absoluta ac perfecta evadit, ubi & resipiscentia fuerit penitus absoluta: alioquin à Deo revocatur. Quod verò ad ℣. 22 attinet, ibi exprimuntur paterni illius affectûs effectus majores, hoc est beneficia in filium collata: quæ significantur dum dicitur pater ille jussisse servos afferre stolam præcipuam & induere filium, imò & annulo eum ornare, similiter & sandalia subligare pedibus, & convivium illius causâ mactato vitulo instruere. His rebus adumbrantur insignia Dei beneficia quibus Deus peccatores resipiscentes partim hîc afficit, partim in altera vita est ornaturus. Jam ut ad alterum factorum hujus patris genus veniamus, quæ spectant ad alios monendos, ut & ipsi gaudere una velint ob filium qui perierat receptum; illud primùm paulò generalius est quòd servis præcepit ut mactarent vitulum saginatum, & cibum capientes omnes unà sese exhilalarent: causâ additâ ℣. 23. *quia hic filius meus mortuus erat & revixit &c.* Quandoquidem ut jam suprà vidimus ita rei natura fert, ut rebus perditis inventis, & maximè iis quæ charissimæ nobis fuerunt, vehementer lætemur, atque adeo magis quàm si nunquam periissent: maximè verò cùm filios perditos recipimus, & veluti à mortuis excitatos recuperamus. Quale autem gaudium illud fuerit, postea melius declaratur, dum versic. 25 significatur symphoniam quoque & choreas ibi fuisse institutas, & à filio majore natu ex agro redeunte, auditas. Sed illud specialius est quòd filium quoque majorem natu ad eandem lætitiam unà capiendam hortatus fuerit, & repugnantem indignantemque impellere fuerit conatus: qua de re agitur à versic. 24 usque ad finem capitis. Ubi patris & filii majoris natu dicta factaque inter se ut supra monuimus nitentur. Unde primò generatim discimus, velle Deum, & summo quidem jure, ut omnes qualescunque tandem sint, ex hominum peccatorum resipiscentia summam capiant lætitiam.

Verùm ne quid prætendere possent Christi adversus quos sese hîc defendit adversarii, & ut eorum iniqua obmurmuratio retunderetur, ideo eos in filio hujus patris majore veluti depingit, & eorum indignationem exprimit, & nequaquam probandam esse ostendit, patre simul introducto qui illam filii sui iram mitiget, & rationem exponat cur gaudere una jure & ipse debeat, ipsiusque rationem qua sese defendere et refellat. Primùm igitur, ut in altero filio, ita & hic alterius filii ætatem, deinde facta dictaque illius spectanda proponit. Illam dum dicit eum fuisse *seniorem*: idque propterea quod grandior ætas ad morum quandam constantiam & vitæ frugalitatem non parum adferat adjumenti: quodque majores natu liberi minus indulgenter à parentibus haberi & laboribus exerceri magis solent. Quare hujus filii persona magis fuit accommodata ad repræsentandos homines justos, aut justitiæ saltem famam habentes. Quod ad facta dictaque filii attinet, dictis patris veluti interjuncta, ea plura quidem sunt, sed non omnia ad scopum revera pertinent: quædam enim sunt veluti emblemata, quæ Christus huic picturæ addit, hoc est quædam interjicit, quæ ad narrationis probabilitatem rerumque connexionem quandam spectant, & cætera quæ ad rem pertinent magis illustrant. Etenim duo imprimis sunt in hoc filio nobis proposita quæ ad scopum revera pertineant. Prius est illius indignatio, & animus à gaudio illo quod pater una cum servis ex filii reditu caperet, aversus: posterius, hujus indignationis causa. Verùm ut res fiat verisimilior, occasio etiam hujus indignationis exprimitur, & facta quædam illius filii referuntur ad hanc rem valde accommodata: nempe vers. 25, 26, 27. Ubi primum dicitur, filium illum seniorem fuisse tum temporis in agro, nempe quum adveniret frater ipsius junior, & à patre exciperetur, ac convivium apparetur. Nam si adfuisset, impediturus statim rem fuisse videretur; itaque abfuisse statuitur. Quod verò in agro dicitur fuisse, id indicat eum fuisse diligentem, laboriosum ac frugi, & patri obsequentem, qui agrum curaverit: ut ita ipsius oratio quàm infrà ad patrem habuit, ℣. 29. *Ecce tot annos servio tibi, & nunquam mandatum tuum transgressus sum*, fiat verisimilior, & justiorem videatur habuisse indignationis causam. Accede quòd hoc pertinuit ad indignationem ipsius tanto magis acuendam, quòd ipse ex agro id est a labore durissimo à patre sibi demandato redeuns, curata re familiari, deprehendit ex improviso filium qui rem patrium magno labore partam dilapidasset, & postmodum reversus domum tam lautè fuisset a patre acceptus, quàm lautè ipse nunquam. Itaque suæ diligentiæ ac laboris recens memoria, & illius alterius desidia, luxus, perniciique mores, tanto magis ipsi bilem moverunt. Deinde narratur propior illius indignationis occasio, quòd cùm appropinquaret domui paternæ, audiret symphonias & choreas: à qua postmodum venitur ad proximam. Hac enim causâ motus, dicitur vocasse unam è pueris vel servis & causam hujus rei fiscitatus ab eo, audivisse fratris causâ tam lautum convivium fuisse apparatum. Hæc ergo ut diximus emblemata quodam modo sunt: quanquam id quod ultimo loco narratur aliquid habet et quod in re qua de hîc agitur illi respondet. Quod enim viderunt Pharisæi & Scribæ Christum tam familiariter admittere publicanos & peccatores, ut etiam cum illis ederet, respondebat ei quòd hic filius dicitur audivisse Symphonias & choreas, audiveritque lautas epulas a patre fuisse in gratiam filii perditi institutas. Sequuntur nunc illa ut diximus facta dictaque filii ad rem imprimis pertinentia. Et indignatio quidem filii atque detrectatio lætitiæ exponitur initio vers. 28. Cui quid in adversariis Christi tum temporis respondeat,

derit, satis ex initio hujus capitis liquet. Interseritâ postmodum patris exhortatione, qui egressus filium monuerit, ut nimirum ingrederetur, & unà hilarem sese præberet; additur res altera: nempe oratio filii qua causam hujus suæ indignationis exponit, & jure se succensere ostendere conatur. Illa verò causa exponitur ℣. 29 & 30. Ubi se cum fratre juniore ita comparat, ut partim merita utriusque, partim præmia, seu mavis conditionem qua sit apud patrem inter se contendat. Se enim obsequio erga patrem constanti amorem illius ac beneficia meritum, præmium tamen nullum hucusque retulisse. At contrà filium alterum, non modò nullum præmium, sed iram potius patris meritum, id consequutum tamen esse, ut tam laute nunc acciperetur. Hanc ergo meritorum ac conditionis imparitatem, ac rei ipsius indignitatem quandam, meritò indignationem suam accendere. Protasis hujus comparationis exponitur ℣. 29; apodosis ℣. 30. Utraque autem bimembris est: siquidem partim merita, partim conditionem meritis minime respondentem explicat. Sua merita his verbis exponit atque exaggerat, quum ait, *Ecce tot annos servio tibi, & nunquam mandatum tuum transgressus sum.* In singulis prope verbis emphasis est aliqua. *Ecce*, inquit; rem ipsam modò considera, jam ipsis oculis propemodum subjectam. *Tibi ego servio*; filius quum sim, servi tamen officia ac munia tibi præsto, & labores eos qui mancipiis imperari solent, tolero. Idque ad hunc usque diem: non servivi tantùm tibi antehac, sed ad hoc usque tempus tibi ministro. Neque id per unum tantùm atque alterum diem, neque per unum alterumve annum; sed *tot annos*. Neque verò ita tibi servio ad hunc usque diem, ut aliquando saltem tibi fuerim immorigerus; *nunquam* ego *mandatum tuum transgressus sum*, nunquam contrà quam jussisti, feci. Ita loquentem facit hunc filium Christus, ut hac ejus oratione postmodum à patre refutatâ, omnibus etiam justissimis, aut justitiæ opinione vel maxima tumentibus, omnem adimat causam ob quam de tanta Dei erga peccatores clementia ac benignitate, ac porrò de Christo tantam illis Dei benevolentiam offerente, & quodammodo repræsentante, conquerantur. Siquidem hic filius patri non minus fuit obsequens, quàm isti, Deo, sive revera, sive opinione sua paruerunt: nec minus ille apud patrem, quàm hi apud Deum, imò plus etiam meritus fuerat. Conditionem suam, meritis illis suis vitæque actæ minime respondentem, his exprimit verbis: *Et mihi nunquam dedisti hædum, ut cum amicis meis me exhilararem.* Quasi dicat, non modò vitulum, & quidem bene saginatum, nunquam meâ gratiâ mactasti; sed nec quod minimum est hædum aliquem dedisti. Neque verò ad certum tantùm tempus hanc tam exiguam benevolentiam mihi non præstitisti; sed *nunquam*. Nec tantum id mihi negasti, ut cum scortis aut nequam hominibus, genio indulgerem, sed etiam ne cum amicis meis aliquando me oblectarem. Ubi videtur aliqua ratione exprimi eorum conditio, qui sub lege Deo ita paruerunt ut justorum nomen mererentur, habita ratione donorum cœlestium. Etenim nunquam illis tantum præmium obtulit, nunquam tam divina in illos effudit dona, atque in peccatores sub Novo fœdere. His & immortalis vitæ præmium aperte obtulit, sub Veteri Fœdere aperte non promissum, & uberrima spiritus Sancti dona impertiit: quæ nec tanta nec tam vulgaria sub Veteri Fœdere fuerunt. Porrò de fratre suo ita loquitur, ut meritum ejus primum, seu mavis indignitatem his exprimat verbis; *Quando autem filius tuus iste qui abligurivit tuum victum cum scortis &c.* Primùm ne nominare quidem eum dignatur, nec suum appellat fratrem; sed tantùm dicit *filius tuus*, & quidem additâ voce *iste*, quæ ipsa ad contemtum vel indignitatem exprimendam pertinet. Deinde ait eum non aliquid tantum de fortunis paternis absumsisse, sed simpliciter ait *victum* seu facultates, quasi dicat, id ex quo tuipse vivere debebas, & magnam substantiæ tuæ partem. Neque ait, inpendit in res necessarias, sed *devoravit* vel abligurivit, per luxum profudit; idque *cum scortis*, fœminis impurissimis: quo simul & libidines ejus, & profusionis major turpitudo notatur. Hac tota re quid designetur, jam superius monuimus. Respondent enim huic filii illius prodigi facto omnia hominum peccatorum delicta ac flagitia. Ut non minus turpiter quisque eorum se peccasse fateri debeat, quàm filius ille prodigus, tam fœde rem patriam frangens. Conditionem rursus ipsius apud patrem, meritis ipsius minime respondentem, nimiamque fortunam, his exprimit verbis: *quum venit mactasti illi vitulum illum saginatum.* Quasi dicat; postquam his talibus flagitiose perpetratis, ad te rediit; non hœdum aliquem, sed vitulum, eumque bene saginatum ac pinguem, mactari curasti, ut quam lautissimo eum convivio exciperes. Huic filii illius perditi conditioni respondet, ut paulò ante indicavimus, summa illa Dei benignitas, ac felicitas quam Deus peccatoribus resipiscentibus præstat.

Huic orationi filii, subjungitur patris responsio, qua illam refutat, & ostendit nullam illum habere justam indignationis causam. Contrà autem, causam esse magnam cur & ipse de fratris sui reditu ac salute lætari debeat. Itaque duæ sunt istius responsionis partes. In quarum priori ostenditur, nullam huic filio licèt tam obsequenti, fieri ab ipso, nempe patre, injuriam. In posteriori, ostenditur causa, cur meritò non alii tantum, sed & ipse gaudere debeat. Prius fit ℣. 31. posterius vers. 32. In illo ita respondet pater; *Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* Quasi dicat: non mirum est me nunquam tam laute te excepisse, aut quicquam tibi dedisse, quo te aliquando cum amicis exhilarares, quandoquidem nec tu mihi, nec quicquam tibi apud me periit. Tu semper apud me perstitisti, nunquam ut frater iste tuus, hinc profectus periisti. Itaque non est mirum, quod nunquam tale tempus exstiterit quo ex tua salute singularem aliquam & insignem caperem lætitiam, qua ad te lautius tractandum, aut convivium tua causa parandum incitarer. Interea tamen omnia quæ adhuc mihi supersunt bona, tua sunt; illis tu poteras hucusque & debebas esse contentus: semper tua conditio nihilominus fuit satis beata, quandoquidem patrimonium tuum apud me tibi erat salvum. Itaque etiamsi te nunquam lautius exceperim, sorte tamen tua poteras penitus esse contentus. Quibus verbis significatur, non habuisse etiam illos qui sub Veteri Fœdere juste atque innocenter vitam traduxerint, aliquam de Dei erga se benignitate conquerendi causam, etiamsi non tam laute, ut ita loquar, fuerint à Deo tractati, ac peccatores resipiscentes sub Novo Fœdere: Quandoquidem quum nunquam periissent, nullum etiam præ cæteris exstitit tempus quo de illis insignite veluti lætatus Deus suis donis tam amplis qualia nunc in peccatores resipiscentes effundit, eos cumularet atque exhilararet. Deinde quia nihilominus illos manebat divina hæreditas ac bonorum etiam cœlestium possessio; etiamsi servili quodammodo apud patrem conditione viverent. Jam quod ad alterum attinet, aliam ostendit esse filii alterius rationem, dum ait; *Exhilarari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus iste mortuus erat, & revixit, & perierat, & inventus est.* Quasi dicat: Hic autem causa erat, cur non modò ego sed & tu unà mecum lætareris: quandoquidem hic frater tuus antea mortuus propemodum fuerat, jam verò quodammodo revixit, antea perierat, nunc repertus est. Quis autem non gaude-

gauderet, si vel frater vel filius, qui fuisset mortuus revivisceret, atque ab inferis rediret; Certè longe magis gauderet quàm si nunquam mortuus fuisset. Quis non gauderet, reperto fratre aut filio, qui antea periisset? Ita sanè rei natura fert, ut magis gaudeamus re quæ perierat, quàm nunquam perdita. Quare mirari non debes me convivium in fratris tui gratiam instituisse, & tu ipse nobis hilaritatis socius accedere debuisses, ac nunc etiam debes. Hæc verò quid significent, jam superiùs satis est explicatum.

In Lucæ 16, parabolam priorem, cum annexis.

IN his verbis describit Lucas sermonem Christi, quo homines divites ad liberalitatem in pauperes excitat, atque ab avaritia dehortatur; illiusque orationis eventum seu effecta quædam. Quum enim superiori capite ostendisset Christus quanta sit Dei erga peccatores resipiscentes benignitas, nunc videtur ostendere velle, quo pacto homines peccatores gerere se debeant, ut divinæ illius benignitatis reipsa tandem fiant participes, seu fructum ejus plenum ac perfectum consequantur: Exemplo in divitibus proposito, quos benignitate in homines egenos gratiam divinam ac felicitatem sempiternam comparare sibi jubet, quandoquidem hæc hac in parte plurimum possit. Unde & cæteri peccatores exemplum capere debent, ut qua quisque re maxime valet ea potissimùm quoque ad divinam benevolentiam sibi conciliandam ejusque fructum plenissime percipiendum utatur. Nos igitur primùm ipsam Christi orationem ab initio capitis usque ad finem vers. 13 descriptam, deinde & eventum versiculis duobus sequentibus expressum videbimus. Oratio Christi constat comparatione seu similitudine quadam. Cujus protasis seu res unde similitudo ducitur, quam parabolam solemus appellare, proponitur usque ad finem vers. 8. Inde sequitur apodosis, seu similitudinis ad scopum propositum applicatio, ejusque confirmatio, usque ad finem vers. 13.

In protasi autem hujus comparationis nobis primùm personas quasdam, deinde earum actiones actionumque eventa, spectanda proponit. Personæ sunt inprimis duæ. Homo dives, & ipsius œconomus. Per hominem illum divitem non dubium est quin Deus, cui est immensa rerum bonorumque copia, intelligatur. Quorum quidem bonorum partem concredidit hominibus divitibus. Unde facile apparet, per ejus œconomum seu dispensatorem, denotari homines divites: propterea quòd bona terrena à Deo habent non mancupi, sed usui, tantùm ad certum tempus data: quæ proinde summa fide tractare, & non ad suum sed ad Dei arbitrium dispensare debent.

Jam quod ad actiones actionumve eventa attinet, ea licèt partim illius hominis divitis sunt, partim œconomi, tamen ad œconomi ipsius facta eventaque revocari non incommodè possunt. Suntque duplicis generis. Primò enim narratur quomodo œconomus is sua quadam prosperitate exciderit. Deinde quo pacto sese à miseria ac calamitate vindicare conatus fuerit, quomodoque ipsius consilium fuerit laudatum approbatumque. Prius continetur parte altera versic. 1. & vers. 2. In priori, ipsius culpa exponitur, qua pœnam sibi accersivit, & ut suis fortunis excideret, meruit. Posteriori, pœna seu calamitas in quam incidit, exprimitur.

Culpa illius fuit, quod dilapidaverit bona Domini sui: quæ quidem culpa ad ipsum Dominum fuit delata. Illa bonorum herilium profusio, respondet illi divitum profusioni qua utuntur dum bona sibi divinitus in usus longe meliores concessa, in luxum ac libidines aliaque hujus generis profundunt, iisque multis modis abutuntur. Quanquam & alia peccatorum genera hic comprehendi non tantùm possunt sed etiam debent, à divitibus commissa: imo etiam, si scopum Christi spectes, omnia quorumvis hominum delicta. Quandoquidem hic ut diximus, divitis exemplo monentur omnes quid sibi faciendum sit, ut peccatorum veniam supremamque felicitatem consequantur. Quisquis delinquit is viribus aut facultate aliqua divinitus sibi concessa abutitur, eamque veluti profundit. Quod autem dicitur hic œconomus fuisse apud Dominum accusatus, & eo nomine delatus (vox enim Græca διαβολὴν, non calumniam, sed accusationem seu delationem hoc loco simpliciter significat) id ad Deum translatum, significat Deo culpam nostram nostraque peccata esse cognita, nec quicquam eum latere ac fallere posse.

Jam quod ad pœnam seu calamitatem attinet, quam œconomus ille sua sibi culpa accersivit, ea exprimitur vers. 2. ubi dicitur Dominus eum advocasse, & cum eo expostulasse, ac jussisse rationem reddere suæ dispensationis: quia non possit amplius eo munere fungi, hoc est, quia non amplius conveniat ipsum eo munere fungi, nec possit herus à se impetrare, ut tam infidelem dispensatorem amplius ferat. Hoc significat, homines divites, uti & cæteros peccatores, suis delictis mereri, ut Deus omnibus eos bonis quæ illis utenda dederit, exutos domo veluti ejiciat: hoc est non tantum opibus si quas ex ipsius benignitate habent, sed & ipsa vita privet, & perire patiatur. Indigni enim sunt qui divinis beneficiis amplius fruantur: licet interim Deus illis nonnihil spatii relinquat, antequam eos ad rationem sibi reddendam penitus adigat, ut interea sibi adhuc consulere, si velint, possint: quemadmodum ab hoc œconomo factum esse mox videbimus.

Jam enim nobis accedendum est ad alterum actionum hujus œconomi genus, quibus sese à calamitate in quam inciderat aut mox casurum se animadvertebat, vindicare conatus est; earumque actionum approbationem. Quod ad actiones ipsius attinet, tres inprimis nobis spectandæ proponuntur. 1. Quomodo calamitatem suam in quam inciderat apud se expenderit. 2. Quomodo consilium mox invenerit sibi salutare 3. quomodo id exsequutus fuerit. Primum continetur vers. 3, ubi ait Lucas, *Dixit autem* hoc est cogitavit *in seipso ille œconomus, Quid faciam? quòd*, vel quum *Dominus meus aufert*, vel auferet, *dispensationem à me: fodere non valeo, mendicare erubesco.* Quasi dicat, inops nunc sum propemodum consilii, nec quid inceptem scio, ubi Dominus meus ab hoc munere me removerit. Nam quum duo videantur tantùm suppetere modi, quibus vitam tolerem, nempe ut vel duro manuum labore victum quæram, fodiendo atque arando agrum, aliove simili laboris genere, vel ut mendicando me sustentem: neuter mihi modus aptus est. Ille nimis durus, cui ego minime assuevi, atque adeo mihi intolerabilis: hic nimis pudendus, ac turpis. Hoc pacto significatur, iis qui peccatis suis commeriti sunt, ut omnibus divinis donis exuti, à Deo abjiciantur, nullam suppetituram esse rationem, qua se à tanta calamitate vindicent, nisi ut quamdiu divinis adhuc donis fruuntur illis quàm celerrime ad suum utantur compendium, & sibi in posterum prospiciant. Aliàs funditus perirent, nec ulla illis spes extremam perniciem evadendi superfuerit.

Secundum indicatur vers. 4. ubi non quidem exprimit consilium suum œconomus ille, sed tamen se id jam habere in promtu, idque sibi valde utile esse significat, dum ait, *Novi quid faciam*, seu facturus sim, *ut cùm remotus fuero à dispensatione recipiant me in domos suas.* Ubi vox *recipiant*, absolutè ponitur, seu ut loquuntur impersonaliter, non ex-

pressis personis quæ id sint facturæ; perinde ac si dictum esset, ut recipiar ab aliis in eorum domos. De industria autem non exprimit Christus hoc loco œconomi consilium, partim quia id ex sequentibus, hoc est ipsa consilii ejus exsequutione intelligitur, partim quia id facit ad exprimendam hominis tam callidi diligentiam atque industriam, qui invento consilio non immoretur illius explicationi, sed statim rem aggrediatur. Divitibus, nobisque adeo omnibus res hæc tanto est expeditior, quòd non invenire demum consilium, ut œconomus ille necesse habemus; quum ab ipso Christo id nobis hoc loco suppeditetur: satis est ab illo suppeditatum consilium istud cognoscere, & quàm celerrime ac constantissime exsequi: quale illud sit, sequentia Christi verba ut diximus nos docebunt. Interim, quàm utile, quamque salutare sit, inde patet, quod eo faciat, ut quum omnibus hujus mundi bonis & ipsa denique vitâ exuti fuerimus, recipiamur in æterna tabernacula, ut Christus ipse inferius loquitur. Debemus autem hujus hominis industriam ac celeritatem imitari: ut non tam in eo occupati simus, ut dicamus quid faciendum sit, quàm ut quam primum id opere ipso exsequamur.

Tertium, hoc est exsequutio ipsa illius consilii continetur vers. 5, & duobus sequentibus, ubi docet, Christus quomodo œconomus ille advocatis Domini sui debitoribus, singulis aliquid de debito remiserit, eo fine ut hujus gratiæ memores postea ab officio amotum, vicissim gratia sua prosequerentur, eumque libenter in ædes suas reciperent, ac foverent, atque ita beneficium illud ei compensarent. Ait ergo eum advocasse quemvis ex debitoribus Domini sui: quanquam postea quid duobus tantum dixerit recensetur: sed de cæteris, ut videtur, simile quippiam cogitandum relinquitur. Dixit ergo primo, *Quantum debes Domino meo?* quum verò ille dixisset, *centum batos olei*, jussit eum accipere chirographum, & celeriter scribere quinquaginta. Primùm interrogat eum quantum debeat; ut is intelligat tantum se omnino debere quantum in chirographo sit scriptum, & magnitudine debiti æstimatâ, postquam sibi tam multum remitti postea viderit, tanto majoris id beneficium æstimet. Sumit autem genus debiti tum temporis usitatum: ex liquidis quidem oleum, ex aridis verò, ut postea intelligetur, triticum: & genera etiam mensurarum usitata sunt, hic batos commemorat, postea coros. Deinde non ipse mutat chirographum, sed ipsum debitorem jubet sumere & dimidium ejus quod antea debuerat scribere: ne postea à Domino fraus ob diversitatem manus agnoscatur. Jam quod ad secundum attinet, cum eo similiter agit; nisi quod non tam multum de debito detrahi jubet, sed minus: nempe non dimidium sed tantum quintam partem summæ: pro centum coris tritici, positis octoginta. Itidem ut credibile est callido consilio, ut ob dissimilitudinem numeri fraus minus agnosceretur: aut fortè quia minus verisimile videri posset tantum fuisse tritici ab eo debitore redditum; vel tam parum illi fuisse creditum. Id dubium non est, callidi hominis ingenio accommodare hanc narrationem Christum voluisse. Hæc quid significent, nihil est necesse occupare dicere, quandoquidem ipse Christus hanc imprimis hujus parabolæ partem in apodosi explicabit, atque ad institutum suum accommodabit.

Quare statim ad approbationem hujus consilii accedimus: quæ continetur vers. 8. Ubi primò quis & quomodo consilium istud approbaverit, ostenditur: secundò illa approbatio ratione quadam fulcitur. Illud docetur his verbis, *Et laudavit Dominus œconomum injustitiæ quod prudenter fecerit.* Ubi quidem per Dominum, articulo in Græcis verbis præfixo notatum intelligitur Dominus illius ipsius œconomi, & articulus ut alii interpretes notarunt, est ἀναφορικὸς, id est referens seu revocans animum ad id subjectum de quo antea sermo fuit institutus. Neque enim Lucæ sunt hæc verba; cujus si essent, Domini nomine Christus videretur intelligendus: sed sunt Christi de alio quopiam loquentis. Ut intelligitur ex verbis sequentibus ℣. 9. ubi Christus pergit loqui ad hunc modum, *Et ego vobis dico, facite vobis amicos &c.* Quæ verba non recte præcedentibus de quibus nunc agimus annecterentur, si ea Lucæ essent, de Christo loquentis, non autem ipsius Christi. Perinde ergo est acsi dixisset Christus; Et laudavit Dominus ille, hujus nempe œconomi, intellige postquam rem illam resciverit. Atque hoc addit parabolæ vim quandam, & consilium istius œconomi tanto magis commendat, quòd ipse quoque ille Dominus cui damnum hac ratione fuit illatum, & non exigua bonorum pars interversa, coactus tamen fuerit laudare illud consilium, seu illius inventorem. Dicitur enim quod laudaverit *dispensatorem iniquitatis*, seu inquum, atque injustum: Est enim in istis verbis Hebraismus, quo nomini substantivo additum alterum substantivum, in casu secundo seu genitivo, ponitur pro nominativo adjectivo. Quatenus autem laudaverit, id statim explicatur, dum additur, *quod prudenter fecerit*, hoc est ad suam utilitatem valde accommodate, quod consilium invenerit quod aptum fuerit vitæ ipsius in posterum tolerandæ. Prudentiæ nomen tam late hic extenditur, ut calliditatem quoque ac vafriciem in se complectatur: vulgi more, quod eos quoque prudentes appellat qui commodis suis optime norunt consulere, utut ipsorum consilia sint cum turpitudine conjuncta, qualibus ille qui vere prudens est non utitur.

Ratio autem quæ huic approbationi subjungitur, hæc est; *quia filii seculi hujus prudentiores super filios lucis in generationem suam sunt.* Redditur autem ratio posterioris sententiæ proximæ partis: nempe quod prudentia œconomo illi in consilio isto inveniendo adscribitur, & significatur id non esse mirandum in hoc hominum genere: sed potius dolendum parem prudentiam atque industriam non reperiri in hominibus luce veritatis collustratis, habita ratione rerum earum circa quas vel hoc vel illud hominum genus versatur. Significat enim Christus, homines qui in rebus ad hoc seculum seu præsentem hanc vitam spectantibus sunt occupati, prudentius istis in rebus sese gerere, quàm illi qui cœlestis veritatis luce sunt collustrati se gerunt, illis in rebus quæ ad lucem illam divinæque voluntatis cognitionem, seu mavis res quas luce illa collustrati agnoscunt, spectant. Illi enim melius sibi in rebus terrenis consulunt, quam hi in spiritualibus & ad cœlestem beatitatem comparandam pertinentibus: facilius illi inveniunt quod in rem ipsorum sit, & majori industria exsequuntur, quàm hi superiores.

Hucusque extenditur hujus comparationis protasis. Sequitur apodosis, quæ & exprimitur, & confirmatur atque illustratur. Exprimitur ℣. 9. Confirmatur atque illustratur quatuor sequentibus. Est autem apodosis non plene quidem proposita, sed quæ summam tantum eorum complectatur quæ docere nos Christus tota hac comparatione voluit. Ait ergo, *Et ego vobis dico*, Quasi dicat: Quare quemadmodum Dominus ille laudavit hujus œconomi sui ingenium ac prudentiam, in inveniendo consilio rebus suis accommodato, & parandis sibi amicis de bonis alienis, ut ab iis postea in ipsorum ædes receptus foveretur; ita & ego vobis simile consilium, in re diversa, simili tamen sequendum esse suadeo, nempe ut, *faciatis vobis amicos ex mammona injustitiæ, ut ubi defeceritis*, seu ad egestatem redacti fueritis, *recipiant vos in æterna tabernacula.* Commendari hic beneficentiam ac liberalitatem in egenos, & hunc ei fructum proponi, quod ea nobis sit futura adjumento ut in cœlum recipiamur, satis liquet. Amici ergo illi sunt homines in quos beneficentiam exercuerimus: qui partim

partim propterea sic appellantur, quod beneficentia aliorum animos nobis adjungere, eosque nobis amicos efficere solet, Proverb. 19. vers. 4. partim quòd sive nobis amici animo revera evadant, sive minus; nihilominus tamen amicorum nobis vicem quodammodo præstant, & nos, utut forte ea de re ne cogitent quidem, in beatitate cœlesti adipiscenda maximopere juvent: propterea quòd ipsorum causa seu ideo quia illis benefecerimus, aliquando in cœlum simus recipiendi. Quam ob causam verba illa, *ut recipiant vos in æterna tabernacula* ad illos ipsos amicos seu homines pauperes referri possunt. Quanquam nihil impedit quominus id verbum eo modo quo suprà vers. 4. diximus, impersonaliter accipiamus, perinde acsi dictum esset, ut recipiamini. *Mammonam* sumi pro divitiis notum est. Dicitur autem Mammonas *injustitiæ*, hoc est per Hebraismum injustus; sive quod ferè per fraudes atque injurias acquiri divitiæ solent: unde nescio quis dixit: Dives aut injustus est, aut injusti hæres: sive quia eæ opes quas in terris possidemus, non veræ sunt divitiæ, sed divitiarum tantùm quædam umbræ: quia adeò sunt caducæ ac fugitivæ, & si cum cælestibus opibus conferantur, exiguum habent usum. Quod posterius eo videtur confirmari, quòd paulò post vers. 11. injusto Mammonæ opponitur id quod verum est: nisi tamen contra malis verum accipere pro justo. Quid si Mammonas injustitiæ dicatur, quia quod super est nobis, id injuste retinemus: quemadmodum ille æconomus ex bonis Domini injuste acquisitis vel subdole interversis sibi consuluit. Sed huic sensui non fido: quia tum demum fiunt injustæ opes quum retinentur præter Domini voluntatem. Verba porrò illa, *ubi defeceritis* significare tempus mortis & quod mortem consequitur non est obscurum: tum enim revera deficimus, quum omnibus plane rebus exuti e terrena hac Heri nostri domo veluti expellimur. De *æternis tabernaculis* vix opus est dicere quid significent. *Tabernaculi* autem vox simpliciter pro habitatione sumitur. Nam aliàs terrenæ potiùs ædes tabernacula sunt, quàm domus illa cælestis, si voce tabernaculorum fragilitatem quandam velis indicari. *Æterna* autem tabernacula opponuntur temporalibus seu ad tempus durantibus, quales erant ædes eæ in quas dispensator ille à creditoribus Domini sui recipi cupiebat, & ut reciperetur curabat.

Sequitur jam confirmatio atque illustratio hujus admonitionis Christi in apodosi hujus parabolæ nobis à Christo propositæ. Confirmatio continetur vers. 10, & duobus sequentibus, ubi proponitur ingens damnum quod sit consequuturum si illud Christi consilium non fuerimus sequuti: nempe quòd cœlestia bona nobis alioqui à Deo destinata non simus consequuturi, nisi terrenis his opibus recte fuerimus usi, hoc est eas in beneficentium ac liberalitatem converterimus. Id autem duplici docet ratione. Priorem vers. 10, & 11 complectitur, posteriorem vers. 12. In priori ita versatur, ut 1. ejus quoddam fundamentum sternat, 2. ipsam rationem super hoc fundamento exstruat. Fundamentum est vers. 10, ubi ait, *qui fidelis est in minimo, etiam in multo fidelis est, & qui in minimo injustus, etiam in multo.* Quasi dicat, ita communis fert consuetudo, ut de hominis fide atque æquitate, aut contraria perfidia & iniquitate, ex rebus etiam minimis argumentum sumatur: & is judicetur etiam in rebus magnis fidelis qui in re minima fuerit, ut contra etiam infidelis aut injustus, qui in re minima vel admodum parva injustus fuerit deprehensus. Neque enim hic de eo sermo est quid omnino ac perpetuo verum sit, sed quod verum esse solet, & probabiliter colligitur. Hinc jam ita rationem suam nectit atque exstruit Christus vers. 11: *Si ergo in injusto mammona fideles non fuistis, verum quis vobis credet?* Ubi quidem ratio hujus connexionis omissa est, atque à nobis subintelligenda, hæc nempe, quòd si quem in rebus magnis infidelem aut injustum fore existimemus, aut suspicemur, illi res magnas nos credere atque committere non solere. Unde consequitur, si nos Deus infideles deprehendat, in mammona injusto seu non vero, sive fugitivis atque evanidis divitiis, eum nobis veras illas cœlestesque opes non commissurum, hoc est non daturum. Satis enim apparet similitudinem quandam his verbis esse implicatam, perinde ac si dixisset Christus: Quemadmodum homines non solent res opesque suas omnes, aut majorem ipsarum partem committere illis quos in rebus exiguis infideles aut injustos esse deprehenderint, veriti ne magnum rerum suarum detrimentum patiantur; ita & Deus cœlestia illa bona & veras solidasque opes non largitur iis quos deprehendit in bonis his vilibus ac caducis sese non ita ut oportet gessisse, seu eas non ita administrasse ac dispensasse prout ipsius voluntas postulabat. Quo loco animadvertendum est, aliquantulum hic discedi ab allusione ad factum œconomi antea nobis propositum: interim tamen non discedi penitus ab allusione ad œconomos aut dispensatores. Antea enim Christus nobis suaserat ut imitaremur dispensatorem illum injustum in re illa in qua illius non fides sed fraus potiùs apparuit. At hoc loco fidem nobis ille commendat in bonis his terrenis ac fugacibus à Deo nobis commissis dispensandis. Recte autem ac sapienter ab eo factum est. Significare enim voluit Christus, nos dum de heri nostri hoc est ipsius Dei bonis nobis in terra commisis largimur aliis, imitari quidem aliqua ratione iniquum & fraudulentum dispensatoris illius factum; sed in eo tamen nos fidem nostram Deo maxime probare. Quod enim ille perfide fecit, id nos dum in bonis curæ nostræ commissis facimus, maxima fide facimus. Ille enim contra Domini sui voluntatem, ipso inscio contraque officium suum id fecit; nos autem cùm de terrenis bonis largimur egenis, voluntatem heri nostri, cujus illa sunt bona, maximè exsequimur, & officium nobis injunctum facimus. Sequitur jam altera ratio qua idem Christus demonstrat, vers. 12 comprehensa; *Et si in alieno fideles non fuistis, vestrum quis vobis dabit?* Ubi itidem involuta quædam est similitudo: quasi dicat; Quemadmodum homines cordati, cùm vident juvenem v.g. aliquem cujus res in ipsorum sunt potestate, in alienis rebus non esse fidelem, sed illas arrodere profundere ac dilapidare, non libenter illi res ipsius proprias tradere solent; veriti ne has longe citius dissipet, quandoquidem ne aliena dilapidaret, pudor aut metus continere illum poterat, qui uterque vel abest vel longe minor est cum quis rebus suis pro arbitrio uti potest. Ita Deus vobis non est daturus ea bona quæ essent vobis futura propria, si vos deprehenderit in alienis infideles, hoc est, si viderit vos non ita dispensare hæc bona ad tempus tantùm vobis data, & curæ vestræ ita commissa ut iis potissimùm ad liberalitatem ac beneficentiam in egenos utamini. Animadvertendum autem in utraque ratione illud est, causam cur homines non soleant majora illis committere quos in minoribus injustos aut infideles deprehenderunt, aut sua tradere iis, quos in alienis non satis fidos esse animadverterunt, diversam esse ab ea ob quam Deus nobis non sit daturus maximas illas & stabiles perpetuasque divitias, si nos in evadinis his alienisque bonis infideles deprehenderit. Etenim illic metus potissimùm damni ab hujusmodi hominibus accipiendi obstat: hic vero indignitas potius hominis bonis divinitus concessis non recte utentis; non metus ne videlicet etiam cœlestibus divitiis si ad eas admittatur non satis recte utatur. Quis enim tanta felicitate abuteretur, ad eam

ſummâ Dei clementiâ ex miſerrimo ſtatu tranſlatus ? Præſertim cùm habeat ante oculos exemplum Satanæ ſeveriſſime puniti. [Quamvis alioqui non videatur negandum non fore prorſus impoſſibile ut abutatur aliquis vita æterna. Nam non eſt credibile Deum nos privaturum libero arbitrio: niſi velis eum naturam noſtram mutaturum. Etſi certum ſit propemodum impoſſibile id futurum: niſi forte extrema improbitas alicujus accedat. Nec obſtat quod æterna vita ſit promiſſa. Quemadmodum ſi Rex aliquem in filium adoptet, in hujus poteſtate eſt ne excidat tanta dignitate.]

Progrediendum nunc eſt ad illuſtrationem apodoſeos, ſeu præcepti nobis in ea propoſiti, quæ continetur verſ. 13. ubi Chriſtus nos dehortatur à vitio beneficentiæ in pauperes valde adverſo, eamque prorſus impediente, nempe avaritia. Idque argumento ab effectu & turpiſſimo & damnoſiſſimo, petito: nempe quia Deo ſervire non poſſimus, ſi avaritiæ ſimus dediti, ac divitiarum ſtudio mancipati. Ita autem ſe rem habere, argumento à ſimilibus ſeu mavis paribus ducto oſtendit. Quod argumentum, primò proponit, ſecundò comprobat, & denique ad inſtitutum accommodans, concludit. Proponit, dum ait, *Nullus ſervus poteſt duobus dominis ſervire.* Jam verò duorum dominorum inſtar ſunt, Deus & Mammonas. Unde ſequitur id quod poſtea infert Chriſtus, non poſſe nos ſimul Deo ſervire, & Mammonæ. Probatio rationis illius ſeu primæ propoſitionis, continetur illis verbis: *Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut uni adhærebit, & alterum contemnet.* Ubi ne videatur eſſe in verbis Chriſti tautologia, duplici ratione ea poſſumus explicare. Altera eſt ut vox unius, poſteriori præſertim loco poſita, vel ſumatur Hebraica conſuetudine pro primo, vel ſaltem referatur ad eum de quo antea dictum fuerat; *Aut unum odio habebit.* Quaſi dicat: Aut vice verſa, illi de quo modò dixeram quòd eum odio ſit habiturus, adhærebit, & contrà illum alterum quem dixeram eum dilecturum, contemnet. Altera verò explicandi ratio hæc eſt, ut hæc verba quandam correctionis vim habere cenſeamus: quaſi dicat, vel ſaltem ſi tale diſcrimen non faciet inter illos dominos, ut alterum odio habeat, alterum diligat, uni tamen tantum adhærebit, alterum verò negliget. Fieri enim poteſt, ut quis neutrum odio habeat, neutrum etiam omnino diligat: ſed illud tamen fieri non poteſt quin eodem tempore uni tantùm adhæreat, alterum vero negligat; quum utrique adhærere ſimul non poſſit. Quare ſi priorem explicationem ſequi velis, neceſſe eſt ut verbum μισεῖν ſeu odio habendi non plane proprie accipias, ſed ſumas pro minus diligere, aut ut poſtea Chriſtus loquitur ſpernere vel negligere. Quemadmodum contrà diligere pro adhærere, & alteri præferre. Concluſio continetur illis verbis; *Non poteſtis Deo ſervire, & Mammonæ:* quaſi dicat; fieri non poteſt ut ſimul & divitiis ſtudeatis, atque in opibus congerendis ſitis occupati, & Deo miniſtretis ita ut par eſt. Alterutri tantùm rei vacari eodem tempore poteſt. Cogitandum autem relinquit Chriſtus, quàm & turpiſſimum & damnoſiſſimum ſit Deo non ſervire: & neceſſe omnino eſſe, ut Mammonæ ſtudium ac curam negligamus, atque avaritiam procul habeamus. Quod ſi fiat, dubium non eſt, quin ſi quod demus nobis ſuppetat, illud Deo ſic jubente in pauperes libenter erogemus. Hucuſque ſermo ille Chriſti quo ad beneficentiam erga pauperes excitat homines divites extenditur.

Sequitur nunc eventus, ſeu ſermonis illius effecta quædam, & quidem duo, quorum alterum alterius iterum fuit effectum, ſeu conſequens. Prius eſt ſannæ adverſariorum quibus Chriſtum hancque ejus orationem, maxime de vitando opum ſtudio exceperunt. Poſterius eſt gravis eorundem hominum objurgatio à Chriſto profecta. De illa dicitur verſ. 14. hæc exponitur verſ. 15. Subſannatio autem illa Phariſæorum ita commemoratur, ut ſimul cauſa ejus impulſiva proëgumena ſeu interna exprimatur, nempe eorum avaritia. Ait enim Lucas, *Audiverunt autem hæc omnia etiam Phariſæi*, (id eſt non tantùm diſcipuli Chriſti, ad quos loquutus dicitur) *qui erant avari, & irriſerunt* vel ſubſannaverunt *eum.* Ita enim fieri ſolet, ut qui vitio aliquo laborant, ſermones quibus id reprehenditur ægre ferant: tantò autem ægrius, quanto minus id illi pro vitio habent, & præſertim ſi ſanctitatis opinione tument. Objurgatio horum hominum à Chriſto profecta, ita refertur à Luca, *Et dixit illis*, nempe Chriſtus, *vos eſtis qui juſtificatis vos ipſos coram hominibus: Deus autem cognoſcit corda veſtra. Quia quod in hominibus ſublime eſt abominatio coram Deo eſt.* Ubi hypocriſin ac falſam juſtitiæ oſtentationem ipſis objicit, & objectum crimen, ſeu aſſertionem hanc ſuam occupatione objectionis cujuſdam illuſtrat, ac confirmat. Illud facit, dum ait: *Vos eſtis qui juſtificatis vos ipſos coram hominibus, Deus autem cognoſcit corda veſtra.* In prioribus oſtentationem juſtitiæ illis objicit, in poſterioribus vanam illam eſſe apertius oſtendit. Quanquam & priora verba ita ſunt concepta ut non obſcure ſignificent vanam hanc eſſe juſtitiæ oſtentationem. Perinde enim eſt ac ſi dixiſſet, Non mirum eſt vos meam hanc doctrinam tam ſanctam, naſo ſuſpendere adunco atque irridere: vos enim illi eſtis qui coram hominibus tantùm juſtitiam quandam oſtentatis, & ſpeciem ſanctitatis præ vobis fertis, atque in eo toti eſtis, ut ab hominibus pietatis laudem referatis, quam interim coram Deo, qui veſtra corda inſpicit nihil minus quam juſti ſitis. Aliud ille intus in vobis videt quam exterius præ vobis fertis, & coram hominibus ſimulatis. Tale enim quippiam intelligendum eſt in verbis iſtis, *ſed Deus novit corda veſtra:* quum hæc verba præcedentibus opponantur. Quare quum in præcedentibus dixerit, Phariſæos *coram hominibus ſe juſtificare*; in his ſignificat eos coram Deo juſtos minime apparere. Confirmatio autem atque illuſtratio hujus ſententiæ per objectionis occupationem eſt in illis verbis, *Quia quod in hominibus altum eſt, abominatio coram Deo eſt.* Quaſi dicat; Tantum enim abeſt ut coram Deo etiam propterea juſti cenſeri debeatis, quia tantam juſtitiæ ſpeciem apud homines oſtentatis, & ſanctitatis opinionem atque exiſtimationem vobis comparatis; ut potiùs hoc ipſum argumento ſit vos Deo planè diſplicere atque abominabiles eſſe. Ita enim fieri ferè ſolet, ut quod ab hominibus maximi æſtimatur, id Deo ſit inviſum atque abominabile.

Lucæ x. verſ. 25 uſque ad finem Cap.

IN his verbis deſcribitur colloquium Chriſti cum quodam Legiſperito, in quo agitur de ratione vitam æternam conſequendi: & duæ quæſtiones expediuntur à Legiſperito illo propoſitæ, ad rationem ſalutis æternæ conſequendæ ſpectantes: quarum poſterior è priori quodammodo enata fuit. De priori agitur uſque ad ℣. 28, finem, de poſteriori inde uſque ad finem capitis.

De priori tria inprimis ſunt conſideranda. 1. Quis ille fuerit qui quæſtionem illam Chriſto propoſuit. 2. Ipſa quæſtio. 3. Denique reſpondendi & quæſtionem expediendi modus.

Primum eſt comprehenſum illis in verbis, *Et ecce legiſperitus quidam ſurrexit, tentans illum.* Quis quæſtionem propoſuerit, indicatur nomine legiſperiti cujuſpiam, ſeu ejus qui Doctor eſſet Legis, qui eam populo publice interpretaretur atque explicaret. Quo ipſo indicatur non cum vulgari homine

Chriſto

Chriſto rem tunc fuiſſe, & eum tum cùm victoriam quæreret, laudemve aliquam captaret, vel aliàs inſidias Chriſto tenderet, Chriſti ſapientiâ victum facile fuiſſe. Adde quòd hoc ipſo veriſimile videtur facere voluiſſe Lucas, id quod ſtatim ſubjecturus erat, nempe eum tentandi gratiâ Chriſtum interrogaſſe. Hoc enim genio ac moribus legiſperitorum erat admodùm accommodatum: magis certè quàm vulgi, qui ſinceriori ferè animo quæſtiones Chriſto propoſuit. Et quia quæſtionem propoſuit ea de re de qua ex lege conſtare aliquomodo poterat, atque omnino conſtare legis Doctores ſibi perſuaſerant. Quo animo interrogaverit oſtenditur dum dicitur eum *tentaſſe Chriſtum*, hoc eſt, non diſcendi animo hanc quæſtionem illi propoſuiſſe, ſed aliquid eliciendi quod carperet, ac traduceret, forte & periculum aliquod Chriſto pararet. Atque hoc ideo inprimis narrare videtur, ut cauſa intelligatur, cur non ipſe Chriſtus, ut aliàs facere ſolitus eſt, ſuis ad eam quæſtionem verbis reſponderit, ſed reſponſionem ex ipſomet elicuerit: ut hac ipſa ratione palàm faceret, non diſcendi animo, ſed potius aliquid captandi, ac carpendi, eum quæſiviſſe: quandoquidem id quæſiiſſet quod ipſemet ex lege noſſet, ac noſſe, quum legis ſcientiam profiteretur, deberet.

Quæſtio autem ab ipſo ad hunc modum fuit propoſita, *Magiſter*, ſive Doctor, *quid faciens*, ſeu quid quum fecero, *vitam æternam hæreditabo?* Breviter, Quid mihi faciendum eſt, ut vitam æternam conſequar? Quæſtio ſane omnium graviſſima, & maxime neceſſaria.

Ad modum reſponſionis quod attinet, videmus, primò Chriſtum non reſpondere, ſed quæſtione viciſſim propoſita legiſperito, reſponſionem ex ipſomet elicere. Deinde reſponſionem ex Lege ab ipſo Legiſperito aſſerri. Denique eam reſponſionem à Chriſto approbari.

Primum eſt ibi: *Is verò* nempe Chriſtus, *dixit ad ipſum; in lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis?* Quia cum homine legiſperito ipſi res erat, & tentandi tantùm gratia ipſum interrogante, ideo, ut antea monuimus, non ipſe ſuis reſpondet verbis, ſed reſponſionem ex ipſo elicit: præſertim quum reſponſio ex Lege peti aliqua ratione poſſet, & adverſarius cum ſymmiſtis ſuis inde reſponſionem peti poſſe, omnino ut apparet cenſebat. Quod ut apertum fieret, Chriſtus ipſum ſibi ipſi nodum ſolvere jubet.

Reſponſio continetur verſ. 27. Ubi ratio vitam æternam conſequendi duobus explicatur præceptis, quorum alterum charitatem in Deum, alterum charitatem in proximum præſcribit. Et charitatem quidem, ſi verba per ſe ſpectes, perfectam: præſertim eam quæ Deum reſpicit.

Primum præceptum continetur illis verbis, *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo* &c. Ubi & ipſius dilectionis natura conſideranda venit, & illius modus. Quanquam & objectum iſtius dilectionis, nempe *Dominus Deus tuus*, hoc eſt Deus Iſraëlitarum, expreſſum eſt. Natura dilectionis Dei in eo conſiſtit ut Dei voluntati nos attemperemus, & ea quæ illi grata eſſe novimus, præſertim ab ipſo nobis præcepta, libenter faciamus, & honori ejus ac gloriæ ſtudeamus. Eſtque hoc præceptum, præſertim ſi Moſis locum inſpicias, unde hæc verba ſunt depromta, generale, & totius legis obſervationem complectitur. Etiamſi ob appoſitum præceptum de diligendo proximo, hoc aliiſve ſimilibus locis, quodammodo reſtringitur, & ſpeciale evadit: ita ut ſtudium inprimis erga gloriam divinam, eo præcepto nobis præſcribi, cenſeri debeat. Quanquam obſervatio omnium mandatorum divinorum, etiam hoc ſimilibuſque locis, poteſt hoc præcepto comprehendi, quatenus in iis obſervandis, metus ac reverentia divini numinis ſpectatur. Nam & hæc ad amorem illum erga Deum pertinet; quum Deo ſit gratiſſima. Charitas autem erga Deum id quod Deo gratum eſſe novimus, præſtare jubet. Proinde non ita diſtinguendum eſt hoc præceptum à poſteriori ut prorſus diverſum; ſed ut generale quodammodo reſpectu ſpecialis, & certum obſervationis divinorum mandatorum reſpectum comprehendens, qui ſequenti præcepto non ſignificatur.

Modus autem diligendi Deum, comprehenditur illis verbis; *ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota mente tua.* Quod nihil aliud ſignificat, quàm ut quicquid eſt in nobis facultatis quod ad diligendum Deum facere queat, id totum ad ejus dilectionem, hoc eſt mandatorum ipſius exſequutionem, ad venerationem ipſius conteſtandum atque ad ſtudium gloriæ & honoris ipſius convertamus. Non eſt autem neceſſe, ut quatuor illa quæ hic enumerantur, plane diviſa eſſe putemus. Quia ſolent nonnunquam Sacræ Literæ uno ex his modis, aut duobus, nonnunquam tribus, totum id complecti, quod quatuor hic vocibus exprimitur: ut à Janſenio eſt oſtenſum. Quanquam interea vis ac ſignificatio ſingulorum verborum propria aliquantulum differat. Et hæc etiam videtur fuiſſe cauſa, cur quum uno vocabulo id totum complecti poſſent Sacræ Literæ pluribus tamen uti maluerunt: ut & res tanto magis inculcaretur, & intelligeretur nihil prorſus omiſſum eſſe quod ad facultatem diligendi Deum ſpectaret. Interim tamen, ſi quis omnino hæc putet eſſe diſtincta; hoc modo diſcerini non incommode poterunt, ut *cor*, affectus vel affectuum fontem ſignificet; quaſi dicat, toto cordis affectu, quàm ardentiſſime ac ſinceriſſime. *Anima* autem ſignificet voluntatem: quaſi dicat, tota voluntatis propenſione, ita ut penitus apud te ſtatuas ac decernas id quod Deo gratum eſt, & cum reverentia atque honore nominis ipſius conjunctum, exſequi. In affectibus continetur appetitus, cujus commotio & ardor eſt affectus cordis. A quo tamen diſtinguitur voluntas, quæ quid faciendum ſit decernit, & interdum cohibet ardorem: quanquam hîc debent conſpirare. Appetitus eſt inſtar equi; voluntas inſtar ſeſſoris: ille objectum ſimpliciter apprehenſum amplectitur: hæc verò arbitrium habet, & poteſt appetitum vel intendere vel remittere. Eſt enim cum ratione conjuncta: nam voluntas eſt appetitus intellectualis. Verbi gratiâ, miſericordia eſt affectus appetitûs: voluntas autem poteſt eum affectum refrenare vel etiam vim affectûs augere, & cum eo conjuncta, fortius impellare ad juvandum proximum. *Vires* rurſus ſignificare poterunt eas corporis omniumque membrorum facultates, quæ ad exſequendum id quod affectus deſiderat, & voluntas decernit, pertinent. Quaſi dicat, ita ut omnes vires, omnes nervos intendas, ut Deum opere ipſo diligas. Nec abſurdum fuerit, aut à re alienum, ut etiam facultates externas, ſeu in opibus ac fortunis ſitas, hac voce complectaris; non quidem primò, ſed veluti ſecundariò. Quanquam alioqui magis nobis placet, ut virtus hæc ſeu robur, adjunctum tantùm ſit cordis atque animæ: quaſi dicat, ut quantum potes Deum diligas. *Mens* denique intellectum ſignificat: quæ mens & cognoſcit res Deo gratas, & de ratione cogitare poteſt qua illas exſequutioni mandes. Quaſi dicat, totam mentem totumque intellectum tuum in id impendas, omnes tuas cogitationes eò convertas, ut ea quæ Deo grata ſunt facias. Non exſtat autem apud Moſen hæc ultima particula, *ex tota mente tua.* Eſt autem credibile ideo hîc & apud Marcum poſitam, quanquam diverſo ordine (apud Marcum enim prius ponitur *ex tota mente tua*, poſterius *ex tota virtute*

vel robore tuo) quòd in Græca veteris Teſtamenti interpretatione fuerit lectionum diverſitas: quia alii pro δυνάμεως (quæ vox hodie exſtat in Græca interpretatione Veteris Teſtamenti, & olim exſtitiſſe videtur) ob quandam vocabulorum affinitatem legerint διανοίας: quod vel ex Matthæo apparet, qui eadem verba cap. 22. ỳ. 37 recenſens, non habet illud membrum *ex tota virtute tua*, quod eſſet ἐξ ὅλης δυνάμεως vel ὅλης ἰχύος σοῦ, ſed pro eo habet ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σοῦ. Unde facile fieri potuit, ut quia utrumque ad rem ſatis quadraret, nonnulli utrumque retinerent, & ita locum apud Moſen ſcriberent citarentve, quos deinde Marcus & Lucas fuerunt ſequuti: & quia duo unius loco ſunt poſita, ideo ordinis ratio non eadem fuit ab omnibus obſervata, quam ob cauſam id quod Marcus præpoſuit, Lucas poſtpoſuit. Quodſi literalem verborum Moſis ſenſum ſpectes, putarim *animam & cor* pro eodem ſumi: *vires* autem ſignificare cordis ſeu animæ adjunctum quoddam, & ideo addi, ut tanto magis exprimatur quomodo ex toto corde totave anima Deus ſit diligendus, ita nimirum ut omnes animi vires intendantur, & ad Dei amorem convertantur.

Secundum præceptum continetur illis verbis, *Et*, ſcilicet diliges, ſeu diligas, *proximum tuum, ſicut teipſum.* Ubi & natura iſtius dilectionis, & ejus objectum, & denique dilectionis modus, conſideranda ſunt. Quanquam de objecto hoc eſt proximo, in alterius quæſtionis enodatione agetur.

Dilectio in eo conſiſtit, ut quæ alteri grata utiliaque ſunt, ei & cupias & præſtes.

Modus dilectionis, ut ſimiliter alteri & cupias & præſtes ea quæ ipſi grata ſunt & utilia, ſicut tibi ipſi. Breviter totius hujus præcepti ratio explicatur à Chriſto, Matth. 7. ỳ. 12. ut *omnia quæ volumus nobis præſtari ab aliis, ea nos aliis præſtemus.* Eſt autem de utroque hoc præcepto obſervandum, id cùm per ſe generale ſit, ex ſpecialium præceptorum natura æſtimandum eſſe, & eouſque extendendum quouſque ſpecialium præceptorum ratio extendendum eſſe monet. Itaque ſub Veteri Fœdere non tam multa in ſe complectebantur, ſeu mavis non tam perfecta charitatis in Deum & proximum officia, ut ſub Novo Fœdere: quia ſpecialia Veteris Fœderis præcepta tam perfectam ſanctitatem charitatemque in Deum & proximum, quàm Novi Fœderis ſpecialia præcepta imperant, ab Iſraëlitis non exigebant. Quare vis quidem illorum verborum per ſe ſpectata eadem eſt, ſed ad diverſa tempora diverſamque hominum conditionem relata, nunc perfectiorem, nunc aliquanto imperfectiorem aut minus plenum ſenſum acquirunt. Qua de re & Maldonatus apud Matthæum nonnihil dixit.

Sequitur nunc approbatio iſtius reſponſionis, à Chriſto profecta, qui dixit illi legiſperito, *Rectè reſpondiſti, hoc fac, & vives.* Verba per ſe ſatis ſunt ſimplicia, & intellectu facilia, ſed circa ſententiam aliqua occurrit difficultas. Poſſet enim aliquis dicere, non hanc eſſe rationem vitam æternam conſequendi, ita præſertim, ut ſi quis hoc fecerit, protinus vitam æternam ſit conſequuturus, quemadmodum ultima Chriſti verba videntur ſignificare, quandoquidem fides in Chriſtum iis non comprehendatur, quæ tamen eſt ad vitam æternam conſequendam ita neceſſaria, ut eâ ſolâ Sacræ Literæ Novi Teſtamenti ſoleant complecti univerſam ſalutis adipiſcendæ rationem. Reſpondemus; Etiamſi hæc præcepta per ſe atque abſolute ſumta, non comprehendant omninò fidem in Chriſtum, & ea quæ hujus fidei ſint propria: habita tamen ratione temporis & circumſtantiarum, ſeu magis conditionis in qua poſt Chriſti adventum homines ſunt poſiti, etiam fidem in Chriſtum & quæ ejus ſunt propria, illis comprehendi. Etenim Chriſto nondum exhibito, non requirebatur ad Deum diligendum ut quis in Chriſtum crederet, ejuſque mandatis pareret: ſed poſtquam is exhibitus fuit, non potuit quiſquam Deum ita ut par eſt, diligere, hoc eſt diligere ex toto corde, tota anima, totis viribus totaque mente, niſi etiam in Chriſtum crederet, eumque diligeret, & mandata ipſius obſervaret: quandoquidem diximus, ad hujuſmodi dilectionem hoc requiri ut id ſummo ſtudio præſtemus quicquid Deo gratum eſſe animadvertimus, præſertim ſi id ab ipſo ſit præceptum. Jam autem Chriſto exhibito, non modò gratiſſimum Deo eſt in Chriſtum credere, eumque diligere, & mandatis ejus parere: ſed id omnino ab ipſo exigitur, ſeu ab ipſo nobis eſt præceptum: ita quidem ut qui Chriſtum non diligat, Deum ipſum non diligere ſit cenſendus. Deinde, addi etiam & illud poteſt, quòd ita hæc verba ſint concepta, ut non modò ea ratio vitam æternam conſequendi hic intelligi poſſit, quæ Novi Fœderis eſt propria, ſed etiam illa quæ veteri propria fuit: quæ nimirum conſiſtit in exactiſſima erga Deum & proximum charitate, uno verbo in exactiſſima, totius legis, & myſtico quidem ſenſu, ſeu ſenſu perfectiori acceptæ obſervatione. Potuit enim Chriſtus ita rem hanc temperare, ut non videretur tollere penitus velle id quod Lex myſtico licet ſenſu de ratione vitam æternam conſequendi tradidiſſet: præſertim quia modus ille ratus apud eum omnino foret, ſi homines eum obſervarent; vel ſaltem futurus fuiſſet ratus ſi eum homines obſervaſſent: ut Paulus indicat in epiſt. ad Galat. cap. 3. ỳ. 21. Interim tamen ita quoque intelligi potuerunt hæc verba, ut ad modum quoque ſub Novo Fœdere præſcriptum accommodari poſſent; & ſignificaretur Chriſtum, licet novum quendam modum vitam æternam conſequendi præſcriberet, non tamen ea quæ Lex de pietate in Deum & proximum præcepiſſet, & ad vitam à Deo promiſſam obtinendam requiriviſſet, abrogare, ſed potius ſtabilire: quo pacto & Paulus dicit, per Fidem non aboleri Legem, ſed ſtabiliri. Rigor enim tantùm ei detractus eſt, res autem ipſa manſit.

Sequitur nunc altera hujus colloquii pars, in qua de altera quæſtione, à Legiſperito propoſita agitur. Primò ergo narratur à Luca, quomodo ea quæſtio fuerit à Legis perito propoſita. Secundo, quomodo ad eam Chriſtus reſponderit, & Legiſperitum illum officii monuerit. Prius fit ỳ. 29. Ubi primùm narratur quo animo quove conſilio hanc quæſtionem Chriſto propoſuerit Legiſperitus. Secundò quæ fuerit quæſtio quam propoſuerat.

Prius eſt in verbis, *Is autem volens juſtificare ſeipſum.* Quæ verba duplici modo accipi poſſe videntur. Primo ita ac ſi dictum eſſet, voluiſſe illum hominem oſtendere, ſe non tentandi cauſâ ſed ſeriò quæſtionem priorem Chriſto propoſuiſſe, & habuiſſe ſe cauſam non exiguam cur eam quæſtionem moveret, nempe ut hoc pacto ad hanc quæſtionem quæ non ſatis explicata eſſet, ſed inter legis etiam peritiſſimos adhuc controverſa, deveniret, & quiſnam ſit proximus ille qui diligi à nobis jubeatur, recte cognoſceret. Secundò ita accipi poſſunt hæc verba, quaſi dictum eſſet; eum voluiſſe hoc pacto oſtendere, ſe legis obſervantem eſſe, & eam ob cauſam quæſtiones has proponere, quòd vellet mentem legis recte cognoſcere, ut eam porrò etiam tanto rectius obſervaret. Prior explicandi ratio nobis magis probatur. Videntur enim hæc verba quodammodo oppoſita illis ỳ. 25. ubi dictum fuerat eum tentandi Chriſti cauſâ quæſtionem illam propoſuiſſe. Quare quum poſtea animadverteret, artem hanc ſuam à Chriſto deprehenſam oſtenſamque fuiſſe, & ſe quodammodo ſeipſum prodere fuiſſe coactum, voluiſſe eum hanc nihilominus ſuſpicionem tollere, & alia quæſtione propoſita oſtendere non ſine cauſa, nec tentandi tantùm gratiâ ſeſe interrogaſſe. Sciviſſe quidem ſe quo pacto ad priorem quæſtionem eſſet reſpondendum, ſed voluiſſe tamen eam ob cauſam Chriſto quæſtionem illam proponere, ut ex ejus reſponſione occaſionem haberet de altera quæſtione quæ eſſet difficilior & magis implicata, ſententiam ejus rogandi. Accedit illud, quod non appareat quam cauſam habuerit Lucas dicendi eum hoc conſilio propoſuiſſe hanc Domino Jeſu quæſtionem quod vellet ſe juſtificare, non inquam magis in hac quæſtione quam in priori. Nam ſi hac ratione opinionem

illam

illam captavit Legiſperitus quod quæſtionem ad legem ſpectantem Chriſto proponeret, quod nonniſi hominis illius eſſet qui juſtitiæ eſſet ſtudioſus; non video cur id hac magis quæſtione quàm illâ præſtiterit. Imò priori longe magis id videretur quæſiviſſe, quandoquidem ibi quæſivit ut vitam æternam conſequatur, quod videtur eſſe hominis qui pietati ac juſtitiæ ſit deditus: præſertim cùm ex reſponſione poſtea apparuerit ipſum ita judicaſſe, omninò pietatem in Deum ac proximum ſibi eſſe colendam, ſi vitam æternam conſequi velit. Quod ſi dicas, hac eum ratione exiſtimationem juſtitiæ conſequi voluiſſe, quòd hac quæſtione propoſita voluerit poſtmodum oſtendere ſe proximum ſuum dilexiſſe; non apparet quomodo ea de re Lucæ conſtiterit, nempe ex ipſa re geſta: Quandoquidem nihil poſtea addidit legiſperitus ille quod huc ſpectaret. Et credibilius eſt, ſi hoc legiſperitus ille voluiſſet, eum dicturum fuiſſe cum juvene illo de quo eſt in hiſtoria euangelica Matth. 19. ſe ea ab adoleſcentia vel ſaltem hucuſque obſervaſſe. Neque eſt quod dicas, vocem *juſtificandi* id non ferre: *juſtificare* enim eſt hoc loco juſtum ſeſe oſtendere, quod ut ad univerſam hominis vitam referri ſolet, ita etiam ad certum hominis factum: quo pacto judex reum etiam quum de certo tantùm facto ſermo eſt, juſtificare dicitur, hoc eſt juſtum pronunciare, quum eum abſolvit. Quare nil etiam prohibet, quominus quis poſſit dici ſeipſum juſtificare, quum reſpectu certi facti oſtendere conatur quòd ſe in eo recte geſſerit, nec quicquam malo aut fraudulento animo fecerit.

Quæſtio quam homo ille Domino Jeſu propoſuit eſt illis verbis expreſſa, *Et quis eſt meus proximus*? Vocula *&* inferendi quodammodo vim habet. Reſponſio Chriſti ad quæſtionem propoſitam refertur ſat fuſe, ab initio verſ. 30 uſque ad finem 37. Reſpondet autem parabolâ propoſita. Cujus protaſis partim à Chriſto ipſo exponitur, partim ex ipſo juriſperito iterum elicitur: ut ipſius judicio confirmata, tanto majorem ad ipſum monendum movendumque vim habeat. Deinde breviter applicatio ejuſdem ſubjicitur. Ad ſermonem autem Chriſti referendum accedens Lucas, aditum his verbis ſibi facit, dum ait: *ſuſcipiens autem Jeſus dixit:* hoc eſt eum Legis periti ſermonem excipiens, breviter, ei ſermoni reſponſionem ſtatim ſubjungens, & ex eo ſermonis antam ac materiam ſumens. Jam quod ad ipſam parabolæ illius protaſin attinet, in ea exemplum proponit hominis qui charitatem exercuerit eximiam in hominem alienigenam, eique hoc pacto proximus evaſerit, eumque tanquam proximum ſuum tractaverit: quum alii ejuſdem gentis homines, ejuſdem inquam cum homine illo miſero, & tales quidem qui legis & videbantur & debebant eſſe ſtudioſiſſimi, nullum ei charitatis officium præſtitiſſent. Et primùm quidem, calamitoſum illum hominem nobis ſpectandum proponit: deinde eos qui charitatem in eum vel exercere neglexerant, vel exercuerant. Tum comparationem inter eos inſtituit, ac judicium ea de re ipſius legiſperiti elicit. Quod ad perſonas illas attinet, miſerum illum hominem nobis ſpectandum proponit ℣. 30, ubi ait: *Homo quidam deſcendit à Jeroſolyma in Jericho &c.* Ubi quum dicit hominem illum deſcendiſſe Jeroſolymis Jerichuntem verſus, id non obſcure ſignificat, eum fuiſſe Judæum, & quidem Jeroſolymitanum civem vel incolam. Neque enim id ſolùm videtur ſignificare velle, eum hominem Jeroſolymis tantùm diſceſſiſſe, ſed quum Jeroſolymis aliàs habitaret, Jerichuntem inde tetendiſſe. Ea verò res tanto magis pertinet ad oſtendendam, hinc quidem Sacerdotis & Levitæ, qui charitatem miſero non oſtenderint immiſericordiam, partim ad commendandam hominis alienigenæ, & quidem Samaritani charitatem: quam in eum exercuit qui & Judæus eſſet, & præcipuæ adhuc urbis incola. Quòd autem *deſcendiſſe* dicitur Jeroſolymis Jerichuntem, id locorum ſitum indicat: nempe quòd Jeroſolyma editiori loco ac montoſo eſſet ſita; Jericho autem loco humiliore, ad Jordanem fluvium. Videtur ideo Jerichuntem denominaſſe tanquam itineris hujus metam, ut id quod de latronibus in quos inciderit viator ille, ſtatim ſubjicit, evadat veriſimilius. Eſt enim credibile id quod à viris doctis ſcribitur, fuiſſe vias inter utramque urbem latrocinis infeſtas. Jam quod ad calamitatem attinet, ea his eſt verbis comprehenſa, quòd inciderit in latrones qui & ſpoliarint eum, & vulneribus ipſi inflictis abierint, ac ſemimortuum reliquerint, ſeu animam jam prope agentem. Gravem ſanè hominis calamitatem, & conditionem periculoſiſſimam, in qua tamen auxilio aliquis eſſet locus, deſcribit; ut ex gravitate calamitatis, in qua tamen adhuc auxilio eſſet locus, illinc quidem intelligeretur immiſericordia Levitæ ac Sacerdotis, hinc autem cura ac ſolicitudo in eo juvando & magnitudo charitatis quam ei alienigena exhibuit.

Sequuntur nunc ſecundo loco perſonæ illæ quæ charitatem calamitoſo illi homini, vel non exhibuerunt, vel exhibuerunt. Et primò illi qui non exhibuerunt, licet maxime deberent, quum Legis videri vellent eſſeque deberent obſervantiſſimi. Sunt autem duæ tales perſonæ, Sacerdos, & Levita. Qui quo pacto à ſe invicem diſtinguantur, ſatis notum eſt. Levitæ enim illi appellari ſolent, qui quum ex Levitica eſſent tribu, ſacerdotio tamen non fungerentur, propterea quòd ex Aharonis familia non eſſent: ad quam ſolam ſacerdotium legale fuerat divina lege adſtrictum: quum interea tamen in templo aliis fungerentur miniſteriis. Uti in libro Numerorum aliiſque Sacrarum Literarum locis, præſertim 1. Paral. videre eſt. Qui Sacerdotibus oppoſiti generale Levitarum nomen retinent: licet & Sacerdotes Levitæ habita ratione tribus ac familiæ eſſent. Patebat autem adS acerdotium omnibus Aharonis poſteris aditus, modò ad id inepti aliqua ratione non eſſent: atque adeo fungi omnes hoc munere ſolebant, ubi nempe fuiſſent certis ritibus conſecrati. Etiamſi unus tantum ex illis ſummus eſſet Pontifex, cui ſoli in anniverſario Sacrificio licebat adyta interiora, ſeu ſanctum ſanctorum ingredi. De utroque autem dicit eum forte fortuna cùm per eandem viam deſcenderet, vidiſſe quidem hominem tam miſerum, ſed è regione tranſiviſſe: indicans utrumque charitatis erga proximum fuiſſe expertem: quum neutrum calamitas illius hominis quicquam moverit, ut eum aliqua ſaltem ratione juvarent. Et de utroque quidem. expreſſe dicit, eum vidiſſe hominem: ne quis cogitare poſſet, quia eum jacentem non animadverterint, ideo præteriiſſe. Non eſt autem dubium quin hujus hominum generis mores notare voluerit Chriſtus, & ſignificare, Sacerdotes ac Levitas, qui ſacris eſſent addicti, & aliis legem proponere ſolerent, & ejus obſervantiſſimi videri vellent, ea tamen haudquaquam obſervare ſolere, atque inprimis charitatis in proximum magno laborare defectu. Solet enim Chriſtus parabolas petere ex iis rebus quas uſus comprobat, & conſuetudini eas attemperare.

Succedit nunc is qui charitatem tantam in calamitoſum illum hominem exercuit. Qui primum deſcribitur à natione ſeu gente: quanquam ita ut & religio ſimul non obſcure ſignificetur, qua itidem erat à calamitoſo illo homine diſtinctus. Deinde charitas illius erga iſtum hominem, ejuſque effecta enumerantur Natio ſimul & religio indicatur dum dicitur fuiſſe *Samarita.* Quinam iſti fuerint, ſatis ex lib. 4 Reg. 17. 24. & 2 Paralip. itemque ex libro Eſdræ & Nehem. conſtat. Fuerunt autem inprimis Chutæi. Quanquam enim ex pluribus fuerunt populis, quos Rex Aſſyriorum Salmanaſſar in Samariæ regnum ſeu regionem à decem tribubus Iſraelitarum antea cultam, loco illarum tribuum inde abductarum, ex Media tranſtulit; ii tamen interdum Chutæi tantùm ſimpliciter dicuntur, proculdubio eam ob cauſam quòd numero cæteros ſuperarent. Quantum autem fuerit inter iſtos Samaritas & Judæos odium, ex æmulatione quadam ortum, tum liber Eſdræ & Nehemiæ, tum Joſephi hiſtoria teſtatur, tum ſatis indicat ipſa hiſtoria Euangelica non uno loco: & controverſia etiam de reli-

gione indicatur à fœmina Samaritana, cum qua Chriſtus colloquutus fuiſſe ſcribitur. Vide Joh. 4. ℣. 20. Hoc propterea memoratur à Chriſto, ut indicet nec gentis nec religionis etiam diſcrimen, nec odia quæ alioquin inter diverſas gentes vigeant, obſtare cuiquam debere quominus aliis in calamitate poſitis proximi fiamus, & ipſos proximorum inſtar tractemus. Eratque exemplum in Samaritano propoſitum, ad hominem Judæum qualis erat ille Legiſperitus tanto magis convincendum aptiſſimum: Quandoquidem majus Judæis cum Samaritanis interceſſit odium quàm cum aliis gentibus. Et quod hic quoque vim aliquam habet, majus videtur fuiſſe odium Judæorum erga Samaritanos, quàm horum adverſus illos: & hi illorum amicitiam ſæpe ambierunt, & pro ipſorum cognatis ſeſe venditarunt, ab illis ſemper ſpreti, ſemper repulſam paſſi. Unde tanto notabilior eſt hujus Samaritani charitas, quòd illius gentis homini officia charitatis tot tantaque præſtitit, à qua ſua gens tantopere contemneretur, & cui ipſe cum ſuis adeo inviſus eſſet. Jam ad deſcribendam ejus charitatem charitatiſque effecta progrediens, ad ea recenſenda accedit, commemorata cauſa eorum procatarctica ſeu occaſione; quæ fuit quòd iter illac fecerit, atque ad hominem illum calamitoſum venerit, (vel ut vulgata verſio habet, *ſecus illum* aut in locum illum juxta quem miſer jacebat) eumque conſpexerit. Inde enim oritur charitas, quod calamitatem hominis cernamus oculis, vel ſaltem cernere nobis quodammodo videamur. Porrò charitatem illius deſcripturus, primò ipſum charitatis ſeu mavis miſericordiæ affectum exprimit, ſecundò illius ut diximus effectum. Affectus eſt, *miſericordiâ commotus eſt*, ſeu quæ vis verbi eſt, viſceribus fuit commotus. Qui affectus conſiſtit in dolore ex aliena calamitate orto, & impetum in ſeſe habet, hominem e calamitate liberandi. Effecta recenſentur aliquot. Primum eſt quòd ad eum accedens, obligaverit vulnera ipſius, oleo & vino infuſis. Quanquam id etiam in duo effecta diſcribuere liceret, nempe acceſſum ad hominem, & vulnerum obligationem. Qua in re non tam impenſa quàm cura ac labor hominis conſpicitur, in homine illo ſervando atque ſanitati reſtituendo. *Oleum & vinum* dicitur infudiſſe, non aliud aliquod unguenti aut emplaſtri genus adhibuiſſe, quia non hæc ſed illa viator, jumento cui inſidebat ſecum ferebat, in uſus ſuos. Secundum effectum fuit, quod eum jumento ſuo impoſitum duxerit in publicum hoſpitium: qua in re & labor ipſius conſpicitur, & moleſtiæ tolerantia, quòd ipſe maluerit pedes ire dummodo homini calamitoſo conſuleret. Tertium effectum eſt, quod *curam ipſius habuerit*, nempe etiam in ipſo hoſpitio. Quaſi dicat; non aliis jam hominis illius curam commendavit, tanquam ſatis officio jam functus; ſed ipſemet quanquam ad alios jam deductum curavit, & ut refocillaretur, ac valetudini reſtitueretur operam dedit. Quartum quod ſumtum etiam inde abiens in eum impenderit, & curam ejus hoſpiti ita commiſerit, ut etiam in poſterum ſiquis in eum ſumtus ab hoſpite fieret, redditurum ſe promiſerit. Quod dicitur *ſequenti die egreſſus*, id emblema eſt; ut & illud, quod *hoſpiti* potius rem commendaverit quàm cuipiam alii. Hoc enim per ſe ſolum ſpectatur, quod ſumtum impenderit. Prius enim illud ideo dicitur, quòd ſignificatum antea fuit, eum iter habuiſſe aliò, & caſu tantùm in hominem illum incidiſſe. Poſteriùs verò quia dictum fuerat, eum utpote viatorem, in hoſpitium publicum deduxiſſe miſerum illum hominem: quum viatoribus non inter ſuos verſantibus locus communis ſit publicum hoſpitium ſeu diverſorium. Dicitur autem non tantùm promiſiſſe ſumtum, quod ii nonnunquam faciunt qui nihil præſtare cogitant, ſed in anteceſſum jam dediſſe *duos denarios*, qui ſi ad noſtram monetam qua nunc utimur redigerentur, aliquantum ultra 20 groſſos conficerent. Quod etſi quiſpiam credere poſſit eſſe exiguum; tamen ſi ſpectetur locorum ac regionum iſtarum, illo tempore ratio, ac rerum omnium copia ſimul & vilitas, non plane exiguum cenſeri poteſt: præſertim ſi conſideres, & viatorem illum fuiſſe, qui in ſuos non in alienos uſus pecuniam ſecum in via tulerit, & præterea paratus fuerit in reditu, ſi quid amplius erogaretur hoſpiti rependere. Hoc pacto ſignificatur eum hominem nihil prætermiſiſſe officii quod homini miſero præſtare poſſet, & occupationes ipſius itineriſque ratio ullo modo ferret. Nam quod ipſemet ei poſthac non aſſederit, nec in hoſpitio unà permanſerit, hoc ratio itineris, ejuſque cauſa ſive neceſſitas non permiſit: & tamen abſentiam quoque ſuam compenſari hoſpitis diligentiâ ſuo autem ſumtu voluit.

Harum perſonarum factis ita deſcriptis, ad comparationem earum inter ſeſe accedit, habita ratione quæſtionis ab initio propoſitæ; & de illa ipſius Legiſperiti judicium exquirit, & reſponſionem elicit. Quærit ergo verſ. 36, *Quis ergo* inquit, *horum trium videtur tibi proximus factus fuiſſe*, ſeu exſtitiſſe, *illius qui inciderat in latrones?* Quæſtio hæc ipſa intellectu eſt facilis: ſed ex ea nobis difficilior oritur quæſtio, quomodo hoc ad quæſtionem ab initio propoſitam faciat? Etenim non id quæſierat Legiſperitus, cuinam ipſe fieri deberet proximus, ſed quis ipſi eſſet proximus, quemque proinde diligere deberet. Diverſæ ſunt ea de re ſententiæ: ſed ex eis duæ tantùm hoc loco videntur commemorandæ. Prima eſt quòd non tam ad verba quæſtionis à Legiſperito propoſitæ reſponſionem ſuam accommodaverit Chriſtus, quàm ad ipſius mentem, ſeu ad id quod ſpectabat, vel ſpectare videri vellet, nempe ut conſtaret quemnam diligere deberet, ut ita præcepto Legis de diligendo proximo ſatiſfaceret. Id verò illum ſatis, ſi ſcopum hunc ſpectes docuit Chriſtus, dum ei in hac parabola oſtendit, & exemplo Samaritani propoſito eum monuit, ut cuivis homini calamitoſo, & auxilio illius indigenti, licet alienigenæ, licet aliis ſacris addicto, & denique inimico, vel ex inimica gente orto, proximus evaderet, ſeu proximi atque amici officia præſtaret: hoc enim pacto eum legi illi de diligendo proximo abunde ſatiſfacturum. Quod ut efficeret Chriſtus, argute quæſtionis verba aliquomodo retinens, in ſententiam paulò diverſam flexit: ut evitata moleſta ac ſpinoſa de voce proximi controverſia, inter Legis doctores ut credibile eſt admodum controverſa, rem tamen ipſam maxime utilem ac neceſſariam hominem illum doceret. Itaque eo rem deduxit ut ipſe Legiſperitus cogeretur ei ea in re aſſentiri: qui fortaſſe ſi Chriſtus de voce proximi ita diſſeruiſſet ut ipſe cupierat, controverſiam illi fuiſſet moturus, plus contentionis quàm utilitatis habituram. Altera ſententia eſt, voluiſſe Chriſtum non ad id reſpondere quod ille quæſierat, ſed quod quærere potius debuerat: quaſi dixiſſet; non tam de eo labores quis ſit tuus proximus, quàm ut ſtudeas fieri cuivis homini ope tua indigenti proximus. Sed prior explicatio magis nobis probatur. Nam ſi poſteriorem admittas, dicendum erit, Chriſtum quæſtionem illam Legiſperiti tanquam parum utilem rejicere, & de illa dicere nolle: quum tamen verba illa de quibus nunc agimus omnino ſignificent illum de eo dicere voluiſſe, quis huic aut illi ſit exſtiteritve proximus. Quod ſane indicat, eum utut non ita directe ad quæſtionem propoſitam reſpondere voluerit, reſpondere tamen aliqua ratione voluiſſe, quod fiet ſi priorem ſententiam amplectamur. Et ſane cauſa non apparet, cur hanc quæſtionem, ita ut poſterior fert explicatio rejicere voluerit Chriſtus, cùm in ea non parum eſſet ſitum, ad legis intelligentiam & exſequutionem. Incidit & hæc aliquando ſententia, Chriſtum utut directe ad quæſtionem propoſitam non reſponderit, indicaſſe tamen quid reſpondendum ſit: cum enim docuerit, Samaritanum proximum

mum evaſiſſe homini Judæo, licet alia gens, alia ſacra hujus & illius eſſent; indicaſſe eum hac ratione, eum quoque proximum qui à nobis diligendus ſit eſſe poſſe qui alterius ſit gentis, & aliis ſacris addictus: præſertim quum nulla ſit cauſa cur ſi alterius gentis ac religionis homo eatenus mihi poſſit eſſe proximus, quatenus amici officium mihi præſtet, non eatenus etiam proximus eſſe poſſit quatenus ei amici officia à me ſint præſtanda. Ut ergo ad verba Euangeliſtæ revertamur, ſubjicit quæſtioni à Chriſto propoſitæ reſponſionem Legiſperiti ℣ 37. Dicit enim eum reſpondiſſe, *Qui fecit miſericordiam cum ipſo*, ſcilicet is proximus factus eſt illi qui in latrones inciderat. Miſericordiam facere cum aliquo, Hebraica phraſi eſt miſericordem ſe erga aliquem præbere, & officia cuipiam præſtare ea ad quæ miſericordia impellit. Rectè autem ita reſpondit, quandoquidem nomen id Hebraicum quod *proximi* voce redditur à Græcis, ſignificat amicum: amici autem officia, non ſacerdos, non Levita, miſero illi homini præſtiterat, ſed Samaritanus tantum. Itaque hunc, non duos illos, proximos illi exſtitiſſe ſeu evaſiſſe, Legiſperitus ille recte judicavit.

Supereſt breviſſima applicatio parabolæ, admonitione comprehenſa, qua jubet Legiſperitum Chriſtus, imitari Samaritanum, cùm ait: *Vade & tu fac ſimiliter*. Quaſi dicat, Age igitur, & tu quoque imitatus Samaritanum illum, cuivis homini ope tua indigenti, nullâ habita ratione generis, aut etiam religionis, ſuccurre, & charitatis officia præſta. Sic nempe legem illam de proximo diligendo impleveris.

Lucæ 25. à verſ. 13 ad verſ. 35.

IN his verbis deſcribitur, quomodo Chriſtus eo quo reſurrexerat die duobus diſcipulis Emmauntem euntibus apparuerit; & non pauca cum illis collocutus, tandem ab illis fuerit agnitus. Tria autem hic exponuntur. 1. Antecedentia iſtius congreſſus, ac colloquii Chriſti quod cum diſcipulis habuit. 2. Ipſe congreſſus, & quæ in congreſſu illo utrinque dicta vel facta ſunt. 3. Nonnulla iſtius congreſſus ac colloquii conſequentia.

Primum continetur ℣. 13. & 14. Ubi & quinam illi fuerint quibus poſtmodum apparuit Chriſtus, & quo tempore, & in quem locum iverint, & denique quid in itinere egerint, exprimitur. Quod poſtremum ℣. 14. ita exprimitur, *Et ipſi colloquebantur inter ſe mutuo de omnibus his quæ contigerunt*, hoc eſt & de morte Chriſti, & de indiciis reſurrectionis ipſius, de quibus eo die audiverant, ut ipſimet inferiùs Domino Jeſu ea de re interroganti ſignificant. Quum enim res illæ & maxime inſignes eſſent, & ad ipſos plurimum pertinerent, & tam recens eſſent factæ, ideo mentes ipſorum totas ad ſe converterant, ut nulla illis eſſet alia ſermonum materia. Hic ſolet tractari à concionatoribus locus communis, qualia debeant eſſe colloquia Chriſtianorum, etiam in itinere.

Quod ad ſecundum loci membrum attinet, ejus duæ iterum ſunt partes. Primò enim narratur, quid inter Chriſtum & illos fuerit factum dictumve in ipſo itinere. Secundò, quid in meta itineris, hoc eſt ipſo loco ad quem tetenderant.

In priori parte tria exponuntur, 1. Acceſſus Chriſti ad diſcipulos, ſeu cum eis congreſſus. 2. Cauſa cur ab illis non fuerit agnitus. 3. Colloquium inter ipſos & Chriſtum. Primum eſt ℣. 15. ubi dicitur quod ipſorum colloquio & diſputationi intervenerit Jeſus, & cum illis unà iverit. Hic ſolent allegorias ſectari plerique, quod cùm de rebus ſacris agunt fideles, Chriſtus interveniat libenter. Secundum exprimitur ℣. 16. nempe quod oculi ipſorum retenti fuerint, quominus eum agnoſcerent. Hoc quomodo factum fuerit, ex Marco quodammodo intelligimus, qui ait eum duobus illis diſcipulis, *manifeſtatum fuiſſe in alia forma*. Apparet nimirum Chriſtum, alium quodammodo vultum & totius corporis habitum, quàm quo antea fuerat quique illis erat notus præſe tuliſſe, & hac ratione ipſorum oculos impeditos fuiſſe, quominus eum agnoſcerent. Credibile eſt etiam vocem immutaſſe: quæ omnia ipſi præſtitu fuerunt admodum facilia. Quanquam haud negaverimus occulta quoque vi ipſorum viſum fuiſſe à Chriſto impeditum, quominus eum tunc agnoſcerent. Fecit id autem eam ob cauſam, ut haberet materiam atque occaſionem cum ipſis ex Scriptura Sacra de morte ac reſurrectione ſua diſſerendi, & eam comprobandi, & ſic illorum quoque fidem explorandi, utrum nimirum credituri eſſent reſurrectioni ipſius, ſolis Scripturæ dictis atque argumentis confirmatæ: præſertim quum jam ejus quædam haberent indicia ac nuncios; non exſpectato eo ut jam ipſis oculis rem cernerent. Hujus autem rei occaſio periiſſet, ſi ſe ipſis ſtatim forma illis nota conſpiciendum præbuiſſet. [Deus fidem hominum exercet, dum non ſemper ita omnia hominibus aperit, ut nullam poſſint habere dubitandi anſam; ſed à parvis initiis progreditur, ut quodammodo exploret utrum hominum animi ſint ſeſe inclinaturi in eam partem quæ veritati propior eſt, etiamſi nondum res ſit adeo clara: modo majora illius exſtent argumenta quàm contrariæ falſitatis. Hinc apparet animus veritatis ſtudioſus, etiamſi pondera videantur dubia, tamen quia præponderare videtur veritatis pondus, eo debet eſſe contentus is cui veritas cordi eſt.]

Sequitur tertium, nempe colloquium inter Chriſtum & ipſius diſcipulos. Ubi primò oſtenditur, quomodo Chriſtus ipſos ad colloquium provocaverit, & ut colloquii ſui argumentum ac ſcrupulos in animis ſuis enatos expromerent, impulerit. Secundò ſermo illorum diſcipulorum, ſui colloquii argumentum, ac dubitationes referentium. Tertiò ſermo Chriſti quo utrumque redarguit ſimul atque erudiit, ac dubitationes illorum diſcuſſit.

Primum eſt ℣. 17. *Dixit autem ad illos, Qui ſunt ſermones &c.* Sic nimirum ſæpe facimus, cùm ad animi ſui ſenſa aut ſcrupulos expromendos alterum incitare volumus, ut licet probe intelligamus quid ille velit, quidve ſentiat, tamen eum interrogemus. Itaque Chriſtus, licèt probe ſciret quid inter ſe illi agerent, eos ipſos tamen interrogavit, ut occaſionem haberet tanto majorem eos & arguendi & erudiendi.

Hinc poteſt per allegoriam elici, Deum interdum præbere nobis occaſiones inquirendi veritatem. Cupit Chriſtus ignorantes erudire, & huic rei eſt intentus. Quodſi ipſemet ſermonem quem poſtea habuit, ita intuliſſet, ut ſcire videretur quid illi colloquerentur, ſtatim eos ut ipſum cognoſcerent impuliſſet. Siquidem inde protinus agnoviſſent eum illa quoque ſcire quæ non audiviſſet, nec naturali aliqua ratione cognoviſſet. Idem etiam apparet paulò pòſt ℣. 19. ubi perrexit Chriſtus interrogare, quænam illa eſſent quæ unus ex illis diſcipulis contigiſſe dixerat. Secunda illius colloquii pars, hoc eſt ſermo iſtorum diſcipulorum exponitur, à ℣. 18, uſque ad finem 24. Ubi primò unius ex illis diſcipulis ſermo refertur, qui admirationem quandam continet, ex illa interrogatione ortam, & aditum ad rem de qua inter ipſos agebatur plenius explicandam. Deinde res tota ab utroque dilucidius ac fuſius explicatur, & colloquii ipſorum argumentum plenius exponitur. Prius fit ℣. 18. ubi dicitur reſpondiſſe unum ex illis diſcipulis, cui nomen fuerit Cleopæ, & Chriſto dixiſſe, *Tu ſolus habitas* vel tanquam incola vivis *Jeroſolymis, & non ſcis quæ facta illic ſint hiſce diebus*. Ubi ſi vox παροικεῖς ſignificat incolarum tantùm, qui extraneis non civibus aut indigenis convenit, ſenſus erit; Mirum mihi eſt, te rem tantam tam vulgo notam ignorare unum, quæ non civibus tantùm noſtris, ſed & omnibus qui nunc feſti

inpri-

inprimis cauſa Jeroſolymis degunt extraneis, adeo nota eſt, ut hæc una videatur nunc eſſe ſermonum ac colloquiorum inter eos materia. Quare ne interrogare quidem debebas, qua de re inter nos ſermoeſſet, etiamſi tandem incola tantùm ſis, non civis aut indigena. Sed poteſt tamen vox παροικεῖν latius extendi, ita ut quamvis habitationem ſignificet, & civibus quoque atque indigenis conveniat. Sequitur poſtea altera Chriſti interrogatio qua ad rem totam plenius explicandam, & ſcrupulos quibus urgeantur expromendos, Chriſtus diſcipulos ſuos impulit, & eorum ad illam interrogationem reſponſio, ỳ. 19 & ſequentibus. Chriſtus enim adhuc ita agens, ac ſi ignoraret quid Cleopas dicere vellet, quærit quænam illa ſint quæ iſtis diebus Jeroſolymis eſſent geſta. Reſponſio primò iterum rem ſummatim proponit, ſecundò eam explicat ac fuſius deſcribit. Propoſitio brevior eſt, quum reſponderunt Chriſto, *ea quæ de Jeſu Nazaræno*, hoc eſt illa eſſe quæ Jeſu Nazaræno contigerint, de eove narrentur, hæc illa eſſe quæ dixerit his diebus Jeroſolymis facta eſſe, quæque neminem ignorare putarit. Explicatio & enarratio uberior iterum bipartita eſt. Nam primò deſcribitur ipſe Chriſtus, ejuſque ſingularis præſtantia. Secundò ea quæ ipſi iſtis diebus contigerint. Deſcriptio Chriſti ejuſque ſingularis præſtantiæ, continetur illis verbis, quòd fuerit, *vir propheta potens in opere & ſermone, coram Deo, & omni populo*, hoc eſt propheta ejuſmodi qui & multa inſigniaque ediderit miracula, & præclariſſima docuerit, & Deo teſte, ſeu revera, & judicio univerſi populi; ſeu cujus & in miraculis edendis & in docendo facultas, non modò populo fuerit probata, & ſummam apud eum admirationem meruerit; ſed revera etiam talis qualis populo fuerit viſa, exſtiterit. Ea verò quæ Chriſto nuper contigerint, duo recenſet. Alterum ad mortem ipſius pertinet; alterum ad ipſius reſurrectionem. Prius commemoratur verſ. 20, & 21. Ubi primùm & authores mortis, nempe ſummi Sacerdotes, ac principes populi, & mortis genus exprimitur, nempe crucifixio: & quàm id ſuæ ſpei atque exſpectationi adverſum fuerit, oſtenditur: præſertim cùm jam tertius ab eo tempore quo hæc contigerint, labatur dies. Quod poſtremum narratur verſ. 21, ubi dicitur: *Nos autem ſperabamus quod ipſe ſit qui redemturus eſſet Iſraëlem*, hoc eſt è ſervitute populum Iſraëliticum liberaturus, & è poteſtate Romanorum in libertatem vindicaturus. *Sed cum his omnibus tertia hæc dies nunc labitur, ex quo hæc facta fuerunt.* Quaſi dicat verùm jam tertia labitur dies ex quo ille tam infami morte fuit è vivis ſublatus, ita ut ſpes videatur nulla amplius ſupereſſe fore ut is populum Iſraëliticum liberet. Sequitur id quod ad reſurrectionem Chriſti ſpectat, quod diſcipuli illi ita recenſent, ut non in gaudii ſed majoris potiùs perturbationis occaſionem ac materiam convertant. Et primò quidem quid mulieres ea de re narraverint; ſecundò quomodo quidam ex ipſis etiam diſcipulis rem eandem exploraverint, & veram eſſe compererint. Prius fit verſ. 22, ubi & effectus commemoratur, nempe perturbatio diſcipulorum, quæ orta fuerit ex illo ſermone mulierum: deinde quid mulieres illæ de reſurrectione Chriſti compererint; nempe quòd quum mane ad ſepulcrum veniſſent, non reperto corpore Domini redierint, affirmantes, Angelos ſibi apparuiſſe, qui dixerint Chriſtum vivere. Poſterius verſ. 24, ubi dicitur abiiſſe quoſdam eorum qui cum ipſis degant, ad monumentum, & reperiſſe ita quemadmodum & mulieres dixerint, ſed ipſum Dominum non vidiſſe. Ubi verba illa, *& repererunt ita quemadmodum & mulieres dixerant*, non ſunt ita accipienda, ac ſi Angelos etiam illos ibi reperiſſent, qui mulieribus antea apparuerint. Id enim hiſtoria ſacra, & ea inprimis quæ Johannes ea de re ſat fuſe narrat, nequaquam comprobant, imò potiùs refellunt: ſed referendum hoc eſt ad alias rei iſtius circumſtantias: nempe quòd lapis ab oſtio ſepulcri fuerit amotus, quòd linteamina ſola illic fuerint relicta, & ſi quæ ſint his ſimilia.

Sequitur nunc reſponſio Chriſti ad hunc diſcipulorum ſermonem, qua illos & arguit, & erudit. Primùm enim eos reprehendit ob ſtuporem quendam, & tarditatem animi, in credendo iis quæ loquuti ſunt prophetæ, verſ. 25. Deinde cauſam ejus rei affert cur eorum inſcitiam & incredulitatem tantopere reprehendat: duo præcipua prophetiarum de ſeipſo capita proponens verſ. 26. Et denique rem illam declarat, aut potiùs declaraſſe ac confirmaſſe ſcribitur, explicatis ea de re prophetarum omnium teſtimoniis.

De primo dicitur, quòd Chriſtus ad hunc modum alloquutus fuerit diſcipulos illos: O *amentes* ſeu mavis inconſiderati, *& tardi corde, ad credendum ſuper omnia quæ loquuti ſunt prophetæ.* Quaſi dicat: ô quam eſtis ſtupidi, qui minime conſideretis quæ à prophetis ſunt olim prædicta, quamque difficulter adducimini ut illis fidem adhibeatis.

Secundum his verbis continetur; *Nonne hæc oportebat pati Chriſtum, & ingredi in gloriam ſuam?* quaſi dicat. Nonne hoc eſt à prophetis prædictum, Chriſtum ex Dei decreto debere & pati mortem truculentam, & hac demum interveniente, ad cœleſtem gloriam ſummumque imperium evehi? Quæ duo infra his verbis explicantur, verſ. 46, & 47. *Ita ſcriptum eſt, & ita oportebat pati Chriſtum, & reſurgere ex mortuis tertia die, & prædicari in nomine ipſius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, initio facto ab Jeroſolyma.* Ubi illius gloriæ Chriſti & initium commemoratur, nempe reſurrectio ipſius tertio poſt mortem die conſequuta, & ex effectu longe diviniſſimo, gloriæ illius perfectio ac complementum, intelligendum relinquitur: nempe quòd debuerit ipſius juſſu, authoritate, atque imperio prædicari per omnes terras ac gentes, ſeu mavis omnibus terræ gentibus, & pœnitentia, & peccatorum remiſſio: quarum rerum illa univerſam pietatem, præceptis Chriſti comprehenſam, hæc felicitatem ſempiternam complectitur. Hæc duo comprehendit etiam Petrus 1. epiſt. cap. 1. verſ. 11. Ubi dicit Spiritum Chriſti qui in prophetis fuerit antea, fuiſſe teſtatum paſſiones in Chriſtum caſuras, & quæ has eſſent ſequuturæ glorias.

De tertio ita ait Lucas, rem breviter potius perſtringens, quàm explicans; *Et incipiens à Moſe & ab omnibus prophetis, interpretabatur*, ſeu explicabat *ipſis, in omnibus ſcripturis, ea quæ de ipſo*, ſcilicet ſcripta eſſent. Intelligenda autem hic ea eſſe videntur quæ ad mortem & reſurrectionem atque exaltationem Chriſti pertinent. Quanquam forte non omnia prorſus quæ in ſingulis prophetis exſtarent, ſed illuſtriora tantùm fuit perſequutus. Neque enim dicit quòd omnia fuerit interpretatus, ſed quòd ea quæ de ipſo ſcripta eſſent in omnibus ſcripturis, ſeu quavis ſcripturæ parte ſive libro, quæque in quovis propheta exſtarent, interpretatus fuerit. Et hæc de prima congreſſus ac colloquii cum diſcipulis Chriſti, parte, quæ in ipſo itinere fuit abſoluta.

Sequuntur modò ea quæ Emaunte, itineris nempe meta, ad quam contenderant diſcipuli illi, contigerunt, vel ſaltem prope ipſam Emauntem. Primum autem narratur quomodo diſcipuli illi Chriſtum diſcedere volentem retinuerint. Deinde quid in hoſpitio in quod diverterant, contigerit. Quod ad prius attinet, primò refertur Chriſti factum, qui ulterius ſe iturum ſimulaverit. Quod non ita quidem videtur accipiendum, quaſi nullo modo cogitarit abire, licet præ ſe ferret, ſe abire omnino velle. Credibile enim eſt Chriſtum, niſi eum diſcipuli illi retinerent, & vehementer quidem urgerent, abiturum fuiſſe; ſed intelligendum eſt, Chriſtum id tum occultaſſe quod deſiderarit quodammodo, idque ipſorum diſcipulorum cauſa, ut ab iis retineretur atque urgeretur, nec ullam ejus rei ſignificationem dederit, quòd animus ſibi ſit, ſi rogetur, manendi.

Ipſius

Ipſius enim & oratio & geſtus, nihil aliud quam abitus conſilium ac decretum oſtendit. Quod ergo non totum id quod animo volvebat ac deſiderabat, verbis factiſve externis expreſſerit, ſed quodammodo ejus contrarium præ ſe tulerit, id ſimulationem Lucas appellat. Quæ in re hujuſmodi non eſt vitioſa: quum in rebus etiam majoribus viros divinos aliquid ſimulaſſe videamus: & nonnullos quidem ipſius Dei juſſu. Ut de Samuële legimus 1 Sam. 16. ℣. 2.

Deinde exponitur quomodo eum retinuerint. Et primò quidem ipſorum ea in re diligentia & ardor exprimitur, quod eum *coëgerint*, & modus quo eum permoverunt, nempe & rogando, & precum cauſam afferendo. Rogarunt enim dicentes, *mane nobiſcum*. Cauſam attulerunt, *quia jam veſpera inſtat, & declinavit dies*. Denique effectus ſequitur, quod ingreſſus fuerit in vicum ac hoſpitium, & manſerit cum illis.

Jam quod ad alterum attinet, hoc eſt ad ea quæ in hoſpitio contigerunt, primum exponitur quid Chriſtus fecerit, unde eum poſtea cognoverint. Deinde ejus facti effectus, nempe Chriſti agnitio, & denique illius conſequens, nempe quod Chriſtus ab illis diſparuerit. De primo ita dicitur ℣. 30. *Et factum eſt quum accumberet ipſe cum illis, accepto pane benedixit.* Hoc eſt gratiis Deo actis eum veluti conſecravit, ſeu ſanctificavit, uti nimirum cibos conſecrari, per Dei verbum & precationem dicit Apoſtolus, 1 Tim. 4. ℣. 5; & fractum illis tradidit; morem nimirum ſuum ſequutus, ut instar patrisfamilias cibis benediceret, & diſcipulis tanquam domeſticis ſuis diſtribueret. Quæ res non parum illis attulit adjumenti ut Chriſtum agnoſcerent. Nam quum ipſi potius eum ad ſe invitaſſent, non vice versa, ipſi potius & benedicere pani, & eum Jeſu proponere debebant. Itaque quum contra ille faceret, & conſuetum ſibi morem, ipſis ſatis notum, & recenti adhuc memoriæ infixum ſequeretur; ſtatim illis in mentem venit, Dominum ſuum hunc eſſe ac Magiſtrum, qui hucuſque ſolitus fuerit, quum cibum unà cum ipſis caperet menſæ benedicere, & panem fractum diſcipulis tradere atque inter eos diſtribuere. Quod in ultima quoque cœna feciſſe legitur, idque non tantum quum myſticum calicem ipſis porrexit; ſed etiam ante inſtitutionem Euchariſtici ritus, quum poculum ſumens gratiis actis dixit, *Accipite, & diſpertimini hoc inter vos* Lucæ 22. ℣. 17. Fieri autem facile poteſt, ut etiam verbis hujuſmodi uſus fuerit Chriſtus, quibus aut quorum ſimilibus etiam ante hac uti ſolitus fuiſſet, quæ aliis Judæis non ſolerent eſſe uſitata ac familiaria. Neque enim credibile eſt Chriſtum, aut precandi aut gratias agendi formulas ab aliis didiciſſe; ſed ſuas quaſdam habuiſſe & aliis ea in re præiviſſe. Quare quod ſequitur, *ipſorum autem aperti ſunt oculi, & agnoverunt ipſum*; videtur effectum ſignificare, ſaltem ex parte, iſtarum Chriſti actionum, ℣. 30 expoſitarum, de quibus modo diximus. Credibile enim eſt non ita diverſam Chriſtum formam præ ſe tuliſſe ut de ſua nihil retineret, ſuique prorſus videretur diſſimilis; ſed potius habitum aut vultum ita fuiſſe diverſum, ut non facile à diſcipulis agnoſceretur. Sicut nobis interdum accidit, quos levior mutatio ab agnitione ejus avertit quem aliàs ſatis novimus. Quanquam haud negaverimus, potuiſſe Chriſtum aciem eorum ita impedire ne ſeſe protinus agnoſcerent. At poſtquam iſta contigerunt, & ipſorum animi non modò colloquio antegreſſo, ſed & actionibus Chriſto familiaribus fuerunt excitati ad Chriſti faciem tanto diligentius luſtrandam, ceſſit jam aliquomodo illa formæ diverſitas, nec eos impedit quominus Chriſtum agnoſcerent; & ipſe Chriſtus ſi quam viſui illorum vim occulte antea adhibuerat, eam adhibere deſiit, & impedimentum omne, quod agnitioni ſui obſtaret, amovit.

Sequitur jam porro eventus, nempe quod Chriſtus quum eſſet a diſcipulis agnitus, *diſparuerit*, ita ut jam ab ipſis conſpici non poſſet. Quod proculdubio factum eſt vi quadam occulta ac miraculoſa, ipſorum oculis ſeu viſui adhibita. Eſt autem hoc loco vox ἀφανὴς, adjunctis illi vocibus ἀπ' αὐτῶν, quæ non ſignificat eum factum fuiſſe inviſibilem, quod eſſet eum factum fuiſſe ἀόρατον, ſed eum illorum diſcipulorum aſpectum ita repente occulta virtute effugiſſe, ut conſpici ab iis non amplius poſſet, etiamſi eo ad breve aliquod tempus eſſet loco unde conſpici ab illis potuiſſet, ſi ipſorum oculi impediti non fuiſſent. Cauſa vero cur Chriſtus ita diſparere voluerit, nec diutius his diſcipulis conſpectum ſui indulgere, duplex animadverti poteſt. Prima eſt quod nondum ita illis ſeſe conſpiciendum voluerit præbere, quin alius adhuc reſtaret modus ſeſe patefaciendi perfectior; habita ſaltem diuturnitatis ratione: quandoquidem ut in loco Johan. 20 diximus, ab imperfectiori ſeſe patefaciendi modo ad perfectiorem progredi conſtituit, ut diſcipulorum ſuorum fidem tanto commodius exploraret. Altera eſt quod noluit Chriſtus aliis ſeſe hominibus præter fideles ſuos conſpiciendum præbere: id quod proculdubio eveniſſet, ſi apud hos diſcipulos diutius permanſiſſet, jam ab illis agnitus. Siquidem in alienis forſan erant ædibus, neque dubium eſt quin alii quoque homines extranei in iiſdem ædibus fuerint tum temporis verſati. Quia autem fieri potuiſſet, ut diſcipuli illi Dominum agnitum aliis quoque oſtenderent, & ſuum gaudium cum aliis quodammodo communicarent, & ut in Chriſtum paucis ante diebus crucifixum crederent, ac pro Meſſia & redemtore ſuo eum agnoſcerent, hoc tam efficaci argumento reſurrectionis ipſius eos impellere conarentur. Cauſam autem novimus ſatis gravem fuiſſe, cur Deus ac Chriſtus noluerit, ut ab infidelibus quoque is redivivus cerneretur. Ut taceam, non decuiſſe ut infidelibus hominibus prius quam ipſis Apoſtolis Chriſtus ſeſe conſpiciendum præberet.

Reſtat tertia atque ultima hujus loci pars; quæ duo iterum in ſe complectitur. Primum quid poſt illum Chriſti congreſſum inter ſe loquuti fuerint illi diſcipuli, & quomodo efficaciam ſermonum illius quam in animis ſuis ſenſerint, fuerint confeſſi; eo ipſo ſignificantes id argumentum fuiſſe & indicium Chriſti præſentis, licet eum non agnoverint, & quodammodo admirantes ſe tam tardos fuiſſe, ut ex tanta ſermonis illius efficacia ipſum non agnoſcerent. Deinde exponitur quomodo Emaunte Jeroſolymam regreſſi, ex Apoſtolis cognoverint certum reſurrectionis ipſius nuncium atque argumentum: & ipſi viciſſim quæ ſibi contigerint, & quomodo Chriſtum agnoverint, ipſis narraverint. Prius continetur ℣. 32. Ubi ita ſcribit Lucas, *Et dixerunt ad ſe invicem, Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis quum loqueretur nobis, & quum aperiret nobis ſcripturas?* Quorum verborum vis ac ſententia jam aliquomodo eſt explicata. Poſterius narratur ℣. 33, & duobus ſequentibus. Ubi primo illorum ad alios diſcipulos reditus commemoratur. Secundo quid ex ipſis de reſurrectione Chriſti & certa ejus apparitione Simoni nimirum ſeu Petro audiverint, ℣. 34. Cujus apparitionis fit mentio etiam apud Paulum 1 Cor. 15. ℣. 5. & prima conſtituitur ex apparitionibus factis iis quorum teſtimonio ibi utitur Apoſtolus. Cui poſtea ſtatim ſubjungitur quod duodecim illis nempe Apoſtolis apparuerit Chriſtus: quemadmodum & hoc loco fit apud Lucam verſ. 36, & ſequentibus: & apud Johannem cap. 20. ℣. 19 & ſeqq. Denique exponitur quomodo duo illi diſcipuli viciſſim narraverint ea quæ in via ipſis contigiſſent, & quomodo agnitus ab iis eſſet Chriſtus *in fractione panis*, ſeu dum panem frangeret, ipſiſque diſtribueret: qua voce & antegreſſa benedictio ſeu gratiarum actio eſt comprehendenda.

Lucæ 20. verſ. 34, 35, 36. Filii hujus ſeculi, &c.

CUr hunc contextum nobis explicandum ſumſerim, nemini eorum obſcurum eſſe poteſt, qui norunt, quem actum hodie præ manu habeamus. Interim doctrina his verbis propoſita, quanquam nonnullos noſtrum peculiariter attingat, omnibus tamen communiter uſui eſſe poteſt, tum iis qui cælibem vitam agunt, tum iis, qui matrimonium inierunt, vel inire cogitant. Docet his verbis Servator diſcrimen hujus & futuræ vitæ, ratione matrimonii, quod in hac quidem obtinet, in illa vero locum non habebit. Partes conſtitui poſſunt duæ. Prima hujus vitæ ſtatum ratione matrimonii nobis ob oculos ponit: ſecunda futuræ. De prima ſic inquit Servator, *Filii hujus ævi ducunt uxores, & nuptum dant*. Filiorum hujus ævi mentionem nonniſi apud Lucam unum reperire eſt, & quidem cum bis apud eum legantur, non fit illud plane eadem ſignificatione. Sunt autem homines ævi per Hebraiſmum homines moribus hujus ævi adeo ſimiles, ut ex eo nati videantur. Cæterum cùm mores hujus ſeculi plerumque mali ſint, ideo fit, ut cap. 16. ỳ. 8, per filios hujus ſeculi intelligantur homines malis ævi moribus dediti, opponuntur enim ibidem filiis Lucis. Hoc in loco per filios ſeculi intelligi videntur omnes homines & boni & mali, qui in præſenti ſeculo vivunt, & actionibus ad hujus vitæ uſum pertinentibus vacant. De his inquit ſervator, quod *ducant uxores & nuptum dentur*. Quippe ut cibo, ſomno, potu, utuntur ad conſervationem individuorum: ita & matrimonio ad conſervationem ſpecierum. Totus enim mundus, omneſque ejus partes conſervationem ſui ſectantur, eoque quia ipſa ſemper durare nequeunt, ut ſol, luna, cæteræque ſtellæ, per generationem propagantur, ut in plantis omnibusque animalibus videre eſt. Quanquam autem ſervator hic tantum ſignificare videatur, quid fiat, non autem an recte fiat, tamen conſtat id rectè & ſine peccato fieri. Omnia quippe quæ natura rerum ob ſui conſervationem exigit, pro licitis habenda ſunt. Huc accedit quòd & ipſe naturæ auctor Deus poſt virum creatum fœminam ex illius coſta formaverit, eamque ad virum adduxerit, & utrique inſuper benedixerit, dicens, creſcite & multiplicamini & replete terram. Quod & poſt diluvium Noam illiuſque filios alloquens repetivit. Idem & de matrimoniis, rite tum ineundis tum colendis tot leges populo Iſraelitico dedit. Quid quod ne Levitis quidem quorum tribum ſibi peculiariter elegerat, imo ne Sacerdotibus quidem, ſummiſque Pontificibus matrimonio interdixit. Hinc quotquot in Veteri F. legimus Dei ſervos atque amicos, omnes mariti fuerunt. Sub Novo F. quanquam laudetur virginitas & cælibatus, permittitur tamen Chriſtianis matrimonium, imo & ſuadetur 1 Cor. 7. 1, 7, 8, 25, 26, 28. Nec enim idem eſt omnium ſtatus atque ratio. Matt. 19. 11, 12. Quin & *doctrina dæmoniorum*, quæ matrimonium vetat, vocatur 1 Tim. 4. 3. Hoc vero privilegium & ad eos extenditur, qui Eccleſiæ præfecti ſunt, ut patet ex lege Epiſcopis & Diaconis lata. Paulus Apoſtolus idem ſibi & Barnabæ permiſſum teſtatur, & quidem aliorum Apoſtolorum fratrumque Domini ipſius, & Cephæ, exemplo. 1 Cor. 9. 5. Ergo in hoc quidem nullum eſt diſcrimen inter ſervos Dei alioſque quod ad matrimonii jus in genere attinet. Finis tamen moduſque tum in ineundo tum in uſurpando matrimonio, his illiſve, ex lege præſertim Chriſti, longè diverſus eſt. Finis naturalis matrimonii eſt, propagatio generis, à quo fine ne Chriſtianus quidem abhorrebit, is tamen & hoc maxime ſpectabit, ut hac ratione vitet omnes impuras libidines 1 Cor. 7. 2. Finis hominum ſeculi hujus eſt ſæpenumero voluptas, nonnullorum etiam ut per matrimonium ad honores & ad opes perveniant.

Modus in ineundo matrimonio Chriſtianorum quidem eſt, ut *in Domino* matrimonium contrahant, id eſt ut mores atque vitæ honeſtatem in deligendo compare maximè ſpectent, cæteras ſive corporis, ſive fortunæ dotes non contemnant quidem, ſi adſint, non tamen ſi deſint, nimium angantur. Homines hujus ſeculi adverſa plane via incedunt. In uſu matrimonii Chriſtianus ſtudebit, ut non tantum conjugi ſed & Domino Jeſu placeat, imo conjugi non aliter quam ſecundum leges à Domino Jeſu illiuſque Apoſtolis præſcriptas, præcipue Eph. 5. 22. Col. 3. 18. 19. 1 Pet. 3. ỳ. 1, & ſeqq. ſtudebit. Paratus Domini Jeſu cauſſa etiam conjugem cum aliis ſibi charis relinquere, conjugemque habens, quaſi non haberet, ut Apoſtolus loquitur 1 Cor. 7. 21. Homines vero hujus ſeculi alii quidem ex homine idolum faciunt nimio cultu, alii contemtim habent eum, aut, litis ſerram quotidie reciprocant. Summa quidem conjugium Chriſtianorum, erit ſecundum Epiſtolam ad Heb. 13. 4, honeſtum in omnibus, & lectus eorum incontaminatus: aliorum vero prout vel affectus vel occaſio tulerit.

Videamus jam ſecundo quis futurus ſit ſtatus eorum, qui ad futuram vitam pervenerint, ratione matrimonii. De iis inquit ſervator: Eos in matrimonio non futuros: idque allata deinde ratione probat. Expendamus primum affirmationem rei, deinde & illius rationem. In affirmatione notanda deſcriptio eorum, qui ad beatam vitam pervenient. Qui inquit *digni habebuntur ut aſſequantur ſeculum illud, & reſurrectionem à mortuis*. Quia dignitas horum hominum commemoratur, apparet ſermonem non eſſe de impiis qui reſuſcitabuntur ad judicium, ſed de piis, id quod ſeqq. confirmant. Notandus autem hic loquendi modus in Scriptura, quæ cum futuri ſeculi & reſurrectionis mentionem faciunt, per illud beatum illum fidelium ſtatum, per hanc ad beatum illum ſtatum reſurrectionem plerumque intelligunt. De futuro ſeculo exempla Heb. 2. 5. vi. ỳ. 5. De reſurrectione Joh. 6. ỳ. 39, 44, 54. Phil. 3. 10. 1 Cor. 6. 14. cap. 15, paſſim. Et certè ea demum reſurrectio appellari meretur, quæ eſt non ad judicium, ſed ad vitam, & ad vitam non quæ durat ad ſupplicium, ſed quæ voluptatem affert. Quod autem hic dicitur de dignitate eorum, qui futurum ſeculum, & reſurrectionem mortuorum aſſequentur, id non intelligendum eſt, de dignitate quæ veniat ex merito proprie dicto (quod enim ullius eſſe poteſt meritum tantum, ut vita æterna dignum ſit) ſed quod Dominus benigna quadam æſtimatione pietati noſtræ utut imperfectæ tribuet. Interim notandum eſt, ſectandam eſſe dignitatem apud Deum per bona opera, 2 Pet. 3. ỳ. 3. notetur locus.

Porro de his, qui futurum ſeculum, & reſurrectionem aſſequentur, inquit ſervator eos in matrimonio non futuros. Erit ergo longe diverſa illius ratio, ab hac qua nunc utimur. Simile eſt, quod Cor. 6. ỳ. 13, *nec cibos illic* locum, atque ita nec eſum, illic amplius habiturum dicit, imo ne *ventrem* quidem. Unde colligere licet, nec aliis membris, quibus ad animalis hujus vitæ uſum indigemus, locum illic fore. Quin diſerte Apoſtolus 1 Cor. 15. 50, negat *carnem & ſanguinem hæredem Regni Dei* futurum. Unde liquet nec functiones illas corporis, quæ carne & ſanguine peraguntur, nec voluptates, quæ ex talibus functionibus reſultant, amplius futuras. Nec eo tamen deterior noſtra conditio futura eſt. Quotquot enim ſunt corporis hujus functiones, ita comparatæ ſunt, ut niſi aliqua voluptate condiantur, ipſimet ab iis fere abhorreamus, & voluptates, quæ ex ejuſmodi functionibus capiuntur, ita plerumque vanæ, ut nihil facilius, quam earum nobis tædium oboriatur. At futuræ vitæ actiones, atque voluptates plane erunt divinæ. *Videbimus Deum ſicut eſt*, 1 Joh. 3. 2. Videbimus autem *facie ad faciem* 1 Cor. 13. 12, *& cognoſcemus prout & cogniti ſumus* ibidem. Ita & Dominum Jeſum, Apoc. 22. 3. Incendemur utriuſque amore. Laudabimus utrumque induti togis albis, & palmas tenentes manibus Apoc. 7. 9, 10. Confer Apoc. 19. 6, 7, 8. Quanta vero in hoc felicitas, explicatur ſequentibus.

Expen-

Expendamus jam rationem cur qui futuræ vitæ participes erunt, matrimonio non amplius ſunt daturi operam: ea continetur his verbis *quia mori amplius nequeunt*. Cui in ſeqq. fulcra duo ſubſtituuntur. Magnum id eſt, quod non modo non ſint morituri, ſed nec mori amplius poſſint. Videmus quanto ſtudio omnia animalia mortem refugiant, quanto conatu, & armorum & mediorum ei imminenti reſiſtant. Eſt enim vita fundamentum omnium actionum, omniumque voluptatum, quas quis præcipue poſcit. Quid ei non deberemus, qui vitam nobis vel ad mille annos propagare poſſit? Quid ſi ergo in æternum cujus nullus eſt terminus? Cæterum cum negat ſervator homines futuri ſeculi amplius morituros, negat etiam ſubjectos fore iis, quæ viam in hac vita nobis ad mortem aperiunt ſive morbis, ſive caſibus aliis. Unde iſta in Apoc. 21. 4. Quæ vero eſt ratio conſequentiæ: Homines in futuro ſeculo, mori non poterunt, ergo & in matrimonio non vivent. Ea patet ex fine matrimonii. Finis matrimonii eſt generatio prolis, & per generationem, ſpeciei conſervatio. Ubi ergo ipſa individua à morte immunia erunt, ibi nec ſpeciei conſervatio per generationem, nec matrimonium generationis cauſâ inſtitutum, locum habet. Notetur hic probe generationem in æternis ſi modò ratio ſervatoris bene concluſa eſt, locum non habere. Quod quorſum extendatur, non eſt nunc explicandi locus: ſapienti dictum ſatis.

Probat Servator hos tales mori non poſſe, duabus aliis rationibus. 1. Quod angelis pares ſint futuri, 2. quod filii Dei. Primo de Angelorum natura operoſum eſſet omnia congerere, quæ vel Scriptura S. de iis commemorat, vel ratio ex ejus dictis concludit. Id conſtat Spiritus eſſe, à Deo creatos, magnarum virtutum, magni roboris, magnæ gloriæ; &, quod huc potiſſimum facit, ſexus diſtinctione carent, proinde ad matrimonium inepti ſunt, & vitæ interminabilis. Quanquam autem angeli & boni ſint & mali, hic tamen ad bonos reſpici, patet ex parabola Matth. 22. 30. His ergo ſimiles erunt homines futuri ſeculi participes. Nam & corpora eorum erunt ſpiritualia, 1 Cor. 15. 44. Imò evadent ipſi ad exemplum Spiritus vivificantis, ℣. 45. Erunt magnarum virtutum atque roboris, 43. gloriæ item, ibidem. Cujus adumbrationem in Chriſto vide Matth. 17. ℣. 2. Denique æternæ vitæ participes, quæ ſexcenties in Novo Fœdere illis promittitur.

Nec incredibile eſt, quanquam mirum, homines angelis ſimiles fore: quum nunc etiam Angeli non erubeſcant hominum ſeſe conſervos appellare, Apoc. 19. 10, & 22. 8. Imo quum Chriſtus homo, & qui non erubeſcit nos appellare fratres, angelorum ſit Dominus, & ab iliis colatur atque adoretur, 1 Cor. 15. 27. Epheſ. 1. 22. Philip. 2. 10. Col. 1. 17. Secunda ratio quòd Dei ſint filii. Videtur argumentatio per gradus aſcendere. Amplius enim quid ſonat Dei filium eſſe, quam angelis ſimilem. Quid enim Deo ſublimius? quis autem illius ſublimitati propius accedit quam filius? Mirum autem videri poteſt, quod Dei filios nominet, quum antea concluſerit, in æternis generationem non eſſe. Sed facilis eſt reſponſio. Eos qui Dei filii hic dicuntur, non generatos ex Dei eſſentia, ad ſpeciei conſervationem. Mirum autem & illud videri queat, quòd concludat Servator, homines futuri ſeculi participes, non morituros, ex eo quòd Dei ſint filii: quandoquidem & in hoc ſeculo filii illius vocantur, qui tamen morti ſubjecti ſunt. Omitto alia hujus rei exempla, quæ in Novo præſertim Fœdere frequentiſſima ſunt. Memorabilis eſt locus Pſal. 82. ℣. 6. Sed nimirum ejuſdem nominis non eadem ſemper vis eſt: ſed pro diverſitate ſtatus hominum, vel intenditur vel remittitur. Homines filii Dei dicuntur ob ſimilitudinem cum ipſo: quæ interdum major, interdum minor eſt.

In hac quidem vita, alii ob ſanctitatem, alii ob poteſtatis ſimilitudinem, Dei filii vocantur. In futura vita, ſanctitati accedet immortalitas, ad quam reſurrectio nos perducit. Unde tanto major eſt hujus nominis vis, quam ſignificare Servator voluit, quum addidit, *filii reſurrectionis exiſtentes*. Quid quòd ea de cauſa & divinæ conſortes naturæ dicuntur, 2 Pet. 1. 4. Plenioris hujus ſignificationis exempla, Joh. 1. ℣. 12. Rom. 8. 23. 1 Joh. 3. ℣. 1, 2.

Luc. 12. *verſ.* 13, *ad* 35.

CErta quadam occaſione invitatus Chriſtus, tradit hic doctrinam, qua nos dehortatur ab avaritia, & adhortatur ad contrariam ei virtutem, id eſt, liberalitatem. Conſideranda igitur venit 1. Occaſio doctrinæ. 2. Ipſa doctrina. Occaſio ſic ſe habuit: *Dixit autem ei quidam è turba; Magiſter, dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem*, &c. Chriſtus tunc præclaras tradebat doctrinas, ingenti hominum turba auſcultante, atque inprimis de nomine ſuo ac profeſſione doctrinæ ſuæ non abneganda. Verum hujus hominis mentem aliæ cogitationes carnales occupaverant. Non de eo erat ſolicitus, ut à Domino bona cœleſtia conſequeretur, ſed portionem bonorum terreſtrium, quam frater ſuus injuſtè detinebat, cogitavit per Chriſtum nullo negotio & ſine longo juris ſtrepitu recuperare. Credebat enim Chriſtum tanti nominis Doctorem auctoritate ſua haud difficulter effecturum apud fratrem ſuum, ut quod juſtum & æquum erat, faceret. Forte putavit etiam ad officium ejus qui magiſter omnium virtutum ac juſtitiæ erat, pertinere, ut fratrem contra juſtitiam agentem officii admoneret, & de injuſtitia redargueret. Sed Chriſtus reſpondet: *Homo, quis me conſtituit judicem aut diviſorem ſuper vos?* Oſtendit Chriſtus, id quod ille petebat, à ſuo officio eſſe alienum. Quaſi dicat: Non eſt hæc mea vocatio. Non ſum conſtitutus judex de hæreditatibus ac herciſcundis familiis hominum in terra. Aliud mihi impoſitum eſt negotium ac munus. Miſſus enim ſum ad monſtrandum Judæis viam, quâ pervenire queant ad vitam æternam. Etſi verò etiam id ad juſtitiam pertineret, ut quiſque quod ſuum erat obtineret, ne quis alterum injuria afficeret, & aliena detineret; tamen Chriſtus non tenebatur ad res tam particulares deſcendere. Illius erat generales tradere vivendi regulas. Si voluiſſet Chriſtus ſe implicare negotiis ac controverſiis particularibus, unum oppidulum aut vicus abſtuliſſet ei pene integrum tempus vitæ ejus. Sufficiebat proindè, quod Chriſtus in genere ad colendam juſtitiam omnes hortaretur. Sed ut ſingulis jus diceret, & ſingulas controverſias ſententia ſua dirimeret, non erat opus. Hoc etiam ſibi capere debent Paſtores & Antiſtites Eccleſiæ, ne ſe in quaſvis controverſias ingerant, etſi juſtas. Videmus hic Dominum recuſaſſe arbitrium de lite inter duos fratres, & dixiſſe, ad ſe litis iſtius dijudicationem non pertinere, etſi id fuerit valde juſtum, ut fratri injuria oppreſſo ſubveniretur. Satis eſt, ſi Paſtores & Doctores juſtitiam auditoribus ſedulo commendent, & inculcent, nec non qua in re illa conſiſtat, dextre explicent: particularia ſunt ſingulorum conſcientiæ committenda. Tum demum Paſtores debent controverſiis ejuſmodi componendis incumbere, quando pars utraque litigans eſt pertinax & nullius vult acquieſcere judicio: tunc ne lites ejuſmodi & diſſenſiones de rebus terrenis erumpant in ſcandalum Eccleſiæ, & turbas aliquas dent inter fratres, Paſtores debent quaſi medii intervenire diſceptantibus & ad amicam compoſitionem utriuſque partis animos diſponere. Ac tum etiam ſatius eſt, ut ex auditoribus prudentiores eligantur, qui ſint talium controverſiarum arbitri, quam ut Paſtores ipſi cauſis ejuſmodi decidendis præſideant: niſi fortè res ita ferat, ut aliter fieri nequeat.

Interea fratres qui turbant litibus suis Ecclesiam, spernentes aliorum fratrum judicium, timeant Deum, & meminerint, quam acriter Apostolus invehatur in eos, qui se judicari à fratibus non patiebantur. 1 Cor. 6. 1, & seqq. Videmus & hodiè sæpius simile quid fieri ab auditoribus, qui suis querelis ac litibus molesti sunt Pastoribus, quod fecit hic homo fratrem suum apud Christum accusans. Interpellant Pastores suos & adeunt non raro, non ut aliquid ad salutem profuturum abeis discant, sed tricas suas de rebus terrenis afferentes, nihilque nisi terram & hujus mundi quisquilias in animo & oculis suis gerentes.

Accedamus jam ad ipsam doctrinam, postquam occasionem ejus vidimus. In qua doctrinâ Christus 1. Dehortatur ab avaritia. 2. Adhortatur ad liberalitatem ac eleemosynam. Quod attinet dehortationem ab avaritia, ea duplex est, una generalis ad omnes auditores directa, aut etiam ad fratres illos litigantes, quos ambos adfuisse præsentes quidam probabiliter existimant (nam alioqui quomodo ille, qui accusabat voluisset, Christum dicere fratri suo, ut secum divideret hæreditatem, si frater non aderat? an enim Christus fratrem nescio ubi gentium quæreret?) altera dehortatio directa est ad discipulos. In priori sermone Christus jubet vitari avaritiam in retinendis & servandis bonis terrenis. In altero docet vitari avaritiam in quærendis rebus terrenis, paupertatis metum ac diffidentiam animis nostris eximens. *Dixit autem ad illos*: nempè ad turbam universam, vel etiam ad duos illos fratres. *Videte & cavete ab avaritia.* Continetur hic admonitio, & ratio eam confirmans. Primum igitur Christus ab avaritia dehortatur; secundo rationem affert, cur avaritia vitanda sit, tertio rationem hanc similitudine illustrat. Cum & ille qui petebat, ut Christus auctoritatem suam interponeret, & alter qui detinebat partem hæreditatis fratri competentem, avaritia laboraret; hinc sumsit Christus ansam eos ab avaritia dehortandi. Nam & prior cum nullam haberet occasionem id petendi à Christo, sola avaritia inductus id fecit. Scilicet & tempore alieno postulatum istud suum proposuit, interrumpens importunè Christi doctrinas longè graviores & verè divinas; præterea Christum avocat interpellatione suâ à rebus cœlestibus ad terrena, cum debuerit tali cum Magistro, rerum terrenarum oblitus, de rebus sublimioribus agere, animumque suum ad cœlum & cœlestia elevare. Sed in altero magis adhuc conspicua & palpabilis erat avaritia, qui aduncis manibus involaverat totam hæreditatem eique incubabat, fratri debitam partem denegans. Dicit ergo Christus: *Videte & cavete ab avaritia.* Monet, ut summa diligentia, attentio ac cura adhibeatur in vitanda avaritia: innuens, avaritiam facilè se insinuare & irrepere in animos hominum, ut id non animadvertant. Nullum vitium & peccatum est occultius ac fallacius avaritia. Nemo si sit avarus, putet se ideo excusatum fore, quod definiri nequeat in specie, quot centenis vel millenis florenis quisque debeat esse contentus. Variæ enim sunt hominum necessitates, & varia sunt vitæ genera. Unus paucis indiget, alter pluribus. Unus oneratus est familiâ, alter solus est, vel pauciores habet domesticos. Deinde pro ratione locorum & temporum variant quoque necessitates hominum. Determinari ista præcisè à nemine possunt: præsertim cùm & Dominus ipse non definiverit, quòd nefas sit, si quid post obitum nostrum supersit. Satius enim est, cum incerta sit vita, abundare, quàm deficere. Ne Deus quidem tam strictè requirit, ne vel minimum quid suprà necessitatem habeamus. Adde casus innumeros, quodque ignotum sit, quamdiu simus victuri. Hæc omnia præbent speciosum prætextum avaritiæ, quæ necessitates suas latiùs extendit, quam oportet, & digerit ac disponit opes in multos annos. Quod etsi vitiosum esse videt homo prudens, tamen non facilè persuadere potest avaro, ut credat, se esse avarum, vel eum in avaritia convincere. Insuper res est dulcissima pecunia, & lucri bonus est odor ex re qualibet: raro fit, ut qui habet opes, non habeatur ab eis. Quo igitur res est magis difficilis ac periculosa, eo magis caveamus nobis ab avaritia, quæ est *radix omnium malorum*, ut qui ei dediti sunt, facilè *aberrent à fide, & seipsos transfigant doloribus multis.* 1 Tim. 6. 10, ubi etiam ostendit Apostolus, avaritiam esse cupiditatem ditescendi, reponens pro avaritia voluntatem ditescendi. Sic enim ait ℣. 8. *Habentes alimenta & tegumenta, his contenti simus. At qui volunt ditescere, incidunt in tentationem, & laqueum, & desideria multa inutilia & noxia, quæ demergunt homines in interitum & perditionem.* Ita hic quoque Christus describit avaritiam, quod in eo consistat, si quis velit plus habere, vel retinere, quàm necessitas vitæ sustentandæ postulat. Deus concessit nobis tantum sumere aut quærere de bonis terrenis, quantum satis est ad vitam & valetudinem nostram conservandam: quantum satis est intellige non tantum patrifamilias cum conjuge, sed & liberis & toti familiæ; dum modò absit luxus, & modus in victu & vestitu servetur. Præterea danda est opera, ne ista quærantur cum rerum divinarum, vel alicujus officii Christiani neglectu. Si quid nostris necessitatibus supersit, id in res gloriæ Dei & necessitates proximorum egentium convertere debemus: & quamvis id non statim erogemus, meminisse debemus, nos esse dispensatores, & servare id debere tanquam alienum, ut quandò opus est, quando occasio se offert, beneficentiam exerceamus.

Ratio admonitioni subjuncta est: *Quia non in eo, quod superest cuipiam ex bonis ejus, vita ejus est.* Sensus horum verborum est: Quia quod superest ex bonis, quod unice quærunt & appetunt avari, non facit ad conservandam vitam. Superest enim ac redundat. Quod facit ad conservationem vitæ, non redundat: at quod non facit, redundat. Non debent autem homines amplius appetere, quam sine quo vivere nequeunt. Quo non opus ad conservandam vitam, id propter nos ipsos appetere non debemus, sed tantum propter alios, & aliorum necessitatem, ut aliis benefaciendi habeamus materiam. Itaque quando proximi necessitas adest, non debemus retinere, quod eo fine asservatum est, ut eo proximus juvetur. Appetere propter seipsum id quod superest, est avarum esse. Secundùm naturam debemus vivere. Natura paucis contenta est. Indigemus cibis, vestibus, ædibus, sed ista non opus est, ut sint sumptuosa. In cibi qualitate nihil aliud spectandum, quàm ut sanitati ac valetudini consulatur, ut simus apti ad honestos labores, Deo & hominibus utiles peragendos. Vestitus sit ejusmodi, qui nos defendat à frigore & æstu, qui tegat nuditatem, & simul etiam nos à contemtu vindicet. Neque id pro superfluo habendum est, quod pertinet ac necessarium est ad cibum atque amictum acquirendum: uti est, ager, instrumenta rustica, boves ad arandum, sic etiam opificibus necessaria sunt varia instrumenta, & doctis libri, &c. Quanquam & hic mediocritas servanda est, & cavendum, ne appetamus plus quam necesse est, quo conservatio vitæ nostræ non indiget. Potest etiam alius esse istius rationis à Christo allatæ sensus: quasi dicat; Non facit hoc, quod redundat, ad vitam continuandam, ac producendam; quemadmodum avari existimant, se ideò diutius victuros, quia sunt divites. Quo quis nummatior ac opulentior est, eo longiorem sibi pollicetur vitam. Sed Christus ait: Potes tu esse dives & affluere opibus, nec tamen diu vivere, sed cito mori, & opes tuas aliis relinquere. Et hunc sensum videtur parabola subjecta comprobare & postulare: nisi quis velit dicere, parabola hac non rationem à Christo allatam, sed admonitionem ipsam confirmari.

In parabola ipsa Christus depingit miseram conditionem avarorum: qui hoc unum agunt ac spectant, ut quod corraserunt & coacervarunt, sibi ipsis servent

servent, & ipsi eo fruantur. At Christus ostendit eorum summam infelicitatem, quòd ipsi non fruentur, sed aliis relinquent, ipsi verò miserè interibunt. Tria in hâc parabolâ sunt attendenda. 1. Quomodo describatur dives & ejus animi cogitata. 2. Quomodò exprimatur ejus finis & interitus miserabilis, quàm cogitata ejus in cassum reciderint. 3. Quid hinc discendum sit, præsertim avaris. Divitem sic describit: *Hominis cujusdam divitis ager uberes fructus attulit.* Avarum describere volens, divitem describit. Nam etsi pauperes quoque soleant esse avari, dùm nimiùm solicitè acquirere ac retinere laborant res terrenas: in divitibus tamen avaritia magis est conspicua, qui nullis opibus & abundantiâ rerum expleri ac satiari possunt. Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Multi nimium, nemo satis habet. Notandum autem est, Christum hîc introducere avarum, qui iniquis mediis ditescat. Homines enim vulgò eum tantùm avarum esse judicant, qui aliena ad se injustè rapit, per fas & nefas pecuniam corradit; at Christus ostendit eum quoque avarum esse, qui ad se aliena non trahit, sed justis ac legitimis modis ad opes pervenit, cui Deus ipse divitias largitur, si eas sibi tantùm retineat, & aliorum rationem habere nolit. Justissimæ sunt opes, quæ ex agriculturâ colliguntur. Hæ enim absque ullius injuriâ comparantur, labore ac sudore proprio, Deo ipso laborem prosperante. Mercatura vix potest absque peccato, absque defraudatione & injuriâ proximi exerceri. Hinc Ecclesiasticus: *Difficilè eximitur mercator à delicto, neque justificabitur caupo à peccato.* cap. 26. ult. & cap. 27. 2. *Sicut inter compages lapideas clavus figitur: ità inter venditionem & emtionem hæret peccatum.* Nimirùm in mercaturâ quod tibi accedit & accrescit, id alteri decedit. At in agriculturâ fructus colliguntur ex terrâ; nemini hîc quicquam adimitur: licet hîc vel maximam usuram sumere. Deinde talis hîc introducitur dives, qui iis rebus abundat, & cujus opes in iis rebus consistunt, quæ hominis vitam alunt ac sustentant: & tamen ostenditur, ne tales quidem opes hominis avari vitam prolongare posse. Fruges terræ maxime sunt necessariæ ad hominis sustentationem. Potest aliquis fame mori, etsi habeat æris & argenti magnos acervos, si alimenta ære comparare non possit. Verùm Christus monstrat, nihil prodesse ad longam vitam, & si quis abundet cibis & alimoniâ; cùm vita hominis in solius Dei manu sit posita, qui eam decurtare pro libitu aut etiam producere potest.

Avaras avari hominis cogitationes porrò depingit Christus: *Et ratiocinabatur apud se, dicens: Quid faciam? non enim habeo, quo congregem fructus meos.* Avari homines multis curis sunt distenti, aliæque ex aliis curæ nascuntur. Semper de eo soliciti sunt, quomodò ea quæ habent, retinere possint. Huic diviti plus frumenti accessit, plus etiam simul curarum & solicitarum cogitationum. *Et dixit: Hoc faciam; destruam horrea mea, & majora ædificabo, & congregabo illuc omnes proventus meos & bona mea; & dicam animæ meæ &c.* Hæc alternanti potior sententia visa est. Hæc tandem fuit consultationis ejus conclusio, ex quâ cernitur, eum neminem nisi se solum spectasse, in se unum omnia bona, quæ habebat, convertere voluisse. Talis autem fuit iste dives, qui in mundo vix videatur ullam reprehensionem mereri. Non enim Euclionem aliquem triparcum inducit hîc Christus, qui suum quoque defraudet genium, & opibus incubet esuriens ipse, quique medias inter opes inops sit: verùm ejusmodi divitem, qui benè curare cuticulam & laute ac opiparè vivere gestiebat. Non solùm qui injustè cumulat & acquirit divitias, non solùm qui sordide & illiberaliter vivit, & Tantali instar in mediis sitit aquis, avarus est: sed etiam is, qui justè acquirit opes, nemini facit injuriam, largeque fruitur partis, si se unum respiciat, si solus fruatur congestis bonis, & in multos annos gaudia sua disponat. Quod faciebat hic dives. Non cogitabat; Nimium hoc est pro me; multa mihi supersunt; conferam id, quod superfluum est, in pauperes, in gloriæ divinæ propagationem; Deus mihi dedit, æquum est, ut de eo vicissimi ipsi dem & in gloriam ejus impendam aliquid. Ego forsitan non diu victurus sum; satius proindè est, ut dum vivo, benefaciam ex eo, quod mihi suppetit, quàm ut opes istæ post meam mortem in alienas & quidem indignas manus deveniant. Quia sic non cogitavit dives iste, avarus fuit. Ab hujusmodi autem cogitationibus plerumque omnes avari abhorrent. Cumque varia sint avarorum genera, ut alii Lapso vivant & per aliorum injurias ad divitias festinent, alii nimiâ parcitate etiam in seipsos sint injurii, alii contrà sibi nihil denegent: in eo tamen omnes conveniunt, quòd non cogitant, ut aliis benefaciant, ut quod eis superest erogent in necessitates pauperum, vel in usus gloriæ divinæ. Caveamus igitur nobis ab isto avaritiæ vitio. Si ultrà necessitatem nobis Deus plura largiatur, ne cogitemus de voluptatibus, & de fovendis carnis cupiditatibus, sed de juvandis egentioribus, & de promovendâ Dei gloriâ. Ne cogitemus, nos diu hîc esse victuros, sed vitæ nostræ incertitudinem semper habeamus antè oculos, quam Jacobus etiam mercatoribus, & omnibus, qui brevi jaculantur ævo multa, inculcat Cap. 4. 13. *Age nunc qui dicitis: Hodiè vel cras proficiscemur in illam urbem, & agemus ibi annum unum, & mercabimur, & lucrabimur. Qui nescitis, quid futurum sit crastino die. Quæ enim est vita vestra? vapor enim ad exiguum tempus apparens, & deindè disparens.* Cogitemus incertas esse divitias, quas possidemus: nam vel igne consumi, vel ab hoste nobis eripi possunt; itaque eas non asservemus in longum tempus, sed eas ità collocare studeamus, ut monet Apostolus 1 Tim. 6. 18. de quo loco posteà. De futuro tempore ne simus nimirùm soliciti, ut in longum tempus habeamus, undè vivamus. Cogitemus, Deum nobis non defuturum, & ea quibus posteà nobis opus erit, nobis suppeditaturum. Intereà dùm pollemus opibus meminerimus, nos esse constitutos a Deo dispensatores. Dispensatorum autem est non in se tantùm & in suas necessitates vel voluptates commissa sibi à Domino bona impendere, sed in eos usus convertere, in quos ea converti vult dominus.

Postea ℣. 20. Christus ostendit miserabilem avarorum finem ac interitum. *Dixit autem illi Deus: stulte hac nocte animam suam repetent à te; quæ autem parasti, cui erunt?* Dixit ei Deus, vel per Angelum, vel per somnium. Cogitationes ejus discussit Deus ac dissipavit. Ille cogitabat, Vivam diu & fruar delitiis. At Deus ipsi dicit: Hodiè morieris, & relinques bona ista ei, cui nolis. Ille volebat sibi ea habere ac possidere, aliis nihil volebat ex eis concedere. Deus autem dicit: non tibi erunt, sed aliis.

Doctrinam deindè generalem subdit Christus pro omnibus, atque inprimis pro avaris: *sic erit qui sibi ipsi thesaurizat, & non in Deum ditescit.* Sibi ipsi thesaurizat, qui nullo alio fine thesauros colligit ac divitias, quàm ut sibi ipsi benefaciat, ut ipse frui voluptatibus possit, nullam gerens curam de egenis deque gloriâ Dei. In Deum autem ditescit, qui apud se firmiter constituit, & reipsâ etiam facit, ut divitias suas ità dispenset, prout jubet Deus; qui ita se gerit, ut præcipit Apostolus 1 Tim. 6. 17. Divitibus in præsenti seculo præcipe ut non alte sapiant, neque spem ponant in incertis divitiis, sed in Deo vivo, qui præbet nobis abundè omnia ad fruendum; ut benefici sint, divites bonis operibus, faciles ad impertiendum & communicandum, thesaurisantes sibi fundamentum bonum in posterum, ut apprehendant vitam æternam. Primùm vult, ut sint alieni à fastu & pompâ mundanâ. Plerumque enim divites sunt pleni arrogantiæ & ostentationis: putant se nemine indigere, alios autem omnes se indigere; sciunt se multum posse: hinc erigunt cristas, & superciliosè alios despiciunt. Hoc est ingens divitum vitium, quod primum deponere jubet Apostolus. Deindè vetat spem reponi in divitiis, quia incertæ sunt. Possunt eripi & auferri, vel etsi non auferantur, non juvant tamen in ne-

cessitate. Interdùm dives omnibus facultatibus ac bonis suis libenter se redimeret ab interitu, vel ab aliquo morbo, aut infortunio: sed nihil potest efficere. Quem Deus deserit, eum totus mundus juvare non potest. Jubet eos Apostolus spem collocare in Deo vivo potius, qui & ipse semper vivit, & aliis vitam prorogare atque à morte servare potest. A Deo itaque pendendum est nobis, à quo sunt omnia, cujus in manu & vita nostra & quicquid ad vitam pertinet, situm est. Porrò Apostolus divites multis verbis ad beneficentiam adhortatur, & eam maximè inculcat, ut non tantùm simpliciter sint benefici, sed etiam divites fiant bonis operibus. Quemadmodùm sunt divites pecuniæ & bonorum terrenorum, ita studere debent, ut ditescant bonis operibus. Decrescat & minuatur thesaurus opum ac pecuniæ, crescat autem thesaurus bonorum operum. Vult igitur Apostolus divites large & abundanter benefacere. Et non hoc tantùm, sed etiam addidit, ut faciles sint ad impertiendum. Dat interdùm etiam alter, sed ægrè, sed animo reluctante, & nonnisi summâ cum difficultate. Liberalitas debet animo prompto ac hilari fieri. Hilarem datorem diligit Deus 2 Cor. 9. 7. Ita dandum est beneficium, tanquam si acciperes: quod etiam Ethnicus Philosophus Seneca monuit in libris de Beneficiis, ubi pulchra præcepta etiam Christianis observanda tradit. Qui ita se gerit, thesaurizat sibi fundamentum bonum; gradus sibi struit ad cœlum: is est qui in Deo ditescit. At qui contrà facit, cum eo ad istum agetur modum, sicut hic in exemplo divitis adumbratum est. Morietur ante tempus, & miserè peribit.

Alter sermo Christi ad discipulos directus succedit, in quo Christus dehortatur discipulos ab eâ avaritiæ parte, quæ in quærendis bonis hujus vitæ consistit; & nihil aliud est, quàm solicita cura de futuro. Ab hâc ergò curâ & simul à metu ac diffidentiâ avocat nos Christus, ostendens 1. Curam istam esse inutilem, & 2. Dari alium modum longè meliorem acquirendi ea, quibus indigemus. *Propterea dico vobis: Ne sitis soliciti de animâ vestrâ, quid manducetis &c.* Ubi primùm consideranda admonitio, deindè rationes seu argumenta admonitionis. Vetat in admonitione solicitudinem de animâ & corpore, id est, de victu ratione animæ, & de amictu ratione corporis. In victu autem & amictu includit, reliqua omnia, quæ ad hanc vitam sunt necessaria, ut habitationem & similia. Per solicitudinem intelligitur cura, non simplex, sed auxia & cum ægitudine animi, & metu paupertatis, adeoque diffidentiâ conjuncta. Alioquin enim non prohibetur curare, ut habeamus, undè vivamus, imò Apostolus nomine Domini nostri Jesu Christi præcipit, ut laboremus, & suum quisque panem comedamus. Ipse etiam Apostolus dies & noctes laborabat propriis manibus victumque sibi comparabat: quod sine cura esse non poterat. 2 Thes. 3. 7, 12. Et tamen Apostolus se imitari jussit, sicut ipse imitabatur Christum. 1 Corinth. XI. 1. Propterea illis qui operari nolunt, & egestate laborant, vetat Apostolus cibum præberi 2. Thess. 3. 10. Ad Ephesios autem scribit Cap. 4. 28, *Qui furatus est, ne furetur ampliùs; sed laboret potiùs, operando, quod bonum est, propriis manibus, ut habeat* non solum, unde ipse vivat, sed etiam *undè impertiri possit egenti.* Non hoc ergò sibi vult Christus hâc suâ admonitione, ne simpliciter curam geramus de cibo & vestitu, sed ne more mundanorum hominum cum perturbatione animi, cum auxietate, cum tumultu quæramus res necessarias. Talibus diffidentiam Christus objicit ℣. 28. appellans eos modicæ fidei. Etiam de rebus sine quibus vita consistere nequit, nimia & anxia cura prohibetur; quantò prohibetur magis de rebus, quæ necessariæ non sunt, sine quibus vivere possumus? Cibus & potus & amictus sunt res omnino necessariæ; & tamen de eo nos vetat Christus esse solicitos. Ad hanc solicitudinem etiam inprimis spectat, si quis destitutus licet rebus ad hanc vitam necessariis, easque labore suo quærens, intermittat & negligat res magis necessarias, nempè divinas & ad salutem spectantes. Deus enim vult, ne cura nostri excludat curam de gloria Dei, deque salute nostra & aliorum, ne res terrenæ nos animosque nostros totos sibi vendicent. Qui labores ac curæ de corpore possunt unà consistere cum curâ de salute, illæ corressæ nobis sunt. Cura vitæ æternæ primo loco à nobis poni debet; quicquid prætereà superest temporis, in corpus & res corporeas impendere licet. Rationem deinceps admonitionis adfert Christus: *Anima plus est, quàm cibus, & corpus plus quàm vestimentum.* Quasi dicat quid opus est, ut adeò sitis soliciti? fidite Deo, eum vobis ea, quibus opus est, largiturum. Cum enim vobis dederit, quod majus est, nempè animam & corpus, sine dubio etiam dabit, quod minus est, cibum scilicet & vestitum, quæ res sunt propter animam ac corpus, & sunt medium ad illa conservandum. Quandò res præstantior sine viliori non potest consistere, necessariò sequitur, eum qui dedit id quod præstantius est, daturum etiam rem viliorem: si modò nos faciamus, quod jubet ratio, id est, laboremus. Posteà peculiariter agit de victu, & peculiariter de vestitu. De victu ℣. 24. *Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cella, neque horreum, & tamen Deus alit illos: quantò magis vos præstatis volucribus?* Corvus avis est vilissima, nemo eum curat, imò omnes eum odio habent, Deus tamen & hanc inutilem avem vult vivere, dat ei alimentum, ut etiam non laborans habeat, quo vescatur. Quanto magis vos, qui laboratis, qui seminatis, & metitis, & habetis horrea, Deus alet & sustentabit, si modò faciatis officium, & cœlestia non negligatis. Avis creatura irrationalis, bruta & vilis est: vos estis creaturæ Dei rationales, ad imaginem Dei conditæ, imò filii ejus estis ac filiæ. Quantò igitur major est vestra præstantia, quantò Deus majori vos charitate complectitur, & quantò ei conjunctiores estis; tantò magis sperare ejus debetis auxilium, tantò magis confidere ejus bonitati ac paternæ providentiæ, eum vos non derelicturum, neque passurum, ut earum rerum penuriâ laboretis, sine quibus vita constare non potest; ac proinde non debetis adeò animi discruciari de cibo & potu vobis necessario. Pergens porrò Christus, de amictu loquitur, & solicitudinem de eo inutilem ac supervacuam esse monstrat: *Quis autem ex vobis cogitans solicitè, potest adjicere ad staturam suam cubitum unum. Si ergò neque quod minimum est, potestis, quid de cæteris soliciti estis?* Quemadmodum solicitudo de staturâ inutilis est, etsi vel minimum quid ei vellemus adjicere, quia id non est in potestate nostrâ, sed in Dei manu & arbitrio; ità etiam supervacua est & reliqua omnis de corpore solicitudo, cujus conservatio à Deo, non à nobis pendet. Si ergò nihil prodest solicitudo, mittamus eam. Confirmat alio exemplo, de amictu non debere nos esse solicitos. *Considerate lilia, quomodò crescunt; non laborant, neque nent.* Matthæus addit, lilia *agri*, quod habet peculiarem emphasin. Lilia enim hortensia ab hominibus curantur, & plantantur, & rigantur: sed lilia, quæ in agris nascuntur, solus Deus curat, sine hominum operâ ac labore. *Dico autem vobis, neque Salomon in omni gloriâ suâ fuit sic amictus, ut unum ex istis.* Locuto ista de Salomone videtur fuisse proverbialis, & vulgò tunc usitata. Nam & hodie dici solet: ne Salomon quidem id divinaret vel assequeretur. Indicat tantam esse liliorum pulchritudinem, ut nulla ars sit humana, quæ eam imitari aut exprimere possit.

Si autem fœnum, quod hodiè in agro est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei. Non hoc concludit, Deum nos pulchriùs vesti-

vestituram, quam lilia. Nam ne Salomon quidem, ut supra dixit, cum se maxime ornare vellet more regio, tam pulchre ornatus fuit. At nobis nihil opus est, ut vel Salomoni in vestitu pares simus, nedum & eum superemus, & lilia pulchritudine æquemus, vel etiam vincamus. Sed simpliciter concludit, Deum nobis de vestitu necessario prospecturum. De hoc enim solo agitur. Sed dices: Quod lilia tam pulchra sint & ornata, id natura facit. Ita quidem; sed Deus est auctor naturæ, & quemadmodum efficit, ut talis sit natura liliorum, ita etiam efficit, ut qui eum ex animo quærunt, non careant rebus in hac vita necessariis. Itaque si ordinariis mediis utantur, ita ut non intermittant interim divinarum rerum curam, nihil illis deerit. Quod labore eorum non poterit acquiri & effici, id Deus supplebit sua providentia. Repetit admonitionem. *Et vos ne quærite, quid manducetis, aut quid bibatis, neque sublimia curate*; vel, ut alii interpretantur, ne cogitationibus vestris in sublime feramini. Ethnicis talia sunt relinquenda. Ideo addit: *Hæc enim omnia gentes mundi quærunt.* Gentes Deum verum ignorant, & ejus providentiam, quæ Christianis notissima est. *Pater autem vester scit, quòd his indigeatis.* Nullus est pater, qui liberis deneget ea quibus indigent, si modo habeat, unde det. Deus est pater noster, & semper habet quod det, inexhaustæ sunt divitiæ ejus, neque etiam eum latere potest nostra indigentia. Non est ergo quod dubitemus, eum defectus nostros impleturum. Deus non est Pater Ethnicorum, sed Christianorum, eorum pecuharem agit curam. Hi ergo etiam peculiariter ipsi confideant.

Ostendit jam Christus dari modum meliorem acquirendi res necessarias. *Veruntamen quærite regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* Loco solicitudinis de rebus temporalibus, commendat studium & curam de regno Dei. Illa solicitudo est modus inutilis acquirendi ea, quæ nobis necessaria sunt: multo melior & utilior modus est salutis æternæ studium, quo fit, ut uno labore duo capiamus lucra, regnum scilicet cœleste, & res ad hanc vitam necessarias. Matthæus explicatius hanc sententiam Christi retulit Matth. 6. 33. *Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus.* Primum, id est, ante omnia regnum Dei quærendum est, quia res major est & potior: majora autem magis curanda sunt. Hic solicitudo adhibenda est: in rebus terrenis nocet solicitudo, in divinis prodest. Regnum Dei est felicitas nobis à Deo destinata: justitia est medium & via ad hanc felicitatem ducens, quæ in eo consistit, ut observemus mandata Dei per Christum tradita. *Et hæc omnia adjicientur vobis.* Præter veram mercedem res terrenas nobis Deus adjiciet. Vera merces nostra erit regnum cœlorum & vita æterna, res autem corpori nostro necessariæ, dabuntur nobis adjectamenti loco. Unde patet, eas apud Deum non esse in magno pretio, & facile eum illas largiturum. Stolidus ergo est, qui terrena unice curat, negligens ac incuriosus cœlestium. Nam & illis non semper potietur & his certo excidet. At qui nihil prius, nihil antiquis habet cura rerum divinarum, utraque & cœlestia & terrena, quibus indiget, habebit. Ratio additur hujus moniti: cui præmittitur emphatica consolatio. *Ne time, pusille grex.* Timorem paupertatis vel multorum casuum, qui nos ad egestatem possent redigere, vult nos excutere animo, & Deo confidere. Talem autem timorem prohibet, qui sit cum neglectu hujus doctrinæ suæ conjunctus. *Gregem* vocat fideles suos, intellige ovium, non hircorum, non luporum. Christiani ovium naturam & mansuetudinem debent imitari. Congregari autem debent & gregem facere, adeoque gregatim pascua verbi Dei adire. *Pusillus* est grex fidelium respectu innumerorum infidelium. Non debet autem terrere Christianos paucitas ipsorum, cum tot gregibus luporum undique cincti sint. Habent enim pastorem bonum, qui posuit animam pro ovibus suis, qui pascit eas, ac tuetur, è cujus manibus nemo eas potest eripere. Ratio ipsa est: *Quia bene placitum est Patri vestro dare vobis regnum.* Si regnum rem inæstimabilem, bonum illud inenarrabile vobis constituit dare, quidni det res minoris momenti, quibus in hac vita indigetis? Quid ergo solicitudine de iis opus est? Nam aut egestatem Deus à nobis arcebit, aut si permittet eam propter suam gloriam, convertet eam in nostrum solatium. Bene-placito autem Dei, non nostro vel ullius alterius merito factum est, quod nobis Deus velit dare salutem. Mera gratia Dei hic agnoscenda est. Propterea tanto magis in eum omnes curæ nostræ sunt conjiciendæ, ut monet Petrus, 1 Petr. 5. vers. 7.

Sequitur altera pars doctrinæ Christi, in qua nos adhortatur ad liberalitatem, virtutem avaritiæ contrariam: ubi videnda 1. Adhortatio. 2. Adhortationis ratio. Adhortatio est in his verbis: *Vendite bona vestra & date eleemosynam.* Bona, quæ vendi jubet, intelliguntur superflua, quæ nobis præter necessaria redundant: quanquam & de necessariis aliquando vendenda sunt aliqua, si tanta sit pauperum aut Ecclesiæ necessitas, ut id omnino requirat. Nam si vitam quoque propter fratres impendere tenemur, multo magis id quod ad conservandam vitam requiritur. Non ita intelligendum est hoc præceptum, quod teneamur omnia bona nostra semel & semel vendere & erogare pauperibus; sed ut id fiat pro ratione necessitatis pauperum, quibus hac in parte consulendum est. Non debemus adeo addicti esse nostris bonis, ut non ex eis libenter aliquid demamus, quando aliorum defectus opem necessariam desiderat. Rara hæc est virtus in mundo, sed nostrum est exemplo omnium virtutum mundo prælucere. Non satisfaciunt huic præcepto, qui assumtis secum bonis suis in monasterium secedunt. Ipsi enim bonis suis fruuntur. Quæ vero hæc est eleemosyna. Hoc sane facere possent aliquot divites, ut bona sua in unum conferrent, lauteque adeo ex communi viverent. Ratio adhortationis est, quia hac ratione alias divitias longe meliores in cælis acquiremus. *Facite vobis crumenas, quæ non veterascunt, thesaurum non deficientem,* &c. Rationem proponit per modum adhortationis. Facite vobis, id est, quia sic, ut docui, vendendo bona vestra & dando eleemosynam, facietis vobis crumenas, &c. Indicat autem præstantiam illarum divitiarum cœlestium, quas liberalitate nostra acquiremus, quod non sint unquam perituræ. Hi enim inter alios sunt modi, quibus divitiæ perire solent, si crumenæ vel cistæ, in quibus pecunia servatur, veterascant, si fures auferant, quæ asservantur bona, si tinea corrodat ac corrumpat vestimenta & alia ad ornatum pertinentia. Cœlestes vero divitiæ ac thesauri his casibus ac periculis non sunt obnoxii. Ostendit etiam Christus utilitatem harum cœlestium divitiarum: *Ubi enim est thesaurus vester, ibi & cor vestrum erit.* Quis nescit, cor hominis adhærere thesauro suo? si igitur thesaurus noster in cœlis erit, ibidem quoque cor nostrum erit, ac proinde omnes actiones nostræ erunt cœlestes, & vita cœlestis. Comparemus ergo nobis istum thesaurum inexhaustum & non deficientem: per quem intelligitur vel ipsa vita æterna, vel gratia Dei, ex qua illa proficiscitur. Regum etiam opulentissimorum thesauri exhauriuntur interdum ita, ut alienum æs contrahere cogantur. At Dei gratia nunquam exhauriri potest. Non perit nobis, quicquid damus pauperibus, sed per cambium id mittimus in cœlum: postea id cum multo fænore recepturi. Hoc itaque nobis unice curæ sit, ut thesauro huic cœlesti semper aliquid adjiciamus: quo thesauro ut aliquando in æternum fruamur, faxit Deus per Jesum Christum. Amen.

Luc. 14. 1. *ad* 15.

DEscribitur nobis hoc loco historia de Christo, continens miraculosam sanationem cujusdam hominis hydropici, & doctrinas singulares, quas Christus illâ occasione protulit. Tres sunt istius textûs nostri partes. 1. Sanatio hydropici ejusque adversus murmuratores defensio, quòd in Sabbato fuerit facta. 2. Doctrina Christi de modestiâ & humilitate 3. Doctrina de eo, quinàm ad convivia à nobis sint invitandi. Quod sanationem attinet, consideranda sunt 1. Occasio & sanationis & ejusdem defensionis. 2. Ipsa sanatio miraculosa. 3. Ejus apologia seu defensio. 4. Effectum, quod fuit consecutum.

Occasio sic describitur: *Et factum est, cum intrasset Jesus in domum cujusdam, qui erat è primariis Pharisæis, Sabbato manducare panem.* Ubi & locus indicatur, quod id acciderit in domo Pharisæi cujusdam non vulgaris, ad quem Christus non ultro venit, sed fine dubio ab eo invitatus: & tempus exprimitur, quod id Sabbato contigerit, & specialiter sub tempus prandii. Magis adhuc occasio describitur: *Et ipsi*, id est, Pharisæi ac reliqui convivæ, qui aderant, *observabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat antè illum.* Hydropicum istum Pharisæi habebant apud se, & videtur fuisse justructa causa; unde patet, non bono animo Dominum fuisse à Pharisæo ad praudium invitatum, sed animo tentandi, & explorandi, quid facturus esset Dominus in Sabbato. Miseria hominis ægroti movit Christum & occasionem dedit huic miraculo, ut & alias sæpè. Sabbatum autem fuit occasio, & causa, cur & Pharisæi Christum observarent, & Christus factum suum defenderet. Docebant Pharisæi & Legis periti, non licere morbos curare die Sabbati. Mar. 3. 2, ubi etiam Christum accusare voluerunt. Tam rigidi observatores Sabbati erant, ut etiam officia charitatis & pietatis intermittenda ducerent. At præceptum charitatis majus erat præcepto Sabbati: præsertim quum Christus verbo tantum sanaret ægrotos, non humana vi, sed divina. Illi tamen tam cæci erant, ut quod divinitus fiebat, non animadverterent, sed id maligno dente carperent. Ita supra quoque cap. 13. 14, legimus, cum Christus mulierem quandam à dæmone incurvatam & contractam curasset Sabbato, Archisynagogum indignatum fuisse, & cum non auderet Christum ipsum aggredi, bilem suam effudisse in turbam Christo præsente, ac dixisse; *Sex dies sunt in quibus oportet operari. His ergo venite & curamini, ac non in dei Sabbati:* Hoc animo & hic Christum observabant adversarii ejus, ut eum tanquam transgressorem Sabbati possent odio populi objicere, vel in periculum aliquod adducere.

Discendum est ex hujus historiæ occasione, quod liceat homini Christiano etiam conviviis hominum extraneorum interesse, dum modo memor sit vocationis suæ in edendo, bibendo, ac loquendo. Nam his modis ut plurimum in conviviis peccari solet: intemperantia atque excessu in sumptione cibi ac potus, & deinde vanis sermonibus, ac dictis, ubi mero incaluerint capita. Ubique lucere debet lux nostra, sed in primis inter alienos homines. Si videat Christianus, convivium fore luxuriosum, satius est, ut non veniat, aut si venerit, abeat, ubi viderit, se obsistere & mederi malo non posse. Absque gravi causa non debet Christianus talia loca adire. Sed aliquando necessarium quodammodo est, ut adsit. Nam & Christus infrà Judæorum ac potissimum Pharisæorum arrogantiam perstringit, quod dedignati sint venire ad cænam vocati: ℣. 18, 19, 20. Itaque si adesse cogatur conviviis Christianus debet cum ædificatione adesse, redarguere opera tenebrarum Ephes. 5. 11, & quærere ausam & occasionem loquendi de rebus bonis; ut faciebat Christus. Nemo qui ebrietati deditorum hominum convivia frequentat, hoc se Christi facto tueatur. Hic enim nemo fuit ebrius, & Christus ita versatus est in convivio, ut aliquid boni doceret eos, qui præsentes erant. Venit ad eos Christus, ut eos tanquam perditas oves ad Deum converteret. Præterea cauti esse debemus inter extraneos, qui nos observare solent, & sermonibus ac factis nostris inhiare, ut postea habeant, quod arrodant, & quo veritatem ac religionem nostram infament. Ideo monet Apostolus Colos. 4. 5. *Sapienter ambulate erga extraneos, opportunitatem redimentes. Sermo vester sit semper cum gratiâ, sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.* Prudentia adhibenda est, moderandi affectus, refrenanda lingua.

Antequam Dominus ad miraculum faciendum accederet, quæsivit ex adversariis suis: *An liceat Sabbato curare?* Qua quæstione significavit, licere. Christus defendit factum, priusquam id aggrederetur. *Illi verò facuerunt.* Videbant Dominum eos statim confutaturum fuisse, si dixissent; Non licere: quodsi dixissent, licere; sibi ipsis contradixissent, nec habuissent causam eum reprehendendi. Maluerunt igitur tacere, metuentes, ne veritate convincerentur. Veritatem oderant, quia mali erant. Nos ab exemplo Christi discamus, ut quicquid agimus, nos recte ac juste agere appareat, ut nihil habeant, quod vel inimici merito possint admordere. Christianus debet habere bonam conscientiam coram Deo & hominibus Act. 24. 16, debet & famæ suæ inter homines rationem habere, ne merito suo malè audiat, sed ut bonam sibi apud omnes existimationem comparet. Id enim etiam ad Dei gloriam spectat: ut innuit Christus Matth. 5. 16, dum ait, homines videntes bona opera nostra glorificaturos Patrem nostrum, qui in cœlis est. Contra vero infamia Christianorum in Dei contumeliam redundat.

Ipsum miraculum describitur: *Et apprehendens sanavit eum, & dimisit.* Magna & plane divina vis Christi fuit, quod solo tactu sanaverit hominem humanis mediis insanabilem. Perfecta hydrops enim superat Medicorum artem. Admiremur hanc vim Christi ac potestatem. Talia miracula fuerunt fulcra ac tibicines doctrinæ ejus. Nos vero nunc habemus majus miraculum, quod sedeat à dextris Dei, & nostram in cœlis curet salutem. Hoc demonstrarunt Apostoli, & innumeri martyres, qui doctrinam ejus tam adversam humanis cupiditatibus morte suâ ac sanguine obsignarunt. Apparet eos habuisse bonam causam. Qui negat, miracula à Christo & Apostolis facta esse, majus miraculum introducit, quod homines absque miraculis talem doctrinam susceperint, eamque ad truculentissimam mortem usque professi sint.

Sequitur altera pars defensionis Christi post factum & editum miraculum. *Cujus vestrum bos aut asinus in puteum cadet.* Sumit exemplum ab illis ipsis: & comparat inter se res maxime dissimiles, pecudem & hominem ad imaginem Dei creatum, quem Deus vocat ad æternam felicitatem. Illi miserebantur pecudis, asini vel bovis; & non miserabantur hominis à Deo dilecti: ac circa pecudem quidem labore opus erat, ut è puteo extraheretur; circa hominem nullo. Simplici tactu aut verbo Christus sanabat. Et tamen hoc vitio vertebant, illud ipsi faciebant. Interdixerat quidem Deus sub Lege, ne ullum opus Sabbato susciperetur. Sed excipiebantur casus extraordinarii damnum ingens allaturi, quod Deus nolebat homines subire. Sabbatum enim propter hominem. Simili modo etiam Cap. 13. 15, supra se defendit Christus, dicens ad archi-synagogum: *Hypocrita, nonne unusquisque vestrum solvit Sabbato bovem suum aut asinum à præsepi* &c. Hypocritam vocat: quia aliud ore promebat, aliud corde fovebat. Sabbatum nimis religiose urgebat, & charitatis minime erat studiosus. Ceremoniæ debent cedere dilectioni. Deus mavult misericordiam, quam sacrificium. Non erat tanti apud Deum illa quies Sabbati, quam charitas; præsertim talis, qualem exercuit Christus citra omnem laborem. Omnes isti sunt hypocritæ, qui ceremonias magis curant, quàm veras virtutes. Quando interse concurrunt ceremonialia præcepta cum moralibus, semper hæc prævalere debent.

Effectum

Effectum hujus miraculi defensionisque ejus tale fuit: *Et non poterant illi ad hoc respondere.* Bis obmutuerunt. Non est expectandum, ut adversarii convictos se esse fateantur, quando errores eorum redarguimus. Quis poterat solidius disputare & revincere errores, quam Christus? & tamen parum proferit. Cum respondere non possent adversarii, tacebant, veritatem verò nequaquam agnoscebant. Hinc dicitur Christus Mar. 3. 5, iratus fuisse ac contristatus super callo cordis eorum. Pertinacia nulli etiam apertissimæ veritati dat locum. Monachi & sacerdotes nunc eodem se gerunt modo, quo olim Pharisæi, imò deteriores etiam aliquantò sunt Pharisæis, eosque strophis, cavillis, veritatis odio, calumniis & malitia exuperant. Ne miremur: antiquum obtinet mundus.

Secundam partem textus nostri jam consideremus, in quâ habetur doctrina Christi de humilitate seu modestiâ: ubi rursus spectanda. 1. Occasio doctrinæ. 2. Ipsa doctrina. Occasio fuit hujusmodi: *Dixit autem parabolam ad vocatos, attendens, quomodo primos accubitus eligerent.* Voluit Christus tumorem animi eorum detegere, & ostendere, quid de iis sentiendum sit etiam in aliis rebus. Fuerunt homines ambitiosi, honoris avidissimi, certabant inter se de primatu loci superioris, non expectabant, ut à convivatore eis locus assignaretur, sed quisque sublimiorem præoccupare aliisque præripere gestiebat. Hoc idem nunc faciunt Clerici in conviviis, aliisque conventibus, nec raro turbas dant ingentes, quando præcipua sedes eis non datur. Veri hac in re successores sunt Pharisæorum. Sed id tanquam inhonestum improbat Christus, præter hunc locum, Matth. 24. 6. In ipsa doctrina ostendit Christus 1. Quid non sit faciendum. 2. Quid sit faciendum. 3. Utrumque confirmat. Primum his verbis tradit: *Cum vocatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne discumbas in primo loco*, &c. Dehortatur a re humilitati contraria. Fuit enim ille Magister divinitus datus, ut homines edoceret virtutes morum perfectissimas, atque inprimis modestiam. Rationem dehortationis adjungit: *Ne quando honoratior te sit vocatus ab illo, & veniens is qui te & illum vocavit, dicat tibi, da huic locum*, &c. Ratio sumta est ab ignominia, quæ merito possit contingere homini ambitioso, ut jubeatur à superiori loco in inferiorem descendere. In hac una re docuit humilitatem, non ut in hac una tantum re servaretur, sed ut in omnibus vitæ actionibus pariter exerceretur: ideo doctrinam hanc Lucas appellat parabolam. Docet ulterius, quid sit faciendum; *sed cum vocatus fueris, vadens accumbe ultimo loco*, &c. Jubet alios honore prævenire, ut etiam Apostolus monet Rom. 11. 10. Et rationem adhortationi itidem adjungit sumtam ab utili & decoro. *Ut cum venerit, qui invitavit te, dicat tibi; Amice ascende superius, & tunc erit tibi gloria*, &c. Quod tamen non ita intelligendum est, ut id debeat Christianus de industria quærere & affectare. Hæc enim esset præpostera ambitio. Confirmat porrò utramque & dehortationem & adhortationem suam generali sententia seu doctrina: *Omnis enim qui se ipsum extollit, humiliabitur*, &c. Non semper quidem ita fit in mundo, sed sæpè tamen. Superbi omnibus invisi sunt, & probris afficiuntur; maximè autem superbi superbos ferre non possunt. Humiles autem & modesti omnibus grati atque accepti sunt, inprimis vero Deo. Deus superbis resistit, detrahit eos è fastigio, facitque ut quo altius ascenderunt, eo graviore lapsu ruant. Dei inimicus est omnis superbus; adimitque ei gloriam: quod enim Deo debetur, cui omnia bona adscribenda sunt, sibi tribuit. Humilibus Deus dat gratiam Jac. 4. 6. Christus alibi suum exemplum nobis proponit. Matth. 11. ℣. 29. Erat Christus *humilis corde*: idque multis comprobavit exemplis; inprimis lotione pedum, cum se tanquam famulus ad pedes Apostolorum demitteret, & morte plena ignominiæ pro salute humani generis suscepta. *Non venit, ut ipsi ministraretur, sed ut ministraret*, Matth. 20. 28. Indoles modestiæ est, non tribuere sibi plus, quam decet, & tametsi plus aliis habeas, tamen ita te gerere, præsertim adversus inferiores, quasi plus non haberes, Deo omnia adscribere, & coram eo quam maxime se submittere. Modestia neminem contemnit, omnes debito honore prosequitur, pro ratione status ac dignitatis uniuscujusque, non quærit ipsa nec ambit honorem, non gloriatur de sua præstantia, nisi cogatur quodammodo aliquid de suis virtutibus dicere: ut fecit Paulus, quanquam parce, Deo omnia accepta ferens, 1 Cor. 15. 10. Hoc loco autem sensus verborum Christi est, eum qui se humiliat, exaltatum iri in cœlum. Etsi non statim Deus talem extollat, exaltabit tamen eum *tempore opportuno*, ut Petrus scribit 1 Petr. 5. 6, id est, quando tempus à Deo destinatum aderit. Humilitas vera cum charitate est conjuncta: nullum enim etiam vilissimum officium præstare fratri ex charitate detrectat; quin & animam pro fratribus ponere parata est. Qui autem charitatem habet, omnia habet, totam Legem implevit. Non potest proinde talis non esse gratissimus Deo & Christo. Ex humilitate quoque promanat studium concordiæ. Ephes. 4. 2, & Phil. 2. 3. Apostolus humilitatem commendat ac præscribit tanquam medium ad concordiam. Humilitas donis Dei optime novit uti, nempe ad gloriam Dei: idcirco etiam Deus humiles donis suis cumulat magis magisque. Cum enim Deus gloriam suam in omnibus quærat, quomodo non eum potissimum donis suis impleret, qui ea maxime scit ad gloriam ipsius convertere? Ad humilitatem quoque pertinet, agnoscere peccata sua coram Deo, sed & coram hominibus quos læsimus. Qui alterum læsit, & coram eo humiliari non vult, superbus est.

Restat tertia pars textus, quæ continet doctrinam de eo, quinam invitandi sint. 1. Ostendit, qui non sint invitandi, & quare. 2. Qui invitandi, & quare. Doctrinam autem istam ei, qui ipsum invitaverat, inculcat. Apparet eum hac in re peccasse, & solos divites invitasse ad convivium. Qui enim certabant de superiori accubitus loco, sine dubio non erant homines plebeji. Ita Dominus venit non tantum ut ederet, sed etiam ut aliquid boni doceret, occasione sumta ex rebus quæ occurrebant. Discamus à Christo sapientiam, ut sciamus, quæ reprehendenda sint, quæ minus: discrimen inter bona & mala, licita & illicita dextre faciendum est. Caveamus, ne in reprehensionibus aut monitis verbis asperioribus utamur, sed placide homines instituamus, exemplo Christi. *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos* &c. Hæc verba Christi sunt prudenter accipienda. Non prohibet Christus simpliciter vocare divites ad cœnam vel convivium. Hoc enim & humanitas sæpe postulat, & res ipsa. Ad nuptias & funera ut amici & propinqui ac vicini invitentur, mos fert, esset que indecorum, si id non fieret: quanquam hac in parte non est nimis consuetudini indulgendum. Omnino tamen & simpliciter id Christus non prohibet: cùm erga omnes homines deceat nos esse comes, humanos, & hospitales. Sed hic Christus agit de conviviis voluntariis, quæ non alia de causa instituuntur, quam animo benefaciendi. Deinde non prohibet id Christus tanquam peccatum, quod hominem damnet, sed tanquam rem inutilem, & nullius momenti coram Deo, incitans ad rem, quæ utilis valde & apud Deum eximia est. Ratio, cur illud non sit faciendum: *Ne quando & ipsi te vicissim invitent* &c. Quid inde lucri habebis? Hoc unum, quod te vicissim invitabunt, & cibum apud eos capies. Sed poteras etiam domi cibum capere: non enim indiges, ut ab alio tibi cibus suppeditetur. Sic ergo carebis convivii tui pretio. Hoc de omnibus epulis & festivitatibus nuptialibus dici potest, quod carebunt compensatione à Deo. Et si honeste liceret per homines, quibuscum nobis vivendum est, satius esset ab iis abstinere. Sed quia omnia, quæcunque sunt bonæ famæ, nobis facienda sunt, hoc tantum videndum, ne mediocritatis limites transiliantur.

Quid sit faciendum, docet: *Sed cum facis convivium, voca pauperes* &c. Ratio: *Quia non habent, unde reddant tibi*; sed Deus tibi reddet. Doctrina hæc ad

divites spectat. Non præcipit Christus omnino ut convivia faciant, sed si velint facere, ostendit qualia debeant facere, & quos invitare. Tantundem valet, etsi non instruas ex professo convivium, si mittas pauperi cibos in domum ejus, si des ei pecuniam, qua sibi emere possit necessaria. Debent divites inter se distribuere pauperes, ut hi hos, illi illos curent. *Beatus eris*: quomodo? *reddetur enim tibi in resurrectione justorum*, à Deo scilicet per Christum, qui dicet: *Esurivi & dedistis mihi cibum* &c. Matth. 25. 35. Homines generosi animi si quid eorum in gratiam fiat, absque remuneratione id abire non sinunt: quanto minus sinet tantus Dominus, in cujus manibus sunt omnia. *In resurrectione justorum.* Non hic in terris pecuniam tibi retribuet. Non etiam statim post mortem remunerabitur. Sed in resurrectione demum. *In illo die*, ut ait Apostolus 2 Tim. 4. 8. Si statim post mortem retributio fieret, non dixisset Christus, *in resurrectione*, sed post mortem statim: ut docent hodie Christiani. Major hæc esset consolatio, si esset vera. Sed Apostolus ait, si non esset resurrectio, edamus, bibamus &c. 1 Cor. 15. 32. Ita Christus quoque argumentatur, fore resurrectionem, quia Deus non est Deus mortuorum &c. Matth. 22. 32. Si animæ Patriarcharum in cœlo viverent, nihil opus esset resurrectione; & absque ea Deus esset eorum Deus, quorum animas cœlestibus beavit gaudiis. Si anima posset absque corpore frui voluptatibus, & Deum videre, non indigeret corpore: voluptas enim ad animam pertinet. Sed quia absque corpore sentire gaudia nequit, ideo corpore ejusmodi, cujus ope ea sentire possit, induetur: non statim post mortem, sed in resurrectione. Tum demùm homines fient perfectè filii Dei, filii resurrectionis existentes, Luc. 20. 36. Addit: In resurrectione *justorum.* Justis istud prœmium promissum est. Justi sunt, qui vitam ex præscripto Christi instituunt, etsi ante agnitionem veritatis in peccatis vixerint, & post agnitam veritatem non statim jugum peccatorum excusserint, excusserint tamen cum tempore, & studeant perpetuo, ne unquam peccent. Demus operam, ut & nos ità justi simus: memores simus humilitatis, beneficentiæ, aliarumque virtutum: sic aliquando mercedem justorum accipiemus ex gratia Dei per Jesum Christum, Dominum nostrum. Amen.

Luc. 14. 16, *usque ad finem.*

DUplex doctrina continetur his verbis, pro diversis occasionibus tradita.

I. Docet Christus, quam horrendo supplicio Deus mactaturus sit Israëliticum populum propter ejus erga se ingratitudinem, quâ rejecit Christum Dei gratiam ac summam felicitatem ipsis offerentem.

II. Docet, quanta animi fortitudine oporteat præditos esse eos, qui ei dant nomen, & quomodo instructus esse debeat, qui cupit verus esse Domini discipulus.

In priori doctrina hæc tria expendenda veniunt. 1. Quantam felicitatem Deus paraverit, destinaverit, & obtulerit populo Judaico per Christum, & adhuc per Apostolos offerre debuerit. 2. Quam ingrata tanti beneficii divini fuerit Judaica natio. 3. Quantâ pœna tam nefarii contemtores gratiæ Dei sint puniendi. Primum membrum comprehenditur ℣. 16, 17, ubi ostendit, quodnam bonum Deus Judæis paraverit, & decreverit eis primum offerre, postea reipsa donare. Deinde quomodo id Deus illis obtulerit, eisque suam gratiam patefecerit reipsa, ut de ea scire, eamque amplecti possent.

Bonum oblatum exprimit his verbis: *Homo quidam fecit cœnam magnam & vocavit multos.* Apud Matthæum cap. 22. 1 dicit, Regem fecisse nuptias filio suo, cum Rege terreno comparans Regem Regum & Dominum dominorum, creatorem rerum omnium, qui filio suo adornavit convivium magnum, & postea alios per eum ad hoc convivium invitavit. Hunc eundem Deum hic Christus comparat cum homine quodam opulento. Itaque Deo salus nostra, & quæcunque circa eam facta sunt, adscribenda sunt, ei gratiæ agendæ, quia ex ipso sunt omnia, per Jesum Christum Dominum nostrum.

Cœna est ipsa felicitas parata Judaico populo, & oblata per Christum & Apostolos. Per similitudines ac figuras nobis describit scriptura futuram nostram in cœlis beatitudinem. Loquitur nobiscum Scriptura tanquam cum infantibus, qui non sumus capaces rerum cœlestium & æternarum. 1 Cor. 13. 11. Paulus raptus in tertium cœlum, vidit oculis suis felicitatem illam, nec tamen potuit eloqui eam, audivit ibi verba ineffabilia. A lætissimis rebus sumit Scriptura similitudinem, ut nobis depingat felicitatem illam, & desiderium ejus in nobis excitet. Revera autem nihil est in terris illi simile: nam *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, quæ Deus paravit diligentibus se.* 1 Cor. 2. 9. Potest autem hic per cœnam & convivium istud, non tantum futurum nostrum gaudium intelligi, quo fruemur in cœlis apud Dominum, tanquam sponsa in thalamo sponsi sui: sed etiam varia queunt intelligi solatia ac beneficia, quibus Deus in hoc adhuc seculo pios cumulat: tametsi solatia in illa vita sint futura longe præstantiora ac perfectiora. Cœna ista est quidem æterna felicitas, sed qua & nunc tamen spe frui possumus. Hanc spem si nobis nunc adimas, essemus miserrimi mortalium. Ita ait Apostolus 1 Cor. 15. 19. Et ibidem ℣. 32 inquit: *si mortui non resuscitantur, edamus, bibamus; quia cras moriemur.* Quemadmodum autem nunc spes nostra procul distat à re ipsâ, quam speramus, ita olim fruitio istius boni superabit spem nostram & omnem de eo cogitationem. Cur per cœnam ac convivia nobis figuret Scriptura felicitatem nostram, in causa est, quòd sicut homines voluptarii conviviis & epulis unice delectantur; ita qui voluptatum cœlestium desiderio flagrant, non minorem ex iis delectationem capiunt, quàm homines ventri dediti ex epulis lautis ac opiparis. Hinc est, quòd Apostolus jubeat nos semper gaudere in domino, id est, gaudere propterea quod nacti simus talem dominum, per quem habemus spem vitæ æternæ, & per quem nomina nostra scripta sunt in cælo. Quapropter ad hanc cœnam nos paremus, eam appetamus toto pectore. Quærite cibum non qui perit, sed qui permaneat ad vitam æternam. Joh. 6. 27. Anima macrescit, quando corpus saginatur. Eo cibo utamur, quo animâ reficitur. Extendamus manus nostras ad ista fercula. Fieri enim potest, ut quis hic mensæ assideat, & tamen non fruatur cibis, quia eos manu non capit suâ. Contingit etiam non raro in mundo, ut quis abundans rerum omnium copiâ, cibum capere nequeat, & sic fame moriatur. Caveamus, ne idem nobis hic accidat nostra culpa.

Porrò describit, quomodo Deus populo Judaico gratiam suam obtulerit. Primum dicit: *Et vocavit multos.* Postea addit: *Et misit servum suum horâ cœnæ*, &c. Bis eis obtulit gratiam suam, eosque invitavit, uti solent, qui ad cœnas & convivia hospites invitant: principio eos rogant aliquot diebus vel septimanis ante convivium, ad nuptias, ut sibi intereà præparare queant vestes nuptiales; deinde ipso tempore convivii vocant eos, ut veniant. Hoc modo & Deus tempestivè vocavit ad hoc convivium Judæos, quod perfecte factum est per Christum, quem misit ad prædicandam Judæis pœnitentiam & regnum cœlorum. Hæc prima fuit ipsius vox: Pœnitentiam agite, quia appropinquavit regnum cœlorum. Hoc idem etiam prodromus ejus Johannes Baptista prædicavit. Nondum tum erat Regnum istud, sed jam appropinquabat. Perfectè demum cœpit, cùm Christus consedit in dextrâ Dei Patris sui in cœlo. Etiam apud Prophetas fuit quædam, quamvis obscura, mentio istius Regni: itaque dici potest etiam per Prophetas invitatum fuisse hunc populum ad hanc cœnam, sed perfectissimè tamen eos invitavit per Christum, qui primus debuit hujus convivii esse

esse particeps, quod demùm perfectè factum est, cum in cœlum ascendit. Vocavit ergò eos per servum suum, id est, Christum, qui est primarius Dei servus. Matth. 12. 18. Non simpliciter autem vocavit Christus Judæos, sed etiam vocationem suam confirmavit morte suâ: & rursus Deus ex suâ parte eam confirmavit Christi resuscitatione & exaltatione. Eum verò in finem Deus tempestivè Judæos invitari curavit, ut se meliùs ornarent sanctitate & promptiùs Deo servire discerent. Tali veste & ornatu qui caret, ejicietur in tenebras exteriores. Præterea idcirtò Deus voluit eos maturè invitari, ut homines, quo se solarentur in hâc mortalitate, haberent. Mundus absque spe hujus Regni cœlorum, fuit inferni horrendi instar, ubi regnabat luctus & pavor & tristissima mortis imago. Placuit ergò Deo edulcare quodammodò hanc vitam spe vitæ sempiternæ. Hanc spem Christus primùm Judæis fecit prædicatione suâ, posteà Apostoli à Christo missi, rursus eam confirmarunt, annunciantes eis, Deum ipsis fore propitium, dummodò veniant, & Euangelium suscipiant. *Venite, quia jam parata sunt omnia.* Hoc factum est, cùm Christus in cœlum evectus est. Tunc enim quasi cœpit cœna. Ipse mensæ assidens quodammodò jam expectabat convivas. Anteà nondum omnia erant parata, nondum omnia confecta, quæ ad ingenerandam hominibus spem vitæ æternæ pertinent. Dùm Christus fuit in terris, nondum sciebant homines, quâ in re sita esset felicitas summa, nondum omnia firmamenta spei & argumenta erant præparata. Post exaltationem autem Domini, & post effusionem Spiritus Sancti in Apostolos, patuit demùm quidnam sit paratum hominibus qualis assignata felicitas; patuit possibilitas & facilitas adipiscendæ hujus felicitatis; cùm ejus specimen in uno jam sit propositum: patuit etiam, Deum non tantùm posse, sed & velle donare immortalitatem hominibus, cùm dederit eam primùm Duci nostro, non modò soli fruendam ac possidendam, sed etiam nobis conferendam. Cùm ergò felicitatem nostram in manibus suis habeat is, qui est Caput nostrum, cujus nos sumus membra, qui nos fratres suos vocare non erubescit, quid obstat, quominùs firmam ejus spem concipiamus? Typus hâc in parte fuit Josephus fratrum suorum patronus ac curator in Ægypto. Præterea animum nobis addit mors Christi pro nobis suscepta tunc, cùm ipsum & Patrem ejus odio prosequeremur & offenderemus nostris flagitiis. Nunc cum jam conciliati simus cum eo, ejusque amici facti, & ipsius causâ mori parati, quomodò nobis non donabit, quod promisit? præsertim cùm id conjunctum sit futurum cum propriâ ipsius gloriâ. Tunc enim glorificabitur in sanctis suis. 2. Thes. 1. 10. Antequam Christus mortuus esset, nondum Testamentum erat validum; nunc autem firmum est, postquam mortuus est, qui id fecerat. Testamenta enim & legata duntaxàt post mortem testantium sunt valida: quâ de re egregie disserit locus Heb. 9. 15, 16. Misit proindè Apostolos, cùm jam omnia perfectè essent parata. Et nobis jam omnia parata sunt, nihil restat, quàm ut vescamur ac fruamur paratis cibis ad satietatem. Non potest hic modus in fruendo excedi. Epulæ terrenæ, si modus in iis capiendis non servetur, sæpe mortem afferunt. At spirituales epulæ ita sunt comparatæ, ut quò copiosiùs sumuntur, eò magis nutriant, & majores vires addant. Non est Deus parcis ac restrictis convivatoribus similis, qui torvis ac limis oculis aspiciunt convivas avidè & magno cum appetitu comedentes. Vult Deus, ut affatim edamus ac bibamus. Qui habet, ei dabitur, & benè utens datis is majoribus amplioribus donis cumulabitur.

Pars secunda sequitur, de ingratitudine Judæorum; *Et cæperunt simul omnes se excusare.* ℣. 18, 19, 20. Non omnia verba similitudinis ad rem significatam sunt accommodanda. Sufficit scire, Christum indicare his verbis voluisse, eos mundo fuisse planè addictos ac immersos, ideoque gratiam Dei sprevisse, ac rejecisse occasiones ac media consequendæ salutis. Non legimus, homines ejusmodi excusationibus in causâ salutis esse usos. Sed facta eorum idem valent, quod verba. Ità se gesserunt, ac si rogarent Deum ut se haberet excusatos, occupati unicè circâ suas negotiationes, voluptates, ac rem familiarem. Hinc Christus eis dicebat: *Vos estis infernè, ego sum supernè.* Joh. 8. 23. Nihil nisi terram spirabant, nullum gustum spiritualium ciborum sentiebant: ægrotorum instar, qui cibos aversantur, benè conditos & sapidos, ac salubres, appetunt verò insalubres. Ità faciunt etiam, qui ægri sunt animo. Res terrenæ & cupiditates carnales sunt in causâ, quòd homines non recipiant doctrinam Euangelii, vel secundùm eam non vivant. Qui vult salvus fieri, oportet ut sibi caveat à mundo, à solicitudine, à gulâ, ab ambitione. Quamdiu ista vitia hærent in animo, tamdiu amor æternorum bonorum in eo non potest habere locum. Deus vetat diligi voluptates carnis, sed vult ut diligamus ac cupiamus æternas. Non est gloria accipienda ab hominibus, quod faciebant Pharisæi Johan. 5. 44. Thesauri non in terris, sed in cœlis colligendi sunt, ubi tinea, & rubigo non consumit, nec fures possunt nocere. Nos quidem suscepimus doctrinam Christi; benè est, quòd nobis hactenùs non obstiterunt res mundanæ; sed videamus, ne in nobis reliquiæ adhuc mundi & amoris ejus remanserint, quæ nobis ad vitam æternam consequendam obsint. Potest aliquis hîc in terris convivio spirituali interesse, & posteà excludi ab illo futuro in cœlis, quia ei obstant res mundanæ, quia in corde suo rogat, ut se Deus excusatum habeat. Alii etiam ore se excusant; dicunt: Non possum hoc facere: sum occupatus. Laborandum mihi est circà panem lucrandum. Necessarius quidem est panis, sed magis necessarium est, ne pereamus in æternum. Unum est necessarium. Luc. 10. 42. Antè omnia quærite regnum Dei & justitiam ejus. Matth. 6. 33. Ingratitudinem Judæis exprobravit acriter Paulus Actor. 13. 41. *Videte contemptores &c.* Non dicebant illi quidem: Non curamus vitam æternam, nolumus eam habere, imò eam sperabant; sed factis eam à se repellebant, & se indignos eâ judicabant; ut ibidem Apostolus eis objicit vers. 46. *Vobis quidem oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & vos ipsos indignos judicatis vitâ æternâ, ecce convertimur ad Gentes.*

Succedit pars tertia: Quàm graviter Deus hanc ingratitudinem Judæorum tulerit, ac puniverit. 1. Exprimitur aditus ad pœnam. 2. Modus pœnæ illatæ. 3. Finis ac scopus pœnæ. Aditus primùm quidam ad pœnam describitur, vers. 21. *Et reversus servus nunciavit Domino suo hæc.* Impropriè hoc est intelligendum. Deus ipse videt omnia oculis suis; non opus est ipsi à quoquam aliquid nunciari. Videt ille abditissima quæque, etiam cogitationes nostras. Sed loquitur hic Christus de Deo humano more, quia eum tanquam hominem ac dominum terrenum introduxit. Domini autem per servos suos multa resciscunt. *Tunc iratus Paterfamilias.* De vindictâ suscepit cogitationem, quæ ipsi competit. Scriptum est enim: *Mihi vindicta. Ego retribuam.* Rom. 12. 19. Non potest Deus ferre sui contemtum ac contumeliam. Dignus enim est honore, & beneficia ejus grato animo suscipienda sunt. Etiam minimorum beneficiorum decet esse gratum, quantò magis maximorum? Videamus & nos, ne simus contemptores gratiæ Dei. Dignè nos geramus Deo & vocatione nostra.

Modus pœnæ, seu medium quo Judæos Deus punivit, pro ingratitudine, exprimitur, cùm introducitur Paterfamilias dicens ad servum suum; *Exi citò in plateas & vicos &c.* Modus puniendi in eo est, quòd Deus gratiam suam à Judæis transtulerit ad gentes indignissimas & coràm Judæis abjectissimas.

Dupli-

Duplicis generis homines hîc ponuntur in parabolâ: Unum genus eorum qui in civitate sunt, pauperes, manci, cæci & claudi; quales non solent ad nuptias & convivia vocari, ab omnibus spernuntur, tantùm micæ aliquæ aut reliquiæ ipsis conferuntur; alterum genus est adhuc vilius, eorum, qui in urbem non intromittuntur, sed in compitis viarum, & circà sepes extrà mænia urbis versantur. Videtur Christus discrimen quoddam inter Gentiles indicare voluisse: quòd alii fuerint cultiores & aptiores ad veritatem suscipiendam, alii ineptiores & magis barbari. Sed voluit etiam innuere, Deum plurimas gentes aut plurimos ex gentibus esse vocaturum, ne Judæis sit locus. Vult ergò omnia loca occupari à mendicis. *Et coge intrare.* Per coactionem non violentia ulla carnalis intelligitur, quæ in religione nullum habet locum: sed persuasionum assiduitas & instantia. Optimè Apostoli explicarunt exemplo suo, qualis hîc coactio intelligenda sit. Illi sanè nullis usi carnalibus mediis ad hominis convertendos. Arma militiæ nostræ non sunt carnalia. 2 Cor. 10. 4.

Finis ac scopus pœnæ istius expressus est his verbis: *Dico enim vobis, quia nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit meam cœnam.* Ideò vocati sunt Ethnici, ne Judæis sit locus. Dicit autem, *nemo ex illis gustabit:* quia pauci admodùm ex Judæis conversi sunt, qui propter paucitatem non computantur. Notandum est Deum duplici ratione mitigasse hanc pœnam Judæorum, quâ nemo admittendus ad cœnam cœlestem esse dicitur. 1. Quia reliquias servavit, & semen reliquit: ut Apostolus docet ex Esaiâ citatis duobus locis. Rom. 9. 27. Unus est ex Esai. 10. 22. *Si fuerit numerus filiorum Israël tanquam arena maris reliquiæ servabuntur.* Alter citatur locus ex Esai. 1. 9. *Si non Dominus Zebaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrhâ similes fuissemus.* Rejecit Deus populum Judaicum & excidit, sed tamen pauci qui erant probioris animi, curâ Apostolorum servati & ad fidem in Christum adducti sunt. 2. Quia decrevit adhuc omnem Israëlem servare, postquam plenitudo Gentium ingressa fuerit, id est, occasiones sufficientes & idonea Judaicæ genti suppeditare media ad convertendum: quod mysterium idem Apostolus explicat. Rom. XI. 25, 26.

Nemini Deus vim faciet: sed occasionem dabit & opportunitatem cognoscendæ veritatis optimam. Claussas quasi fores aperiet, ut omnes intrare possint; quandò scilicèt scandala atque obstacula omnia removebit, quæ nunc Judæos à Christiana religione absterrent, quandò abolebit omnem impietatem & idololatriam, erit hoc lætum admodùm tempus. *Si enim ruina Judæorum est opulentia mundi, & diminutio eorum opulentia Gentium; quantò magis plenitudo ipsorum?* Et, *si abjectio eorum est reconciliatio mundi, quæ erit assumtio, nisi vita ex mortuis.* Rom. XI. 12, 15. Utinam digni simus videre tam felicia tempora, cùm ostium veritatis divinæ Judæis pandetur. Interim nos felicitatem nostram consideremus, quòd nunc rejectis Judæis assumti simus. Nos nunc sedemus ad mensam, quæ dignitas Judæis erat destinata. Debebamus nos tantùm stare & spectare Judæos ad mensam assidentes, donec iis satiatis & nobis aliquæ reliquiæ porrigerentur. Sed nunc postquam Judæi se hâc dignitate indignos reddiderunt, versæ sunt rerum paginæ, ut nos mensæ accumbamus, & lautitiis cœnæ cœlestis pascamur, Judæi autem micas tantùm à nobis reliquas expectent. Ita factum est, uti prædixit Christus Matth. 8. 11. *Dico vobis, quia multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abrahamo, Isaaco, & Jacobo in regno cœlorum: filii autem regni ejicientur foràs.* Sed metuamus, ne propter ingratitudinem & nos rejiciamur. Nam *si Deus naturalibus ramis non pepercit*, ut argumentatur & minatur Apostolus, *vide ne tibi quoque non parcat.* Vide locum insignem Rom. XI. 21, 22.

Absoluimus primam doctrinam Christi: veniendum est ad alteram, ubi ostendit, quomodò instructi esse debeant ii, qui discipuli sui esse volunt. Quam doctrinam 1. Proponit. 2. Illustrat. Proposuit eam hâc occasione, quòd irent cum eo multæ turbæ. Populi multitudo ingens tunc comitabatur Christum, videbanturque plerique eo animo eum affectari, quòd voluerint ipsius fieri discipuli, & doctrinam amplecti. Itaque monendos sibi eos duxit Christus, ut bene præparato animo & consideratè id facerent, ne deinceps re temerè susceptâ pœnitentiâ ducerentur. Ostendit esse armandum fortitudine animum, & omnia infrà doctrinam suam ponenda: etiam rerum charissimarum jacturam propter doctrinam suam esse faciendam, & res acerbissimas ac molestissimas perferendas ejus gratiâ. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum*, id est, si non ità, quandò res postulat, deserit eum, quasi odisset eum. Nominat hîc Christus personas nobis conjunctissimas, quas alibi Deus & natura diligere jubet. Damnantur ii, qui sunt ἄστοργοι, seu qui naturali affectione ergà suos necessarios destituuntur Rom. 1. 31. 2 Tim. 3. 3. Et qui de suis curam non gerit, dicitur esse infideli deterior. 1 Tim. 5. 8. Hîc tamen eosdem odisse jubemur. Sensus est: Quandò de religione agitur, magis Dominum Jesum quam parentes nostros revereri debemus, magis illi, quàm his obsequi. Etsi & hos honorare ac diligere debemus, sed cum limitatione tamen, quatenus id sine damnò fidei in Christum & conscientiæ nostræ facere possumus. Nihil ipsorum in gratiam facere debemus, quod Christianæ pietati adversum sit. Non pauci peribunt propterea, quòd homines magis dilexerint, quàm Christum. Multos retardant in cursu pietatis pater, mater, uxor, liberi &c. favor Regum, principum. Mundus & Satanas multa promittit, sed pauca præstat. Felix est, qui omnia ista potest contemnere, & vincere obstacula, unum Deum & promissa ejus respiciens. *Et animam suam*, id est, vitam. Fieri potest, ut quis jacturam amicorum ac propinquorum suorum levi pendat, dummodò seipsum conservet; ità seipsum & animam suam suprà omnes sibi conjunctissimos diligit. Dabit facilè pellem pro pelle, ut dicebat Satanas apud Jobum cap. 2. 4. dummodò ipse evadat. Vult ergò Christus, ut ne vitæ quidem nostræ parcamus: ut religionem vitâ hâc temporariâ potiorem ducamus. Qui vult servare animam suam, perdet eam. Matth. cap. 10. vers. 39. Hoc est abnegare seipsum, sibi ipsi non parcere, & seipsum tanquam alienum tractare, vitam suam propter Christum profundendo. Miles non potest esse bonus ac strenuus, nisi vitam sciat contemnere. Ità & Christianus, nunquam stare poterit & ad finem perdurare, nisi animum habeat mori paratum. *Et qui non portat crucem suam.* Est gradus superior, & in fortitudine summus. Cogitat alius interdum; si mors levis contingeret, non adeò refragarer. Sed nos Christus paratos esse vult ad mortem etiam acerbissimam & ignominiosissimam, qualis erat mors crucis. Non est inter mortis genera delectus faciendus: ad omnia debemus esse parati. *Et sequitur me.* Si nobis hoc arduum videatur, spectemus Christum Ducem nostrum, qui hîc seipsum quasi pro exemplo nobis ponit; quasi dicat, Vultis exemplum ecce ego vobis præeo, vos sequimini. Similitudo hîc sumta est ab iis qui crucifigendi erant: iis crux imponebatur, ut eam portarent ad locum supplicii. Ità nos quoque paratos esse decet, & quidem *quotidiè*, ut additur Luc. 9. 23. Non est cogitandum; non fiet id tam citò, longe adhuc distat à nobis mors. Imò cogitemus singulis diebus, posse fieri, ut hodiè ducamur ad mortem. Neque nos terreat imbecillitas nostra. Nos sumus infirmi, sed potens est Christus, in quo omnia possumus. Phil. 4. 3. Rom. 8. 37.

Illustrat hanc doctrinam suam Christus per similitudines duas: quas primùm proponit, posteà applicat. Similitudo una sumta est à turri ædificanda: altera à bello gerendo cum hoste potente. Summa harum similitudinum est. Quandò homines aliquid magni aggrediuntur, ut cùm propugnaculum aliquod volunt extruere,

truere, vel bellum cum hoste suscipere, quæ res requirit magnos sumptus ac impensas, solent priùs inire rationem & deliberare secum, an res occeptanda sit, an omittenda. Ità hîc quoque deliberato & benè præparato animo ad religionem Christianam arcedendum est. Non omnia quæ hic ponuntur in similitudine, ad rem significatam quadrant. Nam qui deliberatione institutâ videt sibi non sufficere sumptum ad ædificium extruendum, vel ad bellum movendum, illi licet desistere, & prudenter facit, si non incipiat. At hîc si audieris vocem Domini, & expensa rei difficultate resilias, & nolis Christi disciplinam suscipere, non minùs damnationem incurres, quàm si ab incæpto desistas. Omninò ac necessariò nobis turris ista ædificanda est, bellumque gerendum. Vires autem ac sumptus suppeditabit Deus; tantum opus est, ut animum geramus fortem, Deum ac Christum suprà omnia diligamus, & quicquid ipsi possumus, faciamus.

Applicatio similium est: *Sic omnis qui non valedicit omnibus possessionibus*. Per possessiones non tantùm bona immobilia intelliguntur, sed in genere omnia, quæ habemus chara: etiam parentes, uxor, liberi, &c. de quibus suprà locutus est vers. 26. si anima abjicienda est propter Christum, multò magis alii homines, vel aliæ res. Testamentum illicò conscribendum est ei, qui se dat in Christi disciplinam.

In applicatione subdit adhortationem ad constantiam in religione Christianâ. *Bonum est sal*: id est, bonum est, fieri meum discipulum, suscipere meam religionem. Sal omnia conservat à corruptione, gratum quoque saporem cibis indit. Ità religio Christiana facit hominem Deo gratum, & præservat eum ab interitu sempiterno. Sed *si sal infatuetur, in quo condietur?* si Christianus depravetur, abjiciat fidem, vel pietatem, desperata est ejus conditio. Sicut salis insulsi ac corrupti nullus est usus: ita & talis Christianus est inutile terræ pondus. Nihil restat, ei, nisi expectatio judicii terribilis, & ardentis ignis, qui eum devoret. Hebr. 10. 27.

Qui habet aures ad audiendum, audiat. Quasi dicat: Hæc doctrina mea ad omnes pertinet, nemo se exceptum putet. Omnes auribus audiant, & corde conservent hanc doctrinam, & opere ipso observent. Quam ad rem & nos omnem adhibeamus diligentiam. Deus verò nos adjuvet per Christum Jesum. Amen.

Ioh. 4. *vers.* 20, *ad* 25.

COlloquium Domini Jesu cum muliere Samaritana de loco ubi Deus sit colendus. Partes duæ. 1. Sermo mulieris ea de re. 2. Responsio Christi. In sermone mulieris, 1. Continetur argumentum, quo sententiam Judæorum, de loco ubi Deus sit colendus impugnat, suam vero, hoc est Samaritanorum, quam tacite insinuat, confirmat. 2. Sententia hac de re Judæorum, quam illa veritati non putabat consentaneam. Argumentum ductum est, ab exemplo Patriarcharum, adeoque ab antiquissima consuetudine, Deum eo loco colendi. *Patres nostri*, hoc est Abrahamus, Isaacus, & Jacobus, vide ℣. 12, quamquam falso eos suos patres vocat. Erant enim Samaritani, origine ethnici, à rege Assyriorum in locum Israëlitarum, quos in captivitatem abduxerant, substituti, quemadmodum liquet ex 2 Reg. 17. 24. & seqq. Verum ut ex Josepho apparet, florentibus Judæorum rebus, ejusdem se cum illis stirpis esse, jactare solebant, quod alias negabant. *In hoc monte* Garizim, in quo Sanaballet Chutæus templum Hierosolymitano simile exstruxit, & Manassen, ex Aaronica familia, generum suum, à Judæis sacerdotio privatum, constituit pontificem. Joseph. lib. 11, antiquit. cap. 7, 8. *Adoraverunt* Deum coluerunt, seu solennia sacra, ibi peregerunt. Universum enim cultum externum ac solennem, Deo exhibitum, vox adorandi, hic complectitur.

Hic, locus est differendi de ritibus, qui antiquitatis autoritate defenduntur, & consuetudine priscorum Dei cultorum commendantur, iis neminem obstringi, nisi Dei mandatum accedat, ex hoc loco satis docetur. Non omnia quæ antiquissima, etiam optima, & maximè observanda. Ad hunc mulieris sermonem, ita respondit Christus, ut primo falsam de loco ubi Deus sit colendus opinionem tollat; deinde, veram sententiam asserat. Nam primo sententiam utriusque gentis, id est, tum Judæorum, tum Samaritanorum de loco in quo Deus colendus, respecta temporis mox sequuturi, vanam esse ostendit. Secundo sententiam Judæorum ea de re, opinioni Samaritanorum, respectu temporis tum labentis præfert. Tertio veram sententiam, de ratione Deum colendi, adeoque etiam de loco, in quo id imposterum sit faciendum adstruit.

Primum est ℣. 21, ubi primum fidem orationi suæ conciliat: *Mulier, crede mihi*: secundo tempus exprimit, cujus respectu, de loco Deum colendi loquatur, nempe mox futurum cum ait *venit hora* id est tempus. Nam alias respectu temporis præsentis ac multo magis præteriti, aliter erat statuendum, quandoquidem ipse Deus, locum certum sibi delegerat ubi coli vellet, vide Deut. 16. 5, & seqq. 26. 2, nempe Hierosolymam, vide 1 Par. 17. 12, & 22. 6. 2 Par. 6. 6. Psal. 78. 68, 69. Tertio utrorumque hoc est tum Samaritanorum, tum Judæorum ea de re sententiam, respectu sequuturi temporis rejicit. *Neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis patrem*, hoc est adorare tenebimini, seu ad adorandum eritis obligati. Nam de jure potius, quam de facto, seu eventu ipso loquitur; quanquam eventus etiam respondit, vastato utroque loco, seu templo, & solenni utrobique cultu sublato. Quando autem dicit. *Neque in monte hoc, neque Hierosolymis*, subaudiendum est, neutro in loco nominatim id faciendum quasi ad alterutrum cultus divinus, esset adstrictus. Nam cæteroqui ut in aliis locis, ita etiam ibi adorare poterant; verum non magis ibi, quam alibi, ubi commodum esset, cultum divinum exercere, nec ideo, quasi gratior ibi esset Deo cultus, quam alibi. Exprimit autem simul quisnam sit ille cui imposterum cultum sint præstituri, & hactenus etiam præstiterint, dum ait *Patrem*. hoc est Deum illum, qui patrem se nunc exhibuit. Patrem autem vocat, non sui tantùm ratione, sed etiam eorum, qui doctrinam ab ipso promulgatam, suscepturi, & in ipsum credituri essent. Describtio Dei Novi Fœderis magis propria. Quibus de rebus hic differendum, satis patet. Primò, de locis, quibus cultus divinus hodiè alligari solet. Secundo de eo, cui primò & per se, cultus divinus seu religiosus debeatur, & quomodo adoratio ipsius, sit adoratio patris. Tertiò, de differentia inter cultum, quem Deo præstiterunt ii, qui ante Christum, & quem ei nunc exhibent Christiani, non tantum ratione loci, sed etiam ratione modi, quo Deum colant, quòd illi Deum immediatè coluerint, hi mediatè. Illi tanquam creatorem, dominum & benefactorem, ratione hujus vitæ terrenæ; hi etiam ut patrem. Differi etiam potest, de ratione, qua Deus, etiam Christi sit Pater & fidelium, explicata differentia, quæ inter nos sit & illum, quanquam etiam de convenientia aliquid dici potest, prout auditoribus fuerit necessarium, ut ita melius pateat ratio, qua Christus Dei filius sit. Secunda pars sermonis seu responsionis Christi est vers. 22. ubi primum sententiam Samaritanorum de loco rationeque cultus divini reprehendit. Deinde Judæorum sententiam approbat & confirmat. Primum est ibi. *Vos adoratis, quod nescitis* (hoc enim pacto Græcè legi indicandum est) particula *Quod*, licet rem ipsam seu objectum adorationis propriè significet, potest tamen etiam adorationis modum (latè sumta voce, pro quavis circumstantia exteriori) significare. Confer inter se locum Marc. cap. 4. 24, & Luc. 8. 18, in quorum priore est Quid audiatis. In posteriore Quomodo. Sententia autem loci hic postulat, ut de modo, non de objecto adorationis, verba capiantur. Neque enim de eo, sermo

erat

erat institutus utrum Samaritani eum colerent Deum, quem non nossent; sed utrum eo, quo debebant loco. Quod si quis tamen omnino velit, id dicere velle Christum, Samaritanos colere Deum illum quem ignorent, ignorantia illa ad voluntatem divinam, ad quam pertinebat etiam præceptum de loco ubi coli vellet, erit imprimis referenda. Nam aliàs probè sciebant Samaritani, quemnam colerent, nempe Deum illum summum, cœli & terræ creatorem. Sensus igitur erit vos colitis eum, cujus voluntatem, tum in aliis, tum ratione loci, ubi colendus sit ignoratis. Hic locus est, reprehendendi ignorantiam in rebus, ad cultum Dei pertinentibus, & excitandi segniores, ut ea, quæ ad rectam Dei colendi rationem spectant, inquirere velint, eamque curam in alios penitus ne rejiciant, sed ita se gerant, ut sibi quoque supinæ ignorantiæ rationem reddendam sciant, ne cœci cœcos sequantur duces, & unacum iis in foveam cadant.

Differi potest nonnihil de fervore in religione, absque scientia, atque imprimis de iis, qui hodie præter Dei institutum, multa faciunt eo animo, ut cultum Deo præstent, quorum non animus, sed facta ipsa, & ignorantia, vituperatione digna est.

Secundum est ibi. *Nos adoramus, quod scimus, quia salus &c.* Ubi primò simpliciter asseritur Judæis notitia veritatis, circa rationem aut locum, qua & ubi Deus sit colendus. Deinde, id etiam ratione comprobatur. Prius fit ibi. *Nos* (hoc est Judæi) *adoramus quod scimus* quod quid sit, ex superioribus constat, Illud addi potest verbum *scimus*, non tantum actum ipsorum sciendi, seu notitiam rei simpliciter significare; sed etiam hoc, quod ejus notitiæ veluti sedes quædam sit inter Judæos & locus proprius; quandoquidem Deus ipse, sui suæque voluntatis notitiam Judæis propriè concredidit Psal. 147. Rom. 3. Quapropter orta aliqua de cultu divino, inter Judaicum populum, & cæteras gentes controversia, consentaneum sanè erat à Judæis potius stare veritatem, quam à cæteris gentibus, præsertim si ostendi non posset, eos à religionis suæ principiis ac fundamentis, aliqua in re discessisse. Ita autem accipiendam esse vocem *scimus*, tum alia tum sequens etiam probatio, non obscurè docet. Hic, vix quidquam dici potest præter ea, quæ in superiori particula dicta sunt. Iterari potest & urgeri adhortatio, ad inquisitionem eorum quæ ad cultum divinum rectamque ejus rationem pertinent. Posset etiam comparatio institui inter populum Christianum & Judaicum. Nam quemadmodum hic olim fuit sedes notitiæ de rebus divinis, ita nunc ille est columna & fundamentum veritatis, & in eo propriam, notitia divinæ voluntatis sedem habet: non quidem quod ii qui ecclesiam constituunt, eam deserere nequeant, quemadmodum etiam olim Judæi, qui sæpe à Deo suo desciverunt; sed quòd extra eam nuspiam veritas salutaris locum habeat.

Postremùm, hoc est, ratio assertionis est *Quia salus ex Judæis est.* quasi dicat, inde apparet, nos potiùs Judæos, rectam colendi Dei rationem, aut locum nosse, quam vos, & certam illarum rerum scientiam apud nos sedem fixisse, quandoquidem Deus Judaicam gentem nominatim delegit, ut ex ea salus & felicitas omnium maxima cæteris omnibus contingeret, & iis quidem primum obveniret, ab iis verò ad alios demum dimanaret. Ex iis enim ipse quoque Messias, quem Samaritani quoque exspectabant, ut vers. 25 apparet, nasci debebat; iisque primùm fuerat promissus. vide Rom. cap. 9. & 15. Consentaneum enim est, in eo populo, Deum suam notitiam exstare voluisse & sedem ei fixisse, quem nominatim ad id elegerat, ut ex eo salus ad omnes dimanaret. Hac occasione, potest nonnihil dici de iis, quæ tradit Paulus Rom. XI. 17 & seqq.

Tertia pars responsionis Christi est vers. 23, 24. Ubi tria observanda 1. Tempus, quo id fieri debeat, quod hic tradit de ratione vera Deum colendi. 2. Quæ sit vera ratio Deum in posterum colendi. Tertio. Hujus sententiæ comprobatio. Primum est. *Sed venit hora & nunc est* particula *sed* opponitur illis, *Nos adoramus, quod scimus:* quasi dicat: Etiamsi nos Judæi Deum rectius colamus, quam vos, & certam rationem ipsum adorandi norimus, venit tamen tempus, quo ne eo quidem modo, quo nos hactenus facimus, veri adoratores, Deum colere tenebuntur. Dixit autem, non tantum venire horam, seu tempus; sed etiam addit & nunc est, hoc est jam ejus rei factum initium, ut mulierem illam cum qua loquebatur, tanto magis accenderet ad inquirendum, quonam modo Deus in spiritu & veritate, adorandus esset; quandoquidem inde colligere poterat sua quoque interesse, id scire, siquidem ejus rei tempus, jam advenisset. Secundum est: *Cum veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate,* &c. Veri adoratores, sunt illi, qui recte & legitime Deum colunt, *Adorabunt patrem.* De hoc supra. In spiritu & veritate hoc est spirituali culta, ac perfecto, non ea ratione, qua rei corporeæ certoque aliquo loco alligatæ; non item umbris ut sub lege. Spiritus enim opponitur corpori, seu rebus corporeis, qualis est locus certus, aut templum manufactum. Veritas autem umbris opponitur. Spirituale est, quod animo ac mente potissimum perficitur, & ex ea erumpit, eique est consentaneum. Verum autem id est hoc loco, quod solidum est ac perfectum. Utroque vocabulo excluditur certus locus, ubi Deus sit colendus, de priori id jam ostensum est. Posterius etiam liquet. Nam & templum Hierosol. fuit figura, atque umbra templi spiritualis, quod Christiani inter se juncti constituunt. Vide 1 Cor. 3. ℣. 16, 17. 2 Cor. 6. ℣. 16. Eph. 2. 21. 1 Pet. 2. 5. Et sanè, non malè illi sentiunt, qui duobus vocabulis iidem reipsa expressum volunt, licet per se diversa eorum vis sit. Ideò enim verus est ille cultus sub Euangelio præscriptus, quia spiritualis, & quia verus & non in umbris consistens, sed solidus, ideo etiam spiritualis. Quibus de rebus, hic differendum, satis patet. Commendandus cultus ille, qui in animo devoto, precibus, gratiorum actionibus consistit, cæterisque virtutibus, quæ ex animo religioso ac pio manant. Secundo, Refellendus illorum error, qui ex his Christi verbis colligunt, Satis esse, Deum animo colere; externa facta, adiaphora esse, qui error cum universis S. L. pugnat, quæ externorum factorum pietatem ubique inculcant, & opera carnis etiam externa, damnant. Spiritus, non excludit opera externa, ex spiritu animoque profecta; sed potius, omnia illa opera externa, ambitu suo comprehendit, quæ non potest non ex se gignere, animus Deo verè devotus, verum, ceremonias, ad quas animus etiam devotissimus, sua natura non impellitur, excludit. Tertio, Reprehendendi ii, qui tot ceremonias in Christianam religionem invexerunt, quo factum, ut spiritualis verusque cultus fuerit paulatim extinctus. Ita ferè fit, ut ubi circa externa, nimium laboratur, interna negligantur. Si occasio ferat, differi potest aliquid, de cœna Domini, & ostendendum illam non prohibere, quo minus cultus noster spiritualis simpliciter dici queat, quandoquidem hæc una tantum ceremonia, nobis in perpetuum præcepta est, & ea quidem simplicissima, ac denique, quod in ea positum est, spiritu peragitur. Tertium est: *Nam & pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, & qui adorant,* &c. Duas affert ejus rei rationes Christus, quarum prior, posteriore nititur. Prior enim sumta est ex Dei voluntate; altera, ex Dei natura, unde illa Dei voluntas proficiscitur. Illa est ibi. *Nam & pater tales quærit qui adorent eum,* &c. hoc est qui eum in Spiritu & veritate colant. Quid hic differi possit, vel in superioribus dictum, vel perse facile patet. Quanquam non est necesse, ubique doctrinas excerpere, cum nec trivialia nimis nec nimis

nimis ſubtilia dicenda ſint. Itaque quædam etiam præteruenda, & ad alia properandum. Si quid ſit, quod quiſque per ſe videat, id duobus verbis indicandum, niſi forte neceſſarium ſit immorari, vel propterea, quòd alii contra ſentiant; vel quòd contra faciant.

Id forte hoc loco differi poteſt, cur Deus olim ceremonialem illum cultum præceperit, cum hodiè aliter velit. Ratio ſatis nota eſt. Hæc eſt *Deus ſpiritus* ſcilicet eſt. Hanc enim lectionem malim. Indicandum tamen eſt, ita etiam legi aut verti poſſe hæc verba, ut noſtri reddiderunt, Deus ſpiritum ſcilicet quærit, cum πνεῦμα apud Græcos, utriuſque poſſit eſſe caſus. Si poſteriori modo interpreteris, non erit hæc nova ratio, ſed prioris tantum illuſtratio & expolitio quædam; & ſpiritus ſignificabit imprimis ſpiritum hominis ſeu animam, & ea quæ ſpiritui illi cognata ſunt, eique conſentanea. Sed ſi priori modo ſumas, ratio hæc erit à priori diverſa, aut illius fundamentum, ac probatio. quaſi dicat; Ideo Deus ſpiritualem cultum quærit, quia ipſe quoque ſpiritus eſt, non corpore aliquo craſſo præditus, cui opus ſit templo, aut hoſtiis, aut ſuffimentis, alioque externo apparatu, adeòque eum, cultum ſuæ natura conſentaneum quærere, qualis non fuit legalis ſeu ceremonialis, ſed ſpiritualis ſub euangelio præſcribtus. Vidit jam homo ethnicus Cato, vel quiſquis ille fuit, qui ſub Catonis nomine, verſiculos in ſcholis uſitatos ſcribſit. Si Deus eſt animus &c. Indicavit id ipſe Deus, qui interdum cultum illum ceremonialem, quanquam à ſe præſcriptum, ſibi non placere teſtatur, quia ſibi non ſit accommodatus. Vide imprimis Pſal. 50. 13. Eſai. 66. 1. & ſeqq. Actor. 7. 48. & 17. 24, 25. Quod verò ad tempus cultum illum externum ac carnalem inſtituit, id fecit, non quòd ſuæ naturæ eſſet accommodatus, ſed quòd accommodatus naturæ hominum, quibus præſcribebat, accommodatus conditioni temporum. Quia vero ipſius naturæ non conveniebat, ideò eum aliquando ceſſare, erat neceſſe. Et ſanè ſub ipſa etiam lege, eum cultum ſubinde deſideravit, qui ſpiritualis eſſet, ut vel ex loco illo Pſal. 50 apparet. Intelligi autem hinc poteſt, Vocem ſpiritus, non ſignificare hoc loco ſpiritum ſanctum, nec ſubjecti locum obtinere, ſed prædicati. Nam ſi is eſſet ſenſus, quem nonnulli quanquam pauciores ex adverſariis volunt, Spiritus ſanctus eſt Deus, nihil ad rem facerent hęc verba Chriſti, & ratio eſſet nulla. Nam probandum eſt, Patrem, in ſpiritu eſſe adorandum. Quæ vero ratio iſta foret, Quia ſpiritus ſanctus eſt Deus. Quid hoc ad patrem? aut quomodo inde ſequitur Patrem in ſpiritu, ſeu ſpirituali ratione eſſe colendum? At ſi vocem Dei ſubjecti locum obtinere dicas, & ſpiritum ſumas pro ſpirituali eſſentia, quæ corporeæ, hoc eſt craſſæ opponitur, qualis eſt rerum illarum quas oculis noſtris cerminus præſertim terrenarum, accipias, ſenſus eſt planus & elegans: Deus eſt ſpiritus ſeu eſſentia ſpiritualis. Ergo etiam ſpiritualem & ſuæ naturæ convenientem quærit cultum, non eum qui corporeæ aut terrenæ naturæ aptus eſt, qualis eſt templi veluti habitaculi exſtructio, pecudum immolatio, ſanguinis oblatio, incenſio victimarum aut ſuffitus, panum propoſitio, lucernarum incenſio, Harmonia muſica & concentus, ornatus templorum magnificus, aut veſtimentorum quibus ſacerdotes utantur, aliarumque rerum apparatus. Senſum hunc pleriq; ex adverſariis noſtris agnoſcunt, & urgent, & cum probare volunt, Deum eſſe ſubſtantiam ſpiritualem, vix ullum alium adducunt locum, quo id probent, præter hunc ipſum, ac urgent, non eſſe hic ſermonem de perſona ſpiritus ſancti, ſed de eſſentia divina, vel de Deo indiſtincte ſumto.

Differi hic aliquid poteſt, de Dei majeſtate, & naturæ excellentia, quo pertinet etiam illud, *Quem nemo hominum vidit, nec videre poteſt.* Et niſi id jam antea, quantum ſatis, factum fuerit, reprehendendi ii, qui iſtiuſmodi rebus, quæ corpori aptæ ſunt, Deum colunt, atque imprimis ii, qui imagines Deo ponunt, cujus figura nulla eſt, aut forma, quæ exprimi & oculis hominum ſubjici poſſit, quod ipſe Deus reprehendit; qua de re in Ethic. dictum. Cum addit, *Et eos qui adorant eum, in ſpiritu* &c. concluſio hæc eſt rationis præcedentis. *Et* ponitur pro *Ideoque* vel Id circo. Quaſi dicat, *Ideoque eos qui adorant* &c. Eodem modo ſumitur. Marc. 9. 5. 2 Tim. 2. 19 & alibi.

Ioh. cap. 5. verſ. 21.

EX his verbis Domini Jeſu colligi poteſt eum quod attinet ad vivificationem mortuorum, non ita eſſe adſtrictum legibus ut nihil hac in parte ejus arbitrio liberæque voluntati ſit relictum. Aliàs enim non poſſet dici eum vivificare quem vult. Quæ verba omnino poſtulant ut libertas aliqua Domino Jeſu fuerit permiſſa in deligendis iis qui ab ipſo ſint vivificandi, hoc atque illi quoſdam ad vivificationem non eligere ſed repudiare. Idem poſtulat etiam Regia Chriſti poteſtas. Rex enim non eſt qui ita legibus eſt adſtrictus ut nil niſi quod iis eſt definitum ipſi liceat agere. Is enim tantùm ſervus eſt, ac miniſter quidam eorum qui leges illas fixerunt, & quorum utilitati illæ ſunt comparatæ. Idem requirit ſeſſio ipſius ad Dei dexteram, quæ aliqua ex parte ſupremam & à ſuperiore poteſtate non definitam nec limitatam poteſtatem complectitur. Adde quòd ſi Dominus Jeſus ita eſt adſtrictus legibus DEI, ut voluntas ejus per omnia eſſet legibus conſtricta, & ſic eatenus nequaquam libera, nihil ejus miſericordia & ut ita loquar συμπαθεια nobis profeſſet, quam tamen DEUS illi conſultò voluit ingenerari, deque ea nobis conſtare: ut tanto firmiorem de auxilio quod ab illo requirimus ſpem conciperemus. Atqui ejus affectûs erga nos nulla erit vis, nec ulla major ex eo ad nos manabit conſolatio, quod Domini Jeſu, qui non modò naturâ ſuâ nobiſcum conjunctus eſt, ſed & animam ſuam pro nobis poſuit, & nos fratres ſuos appellare non erubeſcit, curæ ſimus commendati, & ſalus noſtra univerſa in ipſius manu ſit poſita; quàm ſi DEUS ipſemet ſuâ perſonâ hæc omnia adminiſtraret. Hoc enim pacto non magis moveri poſſet Domini Jeſu voluntas ad nos juvandos, quàm ipſæ leges quibus eſſet adſtricta: niſi quòd Domini Jeſu voluntas id exſequeretur quod leges omnino juſſiſſent, & cùm leges illæ à Dei erga nos voluntate & affectu fuerint profectæ, tantus eſſet Domini Jeſu affectus, quod ad vim & effectum attinet, quantum in ipſo Deo concipere poſſumus. Verum conſiderandum eſt quouſque hæc libertas ſeu abſoluta Chriſti poteſtas extendatur, & quatenus rurſus legibus DEI ſit adſtricta. Atque ut ab hoc poſteriori faciamus initium; Siquidem Dominus Jeſus ſupremâ poteſtate ideo à Patre donatus eſt, ut ipſius de ſalute noſtra voluntatem ad exitum perducat: Dei autem voluntas eſt, ut ii tantum qui per Chriſtum in ſe credunt, ſerventur, cæteri damnentur; conſequitur eatenus Domini Jeſu poteſtatem limitatam eſſe, quatenus neminem in ſe ac in ipſum Deum credentem ſervare poteſt, cæteros verò damnare. Breviter, Novi Fœderis legibus, quæ non à Chriſti ſed à Dei voluntate ſunt profectæ, (Deus enim doctrinam illam in qua tota Novi Fœderis ratio continetur Domino Jeſu promulgandam primum tradidit, unde is eam non ſuam ſed Patris ſui à quo ſit miſſus doctrinam eſſe dixit) poteſtas Domini Jeſu eſt definita. Fœdus enim Novum, credentibus in Chriſtum ſalutem promittit, cæteris exitium minatur. Jam quia fides in Chriſtum in ejuſdem Novi Fœderis doctrina eſt deſcripta, & leges certæ à DEO ſunt fixæ illis omnibus obſervandæ qui fidem iſtam ſalutarem habere velint; illas quoque mutare, aut ab iis in judicando diſcedere Domino Jeſu non licet. Verumtamen, ut id quod priore loco poſuimus etiam exſequamur; quia generalis Novi Fœderis lex de credentibus ſervandis, & incredulis damnandis, vel ſecundùm rigorem accipi poteſt, vel etiam ſecundùm quandam æquitatem, quæ iterum latitudinem quandam habet, & à jure ſtricto vel longius vel minus longe recedit, ac benignitatem juſtitiæ nunc magis nunc minus

miſcet, ſeveritatemque temperat; Hîc primum libertatem arbitrii & poteſtatis Domini Jeſu locum habere cenſendum eſt; ita ut qui ſi ſtrictè Novi Fœderis leges ſumantur, damnari poſſet, quià nempe aliquid fidei ipſius defuiſſet, æquitate & benignitate Domini Jeſu ſervari queat. Itaque quouſque æquitas in accipiendis Novi Fœderis legibus & decretis locum habet, eouſque poteſtas ipſius extenditur. Habet autem æquitas locum ibi ubi fides eſt, hoc eſt ſpes immortalitatis firma per Chriſtum in Deo collocata, ejuſmodi pietatem ex ſe pariens, ut quis præcepta Domini Jeſu quæ cognita habet, pro viribus exſequatur. At fieri poteſt ut quis non omnia præcepta Domini Jeſu habeat cognita, & ſic non omnia exſequatur, exſequuturus ſi cognita haberet. Quanquam iſta ignorantio legum univerſalium non prorſus hominem excuſat, nec omni culpâ vacat; interdum tamen aliqua ſaltem excuſatione & veniâ digna eſt, nempe ſi quis exiguam habeat ad aliquod præceptum cognoſcendum occaſionem, aut per ſemet ipſum inquirendi facultatem: ſi quis eo loco vivat ubi contrarium vel ab omnibus vel a maxima parte doceatur, iſque doctrinam aliquam falſam quæ iſti cognitioni obſtat, unà cum materno lacte imbiberit: ſi rationes in ſpeciem plauſibiles, quas ſolvere ipſius non ſit, obſtent: præſertim ſi appareat aliquid tale quod præcepto illo Chriſti prohibetur, à Deo ſub Lege vel apertè permiſſum, vel etiam præceptum fuiſſe, ita ut divina authoritas homini ad peccati illius cognitionem aliquomodo obſtet; contra verò verba quibus Dominus Jeſus præceptum illud complexus eſt, videantur aliam aliquam explicationem admittere. Quale eſt verbi gratià præceptum de vindicta ne per magiſtratum quidem repetenda, & ſi quid eſt ſimile. Hujuſmodi ergo præcepti ignoratio & neglectus fidem ejuſmodi hominis redant imperfectam, & ſi rigide cum eo ageretur, etiam vi Novi Fœderis poſſet eum à ſalute æterna excludere: ſed æquitas benignitaſque Domini Jeſu ei ſuccurrere poteſt; præſertim ſi ejuſmodi homo aliis quibuſdam virtutibus inſigniter excellat, atque inprimis charitate, de cujus vi alibi diſſeruimus. Idem fortaſſe ſtatui poteſt de eo qui affectum aliquem aut peccatum quod hominibus aliàs ſoleat eſſe familiare, nec ita turpe ut ipſa humana ratio ab eo prorſus abhorreat, non ita devicerit, ut habitum iſtius virtutis quæ in illo affectu domando cernitur, aut peccato illi opponitur, comparaſſe dici queat: in eo tamen vitio domando laboraverit; ſed vel ob naturæ pravitatem quandam, & ad vitium iſtud proclivitatem, vel ob inveteratam conſuetudinem, quæ nonnunquam ipſâ naturâ eſt robuſtior, vel ob alia externa impedimenta validaque ad peccatum incitamenta, illud prorſus expugnare nequiverit. Huic quoque ſi aliàs virtutibus egregiis ſit ornatus, ſi velit Dominus Jeſus miſericordiam oſtendere poteſt: maximè ſi aliorum piorum precibus adjuvetur. Aliorum graviorum vitiorum alia eſt ratio; & prout peccati alicujus turpitudo, vel ob ipſius rationis naturalis judicium, vel ob apertum Domini Jeſu mandatum eſt manifeſtior, tantò minus hominem excuſat. Hoc tamen addimus, fieri nonnunquam poſſe ut peccatum aliquod naturâ ipſius inſpectâ ſit altero gravius, facilius tamen condonari poſſit, quia plura quominus illud pro peccato agnoſcatur obſtant. Quod tum fit inprimis cùm ipſum peccatum aliquod ab iis qui res divinas tractant, & ſapientiæ cœleſtis nomine maximam authoritatem obtinent, pro particula aliqua cultus divini habetur. Quanquam hac de re haud temere quicquam ſtatuendum eſt: neceſſeque foret inſignem aliàs hujuſmodi hominis eſſe probitatem, & in Deum Chriſtumque amorem, cui tale peccatum condonari à Domino Jeſu deberet: præſertim cùm dixerimus licere Domino Jeſu, non tantùm aliqua ex parte eligere vivificandos; ſed etiam repudiare. Hæc ergo prima eſſe videtur & prope maxima libertatis Domini Jeſu in ſalutis noſtræ negotio pars, eaque videtur regiæ poteſtati convenientiſſima. Regum enim proprium eſſe videtur, aliquid de ſtricto jure, etiamſi illud non pro ſumma injuria ut vulgò loquuntur, imò ne pro injuria quidem habendum ſit, remittere, & benignitate quadam legum vim temperare.

Altera, & priori admodum vicina iſtius libertatis ſeu ἐξουσίας pars in ſpirituali vivificatione cerni videtur. Ea verò nihil aliud eſt, quàm quòd homines ignorantiæ & peccatorum tenebris oppreſſos, luce veritatis cœleſtis pro voluntate ſua colluſtrat, & ex hac animæ morte veluti in vitam revocat. Qua in re late patet Domini Jeſu poteſtas: Licet enim ei quibus vult, quando, & per quos vult, quo denique libet modo veritatis cognoſcendæ occaſionem ac facultatem præbere, & ad quæ vult regna, provincias, urbes, homines, Euangelium ſuum mittere aut tranſferre. Et quanquam homines probi animi, qui ejus oves jam dici poſſunt, ut ex Johannis cap. 10 conſtat, ejus curæ hac in parte potiſſimùm ſunt commiſſi; tamen licet quoque Domino Jeſu ad eos etiam Euangelium ſuum mittere qui apti ſunt ut tales fiant, nondum autem reipſa ſunt. Deinde inter eos ipſos qui probi ſunt animi, licet ei diſcrimen aliquod facere, ut aliis prius, aliis poſterius, aliis majorem aliis minorem cognoſcendi euangelii præbeat occaſionem. Et hac quidem in parte tanta videtur eſſe Domini Jeſu libertas ut non ſemper iis qui probiores cenſendi ſunt, qui externam etiam morum probitatem quandam quæ quidem in homines euangelii ignaros cadit, cum animi ſinceritate conjungunt, aut prius aut majorem largiatur euangelii cognoſcendi facultatem; ſed interdum iis qui animi quidem probitate aliqua ſunt præditi, ſed moribus & factis externis admodum ſunt corrupti, cùm poſſit non minor, imò etiam major ex horum converſione Deo Chriſtoque naſci gloria, quam ex illorum. Et hæc libertatis imperii Chriſti pars, cum ſuperiore in Johannis loco conjungi poteſt: præſertim quum paulò inferius etiam de ſpirituali vivificatione mortuorum quam is voce ſua effecturus erat ſit ſermo.

Sunt præter hæc alia etiam in quibus poteſtas Chriſti ἀνυπεύθυνος, & legibus ſuperioris poteſtatis non adſtricta cernitur, idque potiſſimum in gubernatione Eccleſiæ jam conſtitutæ. Nam etſi ejus gubernatio hac generali lege ſit adſtricta ut ea ad Eccleſiæ, modò ne ſit contumax, ſalutem tota dirigatur; quæ ſi contumax fiat atque eſſe pergat, graviſſime puniatur, ac tandem rejiciatur; tamen quia hæc lex admodum eſt generalis, multa ſpecialia ac ſingularia ſub ea comprehenſa ipſius arbitrio libero ſunt permiſſa. Primum ergò videndum eſt quæ libertas ſit Domini Jeſu in Eccleſia officium ſuum faciente, in quam quidem nil niſi beneficia ſua confert, etiamſi nonnunquam ſecus videatur, gubernanda. Deinde quænam in Eccleſia ab officio ſuo recedente. Quod ad prius attinet, ſiquidem diximus Dominum Jeſum eam gubernare Eccleſiam quæ officium faciat, benefaciendo tantùm; in beneficiis vel in eam univerſam, vel in certas aliquas perſonas quæ in ea exiſtant, libertas illa verſabitur. Poterit ergo Dominus Jeſus pro ſuo arbitrio, Eccleſiam aliquam nunc majore nunc minore ſpiritualium quin etiam temporalium beneficiorum copiâ donare. Quanquam temporalia parcius in Eccleſiam conferre ſolet, & non ſine neceſſitate, pietati aut virtutis promotioni aliquomodo ſerviente. Poteſt etiam pro arbitrio ſuo miniſteria in Eccleſia diſtribuere, & vel hos vel illos homines ad publica in Eccleſia munera excitare, eoſque donis ſuis ad eam rem neceſſariis inſtruere. Quin etiam actiones illas ſive omnibus communes, ſive aliquibus peculiares, ad cultum divinum & religionis promotionem aliquomodo pertinentes, quarum infinitus eſt numerus, pro voluntate

sua dirigere. Præterea quod ad mala seu afflictiones attinet, eas præsertim quæ ad explorandam Christianorum hominum fidem in Deum, patientiam ac pietatem pertinent; quales inprimis eæ sunt quibus ob veritatis professionem ac virtutis studium sunt obnoxii: eas nunc Christus à piis pro arbitrio suo eo quo placet modo ac ratione avertit, nunc immittit, nunc mitigat, nunc intendit, prout nominis sui gloriæ, & suorum saluti conducit; & simul etiam vires ad eas sustinendas subministrat: idque non uno modo, nec eadem mensura: aliis externa ad patientiam & constantiam sufficiunt media, ut admonitiones, exempla, & si quæ sunt alia quæ aliquid hic momenti habere possunt: aliis interius divini spiritus robur indendum est: unde videmus interdum eos qui aliàs fuerunt imbecilliores, majore cum alacritate & gaudio tormenta mortesque sustinere quàm eos qui aliàs fortiore fuerunt animo, & ad patiendum paratiores.

Quod ad posterius attinet, hoc est ad modum illum gubernandi Ecclesiam, officium suum non facientem, qui quidem ejus sit proprius; (Nam aliàs sunt quædam hujusmodi etiam Ecclesiæ cum priore seu officium faciente communia: cùm non statim ubi officium Ecclesiæ vel languescit vel cessat, beneficentia etiam Christi desina) ut is rectius intelligatur, Ecclesia iterum distinguenda est in eam quæ non sit plane contumax, sed sanabilis, & in eam quæ contumax sit, atque ita insanabilis vel jam sit vel evadat. In priore gubernanda duplici potissimum ratione cernere licet potestatis Domini Jesu libertatem. Nam primò certum tempus pro arbitrio definire potest, intra quod nisi resipiscat, ab eo puniatur. Deinde in ratione & modo quo eam Ecclesiam ad resipiscentiam reducere conetur, pro voluntate sua agit. Nam nunc levioribus, nunc asperioribus uti potest ad eam rem perficiendam mediis. Levioribus si v. g. vel beneficiis aliquibus eos sibi devinciat, vel pios homines & zelo divinæ gloriæ fervidos excitet, qui Ecclesiam illam emendent. Asperioribus, si vel terrorem pœnarum, vel ipsas pœnas illis immittat atque infligat: in quibus ipsius castigationibus tum quod ad afflictionum genera attinet, tum quod ad modum & personas quas illæ proxime attingunt, magna & prope infinita est varietas, in qua Domini Jesu libera voluntas versatur. Quod ad Ecclesiam contumacem & tempus emendationi suæ præstitutum negligentem attinet, eam à Domino Jesu certum quidem est puniri: sed id variis modis fieri potest, qua itidem in re ejus libertas cernitur. Nam vel cœcitate spirituali hujusmodi homines puniri possunt, vel pietatis exercendæ facultas & occasio eis eripi, aut aliis gravissimis divinis suppliciis in hoc seculo subjici queunt: quod idem quoque de iis dictum volumus, quibus cùm lux veritatis affulsisset, eam tamen recipere noluerunt. Nam ibi quoque varietas judiciorum divinorum locum habet, & sic quoque libertas voluntatis ac potestatis Domini Iesu. Id enim in universum notandum est, quando leges à Deo fixæ quibus potestas Domini Iesu circumscribitur, in circumstantiis quibuscunque varietatem admittunt, ita ut legibus iis salvis aliquid vel fieri vel omitti queat, & ad finem ad quem gubernatio Christi ex Dei voluntate tendere debet, pluribus possit perveniri modis, ibi semper libertati voluntatis Domini Iesu ejusque arbitrio electionem esse permissam. Illud tantum addimus, quod non tantùm generalibus legibus potestas Domini Iesu à Deo sit circumscripta, sed etiam specialibus quibusdam ipsius decretis, quæ ei mutare non licet: qualia sunt ea quæ in Apocalypsi sunt descripta, aut fortasse etiam in propheticis scriptis olim designata. Quanquam pleraque sint ejusmodi ut in iis rursus magna rerum sit varietas. Et licet aliquatenus rerum circumstantiæ sint definitæ, ut tempus, præsertim laxius sumtum, regiones, urbes, & si quæ sunt similia, tamen aliqua ratione in iis quæ ab ipso Deo non sunt destinata, potestas libera Domini Iesu apparere potest. Ad singularia etiam hæc, à Deo decreta vel decernenda, jure referimus ultimi judicii diem, quem pater in sua potestate posuit. Loquuti autem hactenus sumus de libertate potestatis Domini Iesu in ipsos tantùm homines, & ea quæ in hominibus cernuntur. Intelligi autem facile potest, etiam in gubernatione rerum invisibilium, ut Angelorum & dæmonum, illum eandem habere.

In Johannis Euangelii quodam capita, cap. 5.

Hæc dico. Addit hæc verba ut occurrat illorum interrogationi: Cur illud produceret, si illo non egeret? Propter vos inquit Dominus, non propter me. Quasi dicat, Ego illo non egeo, nam *habeo majus:* vobis tamen commemorandum est, ut quia Iohannem magni fecistis, & testimonium ipsius ultro publica legatione decretâ & institutâ exquisivistis; *servemini,* id est testimonium istud ne spernatis, atque ita illi credendo, ac proinde me pro servatore vestro recipiendo salutem consequamini.

Vers. 35. *Ille erat lucerna ardens.* Comprobat superiorem sententiam, ut ostendat magnam isti testimonio inesse authoritatem, nec se illo non egere, quia illud levis momenti esse putaret. Quasi dicat; Et ipsi etiam isti testimonio vos omnino fidem adhibere debetis: Magnus enim iste vir fuit, illustre in populo Dei lumen. Metaphora Sacris Literis usitata, qua res & personæ præstantes ac à Deo dilectæ lucis nomine vocantur. Facit id ad Iohannis munus & functionem commendandum. Rem autem eandem quòd vir insignis & excellentibus a Deo donis ornatus esset, non contentus his vocibus *lucerna ardens* expressisse, addit explicationis & majoris ut ita dicam intimationis causa, *& lucens.* Hoc verò ipsorum etiam testimonio comprobat. Sed ita ut simul illorum perversitatem perstringat.

Vos autem voluistis ad horam exsultare in ejus luce. Quasi dicat; Quod quidem & vos agnovistis, nec negare potestis vos gavisos esse tanto in vino conspectis dotibus, magnique illum fecistis, & ad illum quid facto opus esset, exquirentes convenistis. Verum quæ vestra perversitas est, & quod erubescere debetis, ad horam, id est citò iste affectus bonus in animis vestris resedit, vix ad momentum duravit, statim in illo zelo deferbuistis, qui si ut debebat diutius in vobis fuisset, nè vos & meorum dictorum veritatem conspiceretis, & vestræ saluti melius consuleretis.

Vers. 36. *At ego testimonium habeo majus Johannis.* Non Iohanne, ut vetus interpres vertit, quod observarunt etiam alii. Sequitur Apodosis imparium, quam per particulam adversativam At subjungit antecedentibus. Quia Iohannem ipsum laudaverat, ac proinde testimonium ipsius: quasi rationem simul reddens cur nihilominus ipsius testimonio non egeret, quia videlicet majus haberet. Quasi dicat: Magnum quidem est hoc testimonium, & dignum cui vos acquiescatis; magnus enim ille vir fuit, & insigne populi Dei lumen; non tamen ego illo coram vobis nitor: quia longe luculentius & amplius habeo. Quodnam autem illud sit, exprimit statim, *opera enim* nempe illa miraculosa, tot & tanta, ac cum bono hominum perpetuo conjuncta, *quæ dedit mihi pater,* id est, quorum edendorum facultatem & jus tradidit, imò *ut ea perficerem,* mandavit ac præcepit, *testantur de me,* id est demonstrant & ostendunt. Testari enim propriè nonnisi personarum est, *quod pater miserit me,* id est quòd ego sim filius Dei, & hanc de qua superius disserui potestatem judicandi habeam. Et hic enim videtur vox mittendi latiùs sumi quàm ut solam missionem proprie sic dictam significet. Miracula igitur Christi, fuerunt testis ille intaminatæ fidei.

Miracula inquam, ut Christus addit, quæ ipse fecit, & numero multa, & amplitudine magna, ac omnem vim creatam, qualis est Satanæ, excedentia. Quod ideo repetimus, ut obstruatur os illis qui quum nec tot nec tanta miracula hodie ciere possint, illis tamen se jactitant, & ab illis authoritatem Ecclesiæ suæ adstruunt. Ut taceam nunc præsupponi à Christo tacitè, non illa miracula ideo à se patrata fuisse, ut homines à Deo ad idola traduceret. Scimus enim præmonitos esse Israëlitas à Domino, ne tales prophetæ, utut magna signa ederent, fidem apud homines invenirent.

Vers. 37. *Et qui misit me Pater*, &c. Verba subobscuriora, & varias ab interpretibus explicationes sortita. Quidam enim testimonium id Patris referunt ad testimonia Scripturæ veteris instrumenti de Christo: nonnulli ad id quod contigisse in baptismo Christi legimus. Sed quum illa de Messia quidem testentur, Messiam autem esse Jesum non indicent: hoc verò non sit verisimile omnes vidisse, ut illo loco docuimus; obscuro satis & ad eludendum facili usus fuisset testimonio: quum tamen Patrem in testimonium advocaturus, maximè illustre & omnibus notum proferre debuisset. Videtur igitur dicere, eo ipso Patrem testari, quia illa miracula ipse faceret, quorum faciendorum ille jus ac facultatem Christo dederat. Quasi dicat, Atque ita ipse Pater qui me misit testatus est de me, quatenus videlicet mihi jus & potentiam ista miracula patrandi largitus est. Maluit autem præterito uti *testatus est*, cùm de operibus dixisset, *testantur*. Quod obesse huic interpretationi nostræ videri poterat, quia nimirum statim ac ipsi facultatem illam largitus est, imò eo ipso cùm illi eam daret testimonium istud ipsi perhibuit: essetque istud quod in præsenti de operibus asseruit continuatio velut istius quod in ipso statim muneris Christi exordio factum est.

Neque vocem ejus audivistis unquam. Eorum verborum cùm sensus tum nexus subobscurus est, & varie explicatur avariis. Omnium autem simplicissimus videtur iste, ut, quemadmodum supra innuimus, à fide dictis suis facienda sensim delabatur ad eorum redargutionem, malitiæque ac perversitatis ipsorum exprobrationem. Quasi dicat, Sed quid ego verba in cassum profundo, & vos testimonii hujus authoritate ad frugem revocare volo, de quibus non est sperandum ut illud recipiatis? cùm ipsum patrem meum non noritis, ideoque de tanti testis authoritate recte judicare non possitis. Verba autem *Neque vocem ejus unquam audivistis, neque speciem ejus vidistis*, etsi proprie alias intelligi & accipi possint, hic tamen proverbialem in se significationem continere videntur, ad denotandum quod penitus non norint Patrem: quia videlicet unumquemque vel ex ejus voce ac sermone, beneficio auditûs, vel ex specie exteriore, oculorum interventu cognoscimus.

Vers. 38. *Et sermonem ejus non habetis in vobis manentem.* Comprobat id quod asseruerat ab effectu: quod videlicet neque voluntatem Dei nossent, neque secundum eam viverent. Quasi dicat, Neque illud quod vobis præcipit curatis, aut sermo illius vos ulla ex parte afficit. Quod ipsum deinde ex eo comprobat, *quia quem misit ille huic vos non creditis*, id est mihi, doctrinamque meam pro vera & cœlesti recipere non vultis.

Vers. 39. *Scrutamini Scripturas.* Vox ἐρευνᾶτε indicandi est, non imperandi. Non enim hic mandat quid faciendum illis esset, sed tantum indicat quid facerent. Est enim hic versiculus cum superiore connectendus, ut ille adversativam hujus contineat. Pergit videlicet in exprobranda illorum perversitate & amentia; quam tanto majori digniorem ostendit reprehensione, quanto magis à propria conscientia convinci, & ad sanitatem mentis, si modò vellent, citius revocari possent. Quasi dicat; Et sanè mirum est, vos scrutari scripturas, *quia vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere*, id est, quia existimatis in illis esse descriptam rationem ac modum vitæ æternæ consequendæ, adeoque vos posse illarum ope vitam æternam consequi: *nec tamen vultis ad me venire*, id est me pro doctore & Messia vestro recipere, *ut vitam habeatis*, ut reipsa id consequamini quod in Scriptura quæritis. *Et illæ sunt quæ testantur de me.* Cum Scriptura ipsa vos ad me mittat, & eo ipso quum Messiæ, ideoque mihi testimonium perhibet, vobis indicat ut me consulatis, qua tandem ratione id quod in ipsa anxie quæritis, consequi possitis. Ex quo tanto major apparet contumacia vestra. Non dicit autem simpliciter, quia in ipsis vitam æternam habetis, quod verum est quatenus Scriptura veteris testamenti digitum intendit ad Christum, qui vitæ æternæ consequendæ rationem nobis aperit: sed *vos videmini*, quia videlicet non eatenus in Scriptura vitam æternam seu rationem illam consequendi contineri putabant, quatenus illa ad Christum mittebat, sed simpliciter quasi in lege Mosis contineretur: ut qui nonnisi terrena quæque de Messia somniarent; & terrenum aliquem regem futurum existimarent. Ex quo etiam illud pariter perspici potest, quàm elumbe sit argumentum ex hoc loco probantium, vitam æternam in veteri fœdere esse promissam, idque in Scriptis illis contineri. Primò enim non asserit hic Christus, vitam æternam in illis contineri, sed tantùm ita suis adversariis visum esse. Deinde utut contineretur tanquam promissa, non tamen sine Christo promissam esse ostendi posset, cùm manifeste Christus doceat, ad se omnino veniendum esse qui illam reipsa habere velit.

Vers. 41. *Gloriam ab hominibus non capto.* Nec hujus ac sequentis versiculi sensus in aperto est, propter concisam loquendi rationem. Censent vulgo occurri iterum cogitationi adversariorum Christi, qui poterant dicere, Christum ea dicere ut laudetur, & auram sibi populi colligat: se verò non posse id in illo ferre, quum gloria Dei sit ipsis omnibus hominibus ac rebus antiquior. Utrumque igitur putant hic negari à Domino. Sed simplicior videtur futurus sensus, si dicamus, Dominum instar epiphonematis cujusdam concludere superiora. Quasi dicat, Ita igitur jam videre potestis, me gloriam ab hominibus non captare. Videtur enim respicere ad illa verba, *ego autem non ab homine testimonium accipio*, quum tanti testis authoritate & advocatione me tueri possim. Verum quicquid ego dicam, nihil id vos movebit, neque afficiet, quia *novi vos charitatem Dei non habere in vobis*: id est probe mihi cognitum & exploratum est, vos utut id præ vobis feratis, non amare Deum. Charitas Dei passive ut patet respectu Dei hic est accipienda.

Vers. 43. *Ego veni in nomine Patris*, &c. Insistit cæptæ objurgationi, & improbitatem illorum exaggerat, à contrario ostendens, ita illos esse comparatos, ut qui Christum authoritate Patris munitum spernerent, parati essent recipere impostores, qui ad ipsos nulla cœlitus authoritate instructi, proprio motu & arbitratu venirent. Possunt autem ista verba superioribus annecti, ut ab effectis Christus probet illos charitatem Dei in se non habere. Secundùm priorem acceptionem sensus erit ejusmodi: Tanto autem detestabilior est hæc vestra improbitas, quòd me qui venerim in nomine Patris non recipitis, & tamen ita comparati estis, ut alium qui, &c. Secundùm posteriorem talis: Nullam autem vobis in eo à me injuriam fieri, & recte hoc à me vobis objici, genius iste vester & inductio animi luculentissime testari potest. Me enim *non recipitis* id est mihi non creditis, me pro doctore & Messia vestro non habetis, qui *veni in nomine Patris mei*, id est qui vos alloquor authoritate Patris, à quo sum ad vos missus, & qui mihi hoc munus vos erudiendi & ad pœnitentiam vocandi demandavit. Interim verò tales estis, ut ex moribus vestris id apertissime colligi possit, vos recepturos alium, illique fidem & assensum commodaturos, si venerit *in nomine suo*: id est, si nullo cœlesti mandato & authoritate revera nixus, utut id præ se tulerit, provinciam vos docendi, & ad sui cerebri figmenta vos pertrahendi arripuerit. Loquitur ingenere de omnibus impostoribus & pseudodidascalis, qui vocationem & missionem aliquam divinam jactarent, revera tamen ea carerent, & etiamsi missi non essent, & propriæ tantum voluntatis cœstro perciti, provinciam

aliis

aliis præeundi, & suis phantasmatis eos irretiendi capesserent. Ut enim *venire in nomine Patris*, est non solùm id præferre, sed etiam revera esse missum à Patre, & instructum jure atque authoritate, seu Patris authoritate, homines alloqui; ita *venire in nomine suo* est non esse revera à Patre missum, nec ulla ab ipso homines alloquendi authoritate instructum, sed ex propria id libidine facere, utut illud obtendatur. Semper enim hoc subaudiendum est, cùm de istis impostoribus agitur, qui nunquam ita candide cum hominibus egerint (neque enim operæ pretium tulissent) ut à se illa conficta esse dicerent quæ hominibus ingerebant, sed semper suis somniis superiorem vim obtenderunt, & cœlesti revelatione pruriginem improbæ temeritatis suæ palliarunt.

Vers. 44. *Quomodo vos potestis credere.* Altius ascendit, & ipsius illius fontis quem vers. 42 tetigit, ex quo incredulitas illa profluebat, venam aperit, nempe ambitionem & gloriolæ humanæ sitim. Quasi dicat; Et quid mirum vos charitatem Dei in vobis non habere, cùm vosmet ipsos tantopere ametis, & non ut à Deo laudemini & approbemini curetis, sed in eo solo tantum sitis toti ut alii aliorum laudem & approbationem mercamini: hoc unicum vobis in voto est digito monstrari & dicier hic est. Qui autem sunt tales, non est ut ab eis fidem in me exspectes. Vel si mavis, ita: Quid multis opus? Cùm vos & mores vestros intueor, ne posse quidem vos mihi credere quandiu tales estis, video. Itaque non est quod vos testimonio isto quod jam protuli, ad adjungendum verbis meis fidem ulterius compellam. *Quomodo potestis credere?* Id est non potestis credere, scilicet mihi, & testimonio isti. Vox credendi supposita est pro voce recipiendi, qua superius est usus. Non posse autem eos credere dicit, non simpliciter, quasi id prorsus esset impossibile: Poterant enim si vim sibi facere & ambitione desistere voluissent; sed secundùm quid, & naturâ morum (quos alioqui deponere poterant) gloriolæ videlicet captandæ studio, inspectâ. Quod genus impossibilitatis notavimus etiam. ℣. 30.

Qui gloriam ab invicem accipitis, id est qui id tantùm satagitis ut ab aliis laudemini, nec id cogitatis, ut legem Dei implentes ipsi placeatis, sed ut pro talibus qui legem Dei implent, adeoque Deo placent, vulgo habeamini: denique os populi meruisse, hoc vobis palmarium, hæc summa votorum est. Ita existimatio apud homines, & opinio de vestra sapientia & pietate, cynosura vobis est & helice, ad quam cursum vitæ vestræ dirigitis. Exprobrat id Dominus Pharisæis etiam alibi. *Accipitis* autem ponitur pro captatis & venamini, ut etiam superius vers. 34. & 41.

Et gloriam quæ à solo Deo est non quæritis. Id est, interim tamen gloriam illam veram, & quæ unicè vobis quærenda erat, nihil curatis: id est laudem & approbationem divinam ex eaque promanantem favorem ejus, ac denique summam felicitatem vestram. Porro advertendum, lectionem Græcam paulò aliter se habere atque illam nobis interpretatio Latina exhibet. Etenim ita legimus, καὶ τὴν δόξαν παρὰ τοῦ μόνου Θεοῦ οὐ ζητεῖτε. Quæ verba ob vim articuli τοῦ ante vocem μόνου positi, ita debere locum istum verti docent, *& gloriam quæ* (est) *ab eo qui solus est Deus, non quæritis*: sensu plane diverso ab eo quem nobis omnium interpretum versio exhibet, *& gloriam quæ est à solo Deo non quæritis.* Illa enim cùm particula exclusiva eum tantùm à quo gloria proficiscatur describat, nihil determinat de quali & quanta gloria loquatur, tantùm unde proficiscatur indicat: hæc autem perfectionem gloriæ omnino denotat. Etsi autem ista etiam tolerari possit, quasi articulus τοῦ aut sit infartus, aut potius transpositus; satius tamen est illam sequi, propter eam quæ antecessit vocis gloriæ significationem, quam nihil erat necesse mutare, & generalius ad certam speciem adstringere: ut sensus sit, illos favorem hominum & approbationem venari & colligere, de favore autem Patris sui qui tamen solus sit Deus, eoque omnibus omnino hominibus jure opponi possit & debeat, securos esse. Participiorum verò cum verbis positionem habes cùm alibi tum Ephes. 1. 20.

Vers. 45. *Ne putate me accusaturum vos.* Occurrit tacitæ adversariorum suorum cogitationi, qui illa audientes, hæc poterant animo volvere: Ex hac quidem tua ratiocinatione promtum est colligere, te si tui res sit arbitrii, nos facile in odium apud Deum vocaturum atque adeo nos coram illo accusaturum. Sed est Moses à partibus nostris, cui Deus ipse locutus est, & per quem fœdus nobiscum pepigit. Incassum igitur minas istas jacis, & delicias facis cùm ista dicis. Quare occupat Dominus, & utrumque istorum ita repellit, ut in adversariorum caput retorqueat. Non necesse videlicet esse ut ipse demum eos apud Patrem accuset. Esse enim alium qui prior illos sit accusaturus, atque adeo iste ipse Moses, cujus advocationem sperarent, & quo se patrono tantopere tuerentur. Notandum autem primo cùm dicit, *ne putate me accusaturum*, non eam esse vim sermonis hujus, quasi neget se omnino accusaturum, id enim ut mox apparebit, contra est; sed quod ad illos condemnandos, & gratiâ Dei excludendos, non sit necesse ut ille demum accuset, quemadmodum jam indicavimus, & ante nos explanarunt alii. Deinde voce accusandi improprie usus est Dominus: nec enim proprie necesse est, aliquem ad Deum tanquam ignorantem quid rerum inter homines geratur, deferre. Nullus enim proprie delatoribus & delationibus locus ubi omnia perfecte & exacte sciuntur. Sed metaphorâ ista exprimere voluit, quòd quemadmodum delatores in causa sunt ut nefaria facta puniantur, ita isti qui homines apud Deum accusare dicuntur, in causa sint cur Deus judicia sua in illos effundat. *In quo vos sperastis.* Id est in quo vos omnem fiduciam vestram collocastis, & cujus vos patrocinio tutos fore speratis. Non expressit autem causam apertè cur ille in causa futurus esset illorum condemnationis, sed insinuavit versic. subsequente: quia videlicet non crederent ipsi Christo. Id quod probat, dum subjungit;

Vers. 46. *Si enim crederetis Mosi, crederetis mihi*, id est, Hoc autem locupletissimum est documentum vos frustra Mosis patrocinium vobis polliceri, neque adeo ipsi credere, utut id jactetis & præ vobis feratis, quia mihi non creditis & meam doctrinam aspernamini. Vox *credendi* latius hic usurpatur, quàm ut ad certam materiam, puta illa quæ Moses de Christo scripsit restringatur. Negat videlicet simpliciter eos Mosi revera credere, utut illo gloriarentur. Argumentum ex eo sumit, *nam ille de me scripsit*, puta tum alia, tum inprimis verba Jacobi Patriarchæ benedicentis Judæ referens, & prophetam instar ipsius Mosis suscitandum ex Israëlitis, repromittens. Vis argumenti Christi in eo consistit, quia non sit possibile, ut aliquis ex animo fidem Mosis doctrinæ adhibeat, id est secundùm eam mores & vitam suam componat, nec tamen Christum, ea vitæ innocentia præditum, tam sanctam & salutarem doctrinam populo annunciantem, inprimis verò tot prodigiosis signis & miraculis conspicuum, recipiat, legens præsertim in Mose tale quid olim à Deo Israëli promissum esse, & sciens hanc sub illa tempora universi populi exspectationem fuisse, ut jam jam instare tempus præstandæ illius promissionis existimarent. Quibus addendum & illud est, receptum tunc inter Doctores populi Israëlitici fuisse, reperiri multa loca in Mose, quæ utut sensum literalem alium præ se ferrent, mystico tamen ad Messiam omnino pertinerent, & de illo primario prolata essent. Atque ex his rectissime tandem concludit Dominus:

Vers. 47. *Quod si scriptis illius non creditis*, in quibus videlicet apertam de Messia promissionem contineri creditis, impleri autem ista in me videtis; *quomodo verbis meis credetis?* Non est quod ego sperem, me vobis fidem in me persuasurum, & vos ad mentis sanitatem revocaturum. Argumentum est à magis verisimili

risimili ad minus verisimile. Si enim quod magis verisimile est, non est, neque id quod minus verisimile est erit. Magis enim verisimile est Judæos legi Mosaicæ innutritos & ei ab incunabulis assuetos, quamque cum ipso lacte materno suxerint, legislatoris sui quo sæpe unice efferrent scriptis quæ pro intemeratis haberent assentiri, quàm Christi verbis, utut tot miraculorum irrefragabili testimonio esset munitus, quia doctrinam illis novam videbatur afferre: præmonitos autem jam se putabant in lege, ne temerè, surgentibus prophetis crederent. Et alioqui nescio quomodo semper novitas suspecta cordatioribus esse solet, tantaque est consuetudinis à multis retro seculis inolitæ vis ac authoritas, ut vel errare plerique cum antiquitate malint, quàm cum recentioribus sapere.

CAP. VI.

CApitis hujus partes duæ sunt: quarum utraque rursum duo membra habet. In priore enim duo miracula narrat Euangelista, quorum unum ad maris littus, alterum verò in ipso mari patraverit Dominus. In posteriore verò etiam duo colloquia, quorum unum alterius causa & occasio fuit.

Pars prior extenditur ad vers. 22. Membrum verò ejus prius ad vers. 16.

Prius prioris partis membrum continet miraculum Christi cibatorum quinque millium hominum quinque panibus & pisciculis duobus. Cujus narrationem persequuturus Euangelista; primò circumstantias memorat, temporis, quando, & loci, in quo factum est, & occasionem qua Christus impulsus est ad illud faciendum. Deinde quomodo ipsum miraculum factum sit indicat. Tandem ea quæ illud sunt consequuta aperit. Circumstantia temporis primo voculâ *post-hæc* insinuatur, id est post illud colloquium quod Christo cum adversariis suis sub festum Pentecostes, ut volunt quidam interpretes, intercessit. Quod tamen non ita accipimus quasi hoc miraculum continuò & sine ullius alterius rei interventu isti colloquio successerit; contrarium enim videtur ex aliis Euangelistis colligi posse: sed simpliciter quòd post illud factum sit. Notandum autem, non sine causa S. Iohannem qui consultò abstinuit in sua narratione historica ab iis quæ alii memorant, hujus tamen & subsequentis miraculi meminisse. Propositum videlicet ipsi fuit omissa ab aliis euangelistis referre. Docuimus enim supra illum ultimò omnium ad scribendum euangelium accessisse, idque ut verisimile est, postquam aliorum quæ nunc exstant scripta vidisset. Atqui isti utut constanter hujus miraculi meminerunt, nullam tamen mentionem faciunt ejus quod propterea plebs Jesum salutare regem voluit: imò nec totius istius sermonis cum turba ista habiti, ex occasione miraculi istius orti: cum igitur ob illam causam, tum vel maxime ut sciretur ex qua occasione ad ejusmodi sermonem de pane mystico descenderit, cùm ipsum miraculum persequitur, tum omnia quæ inter illud & colloquium ipsum, continuo velut tractu intercesserunt. Nisi quis & illud attendisse Apostolum putet quod ipse de sermone Christi ad Philippum injicit, & prætereunt alii. Sed hoc fortè minutius est. *Abiit Jesus* Jerosolymâ videlicet egressus est, & abiit *trans mare Galilææ*, id est sinum lacus Genesaret, vel promontorium quoddam ejus prætervectus est. Non enim voculam *trans* significare quasi Dominus totum omninò illum lacum trajecerit ex S. Luca patet, qui idem miraculum referens asserit illud factum esse ad Bethsaida. Atqui Geographicæ tabulæ ostendunt in eadem continente sita esse Jerosolyma cum Bethsaida. Verisimile igitur est, Dominum, quum pedibus parcere, vel etiam solus cum discipulis suis esse vellet, navem inscendisse, & mari ad illum locum vectum, sinum quendam ejus trajecisse, sed ita ut promontorium etiam aliquod prætervehereturus. Quod est colligere ex eo, quia S. Marcus narrat turbam ipsum pedibus antevertisse, quod fieri non posset si recto & non flexuoso sinu illuc trajecisset. *Tiberiadis* id est, quod est *Tiberiadis*. Vox enim ista referenda ad vocem θαλάσσης, id est, quod vocatur etiam mare Tiberiadis, ab urbe sic dicta. Jam lacus etiam ab Hebræis maria vocari notum est. Pertinet id ad circumstantiam loci.

Vers. 2. *Et sequebatur eum turba multa.* Videlicet quum cognovisset ut Marcus addit, & conjecisset quò is se conferret. *quia videbat ejus signa* Causa impellens cur ipsum sequeretur.

Tertiò loco jam incipit occasionem facti miraculi referre.

Vers. 3. *Subiit verò in montem Jesus*, qui videlicet prope esset, *& ibi sedit cum discipulis suis*, ut videlicet cum illis separatim colloqueretur & requiesceret. Et id ad circumstantiam loci pertinet.

Vers. 4. *Prope autem erat Pascha.* Id ad circumstantiam temporis spectat, & est velut in parenthesi scritum legendum; nam superius suum locum habuit. Cujus velut ibi oblitus, hîc inserit: non tam propter Judæos, quàm propter alios. Scripsit enim, ut consensus est omnium, in Asia, ideoque addit, *festum Judæorum*, terminum vocis Paschæ explicans, cujus explicationis non egebant Judæi, sed & nobis alias est notus.

Vers. 5. *Quum ergo sustulisset oculos.* Jam propius accedit ad occasionem & causam impellentem: cujus tamen non ita exertè meminit atque alii Euangelistæ, proculdubio quia ab ipsis esset satis exposita. Sustulisse autem oculos idem hîc significat quod vidisse: non quia semel tantum oculos sublevarit, sed quia subinde id fecerit. Sequentia enim, *& conspexisset turbam multam ad se venire*, ita accipimus, quasi turba ista non simul sed catervatim adventaret, prout quisque pedibus valeret. Unde etiam antevertisse legimus. Porrò in relatione istius occasionis videtur nonnihil Johannes abire à cæteris, qui constanter indicant, discipulos accessisse Dominum & rogasse ut illos comparandorum ciborum causâ dimitteret. Matthæus autem etiam addit, Christum visis illis misertum illorum esse, & ægrotos illorum sanasse. Quorum utrumque noster reticet, & occasionem videtur ipsi Christo tribuere, qui Philippum interrogaverit, *unde ememus panes ut isti vescantur?* Sed conciliari nullo negotio possunt. Quia enim quod alii omiserant referre, & quod illi retulerant omittere decretum fuerat Johanni; statuendum, à discipulis quidem ortam occasionem, qui ad Dominum accesserint, & missionem turbæ à Domino petierint, Christum autem audito illorum sermone alloquutum esse Philippum.

Vers. 6. *Hoc autem dicebat*, nempe ad Philippum. Refert in parenthesi causam cur ita Philippum esset alloquutus, *tentans eum* nempe explorandæ ipsius fidei, num id fierri posse, & quidem à se cujus tam multa antea signa & prodigia viderat, censeret.

Ipse enim sciebat, id est, non quod illius consilium exquireret, quo ipse destitutus esset, aut quid facto opus esset ignoraret. *Sciebat enim*, causam allocutionis falsam removet, & veram ponit.

Vers. 7. *Respondit ei Philippus.* Elicuit vocem animi testem, & fidei adhuc expertem. Ait enim, *Ducentorum denariorum &c.* Quasi dicat, Impossibile id est Domine. Nam si ducentis denariis panes emantur, vix suffecerint ut aliquid tantùm de illis gustent, nedum saturentur. Tantam autem pecuniæ summam unde nos habeamus? Denarius octavam partem Joachimici seu thaleri imperialis valuit, ut observarunt etiam alii.

Vers. 8. *Dicit ei unus ex discipulis ejus*, nempe Apostolis, Apostolus etiam ipse, ut statim explicat Euangelista, dum addit, *Andreas frater Simonis Petri.* Contractius ista tradunt cæteri Euangelistæ, ideoque noster istorum meminit. Facit autem id ad meliorem notitiam undenam fuerint isti panes, postmodum miraculo multiplicati.

Vers.

Verſ. 9. *Eſt puer unus hic*, nempe in iſta turba, ſive unus ex illis qui huc ad te confluxerunt. *Qui habet quinque panes*, nempe venales. Veriſimile enim eſt turbam etiam comitatos fuiſſe qui venum exponerent, quemadmodum aliàs fieri ſolet ut populi multitudinem tales ſequantur. Neque probabile eſt, iſto ſermone uſuros fuiſſe, ſi aut puer iſte aut etiam panes, alicujus ex Apoſtolis eſſent. Et optimè id quadrat cum illis Philippi verbis, Ducentorum denariorum panes non ſufficient eis. Ita omnibus quæ anteceſſerunt miraculum diſertè expoſitis, jam accedit ad ipſum modum quo Chriſtus in eo patrando eſt uſus.

Verſ. 10. *Dicit ergo Jeſus, facite ut iſti diſcumbant.* Diſcumbere initiò illos jubet, ut doceat ſe velle illos cibare. Diſcumbendi enim & accumbendi ritus cibis capiendis erat proprius. Quia verò multi erant, jubet Apoſtolos ut ipſi imperent illis accubitum.

Addit Apoſtolus, *Erat autem gramen multum in eo loco*, ut doceat locum accubitioni epulari fuiſſe non incommodum.

Tertiò indicat illos paruiſſe, *diſcubuerunt ergo viri.* Viros proprie accipit; nam fœminas & pueros non fuiſſe numeratos, diſerte addunt reliqui Euangeliſtæ.

Jam quod dicit *quaſi quinquies mille* propterea facit ut doceat non ita fuiſſe numerum illum exquiſitum, quin aut ſuperfuerint aut etiam defuerint aliquot, & oſtendat ſimul, ita populum illum numerari hìc atque vulgò fieri ſolet, cùm certus numerus ponitur, etiamſi non adeo accurate. Addit Marcus accubuiſſe ſigillatim per areolas, partim centenos, partim quinquagenos, ob commodiorem diſtributionem panum, ne cui forte fieret injuria. Et hoc eſt unum ex illis quæ in modo iſtius miraculi perficiendi conſideranda ſunt.

Verſ. 11. *Accepit autem illos panes Jeſus.* Alterum ex illis quæ in patratione miraculi fecit Jeſus, nempe quod panes *accepit* ſcilicet in ſuas manus. *Et gratias egit*, nempe Deo Patri: eodem ſenſu cæteri dicunt ſuſpicientem in cœlum benedixiſſe. Idem enim eſt hoc loco benedicere quod gratias agere. Etſi S. Lucas cùm expreſſe dicat Chriſtum benedixiſſe eis, id eſt panibus, videatur aliquid amplius exprimere voluiſſe. Id enim eſt quòd iſta gratiarum actione panes iſtos conſecraverit, & puros ac ad veſcendum idoneos præſtiterit. Aperte enim Apoſtolus ait, nihil rejiciendum eſſe, puta ex cibis, quod cum gratiarum actione percipitur, quia ſanctificetur per verbum Dei & orationem. 1. Tim. 4. 4, 5.

Diſtribuit diſcumbentibus ut habet vulgata verſio. At Græci codices modum aperte exprimunt, *dedit diſcipulis, diſcipuli autem diſcumbentibus*. Id enim ab eis commodius præſtari poterat, adeoque etiam fieri debebat, ut illi circumeuntes ſingulos nemine præterito, tantum porrigerent quantum unicuique erat opus. Hoc eſt tertium ex iis quæ in ipſa miraculi patratione facta. In quo jam ipſum miraculum quod mox exprimet Apoſtolus, perfectum eſt.

Cùm autem quæri hic ſoleat, utrum panes iſti in Chriſti, an verò in ipſius turbæ manibus, imò etiam ore creverint; dici non abſurde poteſt, ubique illos creviſſe. Et primò quidem in Chriſti manibus, quem majores bucceas veriſimile eſt porrexiſſe, velut partem demenſi, aut etiam integrum demenſum uniuſcujuſque; tum in ipſius turbæ etiam, quà manibus quà ore, & dentibus: ut nec adeo diminueretur bolorum panis quantitas, licet ex illo dentibus ſubinde detraherent, & plus etiam roboris ad implendos eos haberent quàm naturaliter ſolent.

Verſ. 12. *Ut ergo expleti ſunt*, id eſt ſaturati. Addit id, ut doceat non tantum guſtaſſe omnes de illis panibus & piſcibus, ſed etiam illis ſaturatos fuiſſe. Et hoc unum eſt quod magnitudinem miraculi iſtius arguit. Alterum quod illam exaggerat, exprimitur in ſequentibus, cum ait, *dixit Jeſus diſcipulis ſuis, colligite quæ ſuperfuerunt fragmenta.* Neque enim frugalitatis ergò, quod aliqui colligunt ex additis à Chriſto verbis, *ne quid pereat*, id fieri mandavit Chriſtus; ſed ad majorem iſtius miraculi amplitudinem oſtendendam: quod videlicet de tam pauculis panibus & piſciculis, non guſtarunt tantum tot hominum millia, ſed ſaturati etiam ſunt omnes atque expleti: nec tantum ſaturati, ſed plura fuerunt panum fragmenta, quàm ipſorum panum ratio naturaliter ferre potuiſſet.

Verſ. 13. *Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos.* Cur hìc duodecim cophini reſtant, ubi pauciores erant panes, & piſciculi, aliàs verò cophini ſeptem, ubi panes erant plures, videlicet ſeptem? Ratio ſimplex (cùm adferri poſſit & illa quod libera Domino erat diſpenſatio multiplicationis iſtius) eſt, quod plures hic erant comedentes, quàm ibi: Unde cùm longe plura neceſſe fuerit eſſe fragmenta in quæ frangebantur illi panes, plura etiam debebant eſſe reſidua: ſiquidem veriſimile eſt unicuique illorum cui porrectus erat ille panis, aliquid de illo ſuperfuiſſe, ad ſignificandum unumquemque ad ſatietatem de illo comediſſe.

Verſ. 14. *Illi ergo cùm vidiſſent ſignum*, id eſt miraculum iſtud. Jam deinceps perſequitur, quis fuerit iſtius miraculi eventus, & quæ illud ſubſecuta ſint. Sunt autem numero tria. Primum eſt ſententia turbæ de Chriſto. Alterum intentio & propoſitum illorum. Tertio factum Chriſti, quo propoſitum illorum fecit irritum. Primum exprimitur in hoc verſiculo, quòd animadvertentes quid ſecum Chriſtus feciſſet, ex miraculi magnitudine colligebant, *Hic eſt verè propheta ille qui venturus erat in mundum.* Id eſt, hic eſt magnus ille patribus noſtris olim promiſſus propheta, nempe Meſſias. Audiverant enim proculdubio à ſuis ſenioribus ſive etiam ipſi legerant, Meſſiam in cujus adventum tunc erant omnes erecti, cum ſignis & miraculis venturum. Adverte autem, turbam hanc, licet ab idololatria alienam, nihilominus tamen non illud quod nunc vulgò ſolent ex iſto miraculo colligere, Chriſtum eſſe naturâ Deum altiſſimum, ſed tantùm eſſe illum prophetam: & utut Meſſiam è cœlo ut carnem humanam aſſumeret deſcenſurum non arbitraretur, venturum tamen in mundum aſſerit. Videlicet non ea tum phraſeos *veniendi in mundum* notio fuit, nec ea poteſtatis miranda faciendi vis, ut hæc quidem eſſentiam divinam, illa autem incarnationem Chriſti argueret.

Verſ. 15. *Jeſus ergo*, &c. Secundum & tertium eorum quæ ſubſequuta ſunt miraculum, ſimul connectit Euangeliſta, quia illud hujus iterum erat cauſa, quemadmodum primum ſecundi. Eſt autem illud quod id animo agitarent, aut etiam forte jam inter ſe conſilia de eo conferrent, ut ad Chriſtum venirent, *& ipſum correptum facerent regem.* Hoc verò, quod *cum noſſet Chriſtus* nempe miraculoſe & ſine ullius indicio, non habebat enim opus ut illi quiſquam teſtaretur de homine, ut qui ipſius etiam cordis cogitationes noſſet, *ſeceſſit rurſus in montem ſolus.* Id eſt quemadmodum è monte ubi antea quieſcebat, ad illos cibandos deſcenderat, ita poſtquam ejuſmodi illos conſilia agitare deprehendit, ſubduxit ſe illis antequam plane in id omnes conſentirent, aut etiam aliquid tentarent, & quod animo deſtinaverant reipſa aggrederentur. Quæri autem hic ſolet, an ſeceſſerit ab illa turba ita ut ſe illis in momento redderet inconſpicuum. Veriſimile eſt nihil ejuſmodi hìc à Domino factum: ſed ita Chriſtum egiſſe, ut licet illum turba ſecedere videret, nihil tamen ab illo tale quod evenit tentari, ſubodorari poſſit. Teſtantur enim alii Euangeliſtæ, Chriſtum primò coëgiſſe diſcipulos ſuos ut navem ingrederentur, & ſe antecederent, antequam ipſe turbam dimiſſet. Ex quo colligere poterant illum ad ſe rurſum rediturum. Nec obſtat quod iidem teſtantur, illum dimiſſa demum turba ſeceſſiſſe. Poſſunt enim iſta conſiſtere. Chriſtum videlicet turbæ dixiſſe, poſſe jam illos abire, & ita voce ſua illos dimiſiſſe, & ſtatim ab eis in montem ſecedere cœpiſſe: & tamen illos ut ut ipſum à ſe abire viderent, nihil de eo quod ipſe cogitabat ſuſpicatos eſſe, quia videlicet, ut mox dicemus, adhuc

secum esse viderent discipulos ejus; & utut abiissent, ipsum tamen cùm nulla navis superesset, negotio propter quod secedebat absoluto, ad se rediturum. Quod autem secessit *solus*, & non cum discipulis, factum videri potest propterea, ne aut quod animo agitabat illi persentiscerent, aut etiam illum in loco illo, cogitata perficere volentes, quærerent: quod facturi videbantur, si illum unà cum discipulis aut secedere aut etiam secessisse animadvertissent. Ita videlicet Christus rem temperavit, ne quid illi cupidius in primo impetu facere attentarent, & interim affectus iste illorum sensim in ipsis morâ ipsâ, dilabentibus aliis ut fit aliò, refrigesceret.

Vers. 16. *Ut autem serum diei factum est.* Continuata narrationis serie transit ad alterius miraculi, vel potius miraculorum narrationem. Plura enim simul fuisse mox patebit. Quod hic à Johanne præter suum (ut qui ab aliis memorata prætereat) morem, narrari diximus, ut integram historiam haberemus ejus quomodo ad illud colloquium fuerit perventum, quod ipse sibi præcipue memorandum proposuisset. Cumque panibus cibati essent ad Bethsaida, colloquium autem intervenisset Capernaumi, referendum utique erat illud etiam quomodo illuc cùm Christus ipse & ejus discipuli, tum turbæ etiam illæ pervenissent. Trajectio autem quà Christi, quà discipulorum ipsius, ut mox videbimus facta est miraculose. Nunc illud animadvertendum, videri contraria his testari Matthæum, qui diserte scribit, Christum primo coëgisse discipulos trajicere, antequam turbam dimitteret, & postquam illam dimisit, deinde secessisse. Hic verò secessisse primùm ipse dicitur, postea demum discipulos navem conscendisse narratur. Sed re accuratis expensa, nihil hic contrarietatis esse deprehendemus: quia videlicet Matthæus mandatum Christi de trajiciendo discipulis datum commemoret, Johannes autem factum illorum exponat: & præsertim si temporis in quo ista à Christo dicta sunt, & à discipulis ejus facta, brevitatem consideremus. Cùm enim ut testantur alii Euangelistæ, dies jam ad vesperam inclinaret, quando turbas cibavit, & tot millium hominum saturatio aliquem temporis tractum requireret; necesse est jam vesperam appetiisse quando coëgit discipulos ut navem ingrederentur, id est, mandatum id illis dedit, & id illis injunxit, in se recipiens turbæ dimissionem. Cùmque illi jam iter molirentur, & aut in navem inferenda portarent, aut antennas solverent, vel etiam navem conscenderent, tum Christus se non morari turbam quominus discederet, dixit, & ipse sensim ad montem se contulit. Denique etiam ipso jam crepusculo discipuli secundùm Christi mandatum navem inscenderunt, & quia se jusserit antevertere, aquæ se commiserunt. Ita à Matthæo non tam id narrabitur quando præcise discipuli trajecerint, quasi Christi à turba secessum anteverterint, sed quo jure illi non exspectato Christo, postquam ille secesserit, navem ingressi aquæ se commiserint.

Vers. 17. *Et ingressi navem* scilicet discipuli. Jam ipsam trajectionem discipulorum narrare ingreditur: in qua tria ut mox apparebit miracula evenerunt, & occasione illius quartum. Jam quod dicit illos ivisse *trans mare* id ita accipiendum atque versiculo primo, quòd videlicet sinum alium lacus istius trajecerint. Et Bethsaida, ad quam docuimus miraculum cibationis factum, & Capernaum, in eadem lacus istius ripa sunt sita. Primùm hic oritur difficultas ex eo, quòd Marcus videatur asserere, Christum coëgisse discipulos ut navigium ingressi præirent Bethsaidam. Quod si ita est, quomodo miraculum illud ad Bethsaida est factum? Item testatur idem Marcus, imò etiam Matthæus, eos egressos esse in terram Genesaret: quomodo igitur verum erit illos navigasse Capernaumum? quod hic asserit S. Johannes. Sed hoc nullo negotio ita conciliatur, ut dicamus S. Johannem accuratissime hic loquentem, & colloquium propter quod ista scribebat ob oculos habentem, ultimum terminum illius itineris exprimere voluisse, ad quem eundum esset per Genesaret: alios verò tantum terminum navigationis explicuisse. Nisi quis malit, illos cùm potuerint navigio Capernaumum appellere, vi tempestatis ad Genesaret appulsos, illic navi egressos, reliquum itineris pedibus Capernaumum confecisse. Sed major difficultas in priori, quam conatur tollere Piscator, in suis ad hunc locum Scholiis. Summa est, verba Marci πρὸς βηθσαϊδὰν aut esse jungenda cum verbo ἐμβῆναι, ut notetur locus apud quem discipuli navem debuerunt conscendere; aut cohærere cum proximè præcedentibus, deficiente articulo τὸ, quasi scriptum esset, εἰς τὸ πέραν τὸ πρὸς βηθσαϊδὰν, ac proinde vertendum, in ulteriorem ripam, Bethsaidæ oppositam.

Jam autem tenebræ erant, id est nox: additur id propter sequens miraculum, ut doceatur illos solos noctu navigasse. Testatur enim Matthæus, quartâ demum vigiliâ Dominum ad illos profectum esse.

Vers. 18. *Et mare vento magno*, &c. Et id propter alterius miraculi, ut mox videbimus, relationem adjectum. Docuimus enim multa simul prodigiosa circa hanc navigationem contigisse. An verò ventus iste naturaliter fuerit exortus, an supernaturali aliqua vi excitatus, supervacuum est quærere, nec potest definiri: & utrum libet fuerit, res eodem recidet, in magno vitæ periculo fuisse discipulos Christi. Diserte enim ait Matthæus & Marcus, *Navigium verò jam in medio maris erat vexatum à fluctibus: nam ventus erat contrarius.* Magnitudo autem periculi istius patet, cùm ex eo quod Matthæus dicit, eos in medio tum mari fuisse jactatos, tum ex eo quod quartâ demum vigiliâ Christus ad eos accesserit.

Vers. 19. *Provecti vero quasi stadia viginti quinque aut triginta*, id est circiter. Matthæus dicit eos in medio mari fuisse cum jactarentur à ventis.

Conspiciunt Jesum ambulantem super mare. Hic duo miracula simul ponuntur. Unum explicitè, ambulatio videlicet Christi super mare. Implicite alterum, nempe tam velox adventus ipsius ad mare, ut ipsi navi appropinquaret, licèt ipsi tum solvissent cùm ille in montem secessisset. Ubi cùm orasse illum testentur Euangelistæ, non est verisimile illum statim itineri ad lacum & postea ad navigium se commisisse. Et alioqui navigium pedibus consequi, cùm aliquid præterea itineris ad aquam sit conficiendum, non est naturæ viribus possibile. Quin & S. Marcus diserte testatur illum solum in terra fuisse cùm navis erat in medio mari; circaque quartam demum vigiliam ad eos advenisse. Est igitur verisimile Dominum miraculose per aëra latum eos consequutum esse. Jam quod ambulationem super mare attinet, quæri vulgo solet, utrum corpus maris miraculose fuerit solidatum, ut ambulationis instrumentum esset, an verò potiùs corpus Domini fuerit in aëre velut suspensum, & ope divina, aut angelorum ministerio sustentatum ne mergeretur. Neutrum hoc est impossibile: posterius tamen verisimilius, id quod ipsa navigii ob maris commotionem agitatio indicare videtur.

Et timuerunt. Spectrum videlicet esse putantes, ut addit Matthæus. Quod erat ipsis saluti, periculum augere visum.

Vers. 20. *Ille verò dixit eis.* Non patitur illos Dominus diu terreri, sed statim solatur, voce ipsis nota compellans illos: quemadmodum solemus loqui, cùm alicui quærenti de nobis, aut etiam dubitanti quinam simus, & quomodo vocemur, dicere solemus, ego sum, ut ex ipsa voce & sono agnoscamur. Ita Dominus respondet, *Ego sum, ne timete.* Id est, non est quod timeatis, nam ego sum, vester Dominus, qui vos adjutum venio.

Vers. 21. *Voluerunt ergo recipere eum in navim.* Euangelistæ alii dicunt, etiam receptum esse: unde non satis nostro cum illis convenire videri possit. Hinc quidam Græcam phrasin ἤθελον λαβεῖν αὐτὸν quæ ad verbum

verbum ſonat voluerunt eum recipere, ita ſunt interpretati, *cupidè ergo receperunt eum*, ſed ſine neceſſitate. Non enim hoc genere loquendi uſus videtur S. Johannes, ut negaret illum fuiſſe receptum in navim, ſed ut mentem diſcipulorum exprimeret, qui ob jactationem in mari & periculum voluerunt ipſum recipere (prout etiam receperunt) verùm id non fuiſſe neceſſè, quia ſtatim extra periculum fuerunt, & navis ſolito citius imò ſtatim ad littus acceſſit. Et hoc eſt tertium in hac navigatione miraculum, navis ſupra naturalem rationem citus ad ripam appulſus. Omittit Johannes quartum, nempe Petri ſuper mare ambulationem, & quintum, nempe quod ſimulac Chriſtus navem eſt ingreſſus, ventus conquievit, utpote ab aliis memorata.

Verſ. 22. *Poſtero die* id eſt poſtquam cibaſſet populum. Poſtquam narraſſet quid diſcipulis in navigatione actum eſſet, redit ad narrationem quid ſequenti die turba illa egerit, ut rem deducat ad colloquium quod ſcribere propoſuerat. Cæterum verborum hujus & ſequentium verſiculorum ſententia, haud uſquequaque liquet, varieque à variis accipiuntur. Plerique agnoſcunt hic ἀναπαιδόλον, ut ſententia verſiculi hujus pendeat, & verſiculus ſequens velut in parentheſi legatur, complementum verò ejus ſit verſiculo demum 24. Sed non ſatis id explicant, & alia loquendi formula apodoſis exprimitur quam conſtructionis ratio poſtulat. Quod tamen non eſt novum. Vide Gal. 2. ℣. 6, & Rom. 5. 12, 14. Vulgata verò videtur pro ἰδὼν videns, legiſſe εἶδε vidit, quaſi poſtridie demum vidiſſet id quod tum videre revera non poterat, & vidiſſe pridie, quod tum vere imò tantum videre poterat, ſenſu plane abſurdo. Beza poſt voces τοῦ μαθητῶν αὐτοῦ, ponit diſtinctionem, & voculam ἐκεῖθεν ad turbam refert, non ad diſcipulos. Verùm nec id alicujus eſt momenti, & complures habet difficultates. Nam præterquam quòd ejuſmodi interpunctio durior eſt, vox μαθηταὶ nullum haberet verbum niſi ſubaudiendum eſſet συνεπλέον, quod tamen hic locum habere non poteſt. Ut igitur quod nobis videtur dicamus; primò ſiquis velit hic ἀναπαιδόλον eſſe, dicendum erit, pendere quidem ſententiam verſiculi 22, & verſiculum 23 in parentheſi legendum, ſed verba ſequentia *quum vidiſſet*, &c. ad ſuperiora eſſe referenda, tanquam rationem additam ad docendum cur turba ſtaret trans mare: verba verò ℣. 24, per epanalepſin eſſe cum verſiculo 22 jugenda, quorum prior pars ſit deſcriptio ſubjecti, nempe turbæ, hoc ſenſu; Poſtero die turba quæ ſtabat tranſmare, propterea quòd vidiſſet illic non eſſe navigiolum, &c. (interea verò alia navigiola Tiberiade venerant, &c.) hæc igitur inquam turba quum vidiſſet, &c. Deinde poteſt etiam ita locus hic ordinari, quaſi hoc S. Johannes voluerit dicere, Poſtero die *turba quæ ſteterat tranſmare*, id eſt, complures ex illis qui pridie paſti erant, nec dimiſſi domum ſe contulerant, licet vidiſſet illic non eſſe aliud navigiolum niſi unum illud in quod ingreſſi fuerant diſcipuli, nec Jeſum unà cum illis ingreſſum, nihilominus tamen quia alia navigia Tiberiade venerunt, & animadvertiſſet jam Jeſum in illo loco prorſus non eſſe, neque diſcipulos ejus, ingreſſi ſunt & ipſi navigia, &c. Sed huic interpretationi hæc obſtat difficultas, quòd in ℣ſic. 23, neceſſe ſit præcedere, *nihilominus tamen*. Vel denique ita, ut hic non tam rationem afferri dicamus cur turba illa navem inſcenderit, quàm cur illa navigia quæ Capernaumum ducebant inſcenderint. Deſunt quædam.

Verſ. 25. *Et invento eo trans mare*, id eſt trans ſinum quem trajecerant.

Rabbi quando huc veniſti, ſcilicet tam citò, cùm viderimus te te minime cum diſcipulis tuis navem eſſe ingreſſum. Suſpicantur miraculoſè illum eò perveniſſe, ideo ſciſcitantur ut expiſcentur rationem qua id fuerit factum.

Verſ. 26. *Reſpondit eis Jeſus & dixit*. Reſpondere dicit licet revera nihil ad interrogata reſpondeat, utut non frivola videatur iſta interrogatio, & ex fundamento, ut eſt veriſimile, non malo, quemadmodum jam diximus orta, quia videlicet ſuſpicabantur miraculoſè id eſſe factum. Sed Chriſtus Dominus utut hoc ſciri ad ſuam gloriam pertinebat, noluit tamen illis quicquam de eo reſpondere, nedum rationem ſui adventus illis aperire; utpote qui miracula etiam ſua inter pauciores facta fieri juberet, nedum ipſe aliis ignorantibus ea prædicaret; ne ita in ſuſpicionem aliquam jactantiæ veniret, fidemque ſuam obtrectationi calumniatorum objiceret. Potiùs igitur ad id quo illi maxime opus habebant ſermonem & reſponſionem ſuam convertit, ad animum videlicet illorum, quem exprobrat non talem ipſis eſſe qualis eſſe debebat. Verbis enim *Amen amen dico vobis*, id eſt pro certo etiam atque etiam affirmo id vobis, reprehendit eos quòd non id ſectarentur in miraculis ipſius quod maxime ſectandum eſſet, & propter quod illa faceret. *Quæritis me*, id eſt ſequimini me. *Non quia ſigna vidiſtis* id eſt non tam quia vidiſtis miraculum ut illius impulſu me pro veſtro doctore & propheta à Deo miſſo recipiatis. *Sed quia comediſtis panes illos*, id eſt ſed quia cuticulam veſtram curaſtis. Quaſi dicat, Non id in miraculis meis attenditis quod erat unice ſpectandum, cur videlicet illa fiant, & ut Spiritui veſtro conducant, ſed id quod in illis eſt minus principale & propter aliud, ac ſecundùm carnem.

Verſ. 27. *Operamini non cibum*. Poſtquam reprehendit illos, deinceps inſtruit quid ipſis eſſet faciendum. Quaſi dicat: Pro ea autem quod cuticulæ veſtræ curandæ advigilatis, & me ut illi ſic bene ſequimini, id potius curate & quærite quod non corpus ſed animum veſtrum cibare poſſit. Quærite verò à me qui ſolus id præſtare poſſum. Primò autem indicat quid ipſis ſit inquirendum: deinde cur: tum à quo id petendum: & denique quare ab iſto & non alio. Quid, & cur, eſt in his verbis. *Operamini non cibum qui perit, ſed cibum qui permanet in vitam æternam*. Operari hic ſignificat operando aſſequi, ſtudio acquirere, ut Gen. 12. ℣. 2, cum animabus quas fecerunt, id eſt acquiſiverunt, comparaverunt, & Ezech. 28. 4, feciſti tibi opes, id eſt acquiſiviſti, peperiſti. Quaſi dicat, Quodſi ſcire vultis quid vobis ſit unice quærendum, hoc etiam atque etiam aſſevero vobis, in id incumbite & huc nervos omnes contendite ut vobis acquirere poſſitis cibum non qui perit, id eſt non talem propter quem me nunc ſequuti eſtis: hic enim ut ipſe perit, ita neminem ſic reficere poteſt ut eum à morte & interitu vindicet. Sed cibum qui permanet in vitam æternam, id eſt qui ita perdurat, ut illum qui ipſo paſcatur, ad vitam uſque æternam conſervet, & deducat. A quo verò cibus iſte petendus ſit, exprimit, cùm ait, *quem filius hominis dabit vobis*, id eſt ego, licet ſum homo: quia rem magnam de ſe aſſeruit, ideo in tertia perſona de ſe quaſi de aliquo alio, modeſtiæ cauſa loquitur. Cur verò non ab alio, & ab iſto omnino? *Hunc enim pater obſignavit*, id eſt quem ſigno velut impreſſo notavit, & demonſtravit eſſe illum qui daturus ſit iſtum panem, id eſt eſſe ſervatorem mundi, ut ſimulac quis me inſpexerit, animadvertat mihi eſſe credendum. Metaphora ſumta non ſolùm à literis quibus confirmationis cauſâ ſigillum imprimere ſolemus, ſed etiam ab aliis omnibus rebus quas ſigillo noſtro notare ſolemus, ideo ut noſtræ eſſe agnoſcantur. Et aliàs ſcimus Romanis in more fuiſſe res ſibi cariſſimas, ne aut contemnerentur, aut etiam ſublegerentur, ſigillo notare. Hoc verò ſigillum non aliud erat quam illa ſtupenda ſigna & miracula, luculentiſſima miſſionis ipſius à Deo documenta. Quia verò dixerat abſolute quem obſignavit Pater, ne de terreno ipſum patre loqui putarent, addit vocem Deus, id eſt ille Pater qui Deus eſt. Videtur vox iſta opponi appellationi filii hominis,

qua ostendere vult, se utut filius sit hominis, Deo tamen patre gaudere: ideoque non esse id contemnendum quod se à patre obsignatum dixerat.

Vers. 28. *Dixerunt ergo ad eum.* Responsio Judæorum, ex qua apparet conjecisse illos statim quid sibi vellet Dominus, cùm ipsos jussit acquirere cibum qui permanet ad vitam æternam. Interrogant enim, *Quid faciemus*, &c. significantes intelligere se, operari illum cibum, esse facere opera Dei, id est opera Deo grata, quemadmodum Psal. 51, dicuntur *sacrificia Dei* id est sacrificia Deo grata, & 1 Cor. 15 ultimo, *opus Domini*, id est Domino gratum & quod ad Domini gloriam pertinet. Notat Maldonatus, Judæos hac interrogatione promtitudinem quidem suam ad ejus mandata exhaurienda obtulisse, cum hac tamen cautione, ne quid adversus voluntatem Dei facerent. Verùm id à Christo præexigi ex eo ipso colligere poterant quia ad vitam æternam cibum illum permanere dixerat: cùm satis abunde ipsis constaret à nemine alio præterquam solo Deo vitam æternam dari posse.

Vers. 29. *Respondit Jesus & dixit eis, Hoc est illud opus Dei*, id est opus Deo gratum. Singulari numero utitur, cùm Judæi fuissent usi plurali, ut ostenderet unicum tantùm ab hominibus requiri, fidem videlicet in Christum, ex qua velut ex perenni fonte omnes officiorum nostrorum rivuli defluant. *Ut credatis in eum quem misit ille*, nempe Pater: in me videlicet. Maluit autem tertia persona uti, modestiæ causa. Circumscriptione autem ista usus est, ut causam innueret propter quam sibi fides deberetur, quia videlicet esset à Deo patre missus.

Vers. 30. *Dixerunt ergo ei.* Ad directam Christi ostensionem instantiam afferunt Judæi, qua mobilitatem animi sui cupiditatemque produnt. Petunt enim signum, quasi nullum antea vidissent, & non recens tantum miraculum sensissent: cujus adeò non obliviscuntur, ut tale quid nunc etiam petere videantur, non tam Spiritus quàm carnis gratiâ hoc quicquid est sermonis concipientes. Cùm enim signum & petunt, & ex signis quibus Mosaica doctrina est confirmata unicum tantùm commemorant, idque tale quod affinitatem cum proximo miraculo haberet, illis autem adeò placuerat ut propterea Dominum vellent regem facere, eo ipso satis cupiditatem suam produnt, & insinuant se ejusmodi quid à Domino velle, quod eos sine ullo ipsorum labore pascere, & omnis generis affluentia cumulare posset. Quasi dicant, Si igitur ita est ut tu dicis, exhibe aliquod signum quod indicio sit, tibi credendum, nec Mosi tantùm adhærescendum esse: idque ejusmodi quod sit consimile illi quod datum est Patribus nostris, imò illud superet & antecellat.

Vers. 31. *Patres nostri*, &c. Rationem petitionis suæ afferunt, simulque causam indicant cur nolint temere à Mose ad ipsum transire, quia videlicet tale signum fuerit olim exhibitum quod Mosem à Deo fuisse demonstrabat. Est autem hæc oratio emphatica, & in quolibet verbo latet vis ad miraculi istius exaggerationem, & virium ejus in concilianda fide Mosis doctrinæ amplificationem. Cum enim non dicunt simpliciter, olim fuisse tale signum exhibitum, sed *patres nostri* authoritatem majorum obtendunt, & indicant non posse se adeò temere discedere ab ea doctrina quam parentes ipsorum essent amplexi, à quibus illam velut suxerunt ipsi. Cùm dicunt *comederunt* innuunt temporis diuturnitatem, ut tacite elevent proximam cibationem miraculosam: & magis cum addunt *Manna*, id est cibum illum longe præstantissimum & saporis jucundissimi: de quo vide interpretes, & inprimis Piscatorem ad hunc locum, qui vocis etymon videtur assecutus. Denique cum subjiciunt *in deserto*, ubi nulla spes erat cibi acquirendi, adeo ut actum esset de illis nisi ipsis ita succursum fuisset. Ne autem parum dixisse viderentur, confirmant id testimonio Psaltis, sed ita ut simul commendent. Nam voces *sicut scriptum est* confirmationi serviunt: scriptum autem nempe in Psalmis. Verba autem *panem de cœlo* faciunt commendationi, quod non fuerit panis ille vulgaris, puta hordeaceus, quo nuper fuerunt pasti, sed *de cœlo* id est cœlestis. Non enim voces ἐκ τοῦ οὐρανοῦ pertinent ad vocem ἔδωκεν, sed ad ἄρτον, quod ante nos notarunt alii, ut non significet locum unde panis iste fuerit datus, sed qualis fuerit: quemadmodum alibi *pater è cœlo* id est cœlestis. Cœlestis autem vocatur, quia è nubibus depluebat, quas cœli nomine insigniunt sacri codices. Sunt autem verba ista ex Ps. 78. ℣. 24 adducta, ubi non panis sed frumentum cœlorum vocatur, quod videlicet loco frumenti fuerit illis: & addit *panem robustissimorum comedit vir* seu quisque, id est panem angelorum, vel quòd angelorum operâ suppeditaretur, ut quidam volunt, vel quod dignus esset quo etiam ipsi angeli vescerentur si cibum caperent.

Vers. 32. *Dixit ergo eis Jesus.* Importunæ ipsorum instantiæ Dominus ita respondet ut illam de signo dando petitionem prætermittat, vel ob id ipsum non necessariam, quia & aliàs multa ejus signa viderunt, & paulò ante experti sunt miraculum illo quod hic commemorant quodammodo majus: ostendit autem longe majorem se ipsis monstrare posse causam ob quam sibi credere debeant, quàm fuerit illa ob quam olim patres illorum crediderunt Mosi, adeoque non posse sibi illam opponi, tanquam eam quæ aliquem arcere possit à fide sibi habenda. Se enim longe majora & meliora ipsis daturum, aut potiùs Patrem per ipsum, quàm olim sunt data. Ubi etiam simul tacite illos coarguit stultitiæ, qui id tantum quod ventrem saburraret cogitarent, nec mentis suæ aciem ad ea quæ sunt Spiritus, & veram in se vitam ac voluptatem continent, extenderent. Quasi dicat; Non est quod tantopere jactetis illud quod patribus vestris contigit, tantique esse momenti credatis, ut propter illud ne latum unguem vobis à Mose discedendum, nec ad me accedendum putetis, ideoque quid simile tanquam rem præstantissimam à me requiratis. Quod enim ad commendationem illius cibi ex Psalmo adduxistis, utut ille vocatus est panis cœlorum, revera tamen neque panis fuit, id est non præstitit in summo gradu id quod panis præstare debet, ut vitam videlicet verè prorogaret, neque fuit cœlestis. Quodsi panis vobis tantopere cordi est, advertite igitur Patrem meum per me vobis dare panem, qui & vere id est quod esse dicitur, & cœlestis est. Non enim hic sensus est verborum istorum *non Moses dedit vobis*, quasi Christus neget Mosen dedisse manna, (quod etiam non asseruerunt illi, sed simpliciter dixerunt *dedit* non expressò authore) quia videlicet Deus illud depluerit, ut verba præ se ferre videntur: Sed ut ante nos notarunt alii, panem pani opponit, opponens interea etiam Mosi patrem, ita tamen ut non neget sed asserat quodammodo, illius man Mosen fuisse authorem, quia scilicet ad ipsius intercessionem datum fuerit à Deo. Ideo volunt quidam transpositionem esse voculæ *è non*, ut scribatur, Moses non dedit vobis. Sed si scopus Domini probe attendatur, nihil opus est ista transpositione. Est itaque in vocibus istis *panem illum cœlestem* alia significatio atque fuit in versiculo superiore. Nam & vox *panis* sumitur in ea notione propter quam ita nominatus est, quod pascat videlicet & vitam proroget, ideoque subaudienda vox veri in adversativa enunciatione expressa: & *cœlestis* non pro eo qui ex nubibus oriatur, sed qui ex ipso cœlo descendat, ut mox videbimus.

Vers. 33. *Panis enim ille Dei*, id est, ille enim panis quem Deus dat, puta per me. Probat id quod asseruerat, panem quem Pater daret esse illum cœlestem, verum. *Is* enim *est qui de cœlo descendit*, est igitur cœlestis, *& dat vitam* puta æternam, est igitur verus, est perfecte id quod esse dicitur, qui non vitam momentaneam & caducam sed sempiternam proroget. Voculam autem *mundo* opponit vocibus superioribus *patres nostri*, ut ostendat beneficium istud, non in se tantùm sed etiam respectu personarum quibus conferatur,

conferatur, longe amplius & illustrius esse: cùm & in se sit præstantius & longe pluribus quàm illud olim detur & conferatur.

Vers. 34. *Dixerunt ergo ei &c.* Petitionem istam Judæorum putant quidam mere esse ironicam, quasi deridentes Dominum ista dixerint. Quod ut omnino negari non potest, ita dicendum videtur medium quid in illa contineri, ut non intelligentes verba Domini, & carnale quid more suo somniantes, impossibilia quidem à Domino dici putarent, interim tamen recordantes quid secum ante aliquot dies egisset, cogitarint, quid si dabit nobis panis atque cibi è cœlo venientis & corpora egregie reficientis copiam? ô quàm felices erimus! Petunt igitur, & derisuri ni istud promissum eveniat, & felices futuri si eventus voto ipsorum arriserit. Ideoque addunt voculam *semper*, quæ utrique isti rei optime servit. Nam quia Christus præstantiorem suum panem illo manducaverat, ne ad illam pastionem nuperam ipsos revocare videretur, dicunt, *da semper*, non semel ut nuper, neque ad pauculos annos, sed quandoquidem ita asseris & promittis, *semper*. Ut nempe per totam vitam nostram talis panis usu absque labore nostro gaudere queamus. Simile quid in re simili ad sermonem Domini de aqua eximia non intellectum dixit illa mulier Samaritana, supra cap. 4. vers. 15.

Vers. 35. *Dixit autem eis Jesus.* Nihil moratus perversitatem illorum; primo id quod peterent in manibus ipsorum esse dicit: deinde incredulitatem eis exprobrat, & causam ejus indicat: denique id quod primo loco asseruerat, comprobat.

Ego sum panis ille, quasi dicat; non est quod panem illum à me petatis, quum jam ipsum habeatis, modò illo uti & ad usum accommodare sciatis. Ego enim sum iste *panis vitæ* id est vitalis, seu, ut supra dixit, *qui dat vitam mundo*. Genitivus effecti. Non solùm autem se panem esse ostendit, sed etiam rationem qua illo uti debeant indicat, & denique vires ipsius aperit. Est autem Christus panis vitæ, quatenus ille est in causa, tum doctrinâ tum potentiâ suâ, ut homines vivant, præstatque id hominibus ratione vitæ æternæ, quod panis terrenus ratione vitæ terrenæ. Rationem qua isto pane uti debeant, his verbis indicat, *qui venit ad me*, id est me pro doctore & Messia suo recipit, seu ut mox ipse addit *& qui credit in me*: hoc enim est venire ad Christum, hoc loco, hoc isto pane uti, & illum manducare, & in succum ac sanguinem animæ suæ convertere. Vires denique hujus panis exprimit his verbis, *nunquam esuriet*, id est, ita saturabitur, ut nulla unquam fame prematur, hoc est vivet in æternum. Addit verò *non sitiet unquam*, cùm tamen sitim restinguere sit proprium potùs, non panis, ut ostendat panem hunc esse talem qui solus plene & solide hominem recreet & refocillet, ac vires instauret: ita ut non solùm cibi sed etiam potus vices sustineat.

Vers. 36. *Sed dixi vobis* &c. Per quandam rejectionem ad reprehensionem eorum divertitur. Quasi dicat, sed quid ego id vobis nunc quasi rem novam & incognitam explico, laboremque dicendi in cassum suscipio, quibus ab ipso sermonis mei initio ego dixi *quòd & vidistis me & non creditis*. Id est, quia licèt animadvertistis, ex signis puta & miraculis meis me esse Messiam, & mundi doctorem, *non credidistis* id est, non tamen in me credidistis. Variè hæc verba explicantur ab interpretibus, sed simplicissima est explicatio quam diximus. Non enim insolens apud Græcos καὶ sumi pro etsi. vide inter alia exempla, Psal. 51. vers. 18. & Esai. 49. vers. 5. Vidisse autem illos, id est cognovisse Jesum esse Messiam, apparet ex vers. 14, in quo testimonium Christo perhibent. Cùm verò se id illis jam dixisse ait, videtur respicere ad vers. 26: in quo Dominus ut diximus reprehendit eos, quòd cùm proposuissent sibi Christum quærere, non tamen id in eo spectarent quod esset spectandum. Carnalia quippe ut homines carnales spectabant atque spirabant, ad spiritualia autem quæ inprimis curanda erant aciem mentium suarum non dirigebant.

Vers. 37. *Quicquid dat mihi Pater* &c. Causam incredulitatis eorum aperit, quòd videlicet non fuerint ipsi à Patre dati. Quod si simpliciter ut verba sonant accipiendum esset, ipsos excusare, omnem autem culpam in patrem conjicere & derivare videretur: cùm tamen res ipsa loquatur illum eò hæc dicere, ut ipsos reprehendat, & perversitatem mentis eis exprobret. Quare dicendum est in phrasi ista, *quicquid dat mihi pater*, poni effectum pro causa, videlicet ut significetur homo qui est animo probo & sequaci, quique se totum voluntati ac arbitrio divino permittat. Qui enim tales sunt hos Pater Christo dat, id est ipsius tutelæ committit, ipsi regendos & gubernandos tradit. Idemque hac phrasi plane vult quod inferius versu 44, *Nemo potest ad me venire, nisi pater qui misit me traxerit eum*, de quo suo loco. Quocirca hanc esse causam incredulitatis ipsorum asserit, quod non essent animo probo & sequaci, sed obstinato & præfracto. Porrò utitur vocula generis neutrius, propter majorem evidentiam universalitatis, licet homines tantùm intelligat; quod non est in Sacris Literis novum, & mox vers. 39. & Apocal. 21. 27, & alibi sæpe. Jam cum dicit, *ad me veniet* idem est acsi dixisset in me credet, ut paulò ante monuimus. Utitur enim per Hebraismum quendam futuro, quasi hæc sint discreta, & non unum necessariò cum alio sit conjunctum; pro venire solet. Etsi potest dici ideò futuro esse usus, quia non ad eos tantum qui jam dati erant ipsi respiceret, sed etiam ad eos qui postea quoque dandi erant.

Et eum qui venit ad me, id est qui autem crediderit in me. Redit eò unde digressus erat, ad explicandum uberius fructum quem ex fide in se vers. 35, promanare dixerat. *Non ejiciam foràs*, id est, non expellam à me, sed potius recipiam, illum regam & tuebor, semperque illi in omnibus ejus necessitatibus subveniam. Metaphora sumta ab hospite, ædes alicujus patris familias ingrediente, aut etiam ab aliquo sub patrocinium & tutelam alterius confugiente. Videtur autem longe minus dicere (etsi oratione generali) quàm superiùs vers. 35: cùm tamen plane idem sit hujus sensus qui illius. Explicat videlicet rationem qua ipse usui esse possit hominibus, si videlicet ad ipsum veniant. Id quod etiam in sequentibus comprobat.

Vers. 38. *Quia descendi è cœlo* &c. Comprobat se neminem qui ad se venerit ejecturum, ex eo quia voluntas ipsius consonet voluntati Patris. Hic autem vult omnem qui ad se veniat salvari. Jam descensus iste Christi de cœlo tam propriè potest accipi quàm improprie. Propriè quidem quia docuimus, illum antequam voluntatem Dei hominibus annunciare cœpisset, ad Patrem ut ibi mandata ab ipso acciperet, ascendisse. Improprie verò quia & ratione conceptus sui ortum e cœlo ducit, & ea hominibus annunciavit ut cæteri quantumlibet à Deo missi terrenum quiddam respectu ejus annunciare, adeoque è terra esse & terrena loqui videantur. Huc spectant verba Iohannis Baptistæ Christum ut multo excellentiorem sibi præferentis quæ habentur superius Iohan. 3. vers. 31.

Non voluntatem meam, Ne quis fortè putet me animi & voluntatis meæ impetum sic sequutum, ut alienior sim futurus ab eo qui me forte aliquando læserat & insuper habuerat. Dicit autem id non quasi aliquando voluntas ipsius à voluntate Patris discreparet, sed quia id non erat naturâ suâ impossibile. Dicit verò respectu Judæorum, qui cùm præsupponerent se Deo esse charos, eoque nihil de ipsius erga se gratia dubitarent, de Christi quem non semel læserant erga se affectu ambigere poterant. Unde etiam superius cap. 5, vidimus eum huic cogitationi occurrere, cum vers. 30 ait *prout audio judico*. Alias eum Christianus qui Christum pro suo servatore & Domino agnoscit, ex voluntatis Christi notitia in noti-

notitiam voluntatis Dei deducitur, & quia de illa certus est, in hac confirmatur. Ideo quippe excitatus & gloriâ coronatus est, ut fides ac spes nostra esset in Deo.

Sed voluntatem ejus qui misit me, id est Dei Patris, quem describere maluit quàm diserte exprimere, ut rationem statim includeret propter quam voluntas ipsius cum voluntate Patris conveniret, quia videlicet esset Patris legatus, propterea missus ad homines ut voluntatem ejus ipsis aperiret. Notavimus autem superius, missionem aliquanto sumi latius, ut etiam ea quæ ipsam sunt consequuta complectatur: quomodo videtur hoc & sequenti versiculo accipienda.

Vers. 39. *Hæc est autem voluntas ejus qui misit me.* Quia voluntatis paternæ meminerat, suamque cum illa semper facere dixerat, ideo quæ sit illa planius explicat, addens & nomen istius à quo se missum dicit, nempe *patris*.

Ut quicquid mihi dederit id est quemcunque meæ tutelæ & regimini commiserit. Iterum neutrum pro masculino. Phrasi autem ista jam magis proprie uti videtur, & ad effectum potius quem præ se fert quàm ad causam ipsius (quod ỳ. 37 fieri diximus) respiciendo. *Non perdam ex eo* id est non sinam perire, non permittam ut pereat, nedum ipse perdam. Sæpius enim verba activa Hebræis non ipsam actionem sed tantum permissionem significant. Est autem in tota etiam phrasi ista *ut quicquid mihi dederit non perdam ex eo* Hebraismus, ut patet. Aliter enim nos loqueremur: videlicet ita, ne quicquam ex eo quod dedit mihi perdam, vel alio simili modo. Hebræi enim quia casibus revera carent, sæpe solent voces absolute ponere quibus postea casus per affixa largiuntur. Id quod creberrime occurrit in Sacris Literis. Vide inprimis Joh. 17. 2. & Psal. 32. 10. Item 18. 41.

Sed suscitem illud nempe ex mortuis ad vitam æternam. Rationem denique exprimit qua non sit permissurus eum qui ad se venerit perire. Tempus etiam indicans quando id sit futurum, *in ultimo illo die*, id est cùm veniet jurafatorum daturus. Jam voce resuscitationis strictius utitur & respectu fidelium: seu quia rationem voluit indicare qua fideles ad vitam æternam esse perducturus, seu quia cogitationi tacitæ voluit occurrere, quæ facile suboriri potuit talis: Atqui quales quales homines fuerint nihilominus morientur; peribunt igitur.

Vers. 40. *Hæc est autem voluntas &c.* Superiori assertioni immoratur, & clarius eam illustrat ac explicat. Ideoque satius est pro *autem* legi *enim*: ut etiam Græca quædam exemplaria habent. Jam quod ante dixerat *quicquid mihi dederit*, nunc dicit, *omnis qui videt filium & credit in eum*: ut doceat eos tantum dari Christo à Patre qui videant filium & credant. *Videant* id est cognoscant eum esse verum illum Messiam & mundi servatorem: cognoscant autem ex ejus qua dictis qua factis omnibus. Metaphora à sensu ad animum. Non contentus autem est voce *videndi*, quia non satis est doctrinam Christi nosse, & quid in se contineat scire, sed opus est etiam *credere in eum*, id est doctrinæ quidem illius in omnibus assentiri & ipsam pro vera ac cælesti agnoscere, in ipso verò spem ac fiduciam suam collocare. Denique pro eo quod antea dixerat, *non perdam ex eo*, nunc dicit *ut habeat vitam æternam*, ut doceat quid sit illud & quàm illustre bonum cum eo sit copulatum quòd non sit permissurus illum qui ad se venerit perire. Quia verò inter hanc & futuram vitam interrenit mors, ideo repetit iterum illas voces, *ego verò suscitabo eum ultimo ille die.*

Vers. 41. *Murmurabant igitur &c.* Inter se videlicet & submissâ proculdubio voce. Non enim Dominum alloquebantur, aut etiam clara voce ista proferebant. Indicat quomodo tam salutarem Domini sermonem & admonitionem acceptarint, sed ita ut mobilitatem ac perversitatem cordis illorum nobis ob oculos ponat. Quàm bona fuerunt hujus sermonis initia? quàm necessaria à Domino quærunt, & velle se opera Dei facere præseferùnt? at ubi ad rem ventum, & quid opus facto esset explicari cœptum, Vides recte id eis à Domino exprobatum fuisse, non ob eum finem illos Dominum quæsivisse ob quem quærere debuerant, nec eo esse animo ut voluntatem suam cogerent in obsequium Christi. Pro eo enim quod explicationem eorum quæ capere non poterant inquirere debebant, *murmurabant*, id est non placere sibi nec sui saporis esse, adeoque suo animo displicere sermonem Domini ostendebant. *Quia dixerat, Ego sum panis ille qui de cœlo descendi.* Materia murmurationis, causa autem versu sequenti.

Vers. 42. *Et dicebant* puta inter se, *nonne hic est Jesus?* Verisimile est turbam istam non unius urbis aut oppidi fuisse, sed ex pluribus vicis oppidisque: ac proinde potuerunt in illa non pauci esse è Nazaret, ubi Dominus educatus, & è Capernaum, in qua libenter Dominus habitabat, unde urbs etiam ipsius nominari solet. Non mirum igitur si & patrem & matrem Christi se nosse dicunt. Christi inquam, ne quis pronomen *cujus* ad Josephum trahat quod ratio constructionis patitur. Cùm enim de Christo sit sermo, non est verisimile eos in Josephi potiùs quàm Christi genealogiam inquisivisse. Faciunt verò ista omnia ad contemtum Domini, & fidem dictis ejus derogandam. Concludunt enim ex iis *quomodo ergo dicit iste è cœlo descendi?* Putabant enim proculdubio neminem id de se affirmare posse qui sit verus homo, solique id Deo aut etiam angelo competere posse. Quasi dicant, Unde ista temeritas & præsumtio? nobisne ille os sublinat, & tanta de se prædicet, quem nos quis sit & quibus parentibus ortus, optimè novimus?

Vers. 43. *Respondit ergo Jesus* ad illos videlicet clancularios ipsorum susurros, sive illos audivit, si voces aliquas extra dentium septa emittebant, sive tacitas ejusmodi cogitationes ipsorum spiritu cordium exploratore cognovit.

Ne murmurate inter vos id est indignationem & incredulitatem istam omittite, & pro eo quod sermones ejusmodi cæditis quibus dicta ista mea in dubium vocatis, quiescite, & animum ad ea quæ dico melius advertite.

Vers. 44. *Nemo potest venire ad me.* Sermo iste subobscurior est, variamque à variis sortitur interpretationem. A compluribus etiam ejusmodi quæ turbam istam cui perversitatem hîc Dominus exprobrat, excusabilem omnino reddit, omnique illos crimine liberans, totius incredulitatis ipsorum culpam in Deum conjicit. *Trahi* enim *à Patre* ipsis est illuminari Spiritu sancto, vel donari fide & Spiritu sancto. Non aliud igitur illis hic diceret Dominus per istos, quàm, nolite murmurare, quia non estis donati à Patre fide & Spiritu sancto. Atqui istud vel maxima murmurationis causa esse poterat. Et quomodo eos Christus ab eo dehortaretur quod illi per istos non facere minimè poterant, imò quod facere omnino debebant? Murmurare enim & trahi à Patre, adeo contraria sunt, ut ubi hoc non est illud insit necessariò. Nec potest negari his verbis omninò causam reddi cur illos murmurare prohibeat. Quare ista interpretatione tanquam impia & absurda missâ, quæramus aliam. Hanc autem ex ipsorum etiam fundamento indagabimus. Fatentur etenim idem hîc significare *dari* Christo *à Patre, trahi à Patre, & audire ac discere à Patre.* Sed & ipse contextus docet, unam eandemque rem his licet diversis verbis à Domino exprimi. Ex quo consequitur, cùm illa tractio quam ipsi hic somniant, è diametro pugnet cum tractione de qua hic Christus loquitur, trahi à Patre idem esse quod Patrem audire ac ab eo discere, ab ejusque voce ac monitis ita pendere, ut omnes tuos gressus non ad tuum libitum & voluntatem dirigas, sed ad præscriptum ipsius Dei, non secus atque solet incedere is qui trahitur, non ut ipsi lubet, aut etiam quo impetus voluntatis eum rapit, sed quò funis qui trahit ipsum dirigit. Unde nec ducendi vocabulo utitur: qui enim ducitur libertatem habet quaqua velit eundi, aut viam sive corripiendi sive retardandi, dummodo ducentem consequa-

ſequatur: quod hic non fit. Qui enim Deum pro ſuo magiſtro agnovit, ita ab ejus imperio debet trahi ut omnia vitæ ſuæ veſtigia ad ipſius voluntatem ponat. Quare hujus & antecedentis verſiculi ſenſus erit, Monere Dominum, ut pro eo quòd adverſus eum inſurgebant, ad rem ipſam potius animum attenderent & ſe ſequaces imperii docentis & inſtruentis ipſos Dei oſtenderent: ut qui non alia ratione in ipſum credere atque adeo veram ſalutem conſequi poſſint, quàm ſi Deum in hoc negotio pro Magiſtro ſuo agnoſcerent, ejuſque directionem & imperium ſequerentur. Quaſi dicat, nolite mihi obloqui & adverſum me inſurgere, alias enim ad me non pervenietis. Si enim, quod prætenditis, opera Dei facere, ac proinde ad me venire vultis, non mihi obloqui, ſed imperium Dei rem iſtam procurantis agnoſcere, ac illius voluntati vosmetipſos regendos & quò vult ipſe trahendos præbere deberetis. Nemo enim poteſt venire ad me, non eſt alia ratio quæ ducat ad fidem in me, *niſi pater traxerit eum* id eſt, quàm ſi quis animo ſit ſequaci & ad imperium Patris cœleſtis exhauriendum promto ac docili, qui ſe quacunque voluntas patris mei intenderit duci & trahi patiatur. Cauſam, nempe tractionem, ponit pro ipſo effectu nempe docilitate & ad obediendum Deo promtitudine: ſeu mavis antecedens pro conſequente. Hujuſmodi autem loquendi ratione uti voluit, ut inſinuaret Deo tanquam primo motori & impulſori hoc quicquid eſt cœleſtis boni tribuendum & imputandum eſſe. Hic nos trahit dum nobis gratiam & euangelium ſuum offert: non quidem vim irreſiſtibilem, ut iſti ſomniant, adhibendo, (jam enim qui non trahuntur eſſent extra culpam) ſed ſuaviter ad ſe incitando & alliciendo. Unde quia non omnes invitationi huic divinæ ſinum obſequii aperiunt, imò trahenti eos Deo reluctantur, fit ut meritò culpentur, & tandem condemnentur. Porrò voce trahendi non violentam aliquam & cui reſiſtere nequeas tractionem, ſed ſuavem quandam & blandam allectionem ac invitationem ſignificari, habes exempla, Prov. 7. ℣. 21, *Blanditiis labiorum protaxit illum* Cant. 1. 4, *Trahe me poſt te.* Oſe. 2. 4, *funibus hominum traxi eos, funibus charitatis*; id eſt allexi eos variis beneficiis. Apoc. 12. 4. *Cujus cauda trahebat tertiam partem ſtellarum cœli.* Ubi per ſtellas ſignificari angelos à Diabolo ſeductos omnes quod ſciam interpretes fatentur. Atqui nullam ipſis hic vim irreſiſtibilem intulit, tantùm perſuaſit, induxit.

Qui miſit me ita deſcribit patrem, ut inſinuet cauſam cur dixerit doctrinâ ſuâ imperium paternum contineri, quia videlicet ipſe ſit ejus legatus.

Verſ. 45. *Et ſcriptum in Prophetis* Sententiam ſuperiorem confirmat teſtimonio Eſaiæ prophetæ. Quaſi dicat, Quod enim dictum eſt per prophetas, futura olim tempora [illegible]bus *omnes erunt docti à Deo*, id eſt voluntatem ipſius cognoſcent, ex ipſius Magiſterio & inſtructione, ea nunc jam advenerunt. *Docti* participium hic eſt, idemque ſignificat quod apud Apoſtolum 1. Theſ. 4, verſ. 9. Θεοδίδακτοι. Et quod ex Jeremia commemorat divinus ille author epiſtolæ ad Hebræos, *Indam leges meas menti eorum, & cordibus inſcribam, & ero ipſis Deus, & ipſi erunt mihi populus. Neque docebunt ſinguli proximum ſuum, & ſinguli fratrem ſuum dicentes, cognoſce Dominum &c.* In quibus etiam ratio ex parte indicatur qua Deus inſtruat homines, ac proinde trahat, cùm videlicet gratiam illis ſuam offert, & remiſſionem peccatorum ac ejus conſummationem vitam videlicet æternam pollicetur: cum addit, *Ero enim propitius iniquitatibus eorum & peccatorum ipſorum ac iniquitatum non recordabor amplius.* Hoc autem cùm omnibus offerat Dominus qui modò reſipiſcere voluerint, omnes etiam quantum in ſe eſt trahit. Sed quia non omnes ſunt ſequaces, & plerique tractioni huic ejus obluctantur, nec ſe promiſſis divinis ad Deum adduci patiuntur, inde fit ut non omnes quoad effectum trahantur, id eſt pertrahi ſe patiantur. Utut enim tractio ipſa habita ratione normæ ad quam vitæ noſtræ greſſus ſunt exigendi non eſt voluntaria, eatenus quatenus non licet nobis qua voluerimus ire, ſed qua ducit funis ut ita dicam imperii divini; eſt tamen eatenus voluntaria, quatenus poſſumus illi obſiſtere, non tantùm ne loco moveamur ad illius impulſum, ſed etiam ut ubi libuerit nobis ſubſiſtamus nec pedem ulterius promoveamus. Ex quo tandem concluditur, gratiam quidem ſpecialem Dei prævenire fidem noſtram, quatenus Deus mentes noſtras per euangelium ſuum illuſtrat, & ad ſe incitat; ſed tamen ad ipſum effectum fidei unicuique inſerendum requiri præterea præparationem uniuſcujuſque noſtrum, & animi ac ſtudii noſtri ad iſtam gratiam applicationem: quæ niſi acceſſerit, illa penitus eſt infructuoſa. Quanquam nec generalis etiam gratia quædam, iſtam ipſam & præparationem & gratiam ſpecialem anteveniens, negari poteſt, qua homo ad iſtam ipſam præparationem juvetur. Ea vero conſiſtit in gubernatione & providentia divina uniuſcujuſque, per quam Deus alii plures, alii pauciores cauſas præbet ſe ad vitæ probitatem componendi, & turpitudinem vitiorum declinandi: dum videlicet hic illam magis expendit & animo ſuo ſubjicit quàm alius. Ac propter hanc quidem gratiam fit (quemadmodum & ex ipſo traduce, & educatione) ut alii aliis ad virtutem ſint procliviores, & ad amplectendam veritatem, ubi gratia ſpecialis mentibus ipſorum illuxerit, aptiores.

Omnis ergo qui audivit. Concludit ex ſuperiori teſtimonio, eum qui Deo obedire velit ad ſe venire, proindeque nec eos ſi diſcipuli Dei audire volunt, murmurare & obloqui ſibi debere, id quod probandum ipſi erat. Si enim hoc illud tempus eſt quo omnes debebant diſcipuli eſſe Dei, Pater autem docet per me, quia miſit me, profectò is tantum qui diſcipulus eſt Dei ad me venit, ac proinde qui nomen ſuum inter Dei diſcipulos profitetur ad me venire debet. Quare & vos ſi ut jactatis & præ vobis fertis Deum pro magiſtro veſtro agnoſcitis, id eſt opera ejus facere vultis, ut ipſi dixiſtis, ad me venire, me conſulere, in me credere debetis. Quia verò Deum ut diximus hic conſiderat ſicut Magiſtrum, & duo ſunt officia diſcipuli, audire quæ dicuntur à præceptore, & diſcere, ideo hæc conjungit, *qui audivit à Patre & didicit*, id eſt cognovit voluntatem Dei patris ſeu euangelium, *& didicit* id eſt credidit ei ac obedivit. *Is venit ad me*, id eſt, is demum credit in me. Neque enim id Chriſto propoſitum eſt probare, eum ad ſe venire ſeu in ſe credere qui à Patre audiverit & didicerit, ſed nonniſi eum. Verſiculum enim 44, ut diximus probat hic Dominus.

Verſ. 46. *Non quod patrem viderit quiſquam.* Ne putarent id à Domino dici, Deum ipſum iis etiam locuturum ipſoſque illum viſuros, ac proinde paratam reſponſionem haberent, ſe illud tempus exſpectaturos, neu rogarent, ubinam & quando loquuturus ipſis eſſet Deus, occurrit Dominus, & oſtendit nemini id auditorum eventurum, nec eò ſe id dicere quaſi illi id etiam exſpectare debeant, ſed ſibi id tantùm eveniſſe, quem cùm audirent, ipſum Patrem audirent. Quaſi dicat; Hoc verò non eo dico, quaſi quiſquam ex aliis hominibus Deum omnino autviderit aut audiverit pollicerive id ſibi debeat. Id enim in eum ſolum competit *qui eſt à Deo*, id eſt in me Chriſtum. Oratio enim iſta generalis reſtringenda eſt ad certum aliquem qui peculiari & quidem perfectiſſima ratione erat à Deo miſſus doctor. *Hic vidit patrem*, id eſt ego. Ponit autem hic unum ſenſum pro alio, cùm ſuperius dixerit *qui audivit.* Eſt autem hujus verſiculi ſenſus plane idem qui Joh. 1. ℣. 18, *Deum nemo vidit unquam, unigenitus ille filius qui eſt in ſinu Patris ipſe enarravit.* Niſi quod in illa enunciatione iſtud quod hic exprimitur, nempe vidiſſe Patrem,

non exprimitur, sed tantum subintelligendum relinquitur: quemadmodum vice versa quod ibi exprimitur hic rursum reticetur, nempe enarrasse nobis voluntatem Patris.

Vers. 47. *Amen amen dico vobis.* Postquam comprobavit quod proposuerat, nunc iterum inculcat, idque cum asseveratione & vocibus utens propriis. Quasi dicat; Quicquid igitur dicatis, & quæ vobis libet jactetis, à me id pro certo scitote, quod is *qui credit in me*, (quod ante dixerat, *qui venit ad me*, *qui videt filium, & credit in eum*,) *habet vitam æternam*: id est & olim certò habiturus est, & nunc jus ad illam habet. Utriusque enim hujus insinuandi causâ, præsenti *habet* pro futuro *habebit* utitur, ut ante nos viderunt alii.

Vers. 48. *Ego sum panis ille vitæ* id est vitalis, qui vitam dat mundo, ut ℣. 33 dixerat. Repetit rationem cur sibi fides adhiberi debeat, ad eam metaphoram regressum faciens à qua sermonem hunc inchoaverat, & ad principalem ejus scopum adversarios suos revocans. Panem autem se vocat, ut diximus, quia quemadmodum panis vires corporis humani instaurat, & est in causa ut vita hæc nostra prorogetur, ita Christus quo ad suam videlicet doctrinam, & quidem multo magis (quia nisi accesserit gratia Dei & ipsius Christi inefficax est panis iste terrenus) vires nostras spirituales instaurat, & est in causa ut vera vita nostra prorogetur.

Vers. 49. *Patres vestri* id est quos superius allegastis. Illustrat antithesi quod modò dixerat, & quia panis mentionem fecerat, ut eos revocaret eo unde sermonis exordium duxerant, illam etiam ipsorum ratiocinationem ℣. 31 expressam, & 32 ac 33 refutatam, rursus convellit, ostendens panem illum in deserto datum, utut illum magni facerent, non esse tanti ut sibi doctrinæque suæ Mosen cum sua doctrina præferrent, eique se neglecto penitus adhærescerent. Antithesis est in eo quòd manna illud quod illi tantopere jactarent negavit fuisse panem, seu eas vires habuisse quas debet habere id quod panis voce notatur, vitam videlicet conferendi, quia non potuerit mortem ab iis arcere qui eo perfruerentur. Quasi dicat, Nam quod Patres vestros qui vobis animos faciunt attinet, comederunt illi quidem cibum in deserto miraculosum, videlicet manna; sed ille quomodo panis vocabitur, idque ut superius insinuabatis cœlestis? cum illi qui ipso uterentur omnes sint mortui. Panis autem est conferre & prorogare vitam. Ideoque expresse dicit *manna* ut opponat vocem istam allegationi illorum ex Psalmo, *panem cœlestem dedit eis*, insinuaretque nomen panis idque cœlestis valde improprie illi cibo competere. Addit autem *in deserto*, sive ut simpliciter locum exprimat & tempus insinuet quando & ubi manna illo vescebantur, sive ut plene ratiocinationem illam repeteret, in qua hæc verba per emphasin posita esse superius annotavimus. *Et mortui sunt* id est sed mortui sunt. Id autem etsi de temporaria tantum morte accipi possit, quia nihil prohibet complures ex illis ab æterna morte vindicatum iri, verum quia id aliunde proveniet, nec ex illius cibi viribus aut beneficio, ideo præstat vocem istam ulterius extendi, eo sensu, ut intelligamus non stetisse per illum cibum quominus in æternum etiam morerentur.

Vers. 50. *Hic est panis ille.* Apodosis seu altera pars antitheseos, qua se vere panem esse ostendit, quia de cœlo revera descenderit, & vitam veram conferat. Utitur autem tertia persona, non tam ob modestiam, quàm quia major est vis ac emphasis in pronomine demonstrativo *hic*. Quasi dicat, Hic hic est vere id quod dicitur, nempe panis. Quomodo aliquem laudaturi aut etiam alicui antelaturi, dicere solemus, hic est ille doctor. Exprimit enim hic disertè descensionem è cœlo, cujus non meminerat in protasi, quia nominata fuit in ipsa ratiocinatione Judæorum. Unde & sequentium *ut qui eo vescitur* non is est sensus, quasi ideo panem hunc de cœlo descendisse dicat, etiamsi id verum est; quia non hoc erat propositum Domino ostendere cur è cœlo descenderit, sed cur vere panis cœlestis nomen ei competat. Quare verba *qui è cœlo descendit* ad subjectum pertinent, ut quæ sub voce manna tacite comprehendebantur, tanquam expresse ab adversariis in ipsorum ratiocinatione prolata. Ut sensus sit, Non manna esse panem qui è cœlo descenderit, sed se: ratio est ab effectu, quia qui manna vescebantur mortui sunt, qui se vescerentur non moriantur. Quasi dicat; At panis iste de quo dico, (id est ego ipse) ille verè est panis de cœlo descendens: tantarum quippe virium est, *ut qui eo vescitur non moriatur*, puta in æternum, & morte secunda. Nam quod ad mortem primam & temporariam attinet, omnibus semel constitutum est mori.

51. *Ego sum panis vivens.* Quod in tertia persona propter emphasin dixerat, nunc diserte exprimit, ut tanto melius inculcet & adversariorum memoriæ infigat, adeoque ostendat minime se defugere tam augusti nominis laudem, ut ipse eam sibi, quicquid illi obloquantur, tribuat ac vendicet.

Si quis ederit ex hoc pane, id est in me crediderit. Ratio per quam nobis prodest hic panis. Sermo metaphoricus, minus exprimens quàm debebat; quia nos manducantes, de pane aliquid detrahere idque manducare solemus: Christus autem nobis totus est manducandus, nec sufficit alicui tantum ejus doctrinæ parti fidem adhibuisse.

Et panis autem quem ego dabo, &c. Generali doctrinæ subjungit specialem, quæ licet in superiori fuerit inclusa, non tamen ita apertè atque res ipsa postulabat. Intuenti enim thesin Christi versu 27 expressam, ad quam ille totam orationem suam convertit, apparebit in sequentibus de pane, sicut non omnino à priori diverso, ita non prorsus cum illo eodem agi. Quocirca sicut non omnino rejiciendi illi qui particulam *δὲ autem* tanquam necessariam urgent, & novi hic aliquid contineri volunt; ita nec omnino approbandi qui nullam omnino vim habere, adeoque idem in istis quod in antecedentibus Christum asserere contendunt. Sensus est, quasi dicat; Etiamsi autem totus ego quantus quantus sum, sum panis ille vivificus quem pater meus vobis largitur, tamen est etiam in me quiddam quod peculiari quadam, & perfectiori ratione panis nomen meretur, cujus ego ipse sum largitor. Id autem *caro mea est*, respectu mortis meæ truculentæ, per metonymiam. *Quam ego dabo* id est quatenus eam *dabo*, in mortem videlicet. Ea enim est in hoc negotio vocis dandi sicut & tradendi significatio, ut notavimus alibi. Porrò advertendum hic est, ideo Christum cùm de morte sua tanquam de pane loquitur, seipsum illius datorem nominare, cùm patri id diserte tribuerit cùm seipsum totum tanquam panem illis manducandum proponeret: quia in Christi quidem missione & doctrina ipsius annunciatione variisque miraculis confirmatione, potiores partes fuerunt ipsius Dei Patris, in morte vero subeunda potiores sunt filii. *Pro mundi* autem, id est omnium hominum (puta quoad consilium & intentionem Dei) *vita* dedit seipsum Christus carnemque suam Christus in mortem, quatenus ideo mortuus est ut mundus vitam æternam consequeretur. Quod quomodo factum sit, & istud ex illo consequatur explicavimus alibi. Quatenus videlicet & ipsa Christi mors dum nobis euangelium confirmat jus ad vitam æternam nobis largitur, atque ita vim quandam nos vivificandi in se habet, & Christus potestatem nos vitâ æterna donandi nonnisi per mortem est consequutus. Habes hic illustre documentum ejus quod vocula *pro* non significet *vice* seu *loco* quod illam vulgo significare volunt, in hac de morte Christi materia.

Vers. 52. *Pugnabant ergo Judæi*, id est inter se mussantes. Iterum perversitatem mentis suæ produnt, dum ad rem ipsam non attendunt, neque etiam de eo quod non intelligebant sententiam Domini exquirunt, sed more suo murmurant, & verba Domini tanquam impossibilia

tibilia traducunt, rem crasse considerantes, & ad invidiam Domino faciendam exaggerantes, *quomodo potest hic nobis dare carnem.* Cùm satis ex antecedentibus colligere potuerint, figuratum hunc esse loquendi modum nec debere proprie accipi. Sed quid facias hominibus nimia sui opinione turgentibus, & ad calculum ingenii aut potius ambitionis suæ omnia revocantibus.

53. *Dixit ergo eis Jesus* quia non recte cum Domino procedebant, neque id sibi à Domino explicari petebant ut par erat quomodo verba ejus essent intelligenda, sed statim illa tanquam impossibilia rejiciebant, ideo nec Dominus illis directe respondet, ut videlicet ostendat, quomodo id fieri possit, aut quomodo debeat intelligi quod asseruit, sed fortiori asseveratione id ipsum quod jam dixerat munit. Quasi dicat; utut vos mihi obloquamini, & hoc quod jam dixi impossibile esse dicatis, ego tamen etiam atque etiam id vobis confirmo, adeo rem hanc de qua jam dixi unicuique vestrum esse necessariam, ut nisi cibi hujus participes fiatis, frustra spem aliquam de salute vestra animo foveatis. Carni subjungit sanguinem, quia loquitur specialius quam antea, & quia usitatum est ut qui pane vescitur potum etiam ad sitim exstinguendam adjungat, ut ostendat id de quo loquitur ad integram hominis refectionem viriumque ejus instaurationem & vitæ prorogationem vim habere. Porrò cùm in superioribus Christum edere qui est panis ille qui de cœlo descendit, non aliud sit quàm credere in Christum, ut ex vers. 47 videri potest, etiam edere carnem Christi & bibere sanguinem ejus, non potest aliquid omnino à fide diversum significare. Jam enim docuimus non loqui hic Christum de pane à priore omnino diverso, sed de eo qui in illo quidem includatur, habeat tamen aliquid magis speciale propter quod nomen istud mereatur. Ita *edere carnem Christi & bibere sanguinem ejus* quod ad naturam quidem & essentiam ejus quod per istas voces significatur, idem erit quod Christum ipsum edere, credere videlicet in ipsum: sed habebit sibi adjunctam peculiarem quandam schesin & respectum, cujus causa specifice carni & sanguini suo nomen panis & potus attribuit. Id autem dupliciter explicari potest. Vel ita ut caro & sanguis Christi sit tantum objectum istius manducationis seu fidei, ut videlicet illam terminet, nec tam peculiaris ratio fidei per illam significetur, quàm effectus peculiaris fidem illam consequens; ipsa autem caro & sanguis id est mors Christi truculenta accipiatur metonymice pro ejus effectu, vi nempe mortis Christi: ut sensus sit; nisi credendo in me vim carnis & sanguinis id est mortis meæ truculentæ perceperitis, atque ita jus vitæ æternæ quod illa hominibus peperit vobis vindicaveritis. Vis enim ista mortis Christi in eo consistit, quod unicuique in Christum credenti dictet eum jus habere vitam æternam consequendi, & ratione istius vis secundùm istam phraseos hujus explicationem, caro id est mors Christi panis appellabitur. Vel etiam ita ut caro & sanguis Christi sit quidem objectum in quod fides nostra feratur, sed simul etiam contineat in se affectionem quandam, quæ fidem istam ex ipsius Christi manducatione in nobis ortam & excitatam velut animet, & robur quoddam ei addat ac ad ultimum perfectionis gradum adducat. Ut sensus sit; Nisi volueritis in me etiam crucifixum credere, & ipsa morte mea fidem vestram velut animare & in vobis ipsis augere, nedũ ut propterea à me recedere debeatis.

Non habetis vitam in vobis, Id est non potestis vobis vitam æternam polliceri, non habetis in vobis id quod vitam vestram prorogare vosque ipsos de vita æterna consequenda certos reddere queat. Habere vitam in seipso ponitur pro habere jus vitæ, seu de vita consequenda certum esse. Id enim est jus illud quod parit nobis mors Christi. Et hæc est illa vis quam nos percipere jubet dum jubet carnem suam manducare & sanguinem bibere.

Vers. 54. *Qui edit carnem meam.* Addit ista ut ostendat non solùm sine cibo isto neminem servari posse, sed etiam omnem qui fruitur isto cibo & potu, salutem sibi certo polliceri posse. Fieri enim potest ut aliquid ita sit ad rem aliquam consequendam necessarium ut sine ipso illam consequi nequeas, non tamen sit ad illam consequendam sufficiens.

Habet vitam æternam, Respectu juris videlicet & certitudinis.

Et ego id est quia ego. Non novum est particulam καὶ sumi pro quia. Modum explicat quo vitam æternam sit ejusmodi homo consequuturus, simulque occurrit objectioni, ex quotidiana fidelium morte suborienti.

Vers. 55. *Caro enim mea* id est mors mea truculenta. *vere est cibus*, id est jure & perfecte ei competit nomen cibi, respectu effecti, quia videlicet perfectissima ratione præstat id quod cibus præstare debet, vitam videlicet largitur. Vocem *veri* non ita hic accipi ut æquipolleat proprio, sed perfecto, notarunt ante nos alii, & patet ex omnibus illis metaphoricis de Christo loquutionibus, quando se vel pastorem, vel vitem, vel januam vocat. Declarat hic quod versibus antecedentibus asseruerat.

Vers. 56. *Qui edit meam carnem.* Comprobat quod vers. 54 dixerat & 55 declaraverat. Quasi dicat; Ideo autem eum qui carnem meam manducaverit & sanguinem meum biberit assero vitam æternam habiturum, quia qui carnem meam edit & sanguinem bibit, *in me manet & ego in eo*, id est mihi inseritur, mecum intime conjungitur: ut ego servator ipsius constituar, ille verò is qui sit à me servandus, quemque ego favore & summa charitate complecti debeo. Modus loquendi soli S. Johanni usitatus, quo & summa charitas & intima conjunctio indicatur. Etsi autem *manere* possit accipi pro simplici *esse*, significat tamen durationem quandam: ut sensus sit hominem ejusmodi Christo insitum atque unitum & arctissimo charitatis vinculo ipsi copulatum permanere.

Vers. 57. *Sicut misit me* &c. Pertexit institutam rationem quæ nondum fuit absoluta. Probandum enim erat hominem hujusmodi habere vitam æternam. Christus verò tantum probavit eum in Christo manere. Quare probandum restabat eum qui maneret in Christo habiturum vitam æternam: quæ est major propositio argumentationis Christi. Syllogismus est talis: Qui manet in me habet vitam æternam. Qui edit carnem meam & bibit sanguinem, manet in me. Ergo qui edit carnem meam & bibit sanguinem habet vitam æternam. Assumtio præcessit ℣. 56. Major cum sua probatione & cum conclusione hoc versiculo includitur. Est enim in his verbis hypallage. Non enim id ad propositum faciebat quòd Pater qui vivat Christum miserit, quod hic à Domino dicitur, sed id quòd pater qui illum miserit viveret: id enim ad rationem & institutum Christi pertinebat. Missionis verò suæ meminit ut conjunctionem suam cum patre ostenderet. Non potest enim non conjunctissimus & intimus missus mittenti esse, in re præsertim ob quam mittitur. Videtur igitur missionem à Patre suam loco mansionis in se subjecisse, quam vis institutæ rationis exigebat.

Propter patrem voculam διὰ vertunt alii *per*, ut sensus sit, hoc velle Christum dicere, quod ipse vivat virtute & efficacia Patris. Quanquam autem non est novum voculam istam ita verti; & hunc quoque sensum his verbis subesse libenter fatemur, credimus tamen amplius quid voluisse Christum dicere, quod nempe propter ipsam cum Patre conjunctionem, quam voce missionis insinuari diximus, idque virtute Patris vivat. Ideoque satius est voculam istam cum vulgata versione interpretari propter. Quasi dicat; Mea cum Patre conjunctio, & virtus ab illo proficiscens, in causa sunt quod ego vivam. Vivere autem se dicit in præsenti, puta in æternum; Nam de hac vita sermo est institutus, propter jus & certitudinem.

Et qui ederit me, id est, ita & qui. Non enim novum est in Sacris Literis voculam καὶ more Hebraico simpliciter poni pro ita &c. Ponit autem conclusionem pro majore, antecedens nempe *edere* pro conse-

quente, nempe mansione in se. Hoc enim & probationis institutæ ratio, & ipsa voci *Missionis* oppositio postulabat. *Vivet* puta in æternum. *Propter me* id est propter istam intimam conjunctionem quam manducatione ista mecum consequetur: vivet autem virtute & efficacia mea.

Vers. 58. *Hic est panis ille* id est ego. Generalis conclusio totius sermonis Christi, in qua summatim quæ hucusque disseruerat colligit, tacite insinuans majorem esse causam cur sibi nunc homines adhærescant & in se credant, quàm olim Judæorum patribus Mosen sequendi fuerit. Ideoque in sequente sermone, *Non prout comederunt* est Hypallage & concisa loquendi ratio. Non enim hic revera comestio cum comestione sed panis cum pane confertur. Ponitur itaque hic effectus seu consequens pro causa & antecedente. Quod fit propterea, quia simul involvere voluit rationem propter quam manna illud cum quo adversarii sui provolaverant, panem cœlestem esse negaret. Unde si resolvantur ista verba & quod involutum est evolvatur, sensus erit talis quasi dicat; Hic igitur, (ut se indicet, nempe ego) est panis ille qui de cœlo descendit, ei ratio nominis & appellationis istius verè competit: quia qui ederit hunc panem vivet in æternum. At illi quem vos pro exemplo attulistis, & panem cœlestem appellari dixistis, nomen id non competit, quia hoc non præstat, ut patet ex istorum ipsorum quibus datus erat exemplo: Licèt enim ipsum comederint, sunt tamen mortui. Verba istius versiculi omnia explicavimus jam superius.

Vers. 59. *Hæc dixit in Synagoga.* Subjicit hæc Euangelista ob loci in quo ista dicebantur celebritatem, ut simul insinuaret cur historicam istam relationem posuerit.

Vers. 60. *Multi ergo ex discipulis ejus.* Puta ex iis qui essent præter illos duodecim. Subjungit eventum hujus colloquii ut transeat ad aliud cujus ista occasio fuit, quod habuit tum cum aliis discipulis, tum cum Apostolis. Sermonis cum aliis discipulis habiti causa fuerunt ipsorum taciti interea susurri ob antecedentem Christi concionem. *Dixerunt* puta inter se murmurantes voce submissa.

Durus est hic sermo id est non solùm molestus auditu, sed etiam absurdus. *quis potest eum audire?* Quidam volunt *audire* positum esse pro intelligere, quod non est Sacris scriptoribus insolens: quasi ideo sermonem istum durum appellaverint quia eum intelligere non possint. Cùm tamen illi quia intelligere se putarent quæ Christus dixit, durum esse dixerint. Simpliciter igitur vocula ista accipienda, quasi dicerent; Ita radere aures ista verba, ut ne audire quidem illa sustinerent, propter eorum absurditatem, ut patet ex responsione Christi.

Vers. 61. *Sciens autem Jesus apud se* id est spiritu suo tacitos illorum susurros cognoscens. *Hoc vos offendit.* Hoc vobis absurdum videtur? Nempe quod de carnis meæ manducatione & sanguinis bibitione disserui. Hoc enim potissimùm absurdum visum, & ideo ipsos præcipue murmurasse, arguunt sequentia in Christi responsione de carne & spiritu.

Vers. 62. *Si ergo videritis* &c. Verba subobscura, quia non satis apparet quomodo cum antecedentibus & consequentibus cohæreant, quidque illis Dominus voluerit. Putant autem nonnulli, post verba versiculi istius subaudiendum esse, *cognoscetis quòd*: quasi docere voluerit, tum illos non iri offensum, quia videlicet cognituri sint quòd spiritus vivificet &c. Sed præterquam quòd vocula ἐν connexionem versiculi istius cum antecedentibus & consequentibus duriorem reddit, reprehendi hic illos apertius est quàm ut doceri debeat: quod tamen ex ista interpretatione non liquet. Satius est igitur ita hunc versiculum accipere, quasi dicat; Hoc vos offendit, cùm tamen videatis inveniri posse rationem aliquam carnis meæ comedendæ quamdiu vobiscum ego, qualis qualis illa tandem sit: Si *igitur* videritis *filium hominis*, id est me *ascendentem ubi erat prius* nempe in cœlum, hoc est postquam igitur ascendero in cœlum; quanto magis offendemini? Nihilominus enim etiam tum caro mea vobis erit comedenda. Nulla autem jam à vobis ratio inveniri poterit qua caro mea possit manducari. Hæc versiculi istius explanatio, & simplicior est, & cum superioribus atque inferioribus connexionem habet, denique intentioni Christi accommodatissima est. Primò enim ostendit, temere illos adeo absurdum ejus sermonem esse dixisse ut nemo illum sustinere posset, quia paulò post aliquid minus verisimile audituri essent, & tamen ei manus necessariò essent dandæ, quanto igitur magis huic? Deinde nullam in suo sermone esse absurditatem, visam autem ipsis fuisse ob non recte intellectam phrasin edendæ carnis & bibendi sanguinis: quia videlicet non ita sit caro sua comedenda atque illi voluerunt, puta oraliter & carnaliter. Id quod mox facit.

Vers. 63. *Spiritus est qui vivificat*, id est spirituale sit oportet quod vitam largiatur. *Caro* quoad suam substantiam, *non prodest quidquam*, ad vitam puta æternam alicui largiendam. Quasi dicat; Non fuit autem quod hoc etiam sermone meo offenderemini. Satis enim animadvertere poteratis, non me loqui de carne mea oraliter quoad substantiam manducanda, quasi illam vobis sive crudam sive assam aut elixam, quod vos somniatis, præberi oporteat. Nihil enim ejusmodi præstare potest caro, ideoque non est opus ut illa ipsa os vestrum ingrediatur, eamque vos deglutiatis, sed ad id ut carnem meam manducetis, sufficit ut spiritualiter id faciatis, id est mente vestra vim ejus percipiatis. Quod enim *vivificat* id est vitam largitur & prorogat *Spiritus est*, id est spirituale sit oportet. Spiritûs vox accipienda est non tantùm pro vi & efficacia divina, sed etiam pro ejus effectu qui vim illam in se velut defert, qualis est doctrina Christi, ut ex sequentibus apparebit.

Addit enim *verba quæ ego loquor vobis.* Quasi dicat; quod facietis si doctrinam meam receperitis & in me credideritis. *Verba mea* id est mea doctrina. Non enim ita strictè vox ista accipienda videtur, ut tantùm ad ea de quibus controversia est instituta pertineat, sed ad universam Christi doctrinam extendenda, cujus particula quædam fuerunt ista de quibus controversia Christo fuit mota. *Spiritus sunt & vita*, id est de spiritu & vita loquuntur, ut quidam interpretes explicant. Vel potiùs ita accipe, ut plenum hic velut Syllogismum faciat Christus, & majori propositioni subjungat assumtionem & conclusionem. Ita: verba autem mea sunt spiritus, igitur & vita. Quare hæc comedite, id est amplectimini & recipite. Ita carnem meam comedetis, & vitam consequemini. Jam verba sua id est suam doctrinam vocat spiritum, tum quòd à spiritu divino manat, tum quòd vim in se spiritualem continet, & quia quandoque cum ea spiritus ipse divinus conjunctus esse solet. Ita vocem spiritus sumi habes exemplum 2 Cor. 3. *vita sunt* id est sunt in causa ut homines vitam habeant nempe æternam, dum videlicet eam promittunt, & jus illam adipiscendi conferunt: qua ratione inferius cap. 12. vers. 50. *mandatum patris vitam æternam esse* dixit, quòd vitam afferret.

Vers. 64. *Sed sunt* &c. Quia poterant occasione superiorum Christi verborum ita isti discipuli cogitare: Cùm igitur omnes tua verba audiverimus, omnes ergo vitam æternam habebimus; ideo subjicit ista, ut huic illorum cogitationi occurrat, & ostendat istam verborum suorum ut ita dicam manducationem, non esse sitam in sola eorum auditione & perceptione, sed requiri amplius aliquid, nempe ut illis credatur, ac proinde illos cùm non omnes crederent, omnes etiam blandiri sibiipsis minimè posse. Quasi dicat: Sed ne vobis temere blandiamini, sunt quidam è vobis qui non credunt, utut nomen meum profiteantur, & me pro doctore suo verbis agnoscant, verbaque mea auribus hauriant. Credere verò verbis meis oportet eum qui cupit ut ipsi vitam

vitam adferant. Insinuare videlicet apertè voluit quid verbis suis faciendum esset, quod tacite in concisa superiore oratione subintellectum erat. *Ex vobis.* Alloquitur discipulos illos qui murmurabant, quibus haud dubie permisti erant etiam Apostoli, & ipse Judas, quem quoque hic à Domino esse petitum patet ex subjectis Euangelistæ verbis.

Noverat enim. Ipsius S. Iohannis verba per parenthesin orationi Domini interjecta: quæ apponit ideò quia cùm asseruisset ipse istos qui murmuraverant fuisse discipulos, adeoque credidisse (quomodo enim discipuli, si non crediderunt?) hîc autem Christus affirmet quosdam ex iis non credere; poterat aliquis non injuriâ cogitare, illos cùm antea credidissent, tum Christi isto sermone offensos, credere desiisse: adeoque non rectè factum à Domino qui tanti mali causam præbuerit. Occupat igitur utrumque horum S. Iohannes, dum causam indicat, ob quam Dominus incredulitatem quibusdam exprobrasset. Quasi dicat; Nemini autem id Christum dixisse mirum videri, aut in suspicionem, quasi hoc sermone demum offensi fidem abjecerint, venire debet. Multi enim inter illos qui nomen Christi profitebantur fuerunt, qui utut illius doctrinæ assentirentur, ipsumque pro propheta agnoscerent; *non* tamen *credebant*, id est, non tamen ita animos eorum illius doctrina afficiebat, ut fides ipsa illis penitus infixa hæreret, quæ spem summi boni ex illius manibus consequendi illis ingeneraret: sed levicula quædam & quasi superficialis erat in illis persuasio, qua permoti, terrenum quid à Christo exspectantes illum assectabantur. Non credendi vocem in significatu pleniore usurpat, ut illis etiam fidem adimat (neque pro fide assensum ejusmodi censeat) qui licet aliquam de Christo persuasionem habebant, ideoque ut aliquid boni ab illo perciperent, puta cibarentur ipsum sequebantur, non tamen penitus & ex animo illi in omnibus assentiebantur.

Dicit autem novisse *à principio*, id est simulac isti ad Christum accederent, & illum pro propheta se agnoscere testarentur. Non temporis scilicet tractu id explorabat, sed ab ipso professionis uniuscujusque initio, mens ipsorum optime illi cognita & explorata erat. Superius cap. 2 dixit, Non opus ei fuisse ut quisquam ei testaretur de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine. Quod autem hîc asseruit, verisimilius facit ista adjectione quòd noverat etiam illum *qui eum proditurus esset*, id est qui ea esset animi versutia & perversitate ut ad id facile adduci posset, & quo Deus olim ad rem istam perficiendam esset usurus, quemque jam velut eò destinarat: Non quidem necessariò, quod ad ipsius personam, sed inspecto interius recondito ipsius ob avaritiam ad omne scelus promto ac venali animo. Ut enim Deus non ita istam personam huic rei destinavit quin aliter fieri nullo modo posset, sed tantùm eatenus quatenus per domesticum prodi Christum voluit, iste autem inter domesticos ad eam rem esset aptissimus: cùm omittere istud factum, imò etiam Christo penitus, magno licet nisu & molimine adhærescere posset, si vim sibi facere animumque pravum corrigere voluisset; ita prænoverat etiam & prædixerat id Dominus, non tanquam ἐσόμενον, sed tanquam μέλλον, inspecta videlicet ipsius naturâ & animi inclinatione, non verò quasi ineluctabili fati necessitate ad id facinus traheretur. Aliàs enim injuriâ in ipsum tantopere inveheretur, ut mox audiemus & alibi legimus.

Vers. 65. *Et dicebat, &c.* Adhuc sunt verba Iohannis, quæ propterea subjicit, quia continuum velut orationis Christi tenorem illa parenthesi intersecuerat. Itaque sequentia verba ita legenda ut eodem spiritu & sine interruptione cum prioribus prolata. Reddit enim in iis rationem cur superius dixerat ℣. 44, *Nemo potest venire ad me nisi pater qui misit me traxerit eum.*

Propterea quia scilicet sunt quidam ex vobis qui non credunt, *dixi vobis*, versiculo videlicet 44. Apparet enim respici ad verba colloquii superioris. Nulla enim occurrunt præter ista ℣. 44, quibus tale quid videatur comprehensum. Unde colligitur, *datum esse à Patre* idem esse quod *trahi à Patre*, ac proinde audire ac didicisse à Patre. Ut sensus sit; *Neminem posse venire ad Christum*, id est credere in ipsum, *nisi fuerit ei datum à Patre*, id est, nisi donum sibi à Patre oblatum recipiat, nempe nisi fidem quam sibi vult inserere Deus, tanquam singulare Dei beneficium, agnoscat & amplectatur. Antecedens, nempe datio pro consequente nempe receptione, vel potius causa, nempe oblatio beneficii & invitatio ad fidem, pro effectu ejus nempe acceptatione, posita. Quod autem de superiori phrasi *trahi à Patre* diximus, id hic etiam repetendum est, nempe ideo id in quo partes etiam nostræ sunt non postremæ, fidem videlicet nostram, Deo hic tanquam ejus insertori attribui, ut sciremus non esse illam ita opus nostram ut primum ad eam concipiendam principium sit in nobis, sed pendere à voluntate & gratia divina.

Vers. 66. *Ex eo multi discipulorum ejus*, Ex illis videlicet qui murmuraverant. Eventus colloquii cum ipsis Christi. Quem subjicit tum ad confirmandum recte dixisse Dominum quòd quidam ex iis non crederent; id enim eventus docuit statim; tum verò quia occasionem præbuit sequenti cum solis Apostolis colloquio Christi. *Abierunt retrò* id est relapsi sunt ad pristinum suum in religione statum. Non tam enim videtur ad id respicere quod à Christo corporibus discesserint, quàm quòd animis: etsi ne hoc quoque sit excludendum, tanquam illius apostasiæ consequens: præsertim cùm addat, *nec amplius cum eo versabantur*, tanquam scilicet cum magistro & doctore suo. Apparet eos qui aliquem pro doctore suo agnoscerent sequi etiam ipsum solitos. Christum certe discipuli ejus sequebantur, ut cœlestem ex ipsius ore manantem sapientiam avidis auribus combiberent.

Vers. 67. *Dixit ergo*, Nempe cùm videret illos pedem retulisse. Particula *ergo* innuit factum istorum causam fuisse alloquii sequentis Christi.

Num & vos vultis abire. Quo fine illos duodecim ita fuerit alloquutus, cum mentes omnium nosset, disputant interpretes, complures istius interrogationis causas afferentes. Inter quas hæ tres videntur præcipuæ. Prima est, quia voluit significare nolle eos vi atque in gratiis apud se retinere, ideoque indicat liberum ipsis esse ut à se abeant, nec tamen propterea se animo dejectiori futurum, aut ab opere suo cessaturum. Quasi dicat; Cum videatis tot discipulos me deseruisse, potestis vos etiam si libet factum eorum imitari, ego neminem invitum apud me retinebo. Secunda est, quia voluit ipsis ansam præbere, ut animadvertentes nullam subesse justam deserendi sui causam tanto magis ipsi adhærescerent. Fit enim nescio quo ingenio humano ut quæ prohibentur magis appetamus, & eo ipso cùm alicui quidpiam faciendi & non faciendi copiam damus, ad illam omnino faciendam eum animemus: ubi præsertim nullam subesse causam videt cur id non faciat. Ita Josua copiam fecit populo non serviendi Jehovæ, cap. 24. ℣. 19, 20, ut tanto magis eos adstringeret Jehovæ. Et Elias, *Quousque tandem claudicatis in duas cogitationes? Si Jehova est Deus, ite post illum: si verò Baal, ite post ipsum.* Certè autem noluit ut Baalem anteponerent Jehovæ. Tertia est quod voluerit ex ea occasione elicere declarationem ipsorum, testem futuram quòd non vi aliqua adacti, sed sponte & propria inductione animi Domino adhæserint.

Vers. 68. *Respondit ergo ei Simon Petrus*, nomine videlicet etiam reliquorum. Vel quia natu reliquis major, eoque ei reliqui concederent, vel quia fervidior & audacior. Certe quod non suo tantum nomine ista dixerit, patet ex ℣. 70 verbis, *respondit eis Jesus.* Hoc enim ipso indicatur ita verba Petri à Domino accepta & intellecta esse atque si mens eadem fuisset omnium.

Domine ad quem abibimus? te videlicet relicto. Quasi dicat; Nemo est ad quem ire possimus. Ipsa interrogatione fortius negat se abiturum atque si simpliciter dixisset, non abibimus. Responsio cum causa conjuncta. Videtur enim tres causas voluisse afferre cur nolint ipsum deserere: quarum prima sit ista quòd nullus sit propter quem ipsum deserere possint. Quanquam hæc verba ita accipi possint ut simplex tantum sit assertio cum negatione simplici convertibilis. Ut dicere, nullus est quem te relicto sequamur, idem sit atque istud, te igitur non relinquemus aut deseremus. Id quod duabus deinde comprobat causis. Quia & rem omnium præstantissimam in suis manibus habeat Christus ipsisque polliceatur: & ipse sit omnium longe præstantissimus. Illud est in his verbis, *verba vitæ æternæ habes*. Alludit proculdubio ad ea quæ paulo ante præcesserunt, dum Christus dixit, *verba mea spiritus & vita sunt*. Istud *habes* emphatice dictum. Id est, non solùm proponis simpliciter, quod facere poterant etiam alii, sed tibi est ejus annunciandæ & proponendæ provincia commissa, in tuis velut manibus cælestis ista doctrina est reposita. Cur igitur tantum bonum relinquamus? Ratio sumta ab effectu. Quam primo loco posuit, quia felicitatem summam habet secum conjunctam. Nihil autem potentius persuadet quàm id quod cum bono & utilitate nostra conjunctum est.

Vers. 69. *Et nos credidimus*, Id est ut semel assensi sumus, ita etiam nunc credimus. Præterito usus pro præsenti, ad denotandum inoffensum & minime interruptum rei de qua loquitur tenorem & tractum. Altera causa sumta à summa ipsius Christi personæ præstantia. Postposuit autem fidei cognitionem, cum ait, *credidimus & cognovimus*, cùm tamen fides necessario cognitionem præexigat, ut indicaret fidem suam non levibus de causis ortam, aut etiam imbecillis fundamentis esse nixam, sed solida & plena ejus præstantiæ cognitione. Solet enim levibus quandoque de causis fides in aliquibus oriri, ideoque non est durabilis. Quasi dicat; Nec levibus ad id argumentis adducti sumus ut ei rei assentiremur sed documentis irrefragabilibus edocti id verum esse deprehendimus & comperimus. *Christum illum filium Dei viventis*. Hæc est augusta illa Jesu Domini præstantia quam se in eo deprehendisse, ac proinde nolle ab eo recedere profitentur Apostoli. Posita autem sunt ista duo *Christum & filium Dei*, non tanquam diversa, sed tanquam æquipollentia, & quorum unum explicet aliud per appositionem, ideoque etiam non additur particula copulativa. Ideo quippe dicitur Christus quia filius Dei, & ideo filius Dei quia Christus. Neque enim videtur hic ad illam filiationis Christi causam respicere quòd ex spiritu sancto est miraculose conceptus, quod forte tunc ignorabant Apostoli: sed quòd Deo Optimo Maximo esset cùm charissimus, tum etiam simillimus, quà donorum sibi collatorum ratione, quà vitæ puritate, ideoque etiam conjunctissimus. Vide pleniorem hujus rei explicationem, de uno Deo Patre, lib. 1. sect. 2. arg. 31.

Dei viventis Epithetum hoc sacra pagina Deo tribuit non tantùm ut illum vitæ authorem esse doceat, sed etiam ut idolis & diis gentium opponat, quæ non vivunt ipsa, nedum aliis vitam conferant.

Vers. 70. *Respondit eis Jesus*, Quæritur hoc loco ab interpretibus cur ob ejusmodi declarationem non laudet hic Petrum Dominus, sed quodammodo tacitus illam prætervehatur, tantum ostendens non omnes ista confessione gloriari posse: cæterum de ipsa, an videlicet ipsi acquiescerent, ne verbulum adjicit. Videri autem potest Christum id propterea fecisse, ne si laudasset Petrum, cupidius ejusmodi declarationem quæsivisse, aut etiam sui ipsius laudem affectasse videretur: à quo ille fuit adeo alienus, ut quædam etiam miracula sua taceri juberet, ne si divulgarentur, propter captandam popularem auram ab ipso conficta crederentur. Jam quod ipsam responsionem attinet, cùm ait, *Nonne ego vos duodecim elegi?* nempe ut essetis mei Apostoli, corrigere quodammodo voluit Petri sermonem, non omnium illorum eandem esse de se sententiam & opinionem, utut esse debuisset. Quasi dicat; Nonne ego vos duodecim tanto affeci beneficio ut vos è reliquorum omnium numero eligerem, & ad augustissimum munus mihi segregarem ac destinarem, ut mihi proximos esse vellem. *Et unus ex vobis est Diabolus*. Id est, & tamen inventus est inter vos unus adeo ingratus, & gratiæ meæ immemor. In vocibus *ex vobis* & *diabolus* sunt emphases & vis ingens exaggerativa. *Ex vobis* inter vos quos ego ita arcte mihi adstrinxeram, quos tantopere adamaveram, quique utpote domestici mei, omnium optime dicta factaque adeoque munus meum pernoscere & æstimare poteratis. *Diabolus* id est Diabolo similis, ingenium ejus referens: videlicet qui non ex animo sed superficialiter tantùm credit, cujusque animum nihil ista omnia afficiunt, qui est animo pessimo, & tali cui facile Diabolus id etiam ut me prodat persuadere possit. Res enim verisimilis est illum jam tum de prodendo Domino cogitasse, sed postea demum id consilii inivisse: quod etiam sacræ literæ testari videntur. Reprehendit illum quod talis esset qualis esse minime debebat, animo videlicet versuto, callido, avaro, & tegente pravitatem, mox occasione oblata erupturam.

Vers. 71. *Loquebatur autem* &c. Quia nomen istius discipuli non expresserat, ne quis de alio aliquo id protulisse Christum putaret, qui tanto se scelere contaminaret, addit Apostolus de Juda Iscariote id Christum dixisse.

CAP. VII.

CApitis hujus partes duæ sunt. Narrat enim Euangelista quid post proximum colloquium sive ipse Christus fecerit aut dixerit, sive circa ipsum evenerit, tum ante festum tabernaculorum in Galilæa, tum in festo tabernaculorum Jerosolymis.

Vers. 1. *Posthæc*, id est postquam ista quæ capite superiore recensuit, evenissent. Prima est capitis pars ad vers. 11. porrecta. Initio autem summatim indicat, ubi & quare post omnia ista commorabatur, ut sibi sterneret viam ad ea quæ mox propositurus erat, & quorum cognitio ex his pendebat. *Ambulabat Jesus*, id est versabatur, morabatur. *In Galilæa*, sive Capernaumi, sive alibi in ista regione. Cur verò ibi maneret exprimit, *non enim volebat in Judæa ambulare*, quod munus ipsius postulare videbatur, ut in loco celebri moraretur, unde tanquam è specula conspici, & facilius omnibus innotescere posset. *Quia quærebant eum Judæi interficere*. Ob illud videlicet miraculum quod supra retulit Euangelista cap. 5. Legimus enim expresse vers. 16. *& studebant eum interficere quod ista fecisset sabbato*. Magis autem ob apologiam ipsius qua factum istud suum tuebatur, ut additur vers. 18. Cur autem mortem subterfugeret quam se subiturum sciebat, in causa est quia nondum tempus à Deo constitutum venerat. Maluit verò impetum Judæorum ita declinare, quum miraculo quandocunque & undecunque vellet elabi posset, ne miraculo præter necessitatem uti cogeretur: cum præsertim in ipsa Galilæa aliquid interea boni præstare posset. Etsi autem tempus mortis ipsius erat à Deo ipsi designatum, non tamen ita præfinitum absolutè, quin hinc aliquid partibus Christi hoc est prudentiæ & sapientiæ ejus esset reservatum, ne ipse etiam sibi malum accerseret, & se sine necessitate periculis exponeret. Cæterum quam longum tempus istius in Galilæa commorationis Christi fuerit, non indicat Euangelista, sed ex collatione versiculi sequentis cum versic. 4. capitis antecedentis colligi potest. Ibi enim innuitur cum instaret tempus paschatos illum Judæâ excessisse, hic autem indicatur prope fuisse festum tabernaculorum, ad quod demum ascenderit Jerosolymam. Nec igitur ipso festo Paschæ, nec interjecto inter illud & scenopegia tempore, fuit in Judæa, sed totum istud tempus transegit in Galilæa.

Vers. 2. *Prope autem erat*. Invitationem Christi in Judæam,

Judæam, ac pòst ascensum etiam relaturus, tempus describit quod occasionem invitationi præbuit. Jam Scenopegia festum est tabernaculorum, de cujus origine & institutione lege Levit. 23.

Vers. 3. *Dixerunt igitur*, quia nempe festum istud imminebat. *Fratres ejus*, Consanguinei videlicet, sive consobrini, sive alio cognationis gradu Domino conjuncti.

Digredere hinc & vade in Judæam. Quasi dicant; Quid hic in locis istis obscurioribus lates, ubi nomen tuum non ita Judæis innotescere potest, quin potiùs hinc abis, & Judæam ipsam ubi est lux & celebritas, petis?

Ut tui quoque discipuli quos diceris habere non paucos ibi tuæ doctrinæ faventes, & te pro magistro suo agnoscentes.

Spectent opera tua, id est miracula, *quæ facis* quæ diceris hic facere, quemadmodum multa narrantur de te. Quo animo autem ista dixerint isti, Dominoque velut imperaverint, quærunt hîc interpretes. Ut autem ex eo quod inferius de eorum incredulitate asserit Euangelista, patet non esse id ab animo sincero profectum, ita est verisimile illos vel propriæ gloriolæ studio id fecisse, sperantes id sibi quoque gloriosum fore, si in ipso velut orbis Judaici theatro consanguineus ipsorum approbaretur, utpote cùm & ipsi eo profecturi essent: vel etiam ut invidiam à se amolirentur, qua non est prorsus incredibile ipsos deflagrasse, quod ex consanguinitate ipsorum unus populum turbaret, & novam sectam introducere conaretur: ipse verò si in loco illo illustri reprobatus & rejectus fuisset, hac ratione compesceretur & ab instituto suo retardaretur.

Vers. 4. *Nemo enim in occulto facit aliquid*, Nempe præclari & quod commendationem ac plausum meretur. Simpliciter enim accepta ista oratio est falsa. Rationem sui sermonis adferunt. Quasi dicant; Hoc quod jam facis cum instituto & intentione tua minime convenit, imò est illi contrarium. Qui enim vult conspici & os populi mereri, qualis tu es, qui te vis pro magistro & propheta ab omnibus recipi, non patrat in angulo quicquam ejusmodi quod ad famam & celebritatem nominis comparandam facit: sed loca illustria è quibus tanquam e specula ab omnibus conspici queat sectari & quærere solet. Oratio Euangelistæ videtur inversa: pro eo quod scribere debuisset; Nemo qui quærit ipse in celebritate esse, in occulto facit aliquid. Jam παῤῥησία quæ vox propriè libertatem in sermone significat, per synecdochen hic latius extendi videtur, ut celebritatem etiam denotet. Infra ℣. 26, παῤῥησίᾳ λαλεῖ aperte loquitur.

Si hæc facis id est miracula tanta quanta circumferuntur de te. Conclusio ex ratione superiori educta. Est autem oratio de miraculis Domini subdubitantium.

Patefacito teipsum mundo videlicet Judaico, ascende Jerosolymam, quò totus velut mundus colendi Dei gratia venire solet: mundus puta Judaicus, omnes vel plerique Judæi. Non enim de gentibus, cùm ipsi essent Judæi eoque gratiam Dei extra ipsorum pomœria non extendi crederent, eos cogitasse par est.

Vers. 5. *Nam ne fratres quidem.* Id est non solùm alii, sed ne isti quidem quos ob ipsum naturale vinculum magis verisimile erat ipsum sequuturos. Subjicit hæc Euangelista propter illa verba, *si hæc facis*, quæ innuebant illos subdubitasse de miraculorum Christi veritate. *Non credidisse* autem eos dicit voce fidei in pleniori significatione sumta. Habuisse enim eos aliquid fidei patet ex ℣. 3, quo aperte Christum miracula facere affirmant. Sed ut ferè solent quibus magis mundus allubescit & res carnales sapiunt, nutabant, & cum utique Christum miracula facere negare non possent, non tamen ea tanta esse putarunt ut propter ea ipsi fidem penitus adjungendam existimarent, atque ita magis in incredulitatem quàm fidem propenderent.

Vers. 6. *Dicit ergo eis Jesus.* Responsio Domini ad sermonem cognatorum, qua negat se cum illis iturum. Primò autem causam adfert, cur non possit unà cum illis ire. *Tempus meum nondum adest.* Quasi dicat; Alia ratio est mei, alia vestri: vobis licet semper quando vultis eò proficisci, mihi autem non semper id expedit. *Tempus meum* in ed proficiscendi eò. *Nondum adest* Non negat se etiam in Judæam profecturum, atque ita indicat, nolle se in angulo Galilææ latere & lucem hominum subterfugere, sed tantùm nondum advenisse tempus quo vellet & posset tutò proficisci. Apparet cognatos istos Domini anticipasse tempus profectionis, & ante ipsum festum voluisse venire Jerosolymam, sive ut necessaria ad festum ibi peragendum sibi tempori compararent, sive ut purificarentur si qui impuri inter eos essent. Legimus enim infra cap. XI, multos ascendisse Jerosolymam ante Pascha eo fine ut purificarentur. Unde apparet usitatum id Judæis fuisse, si qui inter illos essent impuri. Quia verò verisimile est nil tentaturos fuisse adversus Dominum in ipso festo, nam id etiam ipsi ut legimus alibi præcavebant, ne in festo comprehenderetur, ideo in ipso demum festo ascendit. Non verò prius, ne si animadversus esset miraculo cogeretur manus ipsorum effugere. Ideoque neque publice aut cum cognatis: quia verisimile erat Judæos, si voluissent ipsum comprehendere inter suos maxime ipsum quæsituros fuisse. Tamdiu igitur in Galilæa subsistit, nec cum ipsis etiam cognatis proficiscitur, donec odia Judæorum detumescant, & omnes occasiones ipsius comprehendendi Judæis subtrahantur.

Tempus autem vestrum semper est paratum, Vobis semper licet eò ire, nullus vos metus retinet quominus eatis.

Vers. 7. *Non potest vos mundus odisse*, Causam subjungit responsionis suæ, quæ ut illum metuere jubebat, ita cognatos liberabat à metu. *Non potest* autem dixit, Non quòd id esset omnino impossibile, sed quia non verisimile aut credibile. Non est causa cur vos odio prosequantur homines. Nam & mihi non adhæretis, & vitam illis conformem transigitis.

Vers. 8. *Vos ascendite.* Expolitio qua eadem quæ superiori versu dixit repetit.

Vers. 9. *Hæc autem quum eis dixisset, mansit in Galilæa.* Dictum & factum. Docet Euangelista Christum ita revera fecisse ut verbis præ se tulerat.

Vers. 10. *Ut ascenderunt autem fratres ejus.* Incipit altera capitis hujus pars. In qua describitur primo ascensus ipsius Christi Jerosolymam: deinde quæ tum de ipso alii dixerunt, tum quæ ipse inibi, & ad suos inimicos & ad turbam dixit. Deinde particulæ plures partis hujus constitui possunt. Prima hoc versiculo continetur, de ascensu Domini Jerosolymam. Dicit autem post ascensum demum fratrum suorum ipsum ascendisse. Cùm videlicet & de fervore illos jam aliquid suo remisisse conjiceret, & extra periculum quà in itinere quà in ipsa urbe se futurum videret.

Ad diem illum festum puta in ipso initio festi, sed ita ne quisquam illum adesse conspiceret, donec in medio festi ad templum ascendisset. Non enim statim in templum venisse simul ac Jerosolymam venit, collatio versiculi hujus cum 14 suadet. Unde sequitur illum incognito apud aliquem per tres puta dies in urbe delituisse. Nisi malis illum quidem paulò ante festum è Galilæa excessisse, & cum aliquid itineris confecisset, primo die festi sive Sabbato quievisse, & demum reliquum itineris absolvisse, atque ita non multo pòst postquam urbem esset ingressus in templum ascendisse. *Non manifestè sed velut in occulto.* Ne videlicet in itinere insidiis hostium suorum obvius & expositus esset, ex quibus postea miraculose evadendi necessitas ipsi imponeretur.

Vers. 11. *Judæi ergo*, Particula altera: sermones de ipso varii, cùm hostium ipsius, tum turbæ. Hostium quidem quòd non conspicientes illum quærerent ubi esset. Nam Judæorum nomine intelligendi videntur Jerosolymitani, ad distinctionem Galilæorum, & inter eos maxime primores civitatis, nempe principes & sacer-

sacerdotes, cùm & à turba distinguantur apertè, & iidem esse videantur cum illis vers. 13 nominatis, sed & vers. 15, quibus hoc expresse Dominus objicit quòd ipsum quærerent interficere. Cæterum cùm particula *ergo* superiora respiciat, dici potest Iohannem innuere voluisse istos subolfecisse ipsius adventum in urbem, & ista cùm ipsum nihilominus non viderent dixisse. Quasi dicat; Cùm ergo ipsum adesse, inaudivissent, nec tamen apertè conspiceretur, quærebant & dicebant &c. Nisi mavis simpliciter ita: Cùm ergo substitisset in Galilæa nec manifeste conspiceretur Jerosolymis, quærebant & dicebant, *ubi est ille?* tanquam de noto loquuntur: nomen autem propter contemtum & indignationem non exprimunt, dicturi proculdubio, ubi est ille seductor & turbator populi?

Vers. 12. *Et murmur multum erat.* Cùm primores inquisitione & sermone suo dedissent occasionem, etiam turba quæ ex variis locis religionis ergo confluxerat, de eo inter se confert: sed non clara voce, verùm mussitant, & clancularis susurris (causam mox audiemus) inter se agunt. Aliis quidem dicentibus *bonus est*, vir candidus est & rem agit integre, non est seductor. Bonitatem istam ad doctrinam potissimùm & fidem Domini in agendo referendam, indicio est contrarium aliorum de Domino judicium, qui bonitati isti opponebant *turbam seducit* id est, veterator est, in errorem populum inducit, & à veris doctoribus seducit. Varia pro varietate animorum de Christo judicia.

Vers. 13. *Nullus tamen palàm loquebatur de eo.* Etiam nomen ipsius in ore pluribus audientibus habere non audebant. Causam affert cur dixit murmur fuisse, *Propter metum Judæorum.* Jerosolymitanorum puta & in iis maxime procerum. Id autem potissimùm de melioribus accipe: nam illis qui seductorem eum vocabant, quid poterat esse à Judæis periculi? Alii autem poterant vel correptionem & reprehensionem aliquam, vel è synagoga ejectionem, vel denique acriorem animadversionem metuere. *Metum* autem *Judæorum* dixit, quòd metuerent Judæos & ipsorum atrocitatem.

Vers. 14. *Jam autem festo mediante.* Tertio puta, aut potiùs quarto die, qui proprie medius festi erat. Cùm Dominus existimaret mora ipsa (nam ut diximus diutius aberat, & illi proculdubio ne in pascha quidem illum adfuisse compererant) iras primorum deferbuisse, nec ignota esse possent ipsi tam diversa de se turbæ judicia, & nonnullos sibi æquiores animadverteret, nollet verò officio docendi decesse, *ascendit* & ipse *in templum, & docebat.* Tertia particula, qua & ascensus ipsius Domini in templum, & quæ tum ipse ibi dixerit, tum quid circa ipsum contigerit narratur ab Euangelista. *Docebat* addit hoc tum ut causam ascensus Domini in templum indicaret, tum etiam idque potissimùm ut sequentibus quæ mox traditurus est viam aperiret quæ ex ista occasione profluxerunt. Fuerunt autem complura, inter quæ prius erat posterioris causa & occasio, ut fere in colloquiis & conversatione mutua fieri solet.

Vers. 15. *Et mirabantur Judæi.* Primores puta seu adversarii ipsius. Mirabantur autem doctrinam ejus, *dicentes quomodo iste literas novit*, id est tam egregia & præclara novit quæ nonnisi in literis ac scriptis continentur & ab iis tantum qui sunt eruditi & literas didicerunt proficisci solent. *Quum non didicerit*, cùm scholas non frequentarit.

Vers. 16. *Respondit eis Jesus*, Ex ista hostium suorum admiratione arripit Christus occasionem doctrinam suam commendandi, & simul innocentiam suam ostendendi, ac illorum perversitatem quod se quærerent interficere coarguendi. Ac quod ad doctrinam attinet, docet minime id esse mirandum quòd talia doceret. Quasi dicat; Non est quod miremini me tam illustria & præclara docere, quæ nonnisi ab iis qui literis insudarunt & inde magnam eruditionis copiam sibi collegerunt prodire solent, licet scholas non frequentaverim, quia *mea doctrina* id quod ego doceo, *non est mea* non est id à me excogitatum, nec ego id inveni sumve ejus author. *Sed ejus qui misit me*, sed hausi eam aliunde, & ab eo *qui misit me*, patre videlicet meo cœlesti, qui istam doctrinam mihi tanquam legato ad vos suo dictavit & inseruit. Non exprimit eum cujus istam doctrinam esse velit, sed tantùm describit, & vult ab illis quis is esset subintelligi. Describit autem ita ut simul rationem afferat, cur illam doctrinam quæ non sua esset ipse nihilominus & sciret & propagaret. Est autem in his verbis *doctrina mea non est mea* ἀναλογία sive apparens contradictio, sed quæ facile tollitur. Erat videlicet ipsius quatenus eam propagaret & promoveret, non tamen ipsius, quia non ab ipso excogitata, sed à Patre hausta & demandata.

Vers. 17. *Si quis voluerit.* Quia nuda assertione nihil proficitur ab eo qui apud aliquem est suspectus, ideo ne rem ita ut asseruerat habere dubitarent, dupliciter id comprobat, primò quidem ex ipsorum persona, deinde ex sua. Ex illorum, dum indicat quo animo ad illam accedere deberent, confirmans judicium illos de sua doctrina statim facturos. Quasi dicat; quodsi ita ut ego dico esse dubitatis, nec verbis meis fidem adhibetis, at vos mentem vestram ad faciendam Dei voluntatem componite, quod vos facere teneri ne ipsi quidem inficias iveritis, & cum pietatis ac vitæ integritatis studio ad meæ doctrinæ examen accedite, faxo ut ipsimet deprehendatis me nihil nisi quod mihi injunctum & commendatum est à Patre, docere. Hoc tantum subintelligit & velut in medio cogitationi ipsorum relinquit, pro eo subjiciens utrumque extremum. *Utrum ex Deo sit* id est Deum habeat authorem, *an ego à me ipso loquar*, an verò ego ipse eam doctrinam excogitaverim. Est igitur multum in eo situm quo animo quis accedat ad doctrinam Christi: neque mirandum si in aliis multum in aliis verò nihil ea proficiat. Ipsa videlicet probitas animi & honestatis studium ducit & invitat unumquemque hominem ad doctrinam Christi. Non potest enim probitas non esse probitati conformis. Sed & Deus etiam hominem ejusmodi qui sit animo candido & pietatis studioso ipse ducit ac dirigit, nec patitur à recta veritatis via aberrare. Et potest quidem talis in aliquo errore versari, non tamen ejusmodi etiam & tanto qui sit cum periculo salutis conjunctus.

18. *Qui à semet ipso loquitur.* Aliud argumentum ab ipsius persona petitum, quo deprehendere possint se non loqui à seipso, sed tantum ea quæ ipsi Deus commendaverat. Est autem quodammodo duplex. Prius tale: Qui à semet ipso loquitur gloriam propriam quærit, Ego gloriam meam non quæro, Ergo ego non loquor à meipso. *A semetipso loqui* est doctrinam ut diximus à se inventam & excogitatam seu cerebri sui figmentum proponere. *Gloriam suam quærit*, id est primò omnium gloriolæ vanæ cupiditas illum titillat: quanquam ne compendia quidem & opes hinc excludendæ. Hæc enim simul conjungi solent, & alterum absque altero languet. Jam autem assumtionem non subjungit, sed illis relinquit, qui subsumere facile poterant, animadvertentes singularem ipsius modestiam, quòd minimè esset sui ostentator, & qui premere etiam juberet miracula sua, de quibus suspicio aliqua esse poterat, nec nisi coactus ad authoritatem suam vindicandam descenderet. Posterius argumentum est veluti inversum. Qui quærit gloriam ejus qui misit ipsum, hic verax est, nec injustitia est in ipso. At ego sum talis. Ergo &c. Et hanc etiam assumtionem reticet. Porrò voces *qui misit ipsum* ad subjectum certum restringendæ sunt nempe Deum. Aliàs enim propositio falsa est: cùm possit aliquis sciens aliquid ab alio esse confictum ipse tanquam verum urgere & inter homines spargere. *Verax est* candide agit. *Et injustitia non est in ipso*, non seducit homines, non illudit credulitati humanæ. Idem cum eo quod supra dixit ex Deo est, non à se ipso loquitur.

Vers. 19. *Nonne Moses:* De nexu horum verborum cum superioribus laborant interpretes. Et quidem nonnulli putant nullum esse, nec esse quærendum ubi nullus omnino

omnino sit. Sed videtur tamen aliquis esse, isque talis. Quia ostendendo unde doctrinam suam hausisset, simul etiam probaverat nihil esse causæ cur seductionis accusaretur, commoda oblata occasione ad recens ab illis sibi objectum crimen redarguendum illisque malitiam eorum quod se injuste occidere vellent exprobrandam descendit. Quasi dicat; Atque hinc jam colligere potestis me esse innocentem: quid igitur me occidere vultis, objicientes mihi crimen cujus ipsi jure longe meliori rei estis, ut qui legem ipsi non impleatis, qua tamen vos jactatis, & cujus zelum vestro in me odio prætexitis. Est hic oppositio tacita inter Christi innocentiam & illorum intentionem.

Vers. 20. *Respondit turba.* Videlicet quæ primoribus & Jerosolymitanis erat intermista, & aliunde Jerosolymam ad festum confluxerat. Nec enim si ex Jerosolymitanis fuisset intentionem principum suorum ignorare posset. Nunc autem dicit, *dæmonium habes*, vel à dæmone obsessus es, vel simpliciter dæmonium per te loquitur. *Quis te studet trucidare?* cur nobis objicis quod nobis non venit in mentem? cur nos calumniaris? Intoleranda injuria se affectos à Domino putant, ideoque in ista tam atrocia verba erumpunt, & sermonem Domini interrumpunt.

Vers. 21. *Respondit Jesus & dixit eis.* Respondisse dicitur licet revera nihil ad hanc objectionem respondeat, sed potius inchoatum sermonem suum pertexat. Unde ista ita cum antecedentibus copulanda sunt tanquam ea quæ secum cohæreant, interlocutione tantum Judæorum interrupta. Pergit enim in ostendenda innocentia sua, sed ita ut simul possent colligere injuriâ se in ista verba prorupisse, ex ipsa Domini ratiocinatione colligentes fuisse alios criminis hujus reos, ut ut ipsi ab illo essent liberi & immunes.

Unum opus edidi. Nempe quod illum ægrotum sanavi. Quasi dicat; Ego tantum unum opus quod vos carpitis feci; vos verò nonne longe plura facitis, quæ si hoc jure carpitur, eadem ratione excusari minime poterunt.

Et omnes miramini, propter hoc. Id est, & id adeo vobis insolens videtur, ut etiam indignari mihi (indignationis enim vocem inferius vers. 23 videtur pro ista admiratione substituere) sustineatis, imò & occidere me velitis. Et sane non eam hic admirationem intelligit quæ oriri solet ex causarum ignoratione, aut etiam rei alicujus insignis præcellentia; sed de ea quæ ex aliquo insolito & inspectato facinore & scelere provenit. Conjunximus autem voces διὰ τοῦτο cum voce θαυμάζετε, quia sensus est simplicior si ad hunc versiculum rejiciantur, & similem similium vocum cum verbo θαυμάζειν juncturam habes Marc. 6. 6. Quanquam licèt etiam in sequentis versiculi initio legatur, si subaudiatur vocula ὅτι, & vocula καὶ explicetur per *etiam*, sensus optime constabit, in hunc modum: Propterea quod Moses dedit vobis circumcisionem, etiam Sabbato circumciditis.

Vers. 22. *Moses dedit vobis circumcisionem.* Nempe Levit 12 vers. 3, cùm ait, *Porrò die octavo circumcidetur caro præputii ejus.*

Dedit autem tanquam legislator, id est tradidit ut observetur.

Diximus versiculo antecedente, (quod etiam ex collatione ipsius cum vers. 19 liquere potest) tale quid subaudiri debere; vos autem longe plura ejusmodi sæpissime facitis, quæ multò magis reprehensionem merebuntur, imò & legis transgressionem sapient, si hoc quod ego feci, jure carpi & reprehendi potest. Id jam hoc versiculo comprobat ab exemplo circumcisionis, quam ut legi modò laudatæ satisfacerent, etiam Sabbato sæpius peragere solebant. Quasi dicat; Id verò quod jam dixi ita se habere, vel sola circumcisio docuerit. Tanta est apud vos Mosis authoritas, ut quia ille circumcidi octavo die infantem jussit, (licet non ille circumcisionem primus præceperit, sed à patribus acceptam urserit) Sabbati etiam religione vos minime impediri credatis, quominus tum etiam si dies iste octavus in Sabbatum incideret (necesse est autem incidere sæpe) infantem circumciditis, imò ne hanc legem violetis, Sabbato etiam quod jam contra me tanti facitis, circumcidere soleatis.

Non quod ex Mose sit. Correctio. Additur id à Domino, ne quis ex adversariis ignorantiæ Dominum argueret, quod Mosi tribueret rem ante ipsum longo temporis tractu in populo receptam & approbatam. Quasi dicat; Id autem non eo dico quasi primus ille hanc cæremoniam instituerit, scio enim illam esse *ex patribus*, puta Abrahamo qui primus signaculum circumcisionis accepit, & Isaaco, Jacobo. Non est autem hic subaudienda particula superior ὅτι, sed potius ἐκ: vult enim simpliciter eam ex patribus esse.

Et Sabbato. Vocula & vel ita potest accipi, ut idem significet quod *etiam*, quasi dicat; Non expectatis donec Sabbatum prætereat, sed Sabbato etiam circumciditis, nihil festivitatem ejus reveriti; vel ut idem significet quod *ideo*. Utrovis autem modo accipias, res eodem recidit.

Vers. 23. *Si circumcisionem accipit homo Sabbato.* Ex superiori exemplo concludit à comparatis, ut ostendat nullam ipsos justam offensionis, nedum cædis ipsius, habere causam. Si igitur inquit vos, qui tantopere Sabbati observationem jactatis, & ejus religiosissimi observatores videri vultis, nihilominus tamen ut legi per Mosen latæ satisfiat Sabbato hominem circumciditis, quod & sæpius vos facere necesse est, toties videlicet quoties dies octavus infantis incidit in Sabbatum, aut festum Sabbato dignatione simile, & sine labore quasi quasi fieri non potest, denique ad certi tantum membri ab eo quod ipsum impurum reddit liberationem pertinet; qua tandem fronte mihi succensere, aut quod longe horribilius est, vitæ meæ insidiari potestis, qui & sine ullo labore, & semel tantum, rem eam feci, quæ non ad membri alicujus, sed ad totius hominis bonum pertinet? Sanavi enim eum. Feci autem id, majus quid quam est lex Mosis ante oculos habens, nempe Patris mei cœlestis voluntatem, qui omnibus bene esse cupit. Vel potius; Feci autem id, maximè attendens quò præcipue lex ista Mosis respiciebat, etsi id nonnisi per accidens istius cœremoniæ observationem consequebatur, quatenus videlicet qui circumcidebatur ex numero populi Dei non excindebatur. Longe enim verisimilius est eo cujus non poterat esse tanta necessitas, cum nonnisi per accidens prodesset, ideoque differri posset in alium diem, Sabbatum violari, si præsertim sæpius fiat, & nec sine labore manuum peragi possit; quàm eo quod & per se prodest, & sine labore, solo verbo perfectum, ac semel tantùm factum est. Quare si me culpatis, vos prius culpetis oportet. Sin vos extra culpam esse talia facientes creditis; me quoque absolvatis oportet, agnoscatisque temerè vos meo facto adeò indignari, ut de vita etiam mihi eripienda cogitetis. Hæc videtur esse vis comparationis & argumentationis Christi hoc versiculo expressæ. Etsi non expressit in Apodosi quidquam quod respondeat verbis in Protasi positis *ut non solvatur lex Mosis*, quod nos fecimus. Unde non immerito quis suspicari possit istud in hac comparatione à Domino non attendi, sed illa tantum quæ diximus urgeri. Interpretati autem sumus verba ista ut finalem causam denotent circumcisionis Sabbato fieri solitæ: licet possint ista verba ita quoque accipi; si circumcisionem accipit homo Sabbato, nec tamen solvitur lex Mosis, ut acceperunt alii: quia per illa *lex Mosis* significaret hoc loco legem de Sabbato. Manifestum autem est legem circumcisionis hic intelligi.

Vers. 24. *Ne judicate.* Occurrit tacitæ illorum objectioni. Poterant enim dicere, disparem esse rationem Mosis & ipsius, & quod licuit Mosi, ipsi minime licuisse, eoque se nihil peccare qui Mosen hic sequantur, peccaturos verò si auscultent ipsi. Dicit igitur Dominus; Ne autem hoc vos moveat, quòd ist hinc est Moses, hinc verò ego, quem illo minorem putatis,

tis, rem æstimate, non personam, & momenta rerum expendite, videbitis rem ita ut dixi habere, nec posse vos ulla ratione mihi crimen impingere, ut non citius ipsi ejus invidia defiragretis.

Secundùm speciem id est secundùm prosopolepsian. Facies enim hominis Hebræis sumitur pro qualitatibus externis in sensus incurrentibus: sed generalius sumi solet pro omnibus quæ sunt extra causam, & judicis animum inflectere vel potiùs pervertere possunt.

Vers. 25. *Dicebant ergo.* Cum videlicet illum cum Judæis & turba loquentem in templo viderent, vocula enim *ergo* causa colloquii illorum de Christo inter se innuitur. Hanc verò quam diximus fuisse, indicant superiora. Particula nova. Indicat tum quis sermo civium Jerosolymitanorum de Christo postquam illum viderunt fuerit, tum quod consilium. Sermo his tribus versiculis comprehenditur: Consilum ℣. 30.

Quidam ex Jerosolymitanis puta civibus qui tum in templo erant, non tantum senioribus aut Pharisæis. Mirantur enim illi quòd nihil isti dicant.

Quem quærunt seu student *interficere*, nempe primores & seniores nostri. Apparet consilium Pharisæorum de Christo interficiendo notum fuisse Jerosolymitanis, quod incognitum fuisse turbæ vidimus. Unde turbam etiam illam ab istis Jerosolymitanis fuisse diversam liquet. *Palàm loquitur*, id est apertè, in templo videlicet, celeberrimo urbis loco.

Et nihil ei dicunt, & tamen nihil audent contra illum. Dicendi voce intelligunt etiam mentem & conatus illorum.

Num verè cognoverunt, Id est num deprehenderunt & certis argumentis assequuti sunt. *Primores* id est qui præsunt sacris.

Hunc verè esse Christum, id est non solùm id de ipso jactari, sed rem etiam ita habere. Mussant inter se & causam inquirunt, cur nihil adversus Jesum tentarent seniores. Sed ut fit in ejusmodi addubitationibus & rationum inter se concertationibus, quod rebantur se invenisse, iterum repudiant & infirmant versu sequente.

Vers. 27. *Sed novimus unde hic sit.* Quasi dicant; sed impossibile est hunc esse Christum: novimus enim unde hic sit, id est novimus ejus parentes & patriam. Parentes inquam, nam illi credebant Dominum esse Josephi filium, quod etiam alibi expresse dicunt.

Cùm autem venerit Christus. Ratio ex qua volunt evinci Jesum non esse Christum.

Unde sit nempe parentes & patria ipsius erit incognita, ut quasi de cœlo descendisse videatur. Notandum in plebe tantùm hanc fuisse de Christo opinionem, è cujus fœce erant sine dubio isti Jerosolymitani. Primores enim natales Messiæ non potuisse ignorare vel illud evicerit quod responderunt Herodi de loco ubi nasciturus esset Christus scisciant: quod etiam asserunt alii rerum divinarum proculdubio peritiores infra ℣. 42: *Nonne scriptura dicit ex semine Davidis, & ex vico Bethlehem ubi erat David, venturum Christum?*

Vers. 28. *Clamabat ergo Jesus.* Istos videlicet Jerosolymitanorum susurros audiens. Excipit autem sermonem eorum, velut confirmans quædam ex illorum verbis, sed ita ut illa in sensum ab eorum mente alienum suæ vero intentioni accommodatum traducat. Quasi dicat; Rectè sanè asseruistis vos nosse unde sim. Et id enim quis & quantus ego sim nostis, & id unde venerim, cujus videlicet jussu atque authoritate munere isto defungar. Illi ad ortum Christi secundùm carnem respiciebant, ideoque se nosse unde fuerit Dominus asseverabant. Dominus verò respicit ad suum officium & missionem à Patre. Nosse autem eos & quis Dominus fuerit & unde venerit, affirmat propterea quia si voluissent facile id animadvertere & deprehendere, facile authorem tam cœlestis doctrinæ & tantorum miraculorum subodorari poterant. Quia verò ex isto posteriori, unde videlicet esset, pendebat cognitio prioris nempe quisnam esset, ideo ei insistit in sequentibus, *& à me ipso non veni.* Id est, & sane non propria mea authoritate munus hoc quod obeo sum auspicatus, ad illudve mentem & manus adjeci.

Sed est verax qui misit me. Id est sed veni à Patre, illius authoritate & jussu ac imperio ad hoc officium accessi. Maluit autem periphrastice id exprimere, ut rationem simul adderet cur sibi obtemperare, & in se credere deberent: quia videlicet missionis istius author verax esset, nec in fraudem eos vellet inducere.

Vers. 29. Explicatio deest.

Vers. 30. *Quærebant* seu *studebant ergo.* Nempe Jerosolymitani, verbis Domini irritati.

Et nemo injecit in eum manum. Id est, sed nemo ausus est id re exsequi quod animo coquebat.

Quia nondum venerat hora ejus. Id est, quia nondum venerat tempus à Deo ei rei destinatum. Addit id ut indicet causam quæ impedierit quominus animo suo morem gesserint & Dominum comprehenderint. Jam *horam* Hebræis significare tempus alicui rei accommodatum aut destinatum notius est quàm ut explicari debeat.

Vers. 31. *Multi vero exturba.* Effectum intentioni Jerosolymitanorum contrarium in subjectis aliis subjicit Euangelista, opponens turbam vel potius complures ex illa Jerosolymitanis. Quasi dicat; Etiamsi autem Jerosolymitani talia agitarent animo, quos complures fuisse par est, non pauci tamen ex turba quæ videlicet ad festum confluxerat, aliter animati erant. *Crediderunt in eum.* Id est, dictis ejus assensi sunt, illum pro vero doctore agnoscentes, sive prophetam tantùm simpliciter esse putarunt, sive illum promissum olim Messiam & Christum esse crediderunt. Non enim satis apparet utrum istorum crediderint, & sequentia verba illorum fidei testes utrumque sensum patiuntur.

Christus quum venerit num plura signa. Vel quod asserant Christum quem adhuc expectarent non edituram majora miracula: vel quasi dicant: Num Christum majora facturum miracula dicitur? quare hic Christus omnino est.

ὅτι ὁ χριστὸς. Particula ὅτι redundat, ut aliàs non rarò.

Vers. 32. *Audiverunt Pharisæi.* Nova particula. Factum videlicet Pharisæorum: cujus causa irritatrix versiculo superiori est exposita, ut indicat Euangelista ipse. Metuebant videlicet ne (quod exprimitur alibi) ubi plures discipulos fecisset Jesus, ipsi relinquerentur. Quare licet aliquantulum deferbuerant, Christi sermonibus redarguti, hic rursum effervescunt, verentes ne hujus turbæ sententiam sequantur plures. Cæterum ut constet ratio his omnibus nexusque inter relationes istas historicas appareat, illud animadvertendum est, in templo ista omnia, non solum à Domino sed & a Jerosolymitanis & à turba & ab ipsis denique Pharisæis dicta & facta esse. Ac Christum quidem in templo tunc fuisse indicat ℣. 28. Pharisæos autem ibidem sive turbæ immistos sive ab iis remotiores fuisse, sequentis versiculi verba docent: cùm testentur Christum dixisse *eis* videlicet Pharisæis. Nam versiculus iste continet ea quæ ad propositum Pharisæorum retundendum faciunt. Unde consequitur turbam etiam illa quæ vidimus dixisse in templo: cùm audivisse ista dicantur Pharisæi. Nisi quis malit ita dici potuisse, quia ex relatione id aliorum acceperint & non suis ipsi auribus hauserint. Sed huic interpretationi videtur obstare particula *verò* versic. 31. quæ cùm doceat opponi hunc versiculum versiculo 30, eo ipso videtur subinnuere tam hos quàm illos indidem fuisse, atque in templo à Christi docentis ore pependisse.

Vers. 33. *Dixit ergo eis* Pharisæis videlicet, deprecul tunc illos in templo ministros ad se comprehendendum expedientes intuitus, & sermone suo vanum esse hunc illorum conatum indicare volens. *Adhuc paulisper.* Quasi dicat; Ne sitis de me capiendo solicii. Nam nunc quidem conatus vester omnis irritus erit, cùm

cùm quicquid vos faciatis comprehendere me non poteritis: vobis etiam invitis futurus sum inter vos. Interim tamen scitote non diu id futurum, nec multum me temporis vobiscum consumturum: adeo ut potius satagere debeatis quo cognoscere me possitis quis sim antequam vos derelinquam, nedum de me comprehendendo consilia inire debeatis.

Et seu *deinde abibo*, videlicet à vobis, idque per mortem, & quidem volens. Neque enim in aliena potestate sita est vita & mors mea: ideoque vobis invitis & ringentibus aliquamdiu versabor adhuc inter vos, sed mox ultro me vobis comprehendendum offeram, ac deinde à vobis abibo in cœlum. Vox *abibo* emphasin ut innuimus habet: docet enim non in ipsorum sed in ipsius Domini potestate positum fuisse ut Dominum comprehenderent & occiderent.

Vers. 34. *Quæritis me.* Addit id ut ipsos ad agnitionem sui tanto magis alliciat. Quasi dicat; pro eo igitur quod me comprehendere vultis, potius me sectemini, & dicta mea vestris auribus combibite. Postquam enim à vobis abiero, etiamsi me quæreretis & videre me velletis, non estis me amplius inventuri. Ita enim loqui solent Hebræi de re quæ ita est ab oculis sublata ut amplius conspici nequeat, ut Psal. 10. 15. *Quæres impietatem ejus & non invenies*, pro, etiamsi quæreres impietatem ejus non tamen invenires, non amplius exstabit. Et Psal. 37. vers. 10. Esa. 41. 12. Ose. 2. 7.

Vers. 35. *Dixerunt ergo* Cùm ista dici à Domino audirent. *Judæi* hostes videlicet Domini, puta Pharisæi & Jerosolymitani. *Inter se* non alloquentes Dominum, sed inter se mussitantes, ob non intellectum Domini sermonem. Memorat id ut indicet sermonem istum ab illis non fuisse intellectum. Quod enim Christus de abitu per mortem in cœlum dixit, id ipsi accipiunt de abitu simplici in regionem aliquam longinquam.

Nunquid in dispersionem gentium iturus est? id est, Nunquid abiturus est ad Judæos inter gentiles dispersos ac in illorum regionibus degentes.

Et Græcos docturus, id est & docturus eos qui inter Græcos habitant, ut Græcos dixerit pro Judæis Hellenistis. Sed quia durius id est, nec exemplum fortè inveniri poterit hujusmodi vocis *Græcorum* usurpationis, ideo satius est ista simpliciter accipi: quasi dixerint, num Græcos id est Gentiles docturus est, ad eos abiturus: quorum διασπορὰν vocant, quod essent multi, & in varias easque longe porrectas regiones sese extenderent.

Vers. 37. *Ultimo autem die magno festivitatis*, die videlicet octavo, qui primo celebritate fuit par, unde magnum hic vocat.

Stetit Jesus ut videlicet conspiceretur ab omnibus.

Et clamavit ut nempe exaudiretur. Nova est particula qua indicatur tum animus Christi imperterritus, quòd licet sciret ministros jam ad se comprehendendum esse missos, nihilominus tamen & palam & audacter doceret, & quomodo id ipsi cesserit, quidque hunc ipsius sermonem sit consequutum.

Si quis sitit, id est si quis desiderio refectionis spiritualis tenetur, vel simpliciter si cui deest id quo animum suum reficere & recreare possit. Sitis enim ista & desiderium refectionis spiritualis & simplicem defectum virium spiritualium significare potest, etiamsi tandem nullo earum recreandarum desiderio tangare.

Veniat ad me, id est credat in me, id quod proprium etiam accessum ad Christum quodammodo præexigit.

Et bibat id est & ea ratione bibat id est hauriat aquam qua sitim istam restinguere animumque suum reficere & refocillare queat. Facultatem bibendi largitur, sed ut innuat, adventum ad se seu fidem in se consequi istam bibitionem.

Vers. 38. *Qui credit in me.* Explicat quo pacto quis ad se venire possit ut beneficii promissi particeps evadat, ostendens ejus cùm præstantiam tum certitudinem. Quasi dicat; Ideo autem venienti ad me jus bibendi sum largitus, imò eum bibiturum promisi, quia quod scriptura promittit hominibus, ex illorum videlicet ventre flumina aquæ vivæ fluitura, id nonnisi in me credenti competit. Hic autem ad me revera venit qui in me credit.

Sicut dicit Scriptura verba quidem ista non reperiuntur in nullo ex iis qui exstant sacrarum literarum codicibus. Exstat tamen sensus. Vide Esa. 55. vers. 14, & 44. vers. 3. Ezech. 32. vers. 29. Joël. 2 vers. 28. cap. 3. vers. 18. Zach. 14. vers. 8.

Flumina aquæ vivæ ex ventre ipsius fluent, id est copiosissime divino spiritu imbuetur. Quæ copia ex effectu indicatur: ut hic reddat ipsam causam quòd videlicet non ipsi tantùm sit suffectura, sed aliò etiam sit eam derivaturus. Accipe id & de iis Spiritus sancti donis quibus seipsos in spe fideque sua sustentabant & de iis quibus eadem in aliis vel excitabant vel conservabant. Jam dicit *ex ventre* pro ex medio, ut idem significet quod *Kereb* Hebraicum: vel propriè quidem, sed ut sit in tota phrasi metaphora, id est ex ipso Denique aquam vivam Spiritum sanctum vocavit, non ob eam rationem ob quam aqua fontana vel scaturiens viva dici solet, quatenus videlicet ipsa subinde nova ex fonte ebulliens vel flumine decurrens motu suo vitam vigoremque præ se fert, sed quòd vitam hominibus largiatur, eosque vegetos & vividos spe & fiducia faciat. Quare vocis *viva* alia ratio est cum transfertur ad aquam, alia cùm ad Spiritum sanctum.

Vers. 39. *Hoc autem*: nempe vel illa quæ versiculo proximo, vel quæ etiam illum antecedente 37 protulit.

Quem accepturi erant credentes in eum, Non solùm die Pentecostes, sed consecutis etiam temporibus.

Nondum enim erat Spiritus sanctus. Hic jam videtur Euangelista rationem suorum ipsius verborum reddere, quod non dixit *quem acciperent*, sed *quem accepturi erant*, non in præsenti sed in futuro. Quia videlicet nondum in hominibus dona Spiritus sancti, præsertim passim, & in copia conspiciebantur. Alias enim ratione originis & essentiæ suæ semper fuit.

Quia Jesus nondum erat glorificatus. Noluit videlicet Deus Spiritum sanctum hominibus conferri, quamdiu filius suus in terris existeret, quia præsente Domino non videbatur hominibus necessarius, imò quodammodo esset supervacaneus. Ideoque voluit illius donum reservari initiis regni Christi, ut statim ex eo appareret qualis quantusque Dominus esset, & quam curam suorum gereret. Unde & Paracletus dicitur, quia velut in locum Christi absentis succedens, illius vices implebat. Sed nec ipse Christus ante mortem suam habebat potestatem illius hominibus largiendi. Verùm *dextera Dei evectus* (ut S. Petrus ait Act. 2.) *& promissum Spiritum sanctum adeptus à Patre*, demum die Pentecostes eum effudit, vel ut S. Paulus ex Psalmista ait, *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, & dedit dona hominibus*, Ephes. 4. 8.

40. *Multi ergo è turba.* Deinceps persequitur quis eventus istius sermonis fuerit. Pro varietate autem hominum, varia de se excitavit judicia. Quidam enim dicebant, *verè hic est propheta ille*, id est unus ex prophetis. Nisi malis vim articuli urgendo (qui tamen num vim hic aliquam habeat non satis liquet) dicere illos existimasse præter Christum exstiturum aliquem prophetam insignem, & illis qui antecesserant majorem, idque male accipiendo verba Mosis quæ ille de Christo protulit.

41. Alterum judicium de Christo erat melius, *Alii dicebant, hic est Christus.* Isti Jesum confitebantur esse Messiam illum olim exspectatum.

Tertium judicium malum, ex suppositione quidem non mala, sed minus recte applicata ortum: *Quidam autem dicebant, Numnam è Galilæa Christus venit?* Id est num è Galilæa oriundus erit, ibique nascetur. Et quod

quod ad propositionem quidem, nempe, Messias non nascetur in Galilæa, recte sentiunt, & bene istam propositionem versiculo sequenti comprobant. Sed in assumtione, Hic Jesus est è Galilæa oriundus hallucinantur. Quasi scilicet qui alibi natus esset, non possit alibi postmodum degere, aut qui in Galilæa commoraretur, non posset e familia Davidica esse. Errandi occasionem præbuit illis quod cùm Christum in Galilæa sæpius commorari viderent, ibi etiam natum esse crederent, adeoque illum verè Galilæum esse, nec posse natales suos ad Davidem referre arbitrarentur.

Vers. 42. *Nonne Scriptura dicit*, &c. Michææ videlicet cap. 5. ℣. 2.

Christum venturum id est ibi nasciturum.

Vers. 43. *Discidium ergo*, id est dissensio. Effectum subjungit consequens ex diversitate judiciorum de Christo.

Vers. 44. *Quidam autem ex ipsis.* Hi fuerunt omnium longe deterrimi: qui non jam rationibus certabant, sed comprehendere Dominum volebant.

Vers. 45. *Veniunt ergo.* Postquam persequutus est quæ ultimo illo festi tabernaculorum die Christus dixerat, & quomodo id auditores acceptaverant, jam narrationis ipsius serie postulante indicat eventum intentionis Pharisaicæ pridie decretæ, & ℣. 32 expressæ. Quasi dicat; Cùm igitur Ministri isti à Pharisæis ad comprehendendum Dominum pridie missi, omnibus occasionibus inhiarent, si quà tempus opportunum habere possent, nec pridie forte id præstare possent, ultimo autem festi die talia ipsum dicentem audirent, obstupefacti, & majestatem ejus reveriti, non ausi sunt quidquam moliri adversus eum, atque ita mandato dominorum suorum minime exhausto ad Dominos suos redierunt. Quos illi conspicati dixerunt, *Quare non adduxistis eum?* Quid est quod mandato nostro non satisfecistis? Quidnam vos inhibuit, quominus comprehensum eum nobis sisteretis? Eam connexionem hic cum superioribus esse videbit, qui & causam missionis Pharisaicæ, & tempus quo per illam ad comprehendendum Dominum fuerunt irritati consideraverit, nec putabit ex abrupto hæc à Johanne & sine ullo nexu esse prolata. Apparet videlicet cùm illi ad Dominum comprehendendum mitterent, & tum Dominum verbis, & postea ipso in templum ingessu, & clamore, docere voluisse, conatus illorum esse frustra. Ministros autem insidiatos quidem ipsi, sed qui capere debebant Dominum, à Domino captos esse.

Vers. 46. *Respondent ministri.* Rationem reddunt cur non sint mandato suorum dominorum obsecuti.

Loquutus est homo, id est ullus ex hominum vulgarium, nedum eorum numero qui tanquam illicita ausi vinculis essent digni.

Vers. 47. *Responderunt ergo.* Iniquo valde animo Pharisæi accipiunt verba quæ ministris expresserat majestas doctrinæ Christi. Et primo quidem ostendunt quam inexspectata sibi fuerit illorum oratio, dum de pristina illorum fide dubitant. *Num & vos seducti estis?* id est, Num & vos jam illius dolis & fraudibus fidem adhibuistis? Sanè oratio ejusmodi non potuit nisi ab animo illius technis jam irretito proficisci. Ita solemus dicere, ubi præter exspectationem nostram audimus aliquem ab illo laudari quem ipsi fore inimicissimum speraveramus.

Deinde ut scrupulum omnem ex illorum animis eximant, si quis fortè in illis hæsisset de præcellentia Christi, addunt, *Num quis ex primoribus*, &c. Quasi dicant; Atqui non sunt vobis longius quærenda argumenta quibus dignoscere possitis quid hic statuendum sit vobis. Discipulos & sectatores ejus intuemini. Num aliqui ex principibus & pharisæis illius doctrinæ adhæserunt? Atqui hi legem norunt, & vobis etiam non reclamantibus omnium optime quid facto sit opus sciunt. Argumentum istud his etiam temporibus plerisque familiare, imò ut illis videtur Achilleum. Tu lector videre potes quam vanum & elumbe. Sed dignum sanè hac patella operculum, cùm adeò similes habeant labra lactucas.

Vers. 50. *Dicit eis Nicodemus.* Indicat quomodo inter seipsos adversarii propter Christum concurrerint. Ac primò, præpostero & temerario suorum sociorum judicio intercedit Nicodemus. Qui quid esset hominis, ut lector nosset, revocat Johannes in memoriam factum quoddam ejus, cujus supra meminit, cum ait; *Is qui venerat ad eum nocte*, simulque adjicit quiddam ad ipsius personæ præstantiam spectans, *cùm esset unus ex illis*, nempe Pharisæis, iisque, ut supra vidimus, præcipuis.

Vers. 51. *Num lex nostra judicat* id est condemnat. Iniquum & præposterum esse judicium illorum de Christo ostendit, adeoque quantum in se est, suspendere illud ad pleniorem rei cognitionem jubet.

Vers. 52. *Responderunt.* Rationem non attingunt, sed ut solent qui parum causæ suæ fidunt, ad furias properant, & suas vicissim rationes objiciunt ipsi. Ac primùm hominem perstringunt, *Num & tu Galilæus es?* id est è Galilæa oriundus qui hunc ficut conterraneum tuum defendas. Deinde quasi ratio à Nicodemo allata hic temere adhiberetur, addunt, *Scrutare & vide ex Galilæa prophetam non surrexisse.* Quasi absurdum esset id aliquando fieri quod nondum fuit. Atqui hac ratione cujuslibet prophetæ authoritas elevari & in dubium vocari posset qui primus ex aliqua tribu, regione, familia, hoc officio fungeretur: nec liceret cuipiam nomen prophetæ sibi usurpare, cùm ante primum prophetam nullus propheta fuerit.

Vers. 53. *Et profectus est unusquisque.* Dissidio videlicet & altercationibus, ut fieri solet, inter ipsos obortis. Addit id ut ostendat quis tandem finis illorum omnium illo die fuerit.

CAP. VIII.

PErsequitur facta & dicta Domini postridie festi tabernaculorum. Sunt autem partes capitis duæ. Priori indicat quomodo mulierem in adulterio deprehensam, judicio Pharisæorum exemerit. Altera colloquium Christi cum ipsis.

Vers. 1. *Jesus autem.* Versiculus hic ut indicat adversativa particula *autem*, ad caput antecedens proprie spectat, utpote cùm ibi in ipso fine sit indicatum quò se contulerant Pharisæi, postquam inter se de Christo altercari cæpissent. Hic autem indicatur quò se Christus etiam qui cum illis erat loquutus contulisset. Videtur autem à superiore capite avulsum ut hic inchoaret, propter versiculum secundum, qui cum proprie caput hoc inchoet, (continet enim ingressum ad sequentis historiæ relationem) non exprimit tamen nomen Jesu, sed tantùm subintelligit. Cæterum quia & ultimus capitis antecedentis versiculus & hic usque ad tredecimum, in nonnullis codicibus desideratur, totaque adeò ista de muliere adultera narratio in suspicionem vocatur, de eo nonnihil nobis post alios dicendum erit: sed strictim. Jam enim ii docuerunt, non eum esse rationum historiam istam arvo sacris codicis eliminantium vigorem, ut nisi aliunde fulciantur consistere possint. Suppetunt verò etiam argumenta illam ita firmiter asserentia, ut mirum sit superesse amplius quemquam qui dubium hic ei locum facere velit. Quod igitur primo loco dici solet, historiam istam à nonnullis veterum non agnosci, Papiamque ejus authorem esse ab Eusebio scribi; id quod ad prius membrum oppositione aliorum qui eam agnoscunt refellitur: quo ad posterius verò ita, ut dicamus non ideo quidem illam non esse pro

scripturæ

ſcripturæ Apoſtolicæ parte agnoſcendam, quia Papias etiam ejus meminit, ſi modò de eadem muliere hic & apud Euſebium ſermo ſit, quod tamen non poteſt neceſſario concludi, ſed ideò olim pro ſuppoſititia habitam quia Papias quoque ejus tanquam traditionis à ſe demum proditæ meminiſſet. Quod verò ſecundo loco minus veriſimile videtur quibuſdam Dominum ſolum in templo cum muliere remanſiſſe, vix eget reſponſionis. Cùm dici potuerit ſolus remanſiſſe cum muliere reſpectu accuſatorum, licet turba quam ille docere cœperat, & complures alii nihilominus in templo eſſent, & aliàs legimus ſolum Dominum cum muliere Samaritana colloquutum. Non plus momenti habet etiam tertium de lectionis varietate. Nam lectionis varietas eſt in verbis non in rebus: quam cernere eſt in aliis etiam ſacræ ſcripturæ locis. Eveniſſe autem poteſt ex eo quia cum Papias eandem traderet, & Papiæ etiam eſſe putaretur, ad illius exemplar omnia à quibuſdam revocarentur. Quanquam id totum perquam eſt exiguum, ut conferenti apparebit. Connexionem autem longe difficilius eſſet oſtendere expuncta hac hiſtoria. Cùm enim ultima capitis antecedentis particula contineat Phariſæorum inter ſe de Chriſto altercationem, ad quam progreſſus erat Johannes eorum quæ Chriſti concionem conſequuta erant relatione, non ſatis apparet cur è veſtigio ſubjungeret, *Rurſum ergo dixit eis.* Quod verò dici ſolet, quomodo potuerit dici Phariſæos ipſi dixiſſe qui egreſſi fuerant, id & ita poterit conciliari, ut dicamus alios fuiſſe iſtos Phariſæos qui turbæ fuerint immiſti quam Chriſtus alloqueretur, præter accuſatores qui erant egreſſi, & ita ut dicamus illos rurſum fuiſſe reverſos, cum Chriſtus rurſum ad docendum populum rediiſſet, unde eum accuſatione ſua importuna avocaverant. Ultimum eſt quod durum videatur & non alibi memoratum illum in terra ſcripſiſſe. Sed cur durum? ſi ut videbimus Domini propoſito accommodatum. Et ſunt etiam alia his non abſimilia rarius & fortè ſemel à Domino facta: de quibus non eſt amplius dicendi locus. Satius igitur eſt eam partem cum pluribus retinere: non ob ſtyli tantùm cum Apoſtolico convenientiam, & connexionem ea retenta priorum cum poſterioribus faciliorem, ſed etiam ob ipſius rei majeſtatem, & proceſſus Domini qui divinum quid non humanum ſapit ac ſpirat auguſtam præſtantiam. Ac de verborum quidem connexione ſuo loco: rerum connexionem quod attinet, quid veriſimilius quàm Phariſæos necem Domini anhelantes, cùm vi aperta nihil profeciſſent, & conatus ſuos in irritum cecidiſſe vidiſſent, alia Dominum via fuiſſe aggreſſos, & circumſpexiſſe ſi quo juris alicujus prætextu illaqueari & in odium omnium vocari poſſet.

Verſ. 2. *Et diluculo.* Poſtridie videlicet feſti tabernaculorum. Narraturus hiſtoriam de accuſatione mulieris adulteræ à Phariſæis inſtituta, & abſolutione ejuſdem à Domino pronunciata, rem orditur à circumſtantia temporis, ac loci, itemque occaſionis quam ad accuſationem arripuerant explicatione. Ac tempus quidem fuit poſtridie feſti tabernaculorum diluculum: locus autem templum. Occaſio quòd Chriſtus cum diluculo ipſo ex monte olivarum rediiſſet in templum. *Totus populus venit ad eum* ex iis videlicet qui ad feſtum aliunde confluxerant, nec adhuc domum ſe contulerant, ſed iter eo die ſuſcepturi templum prius orandi cauſâ ingreſſi erant. Hi igitur videntes Dominum in templo, omnes confluunt ad eum. Ipſe verò *ſedens docebat eos*, puta de fide in ſe & via ad immortalitatem ducente.

Verſ. 3. *Adducunt autem ad eum.* Id eſt, cùm viderent populum ab ipſius ore pendere, & fruſtraneos fuiſſe pridianos conatus ſuos de illo comprehendendo, ægerrime ferrent, hanc technam commiſcuntur & arte Dominum aggrediuntur. Accedunt videlicet tanquam & ipſi erudiri cupientes in hoc caſu, ut ſcirent quod facto opus eſſet. Tota autem hæc hiſtoria ad tres partes revocari poteſt: accuſationem videlicet Phariſæorum, judicium Domini, & ea quæ ſunt conſequuta. Ad accuſationem refero non modum tantùm accuſationis, ſed & perſonas, tum accuſantium, tum rei. Et perſonæ quidem occuſantes fuerunt *Scribæ & Phariſæi* videlicet primores & ex ordine ſenatorio. Rea *mulier in adulterio deprehenſa.* In modo accuſationis primum eſt quod illam ad Dominum adduxerint, & *in medio* videlicet inter Dominum & populum ad quem ille concionabatur, vel etiam in medio templi ſtatuerint: ipſa velut ad tribunal Chriſti mulieris adductione ſignificantes ſe judicium iſtius rei ad Dominum deferre, & illi vel condemnandam vel abſolvendam permittere. Alterum verba quibus accuſarint. Tertium animus quo id fecerint.

Verſ. 4, 5. *Dicunt ei.* Verba accuſationis per ſe plana quibus ſententiam Domini exquirunt de iſta muliere. *Præceptorem* autem vocant, ut oſtendant ſe illi cognitionem rerum & prudentiam tribuere, ac ab ipſo inſtrui velle.

In lege autem. Sane Levit. 20. verſ. 10, ubi de pœna adulterorum agitur, in genere tantum dicitur, qui adulterium commiſerit cum uxore proximi ſui, morte moriturum adulterum & adulteram, nec exprimitur ſpecies mortis: ſed colligi ſolet ex pœna irrogari præcepta tam ei qui compreſſerit virginem alicui deſponſatam, quàm ipſi quæ ſe comprimi paſſa fuerit, nec clamaverit. Tales verò expreſſe Deuteron. 22. verſ. 24 lapidari jubentur tanquam adulteri. Et hoc genus pœnæ quaſi explicandi cauſa ſubjicitur eis quæ dicuntur ibidem verſ. 22, generaliter de pœna adulterantium.

Tu ergo quid dicis? Quaſi dicant; Habemus nos quidem inſtructionem à Moſe qui tales lapidari præcipit, ſed quia videmus te multa innovare & præcipere, tuam etiam ſententiam exquirimus, & cujus rei nobis author ſis, ſcire volumus.

Verſ. 6. *Hoc autem dicebant tentantes eum*, id eſt non animo probo & candido, aut diſcendi & informationis cupido, ſed animo perverſo & fraudulento.

Ut poſſent eum accuſare. Hac occaſione inhiantes ſi quà vocem aliquam ex ore Domini elicere poſſent, ut juris prætextu Dominum in eas inſidias præcipitarent quæ illis pridie non ſucceſſerant. Quod ſe facilius effecturos credebant quia res præſente populo agebatur, quem non videbatur Jeſus triſtiori ſententia à ſe alienaturus; ſed potiùs (cùm præſertim ad illum tanquam magiſtrum ſuum confluxiſſet) mitius aliquid in gratiam ipſius dicturus, atque ita contra triſtem Moſis legem dicens latus apertum hoſtibus prabiturus. Quia enim audiebant voces ex ore Domini prodeuntes miſericordiæ & beneficentiæ pleniſſimas, videbant etiam Dominum ſemper occaſione oblata populo benefacere, in eam ſpem adducebantur, fore ut hic etiam (niſi inconſtantiæ notam ſubire, atque ita populi mentes à ſe abalienare ſponte vellet) tale quid diceret quod Moſaicæ legis ſi non totalem relaxationem, certè mitigationem aliquam ſaperet. Quo protinus arrepto facile illum tanquam legis violatorem accuſare, atque ita primo quidem in invidiam vocare, deinde ad periculum vitæ adducere poterant. Interpretes nonnulli putant cornuto hic adverſarios ſyllogiſmo Dominum aggreſſos eſſe, ut utrumvis reſpondiſſet haberent cauſam ipſum criminandi: Inconſtantiæ quidem & levitatis, ſi miſericordiam erga peccatores profeſſus, & pœnitentiæ doctrinam ipſis annuncians, ſecundùm legem pronunciaſſet. Violationis verò legis, ſi in miſericordia ſibi conſtans non eſſe legi parendum dixiſſet. Licet autem fieri poſſit, illud etiam ipſos intendiſſe, veſimile tamen eſt hoc ſperaſſe, cum præſertim res apud populum ageretur, id quod iſta etiam verba inſinuant, *Tu ergo quid dicis?*

Jeſus autem incurvatus. Pertinet id ad alteram

historiæ particulam, judicium nempe Domini de ista muliere, in quo divina Christi sapientia elucescit. Videns enim proculdubio mentem ipsorum subdolam, & cruentis ipsorum manibus fœminam illam eripere, atque ita quod sibi constaret facto ostendere volens, ut vulpeculas istas suis ipsorum fraudibus caperet, nec statim dat responsum, nec ejusmodi quale ipsi speraverant. Sed primo quasi non audiret quid dicerent vult à se judicii hujus invidiam amoliri. Deinde cùm instarent, responsionem ita temperat ut isti confunderentur. *Incurvatus deorsum scribebat digito in terra.* Ut videlicet isto ritu ostenderet se aliis intentum & dictrictum esse, & præ se ferret aut se non audire, aut sibi non vacare, certe non admodum quid illi dicerent curare; cùm præsertim jam ipsi sententiam tulissent, & haberent judices qui causis ejusmodi vacarent. Quæri hic solet ab interpretibus, primò quomodo in terra quæ solida fuerit, scribere potuerit, deinde quid scripserit. Et illud quidem explicatu est facile, cùm potuerit dici scribere quia in terra figuras tantùm literarum digito duceret, etiamsi tandem illæ non conspicerentur. Posterius non item, quia & Euangelista tacet, & licet multi multa & varia hic ariolentur, talia tamen sunt ut quam facile quis ipsis assensum commodare velit, tam facile alius rejicere possit. Nam quod nonnulli (ut alios allegorizantes & nescio quid comminiscentes hic præteream) dicunt ista ipsa verba scripsisse quæ postea protulerit, eo ipso refelluntur quod iterum scripsisse dicatur: non sit autem verisimile eadem quæ jam dixerat scripsisse, cùm illi quibus istud in mentem venerat, velint Dominum ideo scripsisse quia primò dicere noluerit. Dicendum igitur videtur simpliciter Dominum usum gestu hominum meditantium & suis cogitationibus intentorum, ac nihil eorum quæ dicerentur agerenturve curantium, sive literarum aliquarum figuras pinxerit, sive minus. Solent enim homines meditabundi intra se velut abditi & cogitationibus suis immersi, vel literas pingere, vel qualesquales figuras delineare, non quòd illis attendant, sed ut melius quocammodo illis quæ mente coquunt vacare possint. Idem igitur hîc facit Dominus, ut ostendat, rem illam quam illi tanti facerent, & quam ad ipsum commodissime in suas casses perducendum se reperisse gaudebant, se non admodum curare, & oblatum sibi ejus arbitrium minimè contra quàm illi speraverant arripere velle.

Vers. 7. *Quum autem.* Antequam responsionem ipsam Domini indicet, primò quid illi fecerint videntes Dominum scribentem, explicat, id autem est quod nihilominus Domino instabant. Nolebant enim sibi tam commodam occasionem eripi. Quare Dominus ne simpliciter subterfugere videatur, atque rursum præbeat ipsis materiam criminandi, quasi declinans invidiam animi sensa promere defugerit, respondet ipsis *Qui vestrûm immunis est à peccato*, puta sive speciei sive generis ejusdem, id est non tantùm qui non est adulter, sed etiam qui non tenetur æquè gravi peccato & damnatione digno. Aliàs enim quemlibet removeret à judicando.

Primus in eam jaciat lapidem. Testibus id injunctum erat (ut legitur Deut. 17. 7.) ut ipsi primò lapidem jacerent in eum qui lapidandus erat. Ex eo hîc occasionem arripit Dominus, ut non casses tantùm illorum effugiat, sed ipsos etiam irretiat. Cum enim neque contra legem quicquam dicere, atque ita se illorum accusationibus opportunum præbere, & mulierem è manibus ipsorum eripere, atque ita verba sua cum factis consentanea esse ostendere vellet, rei arbitrium ad illos defert. Quasi dicat; Quid mihi importuna accusatione ista molesti estis? Jam professi estis vos scire quid ea de re Moses sanxerit: Quod ego non moveo. Sed si quid ego hic præterea sentiam scire vultis, ego ita censeam, ut cùm testes ipsi sitis, quandoquidem in actu ipsum deprehendisse dicitis, sitque hoc etiam in lege constitutum, ut manus testium sit prima in lapidando, inter vos etiam qui vel ab hoc ipso vel etiam hujusmodi scelere se scit immunem, primus lapidem in eam projiciat. Obiter nota, omni crimine vacare debere eos qui alios judicare volunt: satiusque esse ut ii qui sceleribus sunt polluti judicio se abdicent, quàm ipsi propterea judicandi alios judicent. In criminibus tamen civilibus & quorum pœnâ securitas publica continetur, satius est ea à primo etiam magistratu puniri, quàm impunita relinqui.

Vers. 8. *Et rursum incurvatus.* Sive ut ostenderet non tanti se quæstionem hanc facere, ut ei diutius immorari & ab eo quod animo volvere præseferebat abstrahi propter illam pateretur, sive potiùs ut spatium illis de responsione sua cogitandi, atque ita sensim & sine pudore sese Domino subtrahendi præberet.

Vers. 9. *Auditis autem his.* Sequuntur ea quæ judicium Domini consequuta sunt. Quorum primum est quod *à conscientia redarguti*, quæ videlicet testaretur similium peccatorum ipsos crimine teneri, singulatim alius post alium exibant, id est non agminatim, sed sensim prout hunc vel illum prius tacitus conscientiæ morsus submovebat, *initio facto à senioribus* sive ætate, sive etiam dignitate ac officio, sive utroque, *usque ad ultimos*, qui cum viderent adeo sibi non fidere eos qui ipsis præirent, ipsi quoque facile cedebant.

Et relictus est solus Jesus & mulier, respectu accusatorum videlicet. Constat enim ex versic. 2, totum populum ad Dominum confluxisse in templum, Dominumque illum docuisse: nonnisi autem accusatores excesserunt.

In medio sive templi, sive loco inter Dominum & turbam intermedio.

Vers. 10. *Quum autem.* Alterum quod subsequutum illam Domini responsionem, videlicet cum muliere colloquium & ejus absolutio.

Nemo te condemnavit? id est nemo professus est se lapidem in te missurum, atque ita te ream peregit. Aliàs enim jam eo ipso illam condemnaverant quod legem contra ipsam protulerant, & dignam supplicio dixerant.

Vers. 11. *Nec ego te condemno.* Cùm igitur illi cessaverint in accusatione, & ipsa fuga se non audere te ream peragere demonstraverint, nec ego sententiam contra te feram. *Vade, & ne amplius pecca*, Cùm dicit vade absolvit eam. Cùm addit *ne amplius pecca*, commeritam fuisse pœnam insinuat, & simul ad pœnitentiam hortatur, minitans quodammodo nisi resipuerit.

Vers. 12. *Rursum ergo eis Jesus loquutus est.* Incipit alia pars capitis. Colloquium videlicet Domini cum Judæis, quod quia est intercisum, ut in colloquiis fieri solet, multas particulas habet. Hoc autem versiculo præstantiam dignitatemque suam ob oculos ipsis ponit, ut illos ad se alliciat, & ad credendum in se adducat. Cæterum quibus relatio superior de muliere adultera suspecta est, non vident quomodo versiculus hic cum antecedentibus conjungi queat. Putant enim vocula *eis* Pharisæos designari, quia etiam illi sequenti versic. 13 obloquuti fuisse traduntur, hos verò excessisse illa historia dicat. Sed non animadvertunt nihilo melius nexum appariturum, etiamsi tota hæc historia expungatur. Cùm enim capite superiori in eo desierit, quomodo indignarentur Pharisæi quod famuli Jesum non comprehendissent, adeo ut etiam inter se propter Dominum contenderint, nimis dilutum esse dicere, *Rursum loquutus est eis.* Res tota expediri facile poterit, si dicamus vocula *eis* intelligi populum quem docere cœperat sedens, ut vidimus vers. 2. Quam Domini orationem quia interpellatione sua interruperant Pharisæi, ideo Euangelista dicit *Rursum*, id est postquam & Pharisæos amolitus est à se, orationis ad populum suæ interpellatores, & mulierem absolvit.

Ego sum lux illa mundi. Id est ego sum doctor ille hominibus à Deo datus, qui plenissima rerum divinarum

vinarum notitiâ imbuam non unum aliquem hominem, aut urbis nationisve angulum, sed universum mundum. Comparat se soli: quod sicut Sol exoriens dispellit omnes tenebras & luce sua totum orbem illustrat, ita ille veniens in mundum dispulit omnes ignorantiæ voluntatis divinæ tenebras, & luce cognitionis ac scientiæ totum mundum illustravit. Quasi dicat; Id ego sum hominibus quod Sol est mundo: puta ratione officii & doctrinæ, ut diximus.

Qui sequitur me. Id est qui meam doctrinam recipit. Ex illa præstantia sui conclusionem educit ab utili, persistens in metaphora à luce sumta: etsi vocem lucis generaliter hic sumere videatur, non tam ad solem ipsum alludendo, quàm ad faces: quòd sicut faces sequi solemus in tenebris, ita Christum sequi, id est doctrinam ejus amplecti, & pro cynosura ac helice omnium actionum nostrarum habere debeamus.

Non ambulat in tenebris. Non est verendum ne in ignorantia versetur, & ubi pedem ulterius promoverit aberret, aut labatur & impingat. Occurrit cogitationi tacitæ. Poterant enim dicere: quid hoc ad nos quod tu es lux mundi? cui id fini & bono dicitur à te? Addit igitur Dominus non temere id à se dici, & interesse ipsorum id scire, quia tantus fructus ex eo possit decerpi ab eo qui se voluerit sequi. Quo ipso classicum canit, & signum ad doctrinam suam amplectendam sustollit.

Sed habebit lumen vitæ. Id est cognitionem & scientiam quæ instruit ad vitam, puta æternam, eamque quodammodo parit, dum videlicet viam ad illam ducentem indicat & ostendit.

Vers. 13. *Pharisæi igitur.* Sive illi accusatores paulò pòst redierunt, & pudore absterso, ne penitus confusi à Domino viderentur, Domino rursus obloqui voluerunt; sive alii ab iis, & qui fortè inter turbam illam erant. Ut enim non omnes quotquot fuerunt Pharisæi fœminam illam adduxerunt, ita nihil absurdum est, si dicamus dum alii mulierem accusarent, alios turbæ fuisse immistos, & ad accusatores se tum non aggregasse. Sed postea ubi viderunt symmistas suos à Domino confusos templo excessisse, ne solidam Domino victoriam concessisse viderentur, excipiunt sermonem ipsius, proverbio ex usu vulgari petito Dominum revincere tentantes. Quasi dicant; Non est quod tibi nimium placeas istis quæ de te pleno ore prædicas. Ipse enim nosti testimonium ex ore proprio profectum non esse *verum*, id est idoneum, ratum, firmum, & cui tutò quivis acquiescere possit. (Aliàs enim potest aliquis etiam de se verum dicere, ideoque esse verum testimonium, sed non solet esse firmum & ratum.) Quare cùm & tu (puta ipse & solus) de teipso testeris, non potes id à nobis exigere ut testimonium tuum tanquam irrefragabilis authoritatis & fidei recipiamus.

Vers. 14. *Respondit Jesus & dixit eis.* Pharisæorum argumentum fuit tale: Qui de seipso testatur aliquid, ipsius testimonium non potest esse firmum. Atqui tu id facis. Ergo testimonium tuum non potest esse firmum. Respondet Christus dupliciter: Et primò quidem ad majorem, cùm ostendit illam non esse universalem, nec in se valere posse.

Etiamsi ego. Quasi dicat; Proverbium id cui vos innitimini, etiamsi aliàs verum sit, in mea tamen persona verum esse non potest, deberque testimonium meum pro rato & firmo haberi, etiamsi solus de me ipso testarer. Ratio est, *Quia scio unde venerim, & quo vadam.* Id est quia sum Deo conjunctissimus, & ut illius nomine ad vos veni, ita ad illum porrò rediturus sum. Quasi dicat; Ut enim licet Deo testari de seipso, & facile hic concesseritis omnes proverbium istud vestrum exceptionem pati: ita licet id etiam mihi qui sum ei proximus: nec potestis vos testimonio meo invaliditatem objicere. Vis rationis est in vocibus *unde venerim & quo vadam*, quibus summa personæ istius testantis dignitas & præstantia exprimitur. Vocula autem *scio*, idem valet atque si dixisset, Conscius mihi sum quis quantusque sim: longe videlicet major quam ut authoritas dictorum meorum velut per se decidua, alterius alicujus hominis testimonio fulciri debeat: Veni enim à Deo Patre & ad illum redeo: illius sum legatus, imò filius, illi conjunctissimus imò proximus.

Vos autem nescitis. Quasi dicat; Ego quidem jure nitor isto, sed vos nihilominus fidem testimonio meo non adhibebitis scio, quia *nescitis* id est non vultis scire, *unde venerim & quo vadam*, id quod facile scire poteratis, non solùm ex miraculis & doctrina mea colligentes, sed etiam ex ore meo audientes.

Vers. 15. *Vos secundùm carnem judicatis.* Rationem affert ejus quod ultimo loco de ipsis asseruit. Quasi dicat; Ideo autem nescitis, quia *secundùm carnem judicatis*, id est, quia in sententia ferenda exteriora tantùm rei respicitis, non rem ipsam, neque rationem sed cupiditatem in consilium advocatis, & secundùm hujus non illius dictamen pronunciatis. Voces *secundùm carnem* & ad rem judicandam referri possunt, ut sensus sit, vos exteriora tantùm rei spectatis, seu qualis unaquæque res est secundum carnem: & ad judicium, ut sensus sit, judicium vestrum carnale est, id est caro & cupiditas vestra judicia regit. *Judicatis* id est, sententiam fertis, pronunciatis, sed ita ut condemnetis. Sub generali enim ista enunciatione specialis hæc subintelligenda est: ideo me odistis & damnatis, quia ad me secundùm carnem attenditis.

Ego non judico quemquam. Ego autem id non facio, licet id jure meliori facere possem. Suum factum illorum facto opponit, ut ostendat quanto sit æquior eis quam ipsi ei. Quasi dicat; Vos id facitis quod vos non decet, quia tantùm corticem exteriorem rei intuemini. Ego verò qui vos intus & in cute novi, possemque de unoquoque vestrum pronunciare, non tamen id facio. Quia vero se ut testem hic considerat, ideo vox *judico* in significationem paulo à priori diversam videtur deflexa, quatenus videlicet testibus competere potest, qui judicare dicuntur, dum ea coram judicio de reo testantur secundùm quæ judices sententiam ferunt. Illis autem propriè vox ista competebat, quia illi judicum partes sibi arrogabant in sententia de Christo ferenda.

Vers. 16. *Quodsi etiam.* Rationem affert cur jure meliori ipsos judicare possit, id est hoc vel illud de ipsis pronunciare, atque ita ipsos damnare.

Quia solus non sum. Non possum in judicio ferendo decipi ut vos, *Non sum enim solus, sed ego & qui misit me*, id est quia mihi semper adest Pater, cujus ego instructionem & regimen ac judicium in omnibus sequor, cùm sim ipsius legatus, & ipsius ad vos nomine venerim.

Vers. 17. *Sed & in lege.* Redit eò unde paulùm propter vocem judicandi deflexerat, & ostendit, minorem etiam illius syllogismi, si sumatur ita ut ab illis proculdubio sumebatur, Tu solus de te ipso testaris, esse falsam. Connectitur autem cum superioribus hic versiculus ita: Ut autem judicium meum non potest esse non firmum, quia simul cum Patre judico, ita etiam testimonium. Non enim solus de me ipso testor, sed est alius testis omni exceptione major qui una mecum testatur. Jam autem *in lege vestra* id est quam vos tantopere jactatis, cujusque zelum simulatis. Emphasis. *Duorum hominum testimonium*, quanto magis meum, qui licet homo sim natus, sum tamen hominum numero propter meæ personæ amplitudinem eximendus: & patris mei, quem ne vos quidem dixeritis in comparationem aliquam cum ullo hominum venire posse.

Vers. 18. *Testor de me*, & voce, & miraculis, & vitæ integritate.

Et testatur de me qui misit me Pater, quatenus eam

mihi potestatem & sapientiam tribuit, quam nonnisi à Deo esse quilibet cui modò sinciput est sanum fateri cogitur.

Vers. 19. *Dicebant ergo ei.* Respondent Judæi Domino, sed non ut aut refellant Domini dicta, quod facere non poterant, aut agnoscant crimen, & pœnitentiam polliceantur, quod faciendum erat, sed à perversis sperari non poterat: verùm quod homines malevoli solent, arrepto uno vocabulo carpunt Dominum, ut fidem dictorum ejus elevent. *Ubi est tuus ille Pater?* Quem nam tu nobis Patrem à quo missus es commemoras, cujus testimonium tanti vis fieri ut illi omnino acquiescere debeamus? Apparet illos conjecisse non loqui Dominum de Josepho, quem illi Patrem esse Domini credebant, aliàs enim facilè ipsum rejecissent: & quia audiverant antè à Christo, ac ægerrimè tulerant. Deum esse ipsius patrem, ideo tale quid iterum hic audire volunt à Domino, ut Categorica responsione à Jesu audita, arrogantiæ simul & blasphemiæ coram imperita plebe eum insimulare, atque ita ipsam in illum irritare possent.

Neque me nostis. Quasi dicat; Quid hanc quæstionem quasi difficilem, & cui solvendæ ipsi non possitis sufficere, movetis, cùm me ante oculos habeatis, quem *si nossetis* id est si quis quantusque sim expenderetis, *Patrem quoque meum nossetis*, facile tacente etiam me colligere possetis quem ego Patrem meum vocaverim. Sed mirum non est istiusmodi vos quæstiunculas movere. Et me enim non nostis, & patrem meum, licèt nosse possitis. Me cognoscite & patrem meum cognoscetis.

Vers. 20. *Hæc verba loquutus est.* Quia licèt subobscurior sermo Christi, id tamen subindicabat quo aperte prolato Domino insidias struere volebant Pharisæi, ut indicet Christum ista & animo præsenti dixisse in loco celeberrimo, ubi summa erat frequentia hominum, ut par erat *in templo & in gazophylacio* ubi verisimile est magnam hominum eleemosynas conferentium multitudinem fuisse, nec tamen Pharisæos quicquam ipsi nocere potuisse, quod subindicatur eo ipso cùm dicit *& nemo prehendit eum*, unde apparet fuisse qui vellent id facere. Causa *quia nondum venerat hora ejus.* Id est, tempus à Deo præscriptum & destinatum.

Vers. 21. *Dixit ergo.* Nempe cùm videret illos ardere desiderio comprehendendi sui, cujus insinuandi causa verba versiculi antecedentis interjecit Euangelista, simulque indicandi unde causam habuerit ea quæ statim relaturus erat proferendi. *Iterum* post illa verba quæ paulò ante retulerat, & quæ ipsis bilem in nasum conciverant.

Ego vado. Nempe ad Patrem, in cœlum, sed per mortem. Quasi dicat; Frustra vos insidias mihi tenditis, & de me comprehendendo capita confertis. Non est id in vestra situm manu. Etsi fiet quidem quod constituistis. Occidar ego à vobis; sed mortis istius finis erit abitus meus ad Patrem: nec tam vestræ id opus erit voluntatis, quàm mei ipsius arbitrii. Sed malo id vestro eveniet maximo. *Quæretis me* tum enim mei videndi desiderio tenebimini, & me videre voletis, audientes videlicet me ad patrem abiisse, & tot id signis ac prodigiis confirmari videntes. Sed frustra, *in peccato vestro moriemini*, id est, non dignabor vos conspectu meo, non conspicietis me redivivum, atque ita habentes ob mei absentiam quod perverso cordi vestro prætexatis, incredulitati sceleribusque vestris relicti peribitis, nec ad frugem redibitis. *Peccati* voce vel incredulitatem intelligit, vel simpliciter improbitatem & omne scelus ut numerus singularis ponatur pro plurali, quod non est sacris scriptoribus novum. *Quo ego vado* quia poterant dicere; Annon possumus te quoquo iveris consequi? Quid igitur ais nos te frustra quæsituros? occupat Dominus, ut & supra, & negat illos posse se consequi. Quasi dicat; Ego quidem ipse ad vos jam non redibo. Vos autem me subsequi non poteritis. Non est igitur quod speretis vos me postea visuros, ac proinde non est etiam quod tantopere me interficere studeatis, atque ita abitum istum à vobis meum quantum in vobis est acceleretis.

Vers. 22. *Dicebant ergo Judæi.* Videlicet inter sese. Superioris capitis 7 versu 35 aliter loquuntur & aliam verborum Christi interpretationem afferunt.

Vers. 23, 24. *Tunc dixit eis.* Sermo iste Domini dupliciter cum antecedentibus connecti & explicari potest. Primò si dicamus, nullam hic à Domino rationem eorum quæ Pharisæi dixerunt haberi, sed tacite illorum verba transmitti, ac tantum inchoatum sermonem continuari, & causam dictorum afferri, quo altius in animos ipsorum descenderet. Quasi dicat; Hoc dico propterea, quia *vos ex inferis estis*, nil nisi terrena sapitis, & terrena cogitatis. *Ego sum de supernis*, è cœlo profectus sum & cœlestia spiro, ac tota vita mea spiritualis est. *Vos estis ex hoc mundo*, id est mundana tantum sapitis & cogitatis. *Ego* autem *non sum ex hoc mundo*, sum quippe ex supernis. Unde non est sperandum vos me recepturos atque ita iram Dei effugituros. Si verò secundùm vestrum palatum essem, reciperetis me: nunc vero tam diffidemus à nobis quam terra distat à cœlo. Et hæc est causa cur dixi vos morituros in peccatis vestris. Nam si velitis id effugere ne in peccatis vestris moriamini, necessario vobis credendum est me esse id quod jam vobis dixi, mundi videlicet doctorem & Messiam seu Christum. Jam autem non is est genius vester ut id credere possitis. Non effugietis igitur iram cœlestem, & supplicia incredulitati aliisque peccatis vestris destinata. Et hæc est prima responsionem hanc explicandi ratio. Ad quam nescio annon & illud possit addi, quod interpretum quidam arbitrantur hic etiam ejus rationem reddi, cur dixerit illos non posse eò venire quò ipse abiturus esset, quia videlicet non possint credere. Nisi fortè hoc etiam in vocibus *moriemini in peccatis vestris*, includitur. Deinde possunt ista verba ita accipi ut causam afferat cur illum fugillaverint. Quasi dicat; Non mirum est vos talia dicere, quia estis terreni, &c. Sed hac ratione sequentia erunt ita connectenda: Et hæc etiam est causa cur dixerim vos morituros in peccatis vestris. Hoc enim obstat quominus credatis, quia tales estis. Jam autem necesse est quemlibet in peccatis suis mori qui non crediderit mihi. Nisi igitur credideritis *me esse*, videlicet lucem mundi, doctorem & magistrum verum, moriemini in peccatis vestris.

Vers. 25. *Dixerunt ergo ei.* Ut solent qui carpere tantum aliena dicta volunt, minime respondent ad ea quæ ipsis objecerat, sed ex occasione ultimorum verborum, cùm dixit, *nisi credideritis quod ego sum*, quærunt ex Domino, *Tu quis es?* quid igitur tandem de te existimare, & quem te esse scire debemus? indica nobis, ut credamus tibi. Si verba aspicias bene videntur procedere. Nam de re longe maxima & unice necessaria interrogant. Præcedere enim fidem debet cognitio. Sed quia sæpius id jam à Domino audierant, potiùs tergiversantur & Dominum captant, quàm ex animo sciscitantur.

Tum dixit eis Jesus. Quid responderit Dominus, & quomodo Græca verba responsionis ipsius vertenda sint, variè explicatur ab interpretibus: ut videre est inprimis apud Bezam, annotatione super hunc locum. Rectissima autem & scopo ac intentioni Domini accommodatissima est ista quam defendit ipse, in qua particulæ ὅτι, distinguuntur, quarum illa sit articulus postpositivus. Ea autem est talis *Id quod à principio dico vobis.* Quasi dicat; Quid ex me istud exquiritis, quod jam dudum ex ore meo audivistis? Is sum quem me vobis jam pridem dixi, videlicet me esse lucem mundi, magistrum & doctorem orbis. *A principio.* Videlicet non tantùm hujus colloquii vobiscum,

cum, sed etiam muneris & officii mei. Utitur autem præsenti *dico* loco præteriti *dixi*, ut indicet se in eo quod semel dixit adhuc persistere.

Vers. 26. *Multa habeo quæ de vobis.* Laboratur & de horum verborum nexu cum antecedentibus ac consequentibus. Videtur autem is esse ipsorum sensus & connexio, quasi dicat; Ego quidem qui sim, jam pridem dixi vobis, & satis id constare potest vobis. Vos autem qui sitis, ego taceo, licet interea multa possim de vobis & moribus vestris dicere, imò etiam vos & condemnare. Sed vos quod in me carpatis & damnetis, non habetis. Nam quod ad prædicationem & doctrinam meam attinet, quam damnare soletis, *ille qui misit me*, cujus authoritate & jussu illam annuncio, & qui mihi hoc munus injunxit, *verax est.* Ego verò nihil dico nisi ex ipsius ore haustum ac auditum. Unde necesse est vera esse, ac omni reprehensione vacare omnia verba & dicta mea. Maldonatus voculam *sed* in verbis *sed qui misit me* accipit pro *nam*, hoc sensu; Haberem multa de vobis dicere & ob ea vos condemnare. Quod si facerem, jure meo facerem. Nam qui misit me verax est. Ex quo sequitur, me etiam vera dicere, quippe qui nihil dicam nisi quod à Patre audiverim. Verùm præterquam quod multa in ista interpretatione adjicienda sunt in ipso textu subaudienda, durius est vocem *sed* sumi pro *nam.* Et non videtur Dominus ista ex ore Patris audivisse qualibus isti moribus essent, ut fert ista interpretatio, sed potiùs videtur respicere ad illa quæ ab initio audivit à Patre, nempe doctrinam & legationem sibi ab ipso injunctam.

Vers. 27. *Non cognoverunt.* Interjicit ista Apostolus, ut indicet ex qua occasione sequentia verba Dominus protulit. Lectio hic est varia. Simplicissima autem ista quam nobis exhibent plerique codices Græci, *Non cognoverunt eum loqui de Patre*, videlicet suo, id est Deo. Quasi dicat; Cùm autem diceret veracem esse eum qui ipsum misisset, unde colligi volebat sua etiam dicta & judicia vera esse, non animadverterunt ipsum nomine mittentis istius Patrem suum id est Deum intellexisse.

Vers. 28. *Dixit ergo eis.* Quasi dicat; Cùm igitur Christus videret, illos in istis verbis hærere, nec intellexisse de quo ipsis diceret, perrexit in sermone suo, & subjecit sequentia, explicationis & confirmationis antecedentium causâ.

Quum exaltaveritis. Quasi dicat; Quod autem dixi, me ea demum loqui quæ ab eo qui misit me id est à Patre audivi, id tum demum intelligetis & verum esse deprehendetis, quando me in crucem egeritis. Tum enim cognoscetis me esse lucem mundi. Quo quid sibi vellet velut explicaturus, subjungit, *& ex me ipso nihil facere.* Faciendi verbo nunc utitur, cùm antea dicendi usus esset, ex quo colligitur, tam late illud extendendum esse, ut etiam dicta & verba Domini comprehendat. Quasi dicat; Nihil & dico & facio pro meo arbitrio & authoritate, *sed prout docuit me Pater.* Hic rursum pro voce faciendi substituit vocem loquendi. Unde patet, primariò ipsum respicere ad verba doctrinamque suam. Jam tum *cognituros* ait, quia causam ampliorem id cognoscendi essent habituri. Quia enim non omnes crediderunt, non omnes etiam actu & reipsa cognoverunt. Ita enim late hic vox cognoscendi sumitur, ut fidem etiam suo gremio comprehendat. Omnes tamen habuerunt causam cognoscendi, & quod consequens erat credendi. Tribuitur autem id exaltationi seu morti Christi, non quod sola mors Christi esset id effectura, sed quod propter mortem Christi esset id futurum, ipsa quidem cognitionem & fidem istam adjuvante, iis verò quæ illam sunt consequuta, resurrectione videlicet & glorificatione, eandem perficientibus. Referunt huc nonnulli miracula quæ Christo moriente & mortuo contigerunt. Verùm ut ea non excluserim, quia propter insignem excellentiam & novitatem suam necesse est illa cordatiorum animis hæsisse, ita videtur Christus respicere potius ad ipsam mortem (quæ insigne documentum erat doctrinam Domini non esse ab ipso confictam) & quæ eam subsequuta est resurrectionem ac glorificationem. Unde inferius cap. 12, eandem plane sententiam sic extulit ℣. 32, *Ego si exaltatus fuero à terra, omnes traham ad meipsum.*

Vers. 29. *Nam qui me misit.* Quod dixerat se nonnisi ea loqui quæ Pater ipsum docuerat, nunc confirmat, tacitæ adversariorum cogitationi occurrens. Poterant enim ita cogitare; Sit ita sanè, docuerit te Pater; sed quis nobis præstabit, te non esse eorum oblitum, & nunc tibi relictum non errare. Quam proclivis est lapsus in iis quæ audimus, si soli tantùm memoriæ nostræ fidamus? Non est id cogitandum, inquit Dominus. Nam *qui misit me* id est Pater, *mecum est* id est ope sua succurrit mihi, me regit, & suggerit mihi omnia.

Non reliquit me solum, Non ita mihi munus hoc injunxit, ut me postea desereret & mihi ipsi relinqueret. Causa & ratio; *quia ego quæ placita sunt ei facio* id est ita ago ut in omnibus mandata ipsius exhauriam. Apparet hinc, utut Deus gratiâ suâ Christum prævenerit, sapientiâ eum divinâ imbuendo, & spiritûs sancti donis cumulando, illum tamen constanti & nunquam interrupta pietate ac innocentia sua favorem istum divinum retinuisse: quod etiam ex Cap. 15. vers. 10 ejusdem Euangelistæ discitur. *Facio* ad opera refer, & ad diligentiam in voluntate Dei annuncianda: *Semper* providens ne quid omittam aut subterfugiam quod ad salutem hominum faciat.

Vers. 30. *Hæc ipso loquente.* Cum audacia videlicet ejusmodi & animi præsentia, ut licet videret animos hostium ad ipsum comprehendendum intentos, id tamen nihilominus ageret quod sui officii esset; quo accedebat quòd auditores operum ejus admirandorum recordarentur. Et hoc quidem de operibus puto addendum, quia non est verisimile solum istum sermonem tantum apud istos potuisse.

Multi crediderunt in eum. Eventus sermonis Christi, quem & propterea addit, ut indicet quis fructus fuerit istius sermonis ejus, & propterea quia præbuit causam sequenti sermoni Christi, adeoque colloquio ipsius cum adversariis suis. Dicit autem *multi*, ut doceat in ea turba fuisse etiam eos qui non crederent, & quidem credentibus non pauciores.

Vers. 31. *Dicebat ergo*, Cùm animadverret multos credidisse. *Iis Judæis qui crediderant ipsi* id est qui ipsum pro Messia, doctrinam verò ejus pro divina & cœlesti receperunt eique assensi fuerunt. Additur id propterea quia non omnes quos tunc alloquebatur in eum crediderant, & ii qui crediderant immisti erant infidelibus, ut appareret ad quos ex illa turba quæ ipsum audiebat ista Christi verba pertinerent. Interim Christus generaliter omnes alloquebatur, verba concipiens ita, ut licet illi qui crediderant ad se tantùm illa pertinere conjicerent, & infideles tamen illa ad se trahere possent: hoc sensu; si vos doctrinam meam receperitis, ita ut in ea permaneatis. Quasi dicat; Et Christus quidem videns animos eorum qui in se crediderant, ad illos potissimùm sermonem suum dirigebat, licèt multi etiam qui non crediderant, ad se eum applicare possent. Hortatur autem eos ad constantiam, proposito præmio & fructu incomparabili. Admonitio ipsa exprimitur isto versiculo, *Si vos manseritis in sermone meo*, id est, si constanter mihi adhæseritis, nec ulla ratione à præceptis meis vos avocari passi fueritis; *vere discipuli mei eritis*, revera id eritis quod nunc præ vobis fertis, quodque discipuli nomine significatur. Quasi dicat; Nunc quidem nomen inter meos discipulos estis professi, sed si id quod professi estis reipsa esse vultis,

oportet vos ita sermoni meo assuescere ut illius ductum semper sequamini, imò ut ille in vobis habitet vosque regat in omnibus actionibus vestris. Is enim est verè discipulus Christi, qui sine cunctatione & tergiversatione dictamen præceptorum Christi sequitur, & infracto animi robore omnia quæ sibi ab ipso imponuntur perfert. Qui verò est inconstans, & gradum citò revocat, aut etiam interjungit, vix discipuli nomen meretur.

Vers. 32. *Et cognoscetis veritatem.* Hæc verba quidam explicant ita ut per Hebraismum id significent quod experiemini verum esse quod dico. Sed altius quid & augustius hic à Domino exprimi videtur. Fructus videlicet promanans ex constantia in fide. Quasi dicat; Et subinde cognoscetis uberius quæ nunc leviter intelligitis, quantaque in mea doctrina mysteria lateant plenius videbitis, quæ vos mirum in modum recreabunt. Neque enim ob temporis brevitatem, & eorum quæ ex ore Christi hactenus audiverant paucitatem, poterant aut præstantiam promissorum Christi, aut divinitatem præceptorum, aut ipsius denique personæ majestatem pernoscere; cùm sciamus illos etiam qui ab ipso initio prædicationis Christi lateri ipsius adhæserunt multa post ascensum Domini didicisse: quanto plura verò his discenda & cognoscenda erant, qui paucissima ex ore Domini hauserant. Veritatis autem nomine doctrinam suam intelligit, seu Euangelium: quomodo etiam hæc vox usurpatur superius cap. 1.

Et veritas id est doctrina mea, *vos in libertatem vindicabit*, id est eximet vos servitute peccati & mortis: de qua posteriori potiùs loquitur, licèt de illa videatur loqui, si vers. 34 respicias, sed hæc consequenter tantùm hic includi videtur. Aliàs enim omisisset fructum præcipuum; quod non est verisimile. Porrò veritas liberat, quatenus vires confert & largitur, ut vincula servitutis istius disrumpamus. Unde etiam Euangelium virtus Dei vocatur. Rom. 1. Jus autem nobis largitur ad vitam æternam & remissionem peccatorum consequendam, quod unicuique robur addit ad excutiendam tyrannidem peccati & mortis.

Vers. 33. *Responderunt ei.* Videlicet Judæi increduli, quibus immistos fuisse diximus fideles. Illi putantes ad se hunc sermonem dirigi, nec scopum ipsius attendentes, more suo carpunt Dominum: & primò quia gens erat libertati assueta, imò omnis jugi humani impatiens, molestè ferunt ultima Christi verba, quibus asseruit, suos demum discipulos verè liberos futuros, subindicans reliquos omnes esse servos. Argumentum illorum tale est; Qui nulli unquam servivimus, de illis dici non potest illos in libertatem vindicari debere. At nos nemini unquam servivimus Ergo. Major propositio deest. Minor cum sua probatione, quod videlicet semen Abrahæ essent, & conclusio, hoc versiculo comprehenduntur. Porrò quod ad minorem attinet, in illa cùm se nemini servivisse asserunt, vel mentiti sunt, si de servitute publica accipias; & tum enim Romanorum servi erant, ut illam servitutem Ægyptiacam & Babylonicam omittamus: vel de servili conditione privata erit accipienda. Quasi dicant; Nos quos hic videmus nemini unquam servivimus, puta servitutem privatam.

Vers. 34. *Respondit eis Jesus.* Ad argumentum adversariorum respondet per distinctionem servitutis, quæ & civilis est & moralis: & quia propositio principalis tum demum vera est si de qualibet servitute accipiatur, descendit ad minorem, quæ prosyllogismo tali fulciebatur: Qui est semen Abrahæ ille nemini serviit, servitutem puta privatam. Nos sumus semen Abrahæ. Ergo. Et respondet ad utramque præmissarum; & primò quidem ad majorem, ostendens illam esse falsam si de servitute morali accipiatur: quia etiam semen Abrahæ peccare possit. Qui verò committit peccatum, servus est peccati & mancipium, ita ut conditionem & consequens illius subire cogatur, nempe mortem. Quare vult dicere, Etiamsi tandem semen Abrahæ sitis, servili conditione vos eximere non potestis. Licet enim non serviviſtis servitutem civilem & privatam, estis tamen servi peccati, ejusque maximi; nam me trucidare vultis innocentem, imò & cæterorum complurium.

Vers. 35. *Servus autem.* Ne dicerent; si igitur de ista servitute loqueris, non multum pugnabimus. At quid interest ab ista servitute liberari, quantumve istud bonum est quod tui sectatoribus polliceris? Ideo explicat conditionem hujus servitutis, ex quo conspicitur permultum interesse ab ista servitute vindicari. Conditio ista servilis est in eo, quod *servus* id est mancipium, *non maneat in domo perpetuò*, id est excludi possit quando patrifamilias collibuerit, nec aut jus aut spem ullam firmam in domo illa permanendi, id est hæreditatem illius cernendi habeat. Usurpat videlicet servi nomen in alia significatione quàm aliàs solet, cùm homines servi Dei vocantur. Nam de cujus domo loquitur? de Dei. Atqui hujus respectu quilibet homo aliàs servus est. Imò servis peculiariter Dei promittitur illos habitaturos in æternum cum ipso. Servum igitur vocat qui est peccati vinculis irretitus, quòd sit eo loco & conditione apud Deum quo mancipia apud heros suos, quæ exigi pro libitu ab illis quocunque tandem velint possunt.

Filius autem Conditioni servili opponit conditionem filialem, ex qua vult colligi, quantopere interfit in numero filiorum Dei censeri, adeoque servitute spirituali eximi.

Manet perpetuò à nullo excludi potest, quia habet jus hæreditatis illius domûs adeundæ utpote filius herilis. Cæterum ita loquitur ambigue, ut videatur de quovis filio verba facere; sed sequentia ostendunt à generali significatione ad specialem ipsum descendere. Vult dicere; Quare & vos, si tantum bonum consequi vultis, in id incumbite quò filiorum numero adscribamini. Quod non alia ratione assequemini quàm si in me credideritis qui principem locum inter filios Dei habeo, imò omnibus in me credentibus jus istud adoptionis conferre possum: quod sequenti versiculo explicat apertius.

Desunt non pauca.

Vers. 46. *Quis ex vobis.* Quia simplicem versiculi superioris assertionem, quòd veritatem diceret in dubium vocare, & ita cogitare poterant; Undenam constare poterit, aut quibus id argumentis probabitur quod tam audaciter asseritur? Ideo comprobat id hoc versiculo, & simul nullam in se doctrinaque sua causam esse ostendit quod sibi non crederent. Quod quidem ita proponit, ut antecedente tantùm ex quo sequitur illum vera dicere, posito, reticeat ipsam conclusionem, & loco ejus inferat id quod ex ea sequitur. Sunt itaque hic duo quasi Syllogismi inclusi. Prior est: si non dico veritatem, poteritis me convincere. Atqui non potestis me convincere. Ergo veritatem dico. Connexum reticetur, sicut & conclusio. Vis autem illius est maxima: neque enim fieri potest quin si quis doctrinam aliquam ipse confingeret, & pro divina venditaret, idque tempore longo, nec uno in loco, & coram pluribus faceret; in omnibus suis dictis sibi constaret, nec contrarium iis quæ antea dixit postea effutiret: deinde ut iis esset moribus qui à nemine culpari & reprehendi possent. Quin ut doctrinam aliquam à se confictam pro divina hominibus obtrudere, maximæ improbitatis sit argumentum: non juvat autem gratis improbum esse; fieri non potest quin ejusmodi homo cupiditatibus suis obsequatur, & voluptatum, avaritiæ, ambitionis, ex iisque pullulantium scelerum sit mancipium. Assumtio seu antecedens est, *Quis ex vobis arguit me de peccato?* Id est, nemo. Negationi enim æquipollet ista interrogatio, & vim habet majorem quàm si fuisset prolata simpliciter.

Arguit id est arguere potest, convincet. Præsens pro futuro.

De peccato. Peccati vox tam latè sumitur hic ut mendacium etiam complectatur. Ut ex oppositione, *si autem veritatem dico* patet. Quasi dicat; Vos ipsi licet mihi sitis adeò infensi ut sanguinem meum sitiatis,

tis, dicite mihi, quidnam ejusmodi aut in doctrina mea deprehendistis, cui mendacium, aut in vita & moribus, cui crimen ac scelus aliquod meritò objici possit. En vos provoco, à vobis convinci volo. Non parcetis enim scio mihi, neque dissimulabitis, si quid ejusmodi in me conspicitis. Quod si id non potestis, agnoscite igitur non dolis ac fraudibus me grassari, & mendacio credulitati vestræ illudere, sed rem dicere & veritatis viam secare.

Si veritatem dico. Illatio ex superiori conclusione, loco ipsius conclusionis posita: ex qua Syllogismus posterior talis emergit: Si veritatem dico, nulla est in me causa quod mihi non credatis. Atqui veritatem dico. Ergo.

Quare non creditis mihi? Id est, alibi quam in me sit oportet causa incredulitatis vestræ, quod sermonem meum rejicitis.

Vers. 47. *Qui ex Deo est.* Postquam ostendit non esse in se doctrinave sua causam incredulitatis, probat causam esse in ipsis, quia videlicet non essent ex Deo. Argumentum hujus loci est tale: Si qui est ex Deo, verbo Dei audit, incredulitatis vestræ causa est id quòd non estis ex Deo. Atqui prius verum. Ergo & posterius. Neque enim aut id nunc erat in quæstione num essent ex Deo, aut etiam num audirent: sed ut versiculus antecedens indicat, cùm in Christo nulla esset causa incredulitatis ipsorum, cur nihilominus non crederent. Quare qui alterutram ex illis conclusionem hujus loci esse volunt, non assequuntur scopum verborum Domini. Et illi quidem qui hoc quod ipsa verba præ se ferre videntur probari volunt, nempe illos non audire quia non sint ex Deo, non animadvertunt hac ratione probatum iri obscurum per æque obscurum. Isti vero qui hoc tantùm volunt concludi, illos non esse ex Deo, cùm verbis *propterea* & *quia* revincuntur, tum versiculo antecedente, qui apertè indicat integram propositionem istam hic concludi, *propterea vos non auditis quia non estis ex Deo*: nec esse hic syllogismum Categoricum ut vulgò creditur, sed hypotheticum. Jam videlicet probaverat id versic. 44 illos non esse ex Deo, cùm docuerat illos esse ex Patre Diabolo; ideo hic istud quasi pro concesso sumit; etsi negari etiam non possit, hac quoque ratione istud ab effectu probari posse. Sed non is est scopus orationis Dominicæ.

Cæterum quod ad voces attinet, *ex Deo esse* est ex illo velut originem trahere, ut sis ejus voluntati conformis, & cupias id quod Deus cupit. Et hæc est illa filiatio Dei imperfectior, quæ fidem etiam in Christum præcedit, qua ex Deo esse dicitur is qui naturali probitate sua in id propendet quod rectum & honestum est, quodque Deo placet.

Qui ex Deo est, id est qui Deo originem suam debet, qui Deum pro patre agnoscit, mentem ipsius menti conformem habens, & eò sponte propendens quod Deo placet. Quemadmodum supra vidimus, illum pro patre habere Diabolum qui cupiditates ipsius explet.

Verba Dei audit. Id est libenter auscultat illa quæ à Deo proficiscuntur quæ ipsi placent, atque porrò illa recipit & amplectitur. Audire hic non est tantùm aures ad alicujus sermonem arrigere, sed etiam illum approbare, animo recondere, & factis exprimere.

Vers. 48. *Responderunt* &c. Quia illos non semel hac oratione Dominus redarguit, dum eos ex patre Diabolo esse asseruit, & non esse ex Deo, ac cupiditates Diaboli explere; ideò cùm non haberent quid istis jure responderent, mentem verò mutare nollent, ad convicia descendunt, & Samaritanum ac dæmoniacum Dominum appellant.

Nonne bene dicimus. Talia cùm de nobis loquaris, qui sumus Dei & Abrahami filii, qui legem Domini custodimus. Quomodo autem Dominum dixerint Samaritanum, non exprimitur. Sed fieri potest illos hac voce usos sæpius, ad conflandam Domino invidiam, & docendum, illum non esse verum Dei cultorem, sed simulare tantùm & præ se id ferre: Ut Samaritani nomen, in religionis, non verò natalium (quod quidam opinati sunt illos dixisse, quia Galilæa esset Samariæ contermina) opprobrium, ipsi tribuerent. Velut si hodie diceres aliquem Turcam, Judæum, qui tibi circa religionem errare videtur. Cum enim Samaritæ essent ex gente Cuthæorum, & nihilominus pro Judæis censeri vellent, non ferebant id Judæi, ideoque neque ad societatem templi Jerosolymitani admissi sunt ab ipsis. Unde postea illis templum Jerosolymitano simile Sanaballates in monte Garizim ædificavit. Ad quod quia multi ex veris Judæis transfugerant, inde crevit majus erga Samaritas odium, & Samaritani cognomen adeo exosum fuit olim apud Judæos, atque hodie apud Christianos hæretici.

Et dæmonium habes. Diaboli id instinctu & impulsu loqueris. Idem legimus objectum Domino c. 7. ℣. 20.

Vers. 49. *Respondit Jesus.* Modestissima simul & prudentissima responsio Christi. Neque enim aut commovetur convicio tanto, aut etiam dicit quod dicere meritò poterat: Ego vobis utrumque horum jure meliori objicere possum; quod juberet nunc alicui nostrum in casu simili splendida bilis. Sed simpliciter tantùm ostendit, primò injuria sibi id objici, deinde graviter eos isto convicio peccasse. Subticet autem de cognomine Samaritani, quia cùm ad posterius respondet, istud etiam à se amolitur.

Ego dæmonium non habeo. Injuriâ id mihi objicitis.

Sed honoro patrem meum. Ratio ab effectu, qua ostendit se dæmonium non habere. Neque enim fieri potest, ut is qui honorat Deum, sit instrumentum Diaboli, qui est hostis Dei.

Et vos inhonorastis me. Graviter peccastis convicio isto me proscindentes. Honorare enim me, proterea quia ego Deum ipsum honoro, debebatis.

Vers. 50. *Ego vero non quæro gloriam.* Quia iterum objicere poterant; Apparet te gloriæ cupiditate teneri, quod non potes verba nostra ferre; occurrit Dominus & ostendit non sua sed illorum causa se id dicere. Quasi dicat; Quod quidem factum vestrum non ideo dolet mihi quia gloriam meam quæram, & doctrina mea os populi mereri cupiam, sed vestri causâ, ne vos pœnam eamque atrocissimam incurratis. *Est* enim *alius*, nempe Deus, pater meus, *qui quærat* gloriam puta meam, vult doctrinam meam à vobis recipi, ac me honorari.

Et judicet, id est injuriam meam vindicet, puniatque eos qui me contumeliâ afficiunt. Quod vobis etiam metuendum est, nisi resipiscatis, & ad me convertamini.

Vers. 51. *Amen amen dico vobis.* Verba ista dupliciter accipi possunt. Primò, ut dicamus Dominum ex abrupto redire eò unde fuerat digressus, propositum videlicet suum principale, ut doceat quanti sit faciendus, & quanta commoda sint ei exspectanda, qui se pro doctore & magistro receperit. Deinde ut dicamus causam in illis afferri eorum quæ ultimo loco versiculi antecedentis dicta sunt, nempe habere se eum qui suam gloriam quærat, videlicet Deum. Si enim tantus est, ut qui sermonem ipsius servaverit, non sit periturus; non mirum est Deum gloriam ipsius quærere. Sed illud verisimilius est, quòd videlicet redeat eò unde ipsum interlocutiones adversariorum avocaverant. Quanquam simul etiam ostendat, se non esse dæmoniacum, neque contumeliâ ejusmodi affici se debuisse. Firmiter enim utrumque horum ex eo concluditur, si tanta manet utilitas discipulum & sectatorem suum.

Si quis sermonem meum servaverit. Id est si quis præceptis meis obsequutus fuerit, & promissis fidem adhibuerit. Servandi vox præcepta maxime respicit, sed tamen ita ut promissis fides habeatur. Tum enim verè servatur Christi sermo cùm & præcepta ipsius factis exprimuntur, & promissa fide exspectantur.

Mortem non conspiciet. Id est hunc fructum reportabit,

bit, ut liber sit ab interitu: vel ut sup. cap. 6. 50, mortem nunquam videbit. Mortis nomine intelligitur hic ea quæ verum interitum afferat, id quod nomen mortis triste proprie significat. Neque enim mors illa temporaria quæ ita vitam hanc perdit ut Spiritus interea noster conservetur, verus est interitus & perditio. Jam *videre* hoc loco per Hebraismum idem est quod experiri, ideoque in ejus locum substituunt Judæi vocem gustandi ℣. 52, *mortem non gustabit in æternum.* Ita dicitur *non videbit regnum Dei* id est non ingredietur: & Psal. 16, quod repetitur Act. 2, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem,* id est revera corrumpi: & mox, *neque caro ejus vidit corruptionem* id est sensit, experta est, non evenit illi corruptio.

In æternum id est nunquam.

Vers. 52. *Dixerunt ergo ei.* Talia cùm dici audirent à Domino, nec frangere pervicacem animum vellent, nihil autem haberent quod regerere Domino possent, ad furias properant. *Nunc cognovimus* id est, Nunc tuo jumento malum tibi arcessivisti, & argumentum ipse nobis certissimum suppeditasti ejus quod tibi objeceramus, nempe quòd dæmon te regat & velut insideat. Argumentum faciunt tale: Qui se majorem facit Abrahamo & prophetis ille dæmonium habet. Atqui tu talis es. Ergò. Adjungunt verò Abrahamo prophetas, ut res sit tanto invidiosior, & speciosius coram populo Dominum criminarentur. Deinde repetito Christi sermone rem adhuc magis exaggerant, innuentes ipsum non se tantùm sed cultores etiam suos Abrahamo & prophetis anteponere. Quasi dicant; Magnum quidem esset deliramentum, & à dæmone agitati hominis non leve documentum, tantis viris se tantùm ipsum præponere. At tu etiam discipulos tuos illis anteponis, dum illos mortem non gustaturos pronuncias. Atqui *Abraham mortuus est & prophetæ.* Hic latet ratio consequentis prosyllogismi quo minor probatur, quæ talis est: Qui mortem non gustaturos ait cultores suos, is se anteponit Abrahamo & prophetis, Atqui tu talis es. Ergò.

Vers. 53. *Num tu major.* Ut rem tanto magis exaggerent, & ejus indignitatem iis qui audiebant ostendant, insistunt rei, addentes *Patre nostro.* Quasi dicant; Utut tu negas nos ipsius liberos esse, ille tamen Pater noster est.

Et prophetæ Anacoluthon. Pro *& prophetis qui mortui sunt.* Hebraismus. Minus enim accurati sunt in ejusmodi locutionibus Hebræi: & sæpe antecedens sine relativo ponunt.

Quem tu teipsum facis? id est, quid tibi arrogas, & de teipso tibi persuades ac imaginaris. Conclusio nova: cùm illa debuerit esse, Ergo dæmonium habes: cui probandæ sunt adducta illa de Abrahamo & prophetis. Sed ipsi quasi illo jam probato interrogationis ansam ex assumtione quærunt. Quodsi igitur te prophetis & Abrahamo majorem putas, quid tandem de teipso sentis, quid tibi arrogas?

Vers. 54. *Respondit Jesus.* In superiori argumentatione duæ quæstiones fuerant, & velut conclusiones. Prima quòd haberet dæmonium. Altera quòd sibi tantum arrogaret. Ad utrumque respondet hic Dominus, & prius quidem ad posterius, ostendens captionem esse in hac interrogatione ipsorum. Licèt enim unam rem continere videatur, revera tamen continet duas. Ita enim quantus esset Jesus quærebant, ut innuerent Jesum ipsum id sibi arrogare. Cùm igitur simpliciter responderi hic non posset, Christus ita sermonem suum temperat, ut & neget seipsum quicquam arrogare sibi, & licet reticere videatur, nihilominus innuat simul quanta sit, alio eoque omni exceptione majore teste, dignitas & præstantia sua.

Si ego glorifico. Id est, Si mea tantùm sententia, sine alio teste & authore, quicquam mihi arrogo, & in ipsum laudo ac effero, meamve præstantiam deprædico: *gloria mea nihil est,* laus ista & gloria mea quam mihi tribuo, nulla est, falsa est. *Est pater meus.* Quasi dicat; Sed non ita est, non ipse mihi quicquam sponte tribuo. Proinde gloria mea non est nihil. Habet enim testem omni exceptione majorem, & contra quem ne hiscere quidem audebitis, cùm etiam illum Deum vestrum esse jactetis, & illo gloriemini. Glorificabat autem Pater filium, quatenus ut diximus testabatur operibus illis stupendis, cùm illa per ipsum & cum ipso ederet, ipsum esse filium suum dilectum. Verba *quem vos dicitis Deum vestrum,* addita sunt, ut ostendatur testem istum omni exceptione esse majorem, & simul occasio sternatur sequenti objurgationi. Eo enim ipso quia Patrem dicebant suum esse Deum, id est, pro Deo & benefactore suo agnoscebant, illo nitebantur & gloriabantur, non poterant non testimonium ipsius amplecti & recipere. Quia verò utut illi Deo gloriarentur, non tamen illum agnoscebant, ideo non dicit, qui vester Deus est, sed, quem vos dicitis Deum vestrum esse, id quod statim objiciet ipsis.

Vers. 55. *Sed non nostis.* Id est, sed frustra id vobis arrogatis. Postquam ipsorum interrogationis impetum declinavit, retundit etiam ipsos. Quasi dicat; Quod quidem vos potius falso vobis arrogatis, cùm nec Deum curetis, nec quæ sit voluntas ipsius à me discere velitis. Non noverant videlicet Deum, vel quia simpliciter non curabant, vel quia voluntatem ipsius à Christo discere nolebant.

Ego verò ipsum. Occurrit tacitæ illorum cogitationi, quia poterant dicere: Quid verò tu? etiam de te idem dici potest. Negat id Dominus, & asserit contrarium, assertionemque istam exaggerat à contrario, *& si dixero me eum non nosse.* Quasi dicat; In quo quidem adeò nihil mihi falsi arrogo & vendico, ut si contrarium dixerim, sim futurus *vestri similis mendax,* qui non in hoc tantùm mendaces estis quòd Patrem Deum vestrum jactetis, quem tamen nòn nostis, sed etiam quòd me dæmonium habere dicitis, qui Patrem honoro.

Sed eum novi. Rem eandem amplificat. Quasi dicat; Sed ut nemo id mihi objicere potest, ita nec ego contrarium dixero, ut qui mihi optime sim conscius quod illum noverim. Quod vel explicat in sequentibus, *& sermonem ejus servo,* ut particula *&* sumatur pro *id est,* vel confirmat, qua ratione sumetur pro *nam.*

Vers. 56. *Abraham pater.* Absoluta una parte dissertationis adversariorum, interrogatione videlicet cornuta, transit ad alteram, refutationem videlicet illorum argumenti. In qua ita versatur, ut assumtionem quidem illam, quatenus in ea continetur ipsum Abrahamo esse majorem, tacite neget. Quæ sola eminentiæ Christi præ Abrahamo comprobatione funditus evertitur, sicut contrario ejus nitebatur. Porrò verba ista dupliciter accipi possunt. Primò in modo indicandi, prout vulgò solet, ut effectus hic aliquis absolutè tribuatur Abrahamo, ex quo necessario consequatur illum esse Christo minorem. *Exultavit ut videret* id est cum magno gaudio affectavit & desideravit videre, summo in id studio & exspectatione propendebat, pro magna felicitatis parte ponebat videre. Solemus videlicet rem aliquam magnam exspectantes, spem ejus lætitia quadam præcipere.

Diem meum id est tempus meæ in terris conversationis & prædicationis. Hoc enim tempus alicujus dicitur quo ille floret, quodque sibi præclaris facinoribus suis velut vindicat.

Et vidit, tanquam propheta, videlicet in spiritu, habens id revelatum sibi per Spiritum sanctum à Deo. Propter quam rationem prophetæ in Sacris Literis *videntes* appellantur. Nam quod quidam fide vidisse interpretantur, eo ipso tollitur, quia visionem istam necesse est omnino fidem præcessisse. Quomodo enim videre gestiret, nisi futurum credidisset

disset atque fidem habuisset, ac proinde etiam ipsa fide velut vidisset? Quodsi eo ipso quòd gestivit videre jam fide vidit & tamen videre desideravit, negari non potest, postquam vidisse etiam & hujus sui desiderii compos exstitisse postea asseritur, excellentiori eum & perfectiori aliqua ratione vidisse. Ea autem est quòd Spiritus Dei in ipso tanquam propheta inhabitans, diem istum Domini in imagine & figura aliqua ipsi ostenderit & exhibuerit. Sed deinde possunt ista verba ex proprietate idiomatis Hebraici ita accipi acsi essent modi conjunctivi. Cùm enim Hebræi nonnisi indicativi præteritum habeant, illo pro præteritis omnium modorum uti coguntur. Sed & Græci aoristis indicativi sine particula ἂν quales hic sunt, pro imperfectis & plusquam perfectis subjunctivi non rarò utuntur. Quasi dicat; Abraham pater vester exultasset ut videret diem meum, & si videret utique gavisus esset. Hujus interpretationis rationem vide cùm alibi apud nostros, tum etiam Defensione animadversionum in assertiones Posnan. cap. 9. pagina 268 & 269. Quanquam autem prior nihil in se contineat absurdi, & fieri id potuerit, hæc tamen videtur illi ob hoc ipsum præferenda, quia non est verisimile Christum de re tanta sine scriptura pronunciaturum fuisse, inter hostes suos præsertim. Nulla enim exstat ejus rei nota in sacris codicibus qui ad manus nostras pervenerunt. Nisi forte dicamus Christum respexisse ad visionem illam Abrahamo Genes. 15 exhibitam, in qua etiam id quod hic asserit Christus, viderit ille in typo & imagine liberationis posteritatis suæ.

Vers. 57. *Dixerunt igitur.* Quia nihil quod responderent habebant, & ab insita sua malitia discedere nollent, ad calumnias more suo convertuntur, oblata sibi commodâ occasione in verbis Domini, quæ plausibiliter in alium sensum torqueri poterant. Sane non asseruit Dominus se Abrahamum vidisse, sed tantùm quòd Abrahamus (si receptam interpretationem sequamur) viderit diem suam, id quod sine illo fieri potuit. Isti verò quasi illud dixisset statim tanquam rem absurdissimam excipiunt. Quasi dicant; Quid jam absurdius à te dici potuit? Tune Abrahamum quod de te asseris vidisti? At quomodo id fieri potuit? cùm nondum annos habeas quinquaginta: ille autem ante tot annos est mortuus. Dicunt autem *annos quinquaginta nondum habes*, majoris exaggerationis causâ, cùm constet trigesimum annum tunc Christum non multum excessisse, ut videlicet plus etiam quàm erat Domino largiantur, & tamen impossibilitatem ipsius dicti ostendant.

Vers. 58. *Dixit eis Jesus Amen* &c. Locus controversiâ inter nos & alios nobilitatus. Volunt plerique omnes ita hic à Domino Judæis responderi, quasi dicat; Vobis id videtur impossibile me Abrahamum vidisse? Atqui scitote me prius quàm Abraham nasceretur fuisse, cùm sim Deus æternus. Verùm istam interpretationem nec verba admittunt, neque res ipsa, seu id quod erat in controversia. Nam quod ad verba attinet, cùm voces aoristicæ modi infinitivi qualis hic est γενέσθαι, non præteriti tantùm sed etiam futuri temporis vim habeant, ex verbo à quo illæ pendent quodnam istorum significent dijudicari debet. Nam si verbum fuerit temporis præteriti, vox etiam aoristica tempus præteritum significabit, etsi id non semper: sin verò præsentis aut futuri, futurum omnino significabit. Unde etiam factum est, ut vox eadem γενέσθαι simili imò eadem structura verborum posita alibi, ab ipsis etiam non per præteritum sed per futurum sit versa: puta inferius cap. 13. ỳ. 19, & cap. 14. ỳ. 29. In quorum illo etiam adverbium idem quod hic positum est. Quod autem ad rem attinet, cùm vox γενέσθαι necessariò pendeat aut à priore verbo nempe *dico*, aut à posteriore videlicet *ego sum*; si præteriti significationem habebit, necessariò, utrumvis dicas; præsens prius erit præterito, seu asseretur aliquid in præsenti de præterito tanquam nondum adhuc existente. Nam qui dicit verbi gratiâ, *dico vobis priusquàm fieret*, aut *ego sum priusquam fieret*, ille asserit aliquid in præsenti de præterito tanquam nondum adhuc existente, atque ita præsens præterito prius facit. Atqui alterutro horum modorum verba ista necessariò sunt accipienda. Adde jam quòd (ut agnoverunt ante nos etiam alii) ne hac ratione quidem quidquam ad propositum Christus responderet, & potius eos luderet, mentemque eorum ab eo de quo erat sermo institutus aliò deduceret & avocaret. Nempe illi litem intenderant homini quod se Abrahamum (ut illi calumniabantur) vidisse dixisset. Ipse etiam de se ut homine loquebatur. Fatentur enim omnes *diem* Christi hîc vocari non respectu divinitatis, sed respectu humanitatis, seu prædicationis ipsius in terris: nec id illa phrasi *Abraham vidit diem meum*, significari, quòd vidisset Christum esse Deum, sed quod vidisset qualis quantusque esset Christus cùm in terris versaretur, & munus legationis à Patre sibi injunctæ obiret. Quocirca si ut illi volunt respondisset, priusquam Abraham nasceretur, ego sum Deus, nec ad suam nec ad adversariorum suorum mentem, respondisset, imò plane controversiæ statum mutasset, de se loquens ut de Deo, cùm illi dubitarent de homine. At vulgò volunt Christum eis respondisse, & quidem directè. Et hoc quidem tanti est momenti, ut si quis contra rationes ex vi verborum ipsorum allatas vulgarem versionem mordicus tueri velit, ad aliam nihilominus quàm quæ vulgò creditur interpretationem sit confugiendum: ut Christus dicat se fuisse prædestinatum à Deo antequam Abraham fuerit natus. Quæ responsio & veritati ipsi & verbis Christi quæ calumniabantur Judæi est accommodatior, imò & ipsorum Judæorum menti. Loquebantur videlicet de homine: ut igitur Christus tanquam homo prædestinatus fuit antequam Abraham nasceretur, ita etiam ab Abrahamo per spiritum propheticum tempora ejus prævideri poterant. Ita ad calumniam quidem nihil responderet, sed tantùm nihil absurdi se dixisse quod Abraham diem suam vidisset ostenderet, atque adeo se Abrahamo præstantiorem esse doceret. Verùm non opus est ad hunc licet nihil falsi in se continentem & ab ipsa quæstione non abhorrentem interpretationem confugere, cùm apertam vim verbis ipsis (ut constare potest ex iis quæ illam oppugnantes diximus) inferat: & verba ista versa quemadmodum ratio Grammaticæ postulat, & verti posse exempla ostendunt, contineant sensum catastrophe hujus colloquii dignissimum. Ea est talis, *Amen amen dico vobis priusquam Abraham fiat, ego sum*, hoc sensu, ut Dominus videns se nihil paternis suis monitis proficere, sed omnia sua sequius accipi, eoque etiam impudentiæ adversarios provehi ut ipsum calumniarentur, ad verba quidem ista nihil plane respondeat, sed ad principalem eos sermonis sui scopum revocet, & cum comminatione quadam etiam atque etiam moneat, ut maturè credant *se esse* videlicet lucem & doctorem mundi, videlicet *antequàm Abraham fiat*, id est ante quàm reipsa fiat id quod vox Abrahami significat, nempe antequam gentibus fiat aditus ad gratiam Dei. Tum enim revera Abram ille videlicet homo qui ita vocabatur factus est Abraham, id est pater multarum gentium. Sed tum etiam cœpit aditus Judæis præcludi ad eandem gratiam, & populus iste duræ cervicis rejici. Et ejusmodi quidem responsione ac comminatione non propterea tantùm erant digni, quia tam aperte auderent Dominum calumniari, sed etiam quia tantopere jactarent Abrahamum, & illius veluti injuriam cùm se illi Dominus anteferret ulciscerentur: cùm tamen ad illum revera non pertinerent, nec genuina illius soboles essent. Quasi dicat; Ego verò calumnia ista vestra tam impudenti missa, istud etiam atque

atque etiam vobis dico & edico, ut credatis me esse lucem mundi, antequam promissio Abrahæ, quem vos falsò patrem vestrum jactatis, impleatur, fiatque reipsa id quod nomen ipsius significat. Tum enim jam pœnitentia vestra erit sera, nec tam facilis ad me aditus. Porrò verba *ego sum*, idem valere atque ego sum lux mundi, vel quid simile, docent loca Joh. 8. ℣. 24, & 28. & cap. 13. vers. 19. Sed patet id etiam ex collatione verborum Christi apud Matthæum c. 24. ℣. 5, cum iisdem à Luca & Marco scriptis. Quod enim isti dixerunt Christum monuisse, pseudoprophetas dicturos de se *ego sum* id ita ille extulit, *dicentes ego sum Christus*. Restat jam ut videamus quamnam vim habeant ea quæ potissimùm contra ista afferri solent. Primò igitur omnium dicitur, hac ratione ad propositum non responderi. Quod quidem nos fatemur. Sed vidimus jam hujus rationis vim nec illos sua versione retenta declinare posse, cùm manifeste ipsis fatentibus statum quæstionis secundùm illam mutet. Deinde non est id Christo insolens: videmus illum aliquando indirectè tantum aliquando etiam nihil prorsus respondere. Vide si placet apud hunc eundem euangelistam cap. 4. vers. 10 & 16. cap. 6. vers. 26. cap. 12. vers. 23, 35. cap. 14. vers. 23. Et id quidem videmus etiam nonnunquam à Christo factum, cùm de re non parvi momenti quæreretur, & nulla ansa declinandæ responsioni daretur. Hic verò (ut docuimus) ita cum iis procedendi sane causam habuit maximam. Dicitur secundò per hanc interpretationem induci Dominum verbo lusisse. Sed nec id mirum videri debet, cùm & hic præbuerint ipsi materiam, tantopere sibi Abrahamum asserentes & se illius patrocinio tuentes. Fecisse autem id Christus legitur etiam alibi. Vide apud Johannem cap. 4. vers. 10, 13, 32, 34, 35. cap. 6. vers. 27 & 38. cap. 8. vers. 37 & 39. In quibus idem verbum in eadem oratione aliter atque aliter usurpatur à Domino. Quin & hoc non est insolens sacris scriptoribus ut à nomine transeant ad rem. Vide Esa. 8. vers. 8 & 10, si conferantur inter se. Ita in nominibus aliquando alluditur ad rem, ut in nomine *Jacob*, *Noemi*, *Petrus*. Restat ultima ratio ex sequenti versiculo petita quòd Dominum lapidare voluerint. Sed quàm elumbis? Nonne enim plures dari poterant causæ cur illi vellent Dominum lapidare, præter hanc quòd se Deum æternum esse diceret quod isti volunt? Annon poterat illis videri Dominum blasphemare, etiamsi non id ipsum dicere crederent? Sed si id etiam eos suspicatos esse constaret, quid hodie volunt, num illico sequeretur, id & non aliud istis vocibus Dominum intellexisse? quid si Dominus consultò etiam verba ista ita protulit ut causam haberent implendæ mensuræ improbitatis suæ, & quidvis aliud monstrosi & absurdi quàm quod Dominus dicebat animo sibi fingerent? Quid si etiam quod Dominus volebat & intellexerunt, ideoque lapides corripuerunt? Sanè non potuisse illos ferre cùm aliquid de gentium conversione diceretur, & ad furias ac cædem statim properasse, testantur isti loci Matth. 21, 46 & 22, 15. Luc. 4. 28. Act. 22. vers. 22.

Vers. 39. *Sustulerunt ergo lapides.* Sive sensum verborum Domini assequentes, sive utique conjicientes aliquid in illis absurdi adeoque blasphemi, aut certè ipsis molesti, latere. Eventus sermonis Christi, impius videlicet adversus Christum Judæorum conatus. Quia verbis Dominum convincere nequeunt, lapidibus conficere volunt.

Jesus autem occultavit se. Id est proripuit se statim ex oculis eorum, atque ita turbæ se immiscuit, sive quod alii volunt invisibilem se illis præstitit, detentis puta aliquantisper ipsorum oculis, ne ipsum licet notum per medium sui transeuntem conspicerent, atque ita ictibus lapidum ad illum collimare possent. Miraculo certe res non vacavit, ut indicare videntur sequentia, quum *transisset per medios ipsos*.

CAP. IX.

DEscribitur historia sanati hominis cœci à nativitate. Cujus tres sunt partes. Prima continet ea quæ miraculum istud antecesserunt. Secunda miraculi ipsius patrationem. Tertia, ea quæ sunt ipsam consequuta, quæ ut suo loco videbimus fuerunt varia.

Vers. 1. *Præteriens* id est, cùm ita manus hostium suorum declinans templum relinqueret, & obvius fieret turbæ ad templum properanti. Prima capitis pars, quæ ad vers. 6 porrigitur. In qua primò tempus miraculi indicatur, simulque quodammodo locus innuitur. Cùm enim dicitur *præteriens vidisse*, non tantùm id significari videtur quòd id fecerit in ipso fere fugæ suæ articulo, sed etiam quòd id fecerit non procul à templo, in loco aliquo qui à pluribus frequentaretur, & quem transire necesse fuerit omnes templo exeuntes & templum ingredientes. Ejusmodi enim loca obsidere solent ista hominum mendicabula, quò facilius stipem à transeuntibus impetrare possint, & in tali loco potuit etiam cœcus ille assedisse, vel etiam eò à custode suo ductus fuisse.

Vidit casune & fortuito in ipsum incidens, an potius spiritu suo talem hominem ibi adesse conjiciens, consultò oculos in ipsum injecit? Hoc potiùs, ut videlicet ipso in illum intuitu daret occasionem discipulis suis illum intuendi, atque de illo aliquid vel sciscitandi, ut fecerunt, vel etiam petendi. Addit autem Euangelista, hominem istum fuisse *cœcum à nativitate*, ad ostendendam miraculi & certitudinem & magnitudinem: ne aut ex compacto actum quis putaret, cum homine qui mercede inductus id simulasset, aut certè tale quid hic à Christo factum quod & à medicis fieri posset.

Vers. 2. *Et interrogabant* &c. *Rabbi quis peccavit?* Id est postquam vidissent quòd Dominus cœcum istum intueretur, ut fortè etiam aliquantum subsisteret, & circa illum moraretur: ac fortasse etiam aut ipsum sanatum vellent, aut Dominum de illo sanando cogitare arbitrarentur. Alterum est quod miraculum antecessit, & continet aditum ad miraculi patrationem, seu occasionem, quæ fuit, discipulorum Christi de causa illius cœcitatis interrogatio. In qua quidem præsupponunt illi cœcitatem & ejusmodi morbos aut mutilationes esse peccatorum pœnas. Quod vel ab ipso Domino didicisse poterant, cùm sæpius audirent, à Domino in hominum ejusmodi sanatione dici, *vade & noli amplius peccare*: vel etiam ex recepta omnium quam ipsa quoque ratio non improbaret opinione hausisse. Cæterum quæri hic solet ab interpretibus quomodo illi de eo qui cæcus natus esset quærere potuerunt utrum ille peccasset, cùm ante nativitatem ne peccare quidem potuerit. Cumque varii varias ejus interrogationis causas adferant, ut discipulos vel excusent, vel sensum illorum interrogationis assequantur, nobis simplicissimum videtur si interrogationem istam ita accipiamus quasi dicant: Cùm sciamus peccata esse causas ejusmodi calamitatum, vellemus scire quis in hoc peccaverit, illene ipse, quod est minus verisimile, imò videtur nobis impossibile, an potiùs parentes illius, qui cùm sint ipsi conjunctissimi, fortè ille ipsorum scelera luit, & in illo ipsi puniuntur? ut ita priorem interrogationis partem dicis tantùm causâ protulerint & statim transmiserint, ac in hanc propenderint, ulterius fortasse quæsituri, si in eam partem ut illi sperabant ipsis aliquid respondisset.

Vers. 3. *Respondit Jesus.* Ostendit Dominus non semper verum id esse quod illi pro fundamento immotæ veritatis ponebant, nempe omnem hominem propter peccata ejusmodi calamitatibus affici, darique posse aliam harum rerum causam. *Neque iste peccavit, neque parentes ejus*, puta ut cœcus nasceretur, ut non peccati illos expertes faciat, sed peccata cœcitatis istius causam esse neget.

Sed ut manifestentur opera Dei. Sed ita natus est ut in illo glorificetur nomen Dei, & ex illius sanatione patefiat omnipotentia & misericordia Dei. Porrò cœcum

cum illum esse natum, ut in illo manifestarentur opera Dei, accipi potest vel ex eventu, quatenus scilicet alia quidem causa perse intercesserit, puta naturalis, sed id postea ita acciderit ut per id manifestarentur opera Dei; vel per se quatenus scilicet Deus simpliciter tales homines tunc & in iis etiam istum exstare voluerit, causas videlicet naturales non prohibendo, sed permittendo, ut ita materia esset operibus suis.

Vers. 4. *Oportet me operari.* Ex responsione ad interrogationem discipulorum, aditum sibi jam ad miraculi ipsius illo tempore patrationem struit. Postquam enim ostendit aliam esse atque ipsi rebantur cœcitatis illius causam, eandem etiam dicit esse causam cur ipse debeat illum tunc sanare. Quasi dicat; Cùm autem hæc sit cœcitatis istius causa, ideo mihi etiam omnino & quidem hodie sanandus erit. Ratio consequentiæ est quia *oportet me operari*, id est quia mihi id incumbit, mei id muneris est. Non per alium Deus vult ista opera edi quàm per me.

Donec dies est, id est dum tempus ei rei est aptum & accommodatum, videlicet quamdiu vivo. Allusio ad operarios diurnos, qui die inclinante laborem intendunt, & quanto minus lucis restat tanto alacrius operantur, ne noctu laborare cogantur tempore ad labores obeundos minus opportuno. Ita duo hic probat Christus. Unum quidem quod sibi omnino sit sanandus, quia videlicet oporteat operari *opera ejus qui misit me* id est Patris. Sed maluit ipsum describere quàm simpliciter exprimere, ut simul causam indicaret cur ipsi incumbat opera Dei operari: quia scilicet sit ejus legatus, & eo fine ab eo in mundum missus, ideoque ad ea facienda obligatus. Alterum quòd illo die & tempore, quia tum tempus esset accommodatum & opportunum, non diu autem esset futurum. Ideoque subjungit *venit nox*, id est tempus laboribus ineptum, mors videlicet ipsius. Quasi dicat; Non multum autem restat temporis quo id facere possim ideo non procrastinandum nec differendum est. Jam enim imminet mors mea. *Quando* pro in qua. Adverbium pro nomine cum relativo. Refertur autem non ad individuum, sed ad genus. Mors enim Christi illi soli nox erat, non verò aliis qui tum debebant operari, quibusque tum dies erat. Loquitur verò de operibus quæ edebat tanquam legatus. Nam post etiam multa edidit, imò omnia quæ ediderunt Apostoli ipse edidit, sed jam ut Rex populi sui, non ut legatus. Quasi dicat; Nocte autem nemo potest operari: vel simpliciter, quia sunt quædam opera quæ lucem eamque diurnam necessariò requirunt, vel non ita commode ac facilè. Cæterum mirari quis possit, cur tam solicite causam hic reddat ejus miraculi quod editurus erat: nec enim videtur ratione vacare. Et putant quidem nonnulli, Dominum hac ratione suspicionem ambitionis à se voluisse amoliri, ne quis existimaret gloriolæ pruritu id ab ipso factum. Sed videtur in ipsius temporis quo miraculum est editum ratione causa latere. Indicatur enim vers. 14 Sabbatum tum fuisse. Ne igitur temere & præter necessitatem facere videretur quod tantam ipsi apud hostes suos invidiam conciliabat, rationem prius reddere voluit cùm ipsis discipulis suis, tum etiam cœco, & manuductori etiam ipsius quem proculdubio habuit.

Vers. 5. *Quamdiu fuero in mundo.* Amplius ostendit causam cur debeat operari, vel potiùs aliis significantioribus verbis exprimit quod paulo obscurius dixerat ante. Id est, Meum officium est ut luceam mundo, in hoc sum & destinatus & missus. Id autem me præstare oportet quamdiu sum in mundo, id est quamdiu in terris ago. Quas quia brevi sum relicturus, nullum tempus lucendi accommodatum est mihi prætermittendum. *Lux* autem erat seu lucebat & doctrina & operibus: doctrinâ quidem quatenus ea mentes eorum illustrabat, operibus verò quatenus illa penitus doctrinæ ipsius veritatem animis illorum infigebant, & fidem in Christum ingenerabant.

Vers. 6. *Hoc cum dixisset*, id est cùm ita sibi aditum ad ipsius miraculi patrationem fecisset. Secunda capitis pars, duobus versiculis comprehensa: Miraculi nempe ipsius patratio. In qua & modus exprimitur, seu media quibus usus est in ipsius sanatione, & ipse effectus seu miraculum.

Spuit humi & fecit lutum. Commiscendo videlicet salivam cum pulvere in sumitate terræ existente. Modus sanations. Duo autem hic quæri solent. Primum cur mediis usus sit, & quidem ejusmodi quæ aliquem temporis tractum requirerent, nec statim, solo puta attactu, aut etiam solo verbo id fecisset, sed primum quidem spuisset, tum luto oculos illevisset, & denique à se ad piscinam Siloam amandasset. Alterum est cur his & non aliis modis usus esset. Ad primum dupliciter responderi potest. Primò quidem voluisse Dominum explorare fidem istius cœci. Legimus enim aliàs Dominum omnes quos vellet sanare interrogasse an crederent. Non erat autem necesse ut eodem semper modo fidem eorum quibus opitulabatur exquireret. Ut igitur obsequium ipsius & ex obsequio fidem exploraret, jubet illum ad piscinam proficisci, nec alia re quàm aqua lutum abstergere: quo videlicet haberet spatium alterutrum horum prætergrediendi, si ad mandatum Christi implendum impetus & non fides initio ipsum traxisset. Simile quid legimus factum ab Elisæo in Naamane Syro. Secundò quia Christus erat modestissimus, omnem suspicionem affectatæ in isto miraculo gloriæ amoliri à se voluit. Quia enim proculdubio cæcus iste in loco aliquo ob commeantium frequentiam celebriori consistebat, fieri non poterat quin si in illo statim loco visum recepisset ille è vestigio exclamasset Deum glorificans, & Domino gratias agens, atque ita clamore suo complures ad se excivisset qui Domino circumfunderentur, subindeque plures ad ipsum concurrerent. Unde gloriæ id suæ cupidine & ambitione factum à Domino, quò ita à pluribus digito monstraretur & adoraretur aliqui arbitrari, hostes autem etiam traducere possent. Amandat igitur illum à se, ut in alio loco beneficio accepto, alia ratione id palàm faceret. Cui fortè accessit etiam id quod istud fiebat Sabbato, ne hac ratione videretur ipse sponte hostes suos irritare, quos proculdubio adversus se concitasset, si clamore aliquo exorto omnes ad ipsum accurrissent idque prope templum. Quod verò attinet alterum, spuit quidem ut faciat lutum, luto autem illinit, ut cœcus ille sciat non virtute id piscinæ Siloam factum, sed virtute Christi, qui sputo suo oculos ejus alleverit. Luto autem utitur & non alio medio, ut doceat mediis se uti arbitrariis, & nullam in illis esse aut fuisse vim ad effecta ista producenda. Quid enim commune luto cum oculorum apertione visusque collatione? Qua ratione olim Elisæus aquas reddidit dulces sale in eas conjecto, & ligno in aquam conjecto ferrum è fundo ad aquæ summitatem attraxit.

Vers. 7. *Vade lava in piscinam* εἰς pro ἐν positum. ut Mar. 2. ℣. 1. Act. 26. 20. Nisi malis esse trajectionem, pro vade ad piscinam, & lava. Posset quis dicere νίψαι esse infinitivum, ut dicat vade lotum in piscinam, nisi obstarent verba cœci ℣. 11. qui videtur ipsius Domini verba referre. *Siloam* mentionem ejus habes Esai. 8. 6. Addit autem ejus interpretationem propter Græcos in quorum gratiam scribebat. Nam Judæis interpretari non erat opus. Propter quam etiam causam capite primo vocem Messiæ diximus ab ipso explicari.

Vers. 8, 9. *Vicini ergo.* Tertia pars capitis, ea videlicet quæ sunt miraculum ipsum consequuta. Sunt autem numero quatuor. Primum est, quomodo miraculum istud & vicinis & Pharisæis innotuit. Alterum, quomodo cum illo qui cœcus erat sint Pharisæi colloquuti, adeoque quid ipso factum. Tertium, quomodo se illi Christus patefecit. Denique quomodo Pharisæis cœcitatem exprobravit. De primo ait, non temere id creditum, sed prævia diligenti & accurata inquisitione, inter vicinos, qui eum videre cernentes dubitabant usque eò utrum is esset quem antea & cœcum esse & mendicare viderant, ut ipse cogeretur de seipso testari quòd is & non alius esset.

Vers. 10

Verſ. 10. *Dixerunt ergo ei.* Eo quod primum erat in iſta inquiſitione abſoluto, utrum videlicet is ipſe eſſet quem putabant, & non alius ipſi ſimilis, deſcendunt ad aliud, & inquirunt qua ratione viſum accepiſſet.

Verſ. 11. *Reſpondit ille & dixit.* Rem narrat ſimpliciter & ſine ulla honorifica Domini mentione.

Homo qui dicitur Jeſus, Etiamſi ut ex verſ. 17 patet, prophetam eſſe putaret, ne quid videretur gratiæ hominis dare, eoque rem ipſam ſuſpectam redderet.

Verſ. 12. *Dixerunt ergo ei.* Ut in rei quam exacte noſſe intereſt diligenti inquiſitione fieri ſolet, cognito facti authore, amplius, ubinam videlicet ille eſſet, exquirunt. Id autem proculdubio animo maligno, & ipſius comprehendendi cupido, ut ex ſequenti eorum facto, deductione videlicet ſanati ad Phariſæos conſpicitur. Reſpondit autem cœcus *Neſcio*, quia quum ipſe tam longe juſſu Domini fuiſſet profectus, non poterat ſcire utrum Dominus illo adhuc in loco moraretur, & veriſimile eſt non ſubſtitiſſe illic diutius, quia cùm Sabbato id feciſſet, facile colligere poterat, illos qui ob ſimile factum ipſum comprehendere voluerant, nunc multo minus ab eo ſibi temperaturos.

Verſ. 13. *Adducunt eum ad Phariſæos.* Ut videlicet de re tota judicent, & videant quid facto ſit opus. Narrat quomodo res iſta ad Phariſæorum etiam notitiam pervenerit.

Verſ. 14. *Erat autem Sabbatum.* Addit id Euangeliſta velut in parentheſi, ut initio ſtatim cauſam reddat eorum quæ propter hoc miraculum ſunt ſubſequuta, ſimulque innuat cur ad Phariſæos fuerit adductus. Notabis autem nullam hic mentionem fieri ab Euangeliſta ejus quòd cœcus laviſſet, id enim illis etiam ſatentibus Sabbato facere licebat, ſed tantùm ejus quod Dominus fecit, nempe quod *lutum fecerit & aperuerit oculos ejus*, ut lutum etiam ipſum feciſſe Dominus videatur, propterea quod opus aliquod redolebat, ut haberent quod improbi & perverſi illi Phariſæi arroderent & exagitarent, quod que illos ureret.

Verſ. 15. *Rurſus ergo interrogarunt eum & Phariſæi.* Quod fieri ſolet in rebus magnis & aut curſum naturalem aut etiam noſtram exſpectationem ſupergreſſis, ut non contenti ſimus una & ſimplici inquiſitione, ſed eadem nobis ſæpius repeti & iterari velimus, velut attentius circumſpecturi num revera ſit ita nec ne, idem hic etiam fieri videmus. Veriſimile eſt vicinos iſtius hominis qui ipſum deduxerant ad Phariſæos, rem totam illis indicaſſe, quod innuit vocula *rurſus* & altera *etiam* (quaſi dicat, Non tantum autem vicini ſed & Phariſæi) nihilominus tamen etiam Phariſæi iterum in rem eandem inquirunt, proculdubio circumſpecturi an in omnibus relatio ipſius cum relatione vicinorum conſentiret, & annon aliqua veſtigia in ipſa titubationis deprehenſuri eſſent.

Verſ. 16. *Dicebant ergo.* Narrat deinceps quæ fuerint ſequuta Phariſæorum de tota ea re judicia. Et alii quidem occaſione ex eo arrepta quod Sabbato miraculum iſtud patraſſet, dicebant, *Homo iſte non eſt à Deo*, ſermone iſto vel in dubium rem totam ſimpliciter vocantes, quaſi non eſſet revera facta, ſed confecta, aut ſi facta nihilominus eſſet, non divina virtute, ſed aliqua arte magica procurata. Et hæc cauſa eſt cur alii meliores & factum ita omnino credentes, dicerent, *Num poteſt quiſpiam peccator talia ſigna edere?* Nam hi & verbis miraculum iſtud quod illi fortè elevabant extollunt, & minimè id fieri poſſe oſtendunt, ut tale quid ab eo qui non eſſet à Deo patraretur. Vox *peccatoris* hic pro eodem ponitur, quod eſt non eſſe à Deo. Qua phraſi Phariſæi rurſus inſinuatum volebant illum eſſe à Diabolo, non tamen id verbis exprimebant, ne tantam rem Diabolo manifeſte tribuere viderentur.

Verſ. 17. *Rurſus dicunt cœco.* Puta illi qui ſequius de Chriſto ſenſerunt & loquuti ſunt. Quaſi dicat; Cùm verò inter ſe conſentire non poſſent, & hi factum eſſe dicerent atque approbarent, alii verò prorſus negarent, provocarunt iſti ad judicium ipſius cœci, eo proculdubio conſilio, ut ille videns ad ſe provocari tanto liberius loqueretur; illi autem velut ex inſidiis venarentur ſi quæ vox imprudenti excideret, qua poſtea arrepta, aut miraculum ipſum in dubium vocare, aut certe illius magnitudinem elevare poſſent. Ita igitur illum adoriuntur: *Tu quid dicis de illo?* Quaſi dicant; Tu qui tantum ab illo beneficium accepiſti, unus omnium optime de illo judicare potes. Volumus ergo ex te perconctari quid tu de illo ex factis illius ſentias & ſtatuas. Nam & quid tibi contulerit & quomodo, melius quàm cæteri noſti. Reſpondet autem ille *Propheta eſt.* Iterum ut ante ſimpliciter ne aliquid hominibus dare videretur ſtrictim ipſos abſolvit & directe. Prophetas autem vocabant olim homines qui a Deo miſſi eſſent, & peculiarem aliquam ab ipſo revelationem haberent, ſive prædicerent futura, ſive minus. Cæterum notabis *cœcum* hic vocari eum qui jam videbat, quia olim cœcus fuerat.

Verſ. 18. *Non crediderunt ergo.* Quaſi dicat; Cùm autem non ſolum non elicuerint ex ore ipſius pro ſententia ſua quicquam, ſed etiam præter exſpectationem ſuam judicium illius hominis de Jeſu ejuſmodi audiviſſent, rem etiam ipſam in dubium vocare cœperunt: quaſi nimirum ab illo ideo eſſet confecta ut ejus prætextu teſtimonium Domino tam honorificum exhibere poſſet. Unde tandem res devenit eò, ut parentes etiam ipſius percontarentur, ex illiſque rei veritatem exquirerent, ſimiliter illorum omnia dicta examinaturi, an in omnibus cum dictis illius hominis convenirent.

Verſ. 19. *Et interrogaverunt.* Tria interrogant. Primò an eſſet filius; Secundùm an fuerit cœcus natus; tertium, ſi & filius eſſet, & cœcus natus, quomodo nunc tandem videret.

Verſ. 20, 21. *Reſponderunt eis parentes.* Ad priora duo reſpondent directè, ad tertium verò directam reſponſionem ſubterfugiunt *neſcire* dicentes, non quod non crederent, aut ab illo non audiviſſent, ſed quia nec viderint ipſi nec interfuerint iſti negotio. Quaſi dicant; Nos juxta vobiſcum rem iſtam ſcimus: ille potiùs qui unus omnium optime ſcire poteſt quid ſecum ſit actum dicat vobis. Nam eſt ejus ætatis ut poſſit dicere, & de re iſta judicare. Ita non ſolùm mendacium quodammodo cùm ſe neſcire dicunt illis obtrudunt, ſed etiam rem totam derivant in filium: ne ſi ad directam reſponſionem cogerentur, aliquid ipſis excideret quod eis odium & invidiam conciliare poſſet.

Verſ. 22, 23. *Hæc dixerunt parentes.* Occurrit tacitæ lectorum cogitationi. Poterant enim cogitare, quidnam eſſet in cauſa quòd rem totam in filium rejeciſſent, nec ſenſum de ea ſuum aperuiſſent; num fortè à filio nihil de eo inaudiviſſent, aut ſi audiverint non credidiſſent? Aperit igitur veram cauſam, metum videlicet Judæorum, qui eum ejicere Synagoga conſtituiſſent qui modò Jeſum pro Chriſto agnoviſſet. Parentes illius cœci ſanati putabant iſti crimini hoc etiam eſſe vicinum ſi dixiſſent illum oculos filii ſui aperuiſſe, quia id ad honorem Jeſu pertinebat, ideo ne in caſſes Judæorum inciderent, maluerunt rem totam in filium rejicere. Judæos autem hoc & ſuperiori verſ. 18 vocat Phariſæos & primores ac principes Judæorum, aliàs enim ipſe etiam ille cæcus ſanatus & parentes ipſius Judæi fuerant. *Conſtituerant* id eſt communibus ſuffragiis ſtatuerant.

Verſ. 24. *Secundò ergo.* Cum videlicet nihil ex parentibus ipſius expiſcari potuiſſent quod in rem ſuam eſſet. Apparet illos cœcum amoviſſe cum advocaſſent parentes & ſine illo interrogaſſe. Cogitabant enim iſta ſeparata inquiſitione id ſe aſſequuturos, ut aliquid parentes abſque filio dicerent quod non uſquequaque cum ipſius dictis congrueret, atque ita fraudem deprehenderent, aut certe anſam arriperent rem totam in ſuſpicionem vocandi, & in illum cœcum tanquam mendaciorum in re tanta authorem animadvertendi. Cùm igitur minus ex ſententia proceſſiſſet ipſis inquiſitio cum parentibus, ipſum iterum advocant, & quaſi aliquid ex parentibus expiſcati eſſent ex quo concludi poſſet Jeſum eſſe peccatorem, atque ita ſenſim depel-

depellerent ipsum à sententia sua qua prophetam illum esse pronunciaverat, eum obtestatione adoriuntur, *Tribue gloriam Deo*, quasi dicant; Fatere verum, & da istam reverentiam Deo coram cujus facie es, ut propter illum id quod res est dicas. Eadem verba in materia simili leguntur Jos. 7. 19, & Jer. 13. 16; etsi hujus loci alius etiam sensus esse possit. Ex quibus apparet, solennem hanc fuisse apud Judæos formulam cùm aliquem ad culpam agnoscendam compellere vellent. Vide Bezam super hunc locum: qui etiam locum 1 Sam. 6. 5 his similem esse dicit.

Nos hunc hominem. Id est nos habemus certissima documenta, hunc hominem cui tu tam honorificum testimonium præbuisti peccatorem esse: quare propheta esse non potest; & graviter peccatum est à te qui hunc ipsi titulum dedisti. Opponunt peccatorem prophetæ, idque de ipso pronunciant ut illud extorqueant, & sensim rem eò deducant quasi nec miraculum etiam fecerit, & totum istud opus suspectum reddant.

Vers. 25. *Respondit igitur ille.* Vidit quò tenderent isto sermone suo, ideoque acute ipsis respondet, & cum ironia quadam. Sensus est quasi dicat; Quin ex eo ipso colligere potestis non esse peccatorem sed prophetam, quia oculos meos aperuit. Verùm hoc illis cogitandum relinquere maluit, ita sermonem suum temperando ne cum illis videretur contendere, ideoque istius rei quam se novisse dixerant judicium à se amovet: illius sibi tribuendo quæ illos unice urebat, non poterat enim ab illis ulla ratione ipsi extorqueri. Hoc modo: An sit peccator, ego de eo nunc non disputo, vos id melius videritis, judicium de eo mihi non sumo, sit sane id in dubio: hoc unum dico & assevero me quum cœcus fuerim, nunc videre, idque ejus operâ. Nescire se ironicè dicit (nam mox sciviſse rem aliter habere probabit) ne in arenam disputationis cum illis descendere velle atque sapientiam aliquam sibi præ illis tribuere videretur: quod ipsum facile opportunum criminationibus illorum reddere poterat. Interim, ut monuimus, id dicit quod rem aliter habere demonstrat. Modus loquendi usitatus quando invidiam declinaturi id adversario producimus quod cùm ille negare non possit, de illius etiam quod tantopere ursit veritate subdubitare cogatur.

Vers. 26. *Dixerunt autem ei rursus.* Quia hac ansa illum prehendere non poterant, aliâ tentant, & rursum sibi modum quo esset sanatus referri volunt, si quid fortè ei excideret quod commode arripere & ventilare possent. *Quid fecit tibi?* Quasi dicant; si modò dixeris nobis omnia & aperueris plene modum quo ille in sanatione tui usus est, nos ex modo ipso colligemus & tibi planum faciemus rem ita habere ut diximus, nec divinum istud sed magicum opus esse.

Vers. 27. *Respondit eis*, Indignatus tandem ob tam molestam quæstionem, audet etiam eos reprehendere & falsè ridere. *Jam vobis dixi.* Cur amplius id à me exquiritis? *& non audiviſtis?* cum interrogatione. Vulgata legit simpliciter *& audiviſtis. Cur iterum* quorsum toties eadem dicta vobis repetam?

Num & vos fieri vultis. Facile poterat conjicere quorsum ista illorum toties repetita inquisitio vergeret, nempe ut illum etiam à Christo abstraherent, & miraculum istud si quà possent elevarent: at ille ut ægre ipsis faciat rem alio detorquet. Quasi dicat; Sane non video ullam causam esse cur vobis rem eandem toties repetam, nisi fortè *& vos* sicut alii complures vultis nomen vestrum inter illius discipulos profiteri. Id enim fortè tam accuratam hujus rei inquisitionem postulaverit. Nam sæpius nobis dici volumus quæ scire plurimum nostra interesse credimus.

Vers. 28. *Itaque convitiati sunt ei.* Senserunt aculeum, & cùm conatus suos non tantùm in irritum cecidisse, sed rideri etiam se viderunt, ad convitia descendunt. Quæ autem illa fuerint non exprimit Euangelista. Apparet illos tale quid dixisse, Tu qui homo es nequam & sceleratus sis sane si ita lubet ipsius discipulus.

Nos autem Mosis. Nos Mosem magistrum nostrum agnoscimus.

Vers. 29. *Nos scimus.* Quasi dicant, Et id quidem jure facimus, nam scimus Deum Mosi loquutum esse.

Hic autem unde sit nescimus. Id est, de hoc autem non constat nobis quod sit à Deo missus. Non dicunt autem, hunc autem scimus non esse à Deo, vel, hunc autem scimus esse à dæmone, quod cogitabant: quia id nimis videretur impudens. Itaque ejusmodi circumloquutione utuntur, interim illud nihilominus intelligi volunt.

Vers. 30. *Respondit eis ille.* Ad convitia silet, ad proxime dictum respondet, & ratione convincit non posse illos ignorare unde sit Jesus, imò ex hoc ipso miraculo colligere posse illum esse à Deo.

In hoc enim mirabile γὰρ positum pro enimvero. *In hoc* videlicet negotio. Quasi dicat; At enim in hoc toto negotio id rursus miraculo dignum quod non agnoscatis unde iste sit, cùm ipsum hoc ejus factum oculos unicuique vestrum aperire posset, & docere illum non aliunde esse quàm à Deo.

Vers. 31. *Scimus autem* Adfert in super argumentum quo probat Jesum non esse peccatorem, ac proinde esse prophetam & Dei legatum. Jam enim vidimus ista duo hic sibi ita opponi, ut uno posito tollatur alterum, & vice versa. Est autem argumentum ejusmodi. In gratiam peccatoris Deus res magnas non facit. At fecit in gratiam hujus. Ergo hic non est peccator. Major propositio hoc versiculo continetur. Cæterum enunciatio ista *Deus peccatores non audit* aut generalis tantùm est & tamen non ita universalis ut nullam penitus exceptionem patiatur, aut ita accipienda quemadmodum nos fere illam in propositione quodammodo explicavimus, quòd videlicet non soleat res aliquas magnas & non tam ipsum quàm alios concernentes, in ipsius gratiam facere. Ipsum puta ut peccata ipsi condonet, aut ipsius miseratur: id enim quia ad rem de qua agitur non pertinet pro excepto reputari debet. *Non audit* id est non exaudit, nihil in gratiam illius facit. Præsupponit videlicet iste miraculum istud nonnisi à divina virtute proficisci potuisse, adeoque Jesum illud precibus à Deo impetrasse.

Dei cultor θεοσεβὴς istud cum sequenti *& voluntatem ejus facit* idem est: nisi quis illo significari velit studium pietatis, hoc verò actiones ex illo promanantes.

Vers. 32. *Ab omni ævo.* Quasi dicat; Videtis autem quantam rem iste fecit. Probatio minoris. Dupliciter autem verba ista explicari solent. Primò quòd nihil ejusmodi unquam cursu & mediis naturalibus sit factum, adeoque sit miraculosum. Secundò, & rectiùs, quòd ne miraculosa quidem ratione id ab ullo antea hominum sit factum.

Vers. 33. *Nisi esset à Deo.* Conclusio cum sua ratione. *Non posset facere quicquam* puta ita miraculosi, & quod omnes creatas vires superet. οὐδὲν *nihil* universale ad subjectam materiam restrictum.

Vers. 34. *Responderunt & dixerunt.* Quia ad argumentum respondere non poterant, ad furias properant. Et primo quidem indignum facinus ab illo committi ajunt, qui cùm sit ipse docendus, doceat alios, & quidem illos qui soli docere posse putabantur. Est emphasis in singulis vocabulis. *Tu in peccatis natus es.* Quasi dicant; O rem indignam, & facinus infandum! Tu qui nihil aliud ab utero matris tuæ quàm peccare didicisti, qui *totus* quantus quantus es homo sceleratus & improbus es, *& doces nos* audes tibi id juris usurpare, ut contra nos disputes & *nos* qui scientiâ rerum divinarum aliis præimus, doceas quem pro peccatore habere debeamus, nobisque in os resistas. *Nasci in peccatis* Sermo hyperbolicus, Hebræis usitatus, qui volentes exprimere aliquem ab ineunte ætate qualitate aliqua fuisse præditum, eave adeò delectatum ut velut agnata ipsi videatur, dicere solent ipsum illam ab utero habuisse, vel in illa natum esse, idque tam in bonis quàm in malis. Vide si placet Psal. 22. ℣. 10, 11. Psal. 58. ℣. 4. Psal. 71. ℣. 5, 6. Job. 31. ℣. 10. Sirac. 1. ℣. 12 citante Drusio, ubi de sapientia vel timore Domini est sermo.

Esa. 48. ℣. 2 & 8: quibus addunt nonnulli Esa. 49. ℣. 1. Deinde à verbis ad factum transeunt, *Et ejecerunt eum foras.* Eventus colloquii & exemplum tyrannidis ac ingenii eorum qui cùm rationibus destituuntur ad vim properant. Foras autem ejectum putamus, non quòd esset Synagoga ejectus; Non enim aut id colloquium ipsis in Synagoga intercessit, aut etiam legimus uspiam voce *foras* Synagogâ ejectionem significari: sed putamus simpliciter ipsum conclavi illo in quo quæstio illa habebatur extrusum & ejectum esse, in morboniamque quod ille ait abire jussum.

Vers. 35. *Audivit Jesus.* Famæ videlicet beneficio, cùm non potuerit res tota ista esse obscura, & verisimile est id tunc in ore plerisque fuisse. Tertia tertiæ partis capitis hujus particula: Quomodo videlicet Dominus se isti homini patefecerit & quid illi sit loquutus.

Et cùm invenisset. Verba ita sunt posita acsi Dominus casu in ipsum incidisset, & ita occasione fortuitò oblata illi loquutus esset. Sed verisimile est Dominum consultò illum quæsivisse, & oculos circumquaque circumtulisse ut ipsum videre & ulteriùs erudire posset, cùm exploratum haberet quomodo se in initiis gessisset, & quàm candide egisset, Dominum pro propheta agnoscendo, & beneficium visûs Deo atque ipsi imputando. Itaque postquam data copia illi loquendi, statim his verbis eum adoritur, *Tu credis in filium Dei?* Non norat quidem ille filium Dei seu Messiam, ideoque nec credere poterat; sed tamen proculdubio cum reliquis Judæis ipsum exspectabat. Sed Christus ita illum alloquitur quasi ipsi jam de filio Dei seu Messia constaret, ut tanto citius eliceret vocem interioris sensus testem. Solemus enim etiam nos aliquem ad rem aliquam tracturi quædam in nostris sermonibus præsupponere quæ vim occultam ejus ad nostram intentionem alliciendi contineant. Jam autem *filium Dei* pro Messia posuit, quia proculdubio erat id inter Judæos, qui alios etiam filios Dei vocarent, ut Messiæ quoque hunc titulum tribuerent, & pro eodem usurparent vocem Messiæ & filii Dei in præcipua significatione.

Vers. 36. *Respondit ille & dixit*, &c. Quasi dicat; Quidni credam Domine, qui illius adventum exspecto, sed ipsum non novi. Tu proculdubio nosti qui ejusmodi Sermone me adoriris, quare rogo aperi mihi, ut credam in ipsum.

Vers. 37. *Dixit autem ei Jesus, & vidisti.* Id est, & jam vidisti, puta postquam te alloqui cœpi. Quòd enim antè viderit nec Evangelista testatur, & ex ipsius cœci verbis aliud apparet, qui interrogatus de Jesu ubinam esset, nescire se respondit. Proculdubio enim postquam visum adeptus est, statim antequam Dominum vidisset, adductus erat ad Pharisæos, à quibus postea extrusus, nunc demum videt Dominum postquam Dominus incidit in ipsum.

Et qui loquitur tecum ille est. Id est, ego sum. Illis tamen verbis uti maluit, quia majorem emphasin habent quàm ista. Quasi dicat; Non est quod illum tibi commonstrem, habes enim jam quod postulas. Iste qui tibi loquitur ille ipse est quem nosse desideras.

Vers. 38. *At ille ait, Credo Domine.* Id est, in te fiduciam meam colloco, tibi adhærebo, te tanquam ducem sequar in omnibus, à tua voluntate & directione pendebo, persuasus me illa felicitate cumulatum iri à te quam exspectamus à Messia. Majus hic quid exprimitur quàm sola receptio Christi doctrinæ pro vera. Et jam id fecerat cùm Jesum esse prophetam confessus fuit. Quare *to* credere in filium Dei tam latè hic accipiendum est ut fiduciam etiam necessariò in se quemadmodum diximus complectatur.

Et adoravit eum. Id est, Et veneratus est eum, in faciem vel genua procidens. Adorare enim aliquem est coram aliquo procidere, vel incurrare se ut honorem illi exhibeas. Atque hic quidem istius hominis cultus non fuit civilis, sed religiosus, utpote ex fiducia in Christum tanquam sua causa profectus. Addidit autem id Euangelista, ut ab effectu probaret illum credidisse in Dominum.

Vers. 39. *Et dixit Jesus.* Particula quarta & ultima tertiæ capitis partis, qua Pharisæos notat, & cœcitatem illis objicit. Porrò vulgata legit ita, *Et dixit ei*, quasi ad illum tantùm sermonem direxerit. Sed Græci codices pronomen *ei* non habent. Et verisimile est Dominum generaliter hæc dixisse in loco aliquo publico (in templo, aut certe prope templum, nam non satis constat ubi) quia Pharisæi dicuntur ibi fuisse congregati. Occasionem autem dedit sermoni factum qua Pharisæorum quà istius etiam cœci nati: quorum illi cùm se acutùm cernere crederent, id est sapientia cœlesti præditos esse, cœcos tamen se esse factum Domini improbando, & hominem cui beneficium ab ipso contigerat à se extrudendo ostenderint; iste verò non solum visu sit corporali donatus, sed etiam quia istius beneficii fuit gratus, mox amplius à Domino, illuminationem videlicet spiritualem acceperit. Quasi dicat; Non est mirandum rem ita habere, quia is sit finis sui in mundum adventus ut homines pro moribus suis tractentur. Unde fiat ut opera sua diversos in diversis aut potius contrarios in contrariis effectus pariant. Ad quam rem exprimendam utitur vocibus ex re quæ contigerat desumtis, ad beneficium videlicet visûs quòd cœcus ille acceperat allusione facta. Porrò *judicium* hic nonnulli capiunt pro condemnatione. Sed obstat huic interpretationi quod supra cap. 3. ℣. 17 dicitur, *Non enim misit Deus filium suum in mundum ut judicet mundum.* Nisi quis fortè dicat, capite tertio dici de condemnatione simpliciter, & nullo respectu ad futuram hominum resipiscentiam facto, sed de ejusmodi quæ non irresistibili quidem vi ab ipso irrogaretur, verùm quam moribus suis accersiverint sibi. Sed satius est vocem judicii latius sumere, ut videlicet non pœnam tantum, sed præmium etiam complectatur, seque hic Dominus velut judicem moralem constituat, qui secundùm meritum de uniuscujusque causa pronunciet. Quasi dicat; Atque ita quidem & à Pharisæis & cum homine isto factum esse, non est mirum. Ego enim veni ad discrimen inter homines constituendum, illosque pro meritis & qualitatibus ipsorum tractandos, ut aliis quidem benè sit, aliis male.

Ut qui non vident. Id est qui similes sunt isti cœco antequam visum adeptus est, hoc est cùm in ignorantia rerum divinarum versentur non arrogant sibi sapientiam, quemadmodum iste cœcus non arrogabat sibi visum antequam visum accepisset.

Videant id est mentes illorum collustrentur & illuminentur sapientia vera ac cœlesti, quemadmodum iste collustratus est visu.

Et qui vident. Id est qui sibi sapere videntur, cùm revera sint cœci & in rerum divinarum caligine versentur quemadmodum Pharisæi.

Cœci fiant. Id est in ista ignorantia sua relinquantur, aditus ipsis ad mentis illuminationem præcludatur. Atque hinc jam colligi vult Dominus non esse mirum quòd Pharisæi non agnoverint beneficium Domini, cœcus autem etiam illuminationem mentis sit consequutus. Estque hic similis loquendi ratio illi cùm Christus vocatur lapis offensionis, quòd videlicet alii ipsi innitantur alii autem in ipsum impingant.

Vers. 40. *Audiverunt autem hæc quidam.* Conjecerant proculdubio Pharisæi quid sibi vellet isto sermone Dominus seque tangi subodorabantur, quare statim cum ista subsannatione prosiliunt, *Num & nos cœci sumus?* Quasi dicant; Ergo nos etiam penes quos sunt claves scientiæ cœci tibi videmur? Atqui ut oculis corporis utimur, ita nemo nos sapientiæ possessione dejecerit. Deliramenta sanè loqueris.

Vers. 41. *Dixit eis Jesus.* Dupliciter ista responsio Domini potest accipi. Primùm secundùm Maldonatum ita; *si essetis cœci*, id est, si ut in rerum divinarum notitia caligatis, ita vos cœcos esse sciretis, nec ullam vobis scientiam arrogaretis, *non haberetis peccatum* scilicet incredulitatis, non maneretis puta increduli,

increduli, oculosque infundenti se vobis cœlesti doctrinæ meæ luci aperiretis, atque ita visum acciperetis. Nunc verò cùm cœcitas mentes vestras obsideat, interim tamen *dicitis videmus* id est, scientiam vobis arrogatis, & oculos ad meam doctrinam clauditis, *peccatum vestrum manet* in incredulitate vestra permanetis, ac proinde porrò etiam cœci fietis. Deinde si phrasis *habere peccatum* ita sumatur ut significet idem quod reum esse peccati, quasi dicat; si nullam omnino vobis voluntatis divinæ notitiam arrogaretis, istius peccati quòd me non recipitis, non essetis rei. Nunc verò rei estis, quia vobis notitiam voluntatis divinæ arrogatis, & me rejicitis.

CAP. X.

CApitis hujus partes sunt duæ. Priori persequitur sermonem Christi in fine capitis antecedentis inchoatum, quo similitudine à pastore sumta docet se esse verum mundi doctorem & servatorem. Posteriori enarrat colloquium aliquot mensibus post istum sermonem cum Judæis habitum cuique ipsi Judæi occasionem præbuerunt.

Vers. 1. *Amen amen dico vobis.* Prior capitis pars ad vers. 22. Quam antequam aggrediamur, cùm de nexu illius cum antecedentibus, tum de occasione dicendum aliquid videtur. Initiò autem constat, sermonem hunc esse continuationem illius qui cœpit ad finem capitis superioris: Unde quis dicere possit male esse ab illo, capitis distinctione avulsum. Nisi quis ne id quidem sine causa factum dicat, quia videlicet in istis ad aliam quasi materiam transierit, aliaque utatur metathora, ad quam sequenti etiam colloquio alludat: ut quasi ejusdem materiæ sermo iste & colloquium secum jungi & copulari debuerint. Nexus autem videtur iste. In genere quidem, quòd ut aliàs sæpe ultro quæsiverit occasiones muneris sui commendandi & ad credendum in se auditores alliciendi, ita hic quoque idem fecerit. In specie verò, quòd tacitis Pharisæorum cogitationibus qui solos se magistros & doctores esse crederent occurrere voluerit, docendo multum ipsos opinione sua falli, cùm nonnisi sibi pastoris adeoque etiam doctoris nomen competere possit. Quanquam posset etiam quis dicere, ideò hæc subjunxisse ut ostenderet quàm infelices sint qui cœcitate ista puniantur, cùm ipse sit verus & unicus pastor seu servator hominum, ac proinde judicium istud non esse parvi faciendum. Sed jam ad ipsam Christi doctrinam accedamus, qua se mundi servatorem esse docet, similitudine à pastore desumta. Est autem hic sermo Christi intercisus. Nam primò quidem parabolam tantùm ipsam sine applicatione seu protasin sine apodosi proponit. Deinde quia istam secum agendi rationem non intellexerant auditores, apponit etiam apodosin, sed protasi paululum id est etsi non secundùm rem secundùm verba tamen immutatâ. Cæterum etsi in priori sermonis istius parte apodosin non apponit, protasi tamen ipsam involvit, ut apparet ex vocibus *Amen amen dico vobis.* Nam quia loquitur de re manifestissima & ex communi vita desumta, non videtur propter illam verba ista apposuisse. Quis enim adeò bardus est qui ista ignoret, quòd qui non ingreditur per ostium ovium, puta plerumque & nisi aliter casus aut necessitas postulet, (nam id hic addendum esse ne monendum quidem videtur) sit fur &c. Vult igitur dicere, Etiam atque etiam affirmo, omnes eos qui provinciam populi divini docendi suscipiunt pastoribus esse similes, debere iis qualitatibus muneris sui authoritatem probare quæ in pastoribus bonis conspiciuntur. Quæ cùm in nullo eorum qui se pro Messia seu Christo venditantes in populum intruserant, conspectæ sint, nulli etiam ipsorum ratio muneris sui constitit. In me verò conspiciuntur ista omnia. Sum igitur pastor bonus, omnesque ad meum nutum se componere, & me pro doctore ac servatore suo agnoscere debent. Hic enim est scopus istius parabolæ, ut ostendat se esse mundi servatorem, & licèt fuerint ante se alii qui se pro Messia venditarent, omnes tamen illos fuisse impostores, qui sui tantùm id est gloriæ opum voluptatumque suarum, & non salutis populi rationem haberent. Ad quod docendum octo notas veri pastoris ita ponit ut illas tacite sibi vendicet, excludat autem ab illis alios. Id quod in posteriori hujus sermonis parte facit apertius, ut suo loco videbimus. In qua etiam ultimum octavum boni pastoris attributum ponit, hic septem tantùm recensitis. Quorum primum est ingredi per ostium in caulam ovium. Quod illustrat ex contrario, adeoque certam esse veri pastoris notam docet, ut qui faciat aliter non possit pastoris nomine censeri, cùm ait; *Qui non ingreditur per ostium in caulam ovium, sed ascendit aliunde*, id est qui munus alios docendi sibi usurpat, & curam ovium id est populi divini regendi suscipit non divina authoritate munitus, sed propria cupiditate ad id tractus, *ille fur est & latro*, id est non id ut eos servet sed ut perdat quærit, suaque curat non ovium, quemadmodum fures & latrones solent, ideoque nihil est ipsi juris in oves.

Ingredi per ostium est ingredi seu docendi alios munus illorumque adeo curam in se suscipere authoritate divina nixum & munitum, qualiscunque tandem illa sit. Pro muneris enim ratione & varietate varia esse potest. Etsi autem sermo hîc sit de summo pastore, Christo videlicet, qui ingressus est per ostium in caulam ovium quatenus est à Patre missus; potest tamen & ad alios accommodari, quatenus & illi egent authoritate quæ conveniat isti muneri quod præ se ferunt. Et aliis missione quoque opus est, qui videlicet novi aliquid revelant, quales fuerunt prophetæ & Apostoli: quibusdam verò satis est si istorum authoritate nitantur, & secundùm canones Apostolicos ad munus pastoratus sui accedant, quia videlicet nihil novi adferre, sed tantùm illorum vestigiis anxie se insistere velle præ se ferunt.

Vers. 2. *Qui verò ingreditur per ostium pastor est.* Id est, ille demum pastor est. Non enim hoc vult, omnem qui ingrediatur ita esse pastorem, cùm famulus etiam ita possit ingredi: sed non ad unum actum aut etiam casum respicit, verùm ad id quod plerumque & communiter fiat: ut sensus sit; Qui munus servandi homines sibi vendicat & per ostium ingreditur, ille demum verus & legitimus est pastor. Dicere autem vult, ego talis sum: nam sum cœlestis & Paternæ missionis authoritate suffultus ac subnixus.

Vers. 3. *Huic* id est huic demum, *aperit janitor.* Recenset alias veri pastoris notas, quas ita sibi applicat ut aliis infuisse neget. Est igitur secunda veri pastoris nota quod ei *janitor aperiat.* Quæ verba vel ita possunt accipi, ut persona personæ respondeat, vel ita ut actio tantùm actioni. Secundùm priorem acceptionem sensus horum verborum erit, quòd vero demum pastori Deus qui hîc janitoris nomine sit intelligendus, jus ad ovium caulam ingrediendi faciat. Secundùm posteriorem iste simpliciter quòd illi tantum aditus fiat ad oves. Et sanè quia vilius est janitoris nomen quàm ut Deum repræsentare possit, videtur potiùs actio hic actioni quàm persona personæ comparari. Nisi quis velit, non omnia hîc debere considerari quæ sunt janitoris (quia non currit simile quatuor pedibus) sed tantùm id quòd jus habeat aperiendi. Jam *aperire ostium* est adjumenta largiri ejusmodi quibus se aliquis ovibus commendare possit. Et Christo quidem aperuit Deus, quatenus ei dona dedit ejusmodi tantisque eum instruxit dotibus, quibus & se & doctrinam suam sufficientissime hominibus approbare, atque adeò ad illorum animos & intimos cordis recessus penetrare poterat. Ut voce *aperiendi* non tam actus ipse significetur, quàm facultas illum actum exercendi.

Et oves vocem ejus audiunt, scilicet ut eam agnoscant, animumque ad eam applicent. Nam alioqui etiam extranei cùm aures habeant possunt etiam eam vocem audire, verùm non arrigunt ad eam aures, ita ut ve-

lint ipsi adhærescere. Tertium veri pastoris requisitum; per quod in applicatione ad Christum illud intelligendum est quòd *oves* id est homines animi probi, & qui aut jam sunt reipsa, aut certè apti sunt ad id ut fiant discipuli Christi, agnoscant hanc doctrinam esse servatoris eamque amplectantur, & illa invitentur ac alliciantur ad illi parendum, fidemque in eo collocandam.

Et suas oves vocat nominatim. Quartum pastoris attributum: quod quidem in applicatione ipsa & respectu Christi omnino ad literam est intelligendum, nempe quòd unumquemque suorum de nomine Christus novit, & est scrutator cordis uniuscujusque. Nam quod ad ovium proprios pastores attinet, & si illi allaborent ex variis accidentibus nomina illis imponere, & ex iis ipsas agnoscant, in magna tamen ovium multitudine impossibile videtur ut unamquamque singulatim noverint.

Et educit eas, puta ad pascua, id est curat ut habeant pascua. Quintum veri pastoris attributum, de quo fusius ipse Dominus infra vers. 9 & 10.

Vers. 4. *Cumque suas oves emiserit* puta ad pascua, *antegreditur eas.* Sextum veri pastoris attributum. Apparet id olim in more fuisse illis in locis ut pastores anteirent gregem ovium suarum, quod etiam hodie in quibusdam regionibus fieri videmus, ut pastores sibilo oves ad se sequendum excitatas anteeant, illæ sequantur, canes autem claudant agmen. Nec id ratione videtur carere. Nam apparet id ideo fieri, tum ut locum ipsis commodum & pascua bona commonstrent, atque ad ea deducant, tum etiam ut prospiciant ne lateat alicubi hostis, periculumque ab iis depellant. Ita Christus tanquam dux anteivit suos, tum ut voce atque exemplo ostenderet quomodo se ad nutum ejus componere debeant, tum ut periculum ab iis depelleret.

Et oves eum sequuntur septimum attributum, præcedentis consequens. Quod in applicatione idem significat atque faciunt reipsa quod Christus jubet. Alias enim sequi Christum est simpliciter illi sese applicare & ipsum pro magistro agnoscere. Sed hic distinguenda est auditio, quæ fuit tertium requisitum, à sequutione, ut illâ tantùm significetur assensio & doctrinæ Christi pro vera receptio, ad illamque re præstandam illectio: sequutio autem significet professionem unà cum factis, & mandatorum Christi impletione.

Quia norunt vocem ejus. Id est quia notitia quædam est illis impressa pastoris sui, norunt quæ sit vox pastoris sui, quæ non.

Vers. 5. *Alienum autem nequaquam sequuntur.* Proximum veri pastoris requisitum illustrat à contrario, docens illud omnino indicare quisnam sit verus pastor qui verò minus. Quia videlicet voce ejus qui non sit pastor fugantur, nedum allici ad ipsum possint.

Vers. 6. *Hoc proverbium.* Verba sua Christi verbis interjicit Euangelista, ut innuat causam cur Dominus eundem sermonem in sequentibus iteraverit, doceatque intercisum fuisse, & his quæ hucusque habuimus dictis, Dominum aliquamdiu interquievisse: & rursum eundem explicatius proponere voluisse, quia ipsum auditores non intellexerant. Non intellexerant autem quia sine applicatione fuit propositus: etsi poterant nihilominus ipsum intelligere si voluissent. Porro voce παροιμίας quæ proprie proverbium & sermonem vulgi ore tritum significat, pro parabola ponit, quia parœmiæ sæpe habent comparationes tropicas & metaphoricas.

Vers. 7. *Jesus ergo rursum dixit eis.* Cùm videlicet paululum à priori sermone interquievisset, animadverteret autem illum non capi ab auditoribus. Repetit eandem parabolam cum applicatione, sed ita ut paullum eam quoad verba immutet, non tamen quo ad rem. Idem enim voce *ostii* vult intelligi cùm se ostium vocat, quod superius cùm vocem pastoris tacite sibi attribuit. Ideoque statim voce ista *ostii* omissâ, voci pastoris insistit in eaque moratur. Antè videlicet *ostium* consideravit respectu pastoris, nunc verò respectu ovium: nec aliud vult significare quàm se esse medium per quod salutem homines consequantur. Id quod etiam voce *pastoris* significatur: nisi quòd vox ista innuit plura officium Christi concernentia, quàm illa. *Ostium* autem se esse dixit *ovium* id est medium per quod ut ita dicam ingredi debeant homines animi probi, sive jam doctrinæ Christi fuerint assensi, sive qui ad id faciendum sint apti, & facturi ubi eis affulserit occasio. Idque confirmat fortiori more suo asseveratione.

Vers. 8. *Quotquot ante me venerunt.* Puta Messiæ & pastoris sibi nomen ac officium arrogantes: quales fuerunt Judas & Theudas, ut apparet Act. 5. vers. 36, 37. Nam venerant etiam ante Christum prophetæ: verùm erant à Deo missi. Quin verisimile est fuisse etiam quosdam bonos & probos inter ipsos sacerdotes qui præerant populo. Porrò hic non ad verba respicit, sed ad sensum. Quia enim sub *ostii* vocabulo rem pastoris voce significatam sibi tribuit, ideo nunc ad id quod vers. 1. dixerat respicit, & vult significare illos non fuisse per ostium ingressos, id est non habuisse jus & authoritatem potestatis super Dei populum usurpandæ, ac proinde fuisse impostores. Id quod etiam comprobat ex effectis, *sed non auscultarunt eis oves*, id est, sed homines probi minime ipsis adhæserunt illosve sunt sequuti, turbabantur tantùm, non autem illos sequebantur.

Vers. 9. *Ego sum illud ostium.* Quod vers. 7 asseruerat repetit & ab effectu comprobat, salutem repromittens ei qui per istud ostium fuerit ingressus.

Per me si quis introierit, id est si quis mihi nomen dederit, & in me credens discipulus meus evaserit, me pro magistro suo agnoverit, & me tanquam medio ad animæ bonum ducente uti voluerit.

Servabitur id est salutem æternam consequetur.

Et ingredietur & egredietur id est tutò & ingredi & egredi poterit. Quia egressionem ingressioni opponit, aliter quàm paulò ante voce ingressionis utitur. Ibi enim ingredi & introire est discipulis Christi aggregari & in caulam Christi recipi: at hic de iis qui jam in caula fuerint & Christum pro pastore suo agnoverint dicitur eos ingressuros & egressuros. Non significatur autem egressione eos Christi jugum excussuros & à fide in eum defecturos. Videtur igitur alludi ad illum ingressum ovium quo se conferunt ex pascuis domum, & egressum quo ex caula ad pascua proficiscuntur: quasi dicat; habebunt quò se recipiant. Cæterum ista in eodem versiculo ejusdem vocis alia atque alia usurpatio docere potest, non esse mirandum quod superiùs etiam vocem *ostii* aliter atque aliter usurpaverit.

Vers. 10. *Fur non venit.* Quod modo dixerat illustrat à contrario, oppositionem instituens inter se & alios à fine, ut ostendat omnes quotquot ante nomen Christi sibi ambitiose vendicaverant, impostores fuisse, quia videlicet sua tantùm curaverint non ovium: quemadmodum fures solent, qui non eò veniunt ad oves ut illis bene sit, sed ut sibi prospiciant, oves furentur, mactent, vel etiam prodigant, nihil pensi habentes quid ovibus fiat, dummodo desideria sua expleant. Sui verò adventus alium esse finem pronunciat, nempe *ut vitam habeant*, quotquot videlicet me pro doctore & pastore suo receperit, & in meam caulam discipuli mei facti introiverint. Non contentus autem simpliciter vitæ promissione addit, *& abundè habeant* id est vitam cum rerum copia abundantem, omnifaria felicitate circumfluentem. Alludit ad oves & pascua proprie dicta. Habent enim aliquando oves pascua commoda quidem, ut in iis pasci possint, non tamen ejus sint ubertatis ut pinguescant & sint bene habitæ. Possis autem id & ad vitam spiritualem referre in hoc seculo, quatenus qui Christo adhærescunt habent ejusmodi animarum suarum cibos qui non ad satietatem tantùm sufficiant, sed etiam ad voluptatem & delicias spirituales. Sed verisimilius est Chri-

Christum ad vitam illam sempiternam divinis illis deliciis circumfluentem respexisse.

Vers. 11. *Ego sum pastor.* In eadem similitudine persistens, metaphora paulò commodiore utitur, dum se pastorem vocat, eumque *bonum*, ut se furibus pastoris sibi nomen vendicantibus opponat: denique *illum*, videlicet præcipuum, & olim à Deo hominibus promissum. Alludit ad dicta de se prophetarum, præcipue Ezechielis, qui cap. 34. 23 promittit pastorem servum Dei Davidem. Talem autem se esse probat novo rursus boni pastoris requisito, quod est si superioribus accensetur octavum, cùm ait, *bonus pastor animam suam ponit.* Quæ verba dupliciter accipi possunt, vel ut tantum respiciant ad ipsum Christum, & ex effectu aliquem esse bonum pastorem arguant, non tamen omnem pastorem esse talem: vel ut generalis ista sit pronunciatio, & sit generalis boni pastoris nota, hoc sensu, omnis pastor bonus vitam suam propter oves in discrimen adducere non dubitat, & se in apertissimum periculum conjicere, ne oves suæ pereant. Syllogismus integer talis est: Quicunque animam ponit pro ovibus, ille est bonus pastor. Ego animam pono pro ovibus. Ergo. Conclusio unà cum propositione continetur hoc versiculo. Assumtio subsequetur demum vers. 15.

Vers. 12. *Mercenarius autem*, Propositionem, seu id esse requisitum boni pastoris ut ponat animam pro ovibus, ostendit à contrario, exemplo videlicet mercenarii. Describit autem idem subjectum tribus modis. Primò cum *mercenarium* vocat, deinde *qui non est pastor* tertiò *cujus non sunt propriæ oves*, ut rem de qua loquitur tanto melius explicet.

Videt lupum venientem pro cùm videt, ut Jacob. 1.11. & alibi non semel.

Vers. 13. *Mercenarius autem fugit.* Id est, etiamsi videt ita futurum ut oves à lupo lanientur & dissipentur, nihilominus fugit. Rationem superioris dicti subjungit, *quia mercenarius est*, propter id ipsum quia mercede conductus est. *Et non est illi cura ovium*, parum pensi habet quicquid fiat ovibus, mavultque sibi ipsi consulere, quàm se in discrimen conjicere: quasi dicat; Nec mirum ita mercenarium facere. Cum enim non amore ovium illectus ad pascendum illas accesserit, sed spe mercedis, seipsum in discrimen conjiciendo, perderet id quod unice quærebat.

Vers. 14. *Ego sum pastor ille bonus.* Propositionem ℣. 11. expressam repetit: quia positâ tantum majore syllogismi quo eam probare volebat illius illustratione longius provectus erat. Hic verò subjungit assumtionem, sed ita ut ex priori sermone assumat aliquid, ostendens requisitum illud pastoris quod vers. 4 & 5 expresserat, sibi competere. Est autem istud, *Et agnosco meas, & agnoscor à meis.* Id est nam & ego oves meas amo ac diligo, & illæ vicissim me amant, allubescitque illis vox mea simulac illam audiverint. *Et* positum pro *nam. Agnoscendi* autem vox non nudam & simplicem cognitionem significat, sed quam sequatur affectus animi, approbationem videlicet & dilectionem. Ut patet non solum ex protasi priori sermone quoad oves expressa, sed & ex addita comparatione qua hunc sermonem illustrat, cùm ait, *Prout me novit pater*, ubi de arctissimo inter patrem & filium charitatis vinculo sermonem esse, rectè anotavit Beza. Sensus est, quasi dicat; Ita ego illas favore meo complector, ut me pater, & me illæ ita diligunt ut ego patrem.

Vers. 15. *Et ego animam.* Assumtio, cujus propositio erat vers. 11. expressa. Porrò in hac assumtione majus aliquid latet quàm in propositione. Ita enim pastor animam ponere solet pro ovibus, ut in discrimen tantùm se propter illas conjiciat, incertus an sibi sit tum moriendum, vix fortè facturus si id futurum certò sciret, & fortè periculum fugiturus, oviumque perniciem suæ antepositurus, si sibi omnino esse moriendum sciret, ut qui videret, morte sua minime se ovibus consulturum, sed se simul cum illis perditurum. Christus autem ita animam posuit pro ovibus, ut licet sciret sibi omnino mortem esse subeundam, non tantùm in discrimen apertum se conjecerit, sed id etiam egerit, ut vitam omnino amitteret. Id autem fecit pro ovibus, quia hac ratione & fœdus Dei quod cum iis id est hominibus probis ac fidelibus sanxit, & jus salutis æternæ consequendæ acquisivit: ut alia taceam, quæ mortem ejus sint consequuta.

Vers. 16. *Alias etiam oves habeo.* Postquam se illum verum & olim promissum pastorem esse docuit, nunc ostendit quàm latè pateat hoc ipsius munus, etiamsi forte tunc id minus est intellectum. Quasi dicat; Nec tantum Judæorum & qui sunt secundùm carnem ex Abrahamo prognati sum pastor, sed gentium etiam, quæ vobis ad Deum pertinere non videntur. Earum etiam æque ac vester, sum doctor ac servator.

Quæ non sunt ex hac caula. Id est, quæ non sunt ex vestra congregatione. *Caulæ* vocem hic aliter sumit quàm superius, pro repub. videlicet & communione aliqua respectu religionis considerata: ibi autem caulam sumit pro Ecclesia, ut non esse in caula significaverit ibi non esse ex numero discipulorum Christi. Rempublicam videlicet Judæorum & rempublicam gentium, respectu religionis eorum considerat tanquam duas caulas, ex quibus ipse sibi oves segregaturus, & in unionem fidei adducturus, facturus esset unam caulam.

Illas quoque oportet me adducere, ad me videlicet & caulam meam. Utrumque enim Christo faciendum erat in gentibus; docendæ erant fidem in Christum, & Ecclesiæ ejus inserendæ, ac cum Ecclesia ex circumcisione conflata uniendæ.

Et vocem meam audient. Hoc dupliciter explanari potest, vel ita ut *&* idem significet quod *ut*, id est curandum est mihi ut illas adducam, & quidem ita ut vocem meam audiant; vel simpliciter & revera audient: sive illas opponat Judæis, quasi dicat, & non erunt ita refractariæ ut vos estis, sed statim me sequentur, sive tantum comparet cum illis, pro & audient me non secus atque vos.

Fietque unum ovile. Id est, ex ambobus populis evadet una respublica sacra, quemadmodum est unus pastor: vel & unus Pastor illis quoque præ erit, non illis alius & vobis alius, quemadmodum nunc videntur separatos habere pastores, hic unus utrumque populum reget.

Vers. 17. *Propterea pater me diligit.* Hoc & sequenti versiculo tacitis adversariorum cogitationibus occurrit. Primò enim poterant dicere, hoc quod ille pro nota sui pastoratus poneret temere ab ipso fieri, ideoque non posse eam vim habere quam ille diceret. Removet igitur à se & isto facto temeritatem, quia sit sibi id optime cessurum, & amorem patris propterea sit consequuturus, & hoc quidem prius. Quasi dicat; Quod quidem factum fugillari à vobis minime debet, adeò enim istius mihi ratio constat, ut propter hoc ipsum quia videt Pater me promto & alacri animo ad id accingi, me diligat, & ubi reipsa mortuus fuero, dilecturus sit magis. Quod ostendit ab eventu, *ut eam rursus assumam.* Sum enim animam positurus ita ut eam sim beneficio patris iterum recepturus: quod quidem luculentissimum erit amoris in me paterni documentum. Ubi simul tacitè occurrit alteri cogitationi. Nam poterant dicere; quò istum amorem paternum jactaret? cùm mors sit finis, & sibi moriendum adeoque pereundum videret. Ostendit igitur maxime sibi id profuturum, quia Patris potentiâ sit revicturus. Id quod etiam explicat versiculo sequente.

Vers. 18. *Nemo tollit eam à me.* Tertiò poterant dicere, Non posse illum promtitudinem hic suam jactare, quasi spontè se morti offerret, quam ob potentiam hostium quibus esset omnino impar nulla ratione effugere posset. Et hoc removet Dominus, ac dicit, *Nemo tollit eam à me*, id est, nemo hominum tantarum est virium & potentiæ ut animam meam extorquere possit à me invito. Quare non potestis id mihi objicere, quasi invitus id subeam ad quod omnino necessitate cogar. *Nemo* inquam hominum, ut non excludatur voluntas Dei Patris. Quanquam etiam is ita

eam in arbitrio filii posuerat, ut non videretur vim facturus fuisse si filius id facere noluisset, certe nullam adhibuit.

Sed ego pono eam à meipso, id est, sed ego sponte, volens, lubens, promte eam pono.

Potestatem habeo. Effectum quem supra attigerat repetit iterum. Quia ut diximus poterat aliquis dicere, sit ita sanè ut dicis, tu tamen miser es, quomodo enim emerges? Id etiam Christus in sua potestate esse dicit, quemadmodum in sua sit potestate illam ponere. Quasi dicat; Quemadmodum autem nemo me invito vitam mihi eripere potest, ita nemo quominus eam recipiam impedire poterit. Indicat id etiam in sua esse potestate situm: quanquam diversa ratione. Estque in voce *potestatis* quædam antanaclasis: in priori enim membro significatur eâ facultas & jus cum actione quadam ejus cui dicitur inesse conjunctum, hîc verò jus tantùm ipsum sine ulla ipsius actione, quandoquidem à Patre animam suam erat recepturus. Licèt autem totum id in manu patris erat positum, quia tamen ipse Christus erat in causa ut id omnino fieret, obligatus enim erat hoc facto pater, ideo ita dicere potuit: quia ibi etiam cum animam suam poneret, utut actionem ipse suam adjungeret, ad id potissimùm respexisset quia non hostes sui sed ipse esset in causa quòd mortem ejusmodi subiret. Ita jus adoptionis nostræ voce potestatis Joh. 1. ℣. 12 appellatur.

Hoc mandatum accepi. Quasi dicat; Hoc ego præceptum habeo à Patre mihi datum ut animam ponam, sed sub ea spe ut eam iterum recipiam. Sub mandati voce & promissio comprehenditur: fuit enim istud mandatum conditionatum, id est promissionem sibi habebat adjunctam, si impleretur. Temeritatem à se removet, & verisimilitudinem eorum quæ superius dixerat ostendit. Quia enim mandatum id ipsi erat à patre ut moreretur, non igitur temerè se in mortis angustias conjecit: quia verò moriendo mandatum Patris implevit, & quidem animo promto atque alacri, consentaneum est eum à Patre amari: quia denique sub spe recuperandæ vitæ id erat ipsi injunctum ut mortem oppeteret, certum erat non male id ipsi cessurum.

Vers. 19. *Dissensio igitur iterum.* Eventus superioris sermonis, varia Judæorum de illo judicia, aliorum quidem recta, aliorum verò mala & præposterа.

Vers. 20. *Dicebant autem multi.* Judicium præposterum, cum convicio junctum, continens etiam dehortationem ab eo audiendo.

Vers. 21. *Alii dicebant, Hæc verba.* Judicium rectum sumptum ab adjuncto sermonis Christi, & comprobatum à recenti facto Christi. *Num dæmonium potest*, scilicet verè, & ita ne subsit fraus & collusio ulla.

Vers. 22. *Facta sunt autem.* Altera pars capitis, in qua aliud alterius temporis colloquium Christi cum suis adversariis describit, eventus etiam ipsius ut superioris mentionem faciens. Colloquium autem istud descripturus, exprimit accuratissime tum tempus quo, tum locum in quo illud fuit habitum. Quod facit tum propter historiæ rationem, tum ut doceat colloquium istud in magna hominum luce & celebritate fuisse institutum, & facile potuisse ad notitiam complurium pervenire. Ac ut temporis ita etiam loci meminit, tam remotioris quàm propioris. Tempus remotius est, quòd id factum erat festo Encæniorum quod fuisse à Juda Macchabæo institutum propter repurgationem templi, factæ post ejectum Jerosolymis Antiochi præsidium, docent interpretes: quod etiam ab alia circumstantia describit, cùm ait, *& hyems erat.* Institutum enim hoc festum erat mense Casleu, qui in nostrum Decembrem maxima ex parte incidit. Locus remotior *Jerosolymis* in urbe quæ fuit totius Judææ caput. Unde patet festum Encæniorum non oppidatim fuisse cebratum, sed ad illud celebrandum confluere solitos ex aliis regionibus in ipsam urbem metropolitanam.

Vers. 23. *Et ambulabat Jesus.* Tempus & locus propior. Locus quidem porticus dicta Solomonis: tempus verò cùm in illa Christus deambularet. Quæri hic à quibusdam solet, cur Dominus tempore præsertim hyberno ibi deambularet? Quæ quæstio futilis licèt sit, dici tamen potest, Dominum ideo ibi deambulasse, quia ibi tunc maxima fuisset hominum frequentia, ut occasionem aliquam illic de via salutis docendi haberet. Illud majoris videtur momenti, cur porticus illa Solomonis dicta, cùm sciamus templum quod à Solomone exstructum erat funditus fuisse deletum, & aliud in ejus locum fuisse exstructum. Videtur autem porticus ista ita dicta ad discrimen aliarum: complures enim proculdubio fuerunt. Et Maldonatus quidem putat porticum istam ita nominatam ideo, quia Rex Solomon olim post constructum & absolutum impensis populi templum, illam propriis impensis parte montis complanata exstruxerat, quæ fortè templo destructo vel eadem manserat, vel alia in ejus locum exstructa nomen vetus ad discrimen aliarum retinebat. Nisi quis malit porticum istam ita dictam, ad discrimen porticus ab Herode exstructæ, qui novam insuper porticum veteribus addiderat.

Vers. 24. *Cinxerunt igitur eum Judæi.* Id est cum igitur eum in tanta hominum luce inambulantem viderent, quasi occasionem illius illaqueandi nacti circumsteterunt eum, dicentes, *Quousque animam nostram suspendis?* Id est, quamdiu nos anxios & ancipites tenes, nec nobis aperte num tu sis Christus indicas? Quod suspicamur nos quidem, sed tamen nihil à te diserti hac in re audientes, non audemus plene decernere, ne aberremus à vero. Volumus igitur à te audire apertè. Cæterum utut verba aliud præse ferant, videntur ansam illius ad populum vel etiam seniores accusandi quæsivisse. Legimus enim superius decretum jam inter eos fuisse, ut synagogâ ejiceretur si quis confessus fuisset eum esse Christum: quanto gravius futurum erat si id ipse de se asseruisset? Ut igitur hanc vocem ex ipso eliciant, rati tempus & locum idoneum se reperisse, in loco isto celeberrimo circumfunduntur ipsi, quò & ipse ob tantam hominum frequentiam citius id de quo quærebatur diceret, & illi testes haberent plures quibus ipsum coram judicio postea convincerent, si, quod credebant, apertam responsionem minime subterfugisset, sed directe & simpliciter se Christum esse dixisset.

Vers. 25. *Respondit eis Jesus.* Prævidens quo animo ipsum accessissent, & quid intus coxissent, ita responsionem suam moderatur, ut non usurpet quidem ista ipsa verba, Ego sum Christus, quod illi futurum crediderant, quæ in calumniam facilius trahere poterant; ita tamen aperte loquitur ut quid sibi vellet facile animadvertere possent: simulque objicit illis tacite hypocrisin, quòd aliud intra se premant, aliud linguâ promant.

Dixi vobis. Quasi dicat; Cur id me nunc quasi rem antehac à me non auditam exquiritis? Jam pridem vobis, & quidem non semel ea dixi, ex quibus satis intelligere poteratis quid vobis esset de me sentiendum, nec tamen creditis. Apparet igitur aliam subesse hujus interrogationis vestræ causam, & non hanc quam nunc prætenditis. Loco autem verborum, Ego sum Christus, subjungit argumentum longe maximum, & contra quod ne hiscere quidem fas sit, quod doceat illum esse Christum.

Opera quæ ego facio. Quasi dicat; Quin etiamsi ego taceam, habetis tamen documentum invictæ authoritatis, & ejusmodi quod invictis ac reluctantibus assensum exprimere possit. Videte *opera* id est miracula *quæ ego facio, in nomine Patris mei*, id est, mandato ac jussu Patris, & potestate viribusque ab illo datis. Omnia enim vocibus *in nomine* comprehendi debent quæ Pater fecit ut miracula per Christum fierent. Unde suprà cap. 5. ℣. 36 dicit, *Opera quæ dedit mihi Pater ut ea perficerem.*

Hæc testantur de me. Hæc satis loquuntur & clamitant quid de me sit statuendum, me videlicet esse Chri-

Christum. Nam talia nemo ante me fecit. Miracula videlicet Jesu non tantum veram esse ejus doctrinam arguebant, sed ipsum etiam esse Christum clarissime ostendebant. Unde supra vidimus à turba dici, *Christus cùm venerit, num signa plura edet iis quæ hic edidit?* Et ipse Dominus dixit, *Nisi opera fecissem in eis quæ nullus alius fecit*, &c.

Et non creditis, id est, nec tamen creditis. (Enunciatio discretiva.) Unde apparet aliam esse causam hujus nunc à vobis motæ quæstionis.

Vers. 26. *Sed vos non creditis.* Quasi dicat; Non igitur in me quasi id non dixerim vobis est causa infidelitatis vestræ, sed in vobis ipsis. Quod deinceps comprobat, ut simul ostendat quanto bono se privent cùm in ipsum credere nolunt: quo ipso illos tacite ad incredulitatem deponendam & fidem in se collocandam hortatur. Causam incredulitatis esse in ipsis indicat his verbis, *Non enim estis ex ovibus meis.* Ovium nomine aliàs discipuli Christi intelliguntur; quod hic non fit: aliàs enim id pro causa poneret quod ad effectum pertinet, & pro concesso sumeret quod erat probandum. Esse enim discipulum Christi, est credere: vel potiùs fides est causa cur aliquis sit discipulus. Quare hoc loco vox *ovis* significabit eum qui tantùm sit aptus ad id ut sit reipsa ovis, id est discipulus Christi, in quo videlicet insint qualitates similes qualitatibus quæ conspiciuntur in ovibus proprie dictis, id est, qui sit mansuetus, tractabilis, non contumax, neque superbus. Sensus igitur hujus loci est, ut ideo dicat eos non credere quia non sint animo probo: quasi dicat; Non estis ex eo genere hominum qui sunt apti ad meam doctrinam recipiendam, & quales Deus esse voluit eos qui doctrinam meam erant recepturi.

Sicut dixi vobis. In superiore videlicet colloquio meo, quod antea mihi vobiscum fuit.

Vers. 27. *Oves meæ.* Comprobat illos non esse ex numero ovium, ab effectu, quia videlicet non audiant vocem ejus nec eum sequantur. Cæterum major tantùm propositio hic ponitur; assumtio verò tanquam nota subintelligitur.

Audiunt vocem meam. Id est, non tantum aures arrigunt, & quid verbis meis velim capiunt, id enim etiam illi faciebant, & mentem verborum Christi assequebantur; sed etiam animum ad mea verba inclinant, mea dicta approbant, & pro veris agnoscunt, id quod isti non faciebant.

Et ego eos agnosco, vel de simplici cognitione id cape, quod nemo possit Christum fallere qui præ se ferat animum viri boni, quod faciebant isti: vel de cognitione quæ est cum affectu, pro approbatione videlicet & favore. Illud tamen videtur potius.

Et sequuntur me, id est, mihi parent, patiuntur se à me regi, me imitantur, quo ego duco, sive voce, sive exemplo, patiuntur se duci. Effectus auditionis.

Vers. 28. *Et ego vitam æternam do eis.* Hic quidem jus & spem ejus largiendo, olim verò reipsa illam conferendo. Ut vox *do* in generalissima significatione accipiatur. Nisi quis malit præsens hic positum pro futuro. Exprimit fructum ex fide in se promanantem, ut doceat quanto bono se privent dum in ipsum credere nolunt: quo simul tacite ipsos, ut ante monuimus, ad improbitatem deponendam & fidem sibi adhibendam hortatur.

Nec peribunt in æternum. Occurrit tacitæ cogitationi. Poterant enim illud in dubium vocare, videntes etiam eos mori qui in Christum crederent. Occupat igitur Christus & docet hos utut perire videantur, non tamen revera perire, & utut ad tempus morti succumbant, non sint tamen in æternum perituri.

Neque rapiet eas. Iterum novæ objectioni occurrit. Poterat enim aliquis cogitare: Tu igitur unicus tam felix es ut nulla ex tuis ovibus pereat: quis fando de pastore ejusmodi audivit? Quid si vim aliquis inferat, annon illas in exitium præcipare poterit? Etiam hoc fieri posse negat, quia nemo possit eas ex manu sua eripere. Ego illas asseram, manu tuebor. Intellige autem non posse perire oves Christi, quamdiu sunt tales, nempe oves, & propter vim aliunde illatam. Possunt enim perire à se, quatenus possunt degenerare in hædos. Habent enim libertatem arbitrii. Nec recte hinc concluditur non posse quenquam desinere esse ovem: quia tantum hic sermo est de vi externa, quæ aliunde possit inferri ei qui sit ovis, non autem de eo quod respectu ejus qui sit ovis natura fieri possit.

Vers. 29. *Pater meus.* Hujus quod ultimo loco dixerat rationem addit, neminem videlicet ex manu ipsius oves erepturum. Quia inquit Pater una mecum tuetur oves meas, & ad eas tuendas vires suas confert. Unde si quis vellet oves ex manu mea eripere necesse esset eas eripere ex manu Patris. *Qui eas dedit mihi*, qui eas meæ fidei commisit, & proinde vult esse salvas. At quis erit talis qui eripiat, cùm Pater meus sit *omnibus major*, id est potentior: & nemo illum fallere possit, ut astu illas intercipiat. *Neque* id est ac proinde nemo poterit eas rapere.

Vers. 30. *Ego & Pater unum.* Quia poterat aliquis dicere: Sit sane Pater omnibus major: quid tum? quid id facit ad te? Maxime inquit facit: quia ut voluntate ita operatione conspiramus. Quia quicquid ego volo vult Pater, & quicquid Pater operatur per me operatur.

Vers. 31. *Sustulerunt ergo rursus lapides.* Eventus: quo aperitur animus illorum, & consilium cur ita Dominum interrogassent. Ille quidem malevolus, hoc verò sanguinarium. Licet autem non ita ipsis ut arbitrati fuerant responderat, reperiunt nihilominus in quo genuinum infigant & necem Christo intentent. Dicit autem Euangelista *rursum*, ut revocet in memoriam idem illos etiam ante attentasse, ut legimus cap. 8. ỳ. 59.

Vers. 32. *Respondit eis Jesus.* Quasi dicat; Cùm autem jam manus ad corripiendos lapides mitterent, & se ad ipsum lapidandum accingerent, alloquutus est eos, ut videlicet furiosum istum illorum impetum paululum retardaret, si qua ad sanitatem mentis reduci & à proposito isto revocari possent. Id quod facit summam istius consilii absurditatem ipsis ostendendo. Utitur autem ironia non indecenti. Nam pro eo quod dicendum erat; quid mali designavi unquam, aut quod meum scelus nominare potestis, ut illud isto supplicio luere debeam? hoc quidem subticet & subintelligi vult, contrarium verò ejus exprimit, cùm ait *Multa opera demonstravi*, id est exhibui *vobis.* Quasi dicat: cùm nullius mihi facinoris mali conscius sim, nec vos quicquam ejusmodi nominare possitis, ipsi enim testes mihi esse potestis quàm multis & magnis vos beneficiis affecerim; forte ideo me lapidare vultis quia tam beneficus in vos fui. Velim igitur dicatis mihi, quodnam beneficium meum tantopere displicuit vobis ut illud lapidibus mihi rependere velitis? Nam si quid nunc vobis in sermone meo durius visum, beneficia mea impediisse vos debebant ne statim opinionem de me blasphemiæ conciperetis, & in me ita insurgeretis. Unde jam videre potestis quàm temerario & cœco in me feramini impetu, quamque absurde agere incipiatis. *Ostendi* pro exhibui, Hebraismus, ut *ostendisti dura*, & *ostende nobis bona.*

Ex patre pro à patre, ut cap. 8. ỳ. 42, pro causa efficiente. Cæterum eo ipso commendat opera sua, dum non solùm illa divinitus fuisse profecta docet, sed etiam ita comparata fuisse ostendit, ut & in se essent eximia, & singula beneficium aliquod complecterentur.

Propter quod διὰ ποῖον. πόῖον id est quale pro ὅτι quod.

Lapidatis id est lapidare vultis. Voluntas pro facto.

33. *Responderunt.* Declinant vim sermonis Christi, & se verò non esse ita absurdos docent, ut propter benefacta illum lapidare velint, sed ipsum sermone suo qui fuerit blasphemus id omnino meruisse.

Quia tu homo cum sis. Hæc est illa causa cur te lapidare volumus, blasphemia videlicet tam horrenda tua. Homo tu es, & tamen facis te numen aliquod, divinum quid tibi arrogas, arrogas autem opinione & verbis. Dei nomen sumserunt ita ut in hominem ca-

dere non potest. Cum autem expresse Christus non dixerit se Deum esse, colligunt id proculdubio ex eo quia Deum vocaverat patrem suum, & quidem ratione præ cæteris eximia, quia dixerit se cum illo unum esse. Ad utrumque igitur horum respexerunt, ad illud tamen potius, quia Christus ad illud tantum respondit: quanquam hoc etiam in illo revera continetur, & ex illo necessariò fluit. Cæterum vocula περὶ sumitur hic pro causa impulsiva, & respondet Hebraico *Al.*

Vers. 34. *Respondit eis Jesus.* Si summam responsionis hujus colligas, duo revera Dominis ipsis respondit. Argumentabantur illi ita: Qui se Deum facit cùm sit homo ille blasphemat. Tu homo cum sis facis te Deum. Ergo blasphemas. Negat Dominus utramque præmissarum. Et in majori quidem diutius moratur, ut ostendat posse hominem vocari Deum, nec tamen blasphemiæ crimen propterea impingi posse; ac proinde etiamsi dixisset se esse Deum, non tamen blasphemasset. Ostendit autem id argumentatione ducta à minori ad majus: quia nulli hominum titulus iste competere possit atque sibi. Quodsi cuipiam tamen tributus est, multo magis eum sibi tribui posse. Tributum autem fuisse ab ipso Deo judicibus & principibus populi, Scripturæ testimonio docet. Argumentatio Domini integra est talis. Si sine blasphemiæ nota potest homo Deus nominari, falsum est omnem qui se Deum vocat cùm sit homo, blasphemare. Atqui prius verum, ergo & posterius. Minorem probat exemplo Judicum, ex testimonio legis. Ex quo deinde tacite argumentationem nectit ejusmodi: Si Judices vocari potuerunt sine blasphemia dii, multò magis ego. Atqui verum prius. Ergo. Ratio connexi consistit in eo, quia sunt me longe inferiores. Sed Dominus rationem istam ita ponit ut eam ad aliam responsionis suæ partem accommodare videatur. Præcedit autem argumentationis Domini assumtio, seu antecedens, ipsius Scripturæ testimonio nixa, & quidem cum emphasi, dum addit, *in lege vestra*, id est quam vos tantopere jactatis, & qua vos niti dicitis.

Ego id est Deus ipse, *dixi vos dii estis* id est, vos deorum nomine censeri debere, vel Deos esse statui.

Vers. 35. *Si illos dixit Deos.* Hoc & sequenti versiculo continetur connexum seu major propositio argumentationis Dominicæ: sed ita elata ut aliud consequens in locum illius supponat. Concisa nimirum argumentatione ista ostendere voluit Dominus eandem rationem esse ob quam & id quod ipsi objiciebatur potuisset sibi jure tribuere, & id quod revera tribuisset tribui ipsi legitime debere. Cæterum quia ut diximus & per se patet argumentatur hîc Dominus à minori ad majus, censent quidam verbis istis, *Me quem pater sanctificavit*, &c. opposita esse verba illa, *ad quos sermo Dei factus est*: Ut quemadmodum istis contineatur ratio cur Jesus & Deus & filius Dei vocari possit, ita his cur illi vocati fuerint dii. Sed non apparet ratio consequentiæ, aliquem propterea deum esse quia Deus illum sit alloquutus. Neque liquet Deum illos peculiariter aliquando alloquutum esse, ex qua alloquutione cùm titulus iste tum res illo comprehensa in illos derivaretur. Satius igitur est ista verba ita accipere, ut sint tantum descriptio subjecti à Domino non nominati neque expressi, quod quale quantumque fuerit ipsis cogitandum relinquat. Quasi dicat; Si igitur homines ejusmodi quos tum Deus ipse alloquutus est, dei titulum habere possunt, qui quales fuerint vos ipsi aliunde nosse potestis, judices videlicet, causis tantum forensibus dijudicandis destinati, & admodum limitata potestate circumscripti, mihi denique minime comparandi; quanto magis ego quem pater, &c.

Et non potest solvi scriptura. Id est, & ratum ac firmum necesse est sit quod scriptura sacra asseruit, nec quicquam contra eam excipere possitis.

36. *Me quem Pater.* Consequens connexi superioris, in quo rationem ponens cur se Deum vocare posset, jure longe quàm illi quos ipse Deus hoc titulo dignatus est meliori; docet nihilominus se alium titulum, & qui minus esset calumniæ obnoxius sibi tribuisse, filii videlicet Dei. Qui enim dicit se filium Dei, eo ipso statuit se à Deo cujus est filius dependere eique id quod ipse est acceptum referre, nec possunt illius verba in eum sensum trahi atque si numen se ejusmodi constitueret, quod à se esset & nulli subordinaretur, quomodo possunt accipi verba ejus qui se Deum simpliciter vocet. Easdem autem causas ponit cur & deum se nominare potuerit, & filium Dei nominaverit, sanctificationem videlicet & missionem sui: argumento ut diximus ducto à minori ad majus. Cæterum *sanctificatio* ista vel solam ex aliorum numero electionem & muneri suo destinationem significat. Aliquando enim sanctificare tantum est aliquem muneri alicui destinare, ut Jerem. 1. ℣. 5: qua ratione executio seu terminus istius sanctificationis erit missio in mundum. Vel non tantum destinationem quæ animo fiat, sed etiam præparationem ad illud munus: quod nempe illum donis ad munus illud obeundum necessariis impleverit: Spiritu videlicet consilii, prudentiæ, roboris &c. Quod si in hac voce non continetur, contineri tamen erit necesse in tota phrasi sanctificationis & missionis in mundum. Ut missio in mundum istud etiam denotet donis ipsum & authoritate ejusmodi fuisse ditatum ut cum dignitate personam hanc sustinere & legationem istam obire posset.

Filius Dei sum. Dixit id quando Deum patrem suum vocavit, & quidem non ratione vulgari, sed singulari quadam & præ cæteris eximia, quando se unum cum Patre esse dixit. Est igitur ut ex hoc loco patet Jesus Dei filius propter summam Dei erga ipsum charitatem, quàm primò ipsum muneri tanto destinando declaravit, deinde donis ad illud sustinendum cumulando comprobavit, tum propter similitudinem cum Deo, & arctissimam unionem: quæ similitudo in sapientia, potentia, & authoritate, divinis cernitur: quæ tanta fuerunt ut propter illa Deo similior quàm hominibus fuerit, imò ipsi æqualis fuisse dicatur.

Vers. 37. *Si non facio.* Responsionem suam confirmat argumento ab operibus suis petito. Quasi dicat; Atque his quæ jam assero non propter verba tantum mea credi volo, sed ad facta & opera mea vos revoco: hæc pressius intueamini & considerate. *Si non facio opera patris mei.* Id est, si in operibus meis nihil est cernere quod testetur me esse Dei filium, & Deum esse meum Patrem, adeoque si nihil facio ejusmodi quod nonnisi à Deo, quem esse Patrem meum dico, patrari potest, *nolite credere mihi* quòd videlicet asserui me esse à Patre sanctificatum & in mundum missum, adeoque Deum esse meum Patrem, & me cum illo esse unum.

Vers. 38. *Sin verò facio.* Illustrat idem à contrario. Quasi dicat; Quodsi opera mea talia sunt quæ testantur me genuinum esse Dei filium; *etiamsi mihi non creditis*, id est, etiamsi vobis non viderer dignus cujus nudis verbis fidem adhiberetis, at *operibus meis credite* quæ videlicet dictis meis testimonium præbent locupletissimum. Loquutio impropria, sed emphatica.

Ut cognoscatis & credatis. Finem, cur, vel modum, quomodo, operibus suis credere debeant exprimit, ita nimirum ut sciatis & credatis *Patrem in me esse & me in eo*, id est me esse ita Patri conjunctissimum, ut quicquid salutem hominum concernens facere velit nonnisi per me faciat, & vicissim, quicquid ego facere velim ope ipsius adjutus faciam. Phraseos istius eadem vis est idemque illa continetur quod ℣. 30. *Ego & pater unum sumus.* Colligitur id ex cap. 17. Si conferantur inter se ℣. 11 cum ℣. 21, 12, 23.

Vers. 39. *Rursus ergo.* Eventus responsionis Christi. Furor quidem lapidationis ad vim responsionis Christi paulatim resedit, non tamen malevolentia & animus cædis Christi penitus exemtus: ideo cum lapidare non sustineant, comprehendere tentant, accusaturi proculdubio, & rem ad cognitionem judicum vocaturi.

Sed exivit ex manu eorum. Sive miraculose, ut sæpe aliàs, sive simpliciter cùm illi id consilium coquerent, nec plane decrevissent, Dominus mentem illorum videns, mature se illorum furori subduxit.

Vers. 40. *Abiitque rursus trans Jordanem.* In locum videlicet desertum, ut ita hominum frequentiam vitaret, & ab omni periculo tutus esset. Qui locus etiam describitur à circumstantia quadam propter fructum commorationis in eo dominicæ *in eum locum ubi erat Johannes baptizans primùm.* In Bethabara videlicet. Nam postea baptizabat alibi, nempe circa Salim in Ænon. Ut testatur Euangelista cap. 3. ℣. 23. *mansitque illic* per aliquod videlicet tempus, nec aliò se contulit, vitandi videlicet ut jam diximus periculi causa.

Vers. 41. *Multi autem veniebant.* Exprimit quo fructu fuerit ibi versatus, quem proculdubio pepererunt sermones & facta Domini Jerosolymitana. Nec enim credibile est illos tum sponte & sine istis præviis Dominum accessisse.

Et dicebant. Locus ipse memoriam Johannis excitat in ipsis, ita ut simul ipsum pro propheta recipiant, et Christo fidem adhibeant. Cùm enim signum nullum edidisse Johannem asserunt, eo ipso indicant id quod authoritatem Johannis elevare poterat; sed cùm addunt, *quæcunque de isto* (nempe Jesu) *dixit, vera erant*, id est ut tum vera erant ita nunc sunt, vel ea vera fuisse experimento cognoscimus; eo ipso rursus authoritatem non ipsi tantum Johanni, sed etiam Jesu Christo stabiliunt. Indicatur ergo hic primò ipsos Johanni, postea ipsius de Christo testimonio credidisse.

Vers. 42. *Et crediderunt multi illic*, tum propter Johannis testimonium, tum propter ipsius facta videlicet.

CAP. XI.

HOc capite historia resuscitati Lazari prolixe narratur, tum quia inter magna Christi miracula maximum continebat miraculum, tum verò quia & in media hominum luce, loco videlicet celebri, & paulò ante festum Christique mortem contigisset, & denique Judæis de Christo interficiendo decernendi ansam dedisset. Partes ut in aliis historiis ejusmodi assolet, sunt tres: antecedentia miraculum, forma ejus, & consequentia.

Vers. 1. *Ægrotabat autem quidam.* Prima pars capitis hujus, extenditur ad vers. 38. In qua propter pleniorem tam illustris miraculi notitiam complura quæ illud antecesserunt commemorantur. Nam primò persona ipsa cui beneficium illo miraculo fuerat collatum describitur: deinde indicatur occasio ad illud præstandum Domino oblata, quæ fuit nuncius de morbo ipsius: tertiò quomodo illa fuerit usus. Hîc verò rursus indicatur, primò quomodo nuncium istum acceperit; deinde quomodo se iteneri commiserit; tertiò quid in itinere, denique quid in ipso loco ad quem properabat dixerit. Hoc verò versiculo fundamentum dicendis substernitur, cùm ait: *Ægrotabat autem quidam*, illo videlicet tempore cùm ille trans Jordanem in deserto ageret. Hujus ægroti non contentus nomen expressisse, cùm ait *nomine Lazarus*. describit insuper eum à patria & consanguinitate. Illud est cùm ait, *à Bethania*, quòd videlicet inde oriundus esset, & ibi habitaret: qua ratione suprà etiam cap. 1. Philippus dicitur fuisse *à Bethsaida civitate Andreæ & Petri*; Hoc cùm addit *vico Mariæ & Marthæ sororis ipsius*, id est quem incolebat Maria & Martha, quæ sorores ipsius erant: quomodo etiam loco modò laudato Bethsaida dicitur civitas Andreæ & Petri. Conjectura enim aut potiùs commentum illorum qui ex his loquendi formulis colligebant imò & docebant Petrum & Andræam, ut de Maria ac Martha taceam, civitates quibus dominarentur habuisse, futilior est quàm ut refutationem aliquam mereatur. Cæterum ex hac Lazari descriptione patet sorores ipsius longe fuisse discipulis totique Ecclesiæ ipso Lazaro notiores: id autem propter insignes proculdubio earum virtutes, ob quas meruerant à Christo præ cæteris amari. Et sanè ex ipsa frequenti, quæ hoc etiam loco satis innuitur, apud eas mansione Christi, hospitalitas illarum colligi potest: cujus diserte in Martha Lucas mentionem facit. Maria verò ea fuit quæ ob factum suum, cujus hic etiam Euangelista meminit hoc privilegium obtinuit à Domino, ut quocunque sonus euangelii eodem etiam facti illius notitia perveniret. Jam quod à nonnullis quæri solet, utra illarum junior fuerit, & utrum ætatis an dignitatis hîc ordinem fuerit sequutus Euangelista, minutius est quàm ut ei immorari deceat. Videtur autem Martha fuisse senior, ut quam Scriptura tanquam matremfamilias in domo sua commemorat. Maria verò ob factum quod mox exprimetur dignitatis & eminentiæ cujusdam gratiâ prius esse posita. Alibi autem Martha Mariæ præponitur.

Vers. 2. *Maria autem.* Quia plures erant ejusdem nominis fœminæ inter discipulos celebres, ideo hanc notam per quam à cæteris discriminari poterat apponit, à facto, quod posterius quidem evenit, sed hic per occupationem quandam commemoratur. Vel simpliciter sensus est, Maria autem erat ea quæ etiam postea unxit Dominum, ut suo loco referam; ut non tam hîc per anticipationem dicatur, quàm simplicetur factum commemoretur, quod ut notissimum, & propter quod nomen istius fœminæ celeberrimum erat, facile de quanam hîc sermo esset unumquemque docere poterat.

Vers. 3. *Miserunt ergo sorores* nempe Martha & Maria. Narrat jam quæ fuerit occasio ad beneficium Lazaro præstandum oblata, & quomodo de illius morbo resciverit Christus: Ea autem erat nuncius sororum ultro ad Dominum missus, cum brevi quidem legatione, sed quæ petitionem in se tacitè contineret. Nam & honorifico titulo ipsum compellant, cùm dicunt *Domine*, & de morbo Lazari referentes, pro ipsius nomine his verbis uti malunt *ecce quem amas ægrotat*, quæ in se tacitam petitionem beneficii ipsi conferendi continent. Ut enim miseriis & afflictionibus eorum quos amamus facilè afficimur, ita libenter eis si qua possumus opitulamur. Non exprimunt quid velint, sed subintelligi volunt à Domino ut se conveniat, & invisat, ut apparet ex ℣. 21 & 32. Et videtur peculiaris hæc Ethnicis fuisse fides ut crederent Dominum etiam absentem miracula patrare posse. Unde etiam ipse in Israële fidem se ejusmodi non invenisse dicit. Cæterum relativum πρὸς αὐτὸν *ad eum* respicit antecedens remotius & in superiori capite nominatum nempe Jesum.

Vers. 4. *Jesus autem hoc audito.* Ex antecedentibus tertium, nempe quomodo nuncium de morte Lazari acceperit, quidve illi responderit. Est autem responsio ita à Domino concepta, ut non exprimat quidem aperte quid sit facturus, & consoletur tantùm tum nuncium tum discipulos, non esse verendum ne moriatur, interim tamen innuat se in eo facturum quid ejusmodi quod illustrando nomini suo plurimum faceret: unde colligere poterant insigne aliquod ipsi beneficium præstiturum, adeoque pristinæ valetudini eum restituturum. Verùm id non intellexerunt discipuli, ut nec hoc, *morbus iste non est ad mortem*: proculdubio enim putabant Christum dicere illum omnino in illo morbo non moriturum; at Christus de morte stabili loquebatur: quia enim intra breve tempus erat ab ipso resuscitandus, non erat illa mors pro vera morte habenda. Unde etiam inferius discipulos alloquens vers. 11, dormire ipsum dicit: quod verbum quià non intellexerant, mortis demum vocabulo vers. 14 utitur. Quasi dicat; Non est verendum ne ex hoc morbo in eam mortem incidat quæ ipsum ita ut alios quos occupavit apud se detineat.

Sed pro gloria Dei, id est, sed ad gloriam Dei tendit. Vocula ὑπὲρ finem per accidens hic denotat. Neque enim credibile est, ideo per se & primario hunc morbum divinitus ipsi fuisse immissum: (etsi nihil absurdi contineat) sed id dicitur propter eventum, quia materiam suppeditaturus erat ad majestatem & potentiam Dei agnoscendam: idque ea ratione, quia præbitura

bitura erat occasionem *ut glorificetur filius Dei*, postquam videlicet miraculum eo ex mortuis resuscitando edidisset. Inde enim occasionem habituri erant homines, cùm Deum ipsum celebrandi, tum Jesum esse à Deo agnoscendi. Qualis autem illa glorificatio fuerit videtur explicare ipse ℣. 42, *ut credant me à te missum esse*, in quem enim finem ista dixerat in eum etiam proculdubio ipsum excitaverat.

Vers. 5. *Diligebat autem.* Peculiari videlicet charitatis & dilectionis affectu (amabat enim alioqui omnes) propter insignem proculdubio illorum pietatem. Adjicit enim hæc Euangelista propter sequentia quæ scripturus est, ut causam videlicet adferat, cur licet non statim, iverit eò tamen, & discipulos periculum timentes ad eundum perpulerit.

Vers. 6. *Ut ergo audivit, tum quidem mansit.* Id est cùm nuncius, ille ad ipsum pervenit: quia videlicet constituerat insigne aliquod miraculum edere, ideo ut majorem ejus patrandi occasionem haberet, aliquamdiu in loco illo substitit. Mansisse autem dicitur *duos dies* proculdubio ut interea exspiraret Lazarus, & ita ipsi subministraretur occasio excellentis miraculi perficiendi. Recte enim videtur colligere Maldonatus ex ℣. 17, tum demum se itineri accinxisse postquam ille exspiraverat, exspirasse verò eo ipso die quo de morbo ipsius Domino est significatum.

Vers. 7. *Deinde postea* biduo videlicet elapso, & postquam ex temporis ratione cognovit sat jam commodam occasionem esse perficiendi quod destinaverat. *dixit discipulis.* Quia propter metum Judæorum, qui ut superiori capite habuimus Dominum comprehendere voluerant, Jerosolymis aufugerat, atque adeò universa cis Jordanina regione cesserat, ideo eos alloquitur Dominus, ut animos eorum ad iter præparet, & causa profectionis addita exstimulet. *Judæam* vocat regionem cis Jordaninam κατ' ἐξοχὴν opponens illam trans Jordaninæ, cùm & illa alioqui Judææ nomine censeretur. Addit denique *rursus* quia eam velut reliquerant, & diutius trans Jordanem fuerant commorati. Notabis autem simplex ἄγωμεν poni pro composito ὑπάγωμεν, ut etiam alibi.

Vers. 8. *Dicunt ei discipuli.* Quia metuunt sibi & Domino à Judæis, dehortantur Dominum à consilio itineris, proposito periculo, quod etiam exaggerant, ut fieri solet in metu, cùm dicunt *modò*, licet fere jam duo menses ab illo tempore effluxissent.

Vers. 9. *Respondit Jesus.* Hic versiculus est obscurior, & varie explicatur à variis. Simplicissima explicatio est ista quòd periculi magnitudinem prætendentibus discipulis, vanum esse istum metum ostendat, quia mors sua non sit in hostium suorum potestate posita, sitque certum ac definitum suæ vitæ tempus, ante quod, utut hostes sui connitantur, non sit sibi ne se interficiant metuendum. Sed quia protasis tantùm ponitur, apodosis autem reticetur, ideo Domini sermo est subobscurior. Explicari autem debet ita. Quemadmodum duodecim horæ sunt diei, & non plures nec pauciores (habita puta ratione illarum regionum ubi dies in duodecim semper horas dividebatur, unde pro partium anni mutatione horæ illis erant longiores aut breviores); ita est certum ac definitum vitæ ac mortis meæ tempus, ante quod ego non moriar, & ultra quod non vivam. Et quemadmodum qui tempore diei ambulat non impingit (puta plerumque, nam ad id quod casu fieri possit non attenditur hîc) ita nec mihi est metuendum ne occidar quamdiu durat tempus istud diei id est vitæ meæ: fieri enim non potest ut ante illud occidar: Ac proinde cum nondum exspiraverit imò luceat adhuc mihi lux diei istius, non est quod mihi periculum aliquod obtendatis, aut vitæ meæ metuatis.

Vers. 10. *Si quis autem ambulat nocte.* Illustrat rem à contrario. *Ambulare in nocte* hîc significat ambulare eo tempore quo non est ei datum à Deo. *Quia lux non est in eo*, quia luce non utitur. Cùm enim quis videt lucem, videtur lux quasi esse in eo, cùm sit medium per quod visus se exserat.

Vers. 11. *Hæc ait, & postea.* Postquam metum periculi depulit, admovet insuper arietem amoris, quò animos illorum expugnet, & studium Judæam petendi in illis excitet. Ita autem verba sua temperat, ut non solùm doceat non minores sibi quàm illis rationes esse illuc proficiscendi, cùm ait, *Amicus noster*, id est quem vos juxta mecum amatis, ideoque ei consultum cupitis; sed etiam omnem jactantiæ suspicionem fugiat, cùm non dicit simpliciter mortuus est, ut postea necessitate cogente, quia non intelligebant, sed *dormit*; quæ vox innuebat quidem illum in morte non mansurum, mortemque illius esse somno simillimam, (qua ratione etiam puellam ut supra diximus dormire dixit) ideoque subjunxit *sed proficiscor ut à somno excitem eum*; non tamen gloriolæ captationem insinuat, sicut gloriari videretur si dixisset apertè, mortuus est, sed volo eò ire ut ipsum à mortuis excitem.

Vers. 12. *Dixerunt ergo.* Non intelligentes sermonem Domini, quod ille iis permovendis ad iter corripiendum protulerat, id illi arripiunt pro se, ut Dominum ab itinere dehortentur: quasi dicant; Non est igitur necesse ut illuc eas, bonum enim istud est signum sanitatis futuræ. *Servabitur* id est, convalescet, non morietur.

Vers. 13. *Hoc autem dixerat Jesus.* Ne quis putaret Christum etiam verba sua in eo sensu protulisse quo discipuli acceperant, atque ita crederet ignorasse ipsum quid Lazaro factum esset, ideo interjicit verba sua, ut lectori hunc errorem eximeret, quibus verum verborum Christi sensum aperit: quo etiam ipso affert causam cur apertius postea idem Christus discipulis dixerit. *Dormitio somni* est genitivus speciei.

Vers. 14. *Tunc ergo.* Quasi dicat; Videns igitur illos verba sua non intellexisse, *dixit eis Jesus apertè.* Insinuat causam cur apertius eadem quæ ante dixerat repeteret. Non addit autem aperte quidquam de resuscitatione, ob eandem causam ob quam impropriis antè verbis fuerat usus, ne videlicet gloriari videretur: insinuat tantùm id ipsum versiculo sequente.

Vers. 15. *Et gaudeo propter vos.* Versiculus iste dupliciter exponi potest. Vel ita, & gaudeo propter vos quòd non fuerim ibi, ut credatis, id est quia inde eventurum est ut vos conspecta ipsius resuscitatione, credatis me esse à Deo, ad quam fidem tam potenti documento vobis inserendam non esset tam luculenta occasio, si ægrotanti adfuissem: non enim ipsum mori passus essem. Vel ita, & gaudeo propter vos, rem scilicet ita cecidisse, ut credatis quia illic non fuerim, ut videlicet ex eo ipso quòd non fuerim ibi vos credendi occasionem arripiatis. Sed ille sensus est simplicior.

Vers. 16. *Dixit ergo.* Id est, cùm jam videret non posse hoc iter dissuaderi Thomas, alloquitur condiscipulos, *Eamus & nos:* quasi dicat; Proficiscitur ille ad certam mortem, sed quid faciamus, quando illi ita sententia sedit animo, subeamus & nos periculum cum eo. Non enim est nobis deserendus magister. Verba *cum eo* refero ad Christum, non verò ad Lazarum, ut recte multis probavit Maldonatus, & ante illum observarunt etiam alii. Cæterum vox *Didymus* quæ idem quod etiam vox *Thomæ* sonat, nempe gemellum, familiæ potiùs videtur nomen, aut etiam cognomen aliquod istius Apostoli fuisse, non autem quod revera fuerit ortu gemellus, si ita loqui licet.

Vers. 17. *Venit ergo* scilicet eò quò contendebat. Breviter indicat iter Dominum absolvisse, cùm non addiderit illud ingressum esse, sed tantùm expresserit quomodo se ad illud accingeret.

Et invenit eum scilicet Lazarum. Relativum ad remotius antecedens spectans.

Quartum jam diem. Si numeres ab illo tempore quo nuncius ad Christum de illius morbo pervenit: quo die si (ut ante diximus) est mortuus, & Christus altero die postquam itineri se commisit ad illum locum pervenit, eveniet illud tempus quod hic ab Euangelista exprimitur.

In monumento habere id est jacere. Habere in aliqua re, pro versari in illa, Hebraismus ut suprà cap. 5 ℣. 5, *triginta & octo annos habens in infirmitate*, pro tot annis ægrotans, & cum illo morbo conflictans.

Vers.

Verſ. 18. *Erat autem Bethania.* Interſerit id Euangeliſta propter ſequentia, ut cauſam reddat cur frequentes ibi adfuerint Jeroſolymitani, quos hîc καθ' ἐξοχὴν Judæos vocat. *Fere ſtadiis quindecim*, id eſt non plenis milliaribus Italicis duobus. Nam octo ſtadia conficiunt unum milliare Italicum, ut notum eſt.

Verſ. 19. *Multique ex Judæis*, nempe Jeroſolymitanis, ut jam monuimus, & ex verſiculo antecedente patet: ſive cognatis, ſive aliàs notis & familiaritate aliqua conjunctis. Hoc verò ipſum additur ad miraculi iſtius amplitudinem & certitudinem exaggerandam. Teſtes enim iſti omnes, ut poſtea videbimus, & quidem oculati tanti miraculi fuerunt.

Ut conſolarentur. Ut fere fieri ſolet in luctibus ejuſmodi. Apparet autem, ut etiam initio monuimus, ſatis notas Judæis, imò nobiles & in re lautiori mulieres iſtas fuiſſe: nec enim verſimile ſi pauperiores eſſent, tam multos ad illas conſolandas advolaturos fuiſſe. Cæterum notandus eſt hic Græciſmus πρὸς Μάρθαν καὶ Μαρίαν, pro ad Martham & Mariam, ut declaratur verſ. 31. & 45. Similem Græciſmum habes Act. 13. verſ. 13, & cap. 21. verſ. 8. Apud profanos autem ſcriptores eſt uſitatior.

Verſ. 20. *Martha ergo ut audivit.* Apparet illam ut matrem familias aliquid procurantem domo eſſe egreſſam. Opponitur enim *Maria ſedens* puta intus cum Judæis qui eas conſolatum venerant. Unde prius quàm illa reſcire de adventu Domini potuit, vel quia ipſe de ſuo adventu ſignificaverit, nunciumque præmiſerit, vel quacunque tandem alia ratione. Simulac igitur *venire* Dominum, id eſt appropinquare ad vicum illum (neque enim ipſum adhuc fuerat ingreſſus) audivit, *occurrit ei*, Mariâ non præmonitâ, vel quia tam inopinato Domini adventu commota præripere gaudium ipſa volebat, ſeparatim exquirens à Domino ſi quid adhuc ſpei ſupereſſet de fratre: vel quia Judæi circumſidebant illam, quos iratiores eſſe Domino ſciebat, & neceſſe erat tumultum aliquem excitare, ſi ſimulac audiverat Dominum appropinquare in ædes irruens Mariæ idem ſignificaſſet: Unde etiam poſtea nonniſi ſecretò & in aurem id ei aperit. Illud tamen eſt veriſimilius.

Verſ. 21. *Dixit ergo Martha Jeſu.* In ipſa ſtatim ſalutatione pandit ſuam querimoniam, ut fere fieri ſolet in magnis luctibus, quando ſalutamur ab iis qui nobis optime cupiunt, & quos potuiſſe nobis eſſe auxilio novimus. Accuſat autem non tam Dominum quòd non venerit, (ſi enim ut jam poſuimus illo die quo nuncius ad eum pervenit eſt mortuus, conjicere facile poterat Dominum omnino venire non potuiſſe, adeoque eſſe extra culpam) quàm ſuam infelicitatem, quòd Dominus fratri ægrotanti non adfuerit. Quaſi dicat; ô quàm male factum, quamque nos infelices, quòd tum non adfueris nobis quando nobis tuâ præſentiâ maxime fuerat opus! nec enim ad has incitas fuiſſemus redacti. Verba fidei, ſed oppidò quàm infirmæ ac debilis. Nondum videlicet pernoverat ſatis Domini cùm potentiam, per quam abſens etiam præſtare quicquid vellet poterat, tum etiam ſapientiam, per quam longiſſime etiam diſſitus quid aliquo ſuorum fuerit pernoſſe poterat: alias enim nunquam ita diximſſet. Ethnicorum videlicet illa & non Judæorum fides erat, tantam Domino potentiam tribuere.

Verſ. 22. *Sed & nunc.* Querimoniam correctione quadam mitigat, oſtendens nondum tamen ſe plane deſperaſſe ut ut res ita ceciderit, ſimulque tacitam petitionem includit. Quaſi dicat; Verumtamen licet res eò devenerit, ut plane de fratre meo actum nec locus miraculo ullus ſupereſſe videatur; ſcio ego nihilominus tanta te apud Deum pollere gratiâ, ut quicquid ab eo petieris impetraturus ſis. Quo ipſo tacite petit, ſed verba petitionis reticet, & tale quid ipſi Domino cogitandum relinquit, ac ſi diximſet; Quare peto amorem illum tuum quo fratrem noſtrum proſequebaris, & nosadhuc proſequeris, ea ratione nobis demonſtra.

Verſ. 23. *Dicit ei Jeſus.* Quia nondum deſperaverat plane, & fidem aliquam conceperat Martha, ideo Chriſtus etiam ſpem aliquam ipſi facit, ſed oppidò quàm tenuem. Ita enim verba concipit, ut cùm neque tempus neque authorem reſuſcitationis quam promittit exprimat, aliò quàm quo Martha volebat trahi poſſint. Quod cum propter modeſtiam facit, tum verò ut fidem ejus tanto magis exploret, ut ſequentia clarius docebunt.

Verſ. 24. *Dicit ei Martha.* Reſponſio iſta Marthæ indicat ſpem quidem aliquam ex Chriſti verbis concepiſſe, quia tamen aliò trahi poterant quàm quo illa volebat, ſenſum illum verborum præ ſe fert, ut tanto citiùs clarius reſponſum Chriſti pro ſua parte eliciat. Quaſi dicat; Illud quidem ego Domine dudum ſcio, illum die ultimo reſurrecturum; ſed ego quidam aliud volebam à te audire, & ſcire an non nunc etiam reſurgere poſſit.

Verſ. 25. *Dixit ei Jeſus.* Hîc jam ſignificat ſe illum omnino mox reſuſcitaturum, nec opus eſſe exſpectare illum ultimum diem: interim tamen reſponſionem ita concipit, ut verba ad illam longe poſt futuram reſurrectionem reſpiciant. Quod facit fidem Marthæ exploraturus, & reſurrectionis hujus fidem velut medium in ipſa vult inervenire, ſi voto potiri velit. Quaſi dicat; Non eſt neceſſe diem illum exſpectare: ubi ego ſum ibi eſt reſuſcitatio & vita. Quare nunc etiam penes me eſt, illum à mortuis revocare & vivum tibi ſiſtere. Sed hoc licet verbis his ſignificaverit, non tamen expreſſit, quin verba ad illam reſurrectionem longe pòſt futuram conformavit, innuens videlicet tantum ſe nunc etiam rei tantæ præludere poſſe: cæterum illud primò de ſe ab illa credi debere.

Ego ſum reſurrectio & vita. Id eſt ſum cauſa & author reſurrectionis ac vitæ, maxime quidem illius futuræ, ſed ita ut nunc etiam tale quid præſtare poſſim. Declarat autem id in ſequentibus. Ac quoad reſurrectionem quidem, his verbis, *Qui credit in me.* Hanc verò fidem exigit hic à Martha, cùm alias in aliis ſimplicem tantùm requiſiverit, contentuſque fuerit ſi quis crederet ſe poſſe id à Domino obtinere quod peteret: quia Martha jam erat Chriſti diſcipula, itaque illam neceſſe erat longius progredi in fide in Chriſtum, nec in ipſius tantùm initiis ſubſiſtere. *Vivet* id eſt reviviſcet, vitam recipiet. Simplex pro compoſito. Ad illam futuram reſurrectionem reſpicit, non tamen ita ut excludat etiam illam quæ Marthæ fuit in voto.

Verſ. 26. *Et quiſquis.* Hoc declarat Chriſtus ſe eſſe vitam, oratione quàm prior eſt generaliore, in qua videtur correctio quædam ſubeſſe prioris enunciationis. Quaſi dicat; Quanquam quid dico etiamſi mortuus fuerit, imò ne morietur quidem qui in me crediderit, morte videlicet vera & æterna. Nam mors quam ſequitur reſuſcitatio ſomnus potius eſt quàm mors. *In æternum* id eſt nunquam.

Credis hoc? Id à te exigo ut hoc credas, ſi vis beneficium aliquod à me obtinere. Non hoc nunc à te requiro quod ad ſolum fratrem tuum pertinet, ſed quod ad omnes: Nam ſi hoc credis, multò magis illud.

Verſ. 27. *Ait illi, etiam Domine.* Reſponſio Marthæ, qua non ſolùm profitetur apertè id ſe credere quod ab ipſa Dominus requiſiverat, ſed generali quadam de Chriſto confeſſione addita, confirmat etiam reſponſionem ſuam. Profeſſio ſimplex & categorica eſt in his verbis *etiam Domine*, id eſt credo ſanè quod exigis à me Domine. Confirmatio ejus, *Ego credidi*, id eſt jam pridem enim illud credidi, *te eſſe Chriſtum filium Dei*, id eſt te eſſe illum Meſſiam qui ſis Deo proximus, ſimillimus, & chariſſimus, *qui in mundum venturus erat* qui divinis oraculis venturus à Deo promittebantur, munuſque ſuum in terris obiturus. Videtur ſignificare, ſe probe intelligere, Chriſti eſſe proprium à mortuis excitare: quare cùm illum eſſe Meſſiam & Chriſtum diu crediderit, id etiam jam olim de ipſo credidiſſe. Niſi quis ita reſponſionem hanc accipere malit; Credo Domine, quia jamdudum credidi te eſſe filium Dei, ac proinde nihil falſi à te proficiſci poſſe. Ut non

non tam id olim crediderit Christi esse à mortuis excitare, ac proinde etiam ipsius, quem Christum esse credat; quàm ipsum esse Messiam & Christum, ideoque illi etiam quod jam ex ipsius ore audiverat fidem adhibere.

Vers. 28. *Et cùm hoc dixisset.* Pergens in relatione eorum quæ miraculum antecesserunt, refert quomodo Martha Mariam sororem suam quæ adhuc nesciebat adesse Dominum de adventu Domini certiorem fecerit, ipsamque ad Dominum accersiverit. Etsi autem sponte id fecisse videri potest, quia videlicet speculam jam aliquam de futuro Domini beneficio concepisset, nec auderet amplius à Domino quærere, sperans occasione à Maria suppeditata apertius aliquid de eo se ex ore Domini audituram, sive simpliciter gaudii ex tanto spei inopinatæ exortu plena noluit diutius sororem ipsius esse exsortem, quod prima Euangelistæ verba insinuare videntur, cum dicit, *cum hæc dixisset abiit*, quasi scilicet sponte & à nullo monita abiisset; intuenti tamen verba Marthæ quibus Mariam accersit, dicens *Præceptor adest, & te vocat*, verisimile est Dominum ipsum jussisse ut illam accerseret, simul ac confessionem istam edidit, Euangelistam autem id non expressisse, quia verba Marthæ relaturus erat quibus id insinuaretur. Factum enim id à Domino videtur ut tanto magis Marthæ fidem exploraret, ad cujus confessionem videbatur jam exprimere Dominum aperte debuisse quid in animo haberet. Sed vult adhuc illam sub cultro esse, simulque sororis etiam ipsius fidem explorare. Porrò *clam* vocavit sororem, insusurrando id videlicet ei, ne audirent Judæi, quia sciebat illos esse Christo infensos.

Vers. 29. *Illa ut audivit surgit citò* id est non potest se continere præ lætitia, sed simul atque Martha ipsam alloquuta est discedit statim à Judæis, & confert se ad Dominum. Præsens pro præterito, ad celeritatem exprimendam posuit.

Vers. 30. *Nondum autem venerat.* Quia dixit Mariam ad Dominum propere abisse, exprimit ubinam tum esset Dominus, quòd videlicet substitisset adhuc in illo loco extra vicum ubi Martha ipsi occurrerat. Substitisse autem eo loci videtur, vel quia sepulchreta tum erant extra vicos & oppida, ipse verò noluit sororum ædes ingredi antequam beneficium istud illis præstitisset: vel quia voluit hac occasione aliquos ex hostibus suis elicere ut interessent isti miraculo. Qui pro odio suo in Christum vel non sequuturi ipsum ob infidelitatem videbantur, si prius in ædibus illarum mansisset, & postea ad sepulcrum excitandi Lazari causa se conferre velle indicasset; vel etiam consilium de illo comprehendendo initum statim ad exitum perducerent. Hac autem admiranda sapientia Domini his omnibus est occursum, & cùm miraculum tam insigne factum est celebre, tum in animis hostium longe alia effecta sunt consequuta, ut mox docente Euangelista videbimus.

Vers. 31. *Judæi ergo* Abitionis Mariæ consequens, Judæorum videlicet factum, qui illam Jerosolymâ consolatum venerant. Narratur autem ab Euangelista propter sequentia.

Cum ea id est Maria. Relativum respiciens remotius non propius. Versiculus verò superior velut in parenthesi legendus est. Exemplum simile habes cap. 20. Nota *εἰς* positum pro *πρὸς* ut mox vers. 38.

Vers. 32. *Maria igitur.* Exprimit jam quomodo Maria Dominum salutaverit. Quia autem eadem plane qua & Martha querimonia utitur, verisimile est illas ita inter se loquutas esse, ideoque apud Dominum etiam in has erumpunt voces.

Vers. 33. *Jesus ergo.* Responsio Domini ad salutationem Mariæ quam cùm inter lacrymarum singultus ut in fletu fieri solet proferri videret, (id quod de Martha non indicatur, quod indicio est in majori mœrore fuisse Mariam) non jam amplius colloquio simili quale cum Martha habuit indulsit, sed primò *infremuit spiritu & turbavit seipsum.* Id est vehementi intimo dolore correptus est & ipse. (Emphasis.) Sive totius generis humani miseriæ incertitudinique solatiorum hujus seculi, sive privatim sororum illarum dolori ingemiscens & compatiens. Quare etiam rem compendi facit, & statim interrogat:

Vers. 34. *Ubi posuistis eum?* ut videlicet rem pro verbis, & beneficium pro querimonia reponat, soleturque tandem afflictas illius morte sorores. Quærit autem non quasi perse de loco sepulcri rescire non posset, si sapientiam hic suam exserere voluisset, sed quia ad id non attendebat, neque ullo hic opus erat miraculo. Quare etiam non exserit hic divinam sapientiam suam. Qua ratione etiam infra vers. 39, Tollite ait lapidem, licet unico id nutu suo præstare posset, lapisque ad ipsius imperium sine ullo visibili adjumento statim se movisset.

Vers. 35. *Lacrymatus est Jesus.* Cernens videlicet jam sepulcrum ipsum in quo situs erat ille mortuus. Tertium ex effectis in Domino Jesu post querimoniam Mariæ consequens.

Vers. 36. *Dixerunt ergo Judæi* nempe qui Mariam ad Dominum properantem erant sequuti. Narrat quomodo inimici Domini fletum Domini accepissent. Non male autem conjiciunt tenerrimo affectu Lazarum ab ipso adamatum fuisse, ut patet etiam ex iis quæ tota hac historia subinde inseruit Euangelista.

Vers. 37. *Quidam autem ex ipsis dicebant, Non poterat hic &c.* Putant quidam his verbis in dubium ab ipsis vocari etiam superius miraculum cæci sanati, quod nuper tantas turbas dederat, tantumque ipsi omnium eorum odium conciliaverat. Quasi dicant; ô si verum esset illud quod tantopere jactabatur, istum homini à nativitate cæco visum tribuisse, profectò neutiquam amicum tantum suum cujus morte tantopere afflictatur mori sivisset, mortique ejus occurrisset. Longe verò est facilius, providere ne aliquis moriatur, quam ut is qui nunquam usum oculorum habuit, illis utatur. Quare cùm hoc non fecerit, illud quoque tantopere celebratum miraculum prorsus falsum & commentitium est. Quod non abhorret quidem ab ingenio Judæorum: videntur tamen hic aliud voluisse, incusare videlicet Dominum, qui morti Lazari non occurrisset, cùm rem longe factu difficiliorem in oculorum cœci apertione præstitisset, adeoque mirari quod amici officium deseruisset.

Vers. 38. *Jesus ergo rursum.* Puta sive quia sepulcro appropinquabat in quo amicus ipsius conditus erat, sive cognitis illorum istis susurris exacerbatus, *fremens apud semetipsum* id est vehementer indoluit.

Ad monumentum εἰς pro πρὸς.

Erat autem spelunca. Descriptio sepulcri additur, propter ea quæ mox est narraturus, nempe ut anticiparet causam ejus cur lapis ibi fuerit, quem Christus tolli voluerit.

Vers. 39. *Ait Jesus.* Cur non miraculose lapidem sustulerit, jubendo videlicet ut loco cederet, aut simile quippiam faciendo, indicavimus suprà vers. 34: quia non fuerit solitus præter ullam necessitatem miracula facere, ad quæ non ostentationis sed beneficii hominibus præstandi causâ semper accedere solebat, idque fere tum ubi opus aliquod humanis peragi viribus nequibat, aut certè fidei hominum in se aut conciliandæ aut etiam confirmandæ maxime faciebat.

Dixit ei Martha. Quæritur hic quando ista verba protulerit, utrum lapide jam summoto, postquam tæter odor nares ipsius adhalasset, an verò Christi statim verba excipiens, & lapidis sublationem anticipans: quasi dicat; Non esse jam quod loco moveretur, cùm jam fæteret, plusque jam ex eo mali in ipsum etiam Dominum quàm in se boni redundare posse: ideoque frustra operam in lapide isto amoliendo consumi. Utrumque non abhorret à vero. Credibile enim est illam, sive ex eo quod in aliis cadaveribus ante quatriduum humatis evenire sciret, sive quod dum lapide remoto tætrum odorem naribus persentisceret, causam tanti fætoris Domino statim indicando, subdubitare nonnihil de ejus excitatione cœpisse: quod etiam ipsa responsio Domini quodammodo insinuat.

Vers. 40

Verſ. 40. *Dicit ei Jeſus.* His verbis continetur reprehenſio tacita cum admonitione ne fidem ſuam Martha labefactari patiatur, utut tamdiu mortuus ſit frater & fœteat. Quaſi dicat; Itane credere debes? & hæccine eſt illa fides tua quam præ te modò tuliſti? *Nonne dixi tibi* nonne te præmonui *ſi crediderис* ſi fidem ei quod à te modo requiſivi habueris, *fore ut videas gloriam Dei*, id eſt viſuram te inſigne miraculum, quod cedet ad inſignem Dei gloriam: quia videlicet & immenſam Dei potentiam hominibus manifeſtabit, & me eſſe Dei legatum, ab eoque ad homines miſſum declarabit. Nihil igitur te hoc moveat, neque patiuris fidem tuam eo labefactari quod jam fœteat. *Gloriam Dei* dixit pro opere Dei glorioſo & ad ſummam ejus gloriam pertinente, per metonymiam effecti.

Verſ. 41. *Suſtulerunt ergo lapidem.* Dum videlicet illi iſta inter ſe loquuntur, iſti interea lapidem ſuſtulerunt. Accedit jam ad ſecundam partem hujus hiſtoriæ, formam videlicet ipſius miraculi, ſeu relationem ejus quomodo Lazarus fuit in vitam ab ipſa morte revocatus. Referuntur autem tria: primò quomodo Chriſtus ad ipſum iſtud miraculum faciendum acceſſerit. Secundò quo medio in eo patrando ſit uſus. Tandem effectum ſeu miraculum ipſum. Ac de primo quidem ita inquit Euangeliſta, *Jeſus autem attollens ſurſum oculos* &c. ubi oſtendit Chriſtum Patri hunc honorem coram ſpectatoribus tribuiſſe, ut ab illo hanc ſe potentiam hauſiſſe, non ſolùm oculis ad cœlum ſublatis inſinuaret, ſed etiam diſertis verbis indicaret, ita ipſum alloquentem Patrem introducens, *Pater gratias ago tibi quod me audiveris*, id eſt quòd mihi tantam potentiam & ſubminiſtres, & porrò ſubminiſtraturus es, qua effectui dare id quod intendi, atque ita nomen tuum glorioſum reddere potero. Quæritur autem hic an revera & quando Chriſtus oraverit, ut ſibi potentia miraculi hujus patrandi daretur à Deo. Ac licet id factum eſſe ab eo non ſit abſurdum, & quidem tum cum infremeret ſpiritu, & lacrymaretur; fieri tamen poteſt non proprie ipſum oraſſe, ſed deſideraſſe tantùm, ut deſiderium iſtud inſtar petitionis cujuſdam & ſimul exauditionis eſſet, quia data erat ei tanta poteſtas ut quicquid vellet præſtare poſſet. Quaſi dicat; Gratias tibi ago quod tanta mihi ſit à te ſuppeditata potentia, ut quicquid conſtitui præſtare & perficere poſſim.

Verſ. 42. *Ego vero ſciebam me ſemper à te audiri.* Occupat objectionem vel tantum cogitationem circumſtantium, ex ſuperioribus verbis orituram. Quaſi dicat; Hæc verò non eò dico, ô Pater, quaſi novum ſit id & inſolens de quo nunc tibi gratias ago. Nunquam enim dubitavi, & expertus ſum ſemper ſuppeditari mihi à te potentiam quandocunque voluero, neque ſubtrahere te mihi vires illas quas ſemel mihi contuliſti.

Sed propter turbam circumſtantem dixi. Id eſt, ſed quia turba circumſtat, hoc & facto & dicto meo ſignificare volui, me non magica arte, aut diabolica ope, ſed tua ipſius divina potentia fretum, eaque ſubnixum rem tantam & aggreſſum eſſe & perfeciſſe. Idque eum in finem, *ut credant me à te miſſum eſſe.* Nam ex hoc facto videntes tantam mihi poteſtatem à te eſſe collatam, facile colligere poterunt me tuum eſſe legatum, tuoque juſſu ac imperio facere quicquid facio.

Verſ. 43. *Et cùm hæc dixiſſet.* Rem ipſam accedit, & poſtquam oratione ſua animos circumſtantium ad credendum divinâ id futurum potentiâ præparaſſet, medio quidem alio nullo utitur, ſed tantùm *inclamat voce magna*, quia videlicet cum mortuo res erat, non ſecus atque ſi cum ſurdaſtro res eſſet, aut etiam cum eo qui in altiſſimo ſopore merſus eſſet. Proculdubio propterea ut oſtenderet omnibus, non alia id ratione factum, quàm ſolo juſſu nutu & inclamatione illa. Notabis etiam Chriſtum non exiſtentes vocare tanquam exiſtentes, id quod ipſi Deo tribuit ſcriptura.

Verſ. 44. *Tum qui fuerat mortuus* nempe Lazarus. Ipſum miraculum & effectum vocis Chriſti, quod eſt inſigne ſimo ſuminum divinæ in Chriſto cùm inter homines degeret potentiæ. *Prodiit* id eſt ſurrexit aut conſtitit extra ſepulcrum: vinctus enim manus & pedes fuiſſe dicitur. Niſi forte dicas, non ita illa vincula adſtricta fuiſſe, ut veſtigia nullâ ratione ponere poſſet, ſed quod ægerrime, ut fieri ſolet quando aliquis eſt vinctus, ut ut compedes ſint laxiores. Unde etiam Dominus ut plenius miraculo fidem faceret dixerit: *ſolvite eum & ſinite abire*, quò ſcilicet nihil ipſum impediret quominus tutò veſtigia ponere & pedes extra pedes movere ac promovere poſſet.

Verſ. 45. *Multi ergo.* Tertia pars capitis, ſeu effecta miraculum conſequuta. Enumerantur autem tria. Primum hoc verſiculo continetur, quod multi ex ſpectatoribus tantum Chriſti miraculum cernentes *crediderunt in eum*, id eſt doctrinæ ipſius aſſenſi ſunt, illam pro vera, ipſum verò pro Dei legato Meſſia & Chriſto receperunt.

Verſ. 46. *Quidam autem.* Alterum conſequens ſeu effectum in aliis, quod novæ rurſus eique longe peſſimæ cogitationi & concluſioni occaſionem dederit. Id autem eſt factum aliorum ex miraculi illius ſpectatoribus, qui miraculum quidem viderant, & factum illud eſſe inficiari non poterant, fraudem tamen adhuc aliquam ſubeſſe ſuſpicantes, & utrum à Deo illa eſſet potentia dubitantes, aut etiam ſimpliciter non à Deo eſſe ipſam putantes, in Chriſtum non crediderunt, ſed rem totam ad Phariſæos detulerunt, ſive plenius de ea ab eis, tanquam legis divinæ peritioribus exquiſituri, ſive ſimpliciter quid is quem pro ſeductore haberent ante oculos ipſorum fecerit indicaturi.

Verſ. 47. *Coëgerunt ergo.* Poſtquam ſcilicet id ſibi relatum eſſet quod circa Lazarum erat à Jeſu factum. Effectum & conſequens ejus quod ſuperiori verſiculo relatum eſt. Tanquam in re maximi momenti, & in qua integritas ipſorum verteretur, cogunt concilium. Nec male quidem, ſi eo quo debebant animo ad id concilium deſcendiſſent. Verùm ut in poſterioris ævi conciliis ferè omnibus factum, longe deterrimo, & gloriæ Dei inimico. Quanquam in hoc quidem, ut mox aperiet Euangeliſta, rem ita moderatus eſt Deus, ut imprudentes id facerent quod è gloria Dei & re hominum maxime eſſet. Exprimuntur autem in hujus concilii deſcriptione tria. Perſonæ in illud congregatæ, conſultationes, & concluſio illarum ſeu decretum. Perſonas nominat, *Pontifices & Phariſæi* id eſt, homines in populo Judaïco præcipui, & ſumma authoritate, cùm ob ſanctitatis, tum ob ſcientiæ legis divinæ opinionem, præditi, & conſpicui, adeoque ii quos maxime decebat conſilium hoc cogere, ſi rem eo quo par erat animo, aut aggreſſi fuiſſent, aut etiam tractaſſent, quoſque ita aggreſſos eſſe & tractaſſe, ut hic proditur, maxime dedecebat, & quà vocatione quà exiſtimatione ipſorum indigniſſimum erat. Ἀρχιερεῖς autem vocat primarios ſacerdotes ſeu eos qui in familiis ſacerdotalibus eminebant, & inter eas erant præcipui, ut aliàs ſæpe. Aliàs enim hoc nomen ſoli proprie Pontifici maximo tribui ſolebat, cui videlicet jus erat ſancta ſanctorum ingredi. Jam conſultationes eorum, primò exprimuntur generaliter, deinde in ſpecie, cùm ſententia principis ſacerdotum affertur, in quam omnes pedibus iverint. Generaliter cùm ait, *& dicebant, quid faciemus?* aut *quid facimus?* utroque enim modo verba τί ποιοῦμεν verti poſſunt, ſenſu paulum diverſo. Verba enim *quid facimus?* accuſantium ſeſe mutuò, ſuamque ſegnitiem in eo quod ſemel ſtatuerant exſequendo incuſantium, eſſe videntur, & non de eo quid ſibi eſſet faciendum inquirentium & conſultantium. Quaſi dicant; Cur tam ſegnes & remiſſi ſumus in eo quod jam ſtatuimus exſequutioni tradendo, hominemque iſtum quem jamdudum comprehendi oportuit, tam libere graſſari, & ſuam doctrinam inter populum ſpargere permittimus? Scimus enim non ſemel jam ipſos Dominum prehendere & occidere voluiſſe, idque ipſis Dominum exprobraſſe, & eâ cauſâ illorum ſæpius conſpectum vitaſſe. Verba autem *quid faciemus?* conſultantium ſunt, & rationem qua Jeſus tandem coërceri poſſit inquirentium. Et huic interpretationi favere

videtur ſententia à Caipha dicta, qua inſinuatur illos nondum plane antehac de ipſo interficiendo omnino decreviſſe, ac ultimam quod ajunt ſententiam tuliſſe: licèt ſæpius, ut legimus, de illo comprehendendo cogitarint. Senſus erit, quaſi verbis iſtis rei magnitudinem & conſilii difficultatem exprimere velint. Idem enim valere videntur ac ſi ita dicerent; Jam non ſemel huic homini voluimus occurrere, omnes verò conatus noſtri in irritum ceciderunt. Ecce videtis quantopere malum gliſcit. Nunc igitur tandem aliquid decernamus, quo hæc contagio ſiſti, malumque ipſum exſtirpari queat. Jam enim eò ventum videmus, ut niſi mature occurramus, res in nervum poſteà ſit eruptura, malumque evadat immedicabile.

Nam hic homo id eſt Jeſus Nazarænus. Cauſam exprimunt propter quam concilium illud coëgiſſent, & quid facto opus haberent conſultandum eſſet. Sunt autem miracula Chriſti, ex quibus illi magna incommoda, imò ultimum exitium in ſe redundaturum oſtendunt, niſi iſtis obviam eatur. Quaſi dicant; Deliberatio iſta non eſt ejuſmodi quam aut negligere aut etiam differre debeamus: præ foribus cubat periculum, & quidem præſentiſſimum, niſi conſilium ſalubre, & quidem maturè antequam vires malum ſumat ineamus. Nam iſte homo quem nos hactenuſque deſpeximus, & ſe jactare ſivimus, *multa ſigna edit*, id eſt multa patrat miracula & in dies majora videtur patraturus, niſi ei occurramus. Quod ſi fiet, certo certius periimus, neque ultimum exitium effugere poterimus.

Verſ. 48. *Si ſinamus eum ita* id eſt, ſi permittamus ei libere ſicut hactenus fecit inter nos & verſari & doctrinam ſuam ſpargere, ejuſque hominum animis inſinuandæ & commendandæ gratiâ plura ejuſmodi miraculoſa facinora patrare; *omnes ei credent* id eſt doctrinam ipſius pro vera, ipſum autem pro Dei legato adeoque Meſſia & rege ſuo recipient, eique nobis relictis penitus adhæreſcent. Sed quid inde incommodi? quodve periculum? Pergunt ulterius, *venientque Romani* ſcilicet cum exercitibus adverſus nos, ægreferentes nos regem agnoſcere eum qui non ſit nobis ab illis datus, ipſiuſque pro rege receptionem rebellionem adverſum ſe interpretantes. *Et delebunt & noſtrum locum*, id eſt funditus evertent, ſive templum, ut quidam volunt, ſive potiùs Jeroſolymam, quam illi locum ſuum nominant, quod eſſet totius gentis Judaicæ caput & metropolis. *Et gentem* nempe Judaicam. Hic jam pleniſſime exprimunt quid maxime metuerent, & cur tam ſoliciti de Jeſu miraculis eſſent. Cæterum ſenſerintne plane ita ut loquebantur, & metuerint arma Romanorum, ſi Jeſum populus pro Chriſto recepiſſet; an verò id prætexerint tantùm, reticentes id quod illos maxime ureret, quia videlicet ſibi ipſis & authoritati ſuæ metuerent, contemtam & abjectam futuram, Jeſu pro Chriſto recepto, perſpicientes; id quia rationes in utramque partem invenire poteſt, in medio relinquimus. Certe poſterius ab illorum ingenio non abhorret. Quod in iſta ipſorum ratiocinatione, ut ut tandem id intus foverent quod ore proferebant, maxime ſe exſerit. Cur enim metuerent ne omnes credant in Chriſtum? an quia id futurum eſſet contra Legem & voluntatem Dei? Minime. An ne Romanos in ſe irritarent? Atqui illud prius excutiendum erat, ſi ii erant pro quibus à populo & haberi & coli volebant, Legis nempe divinæ cuſtodes, & vel univerſus orbis, nedum Romani ſoli ſus deque habendi erant, ubi Chriſtum à Deo eſſe conſtitiſſet. Conſtare autem facile poterat, ſi rem non ex affectu, ſed ex verbo Dei æſtimare voluiſſent. Non abſimiles ſunt ratiocinationes ſucceſſorum illorum ſacerdotum, qui dum ſibi rebuſque ſuis metuunt, ne fraude qua circumventos mortales in caſibus ſuis retinent detectâ, ipſi vilescant & relinquantur, Rempublicam interim turbatum iri clamitant, ſi veritati locus ad nidulandum inter eos permittatur. De eo autem ut doctrinarum in quas debacchantur & quas pleno ore traducunt, accuratum examen ad Lydium verbi Dei lapidem inſtituatur, plane ſecuri ſunt. Quocirca eundem etiam eventum cum ratiocinationibus & conſultationibus ſuis exſpectare poterunt, quem experti ſunt iſti anteceſſores ipſorum. Oſtendit videlicet tum reipſa Deus, vanos eſſe conatis mortalium qui contra ſe ſuſcipiuntur, demonſtravit ſtultas eſſe cogitationes illorum quæ ipſius verbo non dirigantur, etiamſi in iis magnopere ſibi placeant, & ſapere videantur. Omnia enim plane contraria evenerunt conſiliis & deliberationibus ipſorum. Volunt Chriſtum occidi, quia metuebant ne omnes in ipſum crederent. At niſi occiſus fuiſſet, non credidiſſent in eum tam multi. Nunc quia occiſus eſt traxit omnes ad ſe. Volunt occidi, ne ſi pro rege à populo recipiatur, inſurgant adverſum eos Romani. At inſurrexerunt ideo quia ipſum occiderunt, non facturi ſi Judæi tempus viſitationis ſuæ per Jeſum agnoviſſent.

Verſ. 49. *Unus autem ex ipſis.* Id eſt, cùm autem ipſi hærerent, nec ſe ſatis explicare poſſent in eo quid ſibi capiendum eſſet conſilii, unus ex ipſis &c. Refert ſententiam unius ex præcipuis, imò ipſius fortè capitis & directoris illius concilii, Pontificis videlicet Maximi, in quam poſtea pedibus iverint cæteri. Nominat autem ipſum primò, cùm ait *Cajaphas*, deinde deſcribit, *Pontifex maximus anni illius*, ut ſciretur à qua manu ictus ille venerit, & cur tam citò in ſententiam ipſius reliqui conceſſerint.

Hic deſunt non pauca.

Ioh. cap. 6. verſ. 37, 38, 39.

IN his verbis explicatur à Domino Jeſu, quanta benignitate ſit uſurus erga illos, qui in ipſum crediderint. Primò autem hæc doctrina proponitur. Deinde, confirmatur. Proponitur verſ. 37. in quo ſunt conſideranda tria. Primum. Quomodo deſcribantur ejuſmodi homines, qui ut Domino Jeſu credant, apti ſunt. Deinde, quomodo fides illa deſcribatur: & denique, quæ ſit illa benignitas, ſeu effectus benignitatis, quam illis Chriſtus exhibiturum ſe pollicetur. Poſſet etiam bipartita fieri diviſio. Nam primò deſcribuntur ii, qui in Chriſtum credunt. 2. Benignitas Chriſti erga illos, ſeu Benignitatis illius effectus. In priori duo ſunt iterum conſideranda. 1. Aptitudo & veluti acceſſus ad fidem. 2. Ipſa fides, ſeu fidei actus. Primum eſt ibi. *Omne quod mihi dat pater.* Quorum verborum hic ſenſus eſt proprius. Omnes illi quos meæ curæ pater committit ac tradit. Neutrum ſumitur per Maſculino. Deinde etiam effectus ponitur pro cauſa. Nam Chriſto à patre tradi, eſt effectus quidam, tum animi probitatis, quæ in iis exſtat, quum Chriſto à Patre traduntur, tum etiam laboris ut ita dicam, & curæ divinæ, quam Deus adhibet, idque per ipſum Chriſtum, ut homines probi animi, ad ipſum adducantur, & ſic ſub illius cura ac patrocinio, ab interitus periculo liberentur, & ſalutem æternam conſequantur. Quare, duo hic continentur. Alterum ex parte hominum, alterum ex parte Dei, quod etiam videtur apparere, ex collatione hujus loci, cum verbis ỳ. 44, 45. ubi quod hoc loco dicitur, Dari Chriſto à Patre, dicitur Trahi à Patre, & poſtea, Audire & diſcere à Patre. Nam idem planè effectus, nempe adventus ad Chriſtum iſtis verbis adſcribitur, & quidem etiam homines dicuntur θεοδίδακτοι, cujus verbi vis & ſic etiam cæterorum de quibus agitur, hæc eſſe videtur: Quòd iſti homines ita ſint dociles, & ad divinam quandam diſciplinam apti, ut facilè id animadvertant, & amplectantur, quod à Deo profectum eſt, & etiamſi quædam ſint, vel in doctrina ipſa dura, vel circa eam, aut cum ea quædam appareant, quæ vim quandam habent, ad homines ab ea abſterrendos, illi tamen nihil his moveantur, divinam nihilominus vocem in omnibus ſponte ſua agnoſcentes. Simili aliqua ratione Paul. ad Teſſal. ſcribens, nihil opus eſſe ut de charitate fraterna edoceantur & admoneantur, quia ipſi à Deo ſint edocti, ut alii alios diligant; quia etſi nulla fortè expreſſè doctrina, hac de re illis fuerit tradita, tamen ipſi, quia animo probo eſſent præditi, ſponte ſua animadvertiſſent, debere ſe

charita-

charitatem erga se mutuam ac planè fraternam exercere, atque adeò etiam reipsa exercerent. Quanquam illi hujus rei occasionem aliquam fuerant adepti; ita hoc quoque loco, illi videntur dici, qui sponte sua quodammodo ea cognoscunt, quæ cum Dei voluntate consentiunt, quanquam occasionem nacti per ea, quæ Christus patris nomine, hominibus annunciavit. Nam id, non sine doctrina Christi factum esse, indicant illa quæ subjiciuntur. *Non quòd quisquam patrem viderit, nisi is qui est à Patre.* Quasi dicat: Non quòd Deus cum quoquam plane immediatè loquutus fuerit, & illi voluntatem suam exposuerit, sed quòd mihi & per me aliis, eam revelarit. Videtur autem hæc vox θεοδιδακτον, opponi iis, qui ab hominibus docentur, & peculiarem quandam doctrinæ, quæ à Deo proficiscatur, qualitatem exprimere. Ea verò talis est, quòd Deus occultiori quadam ratione, quæ non omnibus pateat, docere soleat; unde etiam fit, ut eam doctrinam, non omnes, quanquam sua culpa, percipiant, aut amplectantur. At homines, siquem revera docere velint, ac cupiant, omnia apertè solent explicare, & ea omnia removere impedimenta, quæ obstare possunt, quo minus ea doctrina recipiatur. Deus autem contra agit, qui vel absque voce aperta, hominis autem erudit quod tamen aut rarò facit, aut nonnisi, in doctrina quadam imperfecta, quæ quodammodo naturalis est; vel ea in doctrina sua vult exstare, quæ hominibus non admodum probis, difficultatem parere, & illos ab ea absterrere queant; cujus rei in hoc ipso cap. habemus exemplum. Vel in ipsis doctoribus, talia vult exstare, quæ eosdem ab ejus doctrinæ receptione itidem possunt distinere; & quidquid contemtum parere potest; vel denique ea quæ homines plerosque capiunt, qualia sunt commoda mundi hujus, removet, & contraria potiùs ab auditoribus postulat, quæ omnia in Christi doctrina contigerunt; unde Christus ad suam doctrinam id peculiariter refert, quod in prophetis scriptum erat, *Et omnes erunt docti à Deo*; quasi nimirum antè, homines generatim à Deo docti non fuerint, cum tamen aliàs legem quoque Deus homines docuisset. Verum, quia in lege sua, Deus egit apertius, & cum quadam singulari pompa ac majestate, qua omnibus terrorem incuteret, & venerationem quandam legis in animis eorum excitaret, eam tulit, præterea terrena addidit commoda, aliaque similia, quæ plerosque homines ad se alliciunt; ideo aliquomodo negari potest, homines qui legem fuerant amplexi, fuisse θεοδιδακτους & rationem illius doctrinæ, non fuisse eam, quæ Deo sit propria. Ut ergo ad locum nostrum redeamus, ii demum dicuntur Christo traditi, à Patre, qui ita sunt comparati, ut Deum etiam occultius agentem, & voluntatem suam illis exponentem, audiant, ejusque ductum sequantur. Ii enim protinus ad Christum accedunt, animadvertentes ejus vocem, divinam esse vocem, & qui eam amplectatur, Dei ipsius doctrinam amplecti.

Alterum, hoc est, Descriptio fidei ipsius in Christum collocatæ est: *Veniet ad me.* Describitur per adventum quendam ad Christum, & veluti ingressum in ejus ædes (opponitur enim ejectioni foras. Foras autem ejicituris, qui ex ædibus, aut loco aliquo veluti concluso, extruditur.) Est apud me; id est in meis ædibus. Venit ad me; id est in meas ædes, quia quemadmodum is, qui ad aliquem venit, cum eo magis quam ante conjungitur, estque ea res, indicium quoddam benevolentiæ aut amoris cujusdam, erga eum, ad quem veniamus, saltem plerumque; ita etiam qui fidem habet verbis D. Jesu, cum illo conjungitur arctissimè, estque id amoris Dei, erga eum, argumentum.

Tertium est ibi. *Et venientem ad me, non ejiciam foras.* Effectus benevolentiæ Christi in eo collocatur, quod ait, Se eum non ejecturum foras. Persequitur Christus Metaph. jam cœptam, & benevolentiæ suæ ac benignitatis descriptionem, accommodat descriptioni fidei à se traditæ. Nam cum quis ad aliquem accedit, aut venit, præsertim in ejus ædes, tum locus ei rei est, ut vel admittatur, tamquam gratus hospes, vel etiam ejiciatur, aut expellatur. Prius istud benevolentia hospitis, aut Domini ædium, signum est erga hospitem advenientem; hoc contemtus. Quare cum D. Jesus vellet dicere se singulari benevolentia & amore complexurum eum hominem, & eum in curam suam & patrocinium susceptarum, & apud se locum daturum, vel in sua familia, ait se eum non ejecturum foras. Videtur autem minus dici, quam sit intelligendum. Nam quemadmodum non est hoc perfectum benevolentiæ hospitis, erga advenientem signum, quia illum non ejicit, sed cum etiam eum humaniter excipit & amplectitur, & quibus potest modis, ipsius adventum sibi gratum esse testatur, ita etiam non videtur esse hoc per se, sat magnum benevolentiæ Christi, erga aliquem testimonium, si is eum non repudiet, neque à se repellat; sed si etiam eum, cum singulari alacritate excipiat, & sibi fovendum sumat. Verum ut jam monuimus, hoc posterius, licèt verbis non videatur expressum, si ea prima fronte consideres, hic est intelligendum. Nam, qui non ejicitur à Domino Jesu foras, is ipsius gratia plenè perfruitur. Maluit autem D. Jesus, hoc modo loqui, quam dicere, se eum hominem libenter amplexurum, ut indicaret sæpe magnam esse causam, cur adventientem ad se, repellere queat, nempe ob delicta varia, & nonnulla etiam in ipsum commissa, antequam quis Christum agnoverit à Deo profectum; quales tum temporis erant Judæi, & postea futuri erant, qui D. Jesum etiam occiderunt, non tantum, antea contemserunt, & variis contumeliis affecerunt. Significat ergo D. Jesus, se nullam habiturum rationem pristinorum delictorum & injuriarum, sed ita cum iis qui ad se venerint, acturum, ac si nil in ipsum deliquissent. Id quod plus etiam, si penitus consideretur significat, & plus consolationis præbet, quam si dixisset, se, venientem ad se conplexurum. Potuisset enim aliquis cogitare, id de iis tantum intelligendum esse, qui D. Jesum antea non offendissent, sed ejus fuissent amici, cum hoc amicis ferè soleamus exhibere benevolentiæ. At cum dixit, se ejusmodi hominem, non ejecturum foras, indicavit se eum quoque admissurum, qui eum offendisset, & commeruisset, ut foras ejiceretur. Nam, vel necesse esset cogitare, D. Iesum, nimis esse inhumanum & crudelem etiam, qui etiam sine culpa alicujus, putaret quempiam foras posse ejici, quod nulla ratione apparebat. Vel cogitandum erat, eum inimicos etiam suos hac oratione complecti, cum homines ab humanitate non prorsus alieni, nonnisi adversus inimicos & quidem graviores, ea severitate uti soleant.

Hactenus prima pars. Sequitur altera. Ubi iterum primò ratio ipsa, qua sententia hæc Domini Iesu proponitur, confirmatur. Deinde declaratur ac fulcitur ỳ. 39. Quod ad confirmationem attinet, Ratiò petita ex fine muneris, divinitus sibi impositi, & à se recepti. Sunt autem consideranda duo. 1. Autoritas muneris, ejusque descriptio. 2. Finis istius explicato. Primum est in verbis *descendi è cœlo*, ubi authoritatem conciliat muneri suo inde, quod id divinitus seu cælitus sibi sit impositum, revera etiam cœleste sit. Finis ipse, declaratus est per antithesin. Nam primo ostenditur quis finis non sit. Deinde quis sit. Illud *non ut faciam voluntatem meam:* hoc est quod mihi aliàs placeret. Quale esset, inimicos meos ulcisci, & venientes etiam ad me, postea ejicere foras & prorsus repudiare; non quòd id voluerit D. Iesus, sed quòd velle id poterat, quemadmodum plerique homines solent, & caro etiam ipsius, per se id suaderet, licèt nullus apud ipsum suasioni illi relinqueretur locus. Quis sit finis ille, explicatur ibi; *sed*, scilicet, ut faciam, *voluntatem ejus qui me misit*, quæ in sequentibus declarat. Quod ad ỳ. 39 attinet; ibi finis ille declaratur, & simul ratio consequentiæ superioris argumenti explicatur, hoc est ostenditur, cur D. Iesus omnes qui ad se venerint, amplecti velit, eosque non ejicere foras. Venire ad Christum dicti sunt omnes illi, quos ipsi dat Pater.

Hic primò conſiderandum eſt, Quidſit illud, aut quomodo exprimat Chriſtus illud quod declarare vult. Deinde, quomodo declaret. Definitum & definitio. Prius eſt, Hæc autem eſt, voluntas ejus qui miſit me patris: ubi id quod ante expreſſerat, non adjicit; nempe quis ſit ille, qui eum miſerit; nempe pater. Quod ad ipſam declarationem attinet. Primò oſtendit Dominus Jeſus ſe omnibus in ſe credentibus fœlicitatem æterna ex Dei conſilio præſtare debere. Suntque hic conſideranda duo. Primum, Cui fœlicitas debeat præſtari. 2. Qua in re conſiſtat. Prius ita, Ut omne quod mihi dat. Poſſet deſcriptionem effectui, qui ſequitur propiorem Dominius Jeſus exprimere nempe ſi dixiſſet. Omnis qui ad me venit; præſertim quia in verbis illis verſ. 37. ad quorum probationem hæc pertinent, ita hos deſcripſerat, Et venientem ad me. Verum, quia in eodem loco dixerat. Omne quod mihi dat pater, ad ſe venire, jure potuit, hoc illius loco reponere, manente eodem ſenſu. Poſterius ibi. Nil perdam ex eo; ſed reſuſcitem. In duabus rebus, præſtantia illius fœlicitatis collocatur, vel ſi mavis per antitheſin explicatur. Nam primò interitum removet; ſeu Immunitatem abs interitu, illi ſe præſtiturum promittit, cum ait, Nil perdam ex eo. Deinde ipſam ſalutem, quam iis præſtare velit, pollicetur. Ubi primò conſideranda deſcriptio iſtius ſalutis. Deinde tempus. Deſcriptio eſt, Sed excitem illud. Via, ſeu medium ác cauſa proxima ſalutis expreſſa, ipſa ſalus intelligenda eſt, cum omnes illi, qui excitabuntur à Domino Jeſu, filii Dei ſunt futuri. Tempus eſt, Ultimo die.

Iohan. 10. *à verſ.* 1. *ad* 21 *finem.*

IN his verbis deſcribit nobis Johannes orationem Chriſti, qua docet ſe eſſe verum hominum præſertim proborum, Servatorem, animarumque curatorem à DEO datum: ejuſque orationis quoddam in auditoribus effectum. Orationis autem Chriſti duæ ſunt partes. Nam primùm ſe Servatorem eſſe hominum proborum docet, parabolâ quadam propoſitâ, ſeu potiùs ut proprie loquamur, parabolæ protaſi, non addita applicatione. Deinde toram comparationem explicat, & protaſin per partes quaſdam ita repetit, ut ſimul apodoſin ſeu applicationem adjungat. Prius facit verſibus quinque prioribus; quibus brevem clauſulam ſubjungit Johannes, qua exprimit eventum hujus parabolæ Chriſti, qui occaſionem ipſi præbuit eam quodammodo repetendi atque explicandi. Ad verba Chriſti quod attinet, certas quaſdam Servatoris hominum proprietates exprimit, oppoſitione contrariorum illuſtratas, ex quibus intelligi poteſt, ipſum nec quenquam alium eſſe verum hominum ſervatorem, & curatorem animarum. Proprietates autem commemorat numero ſeptem: quanquam earum una, ut poſtea dicemus, pro emblemate quodam haberi poteſt, aut pro alterius ad rem maxime facientis probatione.

Utitur autem in tota hac re explicanda ſimilitudine à paſtore ovium ducta. Cujus primam proprietatem à contrario illuſtratam proponit ℣ſ. 1 & 2. Et contrarium quidem quo rem illuſtrare vult, prius exponit, deinde id quod illuſtrare ab oppoſito voluit. Rem autem aggrediens authoritatem primùm ſeu mavis fidem orationi conciliat, quum ait, *Amen amen dico vobis.* Deinde rem proponens, ait, *Qui non ingreditur per oſtium in caulam ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro.* Ubi contrarium rei explicandæ continetur. Res vero ipſa explicanda, proponitur verſu 2, cùm ait: *Qui vero ingreditur per oſtium, paſtor eſt ovium.* Quaſi dicat, Is demum paſtor eſt ovium, non ille. Ideo autem à contrario ſtatim incipit, quia ut antea quoque monuimus, ita ſe paſtorem ovium eſſe docere hîc inſtituit, ut ſimul alios amoveat, & hoc nomine indignos eſſe oſtendat. Eſt autem proprietas in eo conſtituta, quòd verus ovium Paſtor per oſtium ingrediatur, non aliunde. Per oſtium autem hoc loco ingredi, quia id reſpectu paſtorum dicitur, aut ſaltem pro paſtoribus ſeſe gerentium, non reſpectu ovium, ſignificat, ratione ac via legitima hoc munus ſuſcipere atque aggredi. Legitima autem ea eſt quæ à Deo ipſo eſt conſtituta, indeque ducit initium. Illa autem via reſpectu principis paſtorum à DEO conſtituti, de quo hîc revera ſermo eſt, eſt vocatio ſeu miſſio ac legatio divina. Siquidem nemo tantum munus ſibi arrogare niſi DEO vocante, & munus hoc ipſi nominatim imponente potuit: cùm ne illi quidem qui in hoc ei munere ſubſervierunt primi, & authoritate ipſi proximi, ſine divino peculiari mandato munus hoc ſuſcipere atque obire quiverint. Sed ſi latiùs hoc extendere & vulgaribus etiam paſtoribus hæc eadem accommodare volueris, ſufficiet ea ratio quæ certis eſt legibus ac canonibus in Sacra Scriptura comprehenſa, & fidelibus præſcripta. Etenim ſi quis ea in ſe habeat quæ canones illi in Doctore ac paſtore Eccleſiæ alicujus particularis requirunt, is per oſtium quoque ingredietur, hoc eſt legitima via ac ratione munus ſuum aggreditur: quandoquidem januæ ipſi loco eſt divina illa conſtitutio, ac permiſſio quemvis ad Doctoris & Epiſcopi munus admittens, qui & ad docendum aptus eſt, & vitæ eſt inculpatæ. Unde facile etiam æſtimari poteſt cur ſtatuendum ſit eum eſſe furem ac latronem qui aliunde quàm per oſtium ingrediatur: quandoquidem ut monuimus hîc de principe paſtorum revera ſermo eſt, quod munus ſi quis ſibi arroget, niſi forte inſaniat, non poteſt non peſſimo id animo facere, nec niſi cum ſummo ovium id eſt hominum detrimento, ut furi ac latroni recte conferatur.

Secunda proprietas eſt expreſſa verſ. 3 initio, cùm ait, *Huic aperit janitor.* Quanquam id, tantùm pro præcedentis proprietatis probatione haberi poteſt; nempe quòd is demum ſit verus paſtor qui per oſtium ingreditur, quia huic demum janitor aperiat oſtium, non furi, non latroni, hominive ad oves nihil pertinenti. Sed interea tamen etiam huic rei id reſpondere poteſt, quòd huic demum qui verus eſt animarum curator & ſervator hominum, aditus aperiatur ad munus hoc perficiendum, & homines erudiendos atque ad ſalutem perducendos: quatenus illi ſubminiſtrantur vires, omniaque adminicula & ſubſidia ad functionem illius muneris neceſſaria. Quæ inſtructio, ſeu mavis adminiculorum ſuppeditatio, à legatione ipſa tanquam effectum à ſua cauſa diſtingui poteſt. Quod autem illi janitor aperiat, hîc autem DEUS paſtori aditum ad oves patefaciat, id quod attinet ad ſimilitudinem, per accidens eſt: nec neceſſe eſt, ut DEUS janitori reſpondeat, ſed ut inter effectus tantum utriuſque ſit comparatio, hoc eſt inter patefactionem aditus ad oves, illic proprie dictam, hic metaphorice ſic appellatam, quarum illa in apertione oſtii propriè ſic appellati conſiſtit, hæc in ſuppeditatione adminiculorum ſine quibus fruſtra hoc munus paſtor aggrederetur. Sed magis nobis placet ut hæc particula pro emblemate quodam habeatur, ſeu mavis pro illuſtratione ac confirmatione præcedentis. Alias ordo hujus & ſuperioris proprietatis inverteretur.

Tertia proprietas eſt, *& oves vocem ejus audiunt* ſeu agnoſcunt, & veri paſtoris ſui eam eſſe animadvertunt.

Quarta eſt, *& ſuas oves vocat nominatim.* Hoc eſt, ſi ad Chriſtum referas, ſingulas oves ſuas habet cognitas. Etenim ex effectu cauſa hic eſt intelligenda. In comparationis hujus apodoſi explicatur id infra verſ. 14.

Quinta proprietas eſt quòd *educat oves*, nempe ad paſtum, quod ipſius curam, quam pro ovibus gerit, ſignificat. Comprehendenda enim hic ſunt etiam ejus rei conſequentia, nempe quòd de paſtu illis proſpiciat.

Sexta eſt, quòd *cùm ſuas oves emiſerit antegrediatur eas.* Quod ad Chriſtum relatum, ſignificat eum exemplo

exemplo præire iis quibus ſervandis eſt deſtinatus, & non doctrina magis quàm factis rectum illis iter oſtendere.

Septima & ultima non tantùm exprimitur, ſed etiam ratione additâ confirmatur, & à contrario, uti & prima, amplificatur. Exprimitur, dum dicitur, *oves eum ſequuntur.* Quod ad Chriſtum relatum, ſignificat homines ſervandos, hoc eſt probos atque ad virtutem propenſos ei adhæreſcere, & ad ipſius ductum ſequendum ſeſe applicare, & exemplum quoque ejus imitari: quanquam prius magis placet. Ratio eſt à tertiâ proprietate verſ. 3. expreſſa ducta, nempe *quia norunt* vel agnoſcunt *vocem ejus.* Hoc eſt, ſi ad Chriſtum referas, quia animadvertunt ex ipſius doctrina hunc eſſe verum ſuum ſervatorem, & animarum curatorem, hunc magiſtrum eſſe ac ducem ſibi à Deo datum: quandoquidem ex ipſius doctrina appareat, eam eſſe planè divinam. Id quod probi animi homines facile animadvertunt: quia illorum animis qui ſunt ad Dei mentem veluti conformati, doctrina Chriſti meram ſanctitatem ſpirans, & tam divinum pietati præmium proponens, illis mirum in modum allubeſcit. A contrario tum ipſa illa proprietas, tum ejus ratio illuſtratur verſ. 5. *Alienum autem non ſequuntur* &c. quæ ex præcedentibus intelligi poſſunt.

Hactenus parabola Chriſti verbis propoſita: cujus eventus in auditoribus exprimitur verſ. 6. qui præbuit cauſam ſequentibus. Sequitur nunc altera pars ſermonis Chriſti, in qua, tota parabola ſeu comparatio aliquo modo repetitur, & ad rem applicitur. Et primum quidem mutata aliqua ratione ſimilitudine paulò antè propoſita, oſtio ſeſe comparat, & omnes qui ſervari cupiant, non per alium quemquam ſervari poſſe quàm per ſe oſtendit. Deinde ad rationem qua ſimilitudinem illam ab initio ſui ſermonis propoſuerat, reverſus, ea quæ de paſtore bono dixerat, vel ſaltem eorum ſummam ad ſe tranſfert, ac ſibi convenire docet. Prius fit verſ. 7. & tribus ſequentibus. Ubi primùm ſermoni ſuo fide denuo adſtructa ſolennibus illis verbis, *Amen, amen dico vobis*, rem ipſam ſeu ſummam comparationis proponit. Deinde eam non uno modo illuſtrat, atque repetitam explicat. Proponit dum dicit, *Ego ſum oſtium.* Ubi neceſſe eſt oſtii nomen aliter accipi quàm antea ſumtum fuerat, cùm non obſcure aſſeruit, ſe, ut pote qui verus ſit paſtor, per oſtium ingredi, ſeipſum ab oſtio manifeſte diſtinguens: & ſi quis recte attendat, quod antea paſtoris nomine extulerat, hic oſtii nomine complectitur. Nihil enim hic *oſtium* ſignificat aliud quàm medium ſalutis adipiſcendæ, ſeu medium per quod ii qui ſervari velint omnia quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt conſequi debeant, & ſine quo obtinere ea non poſſint: quemadmodum oſtium medium eſt per quod oves ad paſcua progrediuntur, & hoc pacto vitæ ſubſidia inveniunt, ut verſ. 9, explicabitur. Patet id etiam ex eo, quòd huic oſtio opponat fures ac latrones, quos antea verſ. 1 & 2, non oſtio ſed ipſi paſtori oppoſuerat, quod & Metaphoræ concinnitas poſtulabat. Cauſa autem cur hoc loco oſtio ſe comparare voluerit, ibi paſtori per oſtium ingredienti, alia oſtii ſignificatione, hæc eſt, quòd ibi primò ac præcipue ſeſe furibus ac latronibus voluerit opponere. Opponitur autem uti diximus paſtor furi, non oſtium. Quanquam in eo inter utroſque diſcrimen eſt, quòd ille per oſtium ingrediatur, hi autem aliâ viâ. At hic ſeſe ovibus quodammodo primò opponit, & tanquam unicum ſalutis adipiſcendæ medium illis ſeſe ſpectandum proponit. Quum ergo medium per quod oves ſalutem ſuam conſequuntur, hoc eſt paſcua ſalutaria, quibus vita ipſorum conſervatur, Chriſtus ipſe ſit, ideo ut ſe unum mediam ſalutis cauſam ovibus ſuis ſeu hominibus probis eſſe à Deo propoſitum doceat, oſtio ſe comparat. Verumtamen quia nihilominus hujuſmodi oſtium, ſimul eſt etiam paſtor, & eadem in re per ſimilitudinem deſignata utriuſque vocis vis eſt, ideo Chriſtus ſibi cùm oſtium ſeſe appellaſſet, fures nihilominus & latrones opponit quos paſtori antea oppoſuerat.

Ut igitur jam ad rei propoſitæ illuſtrationem accedamus, 1. à contrario rem illuſtrat, 2. eam repetens explicat, & cur ſe oſtium appellaverit aperit. 3. Rem hoc pacto explicatam aliquo pacto confirmat. Primum fit ℣. 8. ubi ait, *Omnes qui ante me venerunt fures ſunt & latrones, ſed non auſcultarunt eis oves.* Ubi eos deſignat qui in hoc munus populum ſervandi ſive aperte ſive minus aperte ſeſe ingreſſerant, idve ſibi arrogaverant. Eorum autem improbitatem deſignat, dum ait eos fures ac latrones fuiſſe *Fures* quia alienas oves rapere atque ad ſe pertrahere fuerunt conati, & in rem alienam, manus veluti injecerunt. *Latrones* quia venerunt ut mactarent & perderent oves, ut dicitur verſ. 10: Quorum arrogantiam atque impiam audaciam ab eventu illuſtrat & redarguit, cùm ait, *ſed non auſcultarunt eis oves.* Quaſi dicat: quos non eſſe veros paſtores ex eventu ipſo apparuit, quod oves hoc eſt homines animi probi, eorum vocem non agnoverint, neque iis aures præbuerint, eorumve perſuaſionibus locum dederint; quod feciſſent ſi illi veri fuiſſent paſtores, cum paſtoris vocem oves audiant, ut dictum ℣ſ. 3, 4, 5.

Rem deinde repetens & explicans, ita ait verſ. 9. *Ego ſum illud oſtium.* Hæc eſt repetitio propoſitionis. Explicatio autem, *per me ſi quis introierit ſervabitur, & ingredietur & egredietur & paſcuum inveniet.* Res ipſa paulò ante eſt explicata, & ſimilitudinis ratio demonſtrata. Sed obſervandum hic eſt, quod cùm dicitur *per me ſi quis introierit*, intelligendum eſt de introitu in ovile, quod Eccleſiam ſignificat, & de ingreſſu ovium non paſtorum accipiendum eſt, ut liquet. Quod autem poſtea dicitur, *& ingredietur & egredietur, & paſcua inveniet*; id additur ad explicandum illud quod dixerat *ſervabitur.* Quaſi dicat: nam quemadmodum oves per oſtium & ingrediuntur in ovile, ut ibi tutæ vel à lupis aliiſque feris, adde & furibus, vel etiam ab injuriis cœli ſint tutæ, & per idem egrediuntur ad paſcua quibus nutriantur ac vitam conſervent, ita eadem per me ſeu meâ unius operâ interveniente conſequetur, quiſquis meam doctrinam ſequutus in ovile fuerit ingreſſus, ſeu meis ſe diſcipulis aggregaverit. Nam & tutus erit à periculis hoſtiumque inſidiis, & pabulum habebit animæ ſalutare, omniaque ad ſalutem æternam neceſſaria.

Denique rem ita explicatam confirmat à fine ſui adventûs, quem à contrario iterum illuſtrat, ut ſimul id explicet quod ante dixerat verſ. 8. quòd qui ante ipſum venerint fures fuerint ac latrones. Hoc autem fit verſ. 10. ubi ait, *Fur non venit niſi ut furetur, & mactet, & perdat.* Hoc contrarium eſt rei quam vult illuſtrare, & ſimul explicatio ut diximus verſiculi octavi. Sed furis nomen hic etiam latronem complectitur. Subintelligitur autem hîc poſt verbum *perdat* nomen *oves.* Deinde alteram oppoſitionis partem ſubnectit, finem ſui adventus, iis quæ de ſe verſiculo 9. dixerat conſentaneum, exprimit illis verbis; *Ego veni ut vitam habeant, & abundanter habeant*, ſcilicet oves. Vitæ nomine non ipſam tantùm ſempiternam vitam complectitur, ſed & media ac ſubſidia omnia ad vitam illam conſequendam neceſſaria: ut videatur ea vox victum quodammodo deſignare, & paſcuis reſpondere, quibus vita ovium nititur, cùm vitæ abundantiam pollicetur ovibus ſuis. Quaſi dicat; Non tantùm habebunt ſubſidia quibus ſe utcunque ſuſtentent, ac vitam conſervent, ſed ideo veni ut omnia abunde illis ſuppetant quæ ad vitam & pietatem pertinent.

Sequitur alterum ſecundæ partis membrum, in quo ad ſimilitudinis rationem quam primo loco ſequutus fuerat, reverſus, eorum quę ibi dixerat ſummam ſibi applicat, quanquam cum quodam auctario. Etenim cùm

ibi se pastorem tantum verum ac legitimum esse ostendisset, vel indicasset potiùs, & se furibus ac latronibus opposuisset, hîc se etiam fidelissimum ac valde eximium pastorem esse demonstrat, seque mercenariis opponit, qui & ipsi pastores quidem sunt legitimi, sed non tamen prorsus veri, aut admodum fideles, nedum eximii. Incipit hoc membrum à vers. 11. & extenditur usque ad finem vers. 18. Ejus tres sunt partes. In prima & ultima agit de præstantia muneris sui, atque adeo sui ipsius, ratione habita proprietatum quæ in eximio ac fideli pastore requirantur. In media de ejusdem muneris præstantia agit, ratione amplitudinis ipsius, seu multitudinis ovium sibi concreditarum, hoc est hominum quibus servandis sit à DEO destinatus. In prima parte rem & proponit & demonstrat. Proponit vers. 11. initio, *Ego sum pastor ille bonus*, quam propositionem postea alio argumento demonstraturus, repetit initio vers. 14. Demonstrat duobus argumentis, à proprietatibus duabus vel tribus potiùs boni ac fidelis pastoris petitis. Prius est quòd ponat animam pro ovibus: posterius quòd & agnoscat oves suas & ab eis agnoscatur. Prius ita proponit, ut ejus primùm (si logicè agere velis) Majorem propositionem constituat, deinde interjecto secundo argumento ex secunda boni pastoris proprietate petito, Minorem adjiciat. Nam primùm vers. 11 & 12, per similitudinem oppositione illustratam docet, boni pastoris proprium esse ponere animam pro ovibus Deinde vers. 15. asserit sibi illam proprietatem convenire, seu animam se pro ovibus ponere. Quod ad illud attinet, in vers. 11. simpliciter asserit bono pastori hanc rem inesse: sed versiculi 12, ubi à diversis atque oppositis priorem rationem illustrat, hæc est vis, ut ostendat soli pastori bono eam rem convenire: quia ne mercenario quidem (nedum furi ac latroni) conveniat, cùm is tamen aliqua ratione legitimus sit pastor. Posterius argumentum proponit vers. 14. *Et* (quasi dicat Nam) *agnosco meas* (oves) *& agnoscor à meis*: & comparatione similium, seu mavis parium, illustrat: *prout novit me Pater, & ego novi Patrem.* Hoc argumento interjecto, adjicit alteram argumenti prioris partem vers. 15. *Et animam meam pono pro ovibus.*

Secunda pars quæ de amplitudine muneris Christi agit, exstat vers. 16, ubi significat gentes quoque ad suam curam pertinere, & eas servandi munus sibi à Patre datum esse, vel potiùs datum iri ostendit: quæ res ab effectis illustratur, 1. *& illæ vocem meam audient.* 2. illius consequens, *& erit unus grex, & unus pastor*, quasi dicat, sicut ut unus pastor.

Tertia pars est vers. 17 & 18. ubi ad prius argumentum seu proprietatem boni pastoris rediens, id illustrat, 1. ab effectu, 2. à causa efficiente. Illud fit vers. 17. ubi duo effecta proponuntur positionis animæ pro ovibus, 1. dilectio Patris, seu charitas erga Christum. 2. receptio animæ, seu resuscitatio. Qui duo effectus faciunt ad probandum, Christum libenter positurum animam pro ovibus, quod nondum fecerat, nec patebat auditoribus. Quî enim non poneret animam pro ovibus, cùm id ipsi majorem Patris amorem esset conciliaturum, & animam recepturus esset, ac si nullum inde detrimentum accepturus? Hoc verò, nempe illustratio à causa efficiente continetur vers. 18. ubi duplex causa ostenditur: altera in Christo, nempe libera ipsius voluntas, altera extra Christum, nempe mandatum Patris. Prior proponitur oppositione illustrata; *Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso.* Ubi occurritur tacitæ cogitationi. Posset enim quis arbitrari, Christum invitum id facere, remque ex hostium ejus qui animam illi ereptum irent arbitrio pendere. Quemadmodum contingit pastori etiam bono, qui mallet non ponere animam, sed cogitur: eripitur etiam invito sæpe anima à feris, quibus obsistere non potest. Non ita Christus. Igitur hac in parte bonum etiam pastorem superat, licet fidelem & ovium amantem. Deinde id quod dixerat confirmat: *potestatem habeo ponendi eam*; & à paribus illustrat, posteriorem positionis animæ effectum vers. præcedente 17 propositum, ut magis dubium, confirmaturus, dum ait; *& potestatem habeo rursus eam sumendi.* Quasi dicat, id in mea quodammodo potestate habeo ut etiam eandem recipiam. Jus enim ad eam rem habebat, ex promisso ac decreto DEI firmissimo pendens, quod ipsi eripi non poterat. Altera causa positionis animæ, est mandatum Patris: *Hoc mandatum* nempe ponendi animam, *accepi à Patre meo.* Quanquam id considerandum est unà cum annexa promissione de anima iterum sumenda: ita ut hic etiam effectûs illius confirmatio tacita contineatur, quin etiam simul probetur prior effectus, nempe quòd eum propterea sit dilecturus Pater. Quî enim non diligat eum propterea quòd suum mandatum, alioqui tam durum exsequeretur filius?

Tandem oratione Christi obsolutâ adjungit ejus eventum seu effectum Johannes, nempe diffidium Judæorum inde ortum. Quod proponit vers. 19. & explicat specialius per partes, seu sententias contrarias, vers. 20 & 21.

JOHANNIS CAP. XII.

* *

QUid fuerit alias inusitatum, & tum peculiare. Usitatum enim erat hospitum capita oleis & unguentis odoriferis inungi, ut conjici potest vel ex loco Lucæ 7. Pedes vero ungi non item. Factum autem id etiam esse ex ipsius quoque Marci historia, quæ sine dubio eadem est cum historia Matthæi, elici potest: cùm ait, confracto alabastro unguentum esse effusum in caput. Ex quibus verbis non temere quis colligat, ad pedes etiam id dimanasse. Cæterum convivii istius mentionem facit Johannes, non solùm quia occasionem præbuit facto Mariæ memorabili, sed etiam ut explicaret, quomodo animus Judæ avarus sese prodiderit, quamque ille occasionem ad Dominum sacerdotibus tradendum arripuerit.

Et Martha ministrabat. Id est convivium illud apparabat, tanquam ipsius præses & materfamilias.

Lazarus verò unus erat ex iis. Ille a Domino tantopere adamatus, tantoque ab eo beneficio auctus & cumulatus, fuit hujus convivii particeps. Commemoratur id propter ea quæ dicuntur infra vers. 9.

Vers. 3. *Maria ergo.* Quæ videlicet non esset ita ut ejus germana natu major occupata. Factum peculiare quod in illo convivio contigit: insignis Mariæ cùm amoris in Christum, tum modestiæ & humanitatis documentum. Quod ut Judæ animum suum prodendi, mulieremque carpendi occasionem dedit, ita Christo, sui defendendi necessitatem quandam imposuit. Facti autem istius magnitudinem ostendit, & non pepercisse illam sumtui docet, dum non exiguam aliquam portionem accepisse ait, sed *libram*, non olei ut aliàs solebant, sed *unguenti* ejusque non vulgaris, sed *nardi* quæ est odoris fragrantissimi, ejusque non cujuslibet, sed *pistici* quæ fuit pretiosissima: ideoque diserte addit *multi pretii*, ut doceat non nisi à tenerrimo & singulari quodam in Christum affectu factum id fuisse profectum. Porrò de voce πιστικῆς & ejus variis explicationibus, vide Bezam in Marc. 14. 3. Nobis omnium verisimillima videtur Sculteti observatio, qui ex quodam Medico notat nardum Opisticam (ab oppido cujus nomen esset Opis, quia inibi pararetur sic dictam) fuisse omnium celebratissimam & optimam. Dici vero hic pisticam, per ablationem vocalis primæ, *o* propter euphoniam.

Unxit pedes Jesu. Non quòd solos tantum pedes unxerit, sed ad majorem ejus modestiam & charitatem erga Dominum indicandam, illo quod alias fieri solebat non memorato, hoc tantum quod erat insolitum commemorat. Cujus tam charitatis quàm modestiæ Mariæ aliud documentum superaddit, quòd non contenta tam pretiosum unguentum in caput & pedes Domini effudisse, insuper *extersit pedes ejus capillis suis*, quibus aliàs fæminæ superbire & lascivire solent. Voluit videlicet his externis signis ostendere quàm vel omnes etiam opes omniaque ornamenta sua libenter in

in honorem Domini impendere parata esset, quàmque ut de Domino auguste & magnifice, ita de se anguste & tenuiter sentiret. Ad majorem autem facti istius exaggerationem, addit adhuc Euangelista, *Domus autem impleta est odore unguenti*, quod & miram unguenti illius fragrantiam, & non exiguam copiam fuisse indicat.

Vers. 4. *Dixit ergo quidam.* Consequens illius facti, reprehensio nempe a Juda Iscariote, qua aliud præ se ferens animum suum avarum prodit, dum factum magnopere laudandum reprehendere audet. Cæterum quod alii Euangelistæ dicunt, plures discipulos hoc Mariæ factum ægrius tulisse, quod videtur nostro contradicere, id vel ita accipiendum est, quasi per Synecdochen integri pluribus esset tributum quod unius tantùm esset, qua ratione latrones conviciati Domino dicuntur, cùm tantùm unus id fecerit, & qua ratione Jonas dicitur descendisse ad latera navis & dormisse Jon. 1. 5, cùm nonnisi ad unum latus dormire potuerit: vel ita ut hic quidem primus signum sustulerit, & in factum istud aperte insurrexerit, cæteri autem oratione ejus speciem honesti præ se ferente inducti, neque rem penitius introspicientes, illi quodammodo adsentirentur neque contradicerent. Nominat autem illum primò cum ait *Judas Simonis Iscariotes*, deinde describit, *qui erat eum proditurus*, vel ab eventu, quia id postmodum factum est, vel ex consilio, quia ad id quodammodo velut erat destinatus, ipseque jam tum de Domino prodendo cogitaret.

Vers. 5. *Quare hoc unguentum.* Oratio Judæ reprehensoria, qua sugillat factum Mariæ. Est verò modus loquendi concisus. Quasi dicat; Cur in rem parvi momenti tantus sumtus est factus? Sanè enim unguentum hoc trecentis denariis constabat. Quare si jam animus erat illud prodigere, satius erat id vendere, & pecuniam pro eo in usus longe utilissimos in pauperum videlicet necessitates erogare. Quod certe fructum aliquem eumque maximum poterat Mariæ afferre. Hoc verò cuinam est usui? quidve pro eo præmii quod est in caput & pedes effusum? quos si honorare voluit, potuisset id certè oleo pretii longe minoris exquisitissime & luculentissime præstare.

Vers. 6. *Dixit autem hoc.* Quia oratio Judæ plausibilis erat, & speciem aliquam honesti præ se ferebat, viderique poterat vir bonus, & cui pauperes essent curæ; ideo antequam referat quomodo illi Dominus responderit, & Mariam sit tutatus, suum de illius oratione judicium interserit, fontemque istius dicti aperit, ostendens non ab animo bono & pauperum curam habente, sed malo & avaritiæ pleno id fuisse profectum, quem ille voluerit isto plausibili prætextu velare, reipsa autem doluerit bonum sibi bolum velut è manibus fuisse ea ratione ereptum. Cùm enim ipse pecuniam quæ Christo pro ejus alimento conferebatur portaret, videbat ad se etiam illam pecuniam rediturum fuisse, unde ille postea quantum vellet abradere posset. Cæterum *marsupium* ipsi datum est à Domino portandum, ut ita vir malus & fur haberet alimentum avaritiæ suæ cujus erat mancipium.

Vers. 7. *Dixit ergo Jesus.* Quasi dicat; Hæc cùm ita diceret Judas, & cæteri simpliciores assentirentur, ut qui nec animum Judæ perviderent, nec facti ipsius rationem animadverterent, Jesus ad ejus dictum respondit. Responsio Domini qua factum Mariæ tuetur. Quod facit dupliciter: primò quidem dum ostendit constare illi rationem facti. Deinde cum rationem à Juda allatam refellit, nec tanti eam esse ostendit ut propter illam abstinere ab illo facto Maria debuerit. Cæterum quod alii Euangelistæ inducunt Christum pluribus respondisse, hic verò uni, id ex eo est quia unus tantùm apertè loquebatur, cæteri verò ut diximus assentiebantur tantùm, aut certè non erant principes istius reprehensionis. Sed quicquid illi dicebatur id ad alios etiam pertinebat.

Sine eam. Quasi dicat; Ne sis ipsi molestus, noli in illam invehi, rectè fecit, & constat bene ratio isti facto. Quandoquidem res ita cecidit ut videatur velut adservasse hoc unguentum ad me perungendum & funerandum. Quodsi autem non reprehenderes (est enim id usitatum) aut certe reprehendendi justam causam non haberes, si post mortem demum meam corpus meum inungeret, certè multo minus nunc reprehendere debes: cùm multo magis vivo mihi unctio ista prodesse possit, quàm mortuo. Jam autem mors mea instat, & illa aliquantum tantùm temporis antevertit (quod addit Marcus) ut velut consultò ad me funerandum istud unguentum videatur asservasse, tempus autem mortis exspectare noluisse, sed aliquantum antevertere maluisse. Quod autem Dominus dicit Mariam id ad eum funerandum fecisse, id etsi nonnulli ita accipiant, quasi illa afflatu quodam correpta consilio id fecerit, prospicienque instare mortem Domini, hoc exteriori signo ardentem in eum charitatem suam testari voluerit; verisimilius tamen est id totum quod ad Mariæ mentem ex accidente fuisse, neque illam de morte Domini mox futura quicquam scivisse. Solemus autem in familiari etiam colloquio rem ex eventu non ex intentione agentis judicare, eique gratias etiam agere quia aliquid fecerit quod in nostrum bonum redundarit, imò etiam ei tanquam id intendisset adscribere, etsi de eo ille ne cogitarit quidem, tantùm propterea quia res ita ceciderit, & hic eventus factum illius sit consequutus. Cæterum de voce ἐνταφιασμῷ, & quòd non sepulturæ, ut vulgò vertunt interpretes, sed funerationis notionem habeat, videatur Beza & Piscator.

Servavit Maldonatus hic argutatur, quasi dicat; dum ita effudit & prodegit eo ipso servavit, perditura nisi effudisset.

Vers. 8. *Pauperes enim.* Altera pars responsionis Christi, qua rationem Judæ speciosam refellit. Sensus est quasi dicat; Quando duobus necessario est benefaciendum, satius est illi benefacere quando se occasio offert, cui postea benefacere licet maxime velis non poteris, quàm illi quem etiamsi nunc neglexeris, sæpius postea juvare, & beneficentiam in eum tuam expromere possis. Quare utut verum sit curam habendam esse pauperum, satius tamen fuit mihi benefacere, quem non semper vobiscum habebitis: mox enim à vobis abibo, & frustra postea voletis mihi ejusmodi officia exhibere. Pauperibus autem quoties voletis postea benefacere poteritis, quia semper illi vobiscum erunt, semper erit in promtu occasio benignitatem eis exhibendi.

Vers. 9. *Cognovit ergo.* Tertia primæ capitis partis particula, qua refert quid postea successerit: nempe quomodo *multa turba ex Judæis* scilicet Jerosolymitanis ad illum accesserit Bethaniam, simulque indicatur causa adventus, nempe ut viderent non solùm Jesum, sed etiam Lazarum. Quod ipsum indicavit propter ea quæ sequenti versiculo habebimus. Cæterum vocula *ergo* non vim illativam hic habet, quasi hoc ex superioribus sequutum indicet, sed tantùm simpliciter connexivam, quod non est in Sacris Scriptoribus inusitatum.

Vers. 10 & 11. *Consultarunt autem.* Eventus seu consequens illius Judæorum ad Lazarum itionis. Deliberatio sacerdotum de Lazaro trucidando. Cujus causam exprimit statim, quia multi ex Judæis magnitudine miraculi facti circa Lazarum à Christo perculsi, non solùm Lazarum visitabant, sed propter eum etiam in Christum credebant, id est doctrinam ejus pro vera, & ipsum pro Dei legato ac populi magistro recipiebant. Animus illorum sacerdotum erat animo Christi contrarius. Hic servavit eum qui perierat: illi autem eundem perditum cupierunt, propter id-ipsum tantùm quia servatus à Christo erat & vivebat.

Vers. 12. *Postero die turba multa.* Secunda capitis pars quæ extenditur ad vers. 20. in qua narratur quomodo Christus urbem sit ingressus more insolito, & ut nunquam antehac fuerat ingressus. Cujus faciem depingit primò ex eorum qui ipsum deducebant mul-

titudine. Ait enim fuisse *turbam multam*, id est homines multos, quos hic describit à circumstantia quadam, cùm ait, *quæ venerat ad diem festum*, ut insinuet, non Jerosolymitanos qui maxime debebant id officii Domino præstitisse, sed alios ad quos id minus pertinere videbatur. Deinde causam adfert que illos ad Dominum deducendum invitarit, *quum audissent Jesum venire Jerosolymam*, id est, non à Domino conducti, aut ab aliis incitati, sed sponte & simulac inaudiverunt illum urbi appropinquare. Mirabile Dei consilium. Hostes ipsius verentur ne non veniat ad festum, & ideo rationes exquirunt ubinam inveniri & quomodo comprehendi possit. Deus autem invenit rationem quomodo illo ipso tempore maxime solenni & inusitata sibi ratione urbem ingrederetur, hostibus ringentibus, nec tamen manus ipsi injicere audentibus. Ita tum maxime filii sui honori prospiciebat, cùm ipsum maxime eversum & oppressum adversarii cuperent.

Vers. 13. *Acceperunt ramos palmarum.* Tertiò indicat quid illa turba fecerit. Facta autem recenset duo: primum quòd in manibus *ramos palmarum* tanquam victori & triumphatori præferrent. Alterum, quòd ipsi honoris ergo *obviam processerint*. Referunt alii Euangelistæ & tertium, nempe quòd vestimenta sua Domino substraverint. *Et clamabant* puta non solùm in itinere & extra urbem, sed in ipsa etiam urbe, imò & in templo, ut additur ab aliis. Quartò exprimitur quibus acclamationibus & ominibus Christum prosequerentur. *Hosanna* id est, opitulare quæso, scilicet filio Davidis, ut expresse addunt alii. Solennis acclamationum & congratulationum quibus omnia prospera regibus suis à Deo exoptabant, ritus, ideoque etiam peregrina voce ab Euangelista expressus: de qua plura ad Matthæum. Videntur autem hæc omnia desumta esse ex Psalmo 118. ℣. 25. *Benedictus* scilicet sit à Deo, Deus illi benedicat, *qui venit in nomine Domini*, id est, qui venit jussu & authoritate ac mandato Dei. Possunt autem ista verba & ita accipi, ille rex Israëlis qui venit in nomine Domini sit benedictus: & ita, ille qui venit in nomine Domini ut sit rex Israëlis sit benedictus. Sed prior sensus est potior.

Vers. 14. *Nactus autem Jesus asellum.* Quintò describit quomodo Christus invectus sit seu cui animali insederit. Quod quidem plenius pertractatur à Matthæo, quem vide. Nec contradicit hoc illi quod & apud Prophetam & apud Matthæum legitur, ubi significari videtur quasi tam asinæ insederit quàm pullo. Illorum enim verba per synecdochen accipienda, quasi dicat, insidebat pullo asinam consectanti. Sed de his plenius illo loco. Sicut & de eo quod filium suum Deus asino invehi voluerit, ad significandum, illum fore regem pacis non belli, & mitem ac mansuetum, quod etiam utrumque in loco Prophetæ præsignificatur. *Sicut scriptum est*, nempe à Zacharia Propheta. Sextò ostendit talem Christi in urbem ingressum, non temere seu fortuitò evenisse, sed multò antè per Prophetam fuisse prædictum.

Vers. 15. *Ne time filia Sion.* Testimonium Prophetæ: in quo citando non tam verba ipsa quàm rem illis comprehensam respicit. A Matthæo citatur plenius, quem vide.

Vers. 16. *Hæc autem non cognoverunt discipuli.* Historicæ narrationi interserit quandam velut notam seu admonitionem, qua docet, discipulos *primò* id est ante mortem Domini & cùm hæc fierent, *non cognovisse*, seu non animadvertisse, Dominum ideo asino vectum Jerosolymam introiisse quia id à Propheta fuerat prædictum.

Sed cùm glorificatus esset Jesus, vel ut de eo Petrus ait, dextera Dei Patris exaltatus, effudisset in eos donum Spiritus sancti, qui eos in cognitionem scripturarum introduxit, *tunc recordati sunt*, nempe ejus quod Christus fecerat, *& quod hæc essent scripta de eo*, illum nimirum ita ingredi debuisse. Porrò verba *& sese hæc illi præstitisse*, dupliciter accipi possunt: vel ut referantur ad discipulos, qui cùm hunc asinum tunc adduxissent Domino, postea cognoverunt, se cùm nihil tale cogitarent, Deo operam hanc præstitisse, ut vaticinium illud impleretur: vel ut respiciant ad turbam, quæ advenientem Christum ita honorifice excepit ut Propheta prædixit.

Vers. 17. *Testabatur autem turba quæ erat cum eo.* Adhuc immoratur illi honorifico Christi in urbem ingressui, aliud factum turbæ commemorans, ad gloriam Christi pertinens. Cùm enim alii faustis ominibus & acclamationibus Christum urbem ingredientem prosequerentur, *turba quæ erat cum eo* quando Lazarum vocavit è monumento, &c. *testabatur* videlicet de eo, eum esse prophetam & illum promissum olim Messiam, testabatur inquam dignum esse cui tales solennitates exhibeantur. Aut simpliciter, admiranda ejus opera recensebat, eorumque se testem esse dicebat. Ita enim putamus versiculum istum interpretandum esse, ut vox *testabatur* absolute ponatur, & ὅτι legatur id est *quando* pro eo quod alii legunt ὅτι id est *quòd*. Præterquam enim quod vulgata ipsa versio legit *quando*, & complures Græci codices habent ὅτε, versiculus etiam sequens qui causam aperit cur turba ei obviam processisset nostræ potius favet interpretationi. Testari verò aliquam rem esse factam, illius proprie est qui oculatus ejus testis fuit. At ista turba versiculo sequenti audivisse tantùm dicitur eum hoc signum edidisse.

Vers. 18. *Propterea etiam.* Causam denique aperit quæ illos ad tantum cujus supra meminerat honorem Domino exhibendum compulerit, miraculum videlicet in Lazaro à mortuis excitando editum.

Vers. 19. *Pharisæi ergo.* Id est, cùm igitur ista fierent, & Pharisæi id viderent atque audirent, mutuò se negligentiæ incusabant, quòd tamdiu distulissent capere maturum consilium, Christi conatibus occurrendi. Quasi dicant; videtis quam noxia sit nostra cunctatio, quàmque istis tergiversationibus, dum videlicet non audemus illum adoriri, malum istud aluimus.

Ecce mundus eum sequitur. Id est, adeò multos sectatores habet, & complures habiturus videtur, ut velut omnes cum illo conspirasse videantur. Documentum illius quod ipse cap. XI. versic. 9 dixerat, nihil videlicet posse adversarios fidelium etiam maxima potentia subnixos, quamdiu eis non fuerit permissum à Deo. Decreverant jam videlicet Christum occidere, & negotium jam certis ejus comprehendendi dederant, nec tamen cùm ultro & quidem cum solennitate ad se venientem vident, manus ipsi injicere audent.

Vers. 20. *Erant autem.* Tertia pars capitis, in qua narratur quid Christus dixerit feceritque Jerosolymis, quibus interjiciuntur quædam pertinentia ad eventum præteritorum. Particulæ ipsius sunt tres. Primò enim indicatur colloquium Christi cum diversis personis. Secundò quanta fuerit contumacia & incredulitas Judæorum, quòd licet tanta Christi miracula viderint, nihilominus tamen alii quidem penitus non crediderint in ipsum, alii verò crediderint quidem sed non professi fuerint. Tertiò refertur sermo & admonitio Christi ad illos qui credere in ipsum nolebant, quo causis in medium allatis ostendit eos necessario in se credere debere. Hoc autem versiculo narratur occasio primi quod habuit cum discipulis colloquii. Præbita autem ea fuit ab hominibus extraneis, qui Christum conventum volebant, nec tamen ipsi per se illum accedere audebant, sed per discipulos Christi aditum sibi parare tentaverant. Quod describit Euangelista ita, *Erant autem quidam Græci*, puta natione. Nam quod nonnulli putant ita appellari ab Euangelista Judæos illos qui inter Græcos dispersi habitarent, quod non est insolens, id consistere non posse ex eo ipso apparet quod eos ita describat, *qui ascenderant ut adorarent die festo*; si enim Judæi omnino erant, quid opus erat ejusmodi descriptione, cùm omnibus id ubicunque habitarent Judæis ex lege divina faciendum incumberet? Itaque potius inter alios quæritur, annon licet natione Græci & extranei, religione tamen proselyti, & ita

Judaico

Judaïco populo per circumcisionem insiti fuerint. Licèt autem id eruditi quidam statuant, hac ipsa illorum descriptione moti, contrarium tamen nobis potius probatur: cùm ob rationem qua usi sumus ostendentes illos non fuisse gente Judæos, tum verò quia non rectà ad Christum se conferunt, sed internunciis & velut parariis primò utuntur, mollem aditum quærentes ad Christum per discipulos: qui etiam nec ipsi statim audent rem Domino aperire, sed prius re inter se communicata, & sociatis velut operis. Quod nec illi nec isti fecissent proculdubio si ἕλληνες isti aut natione Judæi aut certe religione proselyti fuissent, cùm Christus omnes Israëlitas ad se promiscue vocaret, & illis sese communicaret. Ut autem de istis Græcis taceam, quos verisimile est suæ sibi indignitatis, quia ad fœdus Dei non pertinerent, conscios, minimè rectà Christum accedere ausos fuisse; discipuli ideo etiam fortè prius rem inter se contulerunt, quia sciverunt quid Christus de gentilibus dixisset, & illorum quomodo petitionem aliquando accepisset. Porrò voces ἐκ τῶν ἀναβαινόντων *ex ascendentibus* tam ita verti possunt ut vertit vulgata versio & Erasmus, *qui ascenderant*, ut præsens sit positum pro aoristo, quàm ita ut vertit Beza, *qui ascendere solebant*, ut significetur non fortuitum aut casualem adventum Jerosolymam Græcorum istorum fuisse, sed eum illorum fuisse morem & consuetudinem. Solitos autem fuisse etiam incircumcisos gentiles ad templum Jerosolymitanum ascendere, adorandi, id est religionis causâ, ex historiis doceri potest, & patet ex illo Enuchi Candaces reginæ exemplo. Quod etiam futurum prædixerat Salomon, 3 Reg. 8. 41. & Esaias 57. vers. 7. Denique vox *adorarent* idem significat quod colerent Deum secundum præscriptos in Lege ritus, holocaustis & victimis, quod nonnisi in templo illo fieri licebat: aliàs enim Deum orare & adgeniculari ipsi licebat ubique locorum. Verisimile est autem extraneos peculiarem aliquem in templo locum habuisse, à Judæis separatum, quia non liceret illis eò quò Judæis ingredi.

Vers. 21. *Isti ergo venerunt ad Philippum.* Puta cùm in ipsum incidissent, ipsi autem rectà Christum convenire non auderent. Ita nimirum facere solent ii qui suæ sibi vilitatis sunt conscii, de illius autem quem conventum volunt honore & authoritate magnificè sentiunt.

Vellemus Jesum videre, id est cuperemus te conciliatore Jesum salutare, alloqui, & notitiam cum illo contrahere. Metonymia.

Vers. 22. *Dixit Andreæ.* Tanquam ei qui fortè sibi erat maxime familiaris, aut qui ipsi primò occurrerat.

Rursum Andreas & Philippus dicunt Jesu, nempe desiderium & petitionem Græcorum aperiunt, quidque sit illis respondendum à Domino exquirunt. Apparet hinc quàm soliciti de illis fuerint, quia videlicet sciebant quàm se alienum tunc à gentibus ostenderet.

Vers. 23. *Jesus respondit eis dicens, venit &c.* Non directa ut quilibet videt responsio. Licèt enim verba per se considerata non sunt difficilia, quia tamen respondisse dicitur, non est res expedita quid illis responderit, & an rejecerit illos omnino, an verò admiserit. Nam aliquid tamen ipsum respondisse credibile est. Videtur autem fecisse quidem ipsis ad se aliquem aditum, interim tamen significasse, nondum planè tempus illud quo Græcis ad se pateret via advenisse, & licet jam appeteret ac maxima sui parte instaret, aliquid tamen prius intervenire debere, quo perfecto plenissime omnibus gentilibus aditum ad se patefactum iri. Id autem erat mors ipsius truculenta. Quasi dicat; Jam quidem venit tempus ut ego glorificer, & omnibus pateat me adeundi via, quare non est ulla causa cur à me arceantur isti; interim tamen nondum planè est eis via ad me patefacta. Moriendum enim mihi est antè, & quidem mors dira pro hominum peccatis subeunda, ac tum demum plenus eis ad me aditus patefiet. Alii hunc sensum esse volunt, quasi dicat; Non est quod nunc in me videndo sint occupati, sed mox erit quod videant, me videlicet morte affectum, invenient enim tum quod in me spectent. Alii denique omen & velut augurium glorificationis suæ Dominum ex ista Græcorum petitione captasse volunt: quasi diceret; quandoquidem jam extranei etiam ad me veniunt, jam instat tempus glorificationis meæ. Quod verisimile quidem est; sed nisi propter discipulos dictum statuatur, consistere nequit: cùm aliunde id optime cognitum & exploratum habuisse potuerit.

Venit hora id est, instat & appetit quadam sui parte tempus istud: quare non sunt amplius arcendi.

Ut glorificetur puta non solùm per ascensionem in cœlum & exaltationem, sed etiam per prædicationem euangelii gentilibus eorumque ad Christum conversionem.

Vers. 24. *Amen amen dico vobis.* Cùm versiculo antecedente innuisset non posse nec debere amplius extraneos a se arceri, quia jam immineat tempus glorificationis suæ, nunc deinceps significat nondum tum illos adhuc plenum ad se habere aditum, quia adhuc intervenire debuerit mors, qua devicta, & glorificatione obtenta, ille consequuturus esset. Quasi dicat; sed nondum tamen plenum ad me habent aditum, quia moriendum mihi primum est, antequam glorificer: postquam autem mortuus fuero, cùm ipse glorificabor, tum illis aditus plenissime patebit ad me quem nunc affectant paulò maturius. Rem per similitudinem proponit: cujus protasin tantùm exprimit, apodosin autem vult à nobis subintelligi. Quæ talis esse potest: Ita nec ego qui munere prophetico in me suscepto velut in terram cecidi, nisi moriar non glorificabor, ita videlicet ut & ipse ad eam quæ mihi destinata est gloriam non perveniam, nec alios mihi vectigales faciam, atque ita manebo solus, & irritus erit omnis labor conatusque meus. Comparat se videlicet grano tritici: cujus in terram missioni respondet muneris prophetici susceptio ex conditione ut moreretur. Tritici autem in terram jacti dissolutioni (quam hic mortem ejus appellat) respondet mors Christi.

Nisi fuerit mortuum, id est nisi per spiritum in illo semine latentem humore attracto & excalfacto dissolvatur.

Nullum fructum adfert. Per fructum istum plerique videntur intelligere id quod ad ipsos homines tantum esset ex morte ipsius redundaturum, nullà ipsius personæ Christi habita ratione, quasi id tantum hic voluerit dicere, quòd non esset fidem in hominibus effecturus eosque ad se pertracturus, atque ita labor illius omnis in hominibus Deo lucrifaciendis in cassum esset abiturus, nisi mortem subiret, qua consequuta fructum multum in hominibus ad se congregandis esset editurus. Sed videtur ad seipsum etiam respicere. Fructus enim & vigor grani, est ipsius grani ornamentum. Quasi dicat; non glorificabor nisi mortuus fuero, ubi autem mortem oppetiero, glorificabor ipse, in quo salus hominum continetur, quippe ea ratione omnes ad me traham, non Judæos tantùm, sed etiam gentiles, atque ita fructum multum adferam. Non is igitur sensus est quasi dicere velit, ubi mortuus fuero multi in me credent, qua ratione gloriosus evadam: sed potiùs is; Cum ego ipse glorificabor, & à patre meo ornabor, tum multos mihi producam filios, quod pars erit gloriæ meæ non exigua.

Vers. 25. *Qui amat animam suam.* A se transit ad alios, & inde vult capere documentum discipulos quid & ipsis faciendum sit si vera felicitate potiri velint. Etsi autem de aliis potius quam de se loqui videatur, oratio tamen ista ita generalis est ut nec seipsum excludere voluisse censendus sit. Quasi dicat; Non solùm autem ego ad gloriosum illum statum pervenire nequeo, nisi prius variis contumeliis affectus mortem eamque ignominiosissimam subeam, sed omnium etiam hominum eadem est conditio: adeò ut quicunque *animam* id est vitam suam *amat* puta magis quàm me, ut

ut patet ex collatione verborum quibus uſi ſunt alii Euangeliſtæ eandem Chriſti ſententiam exprimentes. Amat autem animam ſuam magis quam Chriſtum, qui ubi eò ventum eſt ut aut vita retinenda & Chriſtus abnegandus, aut Chriſto adhærendum & vita amittenda ſit, mavult vitam ſuam retinere quàm Chriſto adhæreſcere. De tali igitur homine dicit Chriſtus quod vitam ſuam perdat, id eſt, utut ille videatur ſibi ad tempus conſulere vitamque ſuam conſervare, revera tamen eam amittat, quatenus eà ſit privandus & morti eique æternæ adjudicandus. E contrario verò, *Et qui odit animam ſuam*, (& poſitum pro autem) id eſt, qui ubi eò res devenerit, ut alterutrum omnino ex commemoratis faciendum ſit, vitam potius in diſcrimen apertum projicere & ſe periculo mortis exponere, quàm me doctrinamque meam deſerere malit. *Odiſſe* vitam dicitur, non quòd ſimpliciter illam oderit qui hoc animo eſt affectus, ſed ſecundùm quid, & ſi res in comparationem veniat cum amore Chriſti, ut quia hunc anteponat vitæ ſuæ odiſſe quodammodo vitam ſuam videatur. Addit autem *in mundo hoc*, non tam locum exprimere volens in quo hoc ſit faciendum, quàm vitam hanc caducam, locumque ejus tacitè vitæ illi veræ & mundo futuro opponens. Quo tacitè inſinuare voluit hominem ejuſmodi animam ſuam non verè odiſſe, quia id reſpectu tantùm ſeculi hujus dici poſſit, reſpectu autem futuri minimè.

In vitam æternam cuſtodiet eam, id eſt, utut illam amittere videatur, revera tamen eam conſervat, & quidem ita ut eo ipſo cuſtodiat illam, quò tandem illi in vitam veram & nunquam ceſſaturam exeat, ipſeque ea perfruatur.

Verſ. 26. *Si quis mihi miniſtrat.* Adhortationem ex doctrina generali deducit. Quaſi dicat; Quare cùm ita res habeat, quicunque nomen ſuum inter meos ſervos profiteri vult, *me ſequatur*, ut in omnibus quæcunque illi præcipio, ita potiſſimùm in eo ut vitam etiam ſuam propter me profundere ſit paratus, ſeque mortis etiam periculo imò ipſi morti objicere non dubitet, quemadmodum me facientem videbit.

Adhortationi ſubjicit præmium quo ad ejuſmodi imitationem ſui vult ſervos ſuos inflammare, *Et ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit*, nempe in cœlo. Id eſt, ejuſdem generis felicitate qua ego coronabor & ille coronabitur. Nam in illo loco nemini male eſſe poteſt: Eſt quippe locus veræ voluptatis & felicitatis. Sermo ſumtus è communi loquendi ratione, quando heri promittunt ſervis ſuis bene illis futurum, quandoquidem lateri ſemper ſuo ſint adhæſuri.

Sum præſens pro futuro, nempe *ero* propter ſummam rei certitudinem.

Miniſter. Repetitur antecedens pro *ille*, more Hebræorum. Eadem phraſi veræ felicitatis donum deſcribitur infra cap. 14. ℣. 3, & 17. ℣. 24.

Et ſi quis mihi. Et poſitum pro *nam.* Explicat enim & illuſtrat ſuperiorem promiſſionem. Niſi quis malit poſitum pro *imò*, quaſi quid auguſtius promittat, licet res ſit eadem: quod videlicet ita ſimul cum Chriſto apud Patrem ſit futurus, ut illius etiam curam habeat Pater, eique honorem quodam modo exhibeat. *Honorabit eum Pater*, honore videlicet quo ſuperior inferiorem afficere poteſt, oſtendendo videlicet quàm ſibi charus quantoque apud ſe in pretio ſit, atque ipſum magnopere evehendo.

Verſ. 27. *Nunc anima mea turbata eſt.* In alium ſermonem, rei tum iſti de qua cœperat loqui ſervientem cumque ea conjunctum delabitur: & oſtendit, ſe cogitatione mortis ſuæ de qua mentionem fecerat animo vehementer conturbatum eſſe. Quo ipſo pondus adhortationi ſuperiori adjicit, & animum ad mortem propter nomen ſuum oppetendam addit. Audientes videlicet exhortationem Domini facile cogitare poterant, non ita ſibi eſſe in proclivi mortem cruentam ipſius cauſâ oppetere atque Chriſto, adeoque dicere; Facile eſt tibi tam audacter de tua morte diſſerere, noſque ad eandem propter tuum nomen ſubeundam admonere, qui ita es jam animo obſirmatus ut nullo mortis horrore percellare, cuique per ludum fortè & jocum propter vires cœlitus ſubminiſtratas, iſta cum morte lucta peragetur. At longe alia eſt noſtrum omnium ratio, qui viribus ejuſmodi penitus deſtituimur. Oſtendit igitur Dominus non eſſe ſui etiam atque illorum diſparem hic rationem, adeoque facile ſe perſpicere, quàm ipſis rem arduam & difficilem injungat. Eſt verò rationi maximè conſentaneum, propter hoc ipſum, ut videlicet in ipſo Chriſto exemplar haberemus, non aliàs tantùm ſed hoc ipſo maximè puncto Deum voluiſſe Chriſtum conturbari & animo percelli. Senſus & connexio cum antecedentibus videtur eſſe talis, quaſi dicat; Cùm autem alios ad id ut mihi miniſtrent, adeoque animam vitamque ſuam propter me perdant admoneo, adeò non ſum neſcius quàm arduam & difficilem ipſis rem præcipiam, ut ipſa mortis meæ conſideratione, & ſtatus ejus quem mox ſubiturus ſum imagine totus cohorreſcam ipſe.

Et quid dicam. Horum & ſequentium verborum ſenſus poteſt eſſe duplex. Unus quaſi dicat; adeoque anceps ac dubius ſum, ut propemodum neſciam quid ipſe petere & optare debeam: Num hoc? *Pater ſalva me ex hac hora*, id eſt libera me ab hac morte. Ut ſe corrigat ſtatim, & oſtendat non decere ſe id optare & petere: quia propterea venerit in horam hanc.

Reliqua deſiderantur.

Ioh. 13. 1. *ad* 18.

MOre receptum eſt hodiè inter Chriſtianos, ut facta & dicta Chriſti, quæ mortem ejus proximè anteceſſerunt, in hiſtrioniam quandam quotannis convertant, exiſtimantes, in eo ſitam eſſe Dei gloriam, ſi actiones Chriſti mimicum in modum effingant ac repræſentent, cùm interim facienda facere negligant. Nos verò ita actiones Chriſti conſideremus, ut eas nobis in ſalutis noſtræ commodum vertamus. Scopus hujus hiſtoriæ eſt, quòd voluerit Chriſtus diſcipulos ſuos, & nos eorum ſucceſſores, edocere modeſtiam cum charitate junctam; quæ duæ virtutes ita arctè inter ſe cohærent, ut una abſque altera nequeat eſſe perfecta. Ac primùm deſcribitur, quid impulerit Chriſtum ad hanc actionem, quâ exemplum modeſtiæ atque charitatis ſuæ diſcipulis exhibuit. Secundò ipſa actio. Tertiò colloquium Domini cum Petro ſuper hâc actione. Quartò quomodo Chriſtus explicet ſcopum hujus actionis ſuæ. Rem primam, quid impulerit Chriſtum ad hanc actionem, duobus modis exprimit. Primùm ℣. 1. *Antè feſtum Paſchæ, ſciens Jeſus quia venit hora ejus, ut tranſeat*, &c. Ubi & tempus, quo id factum eſt, deſcribitur, quòd id factum ſit antè feſtum Paſchæ, & cauſa impellens Chriſtum ad hanc actionem. De tempore non eſt nunc dicendi locus, cùm multò graviora hîc conſideranda veniant. Cauſa impellens hîc indicatur fuiſſe, Chriſti amor conſtans & perfectus ergà diſcipulos, quorum ſalutis erat ſtudioſiſſimus. *Quia venit hora, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem.* His verbis exprimitur mors Chriſti: aliter enim tranſire ex hoc mundo ad Patrem non poterat, quàm per mortem. *Diligens proprios, qui erant in mundo*, nempè diſcipulos, quos in mundo erat relicturus, ipſe verò ex eo diſceſſurus. Joh. 17. 11 dicit: *Non ampliùs ſum in mundo*, id eſt, poſt pauxillum temporis non ero, *& hi ſunt in mundo, & ego ad te venio. Ad finem dilexit eos*, id eſt, ſicut anteà, ità & jam moriturus, in ipſo fine vitæ ſuæ, ſpecimen amoris ſui ergà eos edidit. Alii *ad finem* interpretantur *plenè, perfectè*; quæ interpretatio etiam admitti poteſt. Hinc petenda *conſolatio*, quòd ſicut mors Chriſti fuit tranſitus in gloriam Patris, ita & mors noſtra propter nomen Domini Jeſu ſuſcepta non ſit futura interitus noſter, ſed tranſitus in cœlum ad vitam æternam. Chriſtus nobis propoſitus eſt in exemplum tam ſanctitatis, quàm felicitatis noſtræ, ſi ipſi in ſanctitate fuerimus ſimiles. Non eſt, quod horreamus mortem

tem pro Christo, aut ullas calamitates & afflictiones hujus mundi, si veri simus Christiani. Corroboremur igitur in Domino, & *intueamur fidei nostræ ducem ac consummatorem Jesum, qui pro gaudio sibi proposito sustinuit crucem, ignominia contemtâ, & ad dextram throni Dei consedit.* Hebr. 12. 2. Discamus ab eo, quæ nos docuit, & facta ejus imitemur; & tunc qualem ille habuit transitum ad Patrem, talem & nos habebimus. Ex Christi amore ac dilectione capiamus quoque tum consolationem, tum doctrinam, ut Christi exemplum sequamur in dilectione, & quò sumus morti propiores, eò majora specimina charitatis ergà fratres edamus. Cumque semel ingressi simus cursum vitæ Christianæ, ità curramus, ut ad finem usque perseveremus in currendo, nevè deficiamus.

Hactenus fuit prima causa quæ impulit Christum, ut in re humili & ipsius dignitati minùs decorâ ministraret discipulis, quò eis amorem suum testaretur. Altera causa sequitur, quæ expressa est ℣. 2, 3. *Et cænâ factâ, cùm diabolus jam misisset in cor Judæ Simonis Iscariotæ, ut eum traderet; sciens Jesus, Patrem omnia dedisse in manus suas, & se exivisse à Patre & ad Patrem vadere*: id est, videns Christus & considerans, jam appetere tempus gloriæ obtinendæ, quam ei assignarat Pater, nihilque aliud restare, quàm ut mortem obiret, ad quam se accingebat, duxit consultum, ut discipulis suis insignis modestiæ suæ exemplum relinqueret. Ponitur autem hîc præteritum pro futuro propter certitudinem. Hic & Joh. 5. 22, loquitur Christus in præterito de re futurâ: *Pater neminem judicat, sed judicium omne dedit filio.* Et ℣. 27, *Dedit quoque ei potestatem judicium facere, quia filius hominis est.* Ità etiam Joh. 17. *Ego gloriam quam dedisti mihi, dedi eis.* Quò propiùs jam instabat ejus exaltatio, eò magis se demittebat; & promoturus morte suâ opus salutis humanæ, voluit antè mortem jam propinquam exemplo suo discipulos ad submissionem excitare: quia posteà non ampliùs futurum erat tempus. Considerandum etiam hîc factum id à Christo, *cænâ jam peractâ.* Primùm comederunt Pascha, in quo fiebat commemoratio illius insignis beneficii, quod Deus exhibuit Israëlitis in Ægypto, cùm jussit Angelo jugulanti primogenita Ægypti transilire & prætergredi domos eorum. Hanc cænam jam absolverat Christus; secuta est posteà cæna Domini, quam Christus instituit ad mortis suæ commemorationem. *Cùm Diabolus jam misisset in cor Judæ Simonis Iscariotæ, ut eum traderet.* Diabolo adscribitur causa mortis Christi, non quòd coëgerit Judam, eoque nihil hâc de re cogitante effecerit, ut Judas Dominum suum proderet; habebat enim Judas liberum arbitrium, ut posset id facere & non facere, si voluisset: sed quia avarus erat Judas ac fur, facilè eum per illecebras avaro ac furaci animo allubescentes seduxit, & voluntatem ejus ad consentiendum huic facinori pertraxit. Potest Diabolus malas cogitationes injicere animis hominum, vel eas in ipsis excitare; sed id nihil nocere potest piis ac Dei timore munitis. Injicit Satanas quasi scintillas quasdam in corda hominum: si cor sit simile pyrio pulveri, mox igni corripietur, & exardescet; si verò sit aquæ simile, scintillæ illæ illicò extinguentur. Cor aptum & proclive ad deteriora protinùs arripit injectas cogitationes. Judas inhiabat omni occasioni lucri & quæstûs sive honesti, sive inhonesti. Libenter igitur occasionem se offerentem amplexus est, & dedit apud se locum cogitationi, quam cordi ejus Satanas injecerat. Caveamus nobis, ne concedamus locum & opportunitatem agendi in cordibus nostris Satanæ: semper præ oculis geramus verbum Dei ejusque promissa. Ubi viderit Satan, nos esse otiosos & ad malum pronos, iisdem rebus nos capiet, ad quas nos inclinatos ac propensos animo esse cernet. Itaque unicuique interest videre, ad quænam pronus ac proclivis sit, atque ex hâc parte sibi maximè cavere: nam illices mox ponet Satanas. Non potest homo absque gravi culpâ suâ obsequi Diabolo. Cogere ad peccatum is neminem potest vi; & sine consensu nostro nihil potest efficere. Deus non vult bona opera in nobis efficere sine nostrâ voluntate etsi posset: Diabolus autem vellet mala in nobis efficare, si posset; sed Deus non permittit ei, quia vult, ut sit locus virtuti ac vitio. Prætereà quò sumus præstantiores, vel dignitati alicui propiores, eò magis nos demittamus. Hoc idem etiam Ethnici docuerunt. Certemus cum Deo, ut quò ille magis nos donis suis extollit, nos tantò magis nosmet humiliemus ac deprimamus.

Porrò sequitur ipsa actio Christi, quâ docuit egregias virtutes: *Surgit à cænâ, & ponit vestimenta*, nempè superiora. *Et accipiens linteum, præcinxit se.* Prorsus se ità gessit, ut famulus qui domini sui pedes lavaturus, se præcingit linteo aliquo; atque ità assumsit formam servi. *Deinde injicit aquam in pelvim*, ipse scilicet, propriis manibus id fecit, non jussit sibi afferri ab alio, vel porrigi; ipse lavit pedes & absterset, servi instar.

Occasione hujus facti ortum est cum Petro colloquium: *Venit ergò ad Simonem Petrum.* Fieri potest, quòd ab eo cæperit, estque id valde probabile, nec verba ullo modo repugnant. *Et dicit ei ille: Domine, tu lavas pedes meos?* quasi dicat. Quid hoc rei est? tu es meus Dominus; ego sum tuus servus; & tu deberes lavare meos pedes? Non patiar, non feram. Indignum hoc est & te & me. *Respondet Jesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem posteà*; quasi dicat. Sine modò, noli repugnare, est certa causa, cur id faciam, quam tu ignoras, sed mihi constat facti mei ratio, & tu posteà id videbis & agnosces.

Reverebatur Petrus Dominum, & ipsum valde observabat: sed tamen peccavit refragando & reluctando ei. Debebat cogitare, Dominum esse sapientiorem, & meliùs scire, quid ipsum facere deceret. Nunquam est contendendum cum Domino, sed ei promptè semper obediendum: quia nos errare possumus, ille nunquam. *Dicit ei Petrus: Non lavabis pedes meos in æternum.* Paulò pertinaciùs se gessit. Ideò meruit acriori redargutione perstringi. *Respondit ei Jesus: si non lavero te, non habes partem mecum.* Id est, non eris amicus meus ampliùs. Durior videtur esse locutio, & non satis congruens cum charitate Christi, ut propterea tam rigidè agere cum Petro debuerit, etsi is non egisset pœnitentiam, cùm id ex modestiâ & reverentiâ Domini fecerit. Sed hîc Christus per similitudinem rei corporalis repræsentavit spiritualem: q. d. Tu non vis nunc à me lavari, & tamen nisi te lavero sanguine meo, cujus rei imaginem nunc lotione pedum exhibeo, nullum habebis mecum commercium. Innuit se morte suâ peccata nostra ablaturum. Tunc enim maximè assumsit formam servi cùm fuit raptatus manibus male feriatorum, & captus, & consputus, & illusus, & in crucem actus. Ità alibi dicitur, *Christum venisse, ut ministret, & det animam suam pretium redemtionis pro multis.* Matth. 20. 28. Christus lavit nos sanguine suo à peccatis nostris. Apoc. 1. 5. Hoc sanguine Christi omnes lavari oportet, qui servari cupiunt. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet eam sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* Eph. 5. 25. Ceremoniâ autem hâc voluit Christus effigiare & figurare illud, quod debebat facere magnâ cum ignominiâ suâ. Dicit ergò Dominus: Oportet, ut te lavem, si vis meus esse amicus: tu verò recusas etiam figuram & adumbrationem illius lotionis admittere; cùm id sit longè minus. *Dicit ei Petrus: Domine, non pedes meos tantùm, sed & manus, & caput.* Remisit de suâ obstinatione Petrus, ubi tam rigidam sententiam audivit. *Dicit ei Jesus: Qui lotus, est, non opus habet, nisi pedes lavare*, &c. Quasi dicat: Non opus est, ut & caput & manus tuæ laventur, es enim ex parte jam mundus. Sed etsi aliquis mundus esset toto corpore, tamen in Judæa opus erat, ut pedes lavaret, ubi moris erat nudis incedere pedibus, vel soleas tantùm gestare. Hinc tam multa in Sacris Literis de lotione pedum dicuntur. *Et vos mundi estis*, intelligo, ex parte, & certo modo.

Sed

Sed non omnes. Judas enim non erat mundus. Omnes indigemus lotione ac mundatione à Domino, ut fiamus ſponſa ejus ſancta, caſta, & Deo ac Chriſto ſimilis.

Reliqua eſt ultima pars hiſtoriæ, in quâ continetur ſermo Chriſti ad diſcipulos; quo exponit ſcopum ac finem hujus actionis, quid illa ſibi velit. Primum autem viam ſibi ad hujus rei expoſitionem ſternit, cùm ait: *Scitis, quid fecerim vobis?* Vult Chriſtus, ut non ſimpliciter in externum illius actionis corticem oculos defixos teneant, ſed aliquid aliud ex illâ actione diſcant. Alioquin enim intelligebant, quid Chriſtus faceret, & videbant, quod tanquam famulus ac ſervus pedes eorum laviſſet. Sed Dominus hâc interrogatione eis dat anſam aliquid altius ac ſublimius de hâc actione cogitandi. Ita enim ſolemus per interrogationes attentionem audientium nobis conciliare. Ità Philippus interrogat Enuchum Act. 8. 31. *Intelligis, quæ legis?* indicans hâc interrogatione, ſe poſſe ei locum explicare, ſi vellet. Quod doctrinam ipſam attinet, quam hîc proponit Chriſtus, duo in eâ conſideranda ſunt. 1. Quid voluerit hâc actione ſignificare. 2. Quibus argumentis ac rationibus diſcipulos ſuos exſtimulet atque exhortetur ad hæc & ſimilia facienda.

Prius continetur verſ. 13, 14, 15. *Vos vocatis me, Magiſter, & Domine, & benè dicitis; ſum etenim.* Exprimit his verbis ſuam dignitatem, quam habebat, & quam diſcipuli quoque agnoſcebant. Ut enim oſtenderet ſuam humilitatem ſummam ac modeſtiam, priùs proponit ſuam ſummam præſtantiam. Non eſt mirum, ſi quis humilis & infimæ conditionis homo aliquid humile & demiſſionem redolens faciat: ſed in eo eſt vera humilitas ac modeſtia, ſi quis dignitate præſtans faciat rem dignitate ſuâ inferiorem. Propterea Apoſtolus quoque Chriſti humilitatem, quam in morte ſubeundâ demonſtravit, deſcribere volens, prius expreſſit ejus ſummam dignitatem & excellentiam Phil. 2. ℣. 6. *Qui in formâ Dei exiſtens, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo. Sed ſeipſum exinanivit, formam ſervi accipiens* &c. A ſublimitate Chriſti deſcendit ad ejus humilitatem. Loquitur autem modeſtè de ſuâ præſtantiâ Chriſtus. Non dicit ſimpliciter: Ego ſum Dominus ac Magiſter. Sed ait: Vos me dicitis eſſe, vel ita me vocatis. Et hoc ipſos factitaſſe, ex Euangeliſtis conſtat. Cùm enim viderent, eum à Deo eſſe miſſum, & eſſe magnum illum Prophetam atque Meſſiam promiſſum ſeu Chriſtum; non ſunt contenti eum Magiſtri titulo ornare, ſed etiam eum Dominum ſuum vocitabant. Et ne quis exiſtimaret, eos hoc feciſſe è vulgari conſuetudine hominum, qui ſolent quemlibet appellare Dominum, addit Chriſtus: *Et benè dicitis, ſum etenim.* Magiſter ipſorum erat, quia eos docebat: Dominus verò quia aliquâ ex parte dominium ſuper ipſos habebat, ſed potiſſimùm quia Dei decreto ac conſtitutione erat deſignatus Rex ac Dominus cœleſtis. Dominium Chriſti perfectiſſimè cœpit ab ejus exaltatione, cùm factus eſt Dominus ac Chriſtus Actor. 2. 36. Sed jam etiam in terris aliquas dominii iſtius primitias habuit & exercuit. Nam ut Dominus mittebat diſcipulos, imperabat eis, & docebat eos tanquam poteſtatem habens. Ideò etiam dicit: *ſum etenim.* Jam tunc ſe Dominum eſſe agnoſcit, etſi nondum tam perfectè, ut nunc eſt, fuerit. Magiſter autem Chriſtus non vulgaris fuit, ſed perfectiſſimus & abſolutiſſimus, à quo diſci poterant omnia quæ ad ſalutem quoquo modo faciebant. Nobis ergò quoque ab eo & ab iis, qui ab illo edocti ſunt, diſcere plenam Dei voluntatem oportet. Etſi verò ſacra ſcriptura interdum commendans nobis modeſtiam ac humilitatem animi, eam appellat ταπεινοφροσύνη, humilem ſenſum Phil. 2. 3. 1 Petr. 5. 5. vultque ut alii alios arbitremur nobis eſſe præſtantiores: tamen id non eſt ità ſimpliciter ac propriè intelligendum. Chriſtus voluit hîc nobis proponere perfectiſſimum exemplum modeſtiæ, & tamen diſcipulos ſuos ſe ſuperiores ac præſtantiores eſſe non dixit, nec duxit, ſed ſe aſſerit eſſe magiſtrum, illos eſſe ſuos diſcipulos, ſe dominum, illos eſſe ſuos ſervos. Non in eo igitur ſita eſt animi humilitas, ut ſtatu & conditione ſias humilis, ſed in eo, ut licèt aliis ſis reipſâ ſuperior ac præſtantior, tamen ità te geras, tanquam inferior eſſes, ne te pudeat in neceſſitate aliis inſervire. Tantum cavendum eſt, ne in dignitate conſtitutus plùs tibi tribuas & arroges, quàm reverà eſt: hoc enim cum modeſtiâ pugnat. Demus operam, ne nos ipſos magnifaciamus. Simus parvi in oculis noſtris, ut ſimus magni in oculis Dei. Deo omnia feramus accepta, qui nobis dona ſua impertitus eſt ad mutuam ædificationem, non ad fovendam animi noſtri elationem, ſed ad ſui nominis gloriam. Ipſi enim debetur ſoli gloria: nobis confuſio. Quò quis majoribus donis ornatus eſt, eò magis ſe ſubmittat & aliorum uſibus conſecret. Porrò oſtendit Chriſtus ſuam humilitatem, & finem hujus actionis ſuæ tam humilis. *Si ergò ego lavi veſtros pedes, Dominus & Magiſter.* quaſi dicat; Ego qui ſum Dominus ac Magiſter id feci propter vos ſervos ac diſcipulos meos, cur non igitur vos ſervi propter me Dominum veſtrum & propter alium conſervum veſtrum debeatis idem facere? Finem hujus actionis monſtrat: *Et vos debetis alii aliorum lavare pedes.* Ideò ego Dominus hoc feci, ut vobis exemplum relinquerem, quomodò alii aliis etiam viliſſima ſervitia præſtare debeatis. Non vult Chriſtus, ut comœdia quædam & hiſtrionia inter nos exerceatur; uti exercetur à Chriſtianorum nonnullis, qui humilem hanc Chriſti actionem in meram ceremoniam & ambitioſam quandam pompam converterunt. Ponit hîc Chriſtus unam ſpeciem humilis ſervitii pro omnibus ſpeciebus. Itaque in morbis, inque aliis neceſſitatibus non debet recuſare frater fratri, ſoror ſorori ſervire. *Qui voluerit inter vos eſſe primus, ſit veſter ſervus.* Matth. 20. 27, ſervire autem debemus alii aliis *per charitatem.* Gal. 5. 13. ſervire per charitatem, res jucunda eſt, & facilis: ſed ex coactione ſervire, moleſtum eſt ac difficile. Videte ut matres ſerviant parvis liberis ſuis, & graviſſimas noctu & interdiu moleſtias eorum cauſa perferant: & tamen quia ex charitate id faciunt, grata eſt eis hæc ſervitus, quæ alteri graviſſima & oneroſiſſima foret, ſi ad eam ab alio vi cogeretur. Charitas ergò ante omnia nobis intuenda eſt, cum quâ ſi conjunctus fuerit animus demiſſus ac modeſtus, nullum erit tam vile officium, quod alter alteri, cùm opus eſt, non ſimus præſtituri. Qui ſervit alteri, is habet alterum quodammodò pro ſuperiori. Sed nos alii aliis cedere nolumus, & contrà quam jubet Apoſtolus, nos præſtantiſſimos, alios omnes nobis inferiores ducimus. Hinc ſæpius rixæ, invidiæ & æmulationes oriuntur. Inſcribamus igitur pectoribus noſtris illud Apoſtoli monitum: *Ne ſimus inanis gloriæ cupidi, alii alios provocantes, alii aliis invidentes.* Gal. 5. verſ. 26.

Videamus jam argumenta, quibus Chriſtus hanc ſuam doctrinam diſcipulis perſuadere conatur. Primò ait: *Amen, Amen dico vobis, non eſt ſervus major domino ſuo, neque legatus major eſt mittente.* Non debet ſervus velle & poſtulare, ut meliori conditione ſit, quàm dominus ejus: non debet id recuſare, quod non recuſavit dominus ejus. Quod verò Chriſtus hîc dicit, eum, qui mittitur, non eſſe majorem eo qui mittit, imo indicat eum qui mittit eſſe legato ſuo majorem, id ad Chriſtum ipſum etiam referri poteſt, qui ſe miſſum eſſe à Deo & legatum ejus eſſe profeſſus eſt, Deus ipſi mandata dedit, Chriſtus ſe ſubjecit ejus voluntati. *Deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam,* inquit Chriſtus ipſe, *ſed voluntatem ejus qui me miſit.* Joh. 6. verſ. 38. *Doctrina mea, non eſt mea, ſed ejus qui me miſit.* Joh. 7. 16. Fuit Chriſtus *obediens Deo uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Phil. 2. 8. Unde patet falſitas doctrinæ hodiernorum Chriſtianorum, qui omnimodam æqualitatem inter perſonas Deitatis aſſerunt. Cur verò non etiam aliquando Filius & Spiritus Sanctus mittunt Patrem?

Argumentum alterum ducitur ab utilitate: *Si hæc*

neve

noveritis, beati eritis, ſi ea feceritis. Ad ſcientiam & cognitionem rei adjicite etiam factum, ut opere ipſo impleatis, quod ſcitis, & tum demum beati eritis. Propter rei alicujus ſcientiam nudam nemo eſt beatus. Aditum tantùm & medium habet ad felicitatem ſerviens qui ſcit: ſed niſi faciat quod ſcit, & niſi medio illo ad felicitatem utatur, infelicior eſt qui ſcit, quàm qui neſcit. Undè dicit Petrus 2 Epiſt. 2. *Satius erat nunquam cognoviſſe viam juſtitiæ, quàm eâ agnitâ non obſervare ſancta præcepta.* Ut facere requirit ſcire, ità & ſcire requirit facere. Sine ſcientiâ factum non poteſt exiſtere, ſine facto ſcientia non poteſt valere. *Beati eritis*, nempe in æternum. Nam ubi erit modeſtia, ibi erit vera charitas, & omnes aliæ virtutes. Fides ſine operibus mortua eſt, ac proinde neminem ſalvare poteſt. Ad fidem requiritur ſcientia. Sic ergò ſcientiam & notitiam ſequatur fides neceſſe eſt, fidem bona opera. *Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata ejus non ſervat, mendax eſt, & veritas in eo non eſt.* 1 Joh. 2. 4. *Qui ſcit benè facere, & non facit, peccatum ei eſt.* Jac. 4. ult. Deus det nobis velle, & perficere. Amen.

Iohan. 20. à verſ. 1. uſque ad 19.

IN his verbis exponit Johannes quomodo reſurrectio Chriſti innotuerit primùm ipſius diſcipulis: eo ipſo nimirum die quo Chriſtus reſurrexit, & matutino quidem tempore, hoc eſt paulo poſt quam reſurrexiſſet. Quanquam verò hic inprimis habetur ratio Apoſtolorum, & oſtenditur quomodo illi ſive per alios ſive per ſe eam rem primùm cognoverint; narratur tamen etiam quomodo aliis & quidem mulieribus quæ in Chriſtum crediderant, & per eas porrò ipſis Apoſtolis, eadem reſurrectio cognita fuerit.

Duplex autem cognitionis illius modus oſtenditur. Primus eſt imperfectior, qui in eo conſiſtit quòd deprehenderint Chriſti diſcipuli ſexus utriuſque, Chriſtum non amplius in ſepulchro jacere. Alter perfectior, qui conſtat certis reſurrectionis illius teſtimoniis. Etenim per quoſdam veluti gradus Chriſtus ad pleniorem reſurrectionis ſuæ patefactionem, habita præſertim ratione Apoſtolorum ſuorum eſt progreſſus, ut fidei ſuæ exercendæ occaſionem haberent. Ideo non protinus ipſis Apoſtolis, imò nec cuiquam ſuorum vivum ſeſe exhibuit, antequam ex aliis indiciis, licet minus apertis, de ipſius reſurrectione conſtare poſſet. Nam primò id tantùm deprehendi voluit, non adeſſe ipſius corpus amplius in ſepulchro, & hac de re primùm omnium mulieribus conſtitit, & per eas Apoſtolis. Hinc Apoſtolis idem fuit annunciatum, & ab ipſiſmet agnitum. Poſtea & Angeli qui Chriſtum reſurrexiſſe teſtarentur, & poſt hos ipſe Chriſtus apparuit, ſed mulieribus, ut per has iterum res ad Apoſtolos deferretur: quæ res magis quàm prior illa ad fidem ejus reſurrectioni habendam impellere poterat. Quum verò nondum illi crederent, ſaltem plerique, apparuit ſeorſim Petro, ea re inprimis indigenti, & duobus Emauntem euntibus; ut ea res ad cæteros delata fidem eorum excitaret: quumque nondum ita ut par erat crederent, ipſis tandem ejus diei veſpere apparuit, eorumque in credendo tarditatem reprehendit: cumque non adeſſet eo tempore Thomas, ejus pertinaciam ultimo demum loco inter Apoſtolos expugnavit. Poſtea demum ad majorem progreſſus cœtum, in Galilæa, ut apparet, pluſquam quingentis fratribus ſeſe oſtendit. Hac ratione exploravit ipſorum fidem: quæ major fuiſſet ſi memores ipſius dictorum, quæ ex ore ipſius antea audiverant, etiam ad primum ejus rei nuncium, licèt non tam apertis indiciis nixum credidiſſent. Quæ ſubinde ſi ipſius meritum ſpectes, minor fuit, quanto diutius quantoque majora atque apertiora argumenta exſpectavit: licèt interea ob rei evidentiam eſſet firmior. Voluit nempe Chriſtus ad tempus ſaltem aliquod illorum virtuti hac in parte oſtendendæ materiam relinquere: quum poſtmodum eo rem noſtræ ſalutis cauſa perducere vellet ut de reſurrectione Chriſti dubitare non amplius poſſent. Itaque quum hoc poſterius ad noſtram ſalutem eſſet neceſſarium, de priori quidem cognitæ reſurrectionis Chriſti modo agitur uſque ad finem verſ. 10. De poſteriori verò inde uſque ad finem verſ. 18. Prioris membri iterum duæ ſunt partes: Primò enim narratur quomodo certa quædam fœmina Chriſti diſcipula cognoverit aliiſque indicaverit, Chriſtum ejuſve corpus in ſepulchro non amplius jacere. Deinde quomodo duo Chriſti diſcipuli ſeu Apoſtoli, & quidem præcipui idem exploraverint atque cognoverint. Prius narratur verſ. 1 & 2. ubi uti jam indicavimus, duo rurſus narrantur. 1. Quomodo illa rem iſtam quam diximus cognoverit. 2. Quomodo eam duobus Chriſti diſcipulis communicaverit, & ſic iis cauſam præbuerit idem inquirendi & oculis ipſis luſtrandi. Quam ob cauſam poſſet hæc particula referri ad ſequens membrum primæ partis: Ubi oſtenditur quomodo duo illi diſcipuli exploraverint ac cognoverint Chriſti corpus non amplius in ſepulchro jacere; quum illud hujus fuerit occaſio ſeu cauſa impulſiva. In priori particula deſcribitur diſcipula illa, nempe quòd fuerit Maria Magdalena, de qua apud Marcum dicitur, quòd ab ea ejecerit aliquando Chriſtus ſeptem dæmonia. cap. 16. verſ. 9. Quæ ſola hoc loco commemoratur, quia eam inter fœminas cæteras præcipuam fuiſſe, credibile eſt: unde & primo loco a tribus cæteris Euangeliſtis commemoratur: ac cæteris fortè incitamento ad ſepulchrum Chriſti adeundum, eumque ungendum fuit. Quò accedit quòd Johannes inferiùs quippiam narrare voluerit quod ad eam ſolam revera pertinuit, vſ. 11. & ſeqq. uſque ad finem 19. Deſcribitur & tempus: primò laxius, dum dicitur id factum fuiſſe *una* hoc eſt prima *Sabbatorum*, ſeu ſeptimanæ: ſecundò anguſtius ac ſpecialius, dum dicitur id factum fuiſſe *manè, cùm adhuc tenebræ eſſent.* Et modus quo ad eam cognitionem pervenerit, nempe quod *venerit* ad vel *in ſepulcrum.* Et denique res ipſa, ſeu mavis effectus, quòd *viderit lapidem ſublatum à monumento.* In quo continetur & ejus rei cognitio quod non exſtaret amplius in monumento Domini corpus, ut ex ſeq. verſ. intelligitur.

In poſteriori particula, ubi effectus continetur prioris, cauſa autem atque occaſio ſequentium, 1. oſtenditur ipſius diligentia quam adhibuerit, ut quam primum aliis eam rem annunciaret, quum dicitur eam cucurriſſe. 2. illi deſcribuntur ad quos primum venerit, & quibus proinde primùm rem hanc annunciarit: qui quidem ſunt Simon Petrus, & alius diſcipulus, nempe Chriſti, quem dilexerat Jeſus 3. Ipſa annunciatio, ejuſve modus, quòd dixerit ipſis, *ſuſtulerunt Dominũ meum* &c.

Sequitur jam alterum primæ partis totius hujus loci membrum, à verſ. 3 uſque ad finem 10. Ubi narratur quomodo duo præcipui ex Chriſti Apoſtolis, Petrus & Johannes eandem rem exploraverint ac cognoverint. Et primùm quidem narratur junctim quid fecerint ut rem hanc cognoſcerent, nempe quòd iverint ad ſepulcrum, quodque unà cucurrerint. Deinde ſpecialius narratur ac diſtinctius quomodo & hic & ille eo pervenerit, & rem cognoverit; & denique quomodo inde iterum reverſi fuerint. De priori nihil eſt neceſſe amplius dicere. Secundum exponitur verſ. 4. & ſeqq. uſque ad finem 9. ubi primo & ultimo loco de Johanne agitur, quomodo ille rem hanc exploraverit, medio autem quomodo Petrus. Nam de Johanne primum narratur quomodo ille rem quidem cognoverit, ſed nondum ita accurate inſpexerit: poſtea quomodo Petri exemplo motus, denuo, & quidem accuratius luſtraverit, & certam reſurrectionis fidem inde conceperit.

Prius fit verſ. 4 & 5. ubi dicitur, *Et ille alius diſcipulus præcurrit celerius quàm Petrus & venit primus* ſeu prior, *ad ſepulcrum, & cum ſe inclinaſſet, videt poſita linteamina, ſed non tamen eſt ingreſſus.* Quaſi dicat; ipſum tum contentum fuiſſe eo quòd deprehenderit Chriſti corpus non adeſſe, prout à mulieribus audierat, & viſis linteaminibus tantum ſine corpore, jam ſatis quodam-

modo habuiſſe, nec dubitaſſe ita ſe rem habere ut Maria Magdalena dixerat. Quanquam dubitare aliquis hic poſſet, putaveritne Johannes linteamine viſo corpus Chriſti non adeſſe, & non minus illis viſis, quàm eo deprehenſo quòd ſudarium quod ſuper capite ipſius fuerat, ſeorſim eſſet poſitum, ut poſtea & ab ipſomet. & à Petro fuit deprehenſum, arbitratum fuiſſe corpus Chriſti illo linteamine adhuc eſſe involutum: quandoquidem poſtea demum verſ. 8. narratur eum quum poſt Petrum ingreſſus eſſet monumentum, & idem quod ille vidiſſet, credidiſſe: quaſi tum demum crediderit eum reſurrexiſſe, non antea. Id quod non ita videtur habiturum fuiſſe locum, ſi etiam antea cenſuiſſet corpus Chriſti ibi non exſtare. Sed non auſim hic quicquam aſſerere: amplius eſt deliberandum. Deinde de Petro narratur quomodo is tempore quidem poſteriùs, ſed interim tamen accuratiùs rem luſtrarit atque cognoverit; verſ. 6. & 7. Tertiò denique narratur, quomodo etiam Johannes, exemplo nempe Petri motus, accuratiùs rem luſtraverit & cognoverit, indeque fidem reſurrectionis Chriſti conceperit, verſ. 8. & 9. Ubi primùm quomodo accuratius luſtraverit narratur, cùm dicitur, *eum ergo tunc etiam ingreſſum fuiſſe ſepulcrum, & vidiſſe*, nempe ea quæ Petrum vidiſſe in præcedentibus verſiculis dictum fuit. Deinde ejus rei effectus, nempe fides inde concepta, exponitur: & occupatione quadam objectionis illuſtratur. Exprimitur, dum dicitur, *& credidit*, intellige ex ſequentibus, Chriſtum reſurrexiſſe ex mortuis. Illuſtratio per occupationem objectionis eſt verſ. 9. *Nondum enim noverant ſcripturam quod oporteat eum ex mortuis reſurgere.* Hoc eſt, quæ ſcriptura teſtetur quod oporteat ipſum ex mortuis reſurgere. Poterat enim aliquis ita cogitare: quo pacto hic dicitur eum tum demum credidiſſe, nempe Chriſtum ex mortuis reſurrexiſſe, quum ſcriptura id teſtetur, eaque res fuerit ipſi aliiſque diſcipulis à Chriſto antea prædicta, & aliqua ratione explicata. Reſpondet ipſos antea nondum intellexiſſe ea Scripturæ teſtimonia, atque adeo nondum exiſtimaſſe Chriſtum à mortuis, præſertim tam cito tertia nempe die reſurrecturum. Dicimus autem tam citò, quia alioqui de reſurrectione mortuorum vulgaris fuit inter Judæos, nec ignota diſcipulis Chriſti ſententia, de qua ab ipſo Chriſto toties audiverant: neque ulla eſt ejus rei ſignificatio, quòd vel non intellexerint, vel dubitaverint. At de reſurrectione Chriſti peculiari, aliorum piorum reſuſcitationem antegreſſura, nec ſcripturæ teſtimonia intellexerunt, nec Chriſti ea de re dicta: uti nec ea quæ de morte ſua antea dixerat: quemadmodum apparet ex Mar. 9. verſ. 10. & Luc. 18. verſ. 31. & ſequentibus tribus. His ita expoſitis, denique ſequitur, quomodo illi reverſi fuerint, verſ. 10. *abierunt ad ſeipſos* id eſt in locum ſuum ubi antea habitarunt.

Sequitur altera hujus loci pars: Ubi oſtenditur quomodo Maria primo loco commemorata, ex certis teſtimoniis Chriſtum reſurrexiſſe cognoverit, & rem eandem diſcipulis annunciaverit. Primò ergo de cognitione illa, ſecundò de annunciatione agitur. Ad prius quod attinet, duplici teſtimonio cum apparitione quadam conjuncto cognovit rem tam lætam Magdalena. Prius fuit duorum Angelorum, poſterius ipſius Chriſti. De priori agitur verſ. 11. & duobus ſequentibus. Ubi primò antecedentia illius rei exprimuntur, verſ. 11. nempe quod Maria ſteterit ad monumentum flens extra, & quum fleret inclinaverit ſeſe in monumentum. Deinde commemoratur viſio vel apparitio duorum Angelorum, verſ. 12. *Et vidit*, inquit, *duos angelos in albis ſedentes, unum ad caput & unum ad pedes, ubi poſitum erat corpus Jeſu.* Quaſi dicat; habita nimirum ratione poſitûs corporis Chriſti. Tertiò alloquium iſtorum angelorum, ſeu cum fœmina illa colloquium, verſ. 13. nempe quod dixerint Angeli iſti mulieri huic, *Mulier quid ploras?* ipſaque reſponderit illis, *Quia ſuſtulerunt Dominum meum, & non novi ubi poſuerint illum.* Quanquam autem non ſatis ex hoc loco appareat, Angelos hos indicaſſe huic fœminæ Chriſti reſurrectionem, ſatis tamen id ex cæteris Euangelicæ hiſtoriæ ſcriptoribus conſtat. Quanquam fieri poteſt ut tunc quum hæc quæ Johannes hic narrat dicta fuerunt, non protinus id ipſi dixerint; ſed poſtea potiùs: quandoquidem Chriſtus huic colloquio intervenit, idque abrupit. Qua de re in ſequentibus ſtatim agit Johannes: ubi narrat quomodo Chriſtus Mariæ apparuerit, & cum ipſa colloquens, mandata certa ad diſcipulos dederit. Quomodo apparuerit Jeſus Mariæ, aut ea ipſum viderit, dicitur verſ. 14. ubi ait Johannes, *Et cùm hæc dixiſſet, verſa eſt retro & vidit Jeſum ſtantem, ſed non noverat quòd Jeſus eſt.* Poſtea ſequitur colloquium inter Chriſtum & ipſam. Et primum ea illius colloquii pars quæ exſtitit ante quam illa Chriſtum cognoſceret, verſ. 15. Deinde altera pars in qua Chriſtus à Maria agnitus. Ubi primò narratur quomodo eam Chriſtus proprio compellavit nomine. Secundò quomodo illa Jeſu inde agnito eum honorifice viciſſim compellavit, *Rabbuni.* Et denique quid is ipſi mandaverit. Duo priora ſunt verſ. 16, poſterius verſ. 17. Qui locus in tota hac hiſtoria maximè eſt inſignis. In eo duo continentur. Primò enim rem certam prohibet Chriſtus, ratione ejus expoſita. Secundò rem certam ad Apoſtolorum ſingulare gaudium pertinentem mulieri præcipit.

Prius eſt illic. *Ne me tangas, nondum enim aſcendi ad patrem meum.* Ubi, ut ab aliis viris doctis animadverſum eſt, non ſignificatur eam non attigiſſe planè Chriſtum: quandoquidem ex Matth. cap. 28. verſ. 9. conſtat, mulieres, inter quas & hæc ipſa Maria Magdalena fuit amplexas fuiſſe ipſius pedes, & ipſum adoraſſe. Sed perinde eſt ac ſi dixiſſet Chriſtus, ne ſis in me tangendo atque amplectendo occupata, quaſi me non amplius viſura, & ultimum mihi amplexum datura, atque extremum vale dictura: ſeu, quod eodem recidit, Deſine me tangere: quemadmodum verbi gratiâ dicitur, Ne fleas, hoc eſt deſine flere, ſeu noli amplius flere Luc. 7. verſ. 13 *Nondum enim aſcendi ad patrem meum.* Quaſi dicat; nondum ego jam in cœleſtem illam ſedem ſum tranſlatus: ita ut nunc è cœlis veluti extra ordinem veniens tibi appearam, non amplius tibi conſpiciendus. Vel, Nondum illud, ut ita dicam, iter ſum ingreſſus ut ad patrem meum veniam: adhuc vobiſcum aliquamdiu commorabor: ita ut poſſis adhuc ubi volueris me amplecti. Id autem propterea Chriſtus fecit, ne illa diutius hac in re occupata, diſcipulorum gaudium moraretur, ſed ad eos quàm celerrime properaret, ac tam lætum illis nuncium affertet; qua de re ita ſtatim ipſi præcipit: *Abi verò:* quaſi dicat; quin potiùs abi, *ad fratres meos, & dic illis, Aſcendo ad patrem meum* &c. Ubi duo præcipit, quorum alterum alterius præparatio eſt, & ad iſtud aditus. Primum eſt ut eat ad diſcipulos: quos ita deſcribit, ut ſummum erga illos affectum atque amorem declaret, & eorum ſimul dignitatem exprimat, quum ait, *ad fratres meos.* Fratres enim ſuos appellat Chriſtus iſtos, quia & ſibi fratrum inſtar ſint dilecti, & eidem cum ipſo felicitati, à Deo deſtinati, quaſi cohæredes ſuos, & patrimonii cœleſtis participes dixiſſet. Hac autem ratione tanto eos libentius deſcribit, quod eorum animos & morte ipſius contriſtatos, & conſcientia ſuæ ab ipſo in extremo ejus periculo fugæ dejectos, ac quodammodo proſtratos, erigere vellet; iiſque ſignificare, ſe non deſiiſſe ipſos deligere: nec tantum apud ſe ipſorum fugam ſuique deſertionem, & quorundam etiam abnegationem valere, quin ipſos & fraterno affectu ardentiſſimoque amore complectatur, & æternæ ſecum hæreditatis participes fore ſpondeat. Adeoque quanto propior erat cœleſti illi felicitati, ac gloriæ ad quam ſeſe mox evehendum eſſe, his ipſis verbis denunciari Apoſtolis voluit, tanto magis eandem, & ſingularem ſuum erga diſcipulos ſuos amorem, & cum iis conjunctionem ac neceſſitudinem teſtari. Ut ita conſtaret, non modo ante mortem non dedignatum fuiſſe diſcipulos ſuos, ſed ne poſt mortem quidem, quum ſupremæ felicitati atque imperio cœleſti eſſet proximus: nec credibile eſſe eum poſtmodum ipſorum oblivionem cepiſſe, eoſve vilipendiſſe.

Alterum eſt idque præcipuum, ut annunciet illis, illum non multò pòſt aſcenſurum eſſe ad patrem ac Deum ſibi cum ipſis communem. Ubi ratione dulciſſima, & ad Apoſtolorum animos mira lætitia implendos accommodatiſſima, deſcribit eum ad quem ſit aſcenſurus; dum eum & ſuum & illorum patrem, & eandem rem aliis verbis quodammodo repetens, Deum & ſuum & illorum vocat: hoc eſt ſummum benefactorem, qui potentiam ſuam ad ipſos juvandos ac beandos ſit converſurus; quemadmodum & ipſimet jam ex parte feciſſet. Quò accedit, quod quum his verbis ſignificare vellet, ſe non multo poſt ab ipſis diſceſſurum, indicare ſimul voluit id quod dolorem ipſorum quem ex ea re eſſent capturi minuere, atque adeo exſtinguere poſſet. Id verò eſt quod hac ratione ſignificaret & ipſi Chriſto & ejus diſcipulis hunc ipſius abitum profuturum. Quis enim dubitet, eum qui ad patrem ſuum Deumque ſuum abeat, ad ſingulare gaudium proficiſci? Præſertim ſi conſideres, quo pacto Deus Chriſti ſit pater; & quàm beata ſit illius ſedes, ac quantis voluptatibus referta: ac præterea quantum honoris filio chariſſimo in paterna domo ſit exſpectandum. Quam ob cauſam ipſe Chriſtus dixerat diſcipulis; *Si diligeretis me, gauderetis utique quòd dixerim vado ad patrem; quia pater major me eſt.* Joh. 14. 28. Diſcipulis autem ideo profuturus erat hic ad patrem & ſuum & ipſorum acceſſus, quòd fieri nequeat, quin chariſſimus filius fratribus ſuis omnia quæ illis ſunt neceſſaria à patre benigniſſimo eodemque præpotenti Deo, impetret. Unde ipſe Chriſtus Joh. 14. verſ. 13. fructum ſui ad patrem abitûs inter alios hunc commemorat, *quòd quicquid diſcipuli ipſius petierint, in ipſius nomine, id ipſe ſit facturus, ut glorificetur pater in filio.* Nec alienum eſt à mente Chriſti, ut ſignificetur his verbis, quemadmodum ipſe in cœlos ſit abiturus in quibus pater ipſius habitet, ita ipſis quoque in cœlos apertum iri aditum, quum & ipſorum pater ſit Deus. Cur autem illis ad patrem non ſit aditus? præſertim ſi eorum primogenito acceſſus ad eum patuerit. Voluit autem Chriſtus propterea hoc loco commemorare ſuum in cœlum aſcenſum, partim ut ſignificaret, ipſis properandum eſſe ut ſeſe conſpiciant, eo præſertim loco quem ipſis deſignaverat, hoc eſt in Galilæa, ut ex Matth. cap. 28. verſ. 10. apparet, quæ verba videntur à Johanne hoc loco omiſſa, propter id ipſum quod apud cæteros Euangeliſtas exſtent: quanquam apud Marcum & Lucam de Angelis tantum quòd ea de re loquuti fuerint, narratur. Deinde ut ſignificaret, fore ut gloria ac dignitas ejus augeatur, & ipſe in cœlum tranſlatus cætera quoque peragat quæ ad ſalutem & diſcipulorum & aliorum hominum pertinerent. Id enim fieri non poſſe, niſi ipſe ad patrem abeat, jam ſat fuſe eos docuerat antea quam moreretur; ut ex cap. 14, & duobus ſequentibus apud hunc eundem Apoſtolum liquet. Quaſi dicat; Poſtquam jam omnia ad ſalutem veſtram aliorumque hominum ſpectantia, atque in terris verſanti mihi peragenda perfeci, ipſiuſque mortis victor evaſi, jam nihil reſtat aliud, quàm ut cætera quoque omnia perfecturus, ad patrem & meum & veſtrum abeam. Meum, ut ab eo ſuprema felicitate ac gloria doner, & ipſiuſmet felicitatis atque imperii fiam particeps: veſtrum autem, ut ab eo obtineam, omnia, veſtræ quoq; felicitati ſervientia, ac locum vobis apud eum parem.

Supereſt altera poſterioris membri particula, nempe mandati hujus, Chriſti, effectus, ſeu annunciatio: qua rem tam lætam Maria illa ad diſcipulos retulit, verſ. 18.

F I N I S.

JOHANNIS CRELLII FRANCI

Commentarius

in magnam partem

ACTORUM APOSTOLICORUM,

& in

plurima loca

EPISTOLARUM PAULI APOSTOLI,

nec non

FRAGMENTA

in

I. Epist. ad TIMOTHEUM,

quæ in priori volumine desiderabantur.

IRENOPOLI

Post annum Domini 1656.

Commentarius in magnam partem
ACTORUM APOSTOLICORUM.

ACta *Apostolorum* dicitur hîc liber à potiori. Maximè enim Apostolorum gesta in eo commemorantur: licèt & alia, quæ ad constituendam Ecclesiam primitivam, & aliorum quorundam fidelium statum nominatim pertinent, hinc inde inspergantur. Complectitur autem historiam circiter 20 annorum. Partes ejus constitui possunt duæ. Prior extenditur usque ad caput 12, in qua ea potissimum quæ in Judæa & Samaria gesta sunt ab Apostolis, sive acciderunt, commemorantur, præmissis partim iis, quæ ad Apostolorum authoritatem spectabant; partim iis, quæ veluti fundamenta & initium quoddam sunt eorum, quæ posteriori parte de collectione Ecclesiæ ex gentibus continentur. Posterior pars ea, quæ Pauli inprimis ac sociorum ejus opera inter gentes vel præstita fuerunt, vel iis acciderunt, complectitur.

IN CAPUT I.

CApitis hujus tres sunt partes. 1. Transitio ab historia de Christo, ad historiam Apostolorum: 2. Ascensio Christi: 3. Electio & cooptatio Matthiæ in numerum Apostolorum.

Sermonem librum vertit Pisc. Non malè. Tam prolixus enim est iste sermo, ut librum constituat pœne integrum. *Cœpit.* Verbum hoc non initium tantùm significat, seu per Hebr. etiam sequentia includit. Sic Marc. 5. 17, 20. VI. 7. X. 20. Luc. 3. 8, infr. 2. 5. Casaub. notat hæc loca Gen. 2. 3. Luc. XI. 29. *Facere.* Sub factis Christi etiam passiones ejus comprehenduntur. Facta autem dictis præmittit, Lucas vel quia sunt illustriora, & magnam doctrinæ Christi authoritatem conciliant; vel quia plura Christi facta quam dicta historia sua Euangelica complexus fuerat.

Vers. 2. *Usque ad illam diem.* Diem ascensionis, ut ex sequentibus & ex reipsa satis apparet, intelligit. *Per spiritum sanctum.* Verba hæc vel cum præcedenti participio ἐνειλάμενος, vel cum sequenti verbo ἐξελέξατο cohærere dici possunt. Si posterius dicas, erit trajectio Sacris Literis non inusitata. Vide Bez. Et hoc sensu apertiùs videtur Lucas authoritatem muneris Apostolici commendâsse, quàm illo: quòd nimirum Christus Spiritu sancto plenus Apostolos ad functionem eorum elegerit. Ἀνελήφθη vel receptus vel sursum assumtus est, in cœlum videlicet.

Vers. 3. *Quibus se stitit vivum.* Cur Apostolis, non aliis promiscuè, vivum se exhibuerit post resuscitationem Christus causa est, quòd illi futuri erant testes resurrectionis ipsius. *In multis signis.* Id est, certissimis ac planè infallibilibus argumentis (quæ τεκμήρια appellari solent) demonstravit, se revera ex mortuis resuscitatum esse. *Per* 40 *dies* non quidem continuè, sed sæpiùs vel subinde. *Quæ de regno Dei*, id est de rebus ad regnum Dei spectantibus, de religione: quæ breviter alibi complexus est Lucas cap. 24. vers. 46, 47.

Vers. 4. *Et congregans.* Secunda pars capitis in qua ascensio Christi describitur ab antecedentibus, modo, & consequentibus. Antecedentia per colloquium Christi ante ascensionem cum discipulis habitum. συναλιζόμενος videtur potius mediæ significationis esse, & indicare Christum congregasse discipulos, quàm passivæ. Quamvis Beza dissentire videatur. Verbum χωρίζεσθαι *separare* in reciproca significatione accipiendum est: *ne se separarent*, id est discederent. *Promissionem* promissio pro *promisso.* Sic infra cap. 2. ỳ. 33. Hebr. 6. ỳ. 12. Promissum verò Spiritus sancti Servator intelligit: de quo prolixè Ioh. 14. 15. 16. *Quam audivistis* [*ex*] *me.* Mutatio orationis obliquæ in rectam. Sic infra cap. 17. ỳ. 3. Luc. 5. ỳ. 14.

Vers. 5. *Quia Johannes quidem.* Vel Christus ipse his omnino verbis usus vel potiùs Lucas verba Christi ad similitudinem verborum Baptistæ retulisse videtur. Verba Baptistæ extant Matth. 3. 11. *In aqua* particula *in* in quibusdam exemplaribus non habetur: redundat verò ex Hebraismo. Conf. Luc. 3. ỳ. 16. Infra XI. ỳ. 16. Verba autem Iohannis, quæ alias laxiorem significationem habent, & ad alios etiam fideles, præter Apostolos pertinent, hîc ad solos Apostolos restringuntur.

Vers. 6. *Interrogarunt illum*, &c. Quæstio hæc non ex verbis Christi nata, sed ideo Apostolis in mentem venisse videtur, quia eam rem subinde animo agitabant, maxime tum, cum existimarent tempus regni Christi (quod illi carnale ac terrenum fore, sibi imaginabantur, ut nominatim etiam ex petitione duorum fratrum Iohannis & Iacobi Matth. 20. videre est) jam instare. De iis enim quæ sic animo volvimus, etiam cum minùs opportunum est, quærere solemus. *Restitues.* Sic loquuntur, quia penè ademptum erat tum temporis Israëlitis regnum.

Vers. 7. *Non est vestrum nosse.* Id est vobis non licet scire, frustra estis ea de re solliciti, ut sciatis. χρόνους καὶ καιρούς *tempora & opportunitates.* Quidam hæc distinguunt, ita ut *tempora* generalius, *opportunitates* verò specialius quid, nimirum temporum articulos & commodas occasiones denotent. Sed nihil absurdi est, si ea synonyma esse statuas. Loquitur autem de tempore adventus sui ad judicium Christus. Non enim ex opinione discipulorum sed ex rei ipsius veritate illis respondet. Illud enim revera tempus est restitutioni Israëlis destinatum & à Prophetis sub variis allegoriis præcictum. *Quas Pater posuit in propria potestate*, id est quæ tempora Pater non tantum sibi scienda reservavit, verum etiam ita moderatur, ut ea vel protrahere vel contrahere prout ex hominum usu esse videat, possit. Id quod etiam innuere videtur Petrus 2 Epist. 3. ỳ. 9, dum ait: *Non tardat Dominus promissionem*, &c. Si enim tempus extremo judicio præcise destinasset Deus, non expectata hominum pœnitentia tempus illud ingrueret, nec recte dici posset, Deum longanimitate uti. Similiter de ultimis in Apocalypsi prædictionibus judicandum est. Etiamsi verò dicatur, Patrem posuisse tempora & opportunitates in sua potestate: non tamen hinc, excludendus est Christus. Cum enim à Deo sit constitutus rex populi divini & judex mortuorum ac vivorum, credibile non est, Deum diem judicii eum celare voluisse. Quanquam is dies post exaltationem demum ipsi innotuisse censendus est: quemadmodum & alia occulta Dei decreta. Vide de his Apoc. 5. ỳ. 5.

Vers. 8. *Sed accipietis.* Ratio connexionis triplex esse potest. 1. Ne sitis propterea solliciti, quòd tempora restitutionis regni Israëlitici ignoretis. Ignorantiam enim illam abundè compensabit donum Spiritus sancti, qui vos omnia docebit & ducet in omnem veritatem. 2. Non est vestrum curiose inquirere in tempora restituendi regni Israëlitici: hoc potius considerate, de quo antea dixi, vos accepturos Spiritum sanctum. 3. Ne sitis solliciti, quod tempora restitutionis regni Israëlitici vos lateant, quasi hac in parte felicitati

vestræ quicquam desit. Spiritus enim sanctus vobis loco regni erit. Quanquam ista omnia conjungi possint, ut sit sensus: Ne sitis tantopere solliciti de temporum articulis restitutioni regni Israëlitici destinatis. Vestra enim res non est ista scire. Quin potius hoc considerate vos accepturos S. S. qui vobis notitiam rerum ad salutem vestram aliarumque necessariarum utiliumque abunde suppeditabit, ac loco regni cujusdam vobis erit, & quidem longe præstantioris ac melioris, quàm vos mente volvitis. *Virtutem Spiritus S.* Genitivus est vel speciei, id est virtutem quæ est Spiritus S. vel effecti id est virtutem, quæ proficiscatur ex Spiritu S. *Et eritis mihi testes.* Effectus virtutis Spiritus S. describitur. Pertinent hęc ad authoritatem muneris Apostolici commendandam *Mihi*, id est de me, mea doctrina, factis, gloria. vide infrà c. 4. 33. *Et in Jerusalem*, &c. Loca designantur, in quibus testimonium Christo perhibere debeant, & quidem per quosdam veluti gradus. Hierosolymæ debebat fieri initium. Illa enim erat metropolis Judææ, & reipub. sedes. Id quod etiam olim à vatibus prædictum Esai. 2. 2, 3. Mich. 4. 1, 2. *Et in omni Judæa*, id est, in reliquis terræ Israëliticæ locis, non tantùm Hierosolymæ confinibus, sed & in Galilæa. *Et Samaria* Samaritani erant Judæis finitimi, & in religione velut æmuli, eundem Deum, licet adjunctis idolis, cum Israëlitis, similique modo colentes. Nam & templum in monte Garizim simile Hierosolymitano extruxerant, & sacrificiis aliisque ritibus more Judæorum Deum ibi colebant. *Et usque ad extremum terræ*, id est in toto terrarum orbe, etiam inter gentes.

Vers. 9. *Et hæc cum dixisset.* Ascensionis modus describitur in sequentibus. In historia Euangelica Lucas his, quæ Christum dixisse refert, addit, Christum jamjam abiturum discipulis benedixisse, id est bene precando valedixisse. *Videntibus ipsis* id est non disparuit, non fuit factus ἀφανὴς seu inconspicuus, ut alibi Luc. 24. 31; Sed sensim, ipsis conspicientibus, fuit sublatus. *Sublatus* scilicet divina quadam virtute, & quidem ad nubem usque, quæ eum postea excepit & ab oculis discipulorum sustulit. *Et nubes suscepit eum*, &c. Simile quid Christo accidit, quod olim fidelibus in adventu Christi adhuc viventibus continget, qui, docente Apostolo 1 Thess. 4. 17 rapientur cum iis, qui à Christo ex mortuis resuscitati fuerint in nubibus, in occursum Domini in aërem. Credibile autem est nubem hanc à discipulis aliquantulum vitam fuisse, quousque nimirum acies oculorum humanorum potuit pertingere. Consentaneum præterea est tum quoque Christum, mortalis corporis exuviis depositis immortali corpore indutum fuisse. *Ab oculis ipsorum* ne videlicet ipsis amplius conspicuus esset. Quanquam particula ἀπὸ etiam locum designare potest, quòd in ipsorum conspectu à nube fuerit sublatus.

Vers. 10. *Cumque intenderent oculos in cœlum* id est cum diutius oculos in cœlum haberent defixos, rati, eum fortasse mox rediturum. Hoc enim ex verbis angelorum colligi posse videtur. *Viri duo* angeli, ut ex ipsorum habitu & sermone facile est colligere. *In vestitu albo* ut splendor eorum tantò illustrior esset. Angelorum autem ministerio Deus hac in re est usus, ut discipuli de ascensionis Christi veritate planè certi redderentur.

Vers. 11. *Quid statis* id est, frustra oculis in cœlum defixis Christi reditum nunc expectatis. Quin potiùs in urbem reditis, &c. *Hic Jesus* Particula *hic* emphatica est, denotatque angelos in Dominum Jesum digitum quasi intendisse. *Ita veniet*, &c. in nube scilicet (vide Matth. 24. 30. xxv. 31. Apoc. 1. 7) gloriosa quadam & visibili ratione.

Vers. 12. *Tunc reversi sunt.* Consequens alterum ascensionis Christi: quod quodammodo fluit ex priori. Proculdubio enim tacito angelorum monito excitati in urbem redierunt. Describitur autem reditus iste ita, ut primùm indicentur ejus termini, tum à quo, tum ad quem; deinde recenseantur nomina Apostolorum; denique quid iidem cum aliis Hierosolymis congregati egerint. Terminus ad quem, primo loco generatim, medio terminus à quo, postremo terminus ad quē speciatim describitur. *In Hierusalem.* Reversi sunt Hierosolymam, ut ibidem ex jussu Christi expectarent promissum Patris. Vide suprà ℣. 4. *Ex monte qui vocatur Oliveti.* Terminus à quo. Mons oliveti vocatur, quia magna in eo fuit olearum copia. Additur descriptionis loco; *qui est prope Jerusalem Sabbati habens viam.* Id est, distabat ab Hierosolyma 2000 passuum. Tantum enim itineris spacium in Sabbato conficere licebat: quemadmodum alii notant. Est autem verisimile Christum non ex ipso montis vertice in cœlum ascendisse, sed à latere potius, quod Bethaniam versus spectabat. Bethaniam enim longius vertice montis Oliveti Hierosolymis distitisse, alii notarunt: quam tamen non longius Hierosolyma, quam 15 circiter stadiis distitisse, ex Johannis cap. 6. 18 constat. ἴχον pro ἀπέχον ponitur.

Vers. 13. *Et cùm ingressi essent.* His verbis quasi aditus quidam ad ultimam capitis partem continetur. *Ascenderunt in cœnaculum* locus specialiùs designatur. Cœnaculum autem istud videtur à discipulis Christi fuisse conductum, ut tanto commodius illic convenire, & divino cultui, expectantes promissum Spir. S. vacare possent. Vix enim credibile est, aliquem discipulorum Christi ædes quasdam proprias Hærosolymis habuisse. Hinc & ipse Christus antea discipulos ablegavit, ut sibi de diversorio prospicerent Luc. 22. 11, 12. *Ubi erant permanentes.* Id est ubi habitabant. *Petrus:* Catalogus Apostolorum in quo Petrus ut & alibi primas sibi vendicat, ob singularem suam præ reliquis, quorum veluti dux erat dignitatem. *Jacobus.* Hic Johanni præponitur propterea fortassis quia illo fuit natu major. Primo autem loco hi tres recensentur, quia Christo intimi, & ad illustriora quædam soli ab ipso admissi fuerant: ut ad resuscitationem filiolæ Jaïri, Marc. 5. 37. Luc. 8. 51. ad transformationem suam in sacro monte Matth. 17. 1. ad agonem in horo Matth. 26. 37. *Et Andreas.* Hic apud Matthæum cap. 10. 2. & Lucam ipsum cap. 6. 14, cum Petro conjungitur, propterea, quod illius frater erat. *Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus.* Alibi alius est eorum ordo. Nam apud Matt. cap. 5. 3 Thomas Bartholomæo, apud Marcum verò cap. 3. 18. & Luc. 6. 14, 15, etiam Matthæo postponitur. *Jacobus Alphæi* sci. filius: sic paulò post *Judas Jacobi*, sci. filius. Quæ Ellipsis frequens est in Sacris Literis. *Simon Zelotes.* Sic appellatur etiam Luc. 6. 15; apud Matthæum verò & Marcum *Cananites* quod cognomen idem significat quod Zelotes. Derivatur enim ab Hebræo *Kana* zelatus est. *Judas Jacobi.* Huic Matthæus & Marcus Simonem Cananitem postponunt. Eundem Matthæus Lebbæum, qui cognominatus est Thaddæus, Marcus Thaddæum simpliciter vocat.

Vers. 14. *Hi omnes erant*, &c. Ostenditur quid congregati unà egerint, nimirum quòd invigilârint precibus, fortassis cum jejunio conjunctis, ut Deus eos tueretur, maxime verò, ut promissum in ipsos Spiritum effunderet. Vox *unanimiter* notat eos non tantum animis inter se conspirasse, ac sine rixis & contentionibus cohabitasse; verùm etiam, & quidem potissimùm in negotio religionis, sigillatim autem in precibus idem actitasse & desiderasse. *Cum mulieribus.* Sic enim rectius vertitur, quod in Græco est, σὺν γυναιξὶ. quàm *cum uxoribus* ut Beza, & eum secutus Pisc. habent. Videntur autem illæ mulieres intelligendæ, quæ Christum secutæ fuerant ex Galilæa, quæ recensentur alibi Luc. 8. 2, 3. xxiii. 55. xxiv. 10. *Et Maria matre Jesu.* Hæc nominatim sigillatimque commemoratur ob excellentiam: quemadmodum alibi Petrus Marc. 16. 7. *Et cum fratribus ipsius.* Per *fratres* intelliguntur cognati ut rectè collegit Hieronymus ex collatione Marc. 15. 40. & Joh. 19. 25. cum Matth. 13. 55. Eorundem Christi fratrum fit mentio apud Matth. d. l. & c. 12. 46. & Ioh. 7. 3, 5, 10.

Vers. 15. *Et in diebus illis.* Tertia pars Capitis de electione & vocatione Matthiæ in locum Judæ proditoris: ubi duo sunt membra prius est sermo Petri ad electionem istam instituendam adhortantis: posterius modus ipsius electionis. Antequam verò sermonem Petri ipsum describat Lucas, priùs & tempus sermonis instituti totiusque quod gestum est, negotii; & ge-

& gestum dicentis & eorum numerum, qui sermoni ac negotio isti adfuerunt, commemorat. Tempus notatur verbis jam assignatis. Intelliguntur autem illi dies, qui intercesserunt inter ascensionem Christi & festum Pentecostes: Quotus verò ille dies fuerit scire nihil nostrâ interest. Licet Erasmus id pridie Pentecostes factum existimet. Sed id nos statuere nulla cogit ratio. Ante diem verò Pentecostes illud fieri necesse fuit, ut Matthias in numerum Apostolorum allectus, cùm iisdem tum temporis Spiritu sancto imbueretur, & ad functionem Apostolicam planè idoneus redderetur. Gestum dicentis describit Lucas, dum addit: *Exurgens Petrus in medio discipulorum.* Surrexit autem procul dubio impulsu quodam divini Spiritus excitatus ad dirigendum futuræ electionis Apostolicæ negotium. Id quod etiam ipse sermo ejus ostendit divina quadam sapientia plenus: quandoquidem in eo locorum quorundam scripturæ veteris sensus mysticus ingeniosissime ab ipso eruitur, & ad negotium præsens accommodatur. Præterea res ipsa postulabat, non nisi divinitus Apostolum, utpote legatum Dei in prædicando Euangelio, eligi. Non solent enim legati regum ab aliis, quam ab ipsis regibus eligi. Instinctu ergo divino factum est à Petro, quicquid in negotio electionis Matthiæ factum est. Nam si id ex peculiari mandato Christi fuisset susceptum, dubium non est, quin idem à Luca fuisset commemoratum. *Erat autem turba nominum in idipsum quasi* 120. Numerus eorum, qui tum sermoni Petri, tum negotio toti adfuerunt describitur: qui quidem per se contemnendus non est, sed tamen; si dignitatem Christi spectes, satis exiguus. In numero autem eorum discipulorum, septuaginta illos, si non omnes, plerosque tamen fuisse credibile est. Per *nomina* intelliguntur capita: quemadmodum etiam Apoc. 3. 4. & XI. 13, nominatim enim capitum numerus iniri solet. Dicuntur autem *fuisse in id ipsum* id est, unà congregati nimirum ad preces habendas & alia, quæ ad cultum Dei spectarent peragenda. Occupare autem ejusmodi tempus voluit Petrus, quo plures convenerant, partim ut in copia tanto melior posset institui delectus; partim ut tanto plures tam ardui negotii testes adessent.

Vers. 16. *Viri fratres.* Sequitur sermo Petri, in quo paulatim ad suscipiendum perficiendumque electionis Apostolicæ negotium progreditur. Primùm enim ejus caussas recenset: deinde ex illis hortationem suam infert, & rem tractandam proponit. Compellat autem eos: *Viri fratres* recepto inter Judæos more. Vide inf. 2. 29, 37. VII. 2. XIII. 15, 26, 38. XV. 7, 13. XXII. 1. XXIII. 1, 6. XXVIII. 17. *Oportebat impleri scripturam hanc.* Prima caussa suscipiendæ electionis, cujusdam ex discipulis in locum Judæ, quod ille ex Apostolorum numero fuerit. Deducit autem eam ex vaticinio quodam Davidico. Dum verò inquit *oportebat impleri Scripturam hanc*, Ostendit nihil ea in re, quod Iudas è numero familiarium & Apostolorum Christi fuerit, temere, sed destinato Dei consilio accidisse, idque jam olim ab ipso per os Davidis prædictum fuisse. Notandum verò est, Deum tale quid decreto suo constituisse, non nominatim de Iuda, antequam nasceretur, & malus esset, neque simpliciter; sed generatim de aliquo ex familiaribus Christi; & quidem cum conditione, si nimirum perversus aliàs esset, & dignus, quo ad tam detestandum proditionis Christi facinus abuteretur; ac denique in optimum finem, nempe salutis nostræ gratiâ. Quæ tria in omnibus ejusmodi Dei decretis notanda sunt. Per *Scripturam* autem *hanc*, cujus meminit Petrus, intelligitur id quod scriptum est ℣. 17: *quod annumeratus erat nobis*, &c. *Quam prædixit Spiritus S. per os Davidis.* Non enim scripturam propriè, sed id quod scriptum est prædixit Spiritus S. Prædixisse autem dicitur per Prosopopœiam in S. L. valde usitatam. Qua ratione etiam Scriptura dicitur *prævidere* Gal. 3. 8 & *loqui* Ioh. 7. 38. & 19. 37. Rom. 4. 3. Gal. 4. 30. Sensus ergo verborum Petri est, ea Davidem Spiritu S. afflatum prænunciasse. *De Juda.* Non nominatim, sed generatim. Nam quòd ea, si mysticum verborum Davidis sensum spectes, in Iudam quadrant, id totum ex eventu est. Secus enim aliter fieri non potest, quàm ut Deus caussa peccati Iudæ constituatur, Iudas autem reddatur excusabilis: quippe qui voluntati Dei ipsius voluntatem ad prodendum Christum occultè & intrinsecùs determinanti non potuerit resistere, ac proinde coactus fecerit quicquid fecerit, & sic ne peccarit quidem: cùm is demum *verè* peccare dici possit, qui potest etiam non peccare. Tum ergo demum Deus Iudam nominatim ad istud facinus designavit, cùm jam ipse malus & in hoc peccatum sponte sua ob insignem avaritiam suam, proclivis esset: & quidem ita, ut nihilominus ipsi liberum esset id non facere, licet justo Dei judicio ob antegressa scelera sibi relictus, Satanæque potestati permissus esset: si modo sibi ipsi vim quodammodo facere, & Diaboli insultibus masculè resistere voluisset. Describit autem eundem Iudam Petrus ita: *qui factus fuit dux illis, qui comprehenderunt Jesum* digitum intendens ad ea, quæ de ipso commemorantur in historia Euangelica, quòd cum impia militum ac ministrorum populi Iudaici turba egressus, locum illis ostenderit, ubi Christus soleret pernoctare, eundemque osculo prodiderit. Quod indicio est, eum velut antesignanum ac ducem præcessisse, aliisque in capiendo Christo viam præivisse.

Vers. 17. *Quòd annumeratus erat nobiscum* ὅτι hic εἰδικὸν est. Denotat enim, quænam illa scriptura fuerit, cujus antea Petrus fecerat mentionem. Refert autem non ejus verba, sed sensum eumque mysticum. Verba, quæ extant Psal. 41. 10, ita in Hebræo habent: *Etiam vir pacis meæ, in quo fidebam, comedens panem meum, magnificavit super me calcaneum.* Quibus verbis David conqueritur de perfidia vel plurium in genere, vel unius sigillatim ex amicis suis, qui cum antea familiarissime cum ipso vixissent, & ad mensam quoque ejus adhibiti fuissent, postea tamen ipsum non modo perfidè deseruerint, sed & contra ipsum insurrexerint variisq; injuriis affecerint. Mystico autem sensu verba hęc ad proditorē Christi pertinere, ipse Servator noster indicavit apud Ioh. 13. 18, ubi cùm dixisset, se scire quos elegerit: addit: *Sed ut Scriptura impleatur; Qui comedit mecum panem sustulit super me calcaneum*: quasi dicat; Etiamsi duodecim ex vobis ad functionem Apostolicam elegerim: tamen unus ex vobis se munere isto indignum, me proditurus, præstabit, eodemque excidet. Id verò temerè non fiet, sed ut impleatur Scriptura, quæ olim de me vaticinata est, fore, ut unus ex domesticis meis adversus me insurgat, & me hostibus tradat. Atque hunc sensum Petrus versiculi hujus 17 verbis exprimit, quod ad priora verba, *Qui comedit meum panem*, attinet. Nam ea proprie ad institutum Petri pertinent: licet etiam reliqua in Iudam quadrent. Annumeratum verò fuisse Iudam reliquis Apostolis, satis ex historia Euangelica, præsertim ex locis suprà citatis, in quibus nomina eorum recensentur, constat. *Et sortitus est sortem ministerii hujus.* Metaphora est ab iis ducta, quibus hæreditas aliqua sorte designata cedit vel si mavis, à sacerdotibus, quorum functiones sorte distribui solitas fuisse Lucas cap. 1. 9 innuit. Vocabulum *sortis* cum voce *ministerii* junctum, vel genus denotat, ut ita genitivus *ministerii* speciem exprimat, quasi dicat; sortem quæ est ministerium; vel partem ministerii Apostolici veluti totius alicujus. Sensus tamen eodem recidit, Iudam nimirum ex numero Apostolorum ac proinde domesticorum Christi fuisse. Sunt autem hæc verba priorum hujus versic. verborum explicatio quædam.

Vers. 18. *Hic ergo.* Transit Petrus ad alteram caussam instituendæ electionis Apostolicæ inde desumtam, quod Iudas miserè perierit, ac proinde locum muneris sui alteri alicui assignandi reliquerit. Sic autem inquit Petrus: *Hic quidem ergo acquisivit prædium ex mercede iniquitatis.* Non pertinebant quidem hæc ad Petri propositum: verumtamen quod cum interitu Iudæ ita fuerunt conjuncta, ut ejusdem effecta fuerint, voluit eadem Petrus inspergere, & quidem ideò, ut ostenderet, nihil in eo, de quo loqueretur, negotio temerè factum fuisse. *Acquisivisse* autem dicitur Iudas *prædium*, non consilio aut reipsa, sed ex eventu. Caussam enim

ipse duntaxat, præbuit, ut prædium istud emeretur, projectis in templum 30 argenteis, quos precii proditionis Christi loco acceperat. Vide Matth. 27. 5. seqq. Sic sæpe verba actionem significantia de eventu duntaxat intelligenda veniunt. *Ex mercede iniquitatis* ἐκ pro ἀντὶ, id est pro mercede. *Merces iniquitatis* vel per Hebraismum pro mercede iniqua, id est inique comparata ponitur; vel potius ἀδικία pro flagitio usurpatur.

Vers. 18. *Et pronus vel præceps factus* &c. Horrendum Judæ supplicium describitur. Credibile est, eum fune jam præligato cum desiliisset, fune rupto præcipitem factum ita in terram corpore impegisse, ut, ventre ac pectore rupto, viscera maximam partem effunderentur.

Vers. 19. *Et notum factum est seu innotuit* &c. Referenda hæc sunt ad remotiora, quæ de acquisito agro pro mercede injustitiæ, vers. 17. dicta sunt. Hoc enim est illius quoddam consequens, ad fidem ei conciliandam comparatum. Quanquam etiam ea, quæ de horrendo Judæ interitu proximè commemorata sunt non paucis innotuisse certum sit. *Adeò ut appelletur*, &c. Comprobatur idem ex adjuncto prædii nomine *Propria dialecto. Dialectus* pro *lingua* ponitur, ut seq. cap. ỷ. 6. Existimant alii intelligi Dialectum Hierosolymitanam, quæ discrepârit à Galilæorum dialecto [ut colligere est ex Marc. 14. 70.] qua usus fuerit Petrus; alii verò, & quidem rectius nostra sententiâ, existimant in his verbis emphasin quandam esse, & indicari, facinoris à Juda commissi in propria Judæorum linguâ in nomine agri proditionis precio emti extare. *Akeldama* Chaldaicum vel Syriacum est, *Ager sanguinis*, Metonymicè dicitur, quod precio sanguinis emtus fuerit.

Vers. 20. *Scriptum est enim.* Sequentia duo ex Psalmis desumta testimonia literali sensu ad hostes Davidis, vel saltem ad unum aliquem ex illis eumque insignem speciatim pertinent: mystico autem ad Judam sigillatim referuntur: quemadmodum ille locus qui supra ỷ. 17 fuit adductus. *Fiat commoratio ejus deserta*, &c. Verba petita sunt ex Psal. 69. 30. Sensus est: pereat ipse cum tota posteritate ac familia sua. Quod quidem sensu primo exceratio est hostium Davidis, qualis olim sub lege fuit licita; mystico autem sensu vaticinium potius de miserabili Judæ & posterorum ejus interitu ac maledictione. Quanquam hæc maledictio tacitam conditionem annexam habet, nisi videlicet à vestigiis parentis recesserit, & ejus flagitium insigni pietate compensarit. Non solet enim Deus impiorum parentum sobolem, si nulla ipsorum culpa accedat, & si in viis suis ambulent, solius impietatis parentum caussa punire. Vide Ezech. 18. 2 seqq. *Et, inspectionem ipsius.* Particula & vaticinium hoc ex Psal. 109. 39, desumtum cum superiori copulat: Ideoque etiam ὑπόστιγμὴ à sequentibus sejungenda est, quemadmodum etiam exemplaria multa habent. *Inspectionis* voce, quæ in fontibus est *Pekudah*, munus seu functio intelligitur. Quemadmodum enim ea, quæ sedulò curamus, crebro inspicere solemus: sic & officia muneris sedulò facienda, ac crebrò quasi oculis lustranda sunt. Intelligitur autem hic, si ad Judam respicias munus Apostolicum.

Vers. 23. *Oportet igitur.* Conclusio præcedentium, & propositio sequentium, ostendens, quæ agenda sint; nimirum, aliquem in locum Judæ ad Apostolicum munus eligendum esse. Duo autem simul commemorat, alterum qualis, alterum quem in finem sit eligendus. Particula *oportet* non tantùm ad præsentem illum actum, sed etiam ad ea omnia, quæ tum qualitatem eligendi, tum finem electionis concernunt referenda est. Ostendere enim vult Petrus non tantum aliquem in numerum Apostolorum cooptandum esse, verùm etiam omnino videndum esse quis & quo fine eligatur. *Ex iis qui nobiscum convenerunt viris* ostendit qualis sit eligendus, nimirum, qui cum reliquis Apostolis ab ipso initio Christi concionibus ac miraculis aliisque ipsius & circa ipsum factis interfuerit, eorum auditor spectatorque extiterit. *In quo ingressus & egressus est.* Id est quo inter nos versatus ac munere suo functus est. Sic enim phrasis hæc etiam alibi usurpatur Deut. 28. 6. & 31. 2. 1 Sam. 18. 16, & 29. 6. 1 Paral. 27. 1. 2 Paral. 1. 10. Psal. 121. 8. *Incipiens à baptismo Johannis usque in diem* &c. terminum temporis utrumque, à quo, & ad quem, ut vocant, describit. *A baptismo Johannis* illud tempus denotat, à quo Johannes suo munere perfunctus fuit. Tum enim Christus suum munus Propheticum cœpit cum Johannes in carcerem conjectus fuit: ut patet ex Matth. 4. 12 seqq. *Baptismus* autem Johannis per synecdochen totum ipsius munus denotat, cujus illustrissima & maximè in oculos hominum incurrens pars erat. *Qua assumtus est*, sc. in cœlum de quo paulò superiùs. *Testem resurrectionis ipsius fieri.* Finis electionis, ut sit testis resurrectionis Christi. Hoc enim erat potissima Apostolicæ functionis pars, ut constat ex locis sequentibus Act. 2. 32. 3. 15. 4. 33, & 5. 32 conf. præced. 10. 40, 41. 42. Resurrectionis autem vox etiam reliqua, quæ eam consequuta fuerunt, imperium videlicet, majestatem ac gloriam Christi in se complectitur. Quanquam qui resurrectionem credit, etiam reliquis facile fidem adhibet. *Nobiscum unum eorum.* Epanalepsis, qua perspicuitatis causa, ob metathesin, qua usus fuerat utitur vel Petrus vel Lucas sermonem Petri descripturus.

Vers. 23. *Et statuerunt duos.* Jam Lucas ad rem ipsam & modum electionis describendum accedit. Duplex verò fuit electio: prior duorum, ex quibus alteruter eligeretur; posterior unius ex illis. Quæri hic potest, cur Apostoli non potiùs Deo vel Christo rem totam commiserint, quàm ipsi ad electionem Apostoli descendere voluerint. Facilis autem est responsio, primò quidem, quicquid factum est, divino instinctu ac gubernatione factum esse. Deinde voluisse Deum, ut prudentia humana hic aliquem haberet locum, & ut multorum testimonio constaret, illos maximè dignos Apostolico munere fuisse, qui tam unanimi omnium consensu fuerint electi. *Joseph appellatum Barsabam.* Nominantur qui fuerint electi. Sunt qui existiment hunc Josephum eundem esse cum Jose, qui cognominatus fuit Barnabas, cujus sit mentio infrà cap. 4. 36. Et sanè magna est nominis Joseph & Josis, (quanquam & illic quædam exemplaria legant Joseph) Barsabæ & Barnabæ affinitas. Verùm quia ille Joses infrà sic describitur, ac si nulla ejus antea fuisset facta mentio, non est credibile eum cum hoc Josepho eundem esse. Iosephum Matthiæ quod præmiserit Lucas, hæc fortasse caussa est, quod postea de ipso nihil ampliùs dicturus, sed de Matthia historiam pertexturus erat.

Vers. 24. *Et precantes dixerunt.* Modus electionis describitur, ubi cùm media, tum eventus commemorantur. Media fuerunt adhibita, duo, preces, & sortes. Aoristus προσευξάμενοι cum verbo ἔπειν conjunctus vim præsentis habet. Quod etiam aliàs fieri amat: vide Matth. 10. 5. 2 Pet. 2. 6, 15. Hebr. 1. 3. 7. 27. 9. 12.

Tu Domine cordium scrutator omnium, supple *hominum.* Domini nomine Deum intelligunt. Nondum enim ita majestatem Christi agnoverunt, ut auderent ad absentem & in cœlis agentem preces dirigere: quod postea tamen ab ipsis crebrò factum, postquam Spiritus sanctus Christum glorificasset, id est, de gloria ipsius testatus fuisset. Describunt vero ipsum hoc epitheto, quòd sit *scrutator cordium omnium* hominum sc. quia ad eam rem, quam ab ipso precibus impetrare volebant scrutatione cordium opus erat. *Ostende*, signo videlicet aperto. Non est autem credibile, eos Deo quasi limites certos præscripsisse, & simpliciter rogasse, ut omnino alteruter duorum istorum in numerum Apostolorum allegeretur; sed si alteruter eorum ad tantum munus esset aptus, eoque dignus quod tanquam probabile ab ipsis ponitur. *Quem elegeris*, id est qui tibi placeat. *Accipere sortem* electionis finis. Vox *accipere* etiam cum verbo *ostende* construi posset: sed verisimilius est eam cum antecedenti verbo

bo *elogeris* connectendam esse. *Sortem ministerii hujus* vide suprà ℣. 17, *& Apostolatus* particula & explicandi vim habet. Est enim in his verbis nihil aliud quam explicatio præcedentium. *Ex quo transgressus est.* Verbum παρέβη rectè hîc à Tigurinis redditum est prævaricatus excidit. Revera enim duorum verborum vim habet. *Ut abiret in locum suum*, id est, ut periret. Qui enim pereunt in locum aliquem migrare videntur supplicio eorum destinatum. Verba autem ista ad eventum potiùs, quàm ad consilium referenda sunt. Revera enim Judas transgressione sua id non quæsivit, ut periret.

Vers. 26. *Et dederunt sortes eorum.* Alterum electionis medium, sortes. *Dare sortes* hîc idem est quod jacere. Quis verò modus jaciendarum sortium fuerit, quodammodo patet ex Prov. 16. 33 ubi ita scriptum est: *Sortes nittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* An verò etiamnum hodie in explorandis rebus dubi is atque occultis sortibus uti liceat, dubitari non immeritò potest: cum res ista aliquid miraculosi in se continere videatur. Sed sciendum est in eo non peccari si primùm res sit admodùm ardua, maximè verò quæ ad gloriam Dei insigniter pertineat: deinde, si quousque rationis acie pertingere possumus, progrediamur, & tum demum, ubi aqua nobis hæreat, Deum consulamus: denique si preces ardentissimæ adhibeantur. In rebus enim levibus nodisque qui prudentia humana dissolvi possunt, Deum consulere velle, est Deum tentare, & sacrosanctum ejus nomen profanare. *Et cecidit sors super Matthiam.* Eventus precum & sortitionis. *Et annumeratus est.* In Græco est συγκατεψηφίσθη quod propriè significat suffragiis allectum esse. Sed hic simpliciter pro annumerari ponitur. Nisi velis dicere, ad id respici, quod antea antequam res Deo per sortes decidenda committeretur, per suffragia electus ab Apostolis aliisque fuerit: quod tamen dici non est necesse.

IN CAPUT II.

TRes sunt hujus Capitis partes: 1. Historia effusionis Spiritus Sancti in Apostolos, cum quibusdam ejus eventis: 2. Oratio Petri & ejusdem eventa: 3. quæ fuerit ratio vitæ fidelium in ipso Ecclesię Christianæ primordio.

Et cum compleretur. Pars prima de effusione Spiritus sancti in Apostolos cujus tum antecedentia, tum modus, tum denique consequentia recensentur. In descriptione verò antecedentium simul etiam tempus, locus & denique subjecta in quæ Spiritus sanctus fuit effusus, breviter commemorantur. Tempus initio statim indicatur, cum scribit Lucas: *Et cum compleretur dies Pentecostes*: Complementum refertur ad dies quinquaginta, qui intercedebant, inter festum Paschatos & Pentecostes: quasi dixisset Lucas: cum venisset illa dies, quæ complebat numerum 50 dierum. *Pentecoste* festum erat sic dictum, quod quinquagesimo à Paschatis festo die celebrabatur. Vocatur alias festum septimanarum. Septem enim Septimanis à Paschate elapsis celebrabatur. *Erant omnes unanimiter in id ipsum.* Descriptio loci & subjectorum, seu ubi, & in quos effusus fuerit Spiritus S. De loco vide suprà ap. 1. 13. Subjecta denotantur voce *omnes*. Existimant autem eruditissimi quique interpretes per eos solos Apostolos intelligi: quorum etiam in fine præcedentis capitis solorum fit mentio, quemadmodum etiam nihil est in tota hac historia, ex quo colligi possit, etiam in alios tum temporis Spiritum Sanctum effusum fuisse. Hoc tamen dici fortè potest, alios hic non excludi, sed, quid Apostolis contigerit, tantùm commemorari. Additur autem descriptionis loco eos *fuisse unanimiter una*, id est, unum idemque egisse expectantes promissum Patris. Vide suprà cap. 1. 14.

Vers. 2. *Et factus est subitò ex cœlo sonitus.* Narrat his verbis Lucas, quid effusionem Spiritus sancti præcesserit, & quæ adventantis ejus signa fuerint. Primum fuit subitò ex cœlo factus sonitus, & quidem *quasi ruentis* (in Græco est φερομένης quæ fertur) *flatus violenti*; id est, ejusmodi sonitus, qualis esse solet vehementissimi alicujus venti, summo cum impetu irruentis. Sonitum autem duntaxat, non verò ventum fuisse, particula ὥσπερ denotat. Hoc autem sonitu Deus vim atque efficaciam Spiritu S. denotare voluit. Additur: *& replevit totam domum ubi erant sedentes* quibus verbis significatur, tantam fuisse sonitus istius vehementiam, ut omnes domus illius, in qua erant congregati Apostoli angulos, intimosque recessus ac penetralia repierit.

Alterum signum adventantis Spiritus sancti describitur ℣. 3. ubi ita scribitur: *Et visæ sunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis.* Dum ait Lucas linguas illis visas fuisse, indicat eas illis apparuisse in aëre veluti volitantes. Linguæ autem illis apparuerunt, ad denotandum linguarum donum, quod illis Spiritus sancti efficaciâ contigit; *dispertitæ* autem ut variarum linguarum scientiam ipsis impertitum iri significaretur. *Linguæ* denique *ut ignis* vel idem denotant quod linguæ velut igneæ; vel quod linguæ ut linguæ ignis, id est flammæ. Sic enim flammæ ignis apud Hebræos appellantur. Vide Esaiæ 5. 24. Iterum indicatur vis Spiritus sancti. Quemadmodum enim ignis & lucet & ardet: sic etiam Spiritu sancto mentes hominum notitia divinæ voluntatis ac mysteriorum regni Dei illustrantur, & ad omnis generis pietatis officia singulari ardore ac vigore complentur. Id quod ipsorum Apostolorum exemplum, de quo paulò post plura ad oculum abundè demonstrat. *Et sedit super unumquemque ipsorum.* Non commemorat Lucas quis sederit. Sed ex reipsa facile videre est, Spiritum sanctum intelligi sub visibili linguarum velut ignis specie apparentem, sive simul supra omnes, sive certò ordine super quemque Apostolorum consedisse. Neque verò mirandum est, efficaciæ divinæ, quæ per se subsistere non potest, qualis est Spiritus sanctus, ejusmodi effecta, quæ substantiis per se subsistentibus competunt, tribui. Potest enim isthæc efficacia cum cœlesti quadam materia copulari, ac proinde ad motum illius moveri: quemadmodum, verbi gratia, in odoribus aliisve qualitatibus simile quid fieri sæpe cernimus.

Vers. 4. *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto.* His verbis ipsa Spiritus sancti effusio describitur, indicaturque divinum Spiritum larga copia opulentissimeque in Apostolos torrentis instar derivatum fuisse, adeò ut plane mutarentur, divinaque ac cœlesti quadam sapientia aliisque stupendis donis complerentur. Inter quæ non postremum fuit, quod statim à Luca, velut effectum Spiritus sancti, commemoratur, dum scribit: *Et cœperunt loqui aliis linguis.* Dum ait eos *cœpisse* loqui, non præcise initium duntaxat miraculosæ istius loquendi rationis, sed & continuum ejus actum indicat: quo sensu etiam alibi verbum incipiendi usurpatur. Vide suprà cap. 1. 1. *Linguæ aliæ* sic dicuntur respectu vernaculæ. Significat enim Lucas, eos ejusmodi linguis derepentè usos fuisse, quas nunquam antea noverant. Addit: *prout Spiritus illis dabat eloqui.* Indicatur non ipsos, sed Spiritum sanctum illorum linguas rexisse, ipsisque & res & verba suppeditasse. Quanquam non est dubium cessantibus ejusmodi Spiritus motibus, reliquias quasdam eorundem motibus intrus aliquantulum remansisse. Constare hoc, quod diximus, aliqua ratione potest ex 1 Cor. 14. 14: ubi ita ait Apostolus: *Si enim orem lingua, Spiritus meus orat, mens autem mea infructuosa est.* Quibus verbis Paulus significat, ejus precationem, qui linguâ, peregrina videlicet, oret, non ab ipsius mente ac cogitatione, quam is in sese excitet, proxime proficisci; sed totam proficisci exafflatu divini Spiritus, & verba & res ipsas suggerente, mentemque tum temporis suæ potestati atque arbitrio non relinqui, atque adeò nec verba formare, aut linguam ita regere, quemadmodum aliàs posset aut vellet, ut sensa sua cum aliis communicaret. An verò Apostoli aut alii hoc dono ita præditi fuerint, ut eo quovis tem-

pore ac quacunque in re pro arbitrio, non secus ac vernaculo, vel quovis alio sermone, quem studio & exercitatione addidicissent, uti possent, an verò tum demum, cum singulari afflatu corriperentur, alibi à nobis disceptatum est, & allatis rationibus ostensum, posteriorem sententiam vero similiorem esse. Adhuc primum effusionis Spiritus S. effectum in Apostolis.

Vers. 5. *Erant verò in Jerusalem &c.* Sequitur alterum effusionis Spiritus sancti effectum in auditoribus & spectatoribus, & quidem pro eorundem diversitate diversum. Primùm verò describuntur qui fuerint, ab adjunctis variis primò quidem, quòd habitaverint Hierosolymis, dum ait Lucas, *in Jerusalem habitantes*, sive in diebus potissimùm festis, sive semper: deinde partim à natalibus, partim si proselytos iis adjungas, à religionis genere dum appellantur *Judæi* tum quòd à patriarchis ortum duxerant, tum quod religionem populo Israëlitico à Deo traditam sequebantur: præterea à pietate, dum eos Lucas appellat εὐλαβεῖς *religiosos*, id est Deum metuentes, cultui divino dediti: denique addit Lucas *ex omni gente eorum* [*qui*] *sub cœlo*: quibus verbis indicat, eos non fuisse Hierosolymis natos atque educatos, sed aliunde eò, sive perpetuò, sive potissimùm in diebus festis habitatum commigrasse. Est autem præterea in his verbis Hyperbole sacris etiam literis non inusitata, quæ ex Synecdoche quadam generis ortum trahit. Similis hyperbole est Apocal. 21. 19 & alibi. Intelligendæ autem sunt eæ gentes, quæ in regionibus Judææ proximis, nec admodum remotis agebant: quæ etiam speciatim postea vers. 9 & 10 commemorantur.

Postea ad alterum spectatorum genus progreditur Lucas, ex promiscua plebe collectum, dum sic scribendo pergit: *Facto verò hoc rumore.* Ubi primùm caussam, ex qua concursus populi natus fuerit, indicat, rumorem videlicet hinc inde (ut famâ nihil solet esse velocius) in urbe sparsum, de miraculosa illa cœlitus delapsa voce, & subsecuto in Apostolis Christi effectu, quod variis linguis, sublimia quædam & humano ingeniò augustiora loquerentur. Rectè igitur vox φημὴ à Beza *rumoris* voce est reddita. Non est enim credibile, sonitum illum, quem ἦχος nomine expressit Lucas suprà vers. 2. hac voce, qua nunc utitur, intelligi, cum certum non sit eum sonitum ubique in tota urbe fuisse auditum; neque ex illius sonitus auditu statim miraculosi quid colligere potuerint illi ex promiscua plebe, qui eum audierint, quin potiùs eam venti subsequentis quasi prænunciam fuisse. Quanquam negare nolumus, sonitum illum cordationibus quibusdam, vel curiosioribus ansam quandam præbuisse, percontandi, quid ille sibi vellet, quid portenderet. Deinde ipsos auditores ac spectatores describit eorundemque confluxum his verbis: *convenit multitudo* multitudinem vocat, ut eos à religiosioribus Judæis, quorum paulò ante mentionem fecerat, distinguat, per eam vulgus intelligens. His ita præmissis ipsum effectum commemorat eumque geminum: alterum magis communem; alterum priori spectatorum generi magis proprium. Ille verbo *confusa est* exprimitur, quod significat, hominum istorum animos fuisse obstupefactos, suspensos, attonitos. Cui effecto caussam subjungit inquiens: *quia audiebant unusquisque propria dialecto loquentes ipsos sc.* Apostolos. Hæc nimirum confusionis seu stuporis illius in vulgo auditorum fuit caussa, quòd audirent, Apostolos prout vel in singulos vel in multos aut incidissent, aut datâ operâ sermonem dirigerent, unumquemque vel multos eadem lingua utentes, sua propria dialecto alloqui. *Dialecti* autem vox hîc non pro singulari linguæ alicujus idiotismo, quo sensu verbi gratia Atticam, Ionicam, Doricam in lingua Græca dialectum dicimus, sed pro lingua quemadmodum etiam v. seq. sumitur ut ex collatione v. 9 & seq. apparet.

Vers. 7. Alium effectum commemorat Lucas ex priori natum, quanquam, ut videtur, viris religiosis magis proprium, dum pergit. *Obstupescebant autem omnes, & mirabantur*: quibus verbis indicatur eos rei novitate gravissimè perculsos, atque in admirationem raptos fuisse, cùm nimirum ignorarent, unde & qua ratione tam multarum linguarum earumque quæ variis efferebant linguis rerum notitia, tam subitò, obtigisset. Hinc etiam natum, quòd statim addit Lucas, quòd dixerint alii ad alios: *Nonne ecce omnes isti sunt qui loquuntur Galilæi?* Quibus in verbis est trajectio quædam. Verbum enim *sunt* ad vocem *Galilæi* proximè pertinet. Particula ecce admirationis indicium est.

Quæ versu 8 sequuntur, *Et quomodo nos audimus quisque propria dialecto in qua nati sumus*, ad complendam sententiam versu præcedenti pertinent. Rationem enim reddunt, cur meritò obstupescant atque admirentur; quia nimirum Apostoli, quos scirent esse in Galilæa natos, neque ullius antehac linguæ exoticæ gnaros fuisse, quam plurimorum, inter quos ipsi auditores nati essent, populorum linguas longè diversissimas callere, & cum ipsorum quovis lingua ipsius vernacula colloqui posse.

Vers. 9 & 10. Recensentur isti populi: *Parthi, & Medi &c.* Quæ verba vel ipsorum auditorum sunt, vel à Luca, ad rem tanto dilucidius explicandam atque exaggerandam, inserta. Si ipsorum auditorum verba esse dicas, hoc significant, alium dixisse se in Parthia, natum, alium, in media, & sic deinceps. Ex hac verò populorum enumeratione apertissimè videre est, Apostolos, revera multis variisque linguis locutos fuisse. In recensendis autem populis istis Lucas sic videtur progressus, ut eos tum ratione loci, tum ratione generis seu originis descripserit. Si locum spectes hunc ordinem observavit Lucas, ut ab iis cœperit, qui longissimè in regionibus Judæam circumjacentibus dissiti erant, & quidem orientem versus, quales erant *Parthi*, *Medi*, notissimi ex historia partim sacra, partim profana, Asiæ populi; itemque *Elamitæ* per quos alii peculiares Mediæ populos, regionem Elam incolentes, alii Persas intelligunt; & denique *qui incolebant Mesopotamiam*; quæ regio inde nomen traxit, quod inter duos fluvios admodum celebres, Euphraten & Tigrin sit posita. Initio sic ab orientalibus regionibus facto Lucas ipsam *Judæam* nominat, terram illam sanctam, in qua Judæi, à Juda Jacobi filio sic dicti, tanquam peculio suo habitabant. Inde progreditur in Asiam minorem, à Romanis olim sic appellatam, mentionem primo loco faciens *Cappadociæ*, quæ Judææ septentrionem versus erat proxima, inde tendens ad *Pontum* regionem Cappadociæ, Armeniæ, Iberiæ, Ponto Euxino ac Paphlagoniæ conterminam, cujus olim rex fuit Mithridates, rerum Romanarũ scriptoribus celebratissimus. A Ponto posthac *in Asiam* pergit Lucas, regionem Asiæ minoris peculiariter sic dictam, cujus celeberrimæ inter alias fuerunt urbes, quarum fit mentio Apoc. 2 & 3. Eodem sensu etiam sumitur vocabulum Asiæ Cor. 2. 1. 8. Huic regioni vicina erat *Phrygia* quam subjungit Lucas, nec longè aberat *Pamphylia* quam ultimo loco inter regiones Asiæ minoris commemorat, Judææ reliquis propiorem, *Ægyptoque* quam mox subjungit velut è regione oppositam atque ab ea mari mediterraneo divulsam. Ab Ægypto, regione satis nota, transit *ad partes Libyæ, quæ* [*est*] *secundum Cyrenen*, regionem, occidentem versus in Africa sitam, quę alias Cyrenaica dicitur, ad distinctionem Libyæ exterioris, quæ Ægypto vicina est. Hinc ad remotiores occidentis partes excurrit, dum mentionem facit *advenarum Romanorum*, per quos eos intelligit, qui Romæ degebant, non quidem incolæ ac cives, sed accolarum duntaxat nomine. Postea interjicit ea, quæ ad genus & originem auditorum spectant, his verbis, *Judæi & Proselyti.* Ubi Judæorum nomine eos intelligit, qui non tantum ex Judaicis parentibus nati, sed etiam eorum religioni semper addicti fuerant; per *proselytos* eorum, qui licet ex Judæis originem non traxissent, eorum tamen religionem amplexi, eorundemque sacris per circumcisionem initiati, & sic corpori Synagogæ Judaicæ inserti erant. Tandem vers. 11: ad auditorum ratione loci descriptionem redit Lucas, commemo-

morans *Cretas*, qui in peculiari maris mediterranei insula habitantes a reliquis veluti divulsi erant, & tandem *Arabes* finitimos Judææ meridiem versus populos, ut ita quodammodo in orbem hæc populorum recensio redeat. Quia verò recensione ista sermonem auditorum velut interruperat, per Epanalepsin quædam ex ℣. 8, verbis paululum immutatis repetit, inquiens: *audimus loquentes ipsos nostris linguis*, & tandem breviter indicat, quidnam Apostoli aliis linguis locuto fuerint, nimirum *magnalia Dei*, per quæ intelligendæ sunt laudes ac præconia, quibus Apostoli, tum nomina, tum proprietates, ac denique facta Dei celebrarunt.

Vers. 12. Lucas effectum suprà commemoratum repetit, sermonem inde ortum addendo, inquiens: *Obstupescebant verò omnes* ubi *verò* pro *inquam* poni videtur, quasi dicat, obstupescebant inquam omnes, *& dubitabant* vel *hæsitabant alius ad alium dicentes*, unde verò dubitatio ista orta fuerit statim indicat Lucas sermone eorum per Mimesin expresso: *Quidnam vult hoc esse*. Id est, quid hæc res portendit? quid hac de re sentiendum aut statuendum est? Atque hoc effectum in probioribus locum habuit.

Sequitur alterum, quod improbis fuit proprium, quod his verbis innuitur: *alii verò irridentes dixerunt: quia dulci vino pleni sunt*; ubi eorundem & gestus & verba exprimuntur. Gestus quidem, quod rem tam divinam, tam sanctam, tam stupendam cachinnis exceperint, remque totam in risum & jocum converterint. Verba verò, quòd Apostolis ebrietatis notam inurerere haud dubitaverint, quasi dixissent, ipsos nescire, quid loquerentur, ipsos talia dulci vino lymphatos veluti mira quædam verba, quæ nec ipsi nec alii intelligerent effutire. Particula ὅτι, μεμεθυσμένοι hoc loco est, exprimendo irrisorum istorum sermoni serviens.

Adhuc prima pars capitis: sequitur secunda, orationem Petri continens: quæ partim apologetica est, diluens calumniam eorum, qui Apostolis ebrietatis crimen objecerant; partim didactica, in qua veram sententiam exponit, atque ulteriùs confirmat atque illustrat, fuse inter alia de majestate atque exaltatione Christi disserens, ut auditorum animos ad fidem ipsi habendam permoveret. Antequam verò orationem ipsam recenseat Lucas, primùm quasi aditum quendam ad eam describendam sibi parat vers. 14. his verbis: *Stans verò Petrus cum undecim, sustulit vocem suam, & allocutus est eos dicens*. Petrus reliquorum undecim nomine verba facit ad auditores, quia reliquis autoritate forsan & ætate præibat. *Sustulit* autem *vocem suam*, ut in tanta auditorum frequentia ab omnibus exaudiri posset. Postea Lucas orationem ipsam Petri subjungit: cujus scopus est, ostendere auditoribus, quid rei sit, quod tam variis linguis loquerentur Apostoli, illudque donum ab Jesu Nazaræno profectum esse, de cujus etiam majestate & exaltatione inprimis prolixè edisserit, eo nimirum fine, ut eos ad fidem in ipsum perduceret. Antequam verò rem ipsam aggrediatur Petrus, exordiolo quodam utitur, in quo attentionem auditorum sibi conciliat, inquiens: *Viri Judæi*, nimirum tum natione, tum religione, *& qui habitatis Hierosolymæ*. Hos nominatim compellat, quia & frequentiores aderant, & reliquis celebriores erant. Intelligit autem eos qui vel perpetuam Hierosolymæ rerum suarum sedem habebant, vel festi tempore. Quanquam illos potissimùm videtur intelligere Petrus, quasi dicat & nominatim vos Hierosolymitani. *Hoc vobis notum esto* id est, scitote, hoc vobis significo, manifestumque facio, *& auribus percipite*, id est, diligenter attendite, memorique mente recondite *verba mea*, quæ dicturus sum. Quibus verbis tacitè se eorum animis insinuat, indicat quæ se de rebus magni momenti atque ad insignem eorum utilitatem spectantibus verba facturum.

Tractatio ipsa duabus partibus constat. Prior, quæ brevibus absolvitur apologetica est, & versatur in diluendo ebrietatis crimine, quod ab irrisoribus quibusdam objectum erat Apostolis: posterior verò didactica, in qua ostendit Petrus, quidnam ea res, de qua dubitabant auditores, sibi vellet, quod variis linguis loquerentur Apostoli: unde stupendum istud donum in eos manarit: inprimis verò divinitatem Christi magnificè commendat, & de ipsius miraculis, morte, resurrectione atque exaltatione insignitè disserit, atque ostendit, ab eo donum istud Apostolis obtigisse. Quod ad priorem partem attinet, ea vers. 15. comprehenditur, ubi ita loquitur Petrus: *Non enim, quemadmodum vos arbitramini, hi ebrii sunt*. Ita objectum crimen diluit, ut, quia illud ipsum etiam attentioni auditorum obstare poterat, simul ostendat, non esse ullam caussam, cur falsis quorundam auditorum obtrectationibus paterentur se ab audiendo ejus sermone abstrahi, cum ebrietatis crimen illis injuria objiciatur, quasi dicat. Ideo verò diligenter debetis attendere, quia non ebriorum sermones, qui contemni possent, audituri estis. Nisi quis particulam ὡς redundare velit. Sic enim simplex duntaxat objecti criminis inficiatio istis verbis contineretur, nec ulla attentionis caussa redderetur. Omnibus verò in verbis illis, *ut vos arbitramini*, id tribuit, quod quibusdam competebat, usitata Synecdoche: quasi dicat, ut nonnulli vestrum arbitrantur. Ne verò temere objectum crimen negasse videretur Petrus, rationem negationis, affert à circumstantia temporis petitam: *Est enim hora tertia diei*. Hora ista tertia diei ferme nostræ nonæ matutinæ horologii, ut vocant dimidii, respondet. Solebant enim Judæi dies singulos artificiales (ut scholæloqui amant) sive longiores, sive breviores: in duodecim horas distribuere, ut constat ex Joh. 11. 10. Quanquam longitudinis dierum in Judæa, quippe Tropico cancri admodum vicina, non magna est ratione longitudinis, ut eruditis notum est, diversitas. Ratio autem Petri licet videatur hisce temporibus nostris, quo homines etiam ipso ferme diluculo inebriari haud raro solent, parùm roboris habere: tum temporis tamen satis firma fuit, cùm homines ne interdiu quidem, sed noctu tantum inebriari solerent, ut constat ex 1 Thess. 5. 1. Et licèt fortassis quis tale quid ausus fuisset interdiu facere; ejus tamen, quia rarissimè, & non nisi à profligatissimis fiebat ratione habitam fuisse credibile non est: nec quicquam tale de Apostolis cogitari potuit, quippe qui alias viri graves essent, quorum gravitas non permisisset interdiu, inter tot hominum chiliades, & quidem non exiguo numero, si ebrii fuissent, comparere. Ut taceam, hodieque in nonnullis locis maximi probri loco duci, si quis ebrius præsertim media luce atque in conspectu hominum appareat.

Crimen ebrietatis hac ratione amolitus, postmodum docet Petrus quid sibi vellent ea, quæ sibi aliisque Apostolis contigissent. Continet autem hæc altera pars orationis Petri duo membra. In primo rem vaticinio Joëlis explicat atque illustrat; in altero verò speciatim Christi miraculis, morte, resuscitatione ex mortuis & exaltatione ad dextram Dei commemoratâ, eum ipsum donum Spiritus sancti in Apostolos effudisse magna animi præsentia asserit. Prius membrum à vers. 16 ad 22 usque extenditur, in quo primum verba Petri quibus vaticinium Joëlis ad rem præsentem portinere asserit consideranda sunt; deinde vaticinium Joëlis ipsum. Verba Petri quæ ℣. 6. extant, hæc sunt: *Sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Joël*: quibus in verbis fallæ, quæ ab auditoribus quibusdam improbis allata fuerat, caussæ veram opponit, complementum nimirum vaticinii Joëlis, seu præstationem eique quod Deus olim per Joëlem populo suo promiserat. Quasi dicat, hæc est vera ac legitima caussa, quod Deus id, quod olim per Joëlem promisit, nunc reipsa præstitit.

Vaticinium Joëlis ipsum ex cap. 2. 28. & seqq. prophetia ipsius desumptum vers. 17 & seqq. ponitur. Etiamsi verò dubium non sit, vaticinium hoc duplicem sensum habuisse, literalem alterum, qui ad tempora veteris fœderis spectavit, alterum mysticum: tamen quia sensus iste literalis admodum dilutus fuit, is ipse jam dudum fermè evanuit, solo mystico, qui longè augustior est, remanente. Notandum & illud, non

non omnia hujus vaticinì verba, sed ỳ. 27. & 28 duntaxat proprie ad institutum Apostoli pertinere: qua ratione etiam alibi dicta veteris testamenti à sacris novi fœderis scriptoribus citari solent. vide inter alia Matth. 12. 18 & d. ubi versus tantum 19 ad propositum Matthæi facit: & infra hoc ipso cap. ỳ. 25, 26, 27, 28. ubi ỳ. 27 Hebr. 1. 9. ubi posteriora tantùm istius versiculi verba ad rem probandam faciunt. Continetur autem verbis Joëlis primò duplex promissio, deinde etiam comminatio, quam medio inter promissiones loco collocavit Propheta, vel potiùs divinus Spiritus, quo actus Propheta isthæc scripsit. Prior promissio his verbis comprehenditur ỳ. 17. *Et erit* id est, eveniet, fiet *in ultimis diebus*. In Hebræo est *postea*, post divina nimirum supplicia, quæ ante hæc verba prolixè recensuerat Propheta. Petrus igitur magis ad sensum quam ad verba respexisse videtur. Notatur autem his verbis tempus, quo vaticinium hoc complendum erat. *Dies* pro tempore, frequente Hebraismo, ponuntur. *Ultimum* autem *tempus* non simpliciter ultimum denotat, sed tempora posteriora, tempora novi fœderis, quæ etiam alibi ita appellantur. Hebr. 1. 1. Imò nec ad omnia novi fœderis tempora, sed ad initia ejus duntaxat, hæc promissio, si de visibili Spiritus sancti dono sermo sit, trahenda est. Illud enim tamdiu durare debebat, donec eo doctrina Christi satis esset confirmata. Postea cessavit, solo invisibili Spiritus dono adhuc permanente. Verba *(dicit Deus)* à Petro inserta sunt, ad autorem promissi significandum & fidem ab ejus dignitate ac majestate conciliandam. Sequitur promissum ipsum: *effundam de Spiritu meo*, &c. quibus verbis non tantum promissum ipsum, sed & subjecta, quibus illud præstandum sit, & denique effecta ipsius describuntur. Promissum ipsum his verbis exprimitur: *Effundam de Spiritu meo*. In vocabulo *effundam* Metaphora est ab aquis aliisve liquoribus desumta, quæ etiam infra ỳ. 33. à Petro usurpatur, ad indicandum copiam & efficaciam hujus doni; fore nimirum, ut largiter atque opulenter fidelibus donum istud impertiatur, ad animos eorum à sordibus peccatorum abluendos, & vigore suo refocillandos alacresque ad omnia pietatis opera reddendos. Loco ejus quod hîc dicitur, *de Spiritu meo*, in Hebræo est, *Spiritum meum*. Sensus idem est, cum enim pars Spiritus effunditur, totum etiam effundi opus est, cum divinus hîc Spiritus similitudinem quandam habeat, cum totis, ut vocant, similaribus, seu homogeneis, quorum singulæ partes & naturam & nomen sui totius habent, velut aqua aliique liquores, cùm quibus hîc Spiritus sanctus tacitè confertur. Particula ἀπὸ pro ἐκ ponitur quemadmodum & 1 Joh. 4. 13 in loco planè simili ad indicandum, Deum non totum suum Spiritum effusurum super omnem carnem, superque servos & ancillas suas, sed illius veluti partem aliquam. Est enim apud Deum immensa illius copia, quæ in ipso velut fonte residet, ab ipso autem quando & quatenus vult procedit ac manat, haud secus ac lumen à sole, aut calor ab igne in res ei admotas. Hinc etiam μερισμῶν seu partitionum ac distributionum Spiritus sancti fit mentio Hebr. 2. 4. In quos verò Spiritus sanctus sit effundendus his verbis significatur & quidem generatim: *super omnem carnem* id est super omnes homines, qui sæpissimè carnis nomine in Sacris Literis intelliguntur. Quanquam verò hoc apud Prophetam nominatim de Israëlitis prædictum fuerit; nihil tamen prohibet, quò minùs hæc promissio etiam ad eos extendatur, qui Israëlitico populo velut oleæ fuerunt inserti. Nec tamen hæc promissio ita latè extendenda est, ut omnibus promiscuè hominibus, qualescunque fuerint, datum iri intelligamus; sed potiùs ad eos restringenda, qui conditionem illam præstiterint, quæ tacitè sub hac promissione latet, nimirum si in Christum credant, ejus doctrinam amplectantur ac profiteantur, ac secundum eam vitam suam instituere parati sint. Unde infrà cap. 5. 32 Petrus ait, Deum dedisse Spiritum sanctum ipsi obtemperantibus. Quod ipsum etiam in sequentibus notandum est, ubi unà cum effectis Spiritus sancti etiam subjecta seu qui eum accepturi erant, ratione tum sexus tum ætatis, tum status ac conditionis speciatim distribuuntur. Hic verò pergit Propheta. *Et prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ*. Num. 12. 6 modi Prophetandi à Deo ipso recensentur. Sic enim ibi inquit: *Audite quæso, verba mea. Si fuerit propheta Domini inter vos, per visum me ei manifestabo, aut per somnium loquar ei*. Omnes isti prophetandi modi tanquam effecta Spiritus sancti hîc commemorantur. Primus est prophetia: *Prophetabunt*, inquit per Joëlem Deus, *filii vestri, & filiæ vestræ*: ubi verbo prophetandi id indicatur, eos Spiritu correptum atque ita actum iri, ut extra se velut rapti divina mysteria eloquantur. Filiorum autem filiarumque nominatim mentio fit, ut indicetur, donum hoc utrique sexui commune fore, Deum fore in promisso suo exsolvendo ita munificum ac liberalem, ut etiam sequiorem sexum tam insigni spiritus sui dono non dedignaturus sit. Hoc etiam eventus ipse comprobavit. Et quidem inf. cap. 21. 9 testatur Lucas Philippo Euangelistæ quatuor filias virgines fuisse, quæ prophetarint. Primum ergo Spiritus sancti effectum est prophetia speciatim sic dicta, quatenus à visionibus ac somniis distinguitur, & sine illis etiam esse potest. Secundum sunt visiones, de quibus ita ait Propheta: *& adolescentes vestri visiones videbunt*. Per visiones intelliguntur repræsentationes mysteriorum divinorum per varias figuras ac simulacra, quæ offeruntur prophetis ecstasi quadam velut extra se raptis, & quidem vigilantibus: qualis fuit illa visio, quæ infrà cap. 10. vers. 10 seqq. Petro, & Apocalypsis penè tota, quæ Johanni facta fuit. Has autem visiones visuros adolescentes propheta prædicit, quemadmodum somnia somniaturos seniores, in verbis mox sequentibus, dum inquit, *& seniores vestri somnia somniabunt*, ut ostendat cui libet etiam ætati donum Spiritus sancti datum iri. Quod autem adolescentibus nominatim visiones, senioribus autem somnia attribuit divinus spiritus, id ad illustrationem tantùm spectat: cum dubium non sit etiam adolescentes non modo visiones vidisse, sed etiam somnia somniasse, quemadmodum etiam seniores vicissim. Voluit nempe spiritus divinus se cuivis ætati accommodare, & quia adolescentes alacriores esse solent, seniores autem quietem ac otia quærere, illis visiones, his somnia adscribere. Per somnia autem intelliguntur somnia divinitus immissa, rerum gravissimarum prænuncia, atque inprimis ad religionis negotium spectantia: qualia fuerunt somnia Jacobi Gen. 28. 12. XXXI. 10, Josephi Gen. 37. 5 & seqq. Salomonis 1 Reg. 3. 5. Danielis, Dan. 7. 1 seqq. Josephi mariti Mariæ matris Domini Matth. 1. 20. 2. 13. Magorum ibid. vers. 12. & aliorum. Hæc autem somnia ultimum sunt Spiritus sancti, quæ quidem hîc enumerantur, effectum: quibus etiam annumeranda sunt reliqua, quæ speciatim recensentur à Paulo 1 Cor. 12. 8. seqq.

Tandem Propheta etiam ad discrimen status ac conditionis descendens, præcedentia quodammodo repetit ac declarat his verbis ỳ. 18. *Et quidem super servos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo*. In Hebræo est: *& etiam super servos & super ancillas* &c. Qua ratione res exaggeratur: quasi dicat Deus: non tantùm super liberos atque ingenuos, verùm etiam super servos ac mancipia effundam spiritum meum. Particulas *meos* & *meas* Petrus declarationis caussa addidit, & quidem ut significaret, non in omnes promiscuè; sed in eos qui se Deo addixerint ad servitium, donum hoc collatum iri: quemadmodum etiam infrà cap. 5. 32. expresse dicit, Deum dedisse Spiritum sanctum iis, qui obtemperaverint ipsi. Reliqua jam antè explicata sunt. Verbum *Prophetabunt* hîc latiùs sumi videtur, ut & Prophetiam speciatim sic dictam, & somnia ac visiones in se comprehendat.

Promissioni huic subjungit Deus apud prophetam comminationem gravissimam, qua iis, qui divinæ suæ volun-

voluntati per Christum revelatæ obtemperare noluerint, gravissima denunciat supplicia, quæ comminatio vers. 19 & 20. extat his verbis: *Et dabo prodigia in cœlo sursum, & signa super terram sursum* &c. Verba omnia sunt allegorica, quibus more Prophetico describuntur, atque exaggerantur gravissima illa, quæ Deus immissurus erat impiis, supplicia, indicaturque ea tanta fore, ut videantur miracula tum in cœlis tum in terris edi. Duplicis autem generis prodigia commemorantur, cœlestia & terrestria, quæ deinde per ὑστερόν Hebræis familiarem explicantur. Terrestria sunt illa, cùm dicit Deus, se daturum *sanguinem & ignem & vaporem fumi* hoc est, omnia cædibus atque incendiis completurum, regionesque impiorum bellis ac vastationibus punituram.

Cœlestia recensentur vers. 20: *Sol vertetur in tenebras, & Luna in sanguinem.* His verbis allegoricè, more Prophetico, significat Deus, se gravissimas calamitates inducturum, adeò ut videantur omnia densissimis tenebris involuta. Simili modo calamitates ejusmodi describuntur. Esai. 13. 10. quem confer cum anteced. & seqq. 34. 4. Jerem. 15. 9. Amos 8. 9. Apoc. 6. vers. 12. Additur verò in sequentibus hujus versiculi verbis, quo tempore calamitates istæ sint immittendæ, nimirum *antequam veniet dies Domini magna & illustris.* Per *diem Domini* literali sensu intelligitur tempus illud, quo Deus Israëlicum populum suum ob peccata sua vel Joëlis tempore, vel paulò post, punivit; mystico verò dies ultimi judicii, qui etiam alibi à Petro 2 Epist. 3. 12 dicitur *dies Dei*, quia nimirum Deus potentiam suam exerturus, & peculiare quoddam atque insigne opus per Christum peracturus est. Dicitur autem dies iste *magnus & illustris* propter ea quæ tum temporis contingent valde magna atque illustria, ut sunt, resuscitatio ex mortuis, destructio cœli ac terræ per ignem, piorum immortalitate indutorum in beatas cœli sedes translatio, impiorum verò in ignem illum æternum paratum Diabolo atque angelis ejus conjectio. Unde alibi hic dies appellatur à Paulo Tit. 2. 13, *apparitio gloriæ magni Dei, & Servatoris nostri Jesu Christi.*

Postquam ita terruit impios Deus, vicissim solatur pios his verbis, vers. 21: *Et erit, omnis quicunque nomen Domini invocaverit, servabitur.* Quibus verbis promissio quædam generalis ad omnia novi fœderis tempora spectans continetur: cùm superior ad primordia Ecclesiæ Christianæ tantùm pertinuerit. Verba, *& erit*, ex Hebraismo redundant. Sic infrà Cap. 3. 23. Per *Dominum* hic intelligitur Jehova, Deus ille unus ac summus. Quanquam Paulus ad Rom. 10. vers. 13 ad Christum id accommodat, quippe qui Deo subordinatus est, & per quem Deus invocatus salutem hominibus confert. *Invocandi* verbo Synecdochitè totus cultus Deo debitus, invocatione tamen, utpote quæ multum ad salutem consequendam valet, non exclusa, intelligitur. *Servandi* autem voce non modo ratio & immunitas a periculis, quæ comminatus fuerat divinus spiritus impiis, verùm etiam collatio sempiternæ salutis notatur: quemadmodum videre est ex loco Pauli ad Rom. paulò antea citato. Adhuc primum membrum sermonis Petri.

Sequitur alterum membrum secundæ partis sermonis Petri vers. 22 & d. in quo ostendit & evincit, à Domino Jesu à mortuis resuscitato & ad dextram Dei exaltato donum istud Spiritus sancti miraculosum in ipsos effusum fuisse: ut ita majestatem ac divinitatem ipsius commendando eos adducat ad fidem in ipsum collocandam. Primò autem in sequentibus verbis Christum commendat ab iis, quæ in ipso ante mortem divina apparuerunt. Deinde mortem commemorat. Denique ea, quæ mortem ipsius sunt consecuta, nimirum resurrectionem atque exaltationem ad dextram Dei, & exinde profectam Spiritus sancti effusionem recenset & demonstrat. Antequam vero ad rem ipsam accedat, sibi deduo attentionem auditorum conciliat, idque ideò, quia verba Prophetæ Joëlis illustraturus atque de Christo intelligenda esse ostensurus novam veluti telam orationis orditur, & quidem in re ejusmodi, quæ ad summam audientium utilitatem spectabat. Principio autem eos compellat, *Viri Israëlitæ*, usitato, ut videre est ex aliis locis, apud Israëlitas compellandi more. Vide suprà vers. 14. Postea ipsos attentos reddere nititur Petrus dum inquit, *audite sermones hos*: quibus verbis ab ipsis verba sua non tantum auribus percipi, sed & intimis animi sensibus recondi ac probe expendi cupit.

Sed ad sermonem ipsum nos convertamus. *Jesum Nazarænum*, &c. Oratio hoc versiculo pendens sequenti demum absolvitur. In his autem Petri verbis, ut diximus, divinitatem Christi commendat ab iis, quæ in ipso ante mortem fuerunt conspicua. Cur Jesus appelletur *Nazaræus* satis notum est, quia nimirum à parentibus ibidem fuit educatus, ibidemque antequam munus suum ordiretur habitavit. Porro dum eum Petrus appellat *virum à Deo demonstratum potentiis & prodigiis & signis*, ipsius præstantiam ante mortem exprimit. Ubi simul ab initio statim antea & caussam istius præstantiæ indicat, nimirum Deum ipsius patrem. Hic enim ut alibi testatur Petrus, eum unxit Spiritu sancto & virtute. Act. 10. 38. Dum verò dicit cum fuisse *demonstratum* à Deo, vel id vult, eum insigniter à Deo fuisse commendatum; vel à Deo evidenter comprobatum fuisse, verum esse id, quod Christus sæpe asseruerat, se esse à Deo missum ad servandum mortalium genus. Addit autem; *in Vos*, id est inter vos. Indicat eos rei illius spectatores fuisse: id quod ad fidem dictis conciliandam pertinet. Subjungit postea modum, seu media quibus Christus à Deo fuerit demonstratus, dum ait: *potentiis* seu *virtutibus, & portentis, & signis.* Omnia hæc idem significant. Particula enim καὶ hic non connectendi, sed explicandi tantùm, ut alibi sæpe, vim habet. Simili ferme modo hæc vocabula conjunguntur Hebr. 2. 4, ubi scribit divinus autor, Deum sermoni euangelico testimonium præbuisse & signis, & portentis, & variis potentiis, & Spiritus sancti distributionibus, secundum voluntatem suam. Est autem in vocabulo δυνάμεσι Metonymia causæ. Ponitur enim pro stupendis illis miraculis, quæ divina virtute à Christo fuerunt patrata: quo sensu eadem vox sæpiùs usurpatur in sacris literis. Vide inter alia Matth. 7. 22: xi. 20, 21, 23. 1. Cor. 12, 28, 29. Idem, ut dictum vox prodigiorum & signorum significat. Ea vero Christi miracula fuere tot, ut Johannes scripserit, cap. ult. ult. mundum non fuisse comprehensurum libros, si singulatim quælibet describerentur; & tanta, ut Christus ipse dixerit, Joh. 15. 24, neminem alium ea fecisse. Ut taceam, ea residente & perpetuò in ipso habitante virtute fuisse perpetrata. Unde apud Euangelistas legimus, Christum, Marc. 5. 30. Luc. 8. 46, cùm mulier quædam sanguinis laborans profluvio fimbriam vestimenti ejus tetigisset, Christum cognovisse, virtutem ex se ipso exivisse: cap. 6. 19, & alibi testatur Lucas, virtutem ex ipso egressam fuisse, & sanasse omnes. Accedit denique & illud ad magnitudinem miraculorum Christi ostendendam, quod pleraque solo jussu suo ediderit. Unde etiam in forma Dei fuisse Phil. 2. 6, à Paulo scribitur. Subjungit Petrus: *quæ Deus fecit per ipsum*, ut ostendat ea revera divina, quippe autore Deo patrata, fuisse. Idem de Christo asserit Petrus alibi, Actor. 10. 38: dum ait, eum transiisse benefacientem & sanantem omnes, qui oppressi erant à Diabolo: *quia Deus* inquit, *erat cum illo.* Hinc etiam Christus apud Johannem manifeste sua opera Patri cap. 14. 10 adscribit. Idem etiam agnovit Nicodemus, Joh. 3. 2. neminem posse opera ista facere, nisi Deus sit cum ipso. Tandem addit Petrus, *in medio vestri*: id est in conspectu vestro, idque comprobat proprio ipsorum testimonio: *quemadmodum & ipsi nostis*, quasi dicat cujus rei ipsi non auriti tantum, sed & oculati testes estis, quippe in quorum oculis sua Christus miracula ediderit.

Postquam Petrus Christum ab iis, quæ mortem ejus antegressa sunt ut dictum est commendavit, ad mor-

mortem ejus describendam pergit sequenti ỳ. 23 idque non resuscitationis solum modo caussâ, quemadmodum alibi interdum fit, ut pote quæ sine morte non potuisset fieri, sed etiam & quidem multo magis exaggerandi sceleris in trucidando Christo commissi gratiâ, ut tanto facilius & fortius eorum animos feriret, & ad dolorem tanti facinoris permoveret: quòd nimirum virum tam insigniter inter ipsos à Deo stupendis operibus demonstratum, accedente hominum impiorum opera è medio sui sustulerint. Ante omnia vero occurrit Judæorum objectioni, qui oggerere potuissent, Deum non fuisse permissurum, ut Jesus ille Nazarenus, si tam insignis tamque à Deo ipso commendatus vir fuisset impiis mortalium manibus perimeretur, quin potius illud impeditum, hominumque illi male volentium manus ita constrictum, ne eas illi injicere, in eumque tam graviter, præsertim ad necem usque sævire possent. Sic vero huic objectioni occurrit: *Hunc definito consilio & voluntate Dei traditum cum accepissetis*: quibus verbis ostendit, id non temere sed Deo ita volente ac decernente factum fuisse, tantumque abesse, ut citra vel contra voluntatem ipsius factum fuerit. Particula *hunc* per Epanalepsin posita est, majoris perspicuitatis & emphaseos caussâ. Quasi dicat; Hunc, inquam, talem & tantum virum, &c. Vocula *consilii* pro decreto, ut alibi sæpe, ponitur, vide Psal. 30. ỳ. 11. Esai. 46. 10. Luc. 7. 30. Infr. 4. 28. xx. 27. Eph. 1. 11. Hebr. 6. 17. Jerem. 23. 20. *Definitum* consilium idem est quod constitutum: quemadmodum etiam usurpatur in aliis N. T. locis, Luc. 22. 22. Inf. 10. 42. XI. 29. XVII. 26. 31. Rom. 1. 4, sive de constitutione quæ fit animo, sive quære ipsa, sermo sit. πρόγνωσις seu *præcognitio* hîc idem significat. Significat autem approbationem antea factam. Videè Rom. 8. 29. XII. 2. 1 Pet. 1. 1, 20. ubi vel προγνώστης nomen, vel verbum, à quo descendit, προγινώσκειν reperitur. In hac autem sua præcognitione Deus non ad ipsa hominum malorum facta, quibus ad decretum suum exequendum abusus est, sed ad bonum quem inde pro sua sapientia elicuit, finem respexit. Quid alias in hujusmodi Dei decretis, quæ sine peccato hominum finem suum non sortiuntur, notandum sit suprà cap. 1. ỳ. 16 indicavimus. Notandum præterea est, hoc Dei decretum non tantùm ad proximè sequens verbum ἐκδοτον pertinere, sed etiam ad ea quæ sequuntur, quippe quæ non minùs, quam illud, à prophetis fuerunt prædicta. Vide Esai. 62. & Psal. 22. Vocula ἐκδοτον *traditum* ad proditionem Judæ sigillam referend videtur, qua factum, ut Christus à Judæis velut acceptus, postea manibus impiorum ad excarnificandum eum traditus fuerit. Verba quæ sequuntur, *per manus improborum* etiamsi ad participium λαβόντες quod antecessit, referri possent, verisimilius est ad proximè sequentia referri. Per *improbos* autem illos intelliguntur tum præfectus Judææ, Pontius Pilatus, tum improbi illius milites, & quotquot suam in exagitando, vexando, cruciando necando Domino Iesu operam navarunt. Dicit autem Iudæos per improborum manus Christum *affixum* sc. cruci *sustulisse* id est interemisse, satis manifestè eosdem mortis Christi reos peragens: quandoquidem quod quis per alium fecit ipse putetur fecisse. Licet enim infra Iudæos quadantenus excusare videtur Petrus, cap. 3. 17, dum illos id per ignorantiam fecisse ait: sciendum tamen est, ignorantiam illam non simplicem, sed affectatam fuisse, ut ibi pluribus ostendemus.

Descripta jam morte Christi, ad resuscitationem ejus ex mortuis transit Petrus, quæ primum est mortis Christi consequens. Quam ita describit, ut ejus primo caussam efficientem, deinde formam, tum necessitatem, ac denique veritatem ob oculos ponat. Caussam efficientem his verbis indicat dum inquit ỳ. 24: *Quem Deus resuscitavit*. Deus autem ille est Pater Domini Jesu Christi, ut ex multis sacrarum literarum locis inter se collatis constat. Vide lib. de uno Deo Patre sect. 2. cap. 29. pag. 268 seqq. Forma partim verbo ἀνέστησεν resuscitavit quod sæpe simpliciter positum resuscitationem ex mortuis denotat inf. ỳ. 32. & cap. 3. 26. XVII. 31. Ioh. 6. 39, 40, 44, partim sequentibus verbis, quæ velut explicatio quædam sunt verbi ἀνέστησεν exprimitur, *cùm solvisset dolores mortis*. Quæ loquendi formula desumta est ex Psal. 18. 5. ut quidem 70 habent. Nam in Hebræo vocabulum ab illis *dolorum* voce redditum est Cheblei: quod & *dolores*, & *funes* significat. Quanquam si verbum solvendi respicias funium vox magis huc quadrare videtur, quibus magis verbum illud competit quàm doloribus, quo fortassis etiam ipse Petrus in sermone suo usus fuit, licet Lucas vulgatæ 70 versionis lectionem secutus fuerit. *Dolores* autem *mortis* sic dicuntur vel (ut Pisc. existimat) per hypallagen Hebræam, pro morte doloris, id est mortem, ad quam quis per dolorem adactus est; vel potius per Metonymiam caussæ, sensu eodem. Soluti autem dicuntur dolores mortis, quia Christum à mortuis resuscitando vincula mortis ex dolore profectæ rupit Deus.

Necessitatem porrò resuscitationis Christi (quæ caussa impulsiva est, quæ Deum ad Christum ex mortuis resuscitandum inter alias permovit) his verbis indicat Petrus: eò *quod non erat possibile teneri ipsum ab ea*, sci. morte. Respicit ad decretum ea de re à Deo factum, & vaticinio Davidis de Christo comprehensum. Quod etiam statim confirmationis loco subjungit ex Psalmo 16. 8 seqq. Antequam vero testimonium ipsum Psalmi adducat, indicat se non sua, sed Davidis verba proferre, inquiens: vers. 25. *David enim dicit in ipsum* id est, de ipso, in ipsum oculos quasi intendens. Postea statim verba Psalmi refert: *Prospiciebam Dominum coram me semper*, &c. Priora hujus vaticinii verba ad principale Apostoli institutum quidem non spectant: verum quia cum reliquis cohærent, simul cum reliquis adducta fuerunt: cujusmodi exemplum etiam suprà vidimus vers. 17 & seqq. Duplex autem est horum verborum sensus, literalis ut vocant, & mysticus. Ille ad Davidem, hic ad Christum spectat, qui quidem non tantùm longè perfectior est, sed & verbis magis convenit. Verbum προωρώμην in Hebræo est *posui*. Dum verò inquit Psalmista: *Posui Dominum coram me jugiter*, duplex sensus esse potest. Alter de singulari Dei timore, qui tum in Davide Christi typo, tum in Christo ipso loquitur, quasi dicat. Ita Deum revereor, ut eum mihi semper quasi præsentem ob oculos ponam, & omnes meas actiones ad nutum voluntatis ejus componam. Et hic sensus videtur esse altero melior. Alter verba illa ad spem ac fiduciam in divina providentia collocatam refert, quasi dicat; Semper spem meam in Domino defigo, fretus divina ipsius providentia, ac paterna erga me cura. Pergit Psalmista: *quia à dextris meis est*: quibus verbis causa illius vel timoris vel spei in Deum pro diversitate utriusque sensus continetur. Si priorem sequaris sensus est quasi dicat quia mihi semper præstò est, & à latere quasi adstat, paratus ad opem mihi ferendam: si posteriorem sic intelligenda sunt hæc verba; quia hucusque expertus sum illum mihi semper adesse atque opem ferre. Additur caussa finalis *ne commovear* id est, ne nutet mea felicitas, aut penitus concidat, sed firma sit ac stabilis.

Vers. 26. *Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea*. Hic novum quoddam ex jam dicta caussa emergens effectum commemorat David, gaudium videlicet ingens cordis ex consideratione divinæ benignitatis in ferenda ope ortum trahens, & celebrationem divini nominis, quæ ex corde tanquam fonte in linguam erumpit & foras quasi effunditur. Pro vocula *linguæ* in Hebr. est vox *gloriæ* quam non tantùm hoc in loco, sed & alibi, ut Psal. 30. 3. LVII. 9 pro lingua per Meton. effecti, quod lingua gloriari soleamus, usurpari notârunt eruditi. Additur aliud effectum idque ad institutum Petri propriè pertinens, his verbis: *amplius & caro mea habitabit sub* vel *in spe*. Carnis vox pro corpore ponitur, usitato Hebraismo.

Sensus

Sensus autem istorum verborum si ad Christum referantur, longè est augustior, quàm si ad Davidem. Ad Davidem enim relata hoc tantùm sibi volunt, eum hac spe ductum fuisse, fore ut à periculis ipsi ratione corporis impendentibus sit immunis: ad Christum verò si referamus id volunt, eum mortuum non mansurum in sepulchro, sed quamprimum vitæ à Deo restitutum iri. Id quod etiam ex verbis mox sequentibus, quæ vel confirmationis, vel illustrationis loco subjunguntur, satis apparet.

Vers. 27. *Quoniam non derelinques animam meam in inferni* sc. domum &c. Sensu primus, si ad Davidem referas hæc verba, hic est, non permissurum Deum, ut in periculo vitæ constitutus absorbeatur ab inferno, seu in statum mortuorum deveniat: secundus autem, qui Christum respicit; non relinques me ita in statu mortuorum, ut in eo detinear, ut diu in faucibus mortis atque inferni hæream. Verba εἰς ᾅδου elliptica sunt, & supplenda addendo vocabulum οἶκον domum, aut similes, ut etiam alii notarunt. Septuaginta interpp. habent εἰς ᾅδην, ut etiam nonnulla exemplaria hîc legunt. In Hebræo est *lischol inferno*: ut sensus sit, non permittes me inferno, ut me absorbeat sc. si de Davide, vel ut me detineat, si de Christo intelligas. Dici potest εἰς ᾅδου etiam idem significare quod Hebræum *inferno*, tertiò casu positum. Sic enim alibi quoque εἰς cum quarto casu constructum, (qui in loco nostro subaudiendus est) vim tertii habere. Vide Gal. 3. 14, ubi *in gentes* idem est quod *gentibus*, & 1 Petr. 1. 4. *in vos* idem quod *nobis*.

Addit Psaltes: *Neque dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Dare hîc ponitur pro permittere. Pro vocabulo *sancti* est in Hebræo *Chasid*, quod *beneficum* significat, & passivè etiam pro beneficiario usurpatur. Sic ὅσια inf. cap. 8. 34. pro beneficiis usurpantur in verbis à Paulo ex Esai. 55. 3 citatis, ubi in fontibus est *misericordiarum* vel *beneficentiarum* vocabulum. Idem tamen etiam pro Sancto ac pio usurpari notant lexicographi. Significat autem hic *sanctus* eum, qui Deo addictus est: quod quidem longè perfectiori sensu, ut aliunde constat, Christo, quàm Davidi competit. *Videre* porro idem hic est, quod sentire seu experiri. Sic *videre mortem* Psal. 89. 40. Luc. XI. 26. Joh. 8. 51. *Corruptionis* denique vocabulum de Davide usurpatum dilutiorem sensum habet, quam de Christo. Nam si verba hæc de Davide intelligas, hoc sibi volent, Deum non permissurum, ut ex periculis illis mortis aliquid ad ipsum redundet infortunii, quin potiùs Deum ab illis immunem præstiturum salvumque atque incolumen servaturum: si verò de Christo, id indicant, quod Paulus etiam infra cap. 13. 35, 36 innuit, Christi licet vita functi corpus putredine corruptum non iri.

Restant ultima verba Psalmi, à Petro citati, quæ continentur vers. 28. *Notas fecisti mihi vitas vitæ.* In verbo ἐγνώρισας *notas fecisti* est enallage temporis. Aoristus enim pro futuro ponitur, ut ex Hebræo videre est ubi est: *notam facies semitam.* His autem verbis David spem suam exprimit, fore ut in periculis vitæ constitutus inde emergat, ratione sibi à Deo ostensâ. Ad Christum verò relata verba manifestum sunt de ejus resurrectione vaticinium, indicant, ipsum ex mortuis excitatum iri, & in vitam rediturum esse. Additur *Replebis me lætitia cum facie tua.* In fontibus ita legitur: *Satietas lætitiarum cum facie tua*, sensu eodem. Continetur verò his verbis effectum vel consequens ejus, quod in proximè præcedentibus dictum erat, nimirum ingens lætitia, quæ vel in Davide è periculis mortis liberato, vel in Christo à mortuis resuscitato exoritura erat. Imò, si de Christo sermo sit, videtur omnis ea gloria, quæ resuscitationem Christi consecuta est, his verbis comprehendi, quippe ex qua longè omnium maxima in ipsum redundavit, atque etiamnum redundat lætitia. Verba *cum facie tua* indicant talem eam fore lætitiam, qualis inde nascitur, cum Deus clementi aliquem facie respicit, id est, singulari benevolentia prosequitur: quam certè non exiguam esse lætitiam necesse est.

Testimonio hoc Psalmi in medium adducto, idem in sequentibus illustrat, & ostendit, ad rem, de qua agat, probandam, revera pertinere. Occurrit autem simul tacitæ quorundam objectioni, existimantium, verba illa in Davide solo jam olim impleta esse, ac proinde ad Jesum illum Nazarenum nihil pertinere. Quia verò magna erat Davidis apud auditores autoritas, facilè fieri poterat, ut ea, quæ dicturus erat Petrus, invidiam illi apud eos aliquam conciliarent. Insinuatione igitur utitur, & quasi cum venia ad id, quod dicturus est, accedit, ne videatur ad quandam Davidis contumeliam spectare. Sic verò inquit vers. 29. *Viri fratres licitum* [est vel sit] *dicere cum libertate loquendi ad vos de patriarcha David.* Dum eos *viros fratres* appellat, solita compellatione utitur, de qua supra cap. 1. 16 vidimus. Ad vocalem ἐξὸν addenda, quæ deest, vox ἐστὶ vel ἔστω: quasi dicat quandoquidem viri cordati estis, licet vel liceat mihi libere ad vos loqui de Patriarcha Davide. Davidem patriarcham vocat propterea, quod ille primus quasi lucem in suam familiam intulerit, eandemque constituerit, ut pote primus populi divini rex ab ipso Deo electus & constitutus, cum promissione perpetui in posteritate ipsius regni. His præmissis postea rem ipsa subjicit, inquiens: *quòd & mortuus est, & sepultus, & monumentum ejus est in nobis* id est inter nos, *usque ad diem hanc*: quibus verbis rem ita exprimit, ut longe plura auditoribus colligenda relinquat, nimirum eum non de seipso, sed de alio loqui: quippe cùm nihil constet eum a mortuis excitatum, quin potiùs cadaver ejus corruptionem expertum esse: id quod Paulus apertè asserit in concione sua Antiochiæ Pisidiæ habita, quæ extat Act. 13. vide ℣. 36. Cum ergo verba istha Psalmi Davidi sensu pleno ac perfecto non competant (nam certo sed dilutiori sensu eidem competere quæ dicuntur negari non potest, nec Petrus, licet videatur, simpliciter inficiatur) exinde vult colligi, ea si in quem alium, certe in Christum quadrare. Quod quidem argumentum etiamsi non sit apodicticum, rem irrefragabiliter concludens, id tamen, quod arguit, valde reddit probabile.

Vers. 30. *Propheta ergo existens* &c. In his ac sequentibus verbis clariùs ostendit, ad quem verba ista Psalmi pertineant. Præmittit verò ab initio quædam, quæ rem faciunt verisimilem, ac primò quidem quòd David propheta fuerit, ac proinde mirum non sit eum de rebus longè posthac eventuris, & quidem maximi momenti, ac nominatim de Messia, vaticinatum fuisse. Verùm quis cogitare quis poterat eum de alio aliquo, quàm de Christo verbis istis vaticinatum fuisse, addit: *& nosset, quòd juramento jurasset ipsi Deus, ex fructu lumbi ejus secundum carnem excitare Christum*, &c. quibus verbis indicat, eum scivisse de Christo, ac proinde non esse mirandum, eum de ipso vaticinatum fuisse. Duo autem hîc notanda sunt: alterum unde, alterum quid de Christo noverit David. Unde noverit ex illis verbis constat, quod Petrus asserit *Deum jurejurando jurasse ipsi* &c. quibus indicat, notitiam illam ex singulari ipsius Dei promisso & quidem jurejurando confirmato profectam fuisse. Hujus promissi fit mentio 2 Sam. 7. 12. 1 Chron. 22. vers. 10. juramenti autem nominatim cum promisso Psal. 132. vers. 11. Licet diffitendum non sit verba illius promissi primo sensu ad Salomonem, Christi typum, referenda esse. Quid verò de eo juraverit his verbis continetur, dum ait, jurasse Deum *ex fructu lumbi ipsius secundum carnem excitare Christum*: quibus indicatur, pollicitum fuisse Deum Davidi, se ex Davidis posteris aliquando producturum Messiam, populi sui regem. Dum dicitur, Christum excitatum iri *ex fructu lumborum Davidis* indicatur, eum ex posteritate Davidis originem ducturum. In lumbis enim quasi sedes est genitalis illius seminis, ex quo nascitur soboles. Quanquam id de Christo non ita intelligendum est, quasi operâ viri alicujus interveniente naturali modo ex Davidis semine fuerit progenitus;

nitus; sed quia natus fuit ex istiusmodi fœmina, quæ in stirpem Davidicam velut inserta, cum eo, qui ex posteris Davidis oriundus erat in unum corpus coaluerat: quod alibi fusius explicatum est. Vide Comment. in Matth. cap. 1.

Secundum carnem, quod additur, non divinæ alicui, ut vulgò volunt, in Christo naturæ; sed ei, quod in Christo fuit secundum Spiritum, opponitur. Significat autem certum respectum in Christo, quatenus nimirum consideratur in ipso quicquid carnale seu naturale, adde & civile fuit, ut quòd homo humanisque infirmitatibus obnoxius fuit, inter homines conversatus humana ratione fuit, & quæ sunt similia, atque innuit ea à Davide ejusve posteris ortum traxisse. Nam cætera, ut quod filius Dei fuit, obumbratione spiritus sancti ex virgine conceptus & natus, à Patre sanctificatus & in mundum missus, Spiritu sancto & virtute unctus miracula edidit stupenda atque alia divina perfecit opera, id omne à Deo in ipsum fuit profectum. Sic ad Rom. 1. 4 dicitur Christus factus ex semine David secundum carnem, & definitus filius Dei in potentiâ secundùm spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum, & cap. 9. 5. Esse ex patribus, secundùm carnem, qui est Deus benedictus in secula. Simili quadam ratione Ismaël secundum carnem dicitur genitus, Isaac verò secundum Spiritum Gal. 4. 28. Alibi etiam fit mentio fratrum secundum carnem Rom. 9. 3 & Dominorum secundum carnem Eph. 6. 5. Col. 3. 22. Infinitivus ἀναστῆσαι *excitare* sine casu, more apud Græcos recepto, positus ad Deum referendus est, significatque, Christum à Deo productum iri. Annectitur denique à Petro suscitationis hujus seu productionis Christi finis, dum inquit: *collocare super ipsius* Davidis videlicet *throno*. Verbum καθίσαι quod aliàs etiam neutraliter (ut loquuntur Grammatici) ponitur, & sedere significat, hic transitivè usurpari videtur pro *collocare, ponere*. Sensus autem est, Christum ideo à Deo productum fuisse ex posteris Davidis, ut regium ejus thronum seu regnum occuparet, & populi divini rex esset. Quod quidem non ita intelligendum est, quasi Christus Davidi parenti suo in regno terreno successurus, & terreno more regnaturus fuerit; sed per analogiam ac similitudinem quandam. Ita nimirum, ut quemadmodum David populi divini imperium à Deo acceperit, ejusdemque rex fuerit, similiter & Christus potestate à Deo in populum ipsius accepta, eundem regis instar, verùm cœlesti ac divina ratione sit gubernaturus. Quam ob caussam Christus ipse dicit se habere clavem id est potestatem atque imperium David. Apoc. 3. 7.

His velut fundamenti loco substratis jam rem ipsam Petrus persequitur, ac manifestè ostendit, de quonam in verbis Psalmi locutus fuerit Propheta: ℣. 31. *Prævidens*, inquit, *locutus est de resuscitatione Christi*. Prævisionem intelligit factam in Spiritu, cujus impulsu agitatus hæc verba protulit, sive ipse ea, si non plenè, saltem ex parte intellexerit, sive non. Sufficit enim spiritum eò respexisse. *Per resuscitationem Christi* intelligit resuscitationem ejus ex mortuis, ut ex antecedentibus, scopo & consequentibus sermonis Petri satis apparet. Reliqua verba, *quod non derelicta sit anima ipsius in inferni* [domo], *neque caro ejus vidit corruptionem*, quæ ex Psalmo superiùs citato depromta, superiusque explicata sunt, ulteriori explanatione non indigent. Id obiter notari potest præterita hîc pro futuris posita esse, more apud Prophetas frequentissimo, ad veritatem rei tanto certiùs asserendam.

Vers. 32. id quod supra vers. 23. de resurrectione Christi asseruerat, & prolixè in sequentibus vaticinio Davidis confirmarat, repetit inquiens, *Hunc Jesum resuscitavit Deus*, idque mox suo aliorumque Apostolorum testimonio confirmat, dum ait: *cujus omnes nos sumus testes*. Particula *cujus* neque ad proximum nomen *Dei*, neque ad remotius, *Jesu*, sed ad rem, de qua testari Apostolos asserit, referenda est.

Vers. 33. Petrus ad rem, à qua in commemoranda Christi dignitate ac potentia ante mortem, morte ipsa, & resurrectione ipsius nonnihil, ut auditores tantò faciliùs ad fidem Christo adhibendam pertraheret, digressus fuerat, redit manifesteque asserit, à Jesu Nazareno donum istud miraculosum esse profectum. Qua quidem ratione iterum magnificè majestas Christi commendatur, ad percellendos auditorum animos. Quanquam jure dici potest, Petrum potiùs id egisse, ut Christum ejusq; majestatem commendaret, quàm ut ostenderet, Spir. S. ab ipso fuisse effusum, & hoc potiùs illius caussa in medium attulisse. Scopus enim ipsius in toto hoc sermone principalis hîc fuit, ostendere Jesum esse Christum, ac proinde ejus doctrinam recipiendam esse id quod ex conclusione illius, quæ ℣. 36 extat, evidenter apparet. Sic verò inquit: *Dextra igitur Dei exaltatus, & postquam promissum sancti spiritus accepit à Patre, effudit hoc, quod vos nunc videtis & auditis*. Iterum majestatem Christi commendat, antequam rem ipsam ab eo profectam exprimat. Majestas autem illa gloria & potestate continetur, quam Christus à mortuis resuscitatus à Patre fuit consecutus. Priora verba nonnulli sic vertunt, *ad dexteram igitur Dei exaltatus*. Verùm licèt sensus conveniat, verba tamen ejusmodi translationem non ferunt. *Dextra* igitur *Dei* hoc loco immensam illam Dei virtutem ac potentiam, qua in exaltando Christo usus est, significat, quam etiam mirificè commendat Paulus ad Eph. 1. 19 & d. dum illis optat, *ut sciant, quæ sit supereminens magnitudo virtutis Dei in nos, qui credimus secundùm operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominatum, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo, verum etiam in futuro; & omnia subjecit ejus pedibus; eumque constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet*. Quibus etiam verbis graphicè exaltatio ipsa Christi describitur. Et hæc Christi exaltatio est veluti Oceanus ex quo variorum donorum flumina in Ecclesiam Christi ejusq; membra profluunt. Inter quæ dona merito primum sibi locum vendicat S. S. cujus uberrimâ largiendi copiâ potestatem Christus exaltatione sua consecutus est: quod etiam Petrus statim velut partem quandam exaltationis Christi subjicit, inquiens: *& promissionem Spiritus S. accepit à Patre*. Ubi *promissionis* vocabulum Metonymicè pro promisso ponitur, quod supra etiam Cap. 1. 4 notavimus. Genitivus *Spiritus S.* speciem denotat, quasi dicat promissum, quod est Spiritus S. Promissum verò istud ita accepit Christus, ut ipse eundem effundendi potestatem acceperit: quod etiam verba mox sequentia confirmant: *effudit id, quod nunc vos videtis & auditis*; quibus effectum exaltationis Christi, & res ipsa, quam auditoribus indicare voluit, continetur. In vocabulo *effundendi* metaphora est, ab aquis ducta, quemadmodum supra notavimus. Quid autem effuderit auditoribus ex effectis, quæ videbant in Apostolis, & audiebant ex eorum ore considerandum relinquit: ex quibus facilè erat perspicere, ea non aliunde, quam ex divina quadam virtute atque efficacia proficisci posse.

Confirmat Petrus quod dixit in sequentibus. Sic autem vers. 34 ait: *Non enim David ascendit in cœlum*. Ascensionis in cœlum ante hac expresse non meminit. Latet autem illa nihilominus in voce exaltationis, ad quam veluti gradus quidam fuit. Hic autem verba ascendit in cœlum per Synecdochen quandam Metonymicam ita latè sumenda sunt, ut totam Christi exaltationem in se comprehendant, quod ex oppositione, quæ est in sequentibus verbis, manifestum est. Ostendit ergo Petrus, Davidi ejusmodi gloriam non contigisse, sed Christo, de quo vaticinatus fuerit, idque in sequentibus verbis dum ait: *Dicit vero ipse*. δὲ pro ἀλλὰ ponitur quasi dicat sed ipse de alio, nempe de Messia ait: Postea statim verba Davidis ex Psalmo cx. desumta subjungit Petrus: *Dixit Dominus Domino meo*, ubi per *Dominum* primo loco positum Jehova, Deus ipse sum-

summus, Christi pater, intelligitur; per *Dominum* verò *suum* intelligit David Christum, quem in Spiritu, ut Christus ipse Matth. 22. 43 testatur, Dominum suum appellavit, vocabulo *Adon* ab altero *Jehova* diverso, ut eundem ab ipso Jehova distingueret. Dominum autem suum appellat, quia id prævidit in Spiritu, eum tantum fore Dominum, cujus imperium etiam in mortuos extendatur (quemadmodum etiam Paulus Rom. 14. 9 testatur, Christum ideo mortuum esse & resurrexisse, & revixisse, ut vivis & mortuis dominaretur:) vel saltem, cui etiam ipse, si viveret, parere ejusque tanquam Domini sui jussa sequi teneretur. Verbum *dixit* per Enallagen pro futuro *dicet* vel potius faciet ponitur. Hoc enim Dei dicere, ut & alias sæpe, facere est: quasi dicat David, effecturus est aliquando Deus, ut Messias Dominus meus sedeat à dextris ipsius. Pergit cum Davide Petrus ℣. 34. *Sede à dextris meis.* Phrasis hæc Metaphorica est, à terrenorum regum consuetudine ducta, qui quos primam maximamque post se autoritatem habere volunt, ad dextram suam collocare solent. Significat autem idem, quod summum post Deum dignitatis ac potestatis locum tenere, seu, ut Paulus uno verbo explicat, regnare 1 Cor. 15. 28, ubi de Christo inquit: *Oportet ipsum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedes suos.* Vide etiam Matth. 26. 64. Luc. 22. 69. Eph. 1. 20. Hebr. 1. 3, 13. VIII. 1. Addit Psaltes: *Donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Quibus verbis terminus regni Christi, seu quam diu sit regnaturus, describitur: quemadmodum ex verbis Pauli paulò antè adductis patet, *Traditurus* nimirum aliquando est Christus *regnum Deo & Patri, cum aboleverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem,* ut dicto cap. 15 ad 1 Corinth. ℣. 24 testatur Apostolus. Ubi per principatus & potestatem & virtutes intelliguntur omnes, quicunque regnanti Christo adversantur, potissimum verò Satanas cum toto suo exercitu, & quotquot Satanæ imperium sequuntur, ut sunt plerumque potentes hujus mundi, imò omnes impii. *Ultimus* autem Christi *hostis abolebitur mors*, ut testatur ibidem ℣. 26 Apostolus, quod fiet, cum Christus in illustri suo adventu fideles suos ex faucibus mortis ereptos sempiterna immortalitate donabit. Phrasin *ponere inimicos scabellum pedum*, ab eorum more, qui hostes suos acie victos sub jugum miserunt, vel potius supplicio affecerunt, ductam esse satis ex historia Josuæ constat, in qua legimus, Josuam cap. 10. 24. præcepisse omnibus ducibus belli, ut ponerent pedes suos super colla quinque regum Cananæorum in spelunca quadam captorum, & supplicio afficiendorum. Indicatur ergo his verbis tam diu regnaturum, donec omnes inimicos suos sibi subjiciat, ac ultimo tandem omnes ignis æterni supplicio afficiat. Etiamsi vero verba Psalmi ita sunt comparata, ut Deo non Christo hæc inimicorum ejus subjugatio ac pœna tribuatur: intelligendum tamen est, Deum istud omne per Christum efficere ac porrò effecturum, tanquam eum, cui Joh. 5. omne judicium dedit, ac proinde Deo jure merito, velut principali caussæ, omnia tribui.

Concludit tandem sermonem suum Petrus vers. 36. his verbis: *Certò igitur nôrit omnis domus Israël &c.* ubi velut in summam colligit ea, quæ antea fusiùs de majestate Christi dixerat. Primò autem rem asseverat, inquiens: *Certò igitur sciat omnis domus Israël*, quibus verbis auditoribus persuadere nititur, rem ita ac non aliter se habere. *Domus Israël* pro familia Israëlitica ponitur, ut *Israël* sit Genitivus speciei, nisi mavis ipsum Jacobum intelligere populi Israëlitici autorem. Deinde rem ipsam edisserit his verbis: *quòd Dominum & Christum ipsum Deus fecerit, hunc Jesum, quem vos crucifixistis. Dominus* & *Christus* revera hic idem sunt; licet prius posteriori latiorem habeat significationem. Intelligitur autem Dominus cœlestis, & rex populi divini singularis: Dominus nimirum per quem omnia, & nos per ipsum: rex cui tradita est omnis potestas in cœlo & in terra, qui est arbiter vitæ ac necis nostræ, & quidem sempiternæ. Hunc autem *Deum fecisse Dominum ac Christum* asserit Petrus, id est, constituisse, potestate omni in cœlo atque in terra illi tradita. Nam quod alii volunt, verbo *fecit* declarationem duntaxat significari, id veritati consentaneum non est, ut alibi pluribus ostendimus. Vide lib. 1. de uno Deo Patre sect. 2. cap. 18. pag. 204 seqq. Hoc loco autem non est omittendum, Ambrosium & Hilarium lib. 1. de fide c. 7. in his ipsis Petri verbis pro voce Domini legere Dei nomen, quasi Petrus dixerit: *Et Deum eum, & Christum fecit Deus hunc Jesum*, &c. Id quod etiam, si lectionem hanc repudiare velis, nihilominus ex illis verbis colligi firmiter potest. Vide lib. 1. de Uno Deo Patre d. cap. pag. 214. seq. Ultima verba, *hunc Jesum, quem vos crucifixisti*, propheterea addidit Petrus, ut illis denuò peccatum ipsorum ante oculos poneret, ac gravitate ejus ostensa, serium in animis ipsorum dolorem ac resipiscentiam excitaret.

Adhuc sermo Petri, sequitur ejusdem effectum ac consequens, quod Lucas his verbis describit ℣. 37. *Postquam verò audiissent compuncti sunt corde.* Ostenditur, sermonem Petri auditorum animos non prætervolasse, aut in extremis tantùm eorum auribus hæsisse, sed altiùs in animum ipsorum penetrasse, stimulosque iis ejusmodi infixisse, ut serio dolore perculsi, atque ad agnitionem facinoris sui adacti, de eluendo isto crimine & vita in melius mutanda seriò cogitarent. Id quod etiam sermo eorum, ex hac animi perculsione natus docet, quem his verbis subjungit Lucas: *Dixerunt verò ad Petrum & reliquos Apostolos: quid faciemus*, vel, ut alii legunt, *faciamus, viri fratres.* Petri primo & nominatim fit mentio, quia is reliquorum omnium veluti nomine auditores affatus fuerat. Dum verò interrogant, *quid faciemus?* modum ac medium sibi ostendi petunt, qua ratione remissionem tanti sceleris, in crucifigendo Christo, Domino ac rege suo, commissi possint consequi.

Vers. 38 & 39. Subjicitur responsio Petri, in qua docet auditores, qua ratione non modò remissionem peccatorum, sed etiam donum Spiritus sancti possint consequi. Sic autem verba Lucæ habent: Petrus verò dixit ad illos, *Resipiscite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum*, &c. Duo his verbis docet Petrus: alterum est, quid faciendum sit auditoribus; alterum quem inde fructum sint habituri. Duo autem illis facienda proponit, quorum prius indicatur verbo *resipiscite*, quo id ab auditoribus exigit, ut in posterum non modò mentem, sed & totam vitam suam mutent in melius, ac secundum normam divinorum præceptorum componant. Hæc enim est usitata verbi μετανοεῖν in sacris literis significatio: licet interdum pro animi tantùm in melius mutatione usurpetur, & ab emendatione vitæ, tanquam fructu suo, distinguatur. Vide Matth. 3. 8. Act. 26. 20. Posterius quod ab Auditoribus faciendum proponit Petrus est, *ut baptizetur unusquisque eorum in nomine Jesu Christi*, quibus ab illis exigit, ut ablutione seu immersione in aquam publicè profiterentur actestarentur, se Christum pro suo Domino ac magistro habere, ejusque imperata facturos esse. Hic enim finis erat baptismi aquæ, ἐπὶ τῷ ὀνόματι hic idem est, quod εἰς τὸ ὄνομα, inf. cap. 8. 16. 1 Cor. 1. 13, 15. Fructus, quem consilium ipsum sequentes sint consecuturi, à Petro in sequentibus indicatur dum addit: *in remissionem peccatorum.* Primus hic est fructus resipiscentiæ ac baptismo communis. De resipiscentia quidem res ex aliis tum veteris, tum novi fœderis locis manifesta est. Vide inter alia inf. cap. 3. 19 & 5. 31. cui geminus est locus Luc. 24. 47. & inf. cap. 26. 18. Ad baptismum verò quod attinet, sciendum est, eidem remissionem peccatorum tribui, non quidem vi ipsius ritus externi, sed professionis nominis Christi, quæ cum hoc ritu si rectè peragatur, individuo nexu, est copulata. Remissionis autem peccatorum nomine liberatio tum à reatu, tum à pœna peccatorum intelligitur: cujus jus quoddam obtinent omnes, quicunque

in Christum credunt, ac nomen illius profitentur, eodemque etiam jure reipsa perfruuntur, si fidem suam omnis generis pietate contestati fuerint. Sed & alium fructum auditoribus suis offert Petrus, si monitis suis obtemperarint: *& accipietis donum Sancti Spiritus*: quod etiam sequenti versiculo confirmat. Per *donum sancti Spiritus* ipsum Spiritum sanctum, qui tum temporis opulenter in Apostolos effusus, ac porrò in alios fideles effundendus erat, intelligit. Ut Genitivus *Spiritus S.* sit Genitivus speciei quasi dicat donum quod est Spiritus S. Sic inf. cap. 10. 45. conf. XI, 15, 17, 17. Solebat enim tum temporis donum istud fidelibus quam primum Christum per baptismum aquæ profiterentur, conferri, licet non semper. Legimus enim interdum haud paulò post, interdum etiam ante baptismum Spiritum S. in credentes fuisse effusum. Illius exemplum est infrà Cap. 8. 15 seq. hujus verò Cap. 10. 44. Non enim ita alligatum fuit hoc donum baptismo, ut sine illo conferri haudquaquam posset.

Confirmat id, quod pollicitus fuerat auditoribus Petrus vers. seq. 39 dum ait: *Vobis enim [facta] est promissio, & liberis vestris &c.* Per promissionem verò illam intelligenda est promissio Spiritus sancti, cujus proximè mentionem fecerat. Videtur enim Petrus omnino digitum intendere ad verba Joëlis suprà ab ipso adducta ỷ. 17 seqq. Ostendit autem, non esse cur auditores dubitent, se fructum, quem illis, si resipiscerent, & Christi doctrinam amplecterentur ac profiterentur, pollicitus erat, consecuturos: cum illis singulari jure, ex pacto nimirum, & promissione ipsis facta debeatur. Simul autem significat Petrus non ad ipsos tantum, sed etiam ad ipsorum posteros promissionem illam pertinere; imò nec ad illos tantum, verùm etiam ad gentes. Addit enim, *& omnibus qui longè sunt, quoscunque advocaverit Dominus Deus noster.* Per eos enim, *qui longè sunt*, gentes intelligi, ex c. 2. epist. ad Eph. ỷ. 14 & 15 patet. Quanquam enim Petrus, cùm hæc loqueretur, id non intellexisse videtur, quippe cui de vocatione gentium adhuc non constabat, ut ex Cap. 10. Act. manifestum est: dubium tamen non est, Spiritum S. linguam Petri gubernantem eo respexisse. Dicit autem Petrus eos *à Deo advocatum iri*, significans Gentibus haud secus ac Judæis Euangelii doctrinam revelatum, easque hac ratione ad communionem beneficiorum, in ea promissorum invitatum iri. Simul vero innuit hoc beneficium, non ex aliquo gentium merito sed ex singulari quadam Dei eos vocaturi gratia profecturum esse.

Vers. 40. Lucas, antequam effectum istorum, quæ nunc explicata sunt, verborum Petri subjungat, aliquid interserit, ad sermonem Petri pertinens. Sic vero scribit: *Aliis etiam sermonibus pluribus obtestabatur & hortabatur.* Ostendit Lucas, Petrum non istis tantum, quæ recensuerit, sed & longè pluribus verbis usum in sermone suo ad populum habito. Dum verò dicit, eum obtestatum fuisse, auditores videlicet, hoc vult Petrum auditores gravissime, Deum velut in testimonium vocando, adhortatum fuisse. Quæ verò adhortationis illius summa fuerit, statim addit Lucas, scribens Petrum dixisse: *Servamini à natione prava hac:* quibus verbis eos hortatur, ut sese segregent ac discedant à reliqua Judæorum in Christum credere nolentium, oblatamque divinam gratiam contumaciter repudiantium turba, ne eodem cum ipsis exitio involvantur, sed potiùs ab eodem liberati, in perpetuum serventur. Verbum *servandi* duorum verborum vim habet. Hoc enim indicare voluit Petrus, auditores ab infidelibus reliquis se segregando seipsos servare debere. Per *nationem pravam* non tantùm vulgus Judæorum, doctrinam Christi recipere nolentium, sed etiam, & quidem maxime, primores populi, Pharisæi ac scribæ intelliguntur. Alibi etiam infideles hoc epitheto insigniuntur Phil. 2. 15.

Sequenti vers. 41. pergit Lucas describere sermonis à Petro habiti effecta, his verbis: *Qui ergo libenter recipiebant sermonem ipsius &c.* Primùm eos describit, in quibus effecta, quæ subjuncturus est, locum habuerint: quòd nimirum libenter, seu alacriter ac cum gaudio quodam non tantùm verbis Petri fidem adhibuerint, sed etiam animum eò induxerint, vitam in posterum ad doctrinæ Christi præscriptum instituere. Deinde effecta ipsa recenset: quorum primum continetur verbo *baptizati sunt*, quo indicatur eos ritu baptismi suscepto publicè testatos ac professos fuisse, se Christum pro Domino ac magistro suo agnoscere, ad ejusque nutum ac præscriptum posthac velle vivere. Alterum effectum, quod ex priori illo veluti nascitur continetur his verbis: *& appositæ* vel *additæ sunt die illo animæ quasi* vel *circiter ter mille.* His verbis indicatur eos, qui sermonem Petri receperint, idque publicè per baptismum testati fuerint corpori Ecclesiæ insertos fuisse. *Animæ* idem sunt quod homines, quos alias appellare solemus capita, per Synecdochen membri. Innuitur vero simul & circumstantia temporis, & adjunctum numeri.

Vers. 42. *Erant verò perseverantes &c.* Tertia pars capitis, in qua describitur, quænam fuerit ratio vivendi sive studia & occupationes fidelium in primitiva Ecclesia. Primo autem Lucas ea studia atque occupationes breviter recenset; Deinde eadem paulò fusiùs explicat. Prius facit hoc versiculo ubi diversa studia enarrans, primò inquit: *Erant* verò *perseverantes*, id est, perseverabant (est enim in phrasi Lucæ Græcismus, & ex parte Hebraismus) *in doctrina Apostolorum.* Indicatur his verbis, eos, qui in doctrinam Christi nondum planè ac plenè perceperant, ejusdem ac discendæ caussa Apostolis adhæsisse, sedulamque dedisse operam, ut indies majores in ea facerent progressus, eandemque quantum satis esset addiscerent. Qua in re singulare eos studium adhibuisse, verbum προσκαρτερεῖν significat. Addit Lucas: *& in communione* per quam ea intelligitur bonorum omnium communio, quam postea pluribus vers. 44 & seqq. persequitur. Huic tertiò loco subjicitur & *in fractione panis* per quam non vulgaris illa, cujus ỷ. 46 fit mentio, sed sacra, quæ fit celebratione ritus Eucharistici, intelligenda est, cum omninò de rebus sacris hîc agatur, nec verisimile sit Lucam in eorum numero vulgare aliquid collocare voluisse. Est autem in phrasi hac Synecdoche membri. Pars enim ritus Eucharistici ponitur pro integro: quemadmodum etiam fit Act. 20. 7. Ritus autem iste fractionis panis, repræsentat fractionem corporis Christi, hoc est, dolores acerbissimos ac mortem ipsam truculentissimam, qua corpus Christi attritum & veluti comminutum fuit. Unde etiam apparet, hunc ritum non esse adiaphorum, sed omnino adhibendum exemplo ipsius Christi, & Apostolorum. Vide Matth. 26. 26. 1. Cor. 10. 16. XI. 24. Quartò Lucas addit, *in precibus*, per quas publicas preces intelligit; sub quibus etiam, ut alibi quoque fit, gratiarum actio, vid. Luc. 18. 10, 11. Act. 3, 1, 16, 13. Phil. 1. 3, 4: per Synecdochen quandam comprehenditur.

Vers. 43. Lucas duo effecta commemorat: alterum generale, quod generatim ad omnes pertinet; alterum speciale, ad Apostolos solos spectans, quod quidem caussa fuit illius prioris. Illud his verbis exprimit Lucas: *Factus est*, vel *fuit verò omni animæ timor.* Ubi per *omnem animam* omnes generatim homines, & quidem inprimis Hierosolymitanos, qui erant extra numerum fidelium, intelligit. Dum vero ait illis *factum esse vel fuisse timorem* hoc indicat quod reveriti ac quodammodo venerati fuerint Christianos, ob singularem, quem in illis cernebant pietatis & charitatis fervorem, ac stupenda, quæ inter illos fiebant, opera, adeò ut nonnulli etiam cœperint eos magnifacere, in eamque mentem venire, religionem ipsorum sacrosanctam atque à Deo ipso profectam fuisse. Hinc etiam factum, ut non auderent quicquam adversus eos moliri. Simile quid etiam infrà cap. 4. 33. & 5. 13 legitur. Alterum idque speciale effectum Apostolorum sequentibus verbis continetur; *& multa prodigia & signa per Apostolos fiebant.* Per prodigia & signa, Apostolorum miracula, quæ potissimùm ac quàm creberrimè in sanandis ægrotis eluxerunt, intelligun-

guntur. Hic autem non obscurè caussa timoris illius in populo, cujus antè mentio facta est à Luca, indicatur, adeò ut particula γὰρ & pro *nam* posita esse videatur. Omnino enim certum est, homines quam plurimos, cum viderent Apostolos non modo variis linguis magnalia Dei proferre, verùm etiam stupenda admodum miracula edere, timore ejusmodi, quem jam descripsimus, correptos fuisse.

In sequentibus pergit Lucas fidelium primævæ Ecclesia studia describere, dum ita inquit ỷ. 44. *Omnes verò credentes erant in id ipsum* id est *unà*. Credibile est, in his verbis sermonem de publicis conventibus fieri, qui divini cultus peragendi gratia habebantur, iique tum privati, domatim hinc inde habiti, tum inprimis publici. Solebant enim singulis diebus unanimiter in templo confluere, ut ipse Lucas infrà vers. 46. scribit, & quidem in portico Salomonis, cujus fit mentio infra cap. 5. 12. Aliud studii genus additur in sequentibus hujus versiculi verbis, quod etiam sequenti versiculo illustratur. Sic vero scribit Lucas: *& habebant omnia communia.* Omnia nimirum, quæ salva honestate, & rei ipsius natura ferente ad vitam tuendam communia esse possent, bona nimirum & facultates, ædes, supellectilem, victum, amictum & similia: adeò, ut non tantum usum ejusmodi rerum, sed etiam res ipsas aliis indulgerent. Ejusdem communionis etiam inf. cap. 4. 32 fit mentio, ubi ita Lucæ verba habent: *Nec quisquam aliquid [eorum] quæ possidebat, dicebat proprium esse: sed erant omnia illis communia.* Illustraturus vero Lucas, quæ hoc loco de communione fidelium dixerat, addit ỷ. 45: *Et possessiones & substantias vendebant, & distribuebant illa omnibus* &c. Quibus verbis significatur fideles, non tantùm bona sua, ut vocant, mobilia, verùm etiam immobilia vendidisse, ut ita illis suppeteret quod fidelibus liberalissime largirentur ac distribuerent, *prout cuique opus erat*, ut Lucas ait, quibus verbis significat eos non id, utrum quis domesticus, an extraneus, civis an peregrinus, cognatus an nullo cognationis vinculo junctus esset, aut alia, sed solam cujusque indigentiam spectasse, adhibita tamen consideratione circumstantiarum personæ & conditionis cujusque. Describitur itaque hoc versiculo cùm medium ad istam communionem necessarium, tum modus ejusdem. Istud prioribus verbis, dum bona ac substantias suas vendidisse, hoc dum distribuisse illa omnibus, prout cuique opus erat, dicuntur fideles. Laudabile autem fuit quidem hoc ipsorum institutum, non tamen necessarium, aut ex Apostolorum jussu aliquo, sed potius ex abundantia quadam charitatis erga inopes fratres profectum. Hoc quidem necessarium erat, ut fratrum inopiæ succurrerent, sed ut id tam largiter atque effuse facerent, necessarium non erat. Constat id partim ex manifesta ratione, partim ex ipsis scripturis. Ex ratione manifesta, quia ejusmodi communio diuturna ac constans esse non potest, exhausto tandem liberalitatis fonte, præsertim si soli religioni vacent homines, quod fideles illos primos fecisse apertis indiciis constat. Unde etiam credibile est hinc factum fuisse, ut tandem in angustias redacti, tempore caritatis annonæ aliorum fidelium liberalitate sublevandi fuerint. Ex scripturis verò manifestum est, arbitrio fidelium relictum fuisse, vellent-ne res suas in ejusmodi usum vendere nec ne. Id quod ex verbis Petri ad Ananiam constat: inf. cap. 5. 4. ubi ait: *Nonne manens*, prædium sc. *tibi manebat?* quasi dicat, nonne illud, antequam venderes planè tuum erat, inque arbitrio tuo positum erat utrum retinere velles an vendere? *& venditum in tua potestate erat.* Quasi dicat etiam cum vendidisses, pretium in tua potestate erat, licebatque illud ad nos vel deferre vel non deferre. Ut taceam usum aliorum veterum Christianorum, & aperta documenta, ejusmodi communionem in aliis extra Hierosolymitanam Ecclesiis non vigui sse. Ejusmodi autem communio, qualis à Luca hîc describitur laxior jure meritò appellari potest. Sed est alia strictior, quam omnino semper inter Christianos vigere necesse est, quæ in eo cerni debet, ut omnes, præsertim verò ditiores aliorum inopiæ succurrant, & ex præscripto Christi etiam bona sua vendant & dent eleemosynas. Luc. 12. ỷ. 33. Ex quibus verbis manifestè apparet, teneri Christianos etiam cum jactura bonorum suorum aliis benefacere: id quod fit peregrinos atque exules in domum suam recipiendo, esurientes cibando ac potando, nudos vestiendo, aliisque charitatis officiis. Quòd autem Communistæ, quos vulgò vocant, hæc, quæ à Luca scripta sunt, ad suum institutum trahunt, id nullo solido fundamento nititur. Præterquam enim quòd ex re libera rem omnino necessariam faciunt, neminemque in suam societatem recipiunt, qui bona sua in commune non conferat, id neutiquam probari potest, quòd multiplex est in ipsorum communione confusio: ut quòd non ita, quemadmodum decebat pudori ac honestati in cubiculis præsertim consulitur; naturali parentum erga liberos affectui, dum ab eorum consortio avulsi separatim educantur, vis quodammodo infertur; omnibus promiscuè, nulla habita ratione vel valetudinis, vel temperaturæ corporis, iidem cibi idemque potus apponitur; ac denique ut alia taceam, omnes itidem promiscuè laboribus manuum mancipentur, nulla eorum quæ ad liberalia artium ac pietatis studia adhiberi possent, ingeniorum ratione habita.

Initiò ỷ. 46. Lucas quodammodo explicat id, quod suprà de fidelibus, quòd unà fuerint, dixerat. Verba textus sic habent: *Et quotidie perdurantes unanimiter in templo*: quibus indicatur, fideles, reliquis Judæis in templum, peragendorum sacrorum caussâ confluentibus, eorundem morem secutos fuisse, atque ita Judaicæ adhuc Ecclesiæ velut adhæsisse, quàm diu ab ea non repellerentur. Quanquam credibile est, fideles peculiari in loco templi congregatos; præeunte aliquo ex Apostolis, cultum divinum auditu divini verbi ac fusione precum peregisse. Postea aliud studium subjungitur, his verbis: *frangentes domatim panem*: quibus verbis ejusmodi convivia fidelium designari videntur, quæ charitatis erga pauperes exercendæ gratia instituebantur, quæ in veteri Ecclesia agapas appellabant. In quibus proculdubio etiam fractio panis Eucharistici fuit celebrata. Pergit Lucas: *Capiebant cibum in gaudio & simplicitate cordis*, quibus verbis describit, quibus moribus prædiri fideles convivia illa celebrârint. Per *gaudium* autem illud non intelligitur gaudium aliquod carnale ac terrenum, sed spirituale, gaudium in Domino, ut appellat Apostolus ad Phillipp. 4. 4: quo exultabant ac lætabantur, sibi Christum à Deo regem datum esse, ac per ipsum tot ac tanta spiritualia dona, ac beneficia contigisse, ac porrò obventura esse, qualia sunt, Spiritus sanctus, remissio peccatorum, vita æterna, &c. Sub hoc autem gaudio etiam laudes divini nominis & gratiarum actiones, velut effecta, continentur. *Simplicitas* autem *cordis* in eo consistebat, quod nulla in illis erat hypocrisis, sed omnia sincero corde agebant, Deum pietate colentes, proximum verò charitate non simulata complectentes.

Vers. ult. primùm novum fidelium studium, ex gaudio cujus antea mentionem injecerat Lucas, profectum commemorat, dum inquit: *Celebrantes Deum*, id est, * * * *cœlum capere, usque ad tempora restitutionis omnium &c.* Quibus verbis indicatur, id, quod Christus non statim ad judicium veniat, haud temere, sed consilio Dei fieri, cum nondum venerint ea tempora, quę Deus adventui Christi ad judicium destinarit. Simul autem his verbis indicatur ubi nunc Christus commoretur, & quam diu ibidem commoraturus ac tandem ad judicium venturus sit. Prius indicatur his verbis: *quem*, videlicet Jesum Christum, *oportet cœlum quidem capere.* Particula *oportet* consilium ac decretum Dei significat. Per *cœlum* intelligitur, non istud aspectabile, sed cœlum tertium, paradisus, sedes ac domicilium Dei, lux inaccessa, in qua Deus ipse habitat. Ascendit enim supra omnes cœlos, aspectabiles videlicet, & consedit ad dexteram majestatis Dei in supracœlestibus, paraturus nobis

in domo Patris sui locum. Verbum δέξασθαι activam significationem habet, indicatque Christum cœlo capi; non verò, quòd Christus cælum capiat, hanc enim significationem nec usus verbi δέχεσθαι, nec res ipsa fert, ut dicas, quod Christus cœlum ceperit, seu receperit; quin potuis dicendum, quòd cœlum Christum ceperit vel receperit, non quidem veluti carcer aliquis, quemadmodum nonnulli explicationem hanc cavillantur ac suggillant; sed veluti regia sua, in & ex qua dominatur ac regnat. Quàm diu autem Christus in cœlis sit commoraturus sequentibus hujus versiculi verbis significatur, dum addit Petrus: *usque ad tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os omnium sanctorum suorum prophetarum à seculo.* Per tempora restitutionis intelliguntur ea tempora, quæ Petrus antea ỳ. 19, *tempora refrigerationis* appellaverat, in quibus omnia, quæ veluti collapsa sunt, restituentur vel potiùs in longe meliorem statum transferentur, cùm nimirum Christus ad judicium venturus suos fideles vel jam mortuos resuscitabit incorruptibiles, vel adhuc superstites immortali corpore induet, secumque, cœlis hisce aspectabilibus, terraque, atque omnibus quæ in eis sunt, igni abolitis, in novum illud cœlum novamque terram, in qua habitat justitia, transferet, eosque revera in novum ac longè meliorem statum, quàm vel olim primorum nostrorum in paradiso parentum erat, collocabit, ut illic perpetuò vivant, sempiternisque deliciis perfruantur. Quanquam non videatur nobis absurdum per vocabulum *restitutionis omnium*, intelligere complementum sive impletionem eorum, quæ Deus olim per prophetas tradiderit: quo sensu admisso, omnia plana sunt, nec quicquam difficultatis habent. Et sanè vocem istam ἀποκαταστάσεως *complementi* voce reddi posse vel ex Syriaco interprete constat, qui ita, si Latinam Tremelli translationem sequamur, verba Petri reddidit: *Quem opartet cœlos excipere usque ad complementum temporum omnium eorum, quæ locutus est Deus per os prophetarum*, &c. Voculam *omnium* ad subjectam materiam referendam esse monere vix opus est. Particulam οὗ Beza ad vocem temporum refert, ideoque vertit *de quibus*: sed illud facere non est necesse, cùm optime cum proximè præcedentè particula cohæreat, eaque notet, quæ per Christum restituenda sunt. Verba *à seculo* licèt ad verbum *locutus est* referri possint, tamen cum proxima etiam voce quàm optimè cohærere possunt. Videtur enim omissus esse articulus, ac si dictum fuisset, προφητῶν τῶν ἀπ' αἰῶνος, quemadmodum expressè in cantico Zachariæ legitur Luc. 1. 70. Significant autem voculæ istæ à seculo idem quod olim, ex antiquis temporibus: quo sensu etiam leguntur Esai. 64. 4. Jer. 2. 20. Prov. 8. 23. Huc usque prima ratio, qua Petrus auditores ad resipiscentiam incitare voluit, porrigitur.

Sequitur altera, à testimonio Mosis aliorumque Prophetarum de Christo ducta: quam primò Petrus proponit ỳ. 22. 23, 24: deinde ad auditores pertinere ostendit ỳ. 28 & seqq. Producit autem Petrus primò testimonium Mosis ỳ. 22, dum inquit: *Moses etenim ad patres dixit: Prophetam vobis excitabit Dominus*, &c. Particulæ μὲν γὰρ rationem reddi quidem indicant, sed non proximè præcedentium, verùm propositionis principalis, quæ principio ỳ. 19 extat: quasi dicat Petrus; Ideo verò, præter jam dictam caussam resipiscere debetis, quia Deus aliquando patres vestros per Mosen ita allocutus est; Prophetam, &c. Per *patres* intelliguntur Iudæorum majores, quibus Moses legem olim in deserto jussu atque autoritate Dei tradidit. Testimonium ipsum extat Deut. 18. 18. atque ita, ut in textu adducitur habet: *Prophetam vobis excitabit Dominus Deus vester*, &c. Sensus hujus vaticinii duplex est, literalis, ut vocant, & mysticus. Sensus literalis generalis est, & rationem continet, qua dehortatur Israëlitas Moses, ne gentium more ariolos aliosque divinos consulant, cùm futurum sit, ut Deus illis semper Prophetam, saltem aliquem sit excitaturus, quem in rebus dubiis consulere possint. Quemadmodum etiam semper in populo Israëlitico post Mosen Prophetæ à Deo fuerunt excitati, nisi fortassis populus peccatis suis id meritus fuisset, ut fames verbi divini, hoc est vaticiniorum propheticorum penuria illis immitteretur: quemadmodum tempore Heli accidisse 1 Sam. 3. 1, & Amos prophetam populo sui temporis comminatum fuisse Amos cap. 8. ỳ. 11, 12 legimus. Sensu autem mystico hæc verba vaticinium de Christo continent: quem sensum etiam tum temporis à Judæis ipsis admissum fuisse credibile est. Aliàs enim à Petro ac Stephano infra cap. 7. 37, non ita simpliciter adducta fuissent. Duo autem vaticinium istud membra habet. In priori Messias populo Judaico promittitur in posteriori officium illi præstandum describitur. Promittitur autem Messias ita, ut primò ejus officium, secundò origo, tertio dignitas singularis, præter eam, quæ ex prioribus duobus elucet, describatur. Officium ejus describitur vocabulo *Prophetæ*: quo non vulgaris aliquis, sed singularis atque eximius significatur, qui nimirum hominibus latentem adhuc in mysterio divinam voluntatem annunciaturus esset. Origo ejusdem innuitur duplex, divina, & (si ita loqui fas est) humana. Divina exprimitur his verbis, dum ait Moses: Prophetam *excitabit Dominus Deus vester*. Verbum *excitabit* hîc idem est quod dabit, exhibebit, mittet. Manifestè ergo dicitur Messiam non à seipso venturum, sed à Deo summo exhibitum atque missum iri. Quod quidem multum ad conciliandam illi auctoritatem facit. Humanam originem sequentibus verbis indicat Moses, dum addit: *ex fratribus vestris*, quasi dicat non alienigenam aliquem, sed ex gente vestra, ex posteris Israëlis natum, vobisque sanguinis vinculo conjunctum. Verba denique *sicut me* singularem quandam Christi præ aliis Prohetis dignitatem innuere videntur, eum nimirum ipsi Mosi, quo cum Deus ore ad os locutus est, similem, imò superiorem. *Moses enim*, ut divinus autor Epistolæ ad Hebræos ait, cap. 3. ỳ. 5, 6, [fuit] *quidem fidelis in tota domo ipsius* (sc. Dei) *ut minister, in testimonium eorum quæ erant dicenda: Christus verò tanquam filius super domum suam.* Promissioni autem huic additur adhortatio, in qua officium Messiæ præstandum describitur, quæ additâ comminatione adversus officium istud detrectantes sequenti versiculo illustratur ac confirmatur. Adhortatio his verbis continetur: *Ipsum audietis secundùm omnia quæcunque locutus fuerit ad vos.* Quibus verbis & officium ipsum & perfectio officii describitur. Officium quidem verbo *audiendi*; quo non tantùm ipse auditus, verùm etiam ejusdem consequentia, fides & obedientia, per Metonymiam in Sacris Literis frequentem, qualis etiam est in illis ipsius Dei verbis, in sacro monte cœlitus delatis: *Hic est filius meus*, &c. *hunc audite.* Credendum igitur est promissis Christi, & mandatis ejus parendum, si officio nostro satisfacere velimus. Perfectio autem hujus obedientiæ quanta esse debeat his verbis indicatur: *secundùm omnia*, hoc est, in omnibus, *quæcunque locutus fuerit ad vos.* Nihil ergo ex dictis Christi in dubium vocandum, nihil quod faciendum præcepit omittendum.

Huic adhortationi Moses confirmationis caussâ annectit comminationem, quæ ỳ. 23 extat: *Erit verò, omnis anima, quæ non audiverit Prophetam illum exscindetur ex populo.* Verbum *erit*, ut Piscator etiam notavit, ex Hebraismo redundat sic supra cap. 2. 21. *Omnis anima* quemvis hominem denotat. Per excidium intelligitur interitus sempiternus, qui omnibus Christo obedire nolentibus est paratus, teste Apostolo 2 Thess. 1. ỳ. 8, 9. Sensu autem literali intelligitur irrogatio supplicii capitalis, quo prophetarum contemtores è populo exterminandi erant.

Testimonio Mosis subnectit Petrus testimonium aliorum Prophetarum dum inquit, ỳ. 24. *Et vero omnes prophetæ à Samuèle & iis qui deinceps* [fuerunt,] *quotquot locuti sunt, etiam prænunciarunt dies hosce.* Particula καὶ proleptica est, si autem pro ἀλλὰ ponitur, quasi dicat non tantùm Moses, sed etiam alii prophetæ à Sa-

à Samuële, &c. de Christo testati fuerunt. Occurrit ergo tacitæ cogitationi auditorum, ne existimarent, Mosen solum de Christo locutum fuisse; & præterea rationem suam magis adhuc, assumtis etiam aliorum prophetarum testimoniis, roborat. Quasi dicat; Non solùm Moses de Messia vaticinatus est, verùm etiam reliqui, qui eum secuti sunt, ut Samuël, aliique post eum prophetæ, itidem de rebus hisce in nomine Domini ediderunt oracula. De voce *omnium* vide quæ suprà diximus ỳ. 18. Nominatim vero & Samuëlis mentionem facit, quia propheta valde insignis fuit, quem Deus non modò sæpius fuit allocutus, verùm etiam qui imperium in populo divino, quippe judex, habuit. Quid verò & quomodo Samuël nominatim de Christo prædixerit, ex Scripturis sacris non apparet; nisi huc referre velis, quæ de unctione Davidis tanquam typi Messiæ futuri, in regem populi divini electi seguntur 1 Sam.16, aut dicere malis, ea tempore Apostolorum adhuc extitisse, postea verò incuriâ hominum intercidisse. Eorum verò, qui post tempora Samuëlis in populo Israëlitico fuerunt, prophetarum vaticinia de Christo passim extant. Valde illustris est Prophetia Nathanis, quæ extat 2 Sam. 7. 12 & d. Ut taceam illas, quæ extant hinc inde in Psalmis, Esaia, Jeremia, & aliorum prophetarum scriptis. De quibus Petrus ait, quod *locuti fuerunt*, nimirum in nomine Domini. Particula καὶ hîc significat *etiam* vel *itidem*. Per *dies hosce* intelligit Petrus, per Metonymiam adjuncti, vel, ut alii volunt, subjecti, ea, quæ illis temporibus gesta sunt. Loquitur autem de iis rebus quæ ad Christum pertinent.

Vers. 25. Et sequentibus usque ad finem capitis Petrus rationi suæ à testimonio prophetarum petitæ, vim ac robur addit, ostendendo, eam ad ipsos primùm pertinere. Id verò non tantum ostendit, sed etiam illustrat ac confirmat. Ostendit autem ỳ. 25. *Vos estis filii prophetarum, & fœderis, quod pepigit Deus erga patres vestros* &c. *Filios prophetarum ac fœderis* eos vocat propterea, quòd ad ipsos & prophetarum oracula, & fœdus a Deo cum majoribus ipsorum pactum pertineat; usitato apud Hebræos more, quo filium alicujus rei esse significat idem, quod ad eam pertinere, ejus participem esse. Sic etiam in novo fœdere mentio sit filiorum regni, filiorum thalami, lucis, tenebrarum &c. Matth.8. 12. IX. 15. 1 Thess.5.5. *Prophetarum* voce ipsorum vaticinia intelligenda sunt, per Metonymiam caussæ. Διαθήκης vox, quæ propriè testamentum significat, hic ut alibi sæpe, tum in versione Græca LXX Interpretum, tum in scriptis novi fœderis pro συνθήκη, id est pacto seu fœdere ponitur. Per *patres*, quemadmodum & supra ỳ.22. intelliguntur majores. De quonam vero loquatur fœdere Petrus ipse explicat, dum addit: *dicens Abrahæ: Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.* Quibus verbis promissio Abrahæ facta continetur; quæ extat Gen.22.18. Particula *in* quibusdam exemplaribus abest, postea tamen verbo εὐλογηθήσονται continetur. *In semine* autem est idem quod *per semen* ut ex sequenti versiculo manifestum est: ex quo etiam apparet, quisnam *seminis* nomine hîc intelligatur, nimirum Christus, quod etiam disertis verbis asserit Paulus Galat.3.16. Quo loco, ut ibidem dictum est, non modò Christus veluti caput, sed etiam fideles, tanquam illius membra intelliguntur. Verbo *benedicendi* omnis generis felicitas, qua nos Deus beavit ac beabit per Christum, ut sunt remissio peccatorum, vita æterna, aliaque cœlestia munera, comprehenditur. Denique dum dicitur, in semine Abrahami benedictum iri *omnes familias terræ*, innuitur, non solùm Judaicum populum, verùm etiam gentes extraneas benedictionis illius participes fore. Plura de horum verborum sensu tum literali tum mystico, vide in Comment. Epistolæ ad Galat. cap.3. vers.8. & 16.

Restat, ut videamus quomodo Petrus id, quod modò dixerat, illustret ac confirmet. Sic vero inquit ỳ.26. *Vobis primùm Deus resuscitans puerum suum Jesum misit* &c. Ostendit his verbis, Deum effectu ipso ostendisse atque etiamnum ostendere prophetarum oracula & promissionem fœderis ad ipsos pertinere. Primò autem significat Petrus hunc effectum *primò* ad ipsos pertinere, ad alios verò veluti secundario ac consequenter. Israëlitis enim Deus peculiari fœdere ad præstandum hunc effectum devinctus erat, cæteris extraneis quod ad fœdera & promissiones attinet sine Deo existentibus & spem non habentibus. Unde etiam infrà legimus cap.13.46. Paulum & Barnabam Antiochiæ Pisidiæ in Synagoga ad Judæos dixisse: *Vobis necesse erat primùm dici sermonem Dei: quandoquidem verò rejicitis illum, & indignos judicatis vos ipsos vita æterna, ecce convertimus nos ad gentes.* Deinde caussas illius effectus recenset, tum principalem, quæ est *Deus*, pater Domini nostri Jesu Christi; tum mediam, principali subordinatam. Principalis est *Deus*, quem Petrus describit ab effectis duobus, quæ caussæ sunt effectus, de quo paulò post audiemus: Primum effectum continetur illis verbis: *resuscitans puerum*, hoc est, filium, *suum Jesum* quibus verbis simul caussa media Deo subordinata in producendo effectu principali licet obliquè indicatur. *Resuscitandi* autem verbo resuscitationem ex mortuis intelligendam esse arbitramur, &, quæ eam subsecuta fuit ad dextram Patris exaltationem ac gloriam Christi. Verbo *mittendi* intelligitur effectus alter Dei, missio nimirum Christi, quæ facta est per Apostolos exaltato Christo, dum ejus doctrinam annunciarunt populo: quo sensu ad Ephes.2, Christus dicitur venisse, & annunciasse pacem iis qui longè erant, id est gentibus, & qui prope, id est Judæis, quod sanè factum fuit per Apostolos. Tertio effectus ipse exprimitur his verbis, *benedicentem vobis*, id est ut benediceret vobis: qui quidem finis seu effectus est proximè cohærens cum missione Christi. Qualis autem benedictio intelligenda sit, paulò antè ỳ. præced. diximus. Denique additur conditio, sub qua benedictio ista obtineri possit: *dum convertat* [se] *quisque à malitiis suis.* Verbum ἀποστρέφειν licet referri videatur posse ad Christum, ut indicetur, eum sua missione id efficere, ut desistant homines à pravitatibus suis; tamen verisimilius est poni in significatione reciproca, quemadmodum supra vers. 19. usurpari vidimus, quasi dicatur, si modò unusquisque se convertat à peccatis suis, fore, ut benedictionem Christi consequatur.

* * *

fuisse, quòd vespera jam esset, ut ita conventus seniorum populi eo die commodè cogi, & quæstio de Apostolis institui commòde non posset, temporis ratione id non ferente. Hæc de effectis illætis.

Sequitur effectus seu eventus miraculi illius & orationis Apostolicæ lætus; nempe quòd multi ex illis, qui sermonem illum audiverant, crediderint, hoc est doctrinam ac religionem Christi fuerint amplexi: quæ quidem multitudo illorum hominum specialiùs explicatur, & sic ipsius illius effectus tam læti magnitudo exprimitur, dum additur: *Et factus est numerus virorum quasi millia quinque*: quorum verborum hic videtur esse sensus, a doctioribus interpretibus traditus, ad numerum trium millium, quæ ad primam Petri concionem religionem Christianam fuerant amplexa, ut legimus suprà cap.2.41. accessisse nunc circiter duo millia, ita ut universus Christianorum cœtus ad numerum 5000 virorum excreverit. Viri autem usitato Hebraismo pro hominibus simpliciter accipi possunt, ita ut & mulieres comprehendantur. Nisi quis dicat, præter fæminas tot viros cœtum Christianum constituisse. Sed non desunt, qui ita hæc Lucæ verba accipiunt, ac si dixisset, ad hanc ipsam Petri concionem in templo habitam, capite superiori, nempe 3. descriptam, circiter quinque hominum millia credidisse: quæ sententia videtur fuisse Syriaci interpretis, qui ut Tremellius habet, ita hæc verba Lucæ convertit: *Et erant numero quasi quinque millia virorum*, illi nempe, qui cùm audivissent sermonem illum, crediderunt. Verùm prior interpretatio verbo Græco ἐγένετο est accommodatior. Aoristus enim hic Passivus non facilè reperietur positus pro simplici verbo

erat, aut *fuit*; sed significat *factus est* vel *fuit*. Dico non facilè: quia fieri potest, ut alicubi tamen reperiatur. Hactenus prima Capitis pars.

Sequitur altera, in qua narrari diximus ea, qua postridie acciderint, fuerintque effecta iterum eorum, quæ priori die contigerant. Est autem pars illa bimembris. In priori membro narratur, quo pacto quæstio ac judicium de Apostolis fuerit in senatu Judæorum institutum, & tota illa actio sat fusè describitur. Deinde preces fidelium cæterorum, judicium illud consequutæ, describuntur.

Prius describitur initio facto à ℣. 5. usque ad 22 finem: ubi primum describuntur personæ ad judicium illud pertinentes, unà cum circumstantia temporis, & ut verba ferunt, etiam loci. Deinde totius illius judicii forma ac ratio; & denique eventus. Personæ ad judicium pertinentes, atque inprimis ipsi judices, describuntur ℣. 5 & 6; personæ autem judicandæ hoc est, Apostoli, Petrus & Johannes, indicantur tantùm initio ℣. 7.

Priores illæ ita describuntur, ut earum ordines ac genera quædam commemorentur ℣. 5, commemoratà ab ipso initio breviter circumstantia seu adjuncto temporis, cùm dicitur, *factum esse postridie, ut convenirent ipsorum*, nempe Judæorum, *principes*, hoc est, primores, seu proceres, *& seniores, & scribæ in Hierusalem*: quod ita à doctioribus quibusdam interpretibus accipitur, quasi dictum fuisset, scribas illos, qui Hierosolymis habitarent, convenisse; ut εἰς Ἱερουσαλὴμ sit, pro οἱ ἐν Ἱερουσαλὴμ per ἔλλειψιν & ἐπέρασιν, qua de re vide Piscat. Aliàs statuendum esset, circumstantiam loci sic indicari, in quo convenerint principes & seniores, & scribæ illi; idque ita, ut Hierusalem opponatur loco alicui extra urbem, hoc est, quantum conjicere licet, templo, quod extra urbem quodammodo erat positum, & ab ea distingui non immerito potest. An verò per principes illos significentur eximii quidam Judæorum proceres, qui à reliquorum seniorum ac scribarum vulgo tanquam eximii distinguantur, an contrà seniorum ac scribarum nomen explicationis tantum caussa addatur principum nomini, non satis liquet. Utrumque ferre videntur verba: quanquam prius est probabilius. Censent autem doctissimi quidam interpretes, intelligi hoc nomine eos, qui Synedrion constituebant. Versu porrò sexto specialia quædam nomina, seu mavis personæ quædam, quæ ad consessum seniorum pertinebant, exprimuntur, cùm addit: *Et Annam summum sacerdotem, &c.*

Jam quod ad personas judicandas, seu reos attinet, illi indicantur initio ℣. 7 dum dicitur, judices illos, qui simul & actorum partes videntur suscepisse, *eos*, nempe Apostolos, Petrum & Johannem, *statuisse in medio*. Qua in parte jam judicii illius forma describi incipit. Ea verò, quæ in tota hac judicii actione spectanda sunt, ad tria potissimùm capita revocari possunt. Primum est quæstio Apostolis tanquam reis proposita, quæ criminis objectionem seu accusationem quandam non obscure in se complectitur. Secundum est Petri ad eam quæstionē responsio, ac facti sui defensio. Tertium ad sententiam spectat, quæ in Apostolos fuit lata: quod membrum pluribus iterum particulis constat, ut suo loco videbimus.

Primum continetur illis verbis ℣. 7, quòd quæsierint judices illi antea nominati: *In quali potentia, aut in quali nomine fecistis hoc vos?* hoc est cujusnam viribus, & cujus jussu atque auctoritate hunc hominem sanassis? Satis autem apparet, non ideo illos hoc interrogare, quasi ignorarent. Nimis enim manifestum erat, eos in Christi nomine hoc signum edidisse, eâque ratione significasse, non tantùm ejus auctoritate, sed & potentia hoc se miraculum edidisse: sed ut responsum elicerent ejusmodi, quod vel ansam illis præberet eos graviter, sed specie tamen ac prætextu juris puniendi; vel tale esset, quod hujus miraculi gloriam Christo adimeret. Etenim ita cogitabant, vel constanter eos asseveraturos, Christi auctoritate ac potentia hoc sc. miraculum patrasse; vel id negaturos, aut saltem, eo suppresso, Deo ipsi tam stupendi facti laudem tributuros, metu ac terrore à priori asseveratione deterritos. Si prius dicerent, putabant, se habituros egregium ad populum eos criminandi prætextum, & puniendi occasionem: quia id, quod Deo uni esset adscribendum, ad Christum retulissent, & hoc pacto novum quendam Deum constituissent, ac in divinum numen contumeliosi atque injurii fuissent. Si posterius, cogitabant, se habituros quod vellent, & hac ratione eos facilè in posterum cohibituros, ne ampliùs de Christo quidquam prædicarent, & populum etiam ipsum ab eorum doctrina depulsuros; quandoquidem per Christum jam negarent esse factum, quod antea tam audacter publicè asseruissent, quoque proinde magnam hominum multitudinem impulissent, ut in Christum crederet. Itaque non ipsi quæ audierant, quæque sciebant facta, illis objiciunt; sed ut facultatem habeant utrumvis istorum dicendi, tantoque faciliùs assequantur, quod volebant, ipsos hac de re interrogant, & responsionem ex ipsorum ore eliciunt. Ita nimirum insidiosum est adversariorum Euangelicę veritatis genus.

Sequitur responsio ac defensio Petri, illustrata partim à caussa efficiente, partim ab effectis eam consequentibus. Nam primò omnium caussam efficientem, quæ Petrum ad responsionē istam impulit, eamq; illi suggessit, commemorat Lucas. 2. Responsionem ac defensionem describit. 3. Effecta seu eventa illa subjicit. Caussa efficiens continetur illis verbis cùm ait: *Tunc Petrus repletus Spiritu S. dixit ad eos*, hoc est Petrus afflatu quodam divini spiritus commotus atque impulsus ita loquutus est. Apparet, Spiritum S. in illo habitantem, Deo ac Christo ita procurante, vim suam in ipso exeruisse, ejusque mentem atque animum penitus occupasse, ut ei orationem hanc suggereret, & tum, quid illi dicendum esset, eum doceret, tum eundem animaret, ut fortiter atque intrepidè, neminem reveritus, nec ullum periculum metuens hæc proferret. Qua in re Christus promissi sui fidem implevit, quo pollicitus est Apostolis fore, ut cùm adducti fuerint ad præsides ac reges, aliosve magistratus, detur illis in ipsa illa hora quod loquantur; seu seipsum daturum illis os & sapientiam, cui non possint contradicere neque resistere omnes ipsorum adversarii, quia non ipsi sint futuri ii, qui loquantur, sed Spiritus Patris ipsorum, qui in ipsis sit locuturus.

Quod ad orationem Petri attinet, ea quatuor potissimùm rebus continetur. Primùm enim ponitur honorifica auditorum seu judicum compellatio. 2. Repetitur quæstio proposita. 3. Directa ad quæstionem responsio. 4. Ejus amplificatio. Primum est ibi: *Principes populi, & seniores Israël*. Per populum & Israëlem idem significatur. De voce principum diximus antea, uti & de senioribus, per quos senatores intelliguntur populi Judaici. Nam qui Hierosolymis erant seniores, totius populi senatores ac proceres jure censeri poterant, cùm ad eos caussæ totius populi, & inferiorum subselliorum tandem devolverentur, quum quippiam gravius ac difficilius occurreret. Hoc ergo pacto benevolentiam sibi conciliat Apostolus, quà licebat ac decebat, muneris ipsorum dignitatem respiciens, non factorum merita, & hoc ipso, quòd aliqua ratione significat, id quod postmodum dicturus sit, veritatis vi coactum dicere, id alioqui suppressurum, si conscientia permitteret; quia ipsis, quos pro principibus ac senatoribus populi agnosceret ac veneraretur, esset adversum aut ingratum.

Quæstionem postea repetit ℣. 9 cùm ait: *Si nos hodie dijudicamur*, seu quæstio de nobis habetur, *super beneficio hominis infirmi*, hoc est in hominem infirmium collato, *in quonam*, hoc est cujus potentia & auctoritate *hic sit servatus*, hoc est facultate incedendi atque incolumitate donatus. Prima particula *si* posita est pro siquidem, vel quandoquidem, εἰ pro ἐπεὶ, uti ab interpretibus est annotatum, quanquam cùm adhuc oratio pendeat, demum absolvenda ℣. sequenti, vim illa particula suam retinere potest, subauditis quibusdam, ut alibi non semel fit, quum res, quarum manifesta est veritas, conditionaliter efferuntur, præsertim in argumentationibus, & interim tamen intelligitur, id quod conditionatè effertur omnino verum esse. Qua de re vide inter alia Rom. XI. 24. 1 Cor. 15. 12 & seqq. Perinde enim est, ac si dictum fuisset: Si, uti ex interrogatione vestra apparet, hodie quæstio de nobis habetur super beneficio &c. notum sit vobis &c. De hac autem quæstione nihil est ampliùs necesse dicere, cùm paulò antè satis sit dictum.

Di-

Directa ad quæstionem responsio continetur ℣. 10. *Notum sit omnibus vobis, & toti populo Israëlitico, quod in nomine Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus excitavit ex mortuis, in hoc* [inquam] *hic astitit coram vobis sanus.* Ubi primùm ostendit, quàm ingenue hîc agat, quamque minimè ipsum hujus responsionis atque assertionis suæ pudeat: quandoquidem & illis ipsis, qui tum adessent, viris è toto populo præcipuis, & toti etiam populo Israëlitico ea de re constare velit. Simul etiam significat, non parùm interesse omnium istud scire. Ita nimirum decet παῤῥησιάζειν Christi servos in rebus ad Dei Christique gloriam atque ad hominum salutem plurimùm pertinentibus. Deinde autorem hujus miraculi apertè describit, non modo nomine ipsius proprio, sed & patris ipsius expressis, & commemoratis præcipius quibusdam & valde notabilibus, ac satis adhuc recentibus circa ipsum eventis: quorum prius illorum ipsorum judicum effectum fuerat; posterius facti illius consequens, sed Dei tamen effectum. Prius indicat cùm ait: *quem vos crucifixistis*: quo ipso & animum suum masculum atque intrepidum ostendit, qui audeat viris tantis, in quorum potestate esset, ipsum graviter punire, tantum facinus in os objicere, & illos, ut sceleris hujus ipsos pœniteat, utque id per resipiscentiam eluant, hac ratione vult impellere, præsertim postquam audierint, quid Deus Christo ab ipsis tam crudeli, tam ignominiosa morte affecto, fecisset; id quod alterum esse diximus eventum circa Christum, qui ibi exprimitur quando ait: *Quem Deus suscitavit ex mortuis*, Deum judicibus illis, & effectum Dei illorum effectui opponens. Vos, inquit, illum morte affecistis, & morte quidem tam dira, tamque infami; at Deus illum è morte ereptum vitæ restituit, & hac ratione ostendit, se vestris factis atque conatibus tam esse adversum, quàm vos ipsius consilio ac voluntati fuissetis. Hac autem ratione & Christum illis commendat, & non modo, ut paulò antè diximus, illos impellere conatur, ut facinoris in eum admissi ipsos pœniteat, sed etiam ut in Christum credant, & simul tacitæ occurrit objectioni, quæ assertioni ipsius de ratione, qua sanatus fuisset homo ille, opponi poterat. Cum enim Christo ejusque nomini hanc sanationem tribueret; cùm & aliàs constaret, eum fuisse cruci affixum atque interemtum, & ipsemet id principibus illis in memoriam modò revocasset, objici poterat, quî mortuus rem tantam præstare potuit? Respondet ergo, mortuum quidem antea fuisse, sed non ampliùs esse, cùm sit à Deo ex mortuis resuscitatus. Cùm verò ait, *in nomine Jesu Christi* id factum esse, voce *nominis* complectitur totum id, quod illi duobus expresserant vocibus, potentiæ, & nominis, & sic tum auctoritatem, tum potentiam seu vires una hac voce complectitur. Quòd verò ait, *in hoc* [inquam] non tantùm ideo per quandam epanalepsin repetit id quod dixerat de auctore seu caussa efficiente illius miraculi; quia quædam de Jesu Christo interjecerat, sed etiam ut tanto magis rem inculcaret, & quàm constanter id assereret, significet. Denique ipsum effectum, de quo agebatur, oculis ipsis subjectum proponit, atque ostendit, dum ait: *hic astat in conspectu vestro sanus.* Non tantùm ait, eum sanatum esse; sed etiam rem adeò certam esse significat, ut oculis ipsis cerni possit, dum eum digito demonstrans ait, hic illum adstare in ipsorum conspectu sanum, quo ipso animos eorum tanto vehementiùs commovere ac percellere voluit, ne quid contra auderent hiscere.

Directa responsione absolutâ, sequitur quarta atque ultima orationis Apostolicæ pars, quæ responsionis illius amplificationem continet. Ea verò desumta est à singulari Jesu Christi, quem miraculi illius autorem esse affirmaverat, dignitate, ℣. 11 & 12. Ea verò dignitas duplex est. Quanquam altera ex altera pendet. Prior est, quòd ad supremam dignitatem evectus caput evaserit totius divini populi. Posterior est, quòd per hunc unum salutem consequi possimus.

Prior dignitas exponitur ℣. 11 verbis Prophetæ ex Psal. CXVIII citatis, quo ipso res tanto fit probabilior, eo præsertim jam dicto, quòd Christus post mortem tam truculentam sit à Deo excitatus, & ipsius auctoritate ac potentia tantum miraculum sit patratum, apertum divinitatis ejus documentum. Verba autem illa dignitatem illam muneris Christi regii ita exprimunt, ut à contrario illustrent, & occupatione quadam objectionis amplificent. Amplificatio ita præmittitur his verbis: *Hic est lapis ille pro nihilo reputatus à vobis ædificantibus.* Ubi verba illa *à vobis*, quæ in loco Psalmi non extant, explicationis ergò sunt à Petro addita. *Lapis* vocatur Christus, quia sit quippiam ad ædificium pertinens, & ad ædificium quidem firmum ac validum; quod hoc loco est Dei populus atque Ecclesia, capite etiam illius incluso. Eum lapidem dicit *ab ædificantibus pro nihilo reputatum*; hoc est ita contemtum, ac si aptus nequaquam esset ad spirituale hoc ædificium, & indignus, qui in populo divino conseretur, & vel postremum in eo locum occuparet. Quod tunc inprimis contigit, cùm à primoribus Judæorum fuit etiam ad mortem damnatus. Quanquam & antea ab iisdem rejectus, contemtus ac repudiatus sæpe, imò semper fuit. *Ædificantium* autem nomine primores populi intelligi, Petrus his ipsis verbis ostendit. Caussa appellationis est, quia quemadmodum architecti adificii opus gubernare solent, atque ii sunt, qui vel inprimis nosse videntur, quidnam ad ædificium sit accommodatum, quid minùs: ita & hi primores populum, qui tum erat, divinum gubernabant, & maxime intelligere videbantur, quisnam in eo populo locum habere deberet, aut secùs.

Huic hominum facto opponitur id, quod à Deo factum est, & contemtui humano, quem Christus fuit expertus, dignitas summa, ad quam est à Deo evectus; cùm additur: *Qui factus est in caput anguli*, quasi dicat; etsi ab hominibus, iisque in divino populo præcipuis, fuerit ita repudiatus, ut pro indigno habitus fuerit, qui vel postremum in populo illo teneret locum, tamen ad tantam est à Deo dignitatem evectus, ut præcipua ejus populi pars evaserit, pars, inquam, talis, quæ totam reliquam molem sustineat ac fulciat, hoc est rex illius populi, qui quidem hoc loco eadem metaphora, qua in præcedentibus usus est divinus Spiritus, dicitur *caput anguli*, hoc est lapis angularis præcipuus. Is autem infimus est, qui reliquos super impositos sustinet, & duos parietes inter se jungit utrique communis. Unde alias dicitur lapis ἀκρογωνιαῖος. Similis nempe rex est, & rex quidem potens ac sapiens, huic lapidi, quia & ipse totam regni populique molem sua virtute, potestate, auctoritate, potentia sapientiaque sustinet, & ne collabatur, néve detrimentum aliquod capiat respub. suâ curâ efficit. Ipso nempe nititur salus & incolumitas & ordinis concinnitas.

Posterior dignitas priori illi superstructa, sed ex ea pendens describitur ℣. 12 ubi primùm exprimitur breviter; deinde uberiùs declaratur, ac quodammodo confirmatur. Exprimitur quando ait: *Et non est in alio ullo salus*, hoc est per neminem alium salutem consequi quisquam potest. In hoc uno salus omnium est reposita, & salus quidem sempiterna. Duo in hac assertione continentur: alterum affirmativum, nempe quòd in hoc sit salus, hoc est quòd per Christum salutem obtinere homines possint, breviter, quòd is sit servator, & salutis sempiternæ caussa media; alterum negativum, quòd præter eum nemo sit alius, qui salutem illam impertiri nobis possit. Ut ita ostendatur, hanc dignitatem Christo (intellige secundùm Deum) in solidum tribui debere, nec in illius societatem quenquam venire: id quod ad dignitatis illius magnitudinem pertinet. Majoris enim dignitatis est, rem præstantissimam habere vel impertiri posse solum, nec aliis eam esse cum illo communem. Declaratur autem, & aliqua ratione confirmatur ea dignitas, cùm subjicitur: *neque enim nomen est ullum sub cœlo datum in hominibus, in quo oporteat servari nos.*

Ratio

Ratio à caussa efficiente deprompta esse videtur, quanquam indicata magis, quam expressa, nempe quòd Deus neminem alium præter Christum, humano generi servatorem dederit. Sed ut verba, quoad necesse erit, singula consideremus, *nomen* hoc loco ponitur pro ipsa persona. *Nomen aliud* est alia persona seu alius quispiam. Nam & suprà Cap. 1. 15. nomen pro personis ponitur. Et hîc caussa esse videtur aliqua, cur nominis vox fuerit usurpata, quam doctiores quoque interpretes notârunt, nempe, quia in periculis ac votis illi soleant appellari, & nomina eorum exprimi, à quibus opem ac salutem expectamus. Quum verò dicit, *sub cœlo*, id perinde est, ac si dixisset, uspiam. Cùm enim de rebus humanis loqui solemus, quod sub cœlo non est nuspiam est; cùm homines sub cœlo sint, & locus hîc illorum sit latissime patens. Erit ergo hîc Synecdoche speciei pro genere, locus nimirum sub cœlo pro quovis loco. Quanquam & propriè posses illa verba accipere, si vox *dandi*, quæ subjungitur, non tam de ipsa datione, quàm de dationis declaratione accipere malis. Sed ea re nil est opus. Cùm verò ait *datum*, intelligitur à Deo hoc esse constitutum ac propositum: quo ipso significatur, non ipsum Christum se pro servatore obtrusisse, aut obtrudere humano generi; sed Deum ejus rei auctorem esse, & præterea in ea re donum singulare contineri, ac beneficium divinitus in homines collatum. Cùm additur, *in hominibus*, perinde est atque si diceres hominibus simpliciter. Nam & alibi *in aliquo* perinde est atque alicui, ex Hebræorum idiotismo *Beth* & *Lamed* inter se commutantium: de quo diximus Gal. 1. 16. Cùm denique inquit, *in quo oportet servari nos*, significat eum, per quem nos salutem quærere debeamus. Neque enim tam de eo loquitur, quid Christus facere debeat hominibus, à Deo datus, quam quid nos, ut salutem consequamur. Quanquam & ipse effectus hoc sermone includitur. Quanquam & ita possis accipere, ac si dictum fuisset, per quem necesse est salutem consequamur, si modò salvi esse debeamus.

Oratione Petri absolutâ, subjunguntur ejus eventa, eaque præcipue duo. Prius exponitur vers. 13. nempe admiratio procerum istorum; cujus caussæ duæ præmittuntur procatarcticæ. Prima est, quòd viderint παῤῥησίαν, seu loquendi libertatem atque audaciam. Posterior est, *quòd compererint eos esse homines illiteratos & idiotas*: quod posterius poterat impedire audaciam illam animique præsentiam, ita ut tantò ea esset admirabilior, quòd nulla esset eruditione suffulta. Posterius eventum est, quòd *nihil habuerint contradicere*, hoc est nihil potuerint contradicere orationi Petri proceres illi, quod eventum exprimitur vers. 14, & illustratur à caussis inter se aliqua ratione contrariis; quarum altera ad contradicendum impellebat, altera contradicere impediebat. Prior est vers. 13 extremo, quòd *cognoverint illos*, hoc est, Petrum & Johannem, *quòd cum Jesu fuerint*, hoc est, cum illo versari soliti fuerint, eique comites indivisi adhæserint. Hoc enim illos magis poterat reddere proceribus illis invisos, ac porrò impellere, ut, si modo possent, tanto libentiùs illis contradicerent, eosque erroris aut criminis alicujus arguerent. Posterior est vers. 13, quòd *viderint hominem illum cum ipsis stantem, qui sanatus fuerat*. Quia enim res nimis erat manifesta ipsisque oculis subjecta, non durabat illis frons, ut auderent vel factum ipsum seu miraculum negare, vel facti autorem, cùm illi, per quos miraculum hoc editum esse constabat, asserrent, se non aliò, quàm hoc auctore miraculum illud patrâsse.

Reliquum est tertium, quod in tota hac quæstione seu judiciali actione spectandum esse diximus. Id verò continetur iis rebus, quæ ad sententiam decretumque ferendum spectant; quæ quidem aliquot sunt numero. Primùm enim quædam ad eam rem præparatio describitur; deinde ipsa de sententia ferenda deliberatio; tertiò ejusdem sententiæ pronunciatio; & denique protestatio Apostolorum adversus sententiam ac decretum illud procerum. Primum est initiò vers. 15. ubi dicitur, proceres illos *jussisse illos*, nempe Apostolos, *extra concilium abire*, ut nimirum tanto liberiùs sententias inter se conferre possent, & quippiam reperire, quod speciem aliquam haberet recti. Secundum, hoc est ipsa deliberatio de sententia ferenda, continetur postrema vers. 15 parte, & versiculis duobus seqq. Nam extremo vers. 15. res summatim proponitur, dum dicitur, *eos inter sese contulisse*, nempe, quid tandem decernerent in hac caussâ, & quid istis hominibus agerent. Deinde tota deliberationis ratio ac forma describitur ℣. 16, 17. Ea autem tribus constat membris. Primum est propositio, seu mavis quæstio, quæ in deliberationem venit. Secundum constat caussis, quæ vel rem ancipitem faciant; vel, quid statuendum ac decernendum sit, doceant. Tertium constat ipsa conclusione seu decreto. Propositio est initio ℣. 16. ubi scribitur, eos dixisse: *Quid faciemus his hominibus*. Secundum est reliquo vers. 16, & 17 initio. Ubi primùm ostenditur caussa, cur factum ipsum, de quo quæstio fuerat instituta, negari ab illis non posset. Deinde caussa affertur sententiæ, quam postea tulerunt, nempe, de reticendo penitus auctoris miraculi hujus nomine. Etenim cùm nollent suffragio suo rem ipsam assertionemque Petri comprobare, quia hoc pacto veluti signum sustulissent omnibus in Christum credendi, vel negandum illis erat hoc factum, vel facti auctor, seu miraculum ab Apostolis Christi autoritate & potentia patratum; vel saltem curandum, ut res silentio involveretur, habita præsertim ratione autoris istius miraculi; quare ad posterius sese convertunt. Prius ergo docent posteriori ℣. 16 parte, cùm ajunt: *Quia enim conspicuum signum editum esse per eos manifestum est omnibus habitantibus Hierosolymæ, & non possumus negare*. Satis apparet, quis illorum fuerit animus, quàm obstinatus adversus veritatem. Satis enim aperte indicant, se rem, licet sibi compertam, negaturos fuisse, nisi omnibus Hierosolymitanis fuisset comperta; sique id negare sine manifesta impudentia potuissent. Tantum valet contumacia, &, ex qua hæc oriri solet, malitia & affectuum improbitas. Quod ad posterius attinet, caussam afferunt initio ℣. 17 decreti, quod postmodum sequitur, quæ his est verbis comprehensa: *Sed ne id ampliùs serpat* vel *spargatur in populum*. Significant his verbis rem quidem jam innotuisse omnibus Hierosolymitanis, & in urbe satis latè serpsisse, sed cavendum tamen esse, ne adhuc latiùs longiusque hujus rei fama per populum Judaicum etiam alibi habitantem spargatur. Itaque rationem hujus rei ineundam esse. Quænam verò illa sit, conclusio, eodem ℣. 17 subjuncta docet, quæ sententiam ab ipsis ferendam, vel potiùs latam complectitur, cum ajunt: *Minaciter interminemur iis, ne posthac ulli hominum loquantur in* vel *de nomine isto*. Comminatione pœnarum adducendos censent Apostolos, ut autorem istius miraculi penitus reticeant, hoc est ut non tantùm hoc Christo miraculum non adscribant, sed ne ullam etiam apud alios Christi mentionem faciant; mentionem intellige ejusmodi, quæ aliquam illius commendationem contineat, & eò facere possit, ut quippiam in ipsum credat.

Sequitur jam tertium, quod ad ferendam sententiam pertinere diximus, ℣. 18. ubi decretum judicum seu senatus exprimitur, nempe quòd præceperint Apostolis, *ne omnino loquerentur vel docerent in nomine Jesu*. Ubi verbum *docere* censeri potest subjunctum verbo *loqui* explicandi caussa, nisi prius latiùs patere velis, ut illa etiam dicta comprehendantur, quibus invocato aliqua ratione nomine Christi miracula edebant Apostoli. Hoc nimirum volunt homines veritati cedere nescii, ut cùm ei resistere non possint, supprimant tamen, eamque tenebris æternoque silentio obruant. Illud autem *in nomine Jesu* subjectum seu materiam doctrinæ significare videtur, quasi dicas, de nomine Jesu, seu simpliciter de Jesu, ita nimirum, ut honorifica ipsius fiat mentio, & nomen ejus tanquam Sanctum ac divinum celebretur. Nisi malis id dictum pro jussu atque authoritate Jesu, hoc est, ita ut auctoritas Jesu prætendatur, & ejus jussu quippiam promulgari dicatur.

Sequi-

Sequitur porrò ℣. 19 & 20 protestatio Petri & Johannis adversus sententiam à senatu latam, in qua iniquitatem ejus & animose, & prudenter, & modestè ostendunt. Nam iniquam esse sententiam illam obliquè, sed satis tamen aperte asserunt illis verbis, dum ajunt: *An justum sit coram Deo vos audire magis quàm Deum, judicate.* Fortiter & animose in eo se gerunt, quòd audent apertè sententiam illam repudiare, & iniquitatis accusare, testarique se ei non obtemperaturos. Prudenter ac modestè, quòd non simpliciter dicunt, iniqua est vestra sententia, sed ita rem proponunt, ut ad ipsorum judicium ac conscientiam appellent, & argumentum ipsi quæstioni ita innectant, ut nemo non possit videre, iniquum esse id, quod illi postulent. Quæ ipsorum & fortitudo, & prudentia, & modestia nobis quoque in rebus similibus imitanda est. Diximus autem in hac oratione argumentum latere, quo iniquitas istius sententiæ evincatur. Perinde enim est, ac si dixissent, decretum hoc vestrum postulat, ut vobis magis obtemperemus quàm Deo. Id autem quàm sit iniquum ipsimet videtis. *Justum* hoc loco sumitur pro eo, quod rectum & æquum est. Ajunt autem, an justum sit *coram Deo*: tacitè significantes fieri posse, ut hominum affectu fortè aut improbitate excœcatorum judicio id videatur non iniquum; sed Dei judicio, & rei ipsius veritate inspecta id non posse non censeri iniquissimum. Confirmant autem orationem suam dum subjungunt ℣. 20; *Non possumus enim nos quod vidimus & audivimus non loqui.* Quibus verbis non probant totam sententiam ℣. 19 propositam, nempe iniquum esse, ut magis obtemperent senioribus, quàm Deo; sed id, quod in illis verbis tacitè continetur, nempe hoc senatorum decretum postulare, ut magis obtemperetur ipsis, quàm Deo; seu, quod eodem recidit, hanc ipsorum sententiam postulare, ut id faciant, quod sibi per Dei jussum ac voluntatem non liceat. Etenim perinde est ac si dixissent, id quod nos de Christo ipsis oculis vidimus, & auribus nostris audivimus, & sic verissimum esse deprehendimus, nullo modo licet nobis reticere, & in Deum gravissimè peccaremus, si silentio id vellemus involvere. Satis enim liquet, verba illa, *quæ vidimus & audivimus*, ad subjectam materiam, hoc est ad ea, quæ ad Christum pertinent, restringenda esse. Verba autem illa, *non possumus*, ponuntur pro *non licet nobis*, seu mavis, *nullo modo licet*: quomodo non semel & in veteri, & in novo fœdere ea vox accipitur. Vide inter alia Gen. 43. 32, ubi quod est in Hebræo, *non enim possunt Ægyptii comedere cum Hebræis panem*, id rectè vetus Latinus interpres expressit: *illicitum est enim Ægyptiis comedere cum Hebræis*: & 1 Cor. 10. 21, ubi bis eo sensu voces *non potestis* usurpantur. Idem etiam apud Latinos auctores deprehendere licet, ut non rarò commutentur inter sese verba *potest* & *licet*. Quanquam ἐμφατικώτερον esse videtur, si dicas, *non potest*, quàm simpliciter, non licet. Possis autem, sensu vix quicquam immutato, illa verba accipere, ac si dictum esset, Non possumus per conscientiam, seu conscientia nobis nulla ratione permittit, ut reticeamus ea, quæ vidimus & audivimus. Dum verò id dicunt, perinde est, ac si dixissent, per Deum ejusque voluntatem id se facere non posse, seu id sibi non licere. Quare, cùm senatores illi velint, ut reticeant id, quod viderant & audierant; Deus autem contrà velit id nequaquam reticeri; sequitur, senatores illos Judæorum velle, ut magis sibi obtemperetur, quàm Deo, hoc est eo neglecto, quod Deus velit, id ab Apostolis fieri, quod ipsi jubeant. Id quod non potest non censeri valde iniquum seu pravum, atque adeo impium.

Tertiò loco sequitur quædam veluti confirmatio sententiæ latæ, & ea ratione ad expositionem eventus illius judicii transitur. Confirmatio illa exprimitur, cùm dicitur, quòd *minas addiderint*. Significatur enim eos nihil hac tam æqua, tamque pia protestatione Apostolorum permotos, suum tamen decretum urgisse, & minas insuper addidisse, seu graves illis pœnas denunciasse, si secus faxint, quàm ipsi antea decreverint ac jusserint. Minis nempe veritatis adversariis qui viribus pollent, id efficere conantur, quod jure aut argumentorum robore consequi se non posse vident.

Eventus autem judicii exprimitur illustratus caussa impulsivâ, cum tacita objectionis occupatione. Eventus ejus est, quod *eos dimiserint*, nulla nimirum illis pœna inflictâ, caussa verò adjungitur, & quidem duplex, dum addit, *nihil invenientes, quomodo eos punirent, propter populum.* Quibus verbis tacitæ auditorum cogitationi aut objectioni, ut diximus, occurritur. Cogitare enim aliquis potuisset, quî factum est, ut ii dimitterentur impunè à senioribus, sibi caussæque suæ adeo infensis, præsertim cùm auderent ipsis in os resistere, & adversus sententiam ab ipsis latam apertè protestari? Fierine potuit, ut tam infesti hostes, protestatione hac irritati, eos sine noxa dimitterent? Respondetur, hanc fuisse caussam, primùm quòd nullum reperirent speciosum hujus rei prætextum. Quanquam hæc caussa non ita eos movisset, nisi accessisset altera caussa, nempe ne populum offenderent, & sibi magnam apud plebem invidiam, atque adeò infamiam conflarent, & omnem justitiæ, æquitatis ac pietatis existimationem perderent. Non curassent nimirum, etiamsi nullum prætextum juris habuissent, nisi populum ejusque judicium ac sermones fuissent veriti. Quare hæc posterior caussa priori quoque vim addidit; seu mavis, hæc unica revera caussa fuit, ut eos dimitterent. Ita videmus specimen quoddam animorum ac consiliorum eorum hominum, quos non Dei metus, non amor veritatis, sed ambitio & carnalis prudentia regit. Si quid recti faciunt, non æquitatis studio ducuntur, sed famæ tantùm id dant & gratiæ populi, ut suæ hoc pacto existimationi atque auctoritati consulant; longe aliter facturi, si per populum liceret.

Caussa verò illa, quæ effecit, ut impunè dimitterentur Apostoli, amplificatur aliâ caussa, & hæc rursus aliâ. Nam ostensurus Lucas, cur propter populum seniores illi dimiserint Apostolos, addit, *quia omnes glorificabant Deum super eo, quod factum fuerat.* Significat enim, si quæ pœna fuisset Apostolis irrogata, eam populo non potuisse non videri iniquissimam, ac porrò non potuisse non esse cum maxima populi offensione, ac invidia Seniorum apud plebem, & hujus adversus illos indignatione conjunctam. Quandoquidem tantum aberat, ut pœnâ hoc factum putarent esse dignum, ut potius id habuerint pro insigni atque admirando Dei beneficio, pro quo magnæ ipsi agendæ essent gratiæ; quodque proinde non tantùm obesse non deberet apud quenquam illis, per quos patratrum fuerat, sed etiam plurimùm prodesset, ad omnium hominum amorem ac benevolentiam, adde & auctoritatem, admirationem, venerationem illis conciliandam. Videmus hîc sæpe incorruptiùs populum de rebus divinis judicare, quàm eos, qui primatum sibi in rebus sacris vendicant, & doctorum pastorumque munere funguntur. Hîc populus miraculum agnoscit, & Deum hoc nomine celebrat: Seniores, pontifices, legis doctores, non modò non agnoscunt, & laude meritâ privant, sed etiam supplicio dignum judicant. Hæc autem caussa, ut diximus, aliâ iterum caussa amplificatur, dum additur ℣. 22. *Annorum enim erat amplius 40, &c.* Quibus verbis indicat Lucas, non potuisse hoc factum alicui alii caussæ præter Deum ejusque potentiam, adscribi, ac porrò omnes, quos affectus aliquis non excœcasset, non potuisse non miraculosam hanc sanationem judicare: quia nimirum claudicitas illa tam diuturna fuerit, & ab ipso matris utero per 40 ampliùs annos durarit. Itaque præterquam quod naturalis ea membrorum imbecillitas fuerat, ipsa quoque morbi longinquitas accessit, quæ eum humana ope incurabilem reddidit. Diuturna enim vitia difficulter tolluntur; & tandem, etiamsi naturalia non fuerint, in naturam tamen migrant, & cum ætate crescunt atque indurantur. Et sanè in hoc claudita-

tis

tis vitio magnum ætas momentum habet. Nam si in tenera ætate non corrigatur, cùm adhuc mollia ac flexibilia sunt corporis membra; multo minùs emendari potest, membris ætate induratis, & flecti ac fingi se non ampliùs patientibus. Jam autem planè indurata sunt in eo homine, qui quadragesimum jam annum excessit. Ex quibus intelligitur, occurri hîc tacitæ cuidam objectioni, seu mavis suspicioni, nequis fortè diceret, sanationem hanc non fuisse miraculosam ac supra naturæ cursum; vel saltem non satis firma ratione nixum populum, qui contra seniorum sententiam divinum hic statuerit miraculum, cùm naturæ limites res illa non excederet, possetque naturali aliquo remedio morbus tolli: quanquam & modus sanationis satis suspicionem illam refellit.

Sequitur jam alterum hujus capitis membrum, ex priori aliqua ratione pendens. Refertur enim hic, quomodo, audito hoc, seniorum facto, excitatus Christianorum cœtus preces ad Deum fuderit. Continetur hoc totum ℣.23 & seqq. usque ad finem 31. Ubi tria iterum sunt observanda. Primùm enim describitur caussa istarum precum impulsiva; deinde precandi modus; & denique precum eventus, seu effectus. Caussa impulsiva exprimitur ℣.23. *Dimissi autem illi venerunt ad suos*, hoc est cæteros Christianos, Græcè est *proprios*: nulli enim homines magis sunt proprii Christianis, quàm Christiani. Christianus Christiano domesticus est, propinquus est, frater est. *Et narraverunt quæ principes Sacerdotum & seniores ipsis dixerant.* Ita nimirum juvat amicis ac fratribus narrare pericula, sive quibus defuncti simus, sive quæ adhuc impendeant, & minas adversariorum, ut vel pro liberatione Deo agant unà nobiscum gratias, vel consilio, ope sua, aut, cùm hæc desunt, precibus apud Deum nos juvent.

Quod ad precandi modum attinet, primò refertur, quam concorditer Deum fuerint precati fideles; deinde ipsa precationis verba recensentur. Prius continetur illis verbis ℣.24: *Isti verò cùm hæc audissent, concorditer sustulerunt vocem ad Deum.* Hic nimirum fructus, hic effectus esse debet eorum, quæ de periculo sive communi omnium Christianorum, sive quorundam audimus, non ut lacrymis nos demus, non ut animis concidamus, & de caussa bona desperantes, eam prodere cogitemus: sed ut humana destituti ope, ad divinam confugiamus, hanc persuasi tum potissimùm incipere, cùm illa desinit. Desinit autem ferè tunc, cùm res est cum potentibus adversariis, & maximè cùm ipse magistratus auctoritate viribusque suis opprimere veritatem ejusque professores nititur, quemadmodum hoc loco contigit. Nulla enim sunt Christianis, præsertim adversus magistratum, arma, præter preces: quanquam ne hæ quidem adversus magistratus reverâ à piis suscipiuntur, sed potiùs pro magistratibus, eorumque salute; nempe ut veritati reluctari desinant, & si quid ejus professoribus fuerint interminati, id ad exitum non perducant. Multùm autem roboris habet in precibus ad permovendum Deum piorum consensus, & animorum conspiratio; quam hîc quoque Lucas expressit, dum ait, eos *unanimiter* vocem sustulisse ad Deum: qua de re vide quid ipse Christus dicat Matt. 18. 19, 20. Dum verò dicitur, *eos sustulisse vocem ad Deum*, significatur, & quem precati sint, & indicatur fervor atque ardor animi, unde vox hæc precationis eruperit. Quanquam statuendum est, non confusas fuisse piorum voces; sed præeunte ex Apostolis aliquo, & quidem ut credibile est, ipso Petro, reliquam multitudinem vel voce, vel suspiriis ardentibus, vel etiam lacrymis, quas devotio expresserit, fuisse subsecutam.

Jam quod ad preces ipsas attinet, eæ tribus constant partibus. Prima est exordium, seu mavis compellatio ac descriptio ejus, ad quem preces diriguntur. Secunda est Narratio, seu expositio rei, quæ tum temporis urgebat angebatque fideles. Tertia est Peroratio, seu petitio auxilii divini, ad quam necessitas exposita urgebat. Prima pars continetur illis verbis: *Domine, seu Here, tu [es] Deus, qui fecisti cœlum*, &c. Deum summum describunt partim ab imperio ac potestate, quam in res omnes, atque adeò etiam in homines, habet, absolutâ, quæ exprimitur *Domini* seu *Heri* voce; partim ab opere atque effectu maximè insigni, quo potentia inprimis ejus animis subjicitur. Quod quidem opus est *creatio rerum omnium*; quarum species, seu mavis partes insigniores latissimeque patentes recensentur. Quam descriptionem partim ideo adhibent, ut laudem atque honorem Deo dignum tribuant, & qua veneratione illum prosequantur, & nunc quoque preces ad ipsum fundant, demonstrent; partim ideo, ut significent, qua freti fiducia ad ipsius auxilium confugiant, nempe quod illum summa & potestate in res omnes, & immensa potentia ac viribus pollere nôrint.

Secunda pars continetur ℣.25, & tribus sequentibus, ubi rem ac necessitatem se urgentem non simpliciter exponunt, sed illustratam testimonio, & quadam ejus caussa. Testimonium illud exponitur ℣.25 & 26, deinde ad rem ipsam applicatur ℣.27 & 28, ubi & caussa rei subnectitur. Testimonium illud petitum est ex Psalmo secundo. Id verò non esse humanum, sed divinitus profectum, significatur, dum dicitur initio ℣.25: *qui per os Davidis pueri* seu *servi tui dixisti.* Cur autem ita loquantur, caussa satis nota est. *Puer* autem seu *servus Dei* dicitur David non ea tantùm ratione, quæ aliis quoque omnibus Dei cultoribus communis est; sed etiam peculiari, quatenus & propheta erat, & rex ad populum secundùm Dei mentem gubernandum ac tuendum, variaque ejus consilia exequenda delectus. Testimonio illi duplicem subesse sensum, literalem nimirum & mysticum, quorum ille ad Davidem, Jesu Christi typum, hic ad ipsum Christum spectat, satis jam est ab aliis observatum. Hoc tantum observandum est, conspirationem illam regum, principum ac populorum non ad Saulica tempora pertinere, neque ad procerum Saulis adversus Davidem coitionem; sed ad ea tempora, quibus Palæstini, Moabitæ, Syri & Ammonitæ, aliique reges ac populi adversus Davidem consurrexerunt, qua de re legitur 2 Sam. 8. & 10, & hoc quidem posteriori potissimùm: quia conspiratio hæc, de qua est in Psalmo secundo, facta fuerat postquam jam essent à Davide subjungati reges ac populi illi. Subjugati autem leguntur c. 8. sed cap. 10, de quorundam saltem illiorum regum ac populorum coitione adversus Davidem agitur, vide inprimis ℣. 6. Notari in his Psalmi verbis potest, primùm quantopere consilia & affectus populorum hominumque potentium Deo soleant adversari, quamque inviti Deo pareant ac porrò etiam illi regi, quem summa cum potestate Deus illi præfecit. Impatientes nimirum sunt reges, principes, ipsique populi, jugi divini. Deinde illud notandum est, omnia illorum consilia, molitiones ac conatus contra Dominum ejusque Christum esse inanes: utut callidè consilia sua instituant; utut viribus numeroque polleant. Unde hic dicitur, *illos meditari inania.* Non est enim sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum, Prov. 21. Sic nec potentia adversus Deum ulla est.

Sequitur jam res ipsa, seu testimonii illius ad rem applicatio. Ubi primùm significant, eventum isti vaticinio respondere. Hic occasio est de veritate oraculorum divinorum omnium differendi. Deinde speciatim ostendunt, quomodo vaticinium istud eo tempore impleatur. Nam & locum exprimunt, ubi id fiat, *in civitate hac*; & Christum illum Dei, adversus quem coitio fiat, describunt: *adversus sanctum puerum* seu *filium tuum Jesum, quem unxisti.* Tertiò nomina regum principumve, seu mavis regis unius, itemque principis hominisve potentis, ac populorum adversus Christum Dei conspirantium exprimunt, cùm ajunt: *& Herodes, & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israëlis.* Ubi non tantùm ad rem præsentem respiciunt fideles, sed etiam ad historiam mortis Christi, ubi Herodes & Pilatus conspiraverant, & cum Pilato *gentes*, hoc est aliqui ex gentibus, saltem milites, per Synecdochen. *Populi* autem *Israëlis* dicuntur diversæ illius tribus, quæ singulæ singulos constituere videbantur populos. Quanquam & aliàs ob multitudinem unus ille populus multorum instar censeri poterat, præsertim in varias regiones dispersus

sus. Et denique finis istius conspirationis notatur ℣. 28, ubi & caussam efficientem ejus rei exponi diximus, dum dicitur; *ut facerent* vel *faciant quæcunque manus tua & consilium tuum prius definiit ut fierent.* Quo quidem loco duo potissimùm sunt observanda ad explicationem verborum spectantia. Primum est, quomodo manus Dei dicatur ista definivisse: alterum, quomodo Deus dicatur antea definivisse ea, de quibus hîc sermo est: quandoquidem illa mala fuerant, & ipsius voluntati adversa. Sermo enim est de conspiratione ac machinationibus hominum adversus Deum & Christum ejus, hoc est sanctum ipsius filium Jesum, quem unxerat, regemque cœlestem constituerat. Ad prius quod attinet, *manus* sumitur pro potestate, vel simpliciter pro facultate agendi, per metonymiam subjecti, ita ut in phrasi sit ἐνιαυδὺς, *manus tua & consilium tuum priùs definivit*, hoc est tu pro tua potestate aut facultate decreto tuo definivisti, seu constituisti. *Consilium* enim pro decreto hîc ponitur. *Manus* vocem pro agendi facultate Hebraica consuetudine sumi, notum est: & sæpe quidem nullam peculiarem vim habet; quanquam habet elegantiam. Sic cùm dicitur, cujuspiam manum aliquid invenire, vel non invenire, perinde est, ac si diceretur, illum ipsum hominem aliquid invenire, vel non invenire. Illud interdum in mentem venit, quòd decreta soleant nonnunquam ab ipsis principibus manu scribi, aut saltem, si ab aliis fuerint scripta, manus subscriptione confirmari. Unde per metaphoram cum metonymia conjunctam potuit dici manus Dei definivisse seu decrevisse id, quod Deus ipse decrevit ac constituit. Sed hoc in medio relinquimus.

Quod ad posterius attinet, duo sunt observanda. Primum est mala illa, de quibus sermo est, per accidens boni quoque rationem habere, seu boni illis aliquid adhærere, quatenus ad finem referuntur divinæ gloriæ, aut humanæ etiam saluti servientem. Nam quod Christo ejusque veritati ita fuerunt adversati Herodes, Pilatus cum gentibus, & populo Israëlitico, id partim ad confirmationem doctrinæ Euangelicæ pertinuit, partim ad exercendam aut explorandam ipsorum piorum fidem, pietatem, patientiam ac constantiam: ut taceam, etiam ad pœnam quorundam, ipsorum impietate ac contumacia dignam spectasse. Ea enim res scandalo illis fuit & impedimento, quò minùs religionem Christianam amplecterentur, ad quam aliàs, licet à probitate ac virtute alieni, miraculorum magnitudine ac multitudine quodammodo adigebantur. Deus ergo res illas, non quà malæ revera fuerunt, sed quà bonæ, definivit ac constituit, seu mavis id, quod in illis boni esset decrevit; non id, quod malum. Hoc enim ab hominibus ipsis revera fuit profectum. Quod ut tantò rectiùs animadvertatur, alterum quoque addendum est, quod hîc observandum esse diximus. Id autem est, Deum non simpliciter atque absolutè, sed positâ hypothesi tacitâque conditione, ista olim decrevisse, nempe ista fieri debere, si, aut postquam extiterint homines sponte sua improbi, & digni, qui ad res tam impias, per accidens tamen utiles, adhiberentur. Itaque Deus non id revera decrevit, ut homines tam improbi essent; sed ut sponte sua improbi facti, res hujusmodi designarent. Qua de re alibi fusiùs dicitur. Addi potest hic duobus tertium, quod ex secundo velut nascitur; Deum non de hoc aut illo individuo nominatim, v. g. de Herode aut Pilato multis antè seculis decrevisse, ut hæc illave mala designarent; sed generatim tantùm illa definivisse: Postea verò, cùm exequendi tempus adesset, ex hominum improborum numero illos elegisse, qui ad decreta ipsius exequenda essent aptissimi.

Hîc notari in singulis quædam possunt. Primùm de loco, quòd in magnis urbibus, & quidem religionis etiam nomine claris, magnos soleat habere Christus ejusque veritas adversarios. Secundò differi potest de summa Jesu Christi præstantia ac majestate; quòd sit *Dei filius*, quòd *sanctus*, hoc est, & universa vita innocens, & divinis donis, ac nunc divina in cœlis majestate venerandus; quodque *unctus à Deo*, ubi potissimùm occasio est differendi de ratione, qua ad summum in cœlis imperium evectus sit. Tertio cerni potest quomodo adversus Christum consentiant principes, & populi religione inter se aliàs planè discrepantes, atque adeò mutuis odiis flagrantes; ut Herodes & Pilatus, gentes & populi Israëlitici. Quartò notari potest, etiam ea, quæ sunt Dei voluntati maximè adversa, Dei consilio ac prudentia gubernari, & quatenus fini alicui bono inserviunt, quodammodo effici. Dicitur enim hîc, adversarios illos Christi coivisse, ut facerent quæ manus & consilium Dei antè definierat, ut fierent. Cavendum autem cuivis est, ne sese aptum, atque, ut ita dicam, opportunum efficiat, per quem Deus hujusmodi decreta sua exequatur, & quem per impia facinora veluti traducat, atque æterna ignominia notet, quemque porrò suppliciis majoribus dignum hoc modo reddat, & talem constituat, in quo exemplum iræ suæ statuat, & potentiæ suæ documentum edat.

Sequitur tertia precum particula, hoc est, peroratio, seu mavis auxilii divini petitio, ℣. 29 & 30 comprehensa. Petunt autem tria. Primum est cùm ajunt: *Nunc igitur Deus intuere in minas eorum*: ubi ex antecedente intelligendum est consequens, nempe ut Deus minas illas compescat, & ita cohibeat, ne ad exitium perduci queant; vel saltem, ne quicquam veritatis Euangelicæ cursui obstent. Non id orant pii, ut Deus Seniores illos propter ea puniat. Vindictæ enim cupiditatem & Christianis interdictam esse nôrant optimè, & alios ipsi docebant; norant tum pro hostibus orandum esse omnibus, tum verò nominatim pro magistratibus, in quorum numero & Seniores illi erant. Sed illud & jure poterant rogare illi, & hodie Christiani possunt, ut Deus minas magistratuum cohibeat, nec in oppressionem veritatis erumpere patiatur.

Secundum quod petunt est: *& da servis tuis, ut cum omni libertate loquantur sermonem tuum.* Hæc petitio videtur aliquo modo declarare primam. Eatenus enim videntur potissimùm Deum rogare, ut adversariorum minas respiciat, ne eas tantam patiatur habere vim, ut propter eas servi ipsius, nempe Apostoli, sermonem Euangelicum sibi concreditum silentio involvant, aut timore præpediti minùs liberè prædicent. Opponitur hæc petitio directè Seniorum decreto. Illi enim interminati fuerant Apostolis, ne docerent, neve loquerentur cuiquam in nomine Christi. Pii ergo orant, ut Deus eum largiatur servis seu Apostolis suis animum ac fortitudinem, ut contemtis illis minis liberè atque audacter sermonem Euangelicum prædicent ac promulgent. Non frustra autem hoc eos à Deo petiisse, sequentes docent historiæ, atque adeò ex parte ℣. 33 hujus capitis. Effecit id autem Deus, partim intus pectora illorum infracto robore fulciendo, & Spiritu suo animos illis addendo; partim virtutem illis subministrando edendi miracula. Hæc enim mirum in modum illos animare poterant, ut intrepidè doctrinam Euangelii prædicarent, & auctoritatem illis conciliare apud populum, ut sermonem illum tanto avidiùs audirent, tantoque libentiùs reciperent. Videmus hic multùm in eo esse situm, ut Euangelii præcones, tales præsertim, quales erant Apostoli, quibus tanquam fundamentis, aut petrâ immotâ, cæterorum hominum fides niti debebat, audacter atque intrepidè doctrinam Christi annuncient. Nam qui eum timidè prædicat, fidem ei derogare videtur, & speciem præfert de ejus veritate dubitantis. Nam si verus est ille sermo, si divinitus profectus, si immortalem vitam sibi credentibus affert; cur auxilio divino fretus, cur spe tanti præmii suffultus, audacter eum non profiteris? cur periculum ejus caussâ adire horres? Hinc Paulus orat Ephesios, Vide Eph. 6. 19, 20 ut pro se preces apud Deum interponant, quò sibi hæc fiducia loquendi divinitus suppeditetur. Itaque & hodie spiritum fortitudinis à Deo petere debent præcones Euangelii, & cæteri fideles precibus suis illos hac in parte juvare.

Tertium, quod petunt, est ℣. 30: *Manu tua extensa ad sanandum, & signa & miracula edantur per nomen sancti pueri seu filii tui Jesu.* Ubi modus quidam exprimitur, quo efficere Deus debeat, ut servi ipsius sermonem Christi liberè prædicent. Ut ita tertia hæc petitio declaret quodammodo secundam, ut secunda primam. Quomodo autem miracula id efficere potuerint, paulò antè est explicatum. Verba vix quicquam habent difficultatis. *Manum* enim *extendere* est vim ac potentiam suam exerere. Dum verò rogant, ut *per filium ipsius* miracula edantur, tacitè ipsum Christum orant, ut potentiam hanc à Deo sibi concessam, ad miracula edenda exerat, quoties ipsius nomen à servis ipsius invocetur, &, ut miraculum edat, rogetur. Hic modus animi fortitudinem inspirandi Christi ministris, hodie cessat; cùm vis miraculorum olim per Apostolos editorum adhuc duret ac vigeat. Miraculorum loco est partim divina circa ipsos cæterosque fideles cura ac providentia; partim pietatis, quo circumfulgere debent, splendor.

Precatione ipsa absoluta, subjungit Lucas ejus effecta mox consecuta ℣. 31, & ea quidem numero tria. Primum est, quòd *cum essent precati concussus est locus, in quo erant congregati.* Concussio illa loci facta videtur à Deo partim ideo, ut significaretur, quanta esset vis precum à piis modò fusarum; tanta nimirum, ut iis permotus velit potentiam suam exerere, & terorem incutere eorum adversariis, & labefactare vim ac potentiam ipsorum, licet videretur inconcussa; partim ut esset signum ac prodromus quidam virtutis divinæ, seu Spiritus Sancti ipsos mox invasuri ac repleturi, quemadmodum statim subjicitur. Hic differi potest aliquid de virtute ac potentia precum à piis ad Deum fusarum; ad quam rem illustrandam egregiè facit, præter alios locos innumeros illud, quod legitur Apoc. 8. 3 & seqq. ubi dicitur, Angelum, qui preces piorum cum suffitu Deo quodammodo obtulerat, postea repleviſse thuribulum igni altaris, & conjecisse in terram, & inde prorupisse voces & tonitrua, & fulgura, & motum terræ. Significatur enim, ex precibus sanctorum profecta fuisse effecta impiis terribilia, iisque orbem concussum commotumque fuisse.

Secundus istarum precum effectus est, cùm dicitur: *& repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* Quibus verbis significatur, tum temporis Spiritum S. eos veluti invasisse, & vim suam admirandam in illis exeruisse, ita ut arderent animis, divinæ ac cœlestes cogitationes in ipsis concitarentur, loquerentur linguis, magnifica Dei facta prædicarent, prophetarent alii. Et hodie non idem quidem, planè effectus, sed tamen similis, piorum preces sæpe consequitur; ut nimirum ardore singulari accensi, in Deum ejusque gloriam, inque virtutem unicè ferantur; ut gaudio ex spe immortalis vitæ nato exultent, ut in illis cogitationes planè divinæ ac cœlestes nascantur, & ea sæpè intelligant, quæ antea non intellexerant, & quodammodo prophetent. Et hi quidem duo effectus protinus sunt preces consecuti, neque videntur fuisse, præsertim si priorem spectes, per se diuturni, licet efficaciam etiam in sequens tempus habuerint. Sed tertius, qui nunc sequitur, effectus diuturnior fuit, & ad tempora post illum etiam diem consecuta pertinet, cùm dicitur, quòd *locuti sint sermonem Dei cum libertate.* Etsi autem hic effectus ad Apostolos potissimùm spectavit, tribuitur tamen fidelibus generatim; partim quidem, quia quod fidelium præcipuis, veluti capitibus competit, generatim fidelium cœtui adscribi potest; partim verò, quia cæteri quoque fideles, pro suo quisque modo ac facultate, doctrinam Christi disseminarunt ac celebrârunt, eam libere sunt professi, de ea cum aliis disseruerunt, eamque illis persuadere sunt conati. Fecerunt autem id *cum libertate*, seu libere atque intrepidè, nullo metu absterriti aut præpediti, contemtis Seniorum aliorumque hominum potentium minis. Qua in parte jam consecuti fuerunt id, quod vel inprimis à Deo paulò antè sunt precati, cùm dixerunt: *da servis tuis, ut cum omni libertate loquantur sermonem tuum.* Quæ autem hinc doctrina pateat, istic est dictum.

Sequitur altera pars hujus capitis, in qua felix ac beatus illius temporis ecclesiæ status proponitur spectandus. Ille autem duobus potissimùm rerum generibus continetur. Prius est earum rerum, quæ in fidelibus fuerunt sitæ, aut ab illis profectæ: posterius ea in re situm est, quæ extra ipsos fideles fuit posita, nempe in affectu hominum extraneorum erga ipsos. Et hæc quidem consequens revera fuit atque effectum rerum prioris generis, & ad illas amplificandas atque illustrandas à Luca exponitur. Quod ergo ad res prioris generis attinet, eæ rursus sunt duplices. Aliæ enim omnibus fidelibus fuerunt communes; aliæ Apostolorum propriæ, vel saltem Apostolis solis hoc loco attributæ.

Illæ exprimuntur ℣. 32. Sunt autem duæ; quarum prior posterioris est caussa. Prior est summa piorum concordia atque animorum conjunctio; quæ exprimitur illis verbis: *Multitudinis autem eorum, qui crediderant, erat cor & anima una.* Ubi *multitudo* credentium quodammodo opponitur *unitati* cordis, seu animæ, & ad hujus concordiæ singularem quandam præstantiam ostendendam facit. Minùs enim mirum est, paucorum, duorum v. gr. trium, quatuor, esse cor unum, animamque unam, seu, ut loqui solemus, idem velle idemque nolle: quanquam & hoc inter homines à Christo alienos rarum est: sed illud non modò rarum, & inusitatum, sed jure dixerim, antea inauditum, & ad hunc usque diem inter homines à Christo alienos invisum, *multitudinis*, hoc est aliquot millium hominum, unum esse cor, unam animam: eamque non in una tantùm alteraque in re, sed in totius vitæ rationibus ita conspirare, ut nulla inter eos dissensio, nullum discordiæ vestigium extet. Proprius hic est Spiritus ac religionis Christianæ effectus. Hujus est dissita conjungere, inimica conciliare, diversa unire. Unde non immerito hanc suorum discipulorum tesseram ac notam fore Christus ipse indicat Joh. 13. 15, & Patrem rogat, ut hanc in suis concordiam efficiat, quò cognoscat mundus, se ab ipso esse missum, cap. 17. 23. Ubi locus est de hujus conjunctionis singulari præstantia & fructu differendi, & quàm Deo sit grata, quam jucunda illis ipsis, qui eam inter se colunt, quàm salutaris, quàm accommodata ad divinam gloriam, ad communem piorum felicitatem, & ad aliorum hominum salutem procurandam, ostendendi. Nascetur autem in nobis, si multitudini illi similes fuerimus fide. *Credentium* enim fuit cor atque anima una; & quidem ideo, quòd crederent. Fides enim charitatem & cætera conjunctionis spiritualis adjumenta ex se parit.

Posterior ex duabus illis rebus toti fidelium cœtui communibus, quam prioris effectum esse diximus, est liberalitas aliorum erga alios: quæ exprimitur illis verbis: *Nec quisquam aliquid eorum, quæ habebat, suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia.* Apud homines cordatos, & communi saltem sensu præditos, vix est necesse commemorare, hæc verba non de rebus quibusvis, sed tantùm de facultatibus, seu rebus, quæ nummo æstimari solent, accipienda esse. Deinde illud etiam unicuique facile patet, usu potiùs, quàm proprietate res, quæ ad facultates pertinent, fidelibus fuisse communes: quia nimirum ii, quorum erat proprietas, earum usum aliis quoque liberaliter indulgebant. Quanquam earum rerum, quæ ipso statim usu consumuntur, proprietatem retinere non poterant, cum usum aliis concederent, & præterea dubium non est, quin rerum quarundam, quæ non protinus consumuntur, ut vestium aut supellectilis proprietatem sæpe in alios quoque transtulerint, res ipsas iis donantes, aut in eorum usus conferentes. Sed bonorum, ut vocant, immobilium proprietatem non protinus in alios contulerunt: neque id hoc sermone comprehendi ex eo apparet, quod postmodum peculiariter commemoratur, ea fuisse à possessoribus vendita, & pecuniam in usus aliorum distributam: & infrà Petrus Ananiæ dicit cap. 5. 4, prædium nondum venditum ipsi mansisse, hoc est in ipsius potestate fuisse. Hic locus est differendi de communione bonorum, quæ inter fideles esse aut possit, aut debeat:

debeat: de qua vide lib. 4. de vera Relig. cap. 20. Sed illis, quæ eo loco dicuntur, nonnihil adjicere licet. Duplex constitui potest bonorum communio Christianis hominibus digna, præter eam, quæ à Moravis, quos vocant, fratribus fuit instituta: altera perfectior, de qua hîc est sermo; altera imperfectior, cùm nimirum quisque fidelium ita bona sua possidet, iisque utitur, ut paratus sit, cùm usus ita exigit, & impertiri aliis de suis, & ad communem eorum usum eos aliqua ratione admittere, eos v. g. in ædes suas recipere, eos alere, iis suppellectilem, jumenta, servos, aliaque his similia ad usus necessarios, saltem ad tempus, commodare. Hæc communio rei naturâ inspectâ durabilior est, & ætatem magis fert; prior illa fervidior, ut ita dicam est, & majorem habet impetum, licet minùs diu videatur posse durare; siquidem ipsius usus ipso quodammodo usu minuitur. Posterior ista vitæ communi est aliquanto vicinior atque accommodatior: sed prior est admirabilior & augustior. Quod vel inde apparet, quòd hoc loco tantopere commendetur, quodque ab hominibus divino spiritu plenis, ducibus ipsis Apostolis, hoc est, divinissimis sci. viris, fuerit culta, in ipso Christianæ religionis primordio, in quo omnia eluxerunt augusta, admirabilia, divina. Unde apparet, non semper in rebus ad liberalitatem spectantibus ita necesse esse servire ejus constantiæ ac durationi, ut non etiam fervori aliquid detur: modò ne id consequatur, ut ii, qui uno veluti impetu sua in alios contulerunt bona, vel aliis postea cogantur esse graves, vel in suos, aut etiam alienos injurii. Itaque ii, qui liberis ipsi carent, & præterea paupertatem strenuè ferre sunt parati, laudabiliter hujusmodi liberalitatem exercent. Nisi ita se res haberet, ipse Christus male fecisset, qui juveni diviti suasit, ut bonis suis divenditis, ea pauperibus dilargiretur: & Apostoli quoque, qui receperunt pecuniam, quam nonnulli pro prædiis suis divenditis acceperant, in usus alienos distribuendam; inter quos fuerunt etiam, qui præter ea, quæ vendiderant, nulla alia habuerunt prædia, ut inferius apparebit.

Sequitur nunc, id, quod Apostolis erat proprium, vers. 33: *Et Apostoli magna potentia edebant testimonium resurrectionis Domini Jesu.* Quibus verbis continetur effectus precum antea fusarum præcipuus, ut apparet ex collatione horum verborum cum ℣. 29, *& à servis tuis* &c. usque ad finem vers. 30. Continetur autem hîc summa quædam prædicationis Apostolicæ, seu descriptio ejus quædam Synecdochica, nempe quòd *testimonium ediderint resurrectionis Domini Jesu.* Ubi resurrectionis nomine etiam gloriam consecutam intelligi debere notum est. Resurrectio autem ideo nominatim commemoratur, quia hujus inprimis rei testes constituti fuerant Apostoli, eaque fundamentum est universæ religionis Christianæ, & spei nostræ in ea comprehensæ; quod proinde probè firmandum erat, ut cætera tanto faciliùs tantoque tutiùs possent superstrui: unde differi nonnihil potest de hujus doctrinæ hodieque inculcandæ & necessitate, & utilitate. Dum verò dicitur, Apostolos *magnâ potentiâ* edidisse ejus rei testimonium; significatur, eos non tantùm fortiter ac constanter illam asseruisse verbis, sed etiam, ut antea rogaverant, insignibus ac stupendis miraculis, summa Dei virtute perfectis, confirmasse. Qua de re etiam antea nonnihil dictum.

Explicatis iis rebus, quæ in ipsis fidelibus erant sitæ, subjungitur ea, quæ extra eos in aliorum hominum animis posita erat. De ea verò differitur à Luca in seqq. usque ad finem capitis. Et primùm quidem exprimitur; deinde confirmatur atque illustratur. Exprimitur illis verbis: *& gratia magna erat super eos omnes.* Gratiam intelligit populi, seu favorem plebis erga Christianos. Qui quidem favor cum quadam eorum admiratione ac veneratione fuit conjunctus. Itaque non multùm absimilis esse videtur hæc sententia ab illa, quæ extat infrà cap. 5. 13. cùm ait: *magnificabat eos populus* hoc est, & magni faciebat, & magnificè extollebat, seu prædicabat. Hîc videmus, quanta sit veræ virtutis ac pietatis, ac divinorum, quæ in Christianis elucent, donorum vis ad gratiam & auctoritatem illis conciliandam. Quare etiamsi ab adversariis, iisque potentibus, nonnunquam premantur Christiani, non deerit tamen illis apud alios gratia atque auctoritas, si modò rectè sese gesserint. Nam etsi miracula per Apostolos edita admirationem Christianis ejus temporis magnam conciliarent: non postrema tamen ejusdem rei caussa fuit Christianorum omnium virtus ac præclara facta, ut ex seqq. intelligetur.

Progrediendum nobis nunc est ad ejusdem rei confirmationem atque illustrationem. Confirmat enim id, quod dixerat, Lucas atque declarat, caussa ejus allata; & hanc iterum alia caussa comprobat atque illustrat. Caussa est expressa initio vers. 34. *Nullus enim erat egens inter eos:* quia in illa bonorum communione, ac liberalitate divitum, nemo necessariis destituebatur. Apparet hinc, quantam vim habeat, inter alias virtutes beneficentia, ad famam pis honestam ac laudem omniumque amorem ac gratiam conciliandam. Apparet inde porrò, quid & nobis sit faciendum, non modò famæ atque ædificationis aliorum, sed & salutis ipsius caussa. Nempe, ne quenquam fidelium rebus ad vitam sustentandam necessariis destitui patiamur.

Caussa hujus rei partim generatim describitur; partim exemplo speciali declaratur atque amplificatur. Prius fit illis verbis: *Quotquot enim erant possessores agrorum*, &c. usque ad fin. vers. 35. Vulgò nimirum Christiani divites id fecerunt tum temporis, quod Christus præcepit apud Lucam cap. 12. 23. *Vendite bona vestra, & date eleemosynam* &c. Dicitur enim *quotquot* erant possessores agrorum, aut domorum, vendentes adferebant pretia eorum &c. Hinc patet, quid & hodie divitibus sit faciendum, si suæ saluti quàm optime consultum voluerint. Deposuerunt autem pretia illa *ad pedes Apostolorum*, quàm humillimè quamque modestissime ipsorum potestati pecuniam permittentes, ut eam, prout ipsis commodum videretur, in usum pauperum distribuerent. Nondum enim constitutis Diaconis, ipsi Apostoli hanc curam susceperunt, quæ postea fuit aliis commissa, ut infrà dicitur cap. 6. Notari hîc potest divitum istorum simplicitas animi ac liberalitas cum modestia singulari conjuncta. Cùm autem additur, *distributum hoc fuisse singulis prout cuique opus erat*, exprimitur effectus, liberalitatis illius divitum, & modus ostenditur, quomodo eâ factum fuerit, ut nemo inter fideles egens extaret: simul etiam ostenditur integritas & prudentia Apostolorum in pecunia illa distribuenda: quia singulis, prout opus fuerit, distribuerint. Hoc idem facere debent, & qui suam in pauperes pecuniam erogant, ut necessitati illorum impensæ rationem accommodent; & multo magis ii, qui alienam pecuniam, aut publicam, in usus pauperum collatam, distribuere debent. Cavenda nimirum illis est prosopolepsia, & indigentiæ cujusque habenda est ratio.

Subjicitur huic rei declarandæ exemplum speciale, versibus duobus ultimis, ubi primùm persona illa, in qua exemplum proponitur, aliquanto luculentiùs describitur; deinde & factum ipsum, in quo exempli ratio consistit, subjicitur. Prius fit ℣. 36. *Joses ergo, qui cognominatus est Barnabas* &c. Hic ideo tam multis describitur, quòd & tam pius vir fuerit, ut propterea etiam insigne nomen ab Apostolis retulerit; & postea in prædicatione Euangelica inter gentes extraneas ejus unà cum Paulo opera potissimùm enituerit. Unde tam crebrò illius fit cap. 13. & seqq. mentio. *Filius autem consolationis* ideo videtur fuisse appellatus, vel quia sua pietate factisque præclaris alios subinde fuerit consolatus, iisque gaudium attulerit; vel quia ipse consolationis ac gaudii divini veluti hæres quidam esset, ac porrò futurus esset; vel etiam utramque ob caussam. Neq; verò vulgarium hominum, sed ipsorum Apostolorum

lorum judicio, hoc nomen obtinuit: id quod ad majorem ipsius laudem facit. Non caruerunt omine nomina Apostolis à Christo imposita: non caruerunt proculdubio etiam ea, quæ ab Apostolis divino Spiritu plenis fuerunt aliis imposita. Non exigua laus est, probari viris in Ecclesia & divinis muneribus & pietate insignibus. Quare omnes operam dare debent, ut ab illis, tanquam laudatissimis viris, non tam reipsa laudentur, (ne forte ambitioni hic quicquam detur) quàm laudari mereantur: atque inprimis, ut piis omnibus sint gaudio, factisque præclaris eos subinde recreent atque exhilarent. Fuit autem illud quoque in hoc viro notabile, quòd *Levites* esset; & fortassis ideo id commemoratur, quòd ad illud usque tempus vel nulli, vel pauci ex Levitis doctrinam Christi recepissent; estque credibile, Barnabam primitias Levitarum ad Christum conversorum extitisse. Infrà quidem cap. 6 dicitur, magnam etiam turbam sacerdotum obtemperasse fidei; sed ante illud tempus nihil ejusmodi, nec de sacerdotibus, nec de Levitis legitur: imò quia id infrà nominatim commemoratur, apparet, antea admodum rara, vel propè nulla ejus rei exempla extitisse.

Factum autem ipsius exprimitur ℣. 37, *quòd cum haberet agrum vendidit eum*, &c. Significare videtur Lucas, eum non nisi hunc unum habuisse agrum, & tamen ei non pepercisse, sed animo liberali eum in usum pauperum vendidisse. Pertinet hoc ad commendationem ejus facti, ac porrò etiam ad laudem animi tam liberalis, atque amore fratrum ferventis. Similis ille hac parte fuit illi viduæ, quæ totum suum victum in gazophylacium contulit. Solet agellus istiusmodi pauperibus esse admodum charus, ita ut inviti eo careant, & vitam ei dare videantur, cui illum donent. Itaque magnæ est charitatis atque liberalitatis eum vendere, ut aliis tantùm gratificeris. Videtur autem hoc exemplum tanto libentiùs nic commemorare Lucas, quòd postmodum commemoraturus esset exemplum huic aliqua quidem ratione simile, sed alia rursus ex parte dissimile, nimirum Ananiæ & Sapphiræ, qui aliorum, ac fortasse hoc ipso Barnabæ exemplo incitati, eandem liberalitatis laudem, sed non eadem virtute ac simplicitate sunt secuti, & cùm fallere conati essent divinum Spiritum in Apostolis habitantem, loco approbationis pœnam retulerunt. Quare generali illi sermoni de liberalitate divitum in egenos exemplum voluit subjicere Lucas, primùm simile, deinde dissimile, ut contraria juxta se posita magis elucescerent. Sed hæc hactenus.

IN CAPUT V.

CApitis hujus partes sunt tres: quarum prima agit de pœna Ananiæ & Sapphiræ, ob fraudem in interventenda prædii venditi pecunia commissam; Secunda de felici Ecclesiæ Hierosolymitanæ statu, de quo etiam antehac non pauca habuimus; Tertia de persecutione Apostolis à Senioribus populi Judaici illata.

Primæ partis duo sunt membra. In priori conjunctim de Ananiæ ac Sapphiræ delicto agitur: in posteriori disjunctim de utriusque pœna.

Primum membrum continetur ℣. 1 & 2, sic autem scribit Lucas: *Vir autem quidam Ananias nomine cum Sapphira uxore sua vendidit possessionem.* Particula δὲ oppositionem denotat, & primam hujus capitis partem cum fine præcedentis capitis connectit. Postquam enim liberalitatem fidelium Hierosolymitani cœtus eximiam exemplo speciali eoque insigni, Barnabæ nimirum, qui unicum agellum divendiderat, preciumque in commune contulerat declarasset, eandem nunc diverso atque aliquatenus contrario exemplo, & pœna divina istud consecuta illustrat: quasi dicat, alio verò animo erat præditus Ananias cum uxore sua Sapphira, qui vendito agro interverterunt aliquid de precio, &c. Personarum verò *Ananiæ* ac *Sapphiræ* nominatim meminit Lucas, ut historiæ sua constaret tum integritas rum fides. In eo autem quod *vendiderunt possessionem*, materia atque occasio peccandi cernitur. Κτῆμα eu possessio, inferiùs ℣. 3 & 8 specialiori nomine χωρίον, id est, prædium, villa, seu ager cum ædificio, appellatur.

Vers. 2. Peccatum ipsum exprimitur, sic pergente Luca: *& intervertit*, hoc est clàm surripuit ac sepofuit [aliquid] *ex precio, conscia etiam uxore sua*, id est, non tantùm sciente, verum etiam contentiente, & factum veluti prudens approbante. Nam aliàs eadem cum marito pœna affecta à Deo non fuisset, si scivisset tantùm quid moliretur maritus, id vero ipsa improbasset ac detestata fuisset. Utrumque ergo, & maritum, & uxorem eadem culpâ laborasse indicat Lucas. Quæ sequuntur ad continuandam fraudem pertinent, dum ita scribit: *& afferens Ananias*, nimirum solus, absente uxore Sapphira, ut ex sequentibus constat, *partem aliquam, ad pedes Apostolorum deposuit.* Facile autem quivis videt, delictum non in eo fuisse, quòd partem duntaxat aliquam precii ad Apostolos detulit; poterat enim totum illud sibi retinere, ut ex verbis Petri ℣. 4 videbimus: sed quod aliquid clàm sepofuerat, & præ se ferret, se integram pecuniam afferre, ratus id Apostolos, licet divino Spiritu præditos clàm futurum. Non ergo tam defectu liberalitatis, quam dolo atque hypocrisi peccavit.

Peccato utriusque conjunctim expresso, Lucas secundo loco disjunctim eorundem supplicium describit, & primò quidem Ananiæ; deinde etiam Sapphiræ. Ananiæ supplicium describit Lucas, ita, ut 1 gravissimam illius delicti reprehensionem à Petro factam recenseat, 2 pœnam ipsam, 3 denique ejusdem pœnæ eventa. Reprehensio Petri ℣. 3 & 4 extat, ubi sic loquens introducitur Petrus, & quidem ℣. 3. *Dixit vero Petrus: Anania, cur Satanas implevit cor tuum*, &c. Ubi primò Ananiam compellat; deinde peccatum ipsius exaggerat, & quidem à caussa impellente, dum inquit: *cur Satanas implevit cor tuum*, quibus verbis hoc delictum Satanæ suasui atque impulsui adscribit, eundemque velut impurum spiritum, purissimo Spiritui sancto, quo Apostoli erant impleti opponit, ad indignitatem atque atrocitatem tanto magis amplificandam. Non est verò existimandum, solum Satanam facti hujus impii autorem fuisse, nullamque in Anania culpam hæsisse. Versu enim 4 sequenti à Petro expresse dicitur, Ananiam *posuisse in corde suo negotium hoc.* Sciendum namque est, Satanam suis suasionibus aut occultis inspirationibus, aliisque modis, quibus homines ad peccandum incitat, vim hominibus afferre non posse, sed liberum cuique & in ejus potestate positum esse conatibus ejus obsistere ac reluctari, imò eoscem penitus irritos reddere posse, si nimirum animum homo habeat Dei timentem, suasque cogitationis ab illecebris Diaboli, ad meditationem rerum divinarum studiumque pietatis convertat, & præsertim ad preces confugiat. Quod etiam Ananias facere potuisset, si sibimet ipsi vim facere, ac Diabolo haud obsequi voluisset. Dum verò dicit Petrus: *cur Satanas implevit cor tuum*, idem est ac si dicas, vel, quam caussam, quæso, legitimam habuisti, ut Satanæ tantum loci in corde tuo permitteres? vel, qui potuisti in animum inducere, ut Satanæ suggestionibus locum dares? &c. Potest hic obiter notari, Satanam neminem, etiamsi maximè vellet, vi ad peccandum cogere posse; sed id tantum in ipsius potestate ac viribus esse positum, ut vel varia hominibus objecta suggerat, vel phantasiam seu imaginationem hominis per varias rerum species mo eat ad hoc illudve peccatum animo concipiendum. Quasi fermè ratione e contrario Deus hominum mentes ad omnis generis pietatem impellit, eaque in re sæpenumero angelorum ministerio utitur. Multùm nimirum possunt species rerum etiam absentium ad phantasiam nostram permovendam, ut viri eruditi scriptis suis ostenderunt. Quemadmodum verò Deus nominem invitum ad pietatem vel oblatione objectorum, vel specierum menti impressarum vi cogit: ita nec Diabolus, etiamsi vellet, non posset tamen, Deo nequicquam id perhibente, ipsaque voluntatis humanæ libertate obstante. Unde etiam fideles ei resistere possunt. *Qui enim natus est ex Deo*, inquit Johannes, *conservat*

conservat seipsum, & malus ille non tanget illum, 1 Joh. cap. 5. ỷ. 18.

Tertiò peccatum ipsum commemorat dum inquit: *fallere te Spiritum Sanctum.* Verbum *fallere* in Græco est ψεύσασθαι quod proprie *mentiri* significat. Verum hoc modo, ut modo à nobis redditum est, reddi rectè posse, doctissimus quidam inter adversarios interpres animadvertit, * qui ita transtulit: *ut falleres Spiritum sanctum*: reddi autem debere manifestum est ex ỷ. 9, ubi idem Ananiæ & Sapphiræ crimen his verbis explicat Petrus: *Quid utique convenit vobis* (seu, quid est, cur convenerit inter vos) *tentare Spiritum Domini?* Unde apparet idem esse tentare Spiritum sanctum, & Spiritum sanctum ψεύσασθαι. Tentârant autem illi Spiritum Sanctum, quia perinde egerant, ac si explorare vellent, num Spiritus S. in Apostolis habitans, seu ipsi Apostoli Spiritus S. in se habitantis vi, fraudem animadversuri essent nec ne. Unde idem, quem superius laudavimus, interpres, qui ita reddiderat verba hæc, quæ nunc præ manibus habemus, *ut falleres Spiritum sanctum*, ad eum modum illa postmodum explicat: *ut fallere conareris Spiritum sanctum, id est, nos Apostolos, in quibus agit Spiritus, & quibus revelat, quæ opus est ad ædificationem Ecclesiæ. Metonymia adjuncti.* Cui explicationi planè assentimur. Aliam quidem horum verborum explicationem tradidit Erasmus, & alii quoque secuti sunt viri docti, quòd *mentiri Spiritum sanctum* sit simulare Spiritum sanctum: Verum hæc explicatio nobis non probatur. Præterquam enim quòd factum Ananiæ, prædii nimirum venditio, ac precii ad pedes Apostolorum depositio, non erat certum indicium, aliquem Spiritu divino præditum esse; cum istud etiam homo Spiritu divino plane carens facere posset; non videmus, quomodo Spiritum S. mentiendo Ananias ac Sapphira tentasse Spiritum Domini dici possint. Denique Petrus hoc ipso versiculo 5 statim explicat, quomodo Ananias & Sapphira Spiritum Sanctum fefellerint, dum inquit: *& interverteres aliquid de pretio prædii*; quæ verba satis ostendunt, eum existimasse, se latere posse; nec quicquam Apostolos Spiritu, licet divino præditos, fraudis subesse deprehensuros.

Vers. 4. In exaggeranda crimine Ananiæ pergit Petrus, & ostendit, primùm quidem, eum nullam habuisse caussam de crimine isto vel cogitandi, dum inquit: *Nonne manens, tibi mansit, & venditum in tua potestate erat?* Quibus verbis simul objectioni Ananiæ occurrit. Poterat enim dicere: si totam pecuniam in commune contulissem, nihil mihi ipsi reservassem. Respondet Petrus, Ananiam & prædium istud non vendere potuisse, & cùm vendidisset, precium nihilominus in ipsius potestate fuisse, ut illud vel sibi servaret totum, vel partem duntaxat ejus aliquam ad Apostolos deferret, modo id sine ulla fraude factum fuisset. Ex quibus Petri verbis manifestè cernimus, communionem istam bonorum non omnino ac simpliciter necessariam, sed ex mera credentium liberalitate profectam fuisse, atque ab ipsorum arbitrio pependisse. Id quod contra communistas notandum est. In verbis autem Petri hoc quoque, quod ad explicationem eorum pertinet, observari potest, in iis mutationem aliquam rei ac precii esse, ac proinde verba alio atque alio sensu intelligenda esse. Nam priori loco, dum inquit, *nonne manens, mansit?* de prædio, posteriori verò, cùm addit, *& venditum in tua potestate erat*, de precio loquitur.

Ratione hac præmissa Petrus inde reprehensionem infert, inquiens: *quid, quòd posuisti in corde tuo rem vel negotium istud?* quasi dicat, cùm igitur nullam justam criminis tui caussam habueris, quid quæso, caussæ fuit, ut de eo committendo cogitares, quid te impulit, ad istud perpetrandum? Hic apertè Ananiæ tribuit id, quod suprà Satanæ tribuerat, ex quo apparet, Ananiam, modò voluisset, Satanæ suasionibus locum non dare potuisse, ac proinde criminis omnino reum esse. Huic reprehensioni alteram rationem exaggerandi crimen Ananiæ subjungit Petrus, à fine ὅ seu scopo ultimo, in quem injuria istius peccati redundet petitam, & quidem à diverso, per comparationem minoris illustratam, dum inquit: *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Sensus verborum est: ne existimes, hanc injuriam ac contumeliam criminis tui in nobis residere ac terminari: ulteriùs illa tendit, & in ipsius Dei contumeliam cedit. Ratio autem horum Petri verborum in eo consistit, quòd divina illa efficacia, cujus afflatu Apostolis etiam ignota interdum revelabantur, Deo subordinata erat, ac proinde qui Apostolos divino Spiritu præditos conabatur fallere, perinde faciebat, ac si ipsum Deum fraude sua ludificari vellet. Similis est huic locus 1 Thessal. 4. 8: ubi cum dixisset Paulus, quæ præcepta illis dederit per Dominum Jesum, & qua conditione illos vocârit, Deus, addit. *Itaque qui spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nos.* Quasi dicat utpote qui Spiritum suum sanctum nobis dedit, quo nos regi, & cujus impulsu nos loqui conspicuum est. Quod autem plærique ex adversariis nostris ex his verbis, cum verbis ỷ. præcedentis, *mentiri te Spiritui sancto*, collatis probare conantur, Spiritum S. esse Deum, & quidem sumum, id frustra est. Id enim neque expressè hic asseritur, (quanquam nonnulli haud verentur dicere, Spiritum S. hîc expressè Deum appellari, quod tamen ipsi postea, vineta sua cedentes, consequutionibus ostendere conantur) neque ulla legitima sequela ex verbis istis elici potest. Simili enim ratione ex verbis Pauli, paulò antè citatis & ex verbis Christi Matt. 10. 40. Luc. 16; ad Apostolos dicentis: *Qui vos audit*, me audit, &c. colligere possent, Apostolos esse vel Christum, vel ipsum summum Deum. Sequeretur etiam fideles esse ipsum Christum, cum qui fideles persequitur ipsum Christum persequi dicatur. Præterea non dicitur à Petro, Ananiam *mentitum esse Spiritui S.* sed ut jam antè ostendimus mentitum esse, hoc est fefellisse Spiritum S. Hæc autem duo multùm differunt. Illud enim finem ὅ sive *cui*, hoc vero objectum denotat. Denique, ut alia omittam, uno eodemque actu quis duobus mentiri potest, alteri mediatè atque impropriè, ut hic Spiritui S. in Apostolis habitanti; alteri mediatè ac propriè, ut Deo. Hæc de reprehensione Petri, qua Ananiæ fraudem exaggeravit.

Sequitur nunc pœna ipsa quæ ỷ. 5 his verbis describitur: *Audiens verò Ananias sermones hos cadens expiravit.* Significatur eum subitò, ac repente dum adhuc loqueretur Petrus morte correptum animam exhalâsse. Hæc enim est vis participii præsentis ἐκπνέων. Pœnam hanc virtute divina Ananiæ inflictam fuisse dubium non est, sed utrum à Petro, an verò à Deo aut Christo ipso immediatè virtus ista fuerit profecta, ambigi potest. Posterius autem magis est verisimile, cùm prioris nullum extet in textu vestigium. Voluit autem Deus aut Christus hoc supplicio suis fidelibus aliis terrorem incutere, ne quis auderet vel illud ipsum, vel simile quoddam, quod ad convellendam muneris Apostolici auctoritatem, diviniq; in Apostolis Spiritus habitantis contumeliam spectaret, crimen admittere. Qui etiam terror statim hoc factum suit subsequutus, ut mox videbimus, eventa supplicium Ananiæ consecuta, consideraturi. Eventorum autem istorum duo commemorantur. Primum est metus aliorum, alterum sepultura Ananiæ. Metus hoc ipso versiculo commemoratur, dum scribit Lucas: *& factus est timor magnus super omnes audientes hæc.* Primò timorem hunc illustrat Lucas ab adjuncta magnitudine, indicatque eum non levem aut panicum aliquem terrorem fuisse, sed gravissimum, quique animos hominum consternârit adeò, ut existimarent, sibi maximopere cavendum esse, ne ejusmodi delicto Deum aut Christum offenderent, atque ad puniendum se irritarent. Deinde eundem timorem amplificat Lucas à subjectis, dum asserit *eum factum esse super omnes*, id est, corripuisse omnes, quicunque de isto supplicio audiverint, nimirum non eos tantùm, qui Ecclesiæ se adjunxerant, verùm etiam extraneos, quod infrà ỷ. 11. eventa mortis Sapphiræ describens expresse Lucas commemorat.

Sepultura Ananiæ describitur ỷ. 6 his verbis: *Surgentes verò juniores collegerunt eum, & elatum eum sepelierunt.* Primum quinam, deinde quomodo eum sepelie-

* Johan. Piscator.

sepelierint narratur. Qui sepelierunt fuere *juniores*. Illi enim, quia robustiores erant, ad hanc rem erant aptiores, quàm alii: fortassis etiam aliàs usitatum erat, ut juniores mortuos humarent. Dicuntur autem primò eum *collegisse*, hoc est corripuisse, atque è conspectu aliorum sustulisse; deinde eundem *extulisse*, extra urbem videlicet, in locum aliquem, ubi solebant sepeliri defunctorum cadavera, ac tandem *sepeliisse*. Hæc de Anania disjunctim.

Idem fermè postea separatim Lucas de Sapphira narrat. Nam primò circumstantias quasdam recenset: deinde colloquium Petri cum Sapphira describit; tertio Sapphiræ pœnam; & denique pœnæ eventa. Circumstantias commemorat duas: primò tempus ita scribens: *& fuit quasi* seu *circiter trium horarum intervallum*, id est, inter ea quæ cum Anania & cum uxore ejus gesta fuerunt, penè trium horarum intercessit intervallum: deinde describit Lucas occasionem & aditum quendam ad ea, quæ postea Sapphiræ acciderunt, his verbis: *& uxor ipsius, ignorans quid factum esset, ingressa est*, nimirum in locum illum, ubi Petrus aliique fideles congregati erant. Id autem, *quòd ignoraverit quid factum esset*, nimirum sci. marito ipsius, propterea commemorat Lucas, ut ostendat, Deum pro sua providentia ita rem direxisse, ut ipsius quoque scelus in apertum produceretur. Nam si scivisset, quod marito suo acciderat, proculdubio vel conspectum Apostolorum effugisset, vel alia ratione, quàm egit postea, egisset.

Colloquium Petri & Sapphiræ ỳ. 8 & 9. narratur: in quo tria occurrunt: 1. quæstio Petri, ad fraudem Ananiæ ac Sapphiræ in apertum protrahendam comparata, 2. responsio Sapphiræ. 3. Responsio Petri ad responsionem Sapphiræ. Quæstionem Petri expressurus Lucas ita præfatur, ỳ. 8. *Respondit verò ipsi Petrus*, ubi *respondere*. Idem est quod sermonem ordiri, alloqui: quo sensu frequenter in sacris literis usurpatur, ut suprà etiam observavimus cap. 3. 12. Quæstio ipsa sic habet: *Dic mihi, an tanti prædium vendidistis?* Hac quæstione, ut diximus, voluit Petrus fraudem tum Ananiæ tum maximè etiam superstitis uxoris Sapphiræ in apertum producere, ut omnes viderent, justissimo supplicio Dei Ananiam affectum fuisse, ac paulò post idem de ipsius uxore judicarent. Sequitur responsio Sapphiræ, de qua Lucas: *Illa verò dixit: Etiam, tanti.* Quibus verbis apertè fraudem suam prodit, seque sceleris per maritum admissi compotem esse arguit, dum mendacium mariti suo etiam comprobat. Superest, ut tertio loco videamus quid Petrus responderit. Id vero ỳ. 9 extat, ubi Lucas sic scribit: *Petrus autem dixit ad ipsam: Quid [est] quòd conspiraveritis, tentare Spiritum Domini*, &c. Duo hac responsione continentur: 1. exprobratio criminis. 2. denunciatio supplicii. Exprobratio criminis est in his verbis: *Quid est quod conspiraveritis tentare Spiritum Domini?* ubi non tantùm ostendit, Sapphiram ejusdem criminis, cujus maritus fuerit, ream esse, quandoquidem consutis dolis idem dicat ac faciat; verùm etiam crimen ipsum ita exprimit, ut ejus magnitudinem illi ob oculos ponat. Quid sit tentare Spiritum Domini, jam suprà in explicatione ỳ. 3 diximus, ut nihil opus sit idem repetere. Illud fortasse hîc addendum est, verba hæc, non tam de Ananiæ & Sapphiræ consilio atque intentione, quàm de vi facti intelligenda esse. Sperabant enim fore, ut ipsorum fraus atque hypocrisis ab Apostolis, divino licet Spiritu præditis, non deprehendatur. Exprobrationem criminis sequitur denunciatio pœnæ, quæ his verbis continetur: *Ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum ad ostium [sunt], & efferent te.* Divino Spiritu afflatus hæc Sapphiræ Petrus denunciat, prævidens, quid mox futurum esset. Indicat autem eosdem, qui maritum ipsius Ananiam sepelierant, jamjam affuturos eandemque mortuam elaturos terræque mandaturos esse. Verbo enim efferendi tum mors antecessura, tum subsequens sepultura per Metonymiam hic intelligenda est. Denunciationi huic etiam mox respondit eventus: Sic enim versu 10 pergit Lucas: *Cecidit autem illicò ad pedes ejus*, sci. Petri, *& exspiravit.* Quibus verbis supplicium Sapphiræ describitur. Idem verò illi irrogatum fuit supplicium, quod marito, quia pari ratione peccaverat.

Antequam hinc abeamus, & quæ pœnam hanc Sapphiræ irrogatam subsecuta sunt, videamus, operæ pretium erit, paucis respondere iis, qui ex hoc Ananiæ & Sapphiræ supplicio hæreticidium adstruere conantur. Sciendum igitur est primò, Ananiæ & Sapphiræ crimen non fuisse hæresin; sed fraudem ac dolum in contumeliam divini Spiritus ac Dei ipsius commissum, & quidem ex mera animi malitia, quæ ab hæresi, hodie præsertim abesse potest, cùm quis ex mera quadam ignorantia mentis hæresi laborare possit. Deinde non potest certò demonstrari, ab ipso Petro hanc pœnam Ananiæ ac Sapphiræ inflictam esse, quin potiùs, ut antea quoque monuimus, statuendum videtur, eam immediatè ab ipsomet Deo vel Christo illis immissam fuisse. Huic ergo etiamnum hodie hæreticos puniendos relinqui debere sequitur. Præterea & si maximè concederemus, ipsum Petrum divina virtute ac potentia armatum, Ananiam ac Sapphiram punivisse; alia tamen est ratio Petri, alia eorum, qui hodie hæreticos supplicio afficiendos putant, vel ipsi afficiunt. Petrus enim, utpote Spiritu sancto plenus, in judicando errare non potuit; illi verò possunt, etiamsi quidam eorum id licet falso, diffiteantur. Hinc sæpe fit, ut quos hæreticos putant supplicio afficiant ipsi hæreticissimi. Denique etiam ipsa pœna Ananiæ & Sapphiræ fuit extraordinaria ac divinitus profecta, quâ uti adversus hæreticos se posse, nemo hæreticidarum audebit asserere. Imò optandum esset, eos ejusmodi pœnam hæreticis infligere posse. Sic enim constaret hæreticis se hæreticos esse, statimque hæresi relicta veritatem amplecterentur; si viderent passim atque ordinariè sui similes hinc inde, ad eorum, qui ipsos accusarent hæreseos, nutum, subitanea morte peremtos, pœnam delicti sui dare.

His ita ostensis ea, quæ in historia supplicii Sapphiræ sunt reliqua, videlicet ejusdem consequentia, paucis consideremus. Horum vero duo sunt. Primum est ejusdem sepultura, de qua Lucas: *Ingressi verò adolescentes invenerunt ipsam mortuam;* Ubi videmus Petrum verè prædixisse, *pedes eorum* id est, illos ipsos, *qui sepeliverint virum* Sapphiræ, *ante ostium esse, eamque elaturos esse* scilicet mortuam. *Et efferentes*, pergit Lucas, *sepelierunt juxta virum suum:* quibus verbis reliquorum, quæ prædixerat Petrus, eventus ex parte continetur. Eam enim elatum ac consequenter sepultum iri Petrus apertè dixerat. Alterum consequens est metus, & quidem magnus qui invasit partim totam Ecclesiam, id est, fidelium doctrinam Christi profitentium, partim omnes, qui hæc de pœna nimirum Ananiæ & Sapphiræ audierant. Verba Lucæ ỳ. 11. hæc sunt: *Et factus est timor magnus super totam Ecclesiam, & super omnes qui audiebant hæc.* Quæ verba ulteriori explicatione non indigent, si addantur ea quæ diximus suprà ỳ. 5. Hac de prima parte.

In secunda parte describitur à Luca felicissimus Ecclesiæ Hierosolymitanæ status, quem etiam jam ante non semel descripsit. Vide supra Cap. 2. 41 seqq. & IV. 32, & d. Duobus autem hæc pars constat membris; quorum alterum ad Apostolos velut Ecclesiæ capita; alterum ad totam Ecclesiam ejusque membra pertinet. Ita verò in narratione harum rerum Lucas progreditur, ut secundum membrum priori veluti per parenthesin inserat, eodemque absoluto ad primum pertexendum redeat. Quod ad prius membrum attinet, in eo primùm Lucas id, quod ad Apostolos spectabat, breviter exprimit: deinde fusiùs illustrat ac persequitur. Sic vero scribit vers. 12: *Per manus verò Apostolorum fiebant signa & prodigia in populo multa.* Hic verbis ut diximus, exprimuntur ea, quæ speciatim ad Apostolos pertinent. *Per manus Apostolorum* vel idem est,

est, quod per Apostolos, vel Apostolorum operâ ac ministerio interveniente. Frequens Hebraismus. Per *signa & prodigia* intelliguntur miracula. Vide suprà cap. 2. 34. Facta autem dicuntur miracula ista *in populo* id est, publicè ac palam, ipso populo præsente ac spectante, & in multis ex populo. Confer. ℣. 15 & 16. Exinde apparet, miracula illa non fuisse conficta, quippe quæ coram multis testibus fuerint patrata. Addit Lucas *multa* indicans, eorum non unum atque alterum duntaxat, sed magnum numerum eaque crebrò fieri solita fuisse. Cujus rei documentum similiter infra habebimus.

Antequam verò Lucas ad illustrationem eorum, quæ scripsit, descendat, velut in parenthesi ea, quæ ad totam Ecclesiam pertinent, commemorat. Tria verò recenset. Primum his verbis continetur: *Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis.* Describit fidelium studium in frequentandis congregationibus publicis, quòd nimirum unus idemque non quorundam tantùm, sed omnium fuerit animus, ut publicis congressibus interessent, atque ita uno ore ac corde Deum, celebrarent, invocarent, aliaque peragerent, quæ ad cultum divinum pertinent. Idem licet aliis verbis de fidelibus narravit Lucas cap. 2. 46,47. Denotatur hic etiam conventuum publicorum locus, *porticus Salomonis*: de qua vide supra cap. 3. 2.

Alterum quod ad totam Ecclesiam pertinet, describitur ℣. 13. ubi ita scribit Lucas: *Reliquorum verò nemo audebat adhærere illis.* Effectus hic est prioris in populo, qui Ecclesiæ se non adjunxerat, qui hoc loco reliquorum nomine intelligitur, ut ex verbis mox sequentibus videre est, ubi loco relativi est nomen *populi.* Effectus autem est, quod non ausi fuerint illis adhærere, hoc est, sese aggregare, & consortio eorum immiscere. Caussa hujus rei exprimitur verbis *sed magnificabat eos populus*, ubi ἀλλὰ pro γὰρ videtur positum. Indicatur autem populum reverentia ac veneratione quadam fidelium ductum non fuisse ausum cum illis familiariùs conversari. Sic enim fieri solet, cum autoritatem ac dignitatem alicujus suspicimus.

Tertium est incrementum Ecclesiæ, & augmentum numeri fidelium de quo Lucas vers. 14. *Magis autem apponebantur credentes Domino* id est, indies augebatur numerus fidelium. Quod exaggeraturus Lucas addit; *multitudines & virorum & mulierum*: quibus verbis indicat, non unum aliquem aut alterum, non aliquot tantum, sed integras veluti turmes ad Ecclesiam accessisse, & quidem non virorum tantùm, verùm etiam mulierum, quod rem tanto magis exaggerat. Solent enim mulieres plerumque viris timidiores esse, ac proinde non tam facile religionem pristinam mutando alicui sese cœtui adjungere. Hæc de iis quæ ad totam Ecclesiam pertinent.

Restat, ut videamus ea, quæ ad prius membrum de Apostolis declarandum atque amplificandum pertinent. Recensentur verò varia Petri miracula, per distributionem subjectorum tum agentium, ut ita dicam, tum patientium, eorundemque partim effecta & finem, partim adjuncta, itemque modum sanationis peculiarem, illustrata atque amplificata. Primùm autem recensentur effecta eorum, qui Hierosolymis agebant, dum ita scribit Lucas: *Ut in plateas efferrent infirmos* id est ægrotos, primum effectum cum commemoratione subjecti ab adjuncto morbo: *& ponerent super lectos & grabatos* effectum alterum. Quæ sequuntur, *ut veniente Petro, vel umbra inumbraret aliquem eorum* & finem effectorum antè commemoratorum, & modum, quo sanati fuerint ægroti, indicant, eo nimirum fine ægrotos istos in plateas elatos fuisse, ut umbra Petri prætereuntis inumbrati sanarentur; cui rei etiam, ut in fine versiculi sequentis indicatur, respondit eventus. Verè miraculosa hæc fuit sanatio, & divinæ cujusdam virtutis argumentum; quæ quidem non in ipsa umbra Petri, sed circa eam sese exeruit, sive eam ab ipso Petro divino Spiritu repleto egressam, sive immediatè à Christo profectam dicas. Perperam autem hæc trahuntur ad sanctorum reliquias, atque ea, quæ illarum virtute fieri dicuntur, miracula. Nam præterquam, quòd multæ ejusmodi reliquiæ planè sint fictitiæ, ut & miracula, quæ per illas patrata fuisse dicuntur; alia est ratio umbræ Petri viventis, alia reliquiarum mortuorum hominum. Ut taceam, non in ipsa Petri umbra virtutem aliquam fuisse, nedum in sanctorum demortuorum reliquiis. Id denique dicimus, etiamsi tale quid olim circa reliquias sanctorum demortuorum accidisset, id tamen jamdudum, satis confirmatâ miraculis Euangelii doctrina fieri cessasse.

Sed his omissis transeamus ad effecta eorum, qui circa urbem Hierosolymitanam habitabant. De his ita scribit Lucas vers. 15: *Conveniebat autem & multitudo earum, quæ circa, seu vicinarum urbium Hierosolymam, ferentes*, id est advehentes *infirmos*, seu ægrotos, *& vexatos*, hoc est, obsessos, miirisque modis excarnificatos, *ab spiritibus immundis*, hoc est, dæmonibus. Quibus verbis describuntur illi, qui fuerunt ad Apostolos delati ut sanarentur, ab adjunctis morbis, & quidem ex parte à dæmonibus qui eorum corpora obsederant, velut caussis efficientibus, profectis. Tandem subjungit Lucas effectum in ægrotis istis à divina virtute vel à Christo immediatè, vel à Petro divina illa virtute à Christo donato, profectum his verbis: *qui sanabantur omnes.* Quæ verba non tantum ad eos ægrotos, qui ex vicinis opidis Hierosolymam deducti erant, quorum proximè fit mentio, sed etiam ad eos, qui Hierosolymis erant, de quibus versiculo præcedente, & præterea ad modum sanationis peculiarem, inumbrante eos umbra Petri factam, referenda sunt.

Sequitur tertia pars in qua duplex Apostolorum persecutio, unà cum variis earundum adjunctis causis atque effectis describitur. Prior persecutio fuit, quod conjecti fuerunt in carcerem; posterior quòd virgis cæsi. Illa ita à Luca narratur, ut primùm ejus autores seu caussas efficientes, deinde persecutionem ipsam, ac denique varia ejusdem eventa describat. Autores persecutionis istius describuntur vers. 17 his verbis: *Exurgens vero summus sacerdos, & omnes qui cum ipso (quæ est hæresis Sadducæorum) repleti sunt zelo vel æmulatione.* Ubi non modo ipsi auctores persecutionis commemorantur, verùm etiam caussæ impulsivæ fit mentio, quæ eos ad persequendos Apostolos permoverit. Autores fuerunt primò *summus sacerdos* Annas proculdubio; qui dicitur *exsurrexisse* more loquendi desumpto ab iis, qui negotium aliquod moliuntur, illudque jamjam sunt executuri: deinde *qui cum eo*, id est reliqui sacerdotes primores qui cum ipso faciebant, qui eidem in religione sectæ erant addicti. Id quod statim indicat Lucas dum addit, *quæ est hæresis* vel *secta Sadducæorum*, id est, qui Sadducæorum placitis adhærebant. Quinam Sadducæi, & quæ eorum in religione fuerint dogmata, jam suprà diximus c. 3. 1. Caussa quæ eos ad persequendum Apostolos impulit fuit *Zelus* sive *æmulatio*, quo eos repletos fuisse scribit Lucas. Malè nimirum illos habebat, neque ulla ratione ferre poterant, quòd Apostoli resurrectionem Christi ex mortuis populo annunciando velut jugulum hæreseos ipsorum peterent. Existimabant igitur Sadducæi, se caussæ suæ quàm optimè consulturos, si Apostolos eorumque doctrinam vi opprimerent, ne ita eorum auctoritas vilesceret & hæresis tota exolesceret, populo doctrinam Apostolorum amplectente.

Persecutio ipsa vers. 18 describitur, ubi verba sic habent: *Et injecerunt manus suas super Apostolos*, id est, comprehenderunt Apostolos, *& posuerunt eos in custodia publica.* Verba ita plana sunt, ut nulla explicatione indigeant. Pergamus igitur ad eventa, quæ quidem varia à Luca commemorantur. Sed inter ea generalia maximè constitui posse videntur duo, ad quæ cætera referri possint. Primum est liberatio Apostolorum è carcere; alterum judicium, sive actio in consilio Hierosolymitano de Apostolis instituta. Liberatio ℣. 19, 20 & parte 19 describitur, & quidem ita ut primùm significetur cujus opera ac ministerio interveniente

fuerint liberati, nimirum *Angeli Domini*. Vocabulo *Angeli* in Græco non est additus articulus, ideoque verbum istud ita explicari simpliciter potest, aliquem ex angelis eos liberasse. *Domini* vox vel Deum, vel etiam Christum denotat. Licet enim & hæc vox in Græco non habeat articulum; solet tamen hac etiam ratione de Christo interdum usurpari. Deinde fit mentio temporis, quod *noctu* Apostolos liberarit Angelus è carcere, quod vel dormientibus, vel vigilantibus Apostolis fieri potuit. Tertiò narratur modus, quòd *aperuerit angelus fores custodiæ*, nemine videlicet, ac ne vigilibus quidem (ut ex ỳ.f. 23 colligere est) ante fores excubantibus, præter Apostolos, animadvertentibus, quodque *eos eduxerit* nimirum ex carcere in urbem. Quartò exponitur mandatum Angeli ad Apostolos, quidnam illis è carcere eductis sit faciendum; quod his verbis exprimit Lucas: Vers. 20. *Ite, & stantes loquimini in templo populo omnia verba vitæ hujus*. Dum eos jubet *stantes loqui* eos hortatur ad fiduciam ac præsentiam animi, ne quenquam metuentes liberè loquerentur, & quidem *in templo*, non in angulo aliquo, aut domatim, sed in publico ac celeberrimo urbis loco. Jubet autem præterea loqui *populo*, non uni alicui, aut alteri, sed toti turbæ omnibusque promiscuè. Quidnam autem illis loquendum sit tandem etiam annectit angelus, nimirum *omnia verba vitæ hujus*, nihil eos supprimere, sed omnia apertè dicere jubet. Per *verba vitæ* intelligitur sermo Euangelii, qui dicitur *verba vitæ*, vel quod de vita agat, vita nimirum sempiterna, & de ratione eam consequendi; vel quod credentibus vitam afferat. Illo sensu Genitivus vitæ esset Genitivus objecti; hoc verò effecti. Sic infrà Euangelium dicitur Act. 13. 16: *sermo salutis*, & Christus *verba vitæ æternæ*, quæ videlicet vitam æternam afferant, habere, Joh. 6. 68.

Quinto denique obedientia mandato Angeli præstita describitur vers. 21, his verbis: *Cùm verò audiissent*, nimirum verba Angeli, *ingressi sunt sub diluculum in templum, & docebant*. Summo mane dum dilucesceret templum ingrediendo alacritatem ac promptitudinem suam in exequendo mandato divino, per angelum illis tradito, testati fuerunt.

Hac Apostolorum liberatione ex custodia descripta, Lucas ad alia hujus liberationis eventa recensenda progreditur, quæ sunt veluti παρασκευὴ quædam ad judicium de Apostolis habitum. Eventum primum his verbis continetur: *Accedens verò summus Sacerdos, & qui cum ipso erant convocârunt Synedrium, & omnem*, hoc est, totum *senatum filiorum Israël. Synedrium* supremus erat senatus populi Israëlitici, constans ex LXXI senioribus, olim à Mose in deserto, ut legimus Num. XI. jussu divino constitutus, qui gravissimis de caussis judicare solebat. Per *senatum* vero intelliguntur reliqui seniores populi Israëlitici. Secundum eventum extat in sequentibus: *& miserunt in carcerem, ut ducerent*, id est, adducerent (simplex pro composito) *illos* nimirum Apostolos, judicii in illos exercendi gratiâ.

Tertium continetur vers. 22 & 23; ubi scribitur, *Ministros cum venissent non reperisse illos in custodia, revertentes verò annunciasse ac dixisse: Carcerem quidem invenimus clausum in omni securitate* id est quàm tutissime, quemadmodum & Beza reddidit. Quæ verba nihil difficultatis habent. Id tantum notandum est, hæc omnia quæ à ministris dicta sunt ad miràculi quod in liberatione Apostolorum ex carcere contigerat, magnitudinem ac veritatem ostendendam spectare, & ostendere Apostolos nec sua sponte, nec aliorum hominum accedente operâ è carcere elapsos esse.

Vers. 24. Novum eventum, quod proximi quoddam effectum est narratur, ita scribente Luca: *Cum verò audiissent sermones hos*, ministrorum videlicet, quos ad Apostolos ex carcere educendos ablegârant, *ambigebant de illis, quid hoc futurum esset* id est quorsum res evasura esset, vel simpliciter, *quid hoc esset*, quid sibi vellet.

Vers. 25. *Adveniens autem quidam, nunciavit eis &c.* Eventum aliud, cujus effectum est illud quod sequenti ỳ.f. 26 commemoratur: *Tunc abiens tribunus* qui templi progugnaculo turri Antoniæ præerat, *cum ministris, duxit* id est adduxit (ut suprà ỳ.f. 21) *illos*, Apostolos videlicet, *non cum vi*, non adhibita violentia, qua facinorosi coram judicio comparere nolentes adduci solent, sed ea ratione, qua interdum etiam viri honesti in judicium vocantur. Caussa hujus rei statim additur: *metuebant enim populum, ne lapidarentur*. Videbant nimirum populum, Apostolos ob tam multa tamque egregia miracula, totidemque beneficia iis, quos sanarant, exhibita, & ob singularem vitæ innocentiam magnifacere. Verebantur igitur, ne populus eosdem Apostolos vi defenderet, ipsis verò vim adhiberent, eoque furoris descenderet, ut auderet eos lapidibus obruere, quippe quos existimaret summa cum injuria viris tam sanctis, tamque divina virtute præditis, violentas manus inferre.

Vers. 27. Novum recensetur eventum, quod cum ipso judicio, quod de Apostolis instituebatur, propiùs cohæret. Sic verò scribit Lucas: *Postquam verò illos duxissent* id est adduxissent, *statuerunt illos in Synedrio*. Hæc de parasceve seu præparatione ad judicium. Sequitur judicium ipsum: in quo consideranda veniunt; primò crimina Apostolis objecta; deinde Apostololum ad ea responsio; tertiò eventa. Ad crimina Apostolis objecta quod attinet, primùm Lucas commemorat, quis objecerit, dum ita scribit: *& interrogavit illos summus sacerdos, dicens*. Deinde sermonem Pontificis, quo crimina ista continentur subjicit ỳ.f. 28, his verbis: *Nonne denunciatione denunciavimus vobis* id est nonne severissimè, additisque minis gravissimis interdiximus vobis, *ne doceretis de nomine isto* id est de Jesu Nazareno, quem præ odio, quo ipsum prosequebatur, & contemtu ne nominare quidem vult, *& ecce replevistis Hierosolymam doctrina vestra*, quasi dicat tantum abest, ut interdicto nostro parueritis, ut potius ab eo tempore magis magisque doctrinam vestram disseminare studueritis, eoque rem deduxeritis, ut omnes fermè totius urbis angulos doctrina ista vestra perrepserit ac compleverit. Primum hoc crimen est, quod ausi fuerint Apostoli interdictum primorum totius populi, de quo capite præced. ỳ.f. 18, contumaciter non tantùm negligere, verùm etiam contra niti, minis omnibus posthabitis. Alterum crimen sequentibus verbis continetur: *& vultis inducere super vos sanguinem hominis hujus*, Jesu puta Nazareni, quem iterum indignum judicat pontifex, quem nominet. Verba autem ista duplicem habere possunt sensum: vel quòd voluerint eos omnino supplicio divino ob trucidatum Jesum Nazarenum involvere; vel quod eos omnino reos cædis illius voluerint peragere, atque evincere, eum ab ipsis injustè trucidatum fuisse. Et hic posterior sensus vero videtur esse similior. Hæc de criminibus quæ Apostolis objecta fuerant.

Sequitur Apostolorum responsio, ỳ.f. 29, 30, 31, 32. quam antequam recenseat; ita scribit Lucas, *Respondens verò Petrus, & Apostoli, dicebant*. Ex quibus verbis apparet Petrum reliquorum nomine, quod etiam antea tum ante effusionem Sp. S. ut videre est Matth. 16. 16 Joh. 6. 69. tum post illam, ut legimus suprà cap. 2 & 3. solitus fuit facere, respondisse. Eximit autem eum Lucas quodammodo ex aliorum Apostolorum numero, id quod etiam alibi fit (vide Marc. 16. 7.) ob singularem ejus præ cæteris eminentiam, quodque reliquis tum in sermone, tum in aliis rebus gerendis præiret. Responsio ipsa duobus membris constat. In primo ad objectum crimen prius respondetur; in altero eadem responsio confirmatur, & quidem ita, ut Petrus id maximè dicat, quod illi dici prohibuerant. Ad crimen objectum Petrus his verbis respondet: *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*. Idem respondet, quod antea cum Johanne adversus primorum populi sententiam protestatus fuerat, ostenditque nihil in eo esse, quod fecerint annunciando etiam contra ipsorum interdictum, reprehensione vel animadversione dignum, utpote cum interdictum istud manifestè divinæ voluntati repugnet, id verò quod ab ipsis factum fuerit, eidem planè sit consentaneum. Satis igitur aperte Petrus objectum crimen diluit, nihilque in eo criminis ostendit, justissima ejus rei caussa non obscurè allata, quæ petita est à jussu divino. Confirmat autem hanc suam responsionē Petrus in sequenti-

quentibus ostenditque primùm quænam testari debeant ipse ac reliqui Apostoli; deinde cur debeant. Quæ testari debebant Apostoli duplicis erant generis. Prioris sunt ea, quæ Deus in Christo fecit; posterioris quæ primores populi. In his verò exprimendis hoc ordine progreditur Petrus, ut ea quæ posterioris sunt generis, iis, quæ sunt prioris, inserat. Eorum quæ Deus in Christo fecit, primum his verbis exprimitur, ỷ. 30. *Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum.* Deum primò describit, & apellat *Deum patrum suorum*, Abrahami videlicet, Isaäci, Jacobi, inprimis, ne videatur eum vilipendere, aut ab ejusdem honore ac cultu homines avocare. Duplici autem de caussa Deus sic appellatur, partim quòd patrum Israëlitici populi benefactor sit, atque etiam pòst mortem futurus esset, qua ratione Christus ex eo, quòd Deus se Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi appellavit colligit, eos aliquando resurrecturos esse ex mortuis: partim quòd ab iisdem religiose cultus fuerit. Quo sensu hic potissimùm accipi videtur, cum ad institutum Apostoli ejusmodi descriptio Dei inprimis faciat. Deinde effectum ipsum Dei in Christo exprimit Petrus, quod *suscitaverit Jesum, videlicet* ex mortuis. Quo sensu non rarò verbum ἐγείρειν usurpari jam antea notavimus. Huic effecto Petrus, antequam ad alia progrediatur, inserit, quid primores populi Christo fecerint: *quem vos*, inquit, *interemistis, suspendentes in ligno.* Facto Dei ipsorum facinus opponit, ad indignitatem ejus tantò apertiùs ostendendam; quò etiam spectat id, quod de mortis genere additur. Id enim maximè ignominiosum, & a Deo ipso maledictum erat. Non obscure autem his verbis eos criminis trucidati summa cum injuria Christi reos peragit, atque ita simul ad alterum sibi objectum crimen Petrus respondet.

Vers. 31. Pergit Petrus in commemorandis iis, quæ Deus in Christo fecerit, & quidem ita, ut quasi per gradus altius assurgat, & præstantissimum effectum, exaltationem videlicet Christi commemoret, inquiens: *Hunc Deus principem & servatorem exaltavit dextrâ suâ* &c. Duo his verbis continentur. Primò quantam dignitatem Deus Christo contulerit; deinde quam eximium illi munus impoluerit. Dignitas quam Deus Christo contulit his verbis exprimitur, quod Deus ipsum exaltârit, dum nimirum eundem ad se in cœlum assumtum gloria & honore coronavit, collocando eum ad dexteram suam in cœlestibus, omniaque ipsius pedibus subjiciendo. Dicit autem Deum exaltasse Christum *dextrâ suâ*, hoc est, virtute ac potentia sua. Eph. 1. 19. d. Sic alibi dicitur Deus supereminentem magnitudinem virtutis suæ in Christo exhibuisse, dum suscitavit eum ex mortuis, & constituit ad dexteram suam in cœlestibus &c. Alii quidem aliter hæc verba Petri reddunt, nimirum ita: *Hunc* [inquam] *Deus dextrâ suâ evectum* [*constituit*] *principem & servatorem*: verùm nihil est opus à verborum Græcorum constructione recedere, aut aliter vertere, quam nos vertimus, cum sensus eorundem etiam sit planissimus aliisque Sacrarum Literarum locis maximè consentaneus. Munus, quod Christo imposuit Deus, indicatur his verbis dum dicitur, Deum exaltasse ipsum *Principem ac Servatorem*, id est, ut esset princeps ac Servator, *ad dandam resipiscentiam Israëli, & remissionem peccatorum.* Quanquam hic ipso etiam munere Christi summa ejus dignitas continetur. Dicitur autem Christus exaltatus princeps ac Servator, non quòd antea princeps ac Servator nulla ratione fuerit, sed quòd non tam perfectè. Hinc in Epistola ad Hebræos cap. 5. 9 dicitur, quòd consummatus, id est, immortalis redditus, factus sit obedientibus ipsi omnibus caussa salutis æternæ. Antea quidem, cùm nondum esset exaltatus, divinam hominibus voluntatem Dei nomine annunciavit ac confirmavit, suoque ipsis exemplo in via salutis instar ducis præivit, qua in re Propheticum ipsius munus consistit: postea verò longè præstantiori ratione princeps ac Servator evasit; dum videlicet non tantum ipsius ex mortuis resuscitati, in cœlum assumti atque immortalitate donati exemplo ostensum est, certam esse eam salutis viam, quam nos ingredi jusserit, cùm ipse veluti princeps ac dux noster eandem ingressus salutem istam consecutus fuerit; verùm etiam & quidem multo magis, quia omnis salus nostra in manibus ipsius est posita, dum nimirum ea, quæ ad ipsam spectant perpetuò curat atque administrat, eamque nobis aliquando reipsa daturus est. Additur in textu: *dare* seu *ut det resipiscentiam Israëli, & remissionem peccatorum.* Quibus verbis declaratur, qua in re munus Christi consistat, seu quænam sint ejus effecta. Verbum *dare* licet etiam ad Deum referri verborum Græcorum patiatur constructio: rectius tamen ad Christum referri videtur. Quanquam ea, quæcunque a Christo hominibus dantur, per ipsum à Deo dentur. Dicitur autem Christus *dare resipiscentiam*, non quòd hominibus nihil planè ad eam conferentibus eam infundat: (nam quorsum aliàs hominibus & quidem vel sub spe præmii, vel sub commiuatione pœnæ præciperetur, si studium eorundem atque opera ad ipsam non requireretur?) sed quod illis occasionem ac media resipiscendi, qualia sunt, verbum Euangelii, donum Spiritus sancti, & alia, suppeditet, ita tamen ut iis vel uti vel non uti in ipsorum relinquat arbitrio, ut ita & virtuti & vitio, ac proinde etiam præmio ac pœnæ locus esse possit. Dare autem dicitur Christus *resipiscentiam, & remissionem peccatorum*; quorum illa nostrum officium in se complectitur, hæc officii præstiti præmium. *Resipiscentiæ* autem nomen tam late hîc sumendum est, ut non tantum animi mutationem in melius, quam vocabulum μετανοίας proprie significat, denotet quo sensu à mutatione vitæ in melius, tanquam fructu suo interdum distinguitur Matth. 3. 8. Act. 26. 20. verùm totum officium nostrum, hoc est, & animæ & vitæ mutationem in melius, & utriusque mutationis fundamentum ac caussam fidem in Christum sub se complectatur. Quo sensu etiam supra cap. 2. 38. & III. 19. sumi vidimus. Sic etiam sumitur Luc. 24. 47 ubi Christus ipse inquit: ita scriptum esse, & ita oportuisse pati Christum, & resurgere ex mortuis tertia die, *& prædicari in nomine ipsius resipiscentiam, & remissionem peccatorum. Remissionis* autem *peccatorum* nomen similiter paulò latiùs quemadmodum in nunc citato Lucæ loco, ita etiam hic, sumendum est, ut non tantùm liberationem à reatu ac pœna peccatorum, maximè ab æterna, in se comprehendat, sed etiam ipsius vitæ æternæ præmium, quod immediatè ex decreto Dei cum perfecta peccatorum remissione cohæret. Unde etiam Paulus Rom. 4. 6 ex Psal. 32 dicit, beatitudinem esse hominis, cui Deus imputet justitiam sine operibus, & ad comprobandum id ỷ. 7 & 8. verba Psalmi adducit: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui Deus non imputat peccatum.* Vox *Israëlis* cui dare dicitur Christus resipiscentiam & remissionem peccatorum, hîc propriè de Israëlitis secundum carnem intelligenda est. Quanquam necesse fuerit eos etiam Israëlitas secundum Spiritum fieri, si reipsa harum rerum fieri vellent participes. Nondum enim innotuerat Apostolis mysterium vocationis gentium, ut videre est ex Cap. X & XI hujus ipsius libri. Præterea Christus nominatim ac propriè Israëlitis promissus ac missus erat; gentes verò postea demum ex misericordia singulari Israëlitico populo veluti nativæ oleæ ut oleaster quidam, insertæ sunt, ut docet Paulus Rom. XI. 17. Vide etiam cap. 15. 29. & Eph. 2. 11 seqq. 3. 4 seqq.

Adhuc docuit Petrus quid testari debuerint Apostoli, nunc etiam ostendit eos omnino testari debere. Id verò non tantùm asserit Petrus, sed etiam testimonio suo reliquorumque Apostolorum auctoritatem ac fidem conciliat. Asserit autem verbis prioribus ỷ. 32. *Et nos sumus ipsius*, Christi nimirum, *testes verborum horum.* Verbum *sumus* non simpliciter hic accipiendum est, sed idem valet quod, esse debemus, quasi dixisset Petrus: Jam verò ea quæ dixi, non decet nos ulla ratione supprimere, cùm testes eorum constituti

sumus,

simus, atque ita officii ratione nobis incumbat, ea divulgare, palamque omnibus annunciare. Dicit autem Petrus se cæterosque Apostolos esse testes Christi propterea, quia id erat ipsorum munus de Christo testari. Sic enim Christus illis præceperat suprà cap. 1. 8. inquiens & eritis mihi testes & in Jerusalem, & in tota Judæa, & in Samaria, & usque ad extremum terræ. Vide etiam Luc. 24. 48. & Joh. 15. 27. *Verborum* nomine hoc loco intelligit Petrus, Hebræorum more res ipsas, res nimirum illas, de quibus jam antea summatim dixerat, quæcunque nimirum ad dignitatem munusque Christi atque exinde pendentem hominum salutem pertinent. *Verbum* autem Hebraica loquendi ratione pro *re* poni, ex verbis Angeli Luc. 1. 37: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*, satis patet. Sed non contentus Petrus hoc, de quo vidimus, asserere, idem confirmat, Apostolorumque testimonio auctoritatem ac fidem conciliat, dum pergit: *& Spiritus vero ille sanctus, quem dedit Deus obedientibus ipsi.* Particula καὶ peculiarem habet emphasin. Tacite enim Petrus testimonium Spiritus sancti tanquam merè divinum, suo reliquorumque Apostolorum testimonio, quod humanum videri poterat, præponit atque quodammodo opponit, quasi dicat. Neque vero nos Apostoli tantum his de rebus testamur, verùm etiam ipse Spiritus divinus, testis omni exceptione major, cui utut nobis fidem habere detrectetis, jure tenemini adstipulari. Digni quidem erant soli Apostoli, ob vitæ innocentiam atque integritatem, quibus fides adhiberetur: verùm ne quid haberet, quod suæ infidelitati prætexere posset hominum contumacia, Deus huic testimonio majus quoddam, sui nimirum Spiritus testimonium addere voluit. Hoc ipsum Spiritus sancti testimonium cum testimonio Apostolorum ipse Christus conjungit dicto apud Johannem loco c. 15. 26, 27. inquiens: *Cum verò venerit Paracletus*, &c. Non est autem existimandum, Sp. S. separatim ab Apostolis testatum fuisse, sed per Apostolos, nimirum per eorum miracula, divinosque ex illius afflatu profectos sermones. Qualis afflatus etiam tum temporis sese in Apostolis satis superque exerebat, tanta cum animi præsentia de rebus tam sublimibus differentibus, & primorum vel auctoritatem, vel minas haud quicquam verentibus. Simili ratione dicitur Apoc. 22. 17. Spir. & Sponsa, id est, sponsa afflatu Spiritus percita dicere veni. Addit autem Petrus luculentam quandam Sp. S. descriptionem, dum inquit: *quem dedit Deus obedientibus ipsi.* Quibus verbis primùm fons atque origo hujus doni indicatur, dum eum Deus dedisse dicitur; deinde etiam exprimitur, quibus eundem dederit, nimirum ipsi obedientibus, hoc est in Christum credentibus, & ad doctrinæ ejus præscriptum vitam suam in posterum componere nitentibus. Obedientiam enim fidei hic intelligendum esse, alibi docuimus. Hæc de Apologia Petri reliquorumque Apostolorum. Restant eventa: quorum commemorantur quatuor. Priora duo sunt paulò specialiora, tertium vero genarale est totius judicii eventum; ultimum denique eventum eventorum istorum omnium in Apostolis. Eventum primum & quidem triste commemoratur vſ. 33 ubi sic scribit Lucas: *Illi verò audientes frendebant* (propriè *dissecabantur*) *& consultabant interimere illos.* Duo hic quodammodo commemorantur eventa, quorum prius est causa posterioris. Prior est indignatio ac fremitus primorum populi, quem proculdubio satis externis gestibus, variisque murmurationibus inter se prodiderunt. Quæ quidem indignatio ac fremitus inter alia potissimum exinde fuit exortus; quo Apostoli haud obscurè eos perpetratæ cædis Christi reos peregissent. Ex hoc eventu consecutus fuit alter, quod consilia inter se, præsentibus & animadvertentibus ipsis Apostolis, inierint de iisdem interimendis.

Hisce eventis subjicitur inde enatus alius, & quidem lætior, quòd Gamaliel reliquorum cruentis consiliis intercesserit, idque effecerit, ut Apostoli dimitterentur. Antequam verò consilium ipsum Gamalielis recensetLucas, primùm Gamalielem describit; deinde commemorat, quomodo sibi velut aditum ad consilium proferendum struxerit. Gamaliëlem ita describit: *Exsurgens autem quidam in Synedrio, Pharisæus, nomine Gamaliël, legis doctor, pretiosus* seu *honoratus omni*, id est, toti *populo.* Non frustra eum Lucas à tam variis adjunctis describit, sed propterea, ut occurrat eorum cogitationi, qui hæsitare poterant atq; ambigere, qui ille autus fuerit, reliquorum suffragiis quodammodo resistere, Apostolosque haud obscurè defendere, & qui factum ut ejus consilium, apud tam potentes tamque infensos Apostolis adversarios locum inveniret, nimirum ob magnam ejus auctoritatem, quam habebat & in senatu & apud totum populum. Fuisse enim eum & assessorem Synedrii, & Pharisæum, id est, celeberrimæ inter Judæos sectæ assectam, & præterea legis doctorem seu professorem publicum, ac denique in magno apud totum populum precio. Hujus Gamaliëlis etiam ipse Paulus Apostolus aliquando se fuisse discipulũ testatur Act. 22. 3 ubi dicit, se enutritum fuisse Hierosolymis ad pedes Gamaliëlis, & institutum ad exquisitam formam patrię legis. Quomodo autem aditum sibi ad promendũ suum consilium struxerit Gamaliël, his verbis commemorat Lucas, quòd *jusserit Apostolos paulisper foràs abducere*, seu removere à Concilio. Id vero Gamaliël ideo fieri voluit, partim ut primorum populi auctoritati consuleret, neque quicquam, præsentibus Apostolis, detraheret; partim ut ipsos Apostolos, quos è cruentis procerum reliquorum manibus eripere nitebatur, tanto commodiùs defendere posset. Solet enim adversarios, præsertim potentes ac sapientiæ opinione turgidos, vehementer offendere, si coram iis, quos adoriri & è medio tollere conantur, imprudentiæ alicujus insimulentur, magisq; irritare, si viderint aliquem pręsentes suos adversarios vel excusare vel, defendere. Singulari igitur Gamaliël, & hic & in sequentibus prudentia usus est. Sed consilium ipsũ videamus. Illud vero Gamaliël primum proponit: deinde rationibus confirmat ac munit. Proponit vero tum generatim, tum speciatim: Generatim quidem ab initio, speciatim verò in ipso rationum medio. Illud fit vſ. 35 ubi Lucas verba Gamaliëlis ita refert: *Viri Israëlitæ, cavete vobis ipsis super hominibus his, quid sitis facturi*: q. d. Ne ita fervidè agatis, quin potiùs sedulò cavete, ne quid ex præpropero zelo in hoc cum hominibus istis negotio faciatis, cujus vos postea pœniteat. Consilio suo ita generatim proposito, accedit ad rationes Gamaliel, quæ hoc Dilemmate comprehenduntur: Aut negotium, h. e. ex hominibus, aut ex Deo. Si ex hominibus, dissolvetur. Idque probatur duobus exemplis Theudæ, & Judæ Galilæi. Si ex Deo non potestis dissolvere, & præterea contra Deum pugnabitis. Prius membrum præmittit Gamaliel, quia id erat primoribus populi gratius quàm alterum. Existimabant enim omnino totum illud, quod fiebat ab Apostolis, ex hominibus esse. Præmittit autem probationem à duobus exemplis sumtam, & quidem primo Theudæ dum ita inquit: *Ante hos enim dies surrexit Theudas dicens esse aliquem seipsum &c.* Primum notat Gamaliel tempus, *ante hos dies* inquiens id est ante hæc tempora. Tempora enim pro diebus poni jam antea notavimus. Deinde proponit ipsum exemplum, dum inquit *surrexisse Theudam.* Theudam hunc fuisse alium ab eo, de quo Josephus lib. 22. Antiquit. Jud. cap. 2. scribit, ipsa temporis ratio ostendit. Istum enim quadragesimo demum sexto post Christum natum anno, sub Cuspio Fado pręside surrexisse, ex historiæ serie constat. Hunc verò Judam Gaulonitem, quem Galilæum vocat Gamaliel, quique circa annum Christi octavum, quo tempore Archelao pulso Judæa in provinciam redacta est, exortus est, secutum esse, manifeste ex ejusdem verbis constat. Porro ejusdem Theudæ tum conatum ac rerum ejus successum, tum denique eventum describit. Conatum dum inquit, *dicens esse aliquem seipsum*, id est, venditans se esse magni nominis virum, à Deo excitatum ac missum, ad liberandum è servitute Romana populum. Vox *aliquem*, quemadmodum etiam alibi *aliquid* aliquem vel aliquid magnum atque eximium significat, ut alibi notavimus in Commentario ad Gal. cap. 2. vers. 6. & vi. 3. Successus his verbis

bis describitur: *cui adhæsit numerus virorum quasi* vel *circiter quadringentorum*, hoc est, quem veluti ducem atque antesignatum secuti sunt atque ab ejus partibus steterunt viri circiter quadringenti. Sed quis tandem fuit eventus? *qui*, puta Theudas *sublatus est*, id est occisus, fortassis vel à rege Herode, vel à Romano præside: *& omnes, quotcunque assenserant ei*, id est, passi fuerant sibi persuaderi, ut ejus partes secuti tuerentur, *dissoluti sunt*, id est, dispersi, dissipati, profligati, *& facti sunt in nihilum* id est redacti ad incitas, omnis eorum conatus fuit vanus atque irritus. *Nihilum* hîc non simpliciter sed rei illius de qua sermo est, respectu intelligendum est. Adhuc primum exemplum.

Alterum exemplum, quod probationis loco affert Gamaliël est Judæ Galilæi: de quo ita loquitur: *Post hunc*, Theudam videlicet *surrexit Judas Galilæus*, &c. Judam hunc Galilæum plerique existimant eundem esse cum Juda Gaulonite, quanquam etiam non desint qui velint fuisse diversos. Vide præterita Drusii in hunc locum. Primum verò & hîc notatur circumstantia temporis, tùm generaliùs cum dicitur post Theudam surrexisse seu exortus esse; tum specialius dum dicitur surrexisse *in diebus* id est, tempore *descriptionis*. Hæc descriptio fuit altera: prioris fit mentio Luc. 2. 2. Quanquam & hîc eruditi inter se dissentiant. Vide Scalig. in animadvers. Euseb. 160. 2. & 602. 1. Sethum Calvis. in Epist. ad Keplerum, & Keplerum ipsum. Postea describitur rerum ejusdem Judæ Galilæi successus: *& avertit populum multum post se* id est, multos eò pertraxit, ut à Romanis deficerent, inque sua castra transeuntes res novas molirentur. Denique commemoratur eventus, tum ipsius antesignani, dum inquit Gamaliël, *& ille periit* trucidatus videlicet; tum asseclarum ejus, *& omnes, quicunque assenserunt* id est, eidem applaudentes adhæserunt illi, *dispersi sunt*, id est, dissipati ac profligati.

Exemplis hisce probationis prioris membri dilemmatis loco adductis, speciatim Gamaliël consilium suum aperit, ỳ. 38 initio, dum ita ait. *Et hæc nunc dico vobis: absistite ab hominibus istis, & finite illos.* Quibus verbis haud obscure, prudenter tamen Apostolis patrocinatur, idque suadet, ut primores à sanguinariis suis consiliis abstineant, eosque missos faciant. Rationes consilii sui statim subnectit per Dilemma, ut jam suprà vidimus. Cujus prius membrum his verbis *continetur*: *Quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus hoc, dissolvetur.* Ratio desumta est partim à caussa efficiente, partim ab eventu seu fine: q.d. Si negotium hoc, de quo nunc agitamus consilia, ab hominibus originem habet, iisque solis nititur, non poterit diu subsistere, sed opinione citiùs evanescet, ac planè redigetur in nihilum. Quæ quidem ratio non planè apodictica est, admodum probabilis tamen, in iis præsertim rebus, quæ non aliis quibusdam, quæ jam antè extiterunt, fundamentis superstruuntur; sed ipsa suis nituntur fundamentis, atque extra ordinem fiunt. Quale erat negotium prædicationis Euangelicæ, cujus tum temporis planè nova ab Apostolis post Christum ipsum jaciebantur fundamenta. Nam quòd, verbi gratiâ, doctrina Antichristi per multa huc usque secula duravit, non ideo factum fuit quod non fuerit negotium hoc ex hominibus; sed quod fundamentis ejusmodi, quanquam malè ac perperam, fuit superstructa, quæ sunt inconcussa, doctrinæ nimirum Apostolicæ, cujus autoritatem etiam prætendunt, & speciem quandam præ se ferunt illi, qui doctrinæ Antichristianâ sunt addicti.

Huic priori Dilemmatis membro subjicit alterum Gamaliël, idque duabus rationibus munitum, dum inquit: *Si verò ex Deo est*, id est, Deum autorem habet, eidemque probatur, *non potestis dissoluere istud.* Quibus prior ratio continetur, ab inutili sumta quòd frustra se eidem fint opposituri, quòd omnes ipsorum conatus futuri sint irriti: cui additur altera, *ne etiam pugnare cum Deo comperiamini* quæ ab inhonesto ducta est, quasi dicat. Si negotium istud à Deo est, non modo frustra illud impedire vel opprimere conabimini, verùm etiam adversa fronte cum ipso Deo pugnabitis, eidemque reluctabimini, quod impunè ferre non poteritis.

Huic Gamaliëlis consilio subjicitur ỳ. 40. eventus, quique simul est eventus totius rei, quo etiam ex parte pars altera persecutionis Apostolicæ continetur. Cujus quidam fuerunt veluti gradus. Primus his verbis continetur: *Assenserunt vero ei* id est pedibus, quod dicitur, iverunt in ipsius consilium. Secundus illis quibus exprimitur, quòd *advocarint Apostolos*, quos nimirum antea secedere aut abduci è concilio jusserant. Tertius quod illos *ceciderint* virgis videlicet, qua in re altera pars persecutionis Apostolorum continetur. Cui obsistere noluit Gamaliël, ne omnino cum Apostolis facere videretur, atque ita sibi invidiam apud reliquos conflaret; vel potiùs quia existimavit hac ratione reliquorum, qui fervidiores erant, populi primorum, nonnihil mitiores redditum, ac quadantenus exsatiatum iri. Quartus gradus est, quod Apostolis postquam cæsi essent *denunciârint*, id est, severissimè prohibuerint, *ne loquerentur in nomine Jesu* id est ut desisterent à prædicatione Euangelii, nec quicquam amplius ad quenquam, quod ad laudem Jesu Nazareni pertineret, dicerent. Ultimus gradus est, quòd *eos dimiserint*.

Tandem subjicitur duobus versiculis ultimis & 42. eventus eventuum, ubi ostenditur, quomodo Apostoli persecutiones superiùs commemoratas passi sese gesserint. Primùm ergo scribit Lucas: *Illi igitur ibant gaudentes à facie Synedrii.* Significatur his verbis Apostolos persecutiones istas tanta animi constantia pertulisse, ut de iis non modò non conquesti, verùm etiam vehementer lætati sibique ipsis gratulati fuerint. Cujus rei caussa statim additur, his verbis: *quòd digni habiti fuerant pro nomine ipsius*, sc. Jesu, (quod nonnulla exemplaria hoc loco pro pronomine αὐτοῦ legunt, licet in vulgata neutra vox extet) *contumeliâ affici.* Significatur his verbis, Apostolos pro singulari gratiæ vel Dei vel ipsius Christi argumento habuisse, quòd Christi caussa afflicti fuerant. Id enim verbum καταξιωθῆναι satis indicat. Ideoque id, quod per se ignominiosum erat, gloriam sibi etiam duxerunt. Particula ὑπὲρ ut aliàs sæpe finem denotat, ita ut *pro nomine Jesu* idem sit, quod gloriæ Christi & regni ipsius propagandi gratiâ.

Deinde addit Lucas vers. 42. *Et quotidie in templo, & domatim non cessabant docentes & euangelizantes Jesum Christum.* Inde videre est Apostolos haud quidquam curasse principum populi interdictum, quin potiùs contra id ipsum non interdum duntaxat, sed quotidie, & quidem non privatim tantum, sed etiam publice, & quidem in celeberrimo urbis loco, in templo Euangelium Jesu Christi prædicasse. Sic nimirum patrocinio Christi freti, nequicquam adversariorum minas aut pœnas veriti, jussa illius voluerunt capessere.

IN CAPUT VI.

Duæ sunt capitis hujus partes. Prior est de electione Diaconorum, seu ejusmodi ministrorum, qui necessitatis pauperum aliarumque rerum ad carnem spectantium in Ecclesia curam gererent: posterior vero est de persecutione unius ex illorum Diaconorum numero videlicet Stephani. Prior est veluti aditus ad posteriorem; hæc autem pars quædam eorum, quæ sequenti capite narrantur.

Prioris partis tria sunt membra: Primum est de caussa atque occasione quadam electionis Diaconorum: Secundum de eorundem electione: Tertium de eventu quodam generali, qui ad continuationem Historię pertinet. Caussa atque occasio electionis Diaconorum commemoratur ỳ. 7. ubi ita scribit Lucas: *In diebus autem illis, cùm multiplicarentur discipuli, factum est murmur &c.* Primò notatur à Luca tempus, indicaturque id illo ipso tempore factum fuisse, quo illa quæ præcedenti capite descripserat. Deinde occurrit Lucas quodammodo tacitæ cogitationi, qui factum fuerit, ut murmur istud inter fideles oriretur, dum addit *cum multiplicarentur discipuli*, significans in tanto discipulorum, hoc est credentium numero facile fieri potuisse, ut tale quid

quid contingere, unde murmur ejusmodi oritetur. Tertio commemoratur ipsa occasio sive causa *murmur*, id est, expostulatio ac quærela videlicet quorundam inter discipulos ubi tria consideranda sunt: 1 quinam, 2 adversus quos, & 3 qua de caussa murmurârint. Qui murmurârunt fuerunt *Hellenistæ*, seu *Græcanici*, id est, fideles ex Judæis, qui inter Græcos erant nati, Græca utebantur lingua, in eademque sacras literas legebant. Isti murmurarunt *adversus Hebræos*, hoc est, fideles ex Hebræis natos, quique lingua Hebræa qualiscunque tum temporis erat, utebantur, in eaque sacras literas legebant. Et hi præ illis quodammodo eminere videbantur. Unde etiam Paulus ipse de se scribit, si vel confideret in carne se maximè habere in quo confidat, quippe qui sit circumcisus octavo die, ex gente Israëlis, tribu Benjaminis, Hebræus ex Hebræis &c. Phil. 3.4,5. Caussa murmuris hæc fuit: *quòd negligerentur in ministerio quotidiano viduæ illorum.* Verbum παραθεωρεῖσθαι hîc non significat idem quod despicere, ut nonnulli vertunt, quis enim audeat hoc Apostolis, qui toti huic negotio de quo sermo est præerant, adscribere, quòd aliquorum fidelium viduas aspernati fuerint? Neque credibile est Hellenistas istos tam fœdam Apostolis labem adspergere voluisse. Sed potius imprudentiam ejusmodi, quę etiam in virum bonum cadere possit, præsertim in re ejusmodi, in qua & quamplurimis in tanta credentium multitudine satisfaciendum erat, & negotium erat cum peregrinis, qui plerumq; solent esse minùs noti, & præterea timidiores in petendo, ut sui habeatur ratio. Ut taceam alias, & quidem sanctissimas gravissimasque Apostolorum occupationes, quibus ita distinebantur, ut non ita accuratè omnium rationem habere possent. Licet eorum, qui proculdubio Apostolis hac in re subserviebant, culpa aliqua intervenire potuerit. Posset etiam dici ipsos peregrinos plerumque querulos esse, & existimare, se ab iis inter quos degunt negligi. *Ministerii* voce intelligitur distributio vel pecuniæ, vel aliarum rerum, quæ ad victum cultumque corporis erant necessariæ. Dicitur autem ministerium istud *quotidianum*, quia singulis diebus, non in mensem, trimestre, annum, aliudve longum tempus necessaria inter fideles indigentes distribuebatur. Hęc de primo mêbro.

In secundo, ut diximus, ipsa electio Diaconorum describitur & quidem ita, ut indicetur. 1. Quomodo ad eam hortati fuerint Apostoli. 2 Quomodo instituta fuerit. 3. Denique quomodo electi Diaconi fuerint confirmati. Antequam verò ipsam adhortationem Apostolorum proferat Lucas initio vers. 2. commemorat, *Duodecim* hoc est, Apostolos *convocâsse multitudinem discipulorum.* Id quod ideo fecerunt, tum ut suppeteret in tanta multitudine eligendorum copia, tum ut res totius Ecclesiæ fieret suffragiis. Adhortatio porrò Apostolorum duobus membris constat. Primò enim caussam suæ adhortationis afferunt, cum tacitæ cogitationis occupatione. Deinde ipsam subjiciunt adhortationem. Caussa adhortationis his verbis continetur: *Non placet nos relicto sermone Dei ministrare mensis.* Respondent simul, ut diximus, his in verbis Apostoli tacitis aliorum cogitationibus, quî fiat, ut in posterum ministerio isti, in curandis viduarum aliorumque pauperum inter fideles necessitatibus ad corpus eorum spectantibus, vacare ampliùs nollent: nimirum ideò quia non sit laudandum, nec conveniat, & indignum sit, ut longè præstantiori dignioriique ac magis necessario munere promulgandæ Euangelii doctrinæ posthabito, mensis serviant, hoc est, de rebus ad vitam tuendam necessariis fidelibus prospiciant. Est enim in his verbis Synecdoche quædam tum continentis pro contento, mensarum, pro cibis ac potu mensis imponi solitis, tum partis pro toto, id est, pro omnibus etiam iis quæ præter cibum ac potum ad cultum corporis pertinent.

Adhortatio ipsa extat vers. 3 ubi sic inquiunt Apostoli: *Dispicite igitur, fratres viros ex vobis testatos septem &c.* Volunt fratres ipsos dispicere atque eligere ejusmodi viros, qui apti essent ad munus istud suscipiendum recteque gerendum, ut res omni suspicione careret, nec quisquam opinaretur, gratiæ aliquid datum fuisse. Volunt autem eosdem ex numero fratrum eligi, & quidem tales, qui bonum testimonium haberent apud omnes, & de quorum fide, atque integritate toti constaret cœtui. Id enim vox μαρτυρουμένους, licet simpliciter posita, sibi vult. Quo sensu etiam infra cap. 10. 22. de Cornelio, & XVI. 2. verbum μαρτυρεῖσθαι de Timotheo usurpatur. Volunt præterea eorum septem eligi, quia tot existimabant requiri ac sufficere ad ministerium istud obeundum, ac præterea numerus iste aliàs celebris est in sacris literis, ut vel ex Apocalypsi videre est, ubi septem Spirituum, septem angelorum, septem tubarum, septem phialarum fit mentio. Denique volunt etiam *plenos esse Sp. S. & sapientia*, id est, sapientiâ spirituali seu à Spiritu sancto profecta abunde ornatos. Videtur enim in verbis Spiritu sancto & sapientia esse ἐν διὰ δυοῖν. Ejusmodi, inquiunt, viros se constituturos esse super necessitatem istam, ut nimirum Ecclesiæ in curandis pauperibus, viduis, aliis ad hanc vitam spectantibus negotiis serviant.

Vers. 4 Quodammodo ad id, de quo priùs dixerant redeunt, dicentes: *Nos verò in precibus & ministerio sermonis perseverabimus.* Quibus verbis significant, se onere isto in curandis rebus ad temporalem fidelium vitam pertinentibus liberatos nihilo segniores fore in suo munere, quemadmodum fortasse nonnulli imprudentiores cogitare poterant, sed summo studio eidem invigilaturos. Duas autem ejus muneris veluti partes constituunt: preces, nimirum publicas, in quibus reliquis fidelibus præire solebant; & ministerium sermonis, hoc est, annunciationem doctrinæ Euangelii.

Electio vers. 5. describitur, ubi primum veluti aditus quidam ad eam, & effectus ex priori Apostolorum adhortatione natus describitur, his verbis: *Et placuit sermo coram tota multitudine* hoc est tota Ecclesia approbavit id, quod Apostoli faciendum senserant. Huic subjicitur ipsa electio, ubi exprimuntur nomina eorum qui electi fuerint. Sic enim pergit Lucas: *& elegerunt Stephanum;* quem primo loco nominat, quia inter reliquos proculdubio eximiis quibusdam dotibus eminuit, quas etiam indicat Lucas, dum eum nominat *virum plenum fide ac Sp. S.* quod etiam infra ℣. 8 ad ejus commendationem repetitur. *Plenus* autem *fide* dicitur, quòd non tantùm firmiter doctrinæ Christi assensus, sed eandem etiam audacter professus fuerit, in eoque totus fuerit, ut eandem & alii permulti amplecterentur. Vers. 8. loco Sp. S ponitur potentia, additurque edidisse Stephanum miracula & signa magna in populo; unde videre est quid Spiritus Sancti nomine hîc sit intelligendum, nimirum divina illa virtus atque efficacia, cujus vi miracula edere poterat. Quorsum etiam pertinet divina illa sapientia cujus infra ℣. 10. fit mentio. Fortassis etiam ideo Stephanum præposuit Lucas, quia ab ipso Domino Jesu eo honore dignus fuerit habitus, ut primus inter omnes suos fideles testimonium ipsi perhiberet, & ita protomartyr esset. Stephano subjicit *Philippum*, qui infra cap. 21. 8 Euangelista, & unus ex septem, puta Diaconis, fuisse dicitur. Ejusdem fit quoque mentio cap. 8. Quod primus omnium Samariæ Euangelium prædicârit populumque ejusdem urbis ad fidem in Christum prædicatione Euangelii & patratione miraculorum adduxerit, quodque ejusdem operâ Eunuchus dynastes Candacis reginæ Æthiopiæ ad religionem Christianam amplectendam permotus fuerit. Reliquorum, *Prochori, Nicanoris, Timonis, Parmenæ & Nicolai*, nulla alibi fit mentio. De *Nicolao* autem sigillatim commemorat Lucas, quod fuerit *proselytus*, qui nimirum ex Ethnicis parentibus natus, Judaicam religionem fuerat amplexus, & quidem proselytus Antiochensis, id est, Antiochiæ Syriæ, quæ κατ' ἐξοχὴν Antiochia dicitur, natus.

Electioni tandem subjungitur confirmatio: cujus iterum veluti aditus quidam fuit, quod initio ℣. 6 scribitur, quòd *eos statuerint in conspectu Apostolorum* autoritate nimirum illorum ac benedictione confirmandos. Quæ confirmatio etiam mox describitur: & quidem ratione

tione duarum partium. Prior est, quòd *precati fuerint* Apostoli, hoc est Deum rogarint, ut vellet iis in novo isthoc munere benedicere, & ejusmodi sapientiam largiri, qua eidem cum fructu ingenti præesse possent. Posterior, quòd iis *imposuerint manus*, quæ quidem actio, Apostolorum erat propria, cum qua collatio peculiaris cujusdam gratiæ erat conjuncta. Sic infra cap. 8. 17 legimus, Samaritanos, cùm imposuissent illis Apostoli manus, Spiritum sanctum accepisse. Alterius generis est impositio manuum, quæ hodieque in initiatione ministriorum in usu est, qua qui initiatur de manu seniorum velut in manum Dei precibus traditur, eique totum consecratum esse debere ostenditur.

Restat ultimum primæ partis membrum, eventus nimirum generalis, ad continuationem historiæ pertinens, de quo ita scribit Lucas ỳ.7. *Et sermo Dei augebatur vel crescebat* nimirum non ratione sui, sed subjectorum, seu hominum eundem amplectentium ac profitentium. Id quod etiam Lucas ipse explicat, dum addit: *& multiplicabatur numerus discipulorum*, (qui postea Antiochiæ primum dicti sunt Christiani, ut legimus inf. Cap. XI. 20) *Hierosolymis valde.* Huic subnectitur aliquid peculiare atque singulari admiratione dignum, his verbis: *multaque turba*, hoc est, non unus tantum atque alter, non aliquot duntaxat, sed magnus numerus, *sacerdotum obediebant fidei*, hoc est, doctrinam Christi amplectebantur ac profitebantur. Sic alibi etiam *fides* pro doctrina Christi sumitur ad Gal. 1. 23. III. vers. 23, 25. Obediendi verbum de obedientia fidei intelligendum esse jam non semel monuimus. Hæc de priori parte Capitis.

Sequitur altera de persecutione Stephani, unius ex Diaconorum numero: in qua describenda ita progreditur Lucas, ut 1. exponat occasionem, quæ irritaverit adversarios ad Stephanum persequendum. Deinde recenset ejus adversarios. Tertio commemorat quomodo eum accusaverint adversarii judicioque stiterint. Denique describitur à Luca singularis Stephani alacritas ac lætitia, quæ in ejus vultu apparuit. Occasio (ut ad prioris membri explicationem accedamus) quæ adversarios ad persecutionem Stephani incitavit, duplex in textu commemoratur, remotior & propior. Remotior indicatur ỳ. 8. ubi ita scribit Lucas: *Stephanus verò plenus fide & virtute faciebat miracula & signa magna in populo.* Hoc nimirum malè habebat adversarios, quod Stephanus tanta cum fiducia tantaque constantia doctrinam Euangelicam profitebatur, aliosque ad eam amplectendam hortabatur, atque eandem doctrinam stupendis miraculis confirmabat. *Fidei* nomine quid intelligatur jam suprà ỳ.5 diximus, ubi etiam cætera, quę ad reliquorum verborum sensum pertinent attigimus.

Antequam verò Lucas propinquiorem persecutionis Stephani occasionem exponat, adversarios ejusdem Stephani primùm recenset: ita scribens: *Exsurrexerunt verò quidam ex Synagoga quæ dicebatur Libertinorum, & Cyrenæorum, & Alexandrinorum, & eorum, qui sunt ex Cilicia, & Asia.* Hos omnes ex eadem Synagoga, quæ Hierosolymis erat, fuisse, conjunctisque viribus Stephanum adortos fuisse credibile est. Fuerunt autem proculdubio homines acutissimi, & tum in religione Judaica, tum in Philosophia etiam Græca versatissimi. In voce *Libertinorum* mutationem, aliquam literarum factam fuisse suspicantur eruditi. Notant enim hos fuisse exteros illos, qui ades sacras Lebrathas, & paroecias eò pertinentes, universumque conventum vocabant λιβερτα, Epiphanio teste. Nam, inquiunt, isti omnes ad Synagogam eandem pertinentes Librathenun dicebantur, & ex eò corrupte Synagoga Lebertinorum dicta. *Cyrenæi* fuerunt ex Cyrene urbe Libiæ, cujus etiam suprà facta est mentio cap. 2. 10. *Alexandrini* dicti sunt ab Alexandria, celeberrima Ægypti urbe, quæ etiam, ut notant eruditi, sedes erat alterius dispersionis Judæorum, quemadmodum Babylon prioris. *Cilicia* regio est Asiæ minoris, cujus metropolis fuit Tarsus patria Pauli. Per Asiam denique intelligitur regio illa quæ alias Ionia fuit dicta, cujus pars quædam fuit etiam Caria. Vide quæ suprà diximus cap. 2. 9. Hos *disputasse* scribit Lucas *cum Stephano*, dum nimirum vel ipsius argumenta refellere conati sunt, vel ipse Stephanus eorundem argutias confutavit.

Quis autem fuerit hujus disputationis eventus Lucas vers. 10 exprimit, dum scribit: *Et non poterant resistere sapientiæ & Spiritui qui* Gr. *quo loquebatur.* Et hæc est etiam occasio proxima persecutionis Stephani, quod adversarii ipsius non poterant illi satisfacere, neque vel ejus argumenta convellere, aut quicquam solidi contra ipsius responsiones in medium afferre. Quem ergo arte sua non poterant opprimere, calumniis & vi opprimendum sibi putabant. Particula & ab initio ponitur pro *sed*, quod sæpè etiam fit alibi in sacris literis. Dum verò dicitur, eos non potuisse resistere sapientiæ & Spiritui quo loquebatur, sensus est, eos nihil solidi afferre potuisse ad ea, quæ Stephanus divinâ sapientia à Spiritu Sancto, cujus impulsu loquebatur, profecta proferebat. Est enim in his verbis *sapientiæ & Spiritui*, ἐν διὰ δύο ut supra jam notavimus ỳ. 3. & præterea Metonymia adjuncti. Non enim propriè sapientiæ aut spiritui, sed Apostolis sapientia & spiritu isto præditis resistere nitebantur.

Vers. 11. *Tunc summiserunt viros, qui dicerent se audivisse, eum dicentem verba blasphemiæ*, Gr. *blasphema, in Moysen & Deum.* His & sequentibus verbis describitur, quomodo Stephanum accusarint ipsius adversarii. Primum autem quod ad modum accusationis pertinet, hoc versu commemoratur, quod nimirum summiserint seu substituerint alios, qui ipsum accusarent. Nolunt ipsi ad accusandum descendere, declinandæ invidiæ caussa. Id quod malevolis, & præsertim Christianæ religionis hostibus solenne est. Breviter autem simul recenset Lucas, cujus criminis ii, qui ita subornati fuerant, Stephanum reum peragere voluerint, quòd nimirum *audiverint eum dicentem verba blasphema in Moysen, & Deum* hoc est quod ea ausus fuerit proloqui, quæ Mose tanto propheta, ac proinde ipso Deo indigna sint, atque in ejus ignominiam cedant. (Hunc eorum verborum sensum esse, satis exinde apparet, quod nomen Dei ab illis postponitur, quod alias præponendum erat) quenam verò blasphema illa verba fuerint ỳ.14 & 15 falsorum testium sermone exprimitur.

Vers. 12. *Commoverunt itaque* Gr. Commoveruntque, *plebem*, seu *populum*, & *Seniores*, & *Scribas* &c. Secundum hoc est quod ad modum accusationis pertinet, quod nimirum non modò plebem, sed & primores populi, Seniores nimirum ac Scribas in Stephanum concitarint, eoque pertrahere conati fuerint, ut in ipsius necem conspirarent, eumque veluti blasphemum è medio tollerent. Tertium hoc ipso versiculo additur, dum scribit Lucas: *& concurrentes*, Græcè *instantes* (hoc est illi imminentes, in eumque irruentes. Sic supra cap. 4. 1.) *rapuerunt* Gr. *corripuerunt eum, & adduxerunt in concilium.* Præparatio hæc quædam fuit ad judicium de Stephano instituendum. Hæc autem tribui videntur non illis tantum, quos subornarant illius adversarii, verum etiam de populo, senioribus ac scribis ab illis adversus eum concitatis. Facta autem fuerunt omnia vi atque impetu quodam.

Vers. 13. *Et statuerunnt testes falsos*, &c. Quartum quod ad modum accusationis Stephani refertur. In quo insigne adversariorum ejus scelus apparet, quale etiam ab hostibus ipsius Domini Jesu admissum fuerat. In testimonio autem illorum continentur capita accusationis seu crimina Stephano objecta. Cujus pars hoc ipso versiculo, reliqua sequenti continetur. Ita verò verba testimonii habent: *Homo iste non cessat verba blasphema loqui* Gr. *loquens adversus locum sanctum & legem.* Dum inquiunt, *homo iste non cessat loqui* crimina, quæ Stephano objiciunt, exaggerant falsi testes, quasi dicat non semel iterumque hęc, quæ testamur locutus est, sed sæpiùs, neque etiamnum cessat eadem subinde effutire. Crimina autem, quæ ipsum admisisse, licet falso, testantur, commemorant duo. Quæ primùm obscuriùs proponunt hoc versu, deinde clarius exponunt ỳ. seq. Alterum est, quòd fuerit *blasphema verba locutus adversus locum sanctum* h. e. adversus Hierosolymam, ur-

bem sanctam divino cultui consecratam, atque inprimis adversus templum, quòd in illa urbe erat. Grandis hæc erat blasphemia in auribus Judæorum; subinde, ut est apud Prophetam, ingeminantium, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini. Existimabant enim Deum illic sedem suam habiturum in seculum. Alterum crimen Stephano objectum est, quod verba blasphema dixerit in Legem à Mose nimirum, imo ab ipso Deo per Mosen latam. Quæ iterum grandis erat apud Judæos blasphemia, qua legem sacrosanctam habebant, & quæ contra illam dicerentur in contumeliam ipsius Dei dici arbitrabantur.

Vers. 14. *Audivimus enim eum dicentem: quoniam Jesus Nazarenus hic destruet*, Gr. *dissolvet, locum istum, & mutabit traditiones* Gr. *mores, quas* vel *quos tradidit nobis Moses*. His verbis ut diximus crimina Stephano objecta clarius exprimuntur, atque ostenditur, primò quidem, quomodo blasphema verba adversus locum istum id est Hierosolymam & templum locutus fuerit, nimirum dum dixerit, Jesum Nazarenum locum istum destructurum, seu aboliturum. Quod certe blasphemum videbatur Judeis, Jesum illum Nazarenum pro seductore habentibus. Ejusmodi enim opus ipsum & vivere, & imperio admodum magno præditum esse arguit, utpote cum tribuatur ei demolitio ejus structuræ, quę Deum ipsum autorem habuerat. Imò hoc ipsum in blasphemię crimen trahere poterant, & fortasse trahebant, quod auderet Stephanus talia Jesu Nazareno tribuere, quæ arguerent ipsum Deo adversari, quippe cujus domicilium ac sedem destructurus, atque ita ipsius arcem ac regiam hostili impetu invasurus, eandemque expugnaturus soloque æquaturus diceretur. Deinde etiam exprimunt testes, quomodo blasphema verba locutus fuerit Stephanus adversus legem, dum pergunt asserere, Stephanum dixisse, Jesum Nazarenum mutaturum h. e. aboliturum mores, quos tradiderit ipsis Moses. Et hæc non levior Judæis visa fuit blasphemia, penitus persuasis, ne minimum quidem apicem in lege mutatum iri, sed eam perpetuò valituram esse. Non constat autem, an omnino talia & non potiùs similia dixerit Stephanus, ex quibus adversarii talia collexerint. Hoc quidem certum est, etiam illa ipsa quæ à falsis testibus Stephano tribuuntur ab ipso citra omnem blasphemiam dici potuisse. Nam & revera Jesus Nazarenus & Hierosolymam & templum, quippe cui Pater omne judicium tradidit, destructurus, atque ita hostes suos punitus erat, imò reipsa etiam Hierosolymam ac templum destruxit ac hostes suos punivit: & præterea mutaturus erat, imo jam mutavit mores à Mose populo divino traditos, quod quidem ad leges tum ceremoniales, tum forenses attinet, multaque legi morali addidit. Verum etiamsi dicta hæc fuissent à Stephano, nihilominus tamen falsi testimonii nomine venirent, ut pote cùm illi ab adversariis crimini data & blasphemiæ nomine traducta fuerint.

Vers. 15. *Et intuentes* Gr. *attendentes in eum omnes qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus tanquam faciem angeli*. His in verbis singularis Stephani alacritas atque lætitia, quam ipsi ejus adversarii judicum loco sedentes in facie ipsius deprehenderint, describitur: dum enim dicuntur *vidisse faciem ejus tanquam faciem angeli*, indicari videtur, Stephani faciem illis apparuisse humana augustiorem, ac singularem quandam lætitiam atque alacritatem à divino spiritu profectam in ipso vultu ab iis deprehensam fuisse, adeò ut haudquicquam ad adversariorum accusationem trepidaret, sed hilari exporrectaq; fronte omnia exciperet. Quod verò de splendore faciei illius ab aliis hîc dicitur, nobis non videtur consentaneum, quippe quod longè clarioribus verbis à Luca describi potuisset. Similis aliqua ratione loquendi formula, quanquam dilutiori longe sensu extat Gen. 33. ℣. 9. ubi Jacobus inter alia ad fratrem Esaum sic loquitur: *Ita vidi faciem tuam acsi viderem faciem Angeli*, ut quidem vertit Pagninus. Alii enim paulò aliter.

IN CAPUT VII.

IN hoc capite pertexitur historia persecutionis Stephani. Describitur autem primò Apologia, seu defensio Stephani; deinde ejusdem eventus.

Vers. 1. *Dixit autem princeps Sacerdotum: si* id est an *hæc ita [se] habent*. His verbis Lucas, antequam ipsam Apologiam Stephani describat, paucis ostendit, à quo, & quomodo Stephano se defendendi copia facta fuerit, ne videatur temere ad illud provolasse.

Vers. 2. *Qui*, Gr. *Is verò, ait: Viri fratres*, &c. Sequitur ipsa oratio apologetica Stephani: quàm antequam particulatim explicemus, prius ejus scopum paucis indicabimus. Omissis autem aliis, quæ nobis minùs probantur, sententiis, eò tendere videtur Stephanus, ut partim se defendat, diluatque ea, quæ ipsi objecta fuerant, quasi minùs honorificè de templo ac lege sentiret; partim adversarios suos accuset atque ostendat, eos planè majoribus suis esse similes in persequendis ac trucidandis prophetis aliisque sceleribus; partim ut doceat, plerosque in populo divino insignes Deoque inprimis charos viros per calamitates multas ad dignitatis suæ gradum emersisse, atque à sua ipsorum gente persecutiones atque afflictiones varias passos fuisse, ac proinde Judæos mirari non debere, quòd eadem ratione Deus in filio suo Jesu ad regium fastigium evehendo usus fuerit, eumque per ignominiosam crucem ac mortem & quidem ab ipsius propria gente ipsi illatam, pervenire voluerit ad summam gloriam. Hæc autem omnia sic tractantur à Stephano, ut ab eo innuantur potiùs, auditoribusque ex iis, quæ dicebat, colligenda relinquantur, quàm expresse dicantur, atque hinc inde excerpenda sint potiùs, quàm ut continua serie ab eodem proferantur. Ut ita, quod à Christo sæpiùs per Parabolas factum est, Stephanus historiam majorum populi Judaici texendo, Judæos obliquè potiùs, quam directè atque expressè perstrinxerit, ne statim sermone ejus offenderentur, ac proinde nullum ipsi se defendendi spacium relinquerent. Interim tamen perspicue satis proposuit omnia, ut facilè præsertim cordatiores animadvertere possent, quid sibi vellet. Ut taceam illud ex ultimis orationis hujus verbis satis manifestum esse, ac longè manifestius futurum fuisse, si licuisset illi sermonem diutiùs protrahere ac pertexere. Nos orationem nunc perlustrabimùs, singula, quæ ad scopum Stephani pertinent, suis locis annotaturi. Constat autem tota hæc oratio duabus partibus: Exordio licet brevissimo, & Narratione.

Vers. 2. *Qui* Gr. *Is verò ait: Viri fratres, & patres, audite*. His verbis continetur Exordium brevissimum orationis Stephani: in quibus primò auditores honorificè compellat, dum eos appellat *viros fratres & patres*, ut ostendat se honestè de iis sentire. *Fratres* appellat ætate & dignitate sibi pares, *patres* verò & ætate & dignitate se superiores. Atque hoc ad benevolentiam conciliandam pertinet. Deinde eos verbo *audite* ad attentionem excitat, taciteque hortatur, ut non tantùm aures sed & animum ad sermonem ejus advertant. Reliqua hujus versiculi verba Narrationis initium continent. Duæ autem constitui possunt ejus Narrationis partes, altera obliqua, quæ hinc ad versum usque 51 extenditur; altera directa quæ vers. 51, 52 & 53 continetur. Obliquæ autem partis iterum quinque membra constitui possunt: primum de Abrahamo: secundum de Josepho: tertium de Mose: quartum de contumacia populi in deserto: quintum de tabernaculo ac templo. * * *

IN CAPUT VIII.

DUæ sunt capitis hujus partes. In priori narratur persecutio Ecclesiæ Hierosolymitanæ; quæ quidam effectus fuit persecutionis Stephani: in posteriori vero, quomodo occasione illius persecutionis latiùs fuerit propagata doctrina Euangelii. Describitur autem hîc à Luca secundus veluti gradus propagatæ veritatis, dum eam per Samariam quoque divulgatam esse commemorat.

Vers. 1. *Saulus autem erat consentiens neci ejus*. De persecutione Ecclesiæ Hierosolymitanæ acturus, statim Sauli, qui principalis ejus persecutionis caussa fuit mentionem facit, simul commemorans, qua occasione is ad perse-

persecutionem fidelibus Christi, qui Hierosolymis agebant, inferendam fuerit inductus, quia nimirum *consentiens fuerit neci Stephani*, vel potiùs, quia ut Gr. verba habent, illi unà cum aliis eadem placebat, eandemq; illi juste illatum existimabat. Ita nimirum postquam semel degustavit fidelium sanguinem, graviori ejusdem siti fuit inflammatus, & ad manus iisdem inferendas impulsus.

Vers. 2. *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesiam* quæ erat (Gr. *in*) *Hierosolymis*. Hic persecutio ipsa, & quidem generatim describitur, & primò quidem ab adjunctis, deinde à subjecto, & denique ab effecto. Adjunctorum duo commememorantur 1. tempus, quod notatur his verbis, *in illa die*, id est, illo tempore. Dies enim pro tempore, ut alibi sæpissimè sumitur. Neque enim est credibile tam magnam persecutionem uno die excitari & peragi potuisse. Quod si tamen omnino verbis inhærere quispiam velit, necesse erit verbum *facta est* ita exponere, ut idem quod *cœpisse* significet, adeò ut indicetur à Luca, eo ipso die, quo trucidatus fuit Stephanus, persecutionis illius initium factum fuisse. Alterum adjunctum est, quod persecutio ista dicitur *magna*, id est, non levis non exigua, non paucorum quorundam fidelium, sed gravis admodum ac violenta, fidelium qui Hierosolymis degebant, generatim omnium. Id quod ex sequentibus manifeste apparebat. Subjectum persecutionis fuit *Ecclesia quæ erat Hierosolymis*. Verba Lucæ quibus hoc subjectum describit, non sunt ita intelligenda, quasi innuere voluerit, aliam quoque Ecclesiam Christi præter Hierosolymitanam, tum temporis fuisse; verùm ita, quòd eandem ab illis, quæ tum, cùm historiam hanc scriberet, hinc inde erant, distinguere voluerit. Effectus persecutionis illius his verbis continetur: *Et omnes dispersi sunt per regiones Judææ & Samariæ, præter Apostolos*. Indicat persecutionem fidelium exilia fidelium subsecuta, aut potius cum illa conjuncta fuisse, atque ita magnitudinem persecutionis illius ostendit. *Omnium* nomine generatim omnes intelligendi sunt. Non est enim credibile, neminem planè fidelium Hierosolymis, præsertim cum Apostoli illic subsisterent, mansisse, vel saltem latuisse. Judææ nomine intelligitur regio Hierosolymam circumjacens, sic dicta per Synecdochen quandam membri, quo sensu etiam apud Johan. non unò in loco usurpatur. Aliàs enim Judææ nomine tota terra sancta, quæ & Judæam hanc speciatim sic dictam, & Samariam, & Galilæam utramque complectebatur, denotari solet. *Samaria* nomen habet à regionis metropoli, estque regio inter Judæam & Galilæam media, inquam olim Salmanassar Rex Assyriæ colonos Babylonios, Cuthæos aliosque populos extraneos traduxit, qui partim Jehovam Deum Israëlis, 4 Reg. 17. 24. partim deos gentium colebant, ac proinde Judæis exosi erant. Vide Joh. 4. 9. In has igitur regiones fuerunt dispersi fideles Hierosolymitani. Excipit autem ex eorum numero Apostolos Lucas, inquiens, *præter Apostolos*. Hic dubitari potest, quomodo Apostoli Hierosolymis manere potuerint. Nam latere illos potuisse, vix credibile est, cùm alii fideles latere vix potuerint, qui non ita erant exosi Judæis, quemadmodum Apostoli; voluisse autem latere illos neutiquam est probabile. Quo enim fine latere, ac non potiùs cum aliis alio fugere voluissent? Si verò dicas illos apertè Hierosolymis versatos fuisse, videtur id sine periculo ipsorum fieri non potuisse. Sed respondemus, respiciendum hic esse partim ad Apostolorum consilium, partim ad ea, quæ ipsos à periculo immunes præstare poterant, & proculdubio præstiterunt. Consilium eorum fuit imbecilliores in fide animare, ac confirmare, ne sub persecutionibus labascerent, aut penitus Christum desererent: quod fieri non potuisset, si ipsi cum aliis periculum refugissent. A periculo autem eos immunes præstare poterant primò singularis Dei ac Christi circa illos providentia. Deinde adhuc inhærebat primoribus populi consilium Gamaliëlis, unde factum, ut Apostolis, veluti ducibus relictis, præsertim cùm eorum constantiam ac fortitudinem in periculis jam perspexissent, promiscuum fidelium gregem adorirentur, existimantes fore, ut hac ratione illis à fide absterritis, totum negotium religionis Christianæ collaberetur. Accedit denique & hoc, quod Apostolis, qui miraculis suis apud populum inclaruerant, mirificeque illi sese commendaverant, sine tumultu ac concitatione plebis manus inferri haud posse credebant.

Vers. 2. *Curaverunt* (Gr. *unà extulerunt*) *autem Stephanum viri timorati*, (sic vulgata, quam sequimur habet. Meliùs, *religiosi*) *& fecerunt planctum magnum super eum*, (Gr. *eo*) sepultura Stephani hic à Luca velut in parenthesi describitur, ut ostendat, fideles persecutione non fuisse absterritos, quò minùs Stephano extremum charitatis officium præstarent. Describuntur autem illi qui sepelierunt Stephanum duplici ratione. Primò quidem ab adjuncto, dum dicuntur *viri religiosi*, εὐλαβεῖς id est Deum metuentes, pii. Cujus rei argumentum satis evidens est id, quòd ausi fuerint, Stephani à Judæis trucidati corpus, & quidem ingruentibus aliorum etiam fidelium persecutionibus terræ mandare. Planè simile est hoc ipsorum factum facto Josephi Arimatheensis, Domini Jesu in cruce mortui corpus à Pilato petentis, & una cum Nicodemo honorifice sepelientis. Altera religiosorum istorum virorum descriptio petita est ab effecto, dum scribit Lucas: *& fecerunt planctum magnum super eum*: quibus verbis significatur, eos & verbis & lacrymis uberrimis contestatos fuisse, quanto ipsum habuissent in precio, quam eximius ille Jesu Christi servus, quàm utilis Ecclesiæ fuerit, & quàm graviter atque acerbe illius necem ipsi planè immerenti illatam ferrent. Quod tamen illos satis moderatè fecisse dubium non est, cùm præceptorum Christi quæ inter alia etiam immoderatum luctum prohibent, vid. 1 Thess. 4. 13. probè gnari essent.

Vers. 3. *Saulus verò devastabat Ecclesiam per domos intrans trahensque viros ac mulieres, tradebat in custodiam.* Redit Lucas ad persecutionem fidelium Hierosolymitanæ Ecclesiæ describendam, & quidem specialiùs primo autorem, deinde eos, qui persecutionem patiebantur, ac denique modum persecutionis describit. Autor fuit Saulus, cujus jam & præcedenti cap. ℣. 58. & hoc ipso mox ab initio mentionem fecerat. De eo autem porrò scribit, quòd *devastaverit Ecclesiam* videlicet Hierosolymitanam, hoc est, dissipaverit fideles, eosque prohibuerit, quo minus vel publice, vel privatim cultus gratia convenire possent. Pertinet hoc ad modum persecutionis describendum: quemadmodum & illud, quod sequitur *per domos intrans* quo significatur, eum tanta rabie fideles ad cruciatus conquisivisse, ut eos etiam domatim indagaret, atque in apertum, si quos è latebris eruisset, protraxerit. Illud verò etiam inprimis hanc ejus rabiem prodit, quod dicitur *traxisse* nimirum ad judicia populi Judaici *viros ac mulieres*, quibus verbis indicatur eum ne infirmiori quidem sexui pepercisse, quin in eum quoque bilem suam evomeret, omnibusque modis id agere, ut religio Christiana cum omnibus suis professoribus radicitus extirparetur. Quo fine autem eos traxerit, ad judicia addit Lucas, videlicet *ut eos traderet in custodiam* seu carcerem. Quod ipsum quoque ad modum persecutionis pertinet. Non sunt autem hinc excludenda ea, quæ infrà Paulus ipse præter hæc de se refert, in sermone suo ad regem Agrippam inquiens Act. 26. 9. & d. *Et ego quidem existimaveram me adversus nomen Jesu Nazareni debere multa contraria agere. Quod & feci Hierosolymis, & multos sanctorum ego in carceribus inclusi, à principibus sacerdotum potestate accepta. & cùm occiderentur detuli sententiam* vel tuli suffragium. *Et per omnes Synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare, & amplius* seu abundanter *insaniens in eos persequebar usque in exteras civitates.* Tantum potest zelus qui non est secundum scientiam!

Vers. 4. *Illi igitur qui erant dispersi pertransibant, euangelizantes verbum* Gr. *sermonem.* Sequitur altera pars capitis, in qua describitur eventus lætus tristissimæ persecutionis Ecclesiæ Hierosolymitanæ, propagatio nimirum doctrinæ Euangelicæ. Ubi 1. describitur, quomodo Ecclesia Samaritana fuerit plantata. Inde quomodo vir quidam illustris, Eunuchus videlicet reginæ Candaces dynasta ad Christum fuerit conversus.

Plantatio Ecclesiæ Samaritanæ primò generatim, deinde speciatim describitur. Generatim quidem describitur hoc versu, dum dicitur eos, qui erant dispersi, nimirum ob persecutionem à Saulo Hierosolymis excitatam pertransiisse, hoc est, peragrasse varia loca euangelizantes, hoc est, prædicantes sive annunciantes *sermonem* scilicet Dei, ut infra vers. 14 appellatur, per quem Christi intelligitur doctrina. Articulus igitur voci λόγου additus διακριτικὸς est. Annunciatio autem hujus sermonis non fuit solennis; qualis facta per Apostolos; sed minùs solennis, qua hinc inde dispersi cum aliis de doctrina Christi & Apostolorum, eorumque miraculis, quibus doctrinam suam confirmabant, fuerunt collocuti, idque operam dederunt, ut alios etiam ad eandem amplectendam perducerent. Qualis annunciatio cuivis Christiano, qui doctrinæ salutaris est gnarus permissa est. Imò eandem charitas, quam aliis ab ea alienis debemus, & amor divinæ gloriæ propagandæ ab omnibus Christianis illam postulant. Atque ad hanc annunciationem Euangelii dispersis illis nulla fuit opus missione; quemadmodum neque ulli eorum, qui doctrinam Christi Apostolorumque duntaxat repetunt, aliisque inculcant: præsertim cum nemo doctores possit ad annunciandum Euangelium mittere, præter Deum ac Christum. Non est enim cujuspiam hominis legatos regis cœlestis, Dei ac Christi, mittere, sed regis solius: quemadmodum terreni regis legatos nemo præter regem ipsum mittere potest.

Vers. 5. *Philippus autem descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum.* Hoc versu & deinceps specialiter explicatur quod generatim dictum fuerat. Ubi iterum generale aliquid, quod in pluribus locum habuit occurrit: deinde speciale quid in Simone Mago. Istud duo continet: primò, quomodo Ecclesia Samaritana plantata fuerit: deinde quomodo rigata. Hæc autem eo ordine tractantur à Luca, ut iis speciale istud de Simone Mago exemplum inseratur, ex parte, partim subjiciatur. Quod attinet ad primum quomodo Ecclesia Samaritana plantata fuerit, primùm ejus caussa efficiens hoc versu describitur, dum dicitur, *Philippum descendisse in civitatem Samariæ & prædicasse illis Christum.* Philippus autem iste non fuit Apostolus, ille enim cum reliquis Apostolis Hierosolymis remanserat, neque opus fuisset postea ab Apostolis mitti Petrum & Johannem, ut Samaritanis credentibus imponerentur manus accipiendi Spiritus sancti gratiâ, cum illud Philippus Apostolus præstare potuisset: sed ille qui cap. 6. ℣. 5, in catalogo Diaconorum recensetur. Per Genitivum *Samariæ* non indicatur regio tota, sed urbs ejus præcipua, ut sit Genitivus speciei. Dum verò dicitur Philippum *illis*, nimirum, qui Samariæ habitabant, prædicasse Christum plantationis ejusdem, medium sive instrumentum indicatur, quod fuit prædicatio Christi. Prædicasse autem dicitur Christum, hoc est doctrinam Christi, seu Christum ratione doctrinæ suæ consideratum. Ita ut in vocabulo Christi Metonymia quædam sit Synecdochica, qua ratione etiam alibi usurpatur, Ephes. 4. 20. Col. 1. 20.

Vers. 6. *Intendebant autem turbæ his quæ dicebantur à Philippo unanimiter.* His verbis continetur effectus prædicationem Philippi consecutus. Dicuntur autem intendisse vel attendisse non tantùm ideo, quòd sermoni ejus aures adhibuerint, verùm etiam quod eidem sermoni crediderint atque assensi fuerint. Quo sensu infrà de Lydia dicitur, Dominum ei aperuisse cor, ut attenderet iis quæ dicebantur à Paulo, Act. 16. 14. Dicitur præterea attendisse *turbas*, hoc est, ingentem hominum multitudinem, id quod ad amplificationem illius effecti pertinet. Verba quæ sequuntur hoc versu, *audientes & videntes signa quæ faciebat*, caussam continent, quæ eos impulerit ad fidem Philippi sermonibus adhibendam, quod nimirum & audierant ex aliis, & ipsi videbant signa, hoc est miracula quæ vel alibi ediderat, vel ipsis videntibus edebat. Quæ nam verò illa signa fuerint, Lucas mox specialiter declarat.

Vers. 7 sic scribens: *Multi enim eorum, qui habebant Spiritus immundos, clamantes voce magna, exibant multi autem paralytici & claudi curati sunt.* Ubi duplicis generis miracula commemorantur. Unum est, quòd multi à spiritibus immundis, hoc est à dæmonibus obsessi, fuerint ab eorum tyrannide liberati. Dicuntur autem Spiritus illi *exiisse clamantes voce magna*, ut appareret eos revera, & quidem invitos egredi, neque ullus ea in re latere dolus, aut collusio cum dæmonibus. Similia de clamore Spirituum immundorum legimus in Euangelica historia, vide Marc. 1. 24, 25. & 5. ℣. 6, 7. Alterum miraculorum genus est, quòd multi *paralytici*, h. e. soluti artubus, & *claudi*, h. e. vel manibus vel pedibus capti, sanati fuerint. Insignia hæc fuere miracula ad confirmandam doctrinam Euangelii spectantia. Quorum etiam vis non tantùm in aliis multis, verum etiam in Simone Mago, homine insigniter improbo se exeruit. De quo mox, seriem verborum Lucæ secuti, videbimus.

Vers. 8. *Factum est ergo* Gr. *& factum est gaudium magnum in civitate illa.* Effectum hîc describitur ex fide in Christum in Samaritanis profectum, gaudium videlicet de tanto beneficio quod illis per Euangelii prædicationem fide exceptam contigerat. Articulus voci civitatis additus est διαφορικὸς. Refertur enim ad civitatem Samariam, cujus supra meminerat Lucas ℣. 5.

Vers. 8. *Vir autem quidam nomine Simon*, &c. Descriptâ plantatione Ecclesiæ Samaritanæ, Lucas, antequam ad rigationem ejus describendam accedat, præmittit speciale quid, & valde memorabile, quod in illa plantatione contigerat, nimirum de Simone Mago ad fidem Christi perducto. Ideo verò hoc commemoratur, tum quia vir iste valde erat inter Samaritanos celebris, tum quia in ipso homine insigniter improbo vis miraculorum Philippi sese exeruerat.

Primùm autem, nomine ipsius commemorato, commemorat Lucas qualis antea fuerit, sic de eo scribens: *qui antè fuerat* Gr. *antè fuerat in civitate, magus*, Gr. *magicam exercens; & seducens gentem Samariæ, dicens aliquem se magnum.* Per civitatem intelligitur eadem, quæ superiori versiculo. Id quod indicat articulus in Græco additus. Dicitur autem fuisse magus, seu magicam exercuisse, hoc est, diabolica arte ea, quæ nec divina nec naturali virtute efficiebantur, præstabat. Atque hac ratione factum est, ut *seduxerit*, hoc est, dementarit ac fascinarit *gentem Samariæ*, hoc est, non tantùm incolas urbis Samariæ, sed etiam totius regionis sic dictæ. Tantum suis imposturis effecit. Quorsum etiam pertinet quod additur à Luca: *dicens aliquem se magnum*, tribus verbis significatur, eum sibi divinam quandam auctoritatem arrogasse, seque pro insigni aliquo divina virtute prædito viro venditasse. Quædam exemplaria omittunt vocem *magnum*. Sensus nihilominus manet idem. Eadem enim est vis phraseos simplicis, *dicere se esse aliquem*, ut supra, ubi eadem occurrit, cap. 5. 36 notavimus.

Vers. 10. *Cui auscultabant* Gr. *attendebant, omnes à minimo ad maximum, dicentes: Hic est virtus Dei, quæ vocatur* (Gr. *illa*) *magna.* Effectus imposturarum Simonis Magi his verbis describitur isque duplex. Prior est, quod illi attenderint, hoc est, ejus præstigiis fidem dederint, ejusque ductum secuti fuerint. Dicuntur autem illi attendisse *omnes, à minimo ad maximum*, hoc est, plerique omnes non tantùm vilioris tenuiorisve, verùm etiam dignioris ac sublimioris conditionis homines. Non enim hic ad ætatem, sed ad statum voce minimi ac maximi respicitur. Id quod aliàs etiam in Sacris Literis usitatum est. Deut. 1. 17. Psal. 115. 13. Alter effectus est quod dixerint: *Hic est virtus Dei, quæ magna est, vel illa magna* quibus verbis testati fuerunt, quanta esset illius hominis apud ipsos auctoritas, quanti illum æstimarent, dum nimirum putabant, Deum suam per illum virtutem exerere, & tam stupenda per ipsum opera patrare. Est enim in vocabulo virtutis vel *potentiæ* Metonymia adjuncti. *Virtus* enim *Dei* pro eo sumitur, per quem Deus suam virtutem exerit. Id verò quod de Simone Mago falso dictum fuit, de Christo verissimè effertur 1 Cor. 1. 24, dum appellatur *potentia Dei*, quia nimirum Deus in eo & per eum virtutem suam exeruit.

Vers. 11.

Vers. 11. *Attendebant autem* (Gr. additur *ei*) *propter quod, seu ideò quòd multo tempore magicis dementasset,* seu *in stuporem rapuisset eos.* Ratio vel caussa hic redditur, unde factum fuerit, quòd illi attenderint, quia nimirum magicis suis artibus & quidem longo tempore fascinarat, atque ita in admirationem sui rapuerat, ut ad ejus incantationes ac carmina penitus obstupescerent, ac velut extra se raperentur. Tantum, permittente interdum Deo, potest Satanas per sua instrumenta in animis hominum efficere.

Vers. 12. *Cum verò credidissent Philippo euangelizanti de regno Dei* vel, ut in Græco est, *ea quæ de regno Dei, & nomine Jesu Christi, baptizabantur viri ac mulieres.* Hic id quod generale est cum speciali exemplo quodammodo permiscetur. Describitur enim effectus, annunciationem Euangelii apud Samaritanos postquam crediderant subsecutus. Simul autem summa quædam eorum, quæ à Philippo illis erant enunciata, à Luca narratur, dum scribit eum euangelizasse de *iis quæ de regno Dei*, id est, & ad salutem sempiternam & ad modum eam consequendi pertinent, ut sunt divina Christi tum promissa, tum præcepta & de *nomine Jesu Christi* (particula enim περὶ τοῦ ὀνόματος repetenda est, id est, de persona atque officio ejus. Effectus autem ipse est, quòd *baptizati fuerint*, hoc est, immersione in aquam publicè professi fuerint, se religionem Christianam amplexos, Jesum Nazarenum pro suo magistro ac Domino agnoscere, *& viri & mulieres.*

Vers. 12. *Tunc Simon* Gr. *Simon verò, & ipse credidit, & cùm esset baptizatus, adhærebat Philippo*, &c. Redit hic ad speciale exemplum Lucas & refert, etiam hominem istum ante hac tam perversum in Christum credidisse, hoc est, religionem ejus amplexum fuisse, & non tantum credidisse, verùm etiam fidem suam publicè cum aliis baptismo aquæ testatum fuisse ac præterea Philippo sic adhæsisse, ut eum semper assectaretur, neque unquam ab ejus latere recederet, Tandem etiam cùm *videret virtutes & signa*, hoc est, miracula divina virtute patrata, *maxima*, seu ut in Græco est *magna, stupens admiratus fuerit* seu *obstupuerit.* Quæ omnia effecta sunt tum sermonis tum verò imprimis operum divinorum ad confirmationem doctrinæ Christi à Philippo editorum. Tanta nimirum est vis divini spiritus, ut etiam impiissimorum hominum corda suis operibus possit percellere atque in stuporem rapere.

Vers. 14. *Cum autem audissent qui* [*erant*] *in Hierosolymis Apostoli, quia seu quod recepisset Samaria verbum* Gr. *sermonem Dei, miserunt ad eos Petrum & Johannem.* Hoc & sequentibus versiculis describit Lucas rigationem Ecclesiæ Samaritanæ, ac primò quidem commemorat, à quibus facta fuerit. Principio autem ostendit eos non proprio motu id quod fecerint fecisse, sed communi consilio omnium Apostolorum, qui eos, postquam Hierosolymis, ubi, ut supra ℣ 1 vidimus, reliquis fidelibus inde dispersis, manserant, audiissent, Samariam, id est, urbis Samariæ incolas, sermonem Dei, hoc est, doctrinam Euangelii recepisse, seu fide amplexos fuisse, eo ablegârint, eo nimirum fine ut illis manus imponerent, atque ita Spiritus sancti donum impertirentur, ut ex sequentibus apparet. Consilium autem istud proculdubio à Spiritu sancto illis fuit suggestum.

Postea speciatim refert Lucas quinam missi fuerint, *Petrus* nimirum & *Johannes.* Quinam illi fuerint hic nihil attinet dicere. Obiter hinc videre possumus, Petrum reliquis Apostolis non fuisse majorem, quippe à quibus ipse & Johannes Samariam missus fuerit. Non solet enim legatus legante major vel superior esse. Neque est quod dicas, Apostolos omnes saltem pares fuisse atque ita etiam æqualem ab æquali mitti posse. Nam totum Apostolorum, ut ita dicam, collegium majus fuit uno vel altero ex eorundem numero.

Vers. 15. *Qui cùm advenissent*, Gr. *descendissent*, *oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum.* Describit hoc versiculo itemque 16, qua ratione Petrus & Johannes legationem suam obierint. Ac primum quidem hoc versu ostenditur, quo medio usi fuerint ad impetrandum id, quod ad rigandam Ecclesiam Samaritanam erat necessarium, nimirum, quod pro Samaritanis oraverint, ut acciperent Spiritum S. Precibus ergò opus erat ad impetrandum tum divinum donum. Unde videre est facultatem dandi Spiritus sancti non in ipsorum Apostolorum, sed Dei ac Christi manibus fuisse. Aliàs enim precibus ipsorum opus non fuisset.

Vers. 16. *Nondum enim in quenquam illorum supervenerat* Gr. *in neminem illorum illapsus erat, sed tantùm baptizati erant in nomen Domini Jesu.* Occurrit hic Lucas velut in parenthesi cogitationi eorum, qui existimare poterant, Samaritanos statim simul atque in Christum crediderint ac baptizati fuerint Spiritum sanctum accepisse, ac proinde frustra Apostolos eo fine, ut Spiritu sancto donarentur ad illos missos ac profectos fuisse: Significat enim aliter se rem habere, eosque nondum Spiritus sancti donum tum temporis accepisse, licet in Christum jam credidissent, fidemque suam baptismo aquæ palàm professi fuissent. Atque hinc videre est Spiritus sancti donum non omnibus, etiam legitimè baptizatis, statim contigisse, ac proinde baptismo aquæ etiam legitime suscepto alligatum esse, tantum abest, ut vi baptismi aquæ cuipiam conferatur.

Vers. 17. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Hic effectus precum Petri & Johannis, modusque quo Ecclesio Samaritana rigata fuerit, describitur. Impositio manuum erat ritus quidam, quo interveniente solebant Apostoli aliis Spiritus Sancti donum à Deo suis impetratum precibus impertiri. Non quod in ipso ritu vis aliqua fuerit, sed quia Symbolum erat indubitatum collationis Spiritus Sancti, indicans, eos, quibus imponebantur manus, tam certò Spiritum Sanctum accepturos, ac si in manibus Apostolorum repositus, illisque impertiendus esset. Ejusmodi autem manuum impositio solis Apostolis fuit propria. Vide quæ suprà diximus cap. 6. 6. Per *Spiritum* vero *sanctum* hic intelligitur ejusmodi divina virtus & efficacia, qua donati non tantum aliis linguis loqui poterant, verùm etiam vaticinina, aliaque stupenda edere opera poterant, qualia commemorantur 1. Cor. 12. Firmissimum hoc fuit fidei Samaritanorum ad Christum conversorum sigillum, atque indubitatum veritatis doctrinæ Christi argumentum.

Vers. 18. *Cùm vidisset* vel *conspiciens autem Simon &c.* Hæc & sequentia, quæ de Simone Mago narrantur, sunt velut appendicula quædam, & eventus eorum, quę ad confirmandam Ecclesiam Samaritanam à Petro ac Johanne facta sunt. Primùm autem describitur à Luca hoc versu Simonis illius magi facinus, quòd nimirum, postquam vidisset Sp. S. donum fidelibus per impositionem manuum conferri, obtulerit Petro ac Johanni pecuniam, proculdubio antehac magicis artibus, quibus populum Samaritanum sibi conciliaverat, eundemque argento emunxerat, comparatam, ut & ipsi ejusmodi potestatem concederent, ut impositis in alios manibus eosdem Spiritu S. donare posset. Quod certè facinus animi planè profani, tam insigne ac planè cœleste donum, quod omni auro est carius, tam vile esse existimantis, ut pecunia comparari putaret. Quemadmodum etiam ex responsione Petri satis evidenter apparet.

Vers. 19. Petrus autem dixit ad eum: *Pecunia tua* Gr. *argentum tuum sit tecum in perditionem &c.* Altera hujus appendicis particula, responsum Petri, quod partim denunciatione pœnæ, quam isthoc suo facinore atque improbitate animi, meritus erat Simon Magus, partim adhortatione illius ad resipiscentiam constat. In denunciatione autem pœnæ Petrus, quadam imprecatione utitur, inquiens *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Sensus horum verborum est: pereat pecunia tua, tantum abest, ut optârim eam in meum cedere commodum; & tu unà cum pecunia istac tua peribis, sempiternoque,

nisi resipiscas, mactaberis interitu. Sic enim malumus posteriora verba, secundum analogiam præceptorum Christi, & normam Christianæ charitatis exponere, quam per imprecationem simplicem, quam vix videtur admittere Christiana religio ac pietas. Quod si tamen omnino velis eam imprecationem esse, dicendum est, eam à divino Spiritu, quo afflatus erat Petrus profectam, atque ita extraordinariam esse, nec à quopiam Christianorum in exemplum trahendam. Quod etiam de imprecatione Pauli 2 Tim. 4. 14, sentimus. Apostoli enim hac in re Spiritus impulsum secuti errare non potuerunt, nobis autem errare ac peccare in proclivi est. Neque hîc Apostolorum exemplis, sed regulis standum est.

Deinde Petrus caussam affert hujus sive imprecationis sive denunciationis, *quoniam*, inquiens, *donum Dei*, id est, Spiritum sanctum, *existimasti pecunia possideri*, vel potiùs te acquirire posse: vix enim verbum Κτᾶσθαι passiva significatione usurpatum reperias.

Vers. 21. *Non est tibi pars neque sors in sermone isto.* His verbis Petrus tertio in sua denunciatione pœnæ loco, explicat, quid perditionis nomine intellexerit. *Sermonis* nomine vel simpliciter sermo Euangelii, vel per Hebraismum, negotium istud nimirum religionis Christianæ intelligitur. Dum verò dicitur Simoni à Petro, *illi non esse partem neque sortem in sermone isto*, significatur illum nulla ratione vel doctrinæ Euangelicæ vel religionis Christianæ ratione fructus participem, non esse, quod ille sibi ex doctrina vel religione Christi aliquod emolumentum polliceatur. Caussam hujus rei statim annectit Petrus, his verbis: *Cor enim tuum non est rectum coram Deo:* quibus indicat, eum esse hominem pravum ac perversum, non sincerum, sed hypocritam. Cor enim rectum idem est, quod sincerum atque ab omni hypocrisi alienum. Cujus ergo cor non est rectum, ille perversus est atque hypocrita. Addit Petrus, *coram Deo*, ut significet, ut ut sua perversitate ac hyprocrisi non tantùm hominibus, sed & ipsi Deo imponere velit, Deo tamen optimè perversitatem atque hypocrisin esse perspectam, nulloque pacto latere posse.

Vers. 22. *Pœnitentiam itaque age vel resipisce ab nequitia tua hac, & roga Deum si fortè remittatur tibi cogitatio cordis tui*, &c. Sequitur Petri adhortatio, qua Simonem Magum hortatur, partim ad resipiscentiam, hoc est, mutationem animi in melius, ut nimirum abjecta omni perversitate atque hypocrysi, rectè ac sincerè cum Deo agat, & ad præscriptum religionis Christianæ suas actiones dirigat; partim ad preces, ut Deum roget, quò ipsi perversa illa cordis cogitatio remittatur, hoc est, ne ipsum Deus propter perversitatem cordis sui puniat; vel saltem non ita graviter, ut meritus esset. Particula *si fortè* hoc loco non dubitationem aliquam significat, quasi nimirum Simoni Mago nihilominus, etiamsi revera resipiscceret Deumque etiam rectè rogaret, de remissione peccati sui dubitandum esset: hoc enim cum analogia novi fœderis, remissionem peccatorum etiam gravissimorum (excepto peccato in Spiritum sanctum, quale Simonem Magum commisisse dici non potest, & peccato ad mortem, quale itidem Simoni, si resipuisset, tribui non potuisset) omnibus resipiscentibus offerentis non convenit: sed potiùs effectum certò secuturum, vel ut alii volunt, rem humanitus plane impossibilem esse. Eodem, modo usurpatur Joh. 14. 12. Similis loquendi formula etiam habetur Joël. 2. 23 conf. ℣. 19 seqq.

Vers. 23. *In felle enim amaritudinis, & obligatione seu vinculo aut nexu iniquitatis video te esse.* His in verbis Petrus caussam ad hortationis suæ affert, ostenditque se non immeritò Simonem ad resipiscentiam ac preus hortari. Caussa autem illa ab adjunctis Simonis Magi petita est. *In felle* Græce est *in fel'ue* pro *è* posito, quemadmodum etiam alibi fit. Vide Matth. 2. 23.

Act. 9. à vers. 1. ad 10.

DEscribitur hîc iter Pauli Damascum, & memorabilis in eo Domini apparitio, eamque sequuta Pauli conversio. Partes tres. 1. Occasio & apparatus itineris. 2. Iter ipsum, & quæ in eo memorabilia contigerunt. 3. Quid Damasci Paulus egerit.

Occasio itineris Pauli fuit in Christianos malevolentia. Vocatur autem adhuc nomine Sauli. Id Hebræis postulatum significat: fortè quia à Deo precibus parentum expetitus atque postulatus esset. Solebant enim Judæi liberis nomina rem aliquam significantia indere. Cognominis ejus fuit primus Israëlitarum Rex, qui Davidem Christi typum ipse quoque persequutus est, non minus quàm hic noster Christianos. Quum inter Ethnicos prædicare cæpit, Paulus vocatus est, cap. 13. 9. fortasse quòd id nomen Ethnicis familiare, & Saulo tamen assonat. De pueritia & educatione ejus, vide Act. 22. 3. XXVI. 4, 5. vide etiam Philip. 3. 5.

Malevolentia ejus in Christianos mire describitur; *Spirabat adhuc minas & cædes contra discipulos Domini.* Metaphora sumta est ab animalibus ferocibus. Minabatur necem deficere nolentibus. Hæ minæ variæ fuerunt, sed illas comitabatur cædes. Vide cap. 8. ℣. 3. XXII. 4. XXVI. 10, 11. Phil. 3. 6. 1 Tim. 1. 13. Prætextum autem sæviendi sine dubio habuit eum quem & Stephani accusatores, sup. cap. 6. 13, 14.

Notandus hîc mos, religionis zelo in alios sævientium. Quem frustra ex Deut. 13. 10. defendunt, nostrique temporis hæreticis accommodant: qui nec prophetas se dicunt ejusmodi, qui no â Deut. 18. 22, designatâ intelligi possint, nec ad alienos Deos ducunt: quod illis potius objici posset, qui solent in hæreticos, quos vocant, maxime sævire. Religionis Christianæ non sunt arma carnalia, vide 2 Cor. 10. 4. Melior est Novi fœderis quàm veteris spiritus, Luc. 9. 55, 56. Hæreticum hominem vitare Apostolus jubet, Tit. 3. 10. eumque ita describit unde facile nos ejus criminis alios convincere possimus. Porrò *discipuli Domini* nomen nonnullis solet esse peculiare. Monemur autem hoc nomine, tum dignitatis Christi, tum humilitatis, docilitatis atque obsequii nostri. Antiochiæ Act. XI. 26. iidem appellati *Christiani.*

Apparatus itineris. *Adibat summum sacerdotem, & literas Damascum perferendas petebat, ad Synagogas.* Finis in sequentibus subjicitur. Non satis habebat quod Jerosolymis aut in Judæa in Christianos sæviret, in exteris quoque regnis eos persequutus est. Damascus erat olim caput Syriæ, sita ad latus Libani, quinque dierum itinere Jerosolymis dista: s. Regem tunc temporis habebat Aretam, 2 Cor. XI. 32. Habitarunt autem Damasci Judæi, à temporibus Benadadi, 1 Reg. 20. 34. Quanquam jam tunc illi per universum orbem terrarum dispersi vixerunt: Ut tum ex itineribus Pauli, tum ex nominibus regionum, istorum Judæorum qui Jerosolymis, ad festum convenerant, Act. 2. 9, 10. tum ex inscriptione primæ Petri epistolæ, constat. Habebant autem ut ubique ita Damasci Synagogas suas, in quibus Mosen & prophetas legebant, cultuique divino, quoad extra templum licebat, vacabant. Jam verò magna erat summi Sacerdotis apud omnes Judæorum Synagogas authoritas. Vide Deut. 17. 8. Malach. 2. 7. Quod enim in genere sacerdotibus, id multo magis summis sacerdotibus conveniebat. A summo igitur sacerdote literas petebat Paulus: quas non dubium est quin facile impetraverit. Summus Sacerdos supr. c. 4. 6. nominatur Ananias. An idem adhuc fuerit, haud satis constat: mea quidem non multum refert.

Nota, ipsos quoque religionis antistites, & quidem summos, religioni Christianæ adversatos. Eadem adhuc in mundo fabula agitur.

Ut quos inveniret viæ hujus, viros atque fœminas, ligatos Jerosolymam perduceret. Non habebant illius temporis Judæi jus vitæ & necis, ne in Judæa quidem,

dem, ut ipsi coram Pilato fatentur. Multa tamen illis licebant, per conniventiam magistratuum, in suæ gentis homines. Pilatus Christum Judæis judicandum permittere voluit. Joh. 18. 31. Stephanum ejecerunt urbe, sup. cap. 7. Gallio nihil curavit Sosthenis verbera, cap. 18. ℣. 17. Credibile tamen est plus eos Jerosolymis potuisse, quàm Damasci. Itaque Damasco Jerosolymam eos Paulus abducere cogitabat, sine dubio, ni deficerent, occidendos. Ut non aufugerent in itinere, ligandi erant: quam ad rem comites secum plures duxit. Vide quid possit zelus, qui ex Saulo carnificem fratrum suorum fecerit. Et nota quod non tantum viros, sed etiam *fœminas* ducere cogitabat. Cui sexui alioquin & militaris ferocia parcere solet. Apparet autem tunc non cessisse fœminas viris in amplectenda contestandaque religione.

2. In itinere hæc acciderunt memorabilia, *quum Damasco vicinus esset Saulus, fulsit circa ipsum lux de cœlo.* Hæc autem ab ipsius Domini Jesu corpore fuit, aut ab illo saltem excitata. Splendet enim ipsius corpus supra solis splendorem. Cujus rei signum vide Matth. 17. 2. Confer. Apoc. 21. 23. Solent & angeli cum luce apparere. Luc. 2. 9. Act. 12. 7. Apoc. 18. 1. Quanto magis ergo ipse Angelorum Dominus. Act. 16. 13, lux hæc superasse dicitur solis splendorem. Ubi & hoc notandum, quòd in ipso meridie reluxerit, quo ipso magnitudo ejus arguitur. Observatu dignum est quòd hæc res contigerit quum jam Damasco vicinus esset Saulus, quippe in fervente post superatas itineris molestias nocendi desiderio. Ita Dominus novit captare temporis momenta, quò & potentia illius sit illustrior, & gratius auxilium. *Et procidebat in terram.* Ex consternatione scilicet: nec ipse tantùm, sed & comites. Ut apparet ex cap. 26. 13. Ita Dominus Jesus hostes suos prosternere novit. Vide Apoc. 6. 15, 16, 17.

Et audivit vocem dicentem, Saule, Saule, quid me persequeris? Vox Domini Jesu fuit, ut ex sequentibus apparet. Bis autem Saulum appellat, ob majorem vehementiam. Sic Angelus quum Abrahami gladium in Isaacum strictum coërcere vellet, bis Abrahamum appellavit, Gen. 22. 11. Quærit cur se persequatur? quippe qui nec illi, nec in genere cuiquam quicquam mali fecerit: quod certe non conveniebat homini Legis studio ferventi. Magnam verò habet emphasin, quòd se potiùs quàm fideles suos nominat, quos tamen Saulus propriè persequebatur. Ratio ejus loquutionis est ex arcta Christi cum suis conjunctione, qui & membra, & corpus illius alibi dicuntur. Rom. 12. vers. 4, 5. 1 Cor. 6. ℣. 15. XII. 12. Ephes. 4. 16. v. 30. Confer Luc. 10. vers. 16.

Ille vero dicebat; quis es Domine? Dominum vocat eum qui secum loquebatur, quamvis quis esset adhuc ignorabat. Quærit verò quis esset qui de persequutionibus suis expostulabat. Lux nimia visum ejus confuderat, ut Dominum Jesum quem fortasse in carne antea viderat, jam non agnosceret. *Dominus verò dicebat, Ego sum Jesus quem tu persequeris.* Singula verba fulminis ictui similia Saulo sine dubio visa sunt. *Ego* & *Tu* opponuntur. *Ego* qui de cœlo tanta cum luce tibi apparco. *Tu* homo mortalis, & ille quidem qui legis studium professus. *Jesum* se nominat, non Christum, pro quo Saulus eum agnoscere nolebat, imò qui Jesu nomen summopere contemnebat & oderat. Hunc ille persequebatur, quem amare, colere, imò & adorare debebat. Notandum ex his verbis, imò ex toto hoc loco, argumentum, quo probari potest cura Ecclesiæ, rerumque quæ in ea geruntur notitia, quam nonnulli Domino Jesu derogare volunt. Idem patet ex historia Stephani, aliisque apparitionibus Paulo factis, Act. 18. 9. XXII. 17, 18. XXIII. 11. 2 Cor. 12. 1. & ex Apocalypsi tota. *Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Allegoria est à bobus aut ab equis sumta, illud significans, illum quanto plus Christo nocere laboraret, tanto plus sibi ipsi nociturum. vide Psal. 2. 9. Isa. 8. 14. confer cum loco Matth. 21. 44.

Tremens autem & pavens dicebat; Domine quid vis ut faciam? Non existimarat cum ejusmodi Jesu sibi rem esse: itaque potentiam ejus jam expertus tremit, conscius quàm graviter in illum peccarit. Jam Dominum vocat, quem antea sine dubio maleficum & impostorem vocabat. Quærit quid facere debeat: videbat non faciendum quod cæperat, quærit quid faciendum? Hoc bene. Agnoscit Christi imperium, & ab illo legem exspectat, offert sese ad obsequium: facere aliquid cupit, non otiari sub Domino. Frustra Christum Dominum vocat qui voluntatem Patris ejus qui in cœlo non præstat. Imitemur Pauli exemplum, & de peccatis admoniti, ad obsequium Domini nos componamus.

Et ait Dominus, surge & abi in civitatem, & dicetur tibi quid facere debeas. Ceciderat Saulus, itaque surgere cum jubet. Noluit ipse Saulum in via docere, sed in civitatem eum ablegat. Promittit ibi docendum; & non addit à quonam, voluit fidem ejus hac ratione probare. Ita Abrahamum abire Deus jubet in terram quam ipsi sit ostensurus Gen. 12. 1. Jubet immolare filium, in monte, quem illi sit indicaturus. Gen. 22. 2. Voluit autem simul Dominus ostendere, non e cœlo se nunc Euangelium prædicaturum, & frustra esse qui id requirat. Homines in terris nobis audiendos, quibus ipse sermonem suum commiserit. Sic Cornelium Angelus ad Petrum ablegat, Actor. 10. 5, 6. Frustra dives ille apud Lucam 16, Lazarum ad fratres suos e sinu Abrahæ ablegare conatur, quum habeant Mosen & Prophetas. Acquiescamus & nos eo discendi modo quem Deus nobis indulsit. Plura Domini Jesu verba ad se recitat inf. cap. 26. 16. seqq. ipse Paulus.

Viri qui unà iter faciebant, stabant muti. Ceciderant & ipsi, ut sup. vidimus, sed jam surrexerant. Stabant autem muti, ut solent admirabundi & attoniti. *Vocem quidem audiebant* dubium est cujus. Nam inf. cap. 22. ℣. 9. & 26. 13. dicitur eos vocem cum Saulo loquentis non audivisse. Nonnulli putant hîc sermonem esse de voce Sauli cum Domino Jesu loquentis, quam illi sine dubio audiebant. Posset quoque dici, eos confusam audiisse vocem Domini, non distinctam, quorum hoc hîc, illud infra affirmatur. Quod verò *neminem vidisse* dicuntur, ex eo colligitur Saulum vidisse eum qui secum loquutus erat, quod & inf. clarius affirmatur vers. 17. Quomodo autem fieri potuerit, ut alius distinctam vocem Domini audierit, eumque viderit, alius verò non, quum tamen res non internâ sed externâ visione gesta sit, in scholis curiosius disputari posset. Credibile est sensum Sauli à Domino intensum fuisse: quod idem & de Stephano dici possit cap. 7. vers. 56. Agnoscamus hîc Domini prudentiam, qui rem ita temperavit, ut ejus & socii Sauli testes esse possent, & relinqueretur tamen pertinacibus obloquendi occasio.

Saulus verò surgebatè terra, apertis autem oculis, neminem videbat. Erant quippe oculi ejus velut squammis obsiti. Ita non tantùm in via res miraculosa contigit, sed ejus etiam effectus in ipso Saulo per dies aliquot coram oculis omnium relinquebatur: quod faciebat ad conciliandam rei fidem. Poterat autem hæc corporis cœcitas symbolum esse illius cœcitatis qua usque adhuc captus fuerat; sicut lux circumfusa internæ illius illuminationis.

Ducebant autem eum manu. Erat & hac de causa utile ne omnes Dominum viderent, ne & illis excæcatis defuisset qui cæcos duceret. Mira autem hæc est rerum conversio. Saulus antea Christi discipulos captivos Jerosolymas ducere volebat Damasco: nunc ipse cæcitate captus ducitur Damascum, ad discipulos Domini. Ita sæpe quod aliis molitur aliquis, in id ipsemet incidit: ut apparet ex Historia Hamanis & Mardochæi. Esth. 7. 9. Principum Persarum, & Danielis, Dan. 6. 13.

Sequitur ingressus Sauli Damascum, & quid ibi ei contigerit. *Et ducebant eum Damascum & erat cœcus per dies tres, neque comedebat, neque bibebat.* Interea vulgari de eo sermo poterat, & fortasse haud pauci ad eum videndum accurrebant. Jejunium tamdiu, partim

tim ex consternatione animi esse poterat, partim ex pietate susceptum credibile est. Jejunium quid, & qua ratione, quoque fine suscipiendum, aliàs dictum. Non leve autem jejunium est quod per triduum integrum durat. Tale erat illud Estheræ, Judæorumque Esth. 4. 16, 17. &c.

Actorum 9. *à vers.* 36. *ad* 43.

De Tabita ex mortuis à Petro suscitata.

DEscribitur hîc miraculum revocatæ in vitam piæ cujusdam fœminæ. In qua narratione 4. Nobis veniunt consideranda. 1. Mors illius super qua miraculum deinde editum fuit. 2. Advocatio adventusque Petri ad miraculum perpetrandum. 3. Miraculum ipsum seu resuscitatio fœminæ. 4. Denique effectus miraculum consequutus.

Quod ad primum, circa illud notanda primò descriptio personæ mortuæ. Ea verò describitur à conditione seu statu quòd *discipula* fuerit, à loco habitationis, *Joppe*, à nomine *Tabitha*, à pietate denique, quòd *plena fuerit bonis operibus & eleemosynis. Discipulã* quum vocat, Christianam intelligit. Christiani enim tum temporis in genere *discipuli* vocabantur. Cujus rei vel in hoc ipso capite sunt aliquot exempla: ℣. 1. 10, 19, 25, 26, 38. Quamvis in Euangeliis alioquin duodecim Apostoli hoc nomine fere κατ' ἐξοχὴν denotentur. Est autem discipuli discipulæve nomen, relatum, cujus correlatum est Magister, Christus Matth. 23. vers. 8, 10. Significatur autem hoc vocabulo profectus proficiendique in doctrina Christiana studium: à quo qui abhorret is se frustra discipulum Christi seu Christianum jactat. Vox *discipulæ* indicat fidem, quam bonis operibus & eleemosynis approbavit. Non viris solùm sed & mulieribus competit Christianismus. Discendi forma petenda à Magistro eximio Christo. Hæc primalaus, hoc sanctæ vitæ initium, & omnium virtutum radix, didicisse à filio Dei quænam sit vivendi ratio, & quæ vera sit vita. *Joppe* quæ Hebræis Japho, oppidum à pulchritudine nomen habens, ad mare in promontorio situm, portu nobili, ad quem & Salomonis, & Zorobabelis curâ ex Libano ligna ad ædificationem templi applicita fuerunt. 2 Paral. 2. vers. 16. 1 Esd. 3. 7. ex quo & Jonas in Tarsis fugere voluit, Jonæ 1. 3. Jerosolymis quinque milliaribus distabat: Macchabæorum tempore sæpius de hoc portu dimicatum fuit. *Tabithæ* nomen Syriacum est, ab Hebræo *Tzebi* vel *Tzebijach*, quod ipsemet Lucas hîc *capream* interpretatur. Salomon maritam capreæ comparat Prov. vers. 19. vide & Cantic. 2. 17. VIII. ult. de marito. Nomen non inconveniens, utpote quo & pulchritudo, & celeritas, & timor illi sexui familiaris notatur. Multum autem ad laudem hujus fœminæ facit, quòd non tantùm *bonorum operum* studiosa, sed eorum *plena* fuisse memoratur. Præcipuæ fœminarum virtutes sunt, pietas erga Deum, verecundia, castitas, modestia, sobrietas, taciturnitas, prudentia rei familiaris, laboris studium, obsequium erga parentes vel maritos, & misericordia erga afflictos. In hac verò Tabitha, intet cætera illius bona opera commendatur ejus liberalitas *in eleemosynis*. Magna beneficentiæ laus, quod teste Spiritu Sancto piæ ac perfectæ vitæ ferè summam in se continet. Primum locum obtinet religio erga Deum seu fides, de hinc exercitium liberalitatis. *Eleemosynæ* nomen significat quicquid opis confertur in miseros & pauperes. De officiis fœminarum, vide Prov. 31. 10. seqq. 1 Tim. 2. 9. seqq. Tit. 2. 3, 4, 5. 1 Pet. 3. 1. seqq. Exemplo istius Tabithæ ad præstanda misericordiæ opera incitari debemus, quæ verè bona opera esse testatur Christus, Matth. 25. 34, 35, 36. Satius est viva Dei templa ornare vestiendo, quam saxea variis ornamentis. *Misericordiam vult Deus, non sacrificium.* Capreæ admodum acri oculorum acie prædita: & nostra Dorcas visus acerrimi, quæ procul à cælestibus sedibus hic in terris agens, nihilominus æterna pervidit, ut pote quæ illa fidelibus ambierit operibus.

Sequitur caussa mortis ejus, morbus. *Accidit in diebus illis ut ægrotaret.* Temporis denotatio antecedentia respicit, quod Baronius in annum XL. Calvisius in XXXVIII. à nato Christo refert. Morbus ipse non designatur: gravem tamen fuisse constat cùm lethalis fuerit. Nota hic, nec pietate nos à morbo, imò nec à morte, quæ Tabitham à morbo excepit, defendi. *Semel enim statutum est homini mori.* Heb. 7. 27. Ipsa enim humanorum corporum temperies ad morbos porroque ad mortem nos trahit. Deinde multa nos circumstant incommoda, multi obveniunt casus, qui vitæ nostræ cursum præcipitant: ut proinde non immeritò quis anhelet ad felicitatem novæ Jerosolymæ, in qua Apoc. 21. 4. *mors amplius non erit.* Mortem sequitur, quòd corpus defunctæ *laverint, & in cœnaculo collocarint.* Mos lavandi defunctorum cadavera, & Græcis & Latinis usitatus fuit, ut ex historiis eorum constat. Hebræis etiam usitatum fuisse, ex eo colligere licet quòd ungerent corpora, quod sine prævia lotione eos non fecisse, verisimile est. Itaque lotionis ejusmodi præter alios & hunc fuisse finem credibile est, ut corpora unctioni præpararentur. Nam alioqui & ille potuisset esse finis, ut lotione, præsertim si calida aqua fieret, explorarent animæ reliquias, aut ut abluerent noxas in corpore admissas. Quod ad collocationem mortui attinet, circa eam is erat mos apud Romanos, ut in vestibulo ædium fieret, calcibus ad januam protensis. Hic dicitur *in cœnaculo* fuisse facta, loco nimirum multorum oculis patente. Est autem hic in genere illud observandum, Christianis ritus publicos minimè interdictos, imò etiam si rationem probabilem habeant, ad exemplum aliorum non male usurpari. Vide Gen. 50. 3, 26. Joh. 19. 39, 40. Quod in *cœnaculum* vel *superiorem domus partem* detulerint cadaver, & quod ad Petrum miserint, apparet aliquid eos speraſſe de recuperanda vita, ut quòd *laverint* illud, eo ad sepulturam parabant. Mortuorum corpora lavabantur ut pura aliquando ad Dei tribunal sisterentur. Imò & quotidianæ ablutiones monebant, non posse quenquam placere Deo, nisi qui sordibus suis purgatus esset.

Secunda contextus nostri pars sequitur, de advocatione adventuque Petri. Advocationi occasionem dedit propinquitas, quoniam *Lydda vicina erat Joppæ & audierant Petrum ibidem esse.* Lydda oppidum erat haud procul Joppe distans, itidem ad mare situm, Diospolis post vocatum. Eò veneratPetrus in visitatione Ecclesiarum, de qua sup. ℣. 32. ibidemque sat averat Æneam paralyticum. Non patitur autem viros sanctos sua virtus in obscuro latêre, quæ famam circumfundit ad vicinos. Credibile est autem Joppenses fratres non tantùm de adventu Petri in vicinum oppidum, sed & de ejus in Ænea sanato miraculo audiisse, eoque ad illum advocandum quosdam ablegasse. *Ablegarunt* autem *duos*, ut eo gravior honoratiorque esset legatio. Ita calamitas sæpe aliqua in causa est ut viros Dei ad nos accersamus. Nos verò hos tales quocunque tempore lubenter & advocemus, & ultro venientes admittamus. In his enim Dominus Jesus excipitur. Quo affectu Paulum Galatæ exceperint, vide Gal. 4. 14, 15. Cæterum obtemperat Petrus advocantibus, *surgit & proficiscitur cum illis.* Notanda in Apostolo facilitas obsequii. Ita Dominus Jesus ad centurionem ire voluit, qui id non modò non rogaverat, sed etiam deprecabatur. Matth. 8. 7. vide etiam exemplum Elisæi 2 Reg. 4. 25, 26, 30. Ingeniosi plerumque sunt homines in excogitandis excusationibus cur hoc illudve amicis negent. At charitas benigna est. 1 Cor. 13. 4. non quærit quæ sua sunt, vers. 5. * Porrò quum advenisset Petrus Joppen, *ducunt eum* fratres *in cœnaculum*, ubi Tabithæ cadaver jacebat. Vide quàm officiosa sit charitas. Ducunt Apostolum in rem præsentem, ut sensus res objecta melius moveat. Nec enim omnes ea sunt fiducia qua ille Centurrio Matt. 8. *Et circumstabant eum omnes viduæ flentes, & ostendentes*

* Vide inf.

illi

illi tunicas & vestes quas faciebat Caprea dum cum illis erat. Duo hic notanda veniunt. Primò liberalitas atque officiositas Tabithæ, *quæ tunicas atque vestes faciebat* non sibi sed *viduis*, aliisque pauperibus. Ita enim hoc intelligendum ostendit non modò Latina atque Syriaca versio, sed & contextus ipse orationis. Quorsum enim viduæ omnes hæ Tabithæ opera Petro ostentassent, si hæc ea sibi paraverat. Potuissent enim id alii ejus cognati facere: quanquam nec multum id Petri interfuisset, si artificium non officiositas in operibus istis conspicua fuisset. Rara hæc in fœminis seculi nostri laus est, quæ manus suas potius in superbiæ fomentum quàm in pauperum solatium exercere malunt. Cujus rei fortasse non longe petenda exempla sunt. Interim tamen non solum id fœminarum officium est ex quo Tabitha hic commendatur. Vide quæ Jobus de se cap. 31. vers. 16. seqq. Quin omnes & viri & fœminæ id ad animum revocent, quòd causam admissionis in regnum cœlorum alleget Dominus Jesus officiositatem liberalitatemque erga indigos Matth. 25. vers. 35. Imò quæ istis facta, sibi facta interpretatur. Alterum quod hic notandum venit est quod *viduæ omnes* & quidem *flentes*, *Petrum circumsteterint*, *eique Tabithæ opera monstraverint.* Cur verò viduæ potiùs, quàm alii? Hæ quippe liberalitatem Tabithæ expertæ inprimis fuerunt. Sunt enim viduæ præ aliis misericordia atque ope dignæ. Vide legem de benignitate in viduas, Deut. 14, 28, 29, & 24, 19, 20, 21. Exemplum Jobi vide 24, 13 & 31, 16. Jacobus purum & immaculatum Dei cultum hunc vocat, quando quis orphanos & viduas in sua calamitate visitat, cap. 1. 27. Quod autem Lucas inquit *omnes viduas circumstetisse*, eo & Tabithæ in omnes liberalitas, & vicissim omnium in illam studium amplificatur. Quod ait eas *circumstetisse* eo significatur pia quædam æmulatio, & quòd nulla alii concedere sed ex æquo omnes Petro rem narrare satagerent. *Flentes* Fletus earum indicium fuit doloris quem mors fæminæ tam præstantis & recordatio illius beneficiorum excitabat. Nec enim ut Stoici censebant indignum est homini mœsto flere mortem suorum. Imò potius præceptum nobis est *flere cum flentibus.* Rom. 12. 15. Imò Christus ipse suo exemplo nobis præivit Joh. 11. 34. Porrò quantò gloriosius id Tabithæ fuit quod post mortem illius ostendebantur ejus in pauperes liberalitatis documenta, quàm si suæ domi peristromata ac vestes pretiosas splendidumque superbiæ choragium in spectaculum reliquisset. Omne verò illud viduarum circa Petrum in commendanda Tabitha studium, eò pertinebat ut illum tanto magis ad illius resuscitationem [tentandam] inflammarent. Fuit hæc gratitudo erga benefactricem. Non obstrepunt Deo, nec clamitant rem esse indignam quod talis fœmina sit mortua, sed opem implorant, optando ejus vitam ad tempus prorogari, ut adhuc possit Ecclesiæ. * Etsi Petrus de miraculo potuerit esse dubius initiò, tamen fratrum precibus indulget dum ad eos venit, sive ad levandum mœrorem, sive ad eos piis exhortationibus confirmandos, ne istius mulieris morte fracti deficerent, sive ad stabiliendam Ecclesiam recentem, postremò quia recusando visus fuisset superbè fratres contemnere. Nota, quoties Deus virtutem suam aliquo miraculo per Apostolos exserere statuerat arcano Spiritûs impulsu eos direxisse.

Tertia pars contextûs miraculum ipsum continet, in quo ista ordine sequuntur. Primùm *expellit Petrus omnes* qui aderant, e cœnaculo. Imitatur aliquomodo magistrum, qui Jairi filiam excitaturus omnes secedere jussit, præter parentes puellæ, discipulosque suos quosdam, Marc. 5. 40. Fugit uterque turbam: quanquam ut credibile est diversam ob causam. Christus quod miraculum latere vellet, ut apparet ex versu ultimo cap. 5. Marci. Petrus autem ut in secreto tanto ardentius oraret. Distrahit enim turba animum, orationisque ardorem restinguit. Ita & Dominus Jesus oraturus secretum petiit Matth. 14. 23. & Marc. 6. 46. Secundò *procidit Petrus in genua, & oravit.* Ingeniculatio demissionis animi indicium est, qua meritò erga Deum summum homo suæ sibi vilitatis conscius utitur. Orat autem Petrus Deum ut Tabitham suscitet. Norat quippe id suæ virtutis non esse. Quanquam nihil impedit credere, orationem hanc ad Dominum Jesum fuisse conversam: utpote cujus opem paulò ante Lyddæ in simili casu expertus fuerat, ut videre est ỳ. 34. sup. vide & cap. 3. 6. cum quo confer ỳ. 16. Tempus sibi sumsit ad precandum, captata solitudine, quia adhuc dubius erat de eventu, quum superius ad sanandum Æneam rectà se conferret. Eodem facit quòd semotis arbitris rem aggreditur: aliàs si certus fuisset, præstitisset interesse miraculo fideles. Elisæus 2 Reg. 4. 32. ne matrem quidem pueri mortui admisit, cui post orationem incubando vitam restitui volebat. Secessu isto Petrus ostendit rem hanc non fuisse in manu sua, ne forte quis virtuti ejus divinum opus cujus tantùm minister erat adscriberet. Quoties oraturi in genua procumbimus, semper isti externo cultui interior cordis submissio respondeat. Tertiò *conversus* Petrus *ad corpus inquit*, *Tabitha surge.* Magna hæc fuit Petri fiducia, imperare mortuo viventium actionem. Similia fuerunt verba Servatoris ad Jairi filiam, Marc. 5. 41. *Thalita cumi.* Credibile est Petrum hanc fiduciam ex ipsa oratione concepisse. Solet enim Deus interdum piorum animos exauditionis fiduciâ implere. Alloquutio mortui Dei potentiam insuscitandis mortuis clare exprimit. Sic Ezech. 37. 4. ossa arida est alloquutus. *Sic mortui audient vocem filii Dei.* Joh. 5. 25. Sed & hîc fuit Christi vox per os Petri emissa. Cæterum exempla resuscitatorum documenta sunt possibilitatis resurrectionis nostræ. Quærunt hic nonnulli, an Tabithæ resuscitatæ anima in corpus e cœlo an ex inferno revocata fuerit? Respondent cum Psalmista *ex inferno nullam esse redemtionem.* Nec credibile esse e cœlo ubi gaudiis divinis frueretur in hoc calamitosum seculum revocatam videri. Ideoque eam fuisse in purgatorio. Sed commendatio tantæ pietatis non permittit credere, ad supplicium infernali simile vel ad tempus raptam fuisse. Itaque rectiùs nos inde concludere possumus, nec cœli bonis adhuc gavisam, nec inferni cruciatibus vexatam, sed è loco quietis ubi sine sensu vel bonorum vel malorum fuerat, ad vitæ hujus fruitionem revocatam fuisse: qua qui mortem meliorem putat, is nescit quid sit vel vita vel mors.

Quartò, *illa aperuit oculos.* Hoc primum vitæ argumentum fuit. *Petrum intuita*, *resedit*, hoc alterum. Quod nondum surrexerit, id vel verecundiæ vel debilitatis, sive veræ, sive opinione conceptæ indicium fuit. Ideo sequitur Quinto, *Et data ei manu erexit eam.* Digna fuit Apostoli sublevantis manum contingere, quæ suam pauperibus manum præbere non fuerat dedignata. Ita igitur Apostolus ei vel vires ad surgendum dedit, vel fiduciam sui addidit, timoremque excussit. Eodem modo & Dominus Jesus Jairi filiæ manum præbuit. Matth. 9. 25. Sextò, *Et vocatis sanctis & viduis, vivam eam repræsentavit.* Hactenus secretum fuerat miraculum: jam testes ad illud advocantur. Ii sunt sancti & viduæ. Per sanctos Christiani vel fideles ejus loci intelliguntur, ut sup. ỳ. 13 & 32. utpote à Deo in populum peculiarem segregati, moribus sanctis divinis prædiri. His Tabitham vivam repræsentavit, utpote illius obitu vehementer contristatis. Quanta verò istorum fuerit lætitia, patet ex reipsa. Scimus quæ jubila esse solent, ubi amicus peregre rediit, de cujus reditu aut vita desperaveramus. Quid ergo si quis à mortuis excitetur, & quidem vitâ dignissimus, imò & de nobis benemeritus, proindeque & porrò meriturus? Deus pauperum misertus eorum votis sanctæ fœminæ vitam concessit: & ut gloria ejus illustraretur: tum quòd ornavit Deus eo miraculo istas quæ illi inerant virtutes, tum quòd infirmos & novitios confirmationis indigentes, ad ampliorem profectûs materiam invitavit. Circumstantiæ, miraculi certitudinem exhibent. Statuitio ejus ostendit eam potiùs aliorum causa fuisse excitatam quàm sua.

Quarta

Quarta contextûs pars, effectus miraculi. Is duplex memoratur. Prior, *innotuit ea res per totam Joppen.* Quid mirum? res tam magna, tam insolita. Scimus quæ fama interdum esse soleat, quum quis ope medici ex periculoso aut pro incurabili habito morbo evaserit. Facit autem ea fama ad asserendam narrationis veritatem, utpote cujus mirę recentis spectatrix, ac proinde & in posterum testis tota Joppensis civitas exstiterit. Posterior ex priore manans, *& multi crediderunt in Dominum.* Hinc quoque patere videtur, Petrum preces suas ad Dominum Jesum direxisse, illiusque virtute & nomine, Tabitham fuisse suscitatam, idque Petrum, ut aliàs solitus est, palàm professum. Ita ergo miraculi magnitudine motos multos in Jesum Christum credidisse. Finis enim miraculorum est fides & salus hominum. Joh. 20. 31. Miraculi hujus fructus multiplex, pauperum solatium Ecclesiæ pia matrona restituta, in cujus morte magna jactura erat. Multi ad fidem vocati, quum Petrus homines ad Christum dirigeret. Miraculis Petri, ut Christi ita illius ipsius doctrina confirmata: quare de ea non est dubitandum. Quæ quidem ejus doctrina partim in hoc libro Actorum, partim in Epistolis ejus continetur. Nos quoque hujus aliorumque similium miraculorum contestatione fidem nostram confirmemus, & credamus eadem Christi virtute etiam nos aliquando prout ipse promisit, à mortuis excitandos; atque sub ista spe tam augusta ex animo totisque viribus nostris illi serviamus. Amen.

Actor. cap. 16. *vers.* 16, 17, 18.

LOcum hunc mihi explicandum sumere libuit quod narrationem illi quę hodierno die in templis explicari solet cognatam contineat. Utrobique enim dæmon è puella expellitur, in vulgato contextu à Christo, in hoc nostro à Paulo. Videamus primo occasionem miraculi; deinde ipsam miraculi patrationem. De primo: Occasio miraculi fuit occursus Pythonissæ, Paulum & socios ejus inclamantis. Commemorat autem Lucas tempus occursûs, & ipsam Pythonissam diligenter describit, & clamores ejus repræsentat. Tempus occursûs; *Accidit autem cùm ad precationem iremus;* Significat id præter opinionem Paulo evenisse, cùm inquit, *accidit*: Ne quis puter ancillam illam subornatam, fictumque miraculum fuisse, qualia multa nostro Patrumque ævo jactata fuerunt. Precatio quam Paulus frequentabat à Judæis instituta fuit, & quidem extra oppidum, ut ex collatione vers. 13. apparet. Horam precationi eandem credibile est destinatam fuisse quæ Jerosolymis in jugi sacrificio observabatur, primam puta matutinam, & tertiam vespertinam. Vide Exod. 29. 38. Numer. 28. 2. Nominatur etiam hora precationis nona in Actis cap. 3. ℣. 1. Nihil tamen hîc certi definiri potest. Petrus Act. 10. ℣. 9. horâ sextâ ascendit in solarium orandi causâ. Daniel cap. 6. ℣. 11. ter quotidie adorare Deum consueverat: quod credibile est manè, circa meridiem, & vesperi eum fecisse: ut de se expresse testatur David, Psal. 55. vers. 18. Laudabilis est ille mos quotidianarum & quidem sæpius ex professo susceptarum precum, nobisque imitandus. Psalmo 119. vers. 164. inquit Psalmista se Deum quotidie septies laudare. Ubi tamen definitus numerus pro indefinito ponitur. Illud quoque notandum, Apostolum primosque Christianos haud statim à Judęorum sacris semet sejunxisse. Petrus & Johannes templum frequentabant horâ precationis, Act. 3. 1. Discipuli unanimiter in templo perseverabant. Act. 2. 46. In atrio Salomonis, Act. 5. 12. Vide ibidem quoque ℣. 25. Paulus quocunque venit Judæorum synagogas ingressus est. Damasci Act. 9. 20. Salamine Act. 13. 1. Antiochiæ, ibid ℣. 14. Iconii. 14. 1 Thessalonicæ 17. 2. ubi additur, consuetudinem hanc ejus fuisse. Beroeæ 17. 10. Athenis, ibid ℣. 17. Corinthi 18. 4. Ephesi, cap. 18. 19. Ibidem iterum cap. 19. ℣. 8. Quin idem & dies purificationis obiit, & in templo sacrificavit, idque ex voto, de quo cap. 18. vers. 18. aliosque eodem adhibuit, idque instinctu Jacobi, aliorumque seniorum Ecclesiæ, cap. 21. 24. . . . Hinc etiam fuit quòd Timotheum circumcidit cap. 16. 3. Dandum aliquid interdum est infirmis, nec importuno secessu eorum ædificatio deserenda. Illud adhuc monendum, nonnullos *proseucham* ad quam Paulus profectus sit, de ipso orationis loco, & hîc & sup. vers. 13, interpretari, prout utrobique & Syrus & Arabs verterunt. In qua acceptione vox hæc etiam ipsis Ethnicis innotuerat: ex quibus Juvenalis Sat. 3. *Cœdo ubi consistas, in qua te quæro proseucha?* Samaritis Judæorum æmulis extra urbes fuisse tales narrat Epiphanius, in hæresi Messalianorum. Bonum est, ubi licet, habere loca peculiaria sacris peragendis destinata, ubi plures simul tempore certo conveniant. Neque tamen religio Christiana loco adstricta est. Vide Joh. 4. 23, 24.

Pythonissa describitur primùm à conditione atque sexu quòd *ancilla* fuerit. Muliebris sexus superstitiosior, affectibus vehementibus deditus, cui tamen vires desunt, magis credulus, & incautus, eoque Diaboli fraudibus opportunior, & ad illius artes proclivior, quod experientia docet. Saul fœminam quæ Pythonis Spiritum haberet quæri jussit, quam & Endori invenit. 1 Sam. 28. 7. Manasses 2 Reg. 21. 6. Pythonissas instituisse dicitur. Malitia hujus fœminæ notatur quod *habuerit Spiritum Pythonis.* Python dicitur fuisse serpens, nomen habens vel Græce à putredine, ex qua natus fuit, vel ab Hebræo Pethen: quem Apollo sagittis interfecisse perhibetur, qui inde dictus Pythius, cujusque templum celebre fuit in urbe Phocidis Python, quæ & Delphi. Apollini autem Ethnici futurorum prædictiones assignarunt. Quin & spiritus ipse fatidicus ex hominibus responsa dans consultentibus, Python dicitur. Hebraice Ob ab utre, quod ex ventre tumido loqueretur. Unde etiam tales ἐγγαστρίμυθοι dicuntur. Insita mortalibus curiositas futura sciendi: cui sæpenumero prudente causarum sive in natura sive in vita civili observatione, satisfacere licet. Quin & Deus ipse per oracula prophetasque multa hominibus aperire dignatus est. Ejus simia Diabolus idem variis modis tentavit, quo & curiositati humanæ satisfaceret, & sibi authoritatem conciliaret. Hinc apud veteres tot oracula, augures, auspices, somniorum interpretes, arioli, variaque magorum genera, & nostro ævo Cingari, sagæ, κοσκινομαντεῖς. Nos verò sciamus nobis omnia ista interdicta. Vide Levit. 19, 26, 31. & xx. 27. Deut. 18. ℣. 10, 11. Esa. 8. 19. Additur hanc ancillam *magnum quæstum Dominis suis attulisse.* Id facile credibile est. Videmus quid & hodie circa talia fiat. Magni sæpenumero interest ad statum hominum recte instituendum scire rerum dubiarum exitus. Quin lucri ex divinationibus magnitudo, in causa quoque fuisse videtur, ut non unius hæc esset ancilla Domini, sed plurium, qui lucrum dividerent, confer cum ℣. 19. Delphici templi opes ex hoc quæstu apud Antiquos celebrantur. Clamores Pythonissæ ita repræsentat Lucas, ut dicat illam prosequutam his verbis inclamasse, *Isti homines servi sunt Dei altissimi qui nobis viam salutis annunciant.* Quæritur meritò quî factum sit ut dæmonis ministra tam honorificum Paulo ejusque sociis testimonium perhibuerit? Annon videri possit Satanas hoc ratione regnum suum destruxisse, quod tamen non est credibile eum voluisse. Confer Matth. 12. 26. Sed cogitemus, eum etiamsi in Angelum se lucis transformet, ut loquitur Paulus, 2 Cor. xi. 4. Mores tamen non mutare. Possunt autem causæ excogitari variæ, cur id factum sit. Nonnulli putant coactum a Deo dæmonem invitum ut veritati testimonium perhiberet. Sed id haud est verisimile, cùm Paulus ea re doluisse postea legatur. Fecit ergo id dæmon volens: sive quod adulari Paulo, ejusque gratiam venari voluerit, ut ne ab eodem expelleretur: sive quòd verum dicendo authoritatem sibi conciliare voluerit: sive quod suspectum apud bonos Pauli sermonem reddere voluerit, ut qui cum ipso colludere videretur: sive quod speraret se Paulo post admissum ab eo tam honorificum ut credibile erat testimonium, tanto speciosius detrahere posse: seu denique quòd

irri

irritato hac ratione Paulo ſperaret ſe occaſionem concitandæ in illum plebis adepturum, quod ultimum eventus ipſe comprobavit. Nos interea teſtimonium tanquam ab hoſte profectum æſtimemus, credamuſque Paulum ejuſque ſocios, fuiſſe Dei altiſſimi ſervos, qui viam ſalutis annunciaverint, eandemque ſcriptis ſuis ad nos tranſmiſerint, ac proinde eam viam inſiſtamus atque teramus. Magna eſt Dei bonitas ultro nos ad ſeſe invitantis, legatoſque ſuos eo fine ad nos mittentis, ut nobis viam deſignarent eamque & verbis & exemplo ſuo oſtenderent, quam ipſam alioquin noſtro Marte nunquam inveniſſemus. Ne repudiemus oblatam felicitatem, neque noſtræ ipſorum adverſemur ſaluti. Addit Lucas ancillam hanc per dies aliquot idem factitaſſe. Unde apparet dæmonis in propoſito pertinacia. Porrò ſimile teſtimonium Chriſto à dæmone eſt perhibitum. Vide Mar. 1. 25. Luc. 4. 34, 41.

De ſecundo. Ubi de miraculo ipſo, ac primò quidem quid Paulus fecerit, deinde quid ſequutum ſit. Paulum verò id quod à dæmone fiebat, habebat peſſime. Cauſa ægritudinis Paulinæ ut credibile eſt, eadem fuit quæ dæmonem ut negotium illi faceſſeret, movit. Quæri poteſt; cur ergo dæmonem prius ac potiùs ſtatim non expulit? Reſponderi poteſt, ab initio quidem id eum contemſiſſe. Deinde non ſemper fortaſſe in poteſtate Apoſtolorum fuit miraculorum editio, ſed exſpectanda fuit Chriſti indulgentia, temporiſque opportunitas. Dilatum autem à Chriſto miraculum fuiſſe videtur, tum ut innoteſceret tanto magis hoc dæmonis de ſe teſtimonium, tum ut ipſum miraculum tanto eſſet inſignius. Poterat hoc & ad excuſationem Pauli facere, quòd nonniſi diuturnâ moleſtia fatigatus, lucrum quod ex ancilla heri ejus faciebant exſtinxerit. *Convertebat ſeſe* ut pote ad ſequentem, prout ante dictum fuit, *& dicebat ſpiritui, Præcipio tibi in nomine Jeſu Chriſti, ut ab illa exeas.* Magna res quòd homo mortalis immortali dæmoni imperabat. Videmus quantum eo nomine lætati ſint diſcipuli, Luc. 10. 17. Quando autem inquit, *In nomine Jeſu Chriſti*, perinde eſt ac ſi diceret, ea authoritate quam Dominus Jeſus in te, & ego ab illo habeo. Nota quòd Dominus Jeſus in perpetratione miraculorum ne Patris quidem ſui nomen, à quo tamen omnem poteſtatem, ut ipſe fatetur Joh. 5. 19, habebat, ejuſque nomine ſe opera ſua facere ait Joh. 10. 25, allegat, ſed ſimpliciter quid fieri velit præcipiat. Apoſtoli verò rarò quid perpetrant quin addant, in nomine Domini Jeſu ſeſe id facere. Id argumento eſt, authoritatem operum majorem in Domino Jeſu quam in illis fuiſſe. Cauſa dæmonis hujus expulſi præter illam generalem, ut deſtruerentur opera Diaboli, ut obſeſſis miſeris ſuccurreretur, ut veritas euangelica miraculo confirmaretur, hîc ſingularis eſſe potuit, quòd noluerit Dominus Jeſus veritatis teſtimonium à ſpiritu mendaci accipere, quòd noluerit cum impuro illo amicitiæ ſocietatem habere. Etiam Mar. 1. 25 & 34. Luc. 4. 35, 41, Dominus Jeſus dæmones quos expulit loqui vetat, ſed cauſa allegatur, quòd ipſum Chriſtum eſſe noſſent, quod tunc temporis nondum Dominus volebat innoteſcere. * * *

Rom. 12. 20.

PRæceptum hoc antecedenti cognatum eſt, & quodammodo ex eo deducitur, ut ex particula ratiocinativa apparet. Sumtum eſt ex Prov. Salomonis, cap. 25. 21. Eo docemur quomodo nos erga inimicos gerere debeamus, & ratio ſubjungitur quæ nos moveat ut præcepto pareamus. Atque ita duæ ſunt loci partes.

Primò præceptum ipſum ut *inimicum eſurientem cibemus, ſitientem potionemus.* Per inimicos hîc intelliguntur, non quos ipſimet odio proſequamur: nec enim nobis odiſſe quenquam licet, ne inimicos quidem, Mat. 5. 44; ſed qui nos odio proſequuntur, hoſtilibuſq; injuriis cauſam nobis dederunt ut illos odiſſemus, niſi interdictum Domini obſtaret. Quanquam enim Chriſtianus pacem cum omnibus colere debeat; ſunt tamen quidam ita pertinaces, aut maligni, ut & nulla de cauſa odium in innoxios concipiant, Pſ. 35. 7: 65. 9: 109. 3: 119. 161. Quin & hoc addo, inimicos hîc nullo nationis diſcrimine intelligendos, quod alioquin in Lege obtinebat. Lex enim utut beneficia quædam ejuſdem gentis inimicis tribui jubebat, Exod. 23. 4. collato cum Deut. 22. 1. Levit. 19. 16, 17, 18. Eadem tamen vetat ullum exhibere beneficium ſeptem populis Deut. 7. 2. quibus & Amalecitæ adduntur, Deut. 25. 17. & Ammonitæ atque Moabitæ Deut. 23. 6. Sublatus enim eſt per Chriſti crucem paries intermedius qui gentes antea diſtinguebat. Atque ita patet præceptum hoc latius apud Paulum noſtrum quàm apud Salomonem patere. Hos ergo tales inquit, ſi eſuriant, cibandos, ſi ſitiant, potionandos. Per cibum & potum intelliguntur omnis generis ſubſidia quibus inimicus noſter indigere poteſt, quæque nos illi præſtare poſſimus, v. g. veſtes, hoſpitium, conſilium, vel auxilium, in morbo, aut periculo, vel vitæ vel fortunarum, vel honoris. Voluit autem iſta duo beneficia in ſpecie nominare, quòd & maxime ſint neceſſaria, & in promtu ſita. Intelligendum autem eſt, hanc in inimicos beneficentiam, pro modo quum indigentiæ eorum, tum facultatum noſtrarum, temperandam, atque exercendam: ut aliis quibus aut æque aut magis etiam obſtricti ſimus, quod illis debitum eſt non decedat. Quid enim ſi inimicus noſter indigentiam ſuam malitia aut pigritiâ foveat? quidſi de induſtria noſtræ liberalitati gravis ſit, aut etiam amplius exigat quàm præſtare poſſimus? quidſi illud quod ſanguine aut Spiritu junctis nobis neceſſario debemus, ille petat? Hîc quippe ratio ipſa docet, liberalitatis hujus vim ceſſare. Inquit noſter Apoſtolus 2 Theſ. 3. 10 *Qui non vult laborare, nec manducet.* Et impoſſibilium nulla eſt obligatio. Ipſe quoque Apoſtolus, benevolentiæ gradus ſuos permittit. 1 Tim. 5. 8. Gal. 6. verſ. 10. Poſſet hîc objici; interdictum nobis *ne cibum capiamus cum ſcortatoribus, avaris, idololatris* &c. *qui fratres vocantur.* 1. Cor. 5. 11. Item 2. Joh. ℣. 11. vetatur ne electa illa Domina, eos qui hanc quam ipſe propoſuit doctrinam, non afferant, domo recipiat, nec ſalutet. Poſſunt autem inimici noſtri alicui iſtorum eſſe affines. Ad hoc reſpondetur: Si ita contingat, ut iidem & vitiorum iſtorum ſint rei, & inimici noſtri, Chriſtiana prudentia ita rem temperandam, ut utrique tamen præcepto, ſi non κατὰ ῥητὸν, ſaltem κατὰ διάνοιαν ſatiſfiat. Vetamur cibum cum facinoroſis fratribus capere, ſed non vetamur tamen iiſdem in extrema neceſſitate cibum præbere. Satiſfiat ergo neceſſitati, & vitetur tamen familiaritas, quò pudefiat alter, & ad frugem reducatur. Ita & in recipiendo eo qui doctrinam Johanni adverſam attulerit, caveri poterit ne operum illius malorum participes reddamur: ſi nec familiariter eum recipiamus, nec niſi neceſſitatis reſpectu compulſi, & de diſſenſu noſtro palàm proteſtemur. Expendamus hanc religionis ſanctitatem atque perfectionem: a qua quàm longe abſunt plerique, etiam eorum qui tamen Chriſtiani audire volunt? inter quos tantum abeſt ut inimicis benefiat, ut ne quidem ſatis honeſtum habeatur illis non malefacere. Nos verò cogitemus illud Servatoris noſtri, Matth. 5. 43.

Videamus jam & rationem adjectam, *Hoc enim ſi feceris, carbones ignis congregabis in caput ejus.* Diſputant eruditi quid hoc in loco per carbones ignis intelligatur, & pro varietate ſententiarum loci ſenſus variatur. In duas tamen ſententias ferè abeunt: alii enim per carbones ignis intelligunt pœnas graviſſimas quibus obruantur, qui ne beneficiis quidem emolliti ab inimicitiis aut injuriis deſiſtunt. Obſtat tamen huic explicationi quòd non ſatis conveniat pietati Chriſtianorum ut iſta ratione ad benefaciendum adducantur, quò tantò graviores pœnas inimicis accerſant. Quocirca alii putant id potiùs ſignificari, futurum ut beneficentiâ noſtrâ animos inimicorum conſcientiamque commoveamus, ut eos malitiæ ſuæ pudeat: vel etiam ut emolliamus ac veluti liquefaciamus animos eorum, atque ita ab injuriis illos ita

ita retrahentes, ad amandos nos incendamus. Poſſet fortaſſe utraque ſententia conjungi, & poſteriori indicato fini primo eſſe locum. Neque enim adeo abſurdum videri debet, ea ratione Chriſtianos ad beneficentiam erga inimicos moveri, quòd eorum pœna hac ratione ſit augenda. Nam & antecedens præceptum ſimili ferme argumento confirmatur, quo affectui humano vindictæ appetenti nonnihil indulgeatur. Sed ea tamen in Deum rejicitur: qui ſi eam in pertinaciter injurios tandem exercere velit, quis id pius ægre ferat, &c.

1 *Cor.* 3. *verſ.* 10 *ad* 16.

IN his verbis Apoſtolus, conſtituto inter ſe & cæteros Corinthios doctores diſcrimine, eoſdem monet, ut ſingulari, in iſto munere ſuo fide ac diligentia utantur. Primum autem rem univerſam proponit, deinde eandem confirmat, ac fortius urget. Proponit ℣ſ. 10. confirmat atque urget reliquis. Quod ad prius attinet, Primum diſcrimen illud inter ſe & cæteros doctores exprimit, deinde admonitionem illam, quam diximus ſubjungit. Diſcrimen iſtud, in illis continetur verbis *Secundum gratiam Dei quæ data eſt mihi, ut ſapiens architectus fundamentum poſui, alius autem ſuperædificat.* Ubi cernimus primum Apoſtolum id exprimere, quod ſibi eſſet proprium, deinde id quod aliorum Corinthiæ eccleſiæ doctorum. Proprium ipſius erat, quòd *ſecundum gratiam Dei, quæ data* ipſi fuerat, ut ſapiens architectus fundamentum poſuerit, & res quidem ipſa, in qua diſcrimen iſtud proprie conſtituitur, conſiſtit in collocatione fundamenti. Illa autem, quæ præmittuntur verba, ad hujus rei illuſtrationem pertinent. Continent enim cauſas rei, quam ſibi uni aſſerit, atque vindicat Apoſtolus. Incipit autem à cauſa prima atque ſuprema, quæ eſt gratia Dei. Dicturus autem aliquid Apoſtolus, quod ad ſuam commendationem pertineret, quam modeſtiſſimè ad rem accedit, & cauſam atque originem rei, totam ad Deum refert, & ipſius benignitati ita tranſcribit, ne quid ſibi ipſi gloriæ inde videatur decerpere. Poſſumus autem per Gratiam Dei, vel ipſammet Dei benevolentiam, favoremque gratuitum, atque adeò benignitatem intelligere. Vel ſatis uſitata in Sacris Literis metonymia, beneficium, ſeu bonum ex gratia Dei manans. Huic poſteriori interpretioni, faveret verbum *Data eſt.* Etenim non ipſa Dei gratia & benignitas cuiquam datur homini; ſed illius tantum effectum. Quodſi tamen proprietatem vocis gratiæ ſervare velis, neceſſe erit, ut in voce Dandi metalepſin agnoſcas, & intelligas eatenus datam eſſe divinam benignitatem Apoſtolo, eive obtigiſſe, quatenus ejus beneficentiæ fructus atque effectum, ſeu beneficium, ipſi obtigiſſet. Res eodem recidit, ſive hoc, ſive illo modo, verba interpreteris. *Secundum gratiam* autem eſt id, quod nos Latinè diceremus Pro gratia. Cauſam enim efficientem, illa particula Secundum: ita ſignificat ut ſimul conſenſum & convenientiam quandam indicet effectus cum cauſa, quæ ſubjungitur. Non ſemel autem Apoſtolus, tum ipſum munus Apoſtolicum, quo fungebatur, tum adjumenta ad id neceſſaria, hoc eſt ſapientiam, ſeu rerum ad religionem pertinentium ſcientiam, virtutemque patrandi miracula, & facultatem doctrinam Chriſti confirmandi, atque adeo omnia rerum harum effecta, & laborum ſuorum fructus, divinæ gratiæ imputat. Vide inter alia, Rom. 1. 5. & cap. 15, 15. Hac ipſa epiſtola 1 Cor. 15. 10. ubi aliquanto etiam fuſius ea de re agit, & quam indignus fierit tam præſtanti munere docet. ℣ſ. 8. & 9. Adde Gal. 2. 9. Epheſ. 3. 7, 8. & ne alia commemoremus 1 Tim. 1. 12 & ſeq. Imitandum eſt hoc nobis omnibus modeſtiæ exemplum, Quoties enim in mentem nobis veniunt, vel dona quibus à Deo ſumus ornati, vel res eorum adjumento à nobis perfectæ & præclare ſive in eccleſia, ſive alibi geſtæ, ſimul etiam in mentem venire debet, divina, unde hæc omnia profluxerunt benignitas, quoties etiam id nobis commemorandum venit, quod ad laudem noſtram pertinere poſſit, modeſtiæ memores, ita id exprimere debemus, ut id totum, ad divinam gratiam referamus, & ipſius benignitati, quidquid vel nobis, vel per nos aliis contigit, bonum adſcribamus. Quoties etiam opus aliquod aggredimur, meminerimus ad divinam benignitatem confugere, & à Deo rei fœliciter conficiendæ facultatem petamus, certi nos nunquam eſſe imbecilliores, ac lapſui propiores, quàm cum viribus noſtris confidere, & ingenio noſtro, pluſculum tribuere incipimus, nec agnoſcimus, divino nos auxilio vehementer indigere. Solet enim Deus eos, qui ſe non ſatis agnoſcunt, ſibi permittere, ſuumque illis auxilium ſubtrahere, ut ſeſe agnoſcant, & ſine ipſius ope, nihil poſſe, diſcant.

Expreſſa prima ſupremaque rei, quam ſibi in his verbis aſſerit Apoſtolis cauſa, ſubjungit aliam propiorem, à priori illa pendentem, cum ait. *Ut ſapiens architectus* hoc eſt, ut peritus architectus. Vox enim ſapientiæ, ita hoc loco accipienda, ut etiam opificibus accommodari poſſit, ex uſitata apud Græcos loquendi conſuetudine, qui ſapientem v. g. ſtatuarium, aut pictorem, aut architectum vocant eum, qui artis ſuæ benè eſt gnarus ac peritus; quamquam interim ſapientia, quam ſibi in his verbis revera tribuit, haud quaquam vulgaris fuit & opificibus etiam communis, ſed prorſus divina ac cœleſtis, Apoſtolo cum paucis aliis communis. Etſi autem particula *Ut* poſſit hoc loco ita à quopiam accipi, acſi meram tantum ſimilitudinem ſignificaret, quaſi dicat Apoſtolus Ego ut architecti ſapientes ac periti facere ſolent, fundamentum poſui; tamen veriſimilius eſt, perinde eam voculam eſſe accipiendam, acſi dixiſſet, utpote peritus architectus. Vel prout conveniebat mihi, utpote ſapienti architecto; quo ſenſu admiſſo, Apoſtolus ſeſe & architectum & ſapientem quidem architectum appellat; architectum quidem quia ad conſtruendam Dei domum ſeu templum, hoc eſt eccleſiam, ubivis terrarum conſtituendam, à Deo Chriſtoque fuerat electus, ac miſſus. Metaphoræ quæ voci ſubeſt, ratio, unicuique facilè patet. Sapientem autem & peritum architectum, ſe eſſe affirmat, quia ſingularum rerum divinarum ad eccleſiam conſtituendam ſpectantium ſcientia, & eximia quadam peritia, cui & prudentiam adjungere licet, fuerat donatus; unde diſcimus modeſtiæ, cujus exemplar quoddam fuit Apoſtolus, & cujus documentum, proximè precedentibus verbis vidimus, haudquaquam repugnare, agnoſcere dona, divinitus in ſe collocata, eaque cum neceſſitas poſtulat, ita commemorare, ut eorum laudem Deo adſcribas. Nam, quod ad agnitionem eorum attinet, ea ideò aliquo pacto eſt neceſſaria, ne non agnita veluti ſitu obducantur, eorumque fructus pereat: quia fieri vix poteſt, ut quod te habere neſcis, eo utaris, aut id aggrediaris, ad quod te non ſatis inſtructum eſſe arbitreris. Quare, ut rectè colloces talentum, à Deo acceptum, fœnorique exponas, id te habere, fideique tuæ concreditum eſſe, agnoſcere debes. Sed cavendum interea eſt, ne cum id tibi tribuis, quod habes, ſimul etiam id tribuas, quod non habes. Itaque ſi verendum ſit, ne fortè mediocritatem ſervare poſſis, ſatius eſt te infra eam ſubſiſtere, quam eam ſupergredi. Etenim damnum illud, quod ex ignoratione tui, aut donorum divinitus tibi conceſſorum, fuerat metuendum, primum compenſabit neceſſitas, deinde aliorum qui illa dona in te agnoſcent, ſermones ac monita. Quas verò dotes in te non agnoſces, vel non ſatis agnoſces, in te deprehendent alii, eaque ſitu obſoleſcere ac hebeſcere, non patientur. Ipſa quoque neceſſitas, ſæpius te impellet, ut id aggrediaris, ad quod te, non ſatis aptum eſſe putes, cum neminem te videas aptiorem, ipſumque divinæ gloriæ, humanæ ſaluti conſulendi ſtudium efficiet, ut viribus tibi à Deo conceſſis utaris, ipſeque metus induſtriam excitabit, ac diligentiam acuet. Quod verò ad commemorationem attinet eorum quæ nobis à Deo conceſſa ſunt bonorum, ea non ſponte quæſita, ſed

sed ipsa necessitate expressa esse debet, & ea quidem necessitate, quæ ad divini nominis gloriam, aliorumque hominum salutem referatur, qualis ea est, cum cernis, autoritate ea labefactata, facilè aliorum fidem ac salutem nutare posse, idque agere homines malevolos, ut fama tui in suspicionem adducta, simul etiam sinceritatem convellant illius doctrinæ, quam tu aliis tradideras, ac commendaveras, id quod olim accidebat Apostolo, cum hæc ad Corint. scriberet. Non deerant enim apud Corinthios homines malevoli, qui Pauli apud Corinthios autoritatem convellere, eumque in contemtum apud eos adducere conarentur, idque agerent, ut Apostolo quodammodo excluso, ipsi vacua in aula regnarent, & sua commenta Corinthiis obtruderent, presertim cum eloquentiæ viribus uterentur, & sapientiam quandam spiritualem præseferrent. Objiciebant autem Apostolo, quòd nihil sublime, nihil quod eximiam quandam sapientiam redoleret Corinthiis tradidisset, sed prima Christianæ religionis elementa, & quod sine verborum cultu & orationis calamistris proposuisset, id illi ruditati Apostoli imputabant, quasi quæ Corinthios non docuisset, ea ipsemet ignoraret. Itaque Apostolus cum salutem ipsorum Corinthiorum in sua auctoritate agi cerneret, eam sibi censuit asserendam, & id quod vitio ipsi datum fuerat, in laudem potius ac commendationem suam convertit, quodque ruditati ipsius ac inscitiæ adscribebatur, id sapientiæ potius, ac peritiæ tribuendum esse docet. Periti enim architecti est primo omnium ac diligentissimè in collocando ædificii fundamento elaborare, idque quam validissime ponere, ac munire, non verò, ima parte ædium utcumque posita, ad fastigium properare, cum fundamento non probè jacto, cætera quæ superstruuntur, facilè collabantur, & sæpe longè plus in eo negotii est, ut fundamentum rectè collocetur, quam ut reliqua construantur, & ad suum fastigium opus perducatur, id quod sanè de collocatione fundamenti Ecclesiæ omnino statuendum est. Plus enim in eo operæ est, ut homines religionis Christianæ prorsus ignari atque expertes, ad Christum ejusque religionem amplectendam adducantur, & prima doctrinæ illius elementa imbibant, atque animis firmiter comprehendant, quàm ut jam Christiani effecti, ac religionis hujus rudimentis instructi, ad sublimiora ejusdem mysteria discenda, paulatim deducantur. Quibus ita explicatis, vix quidquam restat ad rem ipsam, cujus causas, ab Apostolo expressas jam vidimus, explicandam. Ea verò est, quòd Apostolus ait se fundamentum posuisse, fundamentum inquam religionis Christianæ, simul & Ecclesiæ Corint. ad hanc enim respicit, ut ex prædictis verbis patet ubi ait: *Dei ædificium estis.* Fundamento enim religionis Christianæ, in animis hominum plurium facto, simul jactum est & Ecclesiæ fundamentum, quæ cœtus est hominum, religionem Christi sinceram, seu salutarem ipsius doctrinam profitentium. Itaque licèt ex sequentibus satis apparet, fundamentum hic quodammodo opponi, aliis dogmatibus, quæ illi superstruuntur, atque adeo etiam, fundamentum, in certo quodam doctrinæ genere consistere, nihilominus tamen ipsius quoque Ecclesiæ fundamentum, id est de quo loquitur Apostolus, quia ut dictum est, ipsi etiam homines, eatenus ædificantur, ut domus Dei evadant, quatenus doctrina religionis imbuuntur, & tum quidem Ecclesiæ fundamentum collocatur, cum illi primis Christianæ religionis initiis imbuuntur, ad fastigium postea perducitur Ecclesia, cum ad mysteriorum abstrusissimorum in eadem religione comprehensorum, notitiam instituitur. Quodnam verò illud sit fundamentum, ipsemet in sequentis versiculi initio docebit Apostolus, ut nihil sit necesse à nobis explicari. Ponebat autem id fundamentum Apostolus, primum docendo, tum ea quæ docebat, validè confirmando. Postquam jam vidimus, quid Apostoli fuerit proprium, sequitur etiam videamus, quid aliis doctoribus conveniat, quod quidem ad Ecclesiæ constructionem spectat; id verò exprimitur ab Apostolo cum ait, *Alius autem superædificat*, &c. Cum singulari numero utitur, *Alius*, non unum aliquem doctorem designat, sed quemvis alium doctorem, qui sibi in Corinth. Ecclesia successerit, & in ea jam per Apostolum constituta, docendi munere functus fuerit, quod satis indicant sequentia, ubi ait, *Unusquisque autem videat, quomodo superædificat*, &c. Hujus modi enim oratio locum non habet, ubi de uno tantum aliquo sermo est; id ostendunt & cætera, præsertim quæ habentur ℣. 13 & seq. Superædificare autem est aliquid adhuc, ad doctrinam Apostolicam, quæ salutis nostræ ratio revera continetur adjicere, & scientiam eorum, qui Christianam religionem jam amplexi fuerant, augere, & hoc solùm olim, doctores illi Corinthiorum quos notat Apostolus, ibi præstabant, præstareque poterant. Id etiam ferè solum, hodiè præstant ii, qui Ecclesiam docent: quanquam aliquid etiam operæ, in constituendis Ecclesiæ fundamentis, & ut ita dicam restituendis & restaurandis, insumunt, dum vel eos, qui à Christiana religione sunt adhuc alieni, ad eam amplectendā adducunt, vel eos qui in rebus ad salutem necessariis adhuc erraverant, utut Christi nomen ac religionem fuerant professi, rectiùs instituunt, & ab erroribus pestiferis, plane liberant. Verùm, quia quidquid illi de rebus ad religionem Christianam pertinentibus docent, id autoritate Apostoli nititur, & argumenta, quibus Christiana religio hodie confirmatur, iis superstruuntur fundamentis, quæ olim sunt ab Apostolis jacta, idcò jure dici potest, illos, tantum superstruere. Adeò enim validè sunt olim jacta, ab Apostolis, religionis Christianæ fundamenta, ut jure possint ea ad hodiernum usque diem durare, & perpetuò duratura esse, quandoquidem stupendis Apostolorum miraculis, aliisque rebus quibus doctrinam suam confirmarunt, adeò alte ea animis hominum impresserunt, ut etiamsi ejus notitia, densis admodum tenebris fuerit involuta, penitùs tamen exstingui, aut ex animis hominum evelli non potuerit: sed exstinctis pristinis illis religionibus, quarum ortus ad Deum referri non poterat, ipsa adhunc usque diem perstitit, & aliquam etiam apud illos populos, qui ab illa olim desciverunt, autoritatem retinet; interim tamen, si spectetur restauratio Ecclesiæ per se, & doctores hodierni, non cum antiquis, ac imprimis cum Apostolis, sed inter se conferantur, jure dici potest, alios fundamētum Ecclesiæ, hic aut illic ponere, alios superædificare.

Posito discrimine, quid inter Apostolum ipsum & cæteros Ecclesiæ Corinthiæ doctores interesset, admonitionem illam, de qua supra diximus subjungit, dum ait: *Unusquisque autem videat, quomodo superædificet*, &c. Ubi quidem id velle Apostolum quivis cernit, ut omnes illi, qui post ipsum Corinthios docere essent conati, summam ea in re fidem ac diligentiam adhibeant, ac diligenter sibi caveant, ne quid doceant à fundamento antea facto alienum. Dicit autem *unusquisque*, ne quis se fortè exceptum putet, & nimia sui opinione forte fascinatus existimet se errare hac in re vel non posse, vel non facilè posse, nec multum sibi in eo ponendum esse industriæ, ut errorem, aut lapsum effugiat. *Videat* inquit, hoc est, diligenter attendat, atque animum advertat, *Quomodo superædificet*, hoc est cujusmodi doctrinas adjiciat, illis, quæ sunt jam antea fidelibus à me traditæ & fundamenti instar, collocatæ, an nimirum sint fundamento illi consentaneæ necne, utilesne ad pietatem, an verò minus. Quadere insequentibus plura, ubi dogmatum illorum quæ fundamento religionis Christianæ, ab Apostolis jacto superstruuntur discrimen videbimus expresse. Illud autem facile quivis per se animadvertit, dum Apostolus attentionem requirit in illis qui superædificent, & diligenter expendi ab illis vult, cujusmodi sint ea dogmata quæ credentibus proponant, simul etiam ejus attentionis effectum velle inclusum, nempe ut caveant, ne quid falsi aut noxii tradant; imò & inutilia, ac parum frugifera vitent; contra verò id agant, ut quæ non modò vera, sed & utilia sunt proponant. Quid hinc depromi possit, vel ad docendos, vel ad admonendos auditores, eos imprimis, qui aliis docendis sunt præfecti, facilè est cernere. Itaque immorari non libet.

Progrediamur, ad confirmationem & illustrationem

eorum, quæ hucusque ab Apostolo, proposita vidimus. Cum verò duo illorum capita esse vidimus, horum etiam, quæ sequuntur ad illorum confirmationem pertinentia, duo sunt capita. Primùm enim, confirmat Apostolus discrimen inter se & alios Corinthios doctores constitutum ỷ. 10. Deinde admonitionem, quam discrimini illi subjecerat, rationibus subjectis firmat. Discrimen ergo illud, ea ratione comprobat, cum ait. *Fundamentum enim aliud, nemo potest ponere, præter positum, quod est Jesus Christus*, &c. ubi quædam tacita continetur objectionis occupatio. Cum enim Apostolus antea illud inter se & alios doctores discrimen constitueret, quòd ipse fundamentum jecerit, alii superædificent, satis eo ipso indicans, se aliis fundamenti jacti laudem, non tribuere. Objicere quispiam ex illis doctoribus paulò arrogantior potuisset. Quid? Tune tibi soli, fundamenti positi gloriam arrogas? Nobis ne tu hanc laudem penitùs adimis, nec ullam in ea partem, nobis relinquis? & nos nobis partem aliquam in tam præclaro opere, jure vindicamus, qui docuimus v.gr. Mosen quoque esse sequendum, & ceremonias illius observandas. Respondet Apostolus. Frustra alios hujus gloriæ partem decerpere, ac sibi asserere. A se enim collocatum esse, in Corinthia nempe Ecclesia illud fundamentum, præter quod nullum sit aliud, videlicet Jesum Christum; Itaque cæteris, nihil aliud fuisse relictum, quàm ut super fundamento illo, alia dogmata exstruerent. Quod si quis aliud aliquod fundamentum conetur jacere, illud falsum ac suppositicium esse. Fundamenti nomine, hoc loco Paulus, doctrinam intelligit illam, sine qua fides ac pietas, atque adeò ipsa salus, consistere non potest, seu illa religionis ac pietatis rudimenta, sine quibus Christianum nomen, nemo verè tueri potest. Opponit enim hoc fundamentum, aliis quæ superstruuntur dogmatis, non quidem ad salutem cognitu prorsus necessariis, sed tamen utilibus, quanquam & inutilibus, idque multò magis, opponit. Non est autem credibile, illum unum tantùm aliquod dogma, seu unum ut vocant fidei articulum, fundamenti nomine intelligere. Neque enim Apostolus unum tantum aliquem fidei articulum Corinthiis tradiderat, aut tradere debuerat, sed omnia sine quibus salus eorum consistere non posset. Apostolorum erat, ex Christi mandato, discipulos facere, baptisando illos in nomen patris filii & Spiritus sancti, & docendo illos servare omnia, quæ ipse illis præcepisset. Hoc ergo & Apostolo Paulo incumbebat; illa verò non uno fidei articulo sed multis comprehenduntur, continentque in se omnia, quæcumque sunt ad salutem prorsus necessaria. Ex quo intelligitur, quomodo intelligenda sint illa verba, quibus Apostolus explicat, quodnam sit illud fundamentum, cum ait, *Quod est Jesus ille Christus*. Satis enim apparet, non personam ipsam Christi intelligi (quomodo enim hæc à Paulo, vel à quovis aliò doctore collocari poterat) neque etiam id solùm, quòd Jesus sit ille Christus, quanquam hoc primo omnium istis verbis includitur, atque intelligitur; sed vel Jesu illius Christi nomine per metonymiam causæ efficientis intelligitur doctrina Christi, quemadmodum Mosis nomine, legem intelligere solemus, quod inter alia fit 2 Cor. 3. 15 vel quod magis mihi probatur, quanquam videri potest, propè idem, doctrina de Christo & ea quidem maxime parte, quâ Christus est, quæ metonymia potius est objecti, scilicet materiæ. Etenim quominus simpliciter per Jesum Christum, intelligamus doctrinam per Christum traditam, illud videtur obstare, quòd doctrina Christi, omnia in se complectatur, quæcunque sunt à Christo tradita, maxima, minima, ad salutem prorsus necessaria, non necessaria sed utilia tantùm. Hoc autem loco Apostolus Jesum illum Christum, quem fundamentum esse dicit, doctrinis aliquanto sublimioribus, & ad salutem utilibus tantum, non necessariis, opponit. Adde, quod perire omnino videatur vis articuli, quem Apostolus nomini Χριστὸς voci Jesus postposito præfigit. Quare verisimilius est hoc loco, doctrinam de Jesu Christo, & quidem, quatenus Christus est, intelligi. Doctrinæ autem hujus nomen complectitur non tantum primum illud fidei Christianæ caput, quòd Jesus sit Christus, seu rex cælestis, à Deo constitutus, sed etiam cætera, quæ cum eo ita sunt conjuncta, ut sine illis, nec satis intelligi queat, nec fides ei plena possit adhiberi. Ea verò sunt ipsius divinissima promissa ac præcepta. Etenim cum ejusmodi Messiam, seu Christum Deus olim promiserit, qui novum cum hominibus fœdus, esset facturus, & novis atque inusitatis promissis allatis, quibus nova quoque præcepta adjungi par erat, insigni populum Judaicum esset auctorus fœlicitate. Promissis illis ac præceptis non agnitis, non satis agnoscitur Jesus pro Christo. Quare doctrina, qua docetur, primùm Jesum esse Christum: deinde, quænam promissa attulerit; quænam item præcepta illis adjunxerit, recte à nobis Jesu Christi nomine hic intelligitur, & fundamentum constituitur, quod Apostolus aliquando ipse posuerit. Satis enim jam antea vidimus Apostolorum munus omnino fuisse, hominibus persuadere, Jesum esse Christum, & ejus tum promissa insignia, tum præcepta, tradere, atque illa quidem speranda, hæc verò servanda proponere.

Ex his intelligitur, quid primò ac præcipuè populo Christiano sit inculcandum, & in Ecclesia, maxime urgendum. Id nimirum quod & Apostoli primò omnium urserunt: ubi fundamentum hoc probè jactum fuerit, tum demum ad altiora progrediendum est. Sed ita tamen, ne dum altiora petimus, illa quæ sunt maximè necessaria negligere incipiamus. Vide eadem de re supra cap. 3. ỷ. 2, & Heb. 5. ỷ. 12 & seq. Transeundum nunc est, ad alteram confirmationis partem, eam nempe, qua admonitionem extremo ỷ. 10, positam roborat; quæ quidem confirmatio, continetur ỷ. 10, & tribus sequentibus, ubi ostendit, quantum referat, quo quis modo superædificet fundamento à se jacto, fore enim tandem cujusque opus manifestum, & appariturum, utilene sit an inutile, & vel mercedem reportaturum eum qui construxerit, vel operis operæque impensæ jacturam facturum. Hinc enim satis liquet, cuivis dandam esse operam, ut quam optima, quamque præclarissima, super fundamento ab Apostolis jacto, construat, cavendumque ne id fortè super eo collocet, quod probationis ignem sustinere nequeat. Rem autem ita explicat Apostolus, ut primum discrimen inter ea dogmata quæ fundamento à se jacto superexstruantur constituat, Deinde, quis sit utrorumque futurus eventus, effectusque doceat. Discrimen dogmatum explicatur ỷ. 12 cum ait. *Si verò quis superædificat, super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulas*, &c. ubi videmus duo genera poni dogmatum (de dogmatibus enim hic sermonem esse, ex supradictis satis liquet) alterum quod præclarum atque utile, alterum verò futile, atque inane. Illud genus comparat, auro, argento, lapidibus pretiosis, hoc lignis, fœno, stipulæ. Ideo autem dogmata preclara atque utilia auro argento, atque lapidibus pretiosis comparat, primum quidem, quia res illæ omnes, magni in vita communi æstimantur, suntque admodum utiles, partim etiam quia ignis vim sustinere possunt, nec in illum conjectæ consumuntur. Sic enim & dogmata intelligenda sunt, quæ admodum sunt præclara, & ignem illum quo explorabuntur sustinere possunt, non vero ad illum evanescunt: cum contra, ut ligna fœnum stipulæ, res sunt & satis viles, & ignem sustinere nequeunt, sed ad illum, in fumum abeunt. Satis autem intelligi potest, cum Apostolus plura tum rerum pretiosarum, tum vilium genera enumeret, pretio aut vilitate inter se distincta, eum significare in utroque etiam dogmatum genere, differentiam exstare, & ex utilibus alia aliis utiliora ac præstantiora esse, itemque ex futilibus, alia aliis inaniora, ut sanè in reipsa facile cernere licet. Etenim quæ dogmata

ad

ad fundamentum accedunt propius, & plus ad illud, vel confirmandum vel exornandum, atque illuſtrandum afferunt, cæteris ſunt utiliora ac præſtantiora; quæ minus cò faciunt, minus etiam ſunt præſtantia vel utilia, utut cæteroqui ſint fundamento conſentanea. Atque ut breviter rem totam dicamus, quidquid majorem vim habet ad fidem noſtram confirmandam, & ad ſpem immortalis vitæ in animis noſtris, vel excitandam vel fovendam, ad pietatis denique ſtudium in nobis alendum, id inter dogmata utilia, magis etiam eminet; quemadmodum contra inter futilia, vilius ac deterius eſt, quod majorem quandam ad illa convellenda vim habet, ut ut tandem ea non penitus tollat. Namſi tolleret, jam non deberet collocari inter ea, quæ ſuper fundamento illo conſtruantur, de quibus ſolis hic ſermo eſt. Atque ut rem exemplis declaremus, inter utilia dogmata, potius eſt id, quo explicatur qua ratione per mortem Chriſti, nobis peccatorum remiſſio parta, quàm quo oſtenditur Sacrificium Chriſti expiatorium, de quo autor ad Hebr. loquitur, in cœlo potius fuiſſe perfectum quàm in cruce. Utilius etiam eſt ſcire, Poſſe hominem, Dei ope adjutum præceptis ejus parere, quam ſcire, An iſtium ad finem amplectendum, præter verbum divinum, & confirmationes externas ei additas, requiratur interna aliqua Spiritus ſancti efficacia, quam Deus ſimul occulta quadam ratione adhibeat, necne? Ex quibus etiam intelligi poteſt, quid de contrariis dogmatis ſit intelligendum. Quod enim utiliori opponitur, aut ab eo longius recedit, id deterius eſt eo, quod minus utili opponitur, aut ab utilibus, minus longè recedit. Et ut aliis quoque exemplis utamur. Tolerabilior eſt ſententia de precibus pro hominibus defunctis ad Deum fundendis, quam doctrina vulgaris de trinitate. Tolerabilius olim erat, quòd quidam putarent, Baptiſmum pro defunctis ſuſceptum, illis aliqua ratione prodeſſe poſſe, quàm quòd alii judicarent ſibi legem ceremonialem Moſis eſſe ſervandam, ſi ſalvi fieri vellent. Illud adhuc addendum eſt, antequam ab explicatione illorum verborum diſcedamus. Per lapides pretioſos, videri intelligendas eſſe gemmas, non verò illos tantum lapides, aliquanto præſtantiores, qui ad ædificia conſtruenda, adhiberi ſolent, quale eſt marmor, ut nonnulli videntur cenſere. Etenim, non eo videtur reſpicere Apoſtolus, quòd omnia talia, in conſtruendis ædificiis adhibeantur, Nam nec aurum vel argentum, adhiberi ad eam rem ſolet, ut nimirum tanquam partes ædificii fundamento ſuperſtruantur, etſi partes quædam ædificii, auro vel argento inducantur; ſed quia, ſi tanta eſſet cuipiam auri vel argenti copia, natura illorum metallorum ferret, ut ædificium inde conſtrueretur. Idem de gemmis quoque ſtatuendum eſt, præſertim cum tantam earum magnitudinem concipere liceat, quantam libet. Et ſanè in Sacris Literis ædificiorum ejuſmodi imagines proponuntur, quæ ex gemmis quoque conſtent. Eſa. 54. ỷ. 11, 12. Apocal. 21. ỷ. 18, &c. Neque etiam refert, quòd lapides pretioſi, auro & argento poſtponantur, Nam auro poſtponuntur etiam uniones 1 Tim. 2. 9, ubi eorum nomine omnes gemmæ, per ſynecdochen intelliguntur. Ideò autem id fieri videtur, quia aurum & argentum, inter res pretioſas, magis in communi uſu verſantur, & cum pretioſum quidpiam nominare volumus, primò ferè occurrunt. Itaque, non eſt arbitrandum per lapides pretioſos apud Apoſtolum omnino tale dogmatum genus intelligi, quod dignitate illis cedat, quæ auri atque argenti nomine deſignantur. Poſſunt autem gemmæ aliæ quidem auro, ejuſdem nempe magnitudinis ac ponderis præſtare, poſſunt etiam cedere.

Quid porrò ex his Apoſtoli verbis diſcendum ſit, non eſt obſcurum, nempe, Non tantum fugienda eſſe illa dogmata, quæ utilitatem nullam adferunt ad fidem ac pietatem, ac multò magis etiam, ſi illi aliqua ratione ſint noxia; ſed etiam dandam eſſe operam, ut quam utiliſſima populo divino proponamus, & ea magis urgeamus, ac crebrius inculcemus, quæ plus emolumenti afferunt. Non eſt eadem ratio Theologiæ, quæ ſcientiarum illarum, quas theoreticas appellamus, ubi id videtur maximè laudabile, quod non niſi ſummo ingenio comprehendi poteſt. Theologia enim practica eſt, & ad vitam, non ad eruditionem, aut diſputandi ſubtilitatem, omnia refert, itaque id hic maximè probandum eſt, quod ad vitæ ſanctimoniam plus conferat. Vidimus huc uſque, quomodo Apoſtolus diſcrimen conſtituerit, inter dogmata, fundamento à ſe jacto ſuperſtructa.

Nunc videamus etiam, qui ſit futurus, utriuſque generis dogmatum eventus. Primùm autem commemoratur ab Apoſtolo, eventus utrique generi communis; deinde utrique proprius, ac peculiaris. Ille commemoratur ỷ. 13, ubi primum exprimitur, deinde confirmatur, cauſa illius potiſſimum expreſſa. Exprimitur illis verbis, *Cujuslibet opus, manifeſtum fiet*, &c. hoc eſt, Apertum fiet omnibus, quale cujuſque doctoris opus fuerit, ſeu cujus ponderis dogmata, quæ fundamento à me jacto ſuperſtruxerit, verane an falſa, utiliane an inutilia fuerint, & ſi utilia, magis an minus. Non eſt cogitandum latiturum quid quiſque populum Chriſti docuerit, ac porrò, haud negligenter in ea re eſt verſandum, ſed ſumma fides ac diligentia adhibenda. Segnioribus, ac negligentioribus eſſe liceret, Eccleſiæ doctoribus, ſi ſufficeret nunc approbari ab auditoribus ſua dogmata & magni æſtimari, nec ſuo tempore, ſuis ac planè juſtis ponderibus, eſſent examinanda, aut ſi dogmata ſalutaria quæ nonnunquam etiam minus probari poſſunt, pretium ſuum non aliquando eſſent habitura, contraque futilia, quæ nunc magni æſtimari poſſunt, pretium ſuum amiſſura. At cum contra omnino ſit futurum, omnis negligentiæ ac ſegnitiei cauſa, illis ſubducitur. Hoc idem poteſt extendi, ad opera cujuſque Chriſtiani hominis, quæ fidei ſuæ, aut doctrinæ Apoſtolicæ, quam eſt amplexus ſuperſtruit. Quare excutiendus eſt omnis torpor, & ſtudium adhibendum, ut bonis operibus omnes diteſcamus, mala autem, quam diligentiſſimè vitemus, quandoquidem nihil illorum perpetuis erit involutum tenebris, nihilque tam occultum eſt, quod non ſit aliquando manifeſtandum, quemadmodum Luc. 12. 2 ait Chriſtus. Sequitur confirmatio rei, illis in verbis: *Dies enim aperiet; quia in igne revelabitur, & cujuſque opus, quale ſit, ignis probabit*, &c. ubi primum videre eſt, quid dies illa ſignificet, quæ dicitur manifeſtatura, quale cujuſque ſit opus; quid item ignis ille, per quem id ſit manifeſtandum. Si à Græco abeſſet articulus, voci ἡμέρα præfixus, credere poſſemus, diei nomine ſimpliciter ſignificari tempus, quo pacto ſolemus Latinè dicere dies docebit, cum ſignificare volumus, cum tempore, rei alicujus veritatem patefactum iri. Eſt enim, ut itidem vulgò loquimur, Veritas temporis filia. Sed quia articulus eſt voci illi præfixus, conſentaneum eſt, certum aliquem diem, ſeu certum quoddam tempus ea voce deſignari; hoc eſt, tempus illud, quod ei rei ſit accommodatum, aut à Deo deſtinatum. Tempus verò illud præcipue eſſe videtur, tempus ultimi judicii; cum Deus omnia patefacturus eſt, & pro ſuo cuique labore, mercedem dignam redditurus; de quo tempore, inferius cap. ſeq. loquitur Apoſtolus, ubi monet Corinthios, ne quid ante tempus judicent, alium nimirum Apoſtolum aut doctorem, alii ratione fidei ac diligentiæ præferentes, antequam veniat inquit, Dominus, qui etiam illuminabit occulta tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus fiet ſeu continget unicuique à Deo, hoc eſt, talem laudem cuique Deus per Chriſtum tribuet, quali eſt dignus, qui ipſe locus probabile facit, etiam hunc diem, de quo in loco noſtro agitur, de illo tempore eſſe intelligendum, quo Dominus eſt venturus, & omnia etiam occulta, in apertum producturus. Interim tamen nihil prohibet, quominus & ante illud tem-

pus alii ſint quidem dies, ultimi illius, veluti prodromi quidam quibus Deus id in apertum producat, quod aliquando plenius eſt perducturus, & futuri ſui de hominum operibus & variorum eccleſiæ doctorum laboribus judicii, aliqua det documenta, ita ut conſtare omnibus animadvertentibus poſſit, quam ſit ſententiam Deus olim laturus, quænam dogmata probaturus & præmio ac mercede aliqua dignaturus, quæ contra tamquam futilia, atque inania rejecturus. Et ſanè videmus, quorum dogmatum vis ac pretium, diu latuerat, ea poſtmodum, Deo ita volente ac curante, ita in lucem protrahi, ut cujus momenti ſint, omnibus conſtare facile poſſit. Non alienum eſt autem à re ut exiſtimemus Apoſtolum, diei quidem nomine, tempus ſignificaſſe, rei de qua agitur deſtinatum, ſed ſimul tamen etiam diem, nocti quodammodo oppoſuiſſe. Quaſi dicat; Utut nunc opera illa, de quibus loquor, veluti cæca nocte tecta lateant, nec qualia ſint, ab omnibus intelligatur, dies tamen aliquando ſuccedet, qua pervideri queant omnia, & qualia ſint, ipſis propemodum oculis cerni. Nam & 1 Theſ. 5. 1, idem Apoſtolus, poſtquam de die Domini, hoc eſt adventus Chriſti tempore, loqui cepiſſet, poſtea diem illam tenebris, ac nocti opponit, ỷ. 4 & ſeq. cum inquit, vos autem fratres, non eſtis in tenebris, ut dies vos, tamquam fur deprehendat &c. Quare & hic intelligi poteſt, ſignificare voluiſſe Apoſtolum, fore ut tenebris, aut nocti huic, qua ſepulta fere latebat vis dogmatum quæ Eccleſiæ proponantur, ſuccedat clara dies, quæ eam in apertum producat. Sequitur nunc, ut videamus etiam, quid per ignem ſignificetur, & illud quidem facilè eſt oſtendere, ignem purgatorium, de quo apud Pontificios hic locus accipitur, non intelligi. Primùm, quia is ad dogmatum examinationem aut probationem, nihil facit. Hic autem de ea probatione ſermo eſt. Adde, quòd ex verbis ipſis, apparet, non mala tantum, aut inutilia dogmata, in hunc ignem ut ita dicam conjicienda, eoque exploranda eſſe, ſed etiam bona atque utilia, quæ auri argenti, ac pretioſorum lapidum nomine intelliguntur. At ignis ille purgatorius, ad peccata tantum, ut illi volunt venialia expianda, pertinet. Præterea, præcipui hujus dogmatis patroni contendunt, hic de die ultimi judicii Sermonem eſſe, cum dicitur, *Dies enim declarabit, quia in igne revelatur*, &c. Atqui iiſdem placet, ignem purgatorium in ultimo judicio ceſſaturum, vel cum infernali igne, eundem fore. Et ita quidem neceſſe eſt eos ſtatuere. Etenim poſt univerſale illud judicium, nemo amplius, vel in cœlum recipietur, vel in infernum detrudetur, nec quiſquam reſuſcitabitur amplius, aut cujuſquam anima corpore induetur, id quod fieri neceſſe eſſet, ſi poſt illud etiam tempus, ignis purgatorius duraret, in quo venialia peccata expiarentur; ſiquidem animæ quæ ibi expurgari cenſentur, poſtea demum in cœlum recipi creduntur, & ultimo die, corpore putantur induendæ, quod poſt ultimum demum judicium futurum eſſet, ſi illo adhuc tempore purgatorius ignis durare deberet. Aliam adhuc rationem videbimus, cum ultima hujus loci verba expendemus, cum verò illud apud omnes certum ſit, de igne illo id intelligi non poſſe, qui Diabolo & Angelis ejus, hominibuſque impiis paratus eſt, cum non tantum priores duæ rationes id haudquaquam patiantur, ſed etiam ultima hujus loci verba manifeſtè repugnent, quibus ſalus ei promittitur homini, cujus opus eo igni fuerit abſumtum; ſatis intelligitur, nullum ignem propriè ſic dictum intelligi hic poſſe. Nullus enim excogitari poteſt ignis proprie ſic dictus, de quo vel ſuſpicari liceat, eum ab Apoſtolo intelligi, & ad rem, qua de agitur idoneum eſſe: præſertim ſi à fictiſſimo purgatorii igne diſceſſeris. Etſi verò non defuerunt viri docti, qui ignem afflictionis & perſequutionis, intelligi hic putarunt, nos tamen eam ſententiam probare, haud quaquam poſſumus; nihil enim prohibet, quominus etiam is, qui falſa dogmata tuetur, perſequutionis ignem ſuſtineat, id quod experientia & hoc ſeculo & priſcis illis temporibus, ſatis comprobavit. Nam qui fundamenta Chriſtianæ religionis ſarta tecta conſervat, id quod hoc loco, de homine eo ponitur, qui ligna, fœnum, ſtipulas ſuperædificaverit, is vera in Chriſtum fide ſubnixus, quidquid illi incumbit oneris Euangelii cauſa, ſuſtinere infracto animo poteſt, quin etiam ipſorum falſorum dogmatum cauſa, ſi ea ipſe pro veriſſimis habeat, extrema quæque poteſt ſuſtinere: præſertim, ſi non propter ea ſola, ſed cum aliis verioribus conjuncta, periculum illi aut calamitas, ac mors denique ipſa intentetur. Experientia ut diximus, ſatis abundè confirmat. Ut taceam, hunc ignem, non omnes eos corripere, qui quidpiam fundamento ſuperſtruunt, & propterea iis doctoribus ferè magis metuendum, eſſet, qui dogmata quam maxime ſalutaria fundamento addunt, quam qui inania ac futilia, cum ignis hujus de quo loquitur Apoſtolis, diverſa ſit ratio. Propius autem à vera ſententia abſunt, qui doctrinam Euangelicam, aut Dei verbum, per ignem hunc intelligunt. Sed ut alia quædam præteream, durum eſt dicere etiam aurum illud, argentum & lapides pretioſos, qui ſanè etiam Dei verbum ſunt, in verbo Dei manifeſtari. Nam ſi quis dicat, per verbum Dei, ſcriptum tantùm Dei verbum intelligi, id non facile erit admittendum, præſertim ſi habeatur ratio ejus temporis, quo Apoſtolus hæc ſcripſit. Neque enim minus, per verbum Dei ab Apoſtolis prædicatum, literis autem non conſignatum, examinari poterant doctrinæ ab aliis propoſitæ, quam per verbum ſcriptum; & præterea, cum ſcriptum, tum prædicatum Dei verbum, multa in ſe continet, quæ non tantum ad fundamentum ab Apoſtolis jactum ſpectant, ſed plurimum etiam illic continetur auri argenti, lapidum pretioſorum, qui fundamento ſunt ſuperſtructi, & hoc ipſo igne, de quo hic ſermo eſt, examinari debet. Sanè ipſa comparationis ratio videtur exigere, ut alius ſit ignis, alia ſtructura, & ſi doctrinæ intelligantur ſtructuræ nomine, ignis, doctrina non ſit. Taceo quòd ii qui Dei verbum ignis voce deſignari putant, per homines explorationem illam, quæ à Paulo intelligitur, fieri debere opinentur, cum tamen hominum judicium ſæpe erret, & in deteriorem crebrius partem vergat. At hic de ejuſmodi examinatione ſermo eſt, quæ erroris ſit expers, & quæ apud Deum ipſum ſit rata, ita ut cujus opus examen hoc ſuſtinuerit, præmium is à Deo referat, cujus verò opus reprobatum fuerit, ejus jacturam patiatur; quæ res ſi expendatur, apparebit, nihil veritati magis eſſe conſentaneum, quam ut ipſius divini judicii, ut ita dicam ignem hic intelligamus. Eo enim judicio tanquam igni quodam, explorabuntur, omnium doctorum opera, fundamento doctrinæ Apoſtolicæ ſuperſtructa, & quæ examen hoc ſuſtinebunt, ac judicio divino approbabuntur, præmium ei qui conſtruxerat afferent, quæ verò non ſuſtinebunt examen illud, atque adeò improbabuntur, eorum jacturam faciet is qui ea fundamento ſuperædificaverit. Neque verò novum eſt in S.L. ut exploratio divina, illi conferatur probationi, quæ igni fieri ſolet. Nam & Pſal. 17. 3. LXVI. 10, dicitur Deus, ut habet vulgata verſio igne examinaſſe vel Davidem, vel populum ſuum, ubi Græci interpretes habent verbum πυροῦν quod ab igni ductum eſt. Neque verò refert, quòd nuſquam fortè vox ignis, pro ipſo judicio divino ſumta reperiatur, modò commode & Sacrarum Literarum conſuetudini convenienter ſumi poſſit. Sæpe enim metaphoræ, aliæque figuræ, ac loquendi formulæ, non è conſuetudine communi, omnino petuntur, ſed ſæpe etiam ex ipſa re, & occaſione certa, veluti ſub manu naſcuntur, ubi ſatis eſt, à communi conſuetudine non penitus recedi, etiamſi aliàs ipſa figura, aut loquendi ratio, alibi non reperiatur. Ipſe enim locus & occaſio, quæ

ad

ad eam invitaverat, si à communi loquendi usu, non penitus abhorreat, eam commendat, ac defendit. Invitatus autem hoc loco fuerat Apostolus ad hanc metaphoram, alia metaphora atque allegoria, qua in hoc argumento, hucusque fuerat usus. Etenim Corint. Dei ædificium seu structuram appellaverat ỳ. 9. inde se quoque architectum sapientem vocaverat, qui fundamentum posuisset, ubi ab ecclesia ipsa ad dogmata, quibus ea quodammodo constat, transit, & metaphoram ædificii transfert, siquidem alia dogmata fundamenti nomine designat, alia illa quæ fundamento superstruuntur. Et quia in ædificiis propriè sic dictis, varia est structura, materies, ita & in hac structura spirituali, varia sunt dogmata diversi pretii atque usus, quæ ut distingueret, diversa genera enumeravit rerum, ad structuram quoquo modo aptarum. Et quia porrò significare voluit, fore ut dogmata illa aliquando probe examinentur, ut ex operariis, quisque dignum opere ac labore suo fructum referat, conveniebat, ut allegoriam institutam pertexens, & à metaphora cæpta, non penitus discedens, judicium illud, quo exploranda essent, ejus rei nomine designaret, quæ vim haberet examinandi illa materiarum genera, quibus dogmata ista comparaverat. Ea verò res ignis est, quæ ita genera illa materiarum examinet atque exploret, ut ingens inter illa discrimen ostendat, & quantum alia aliis præstent, demonstret. Etenim, alia in igne etiam persistunt, alia ab eo consumuntur, quorum illa in ædificiis, præstare cæteris, nemo nescit. Quare cum judicio divino (divinum autem etiam ipsius Christi est) dogmata illa sint exploranda, & vel probanda, vel improbanda, ac porro vel præmium pro illis dandum, vel contrà negandum, aptè Apostolus id ignis voce expressit. Convenienter autem id consuetudini loquendi fieri, tum perse liquet, tum exemplis illis, quæ ex psalmis adduximus, satis probatur, utut non eadem prorsus vox, eodem modo posita reperiatur. Quanquam non desunt viri * docti, qui & hoc in locis nonnullis factum contendunt. His ita constitutis, non est difficile sensum verborum Apostoli explicare. Ait ergo diem declaraturam, vel manifestaturam, nempe, quale sit cujusque opus, hoc est, in die judicii & præcipuè quidem illius ultimi, manifestatum iri, quale cujusque opus sit. Diei nempe adscribit id, quod in die accidit; quo pacto, multa vulgò tempori adscribere solemus, quæ in tempore accidunt, sicut supra etiam diximus. Dicere solemus Dies docebit, Dies diem docet. Tempus hoc vel illud afferet, & si quæ his sunt similia.

Cum verò addit, *Quia in igne revelatur*, &c. in igne, est, per ignem, & verbum *Revelatur*, idem est, quod revelari solet; seu mavis, præsens pro quovis tempore indefinitè ponitur. Neque enim hic præsens pro futuro sumitur, quasi sensus sit, Aliquando per ignem, id de quo agitur, revelatum iri; sed oratio generalis est, & significat, Ignem vim habere patefaciendi ac demonstrandi, quale cujusque sit opus, latetque in his verbis, comparatio quædam ac similitudo veluti contracta, quasi dicat; Quomodo ignis proprie sic dictus, demonstrat qualia sint opera, quæ ab architectis ædificiis, proprie nempe sic dictis construendis adhibentur, sintne satis stabilia, & adversus pericula munita, nec ne, ita etiam ignis quidam improprie sic dictus est, qui opera illa Spirituaia de quibus loquimur, revelandi vim habet, & qualia illa sint demonstrandi. Unde postea subjungit, *Et cujuscunque opus quale sit, ignis probabit.* Ubi particulam, Et pro Itaque poni consentaneum est, ut sit veluti quædam conclusio, ex proximè præcedentibus manans, quasi dicat; Itaque quale cujusque sit opus, ignis nempe divini judicii explorabit. Itaque particulam illam, quæ aliàs copulandi vim habet, non semel in Sacris Literis usurpari, alibi, notavimus. Quæ doctrina ex his verbis peti possit, jam in superioribus ostensum est. Etiam ad mores, quæ de dogmatibus hic disseruit Apostolus, trahi & accommodari à concionatore possunt.

* Jos. Scaliger.

Hactenus de eventu utrique dogmatum generi, communi. Sequitur, utriusque proprius. Etenim, discrimen illorum dogmatum, quæ operum nomine designat Apostolus, allusione nimirum facta ad opera architectorum ut supra vidimus, in seq. constituit, dum alia dicit in igne isto judicii atque explorationis manere, ac subsistere, alia verò comburi; & priorum eventum effectumque lætum fore ait, horum verò miserum ac damnosum. De priori ita ait ỳ. 14. *Si cujus opus manet, quod superædificavit, mercedem accipiet.* Ubi primum per opus, non quævis doctrina, seu quævis sententia ad religionem Christianam spectans, quæ populo divino fuerit ab aliquo tradita, intelligenda est, sed dogmatum potius universorum, in quibus tradendis atque explicandis quispiam insudaverit complexus. Neque enim credibile est, id velle Apostolum dicere, Peculiarem pro quovis vero ac salutari dogmate quod Ecclesiæ à quopiam sit aliquando propositam mercedem, illi à Deo persolutum iri. Nimis enim foret hæc facilis atque expedita præmii olim à Deo accipiendi ratio: sed id potius significat hic Apostolus, Deum pro opera fideli, & Ecclesiæ utili, præmium cuique persoluturum esse, si nimirum multum diuque in ea re versatus fuerit, multumque laboris exantlaverit, ut Ecclesiam docendo ædificaret. *Opus* autem illud manere dicitur, quod examen judicii divini sustinet, & non repudiatur, sed approbatur, utque rectum atque fructuosum pronunciatur. Et hoc quidem intelligere facile est; illud difficilius, quid per mercedem sit intelligendum, quam is qui talia docuerit, sit relaturus. Vitam ipsam æternam hoc nomine accipere vix videmur posse, propterea quòd ille cujus opus non manserit, sed combustum fuerit, jacturam facturus operis ac laboris sui dicitur, cum nihilominus sit servandus, ut postea videbimus. Merces ergo hæc, non est utrique communis, sed illi cujus opus permanserit propria. Salus autem sempiterna, utrique communis est. Quare salus sempiterna, mercedis hujus nomine, non erit intelligenda. Quid ergo? Consentaneum est, mercedis nomine hic intelligi, peculiarem aliquam dignitatis in futura vita gradum, quem illi sint adepturi, qui non tantum pie ipsi vixerint, sed alios etiam multos ad justitiam erudierint, & fidelem utilemque operam Ecclesiæ constanter præstiterint. Nec injuria huc accommodari possunt illa, apud Danielem verba, quæ plerique ad resurrectionem ultimam referunt, & mystico quodam sensu, non incommodè referri possunt, ubi ait, multos de iis qui dormiunt in terræ pulvere, evigilaturos, alios in vitam æternam, alios in opprobrium & contentum sempiternum. Qui autem inquit Dan. 12. 3, 4 docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ, in perpetuas æternitates. Neque enim absurdum est, ut multi censent, gradus quosdam præmiorum, ratione habita dignitatis ac gloriæ, in futura vita, constituere; imò id est & rationi, & non paucis S. L. testimoniis, admodum consentaneum. Nam quid rationi magis est consentaneum, & divinæ æquitati convenientius, quam pro inæquali labore, inæquale reddere præmium; nempe si in labore, non vulgaris, sed notabilis admodum & eximia reperiatur inæqualitas? Nam ut hoc quoque hic statim addam, Non est verisimile, imò ne concedendum quidem, Deum minutissima etiam laborum ac pietatis virtutisque humanæ spectaturum discrimina, & sic infinita quoque mercedis ac dignitatis discrimina constituere. Hoc enim non deceret; imò statuendum potius est, Majorem piorum hominum partem inter se, præmii ac mercedis ratione, planè æquatum iri: id quod Christus videtur omnino significasse, illis apud Matth. verbis, quæ exstant sub finem cap. 19 ubi inquit. *Multi autem erunt primi ultimi, & ultimi primi, &c.* quæ postea cap. 20 parabola explicat, similitudine eorum, qui cum inæquali tempore laboraverint, æqualem tamen mercedem postmodum accipiant. Unde postea similitudinem ad institutum suum accommodans, ita parabolam concludit ỳ. 16: *Sic erunt ultimi primi, & primi ultimi.*

Multi enim vocati, sed pauci electi, &c. Per vocatos illi videntur intelligi, quibus ordinarium tantum ut ita dicam præmium, non verò quidpiam præ cæteris singulare datur. Per electos illi, qui e cæterorum numero veluti exemti, supra communem sortem evehuntur, & peculiari aliquo præmio à Deo ornandi, quo illi multi esse dicuntur, hi pauci. Atque ut res tanto rectiùs intelligatur, & argumentum simul afferatur, nostræ de præmiorum inæqualitate sententiæ, animadvertendum est, Christum inde in eum sermonem fuisse delabsum, quòd ante Apostolis peculiare constituisset præmium, quod ideò essent à Deo reportaturi, quòd omnibus relictis, ipsum essent sequuti. Ait enim in illa regeneratione, quando sedebit filius hominis in throno suo glorioso, sessuros & ipsos, in 12 thronis, judicantes 12 tribus Israëliticas. Sed ne illi tamen soli viderentur, hujus suæ pietatis fructum aliquando reportaturi, etiam cæteris, qui aliquid ipsius causa reliquerunt, præmium in hac vita centuplum, & vitam aliquando æternam, constituit; Quo dicto, addit verba superius citata. *Multi autem erunt primi ultimi, & ultimi primi*, &c. quasi dicat; Non autem existimandum est, omnino eos qui vel tempore, vel etiam laboris magnitudine primi fuerunt, ultimis prælatum iri. Omnes quidem dignam referent sua pietate ac virtute mercedem; sed multi tamen inter illos, utut tempore, ac laboris ratione impares, in præmio æquabuntur. *Pauci* erant, respectu tantæ multitudinis, qui singulare ac præ cæteris eximium reportabunt præmium, quale nempe illud est, quod vobis est destinatum. Neque enim illis qui plus laboraverint, injuria ulla fiet, quia præmium, quod illis dabitur, illorum nihilominus labori respondebit, imò si rem uti est expenderis, infinitis partibus superabit. Illis tamen major exhibebitur gratia, qui cum minus laboraverint, illis in mercede æquabuntur, quemadmodum in parabola illa, nulla fit illis injuria, qui cum totum diem laboraverint denarium quem pacti fuerant accipiunt, etiamsi major benignitas contingat iis, qui cum unam tantum horam laboraverint, itidem denarium accipiunt, quemadmodum ostenditur ỳ. 12 & seq. Ex quibus jam duplex sententiæ nostræ argumentum peti potest. Alterum ex Apostolorum exemplo, quibus peculiare præmium Christus, ut vidimus promisit; neque enim illa sessio in 12, thronis & judicatio 12, tribuum Israëliticarum, omnibus fidelibus communis erit. Dignitas autem ista non exigua est, quæ in hoc promisso Christi continetur. Alterum est, quod Christus significat, multos quidem laboris ratione inæquales, præmii ratione æquatum iri, sed non omnes tamen. Ideò illic, multi, qui cum primi fuerint, ultimi sint futuri, postquam eadem verba, cap. 20 repetiit, omissa voce multorum, paucos electos opponit. Præterea, cum ut in eodem cap. 20, legimus mater Johannis & Jacobi rogaret, ut alter ipsorum *ad dextram*, alter *ad sinistram in regno* ejus sederet, hoc est, alter secundum, alter tertium ab ipso dignitatis ac honoris locum obtineret, non dixit Christus, neminem fore, cui ea præ cæteris dignitas contingat, sed potiùs dicit, illis id datum iri, quibus illud destinatum sit à suo patre ỳ. 23. Quin etiam, (quod quartæ rationis loco esse potest) modum postea ostendit, quemadmodum quispiam inter illos magnus evadere posset, atque adeò primus, nempe dignitate, si nimirum se quam maximè humiliaverit & aliorum minister ac servus fuerit ỳ. 26, 27, ubi quidem id quod voce magni & primi intelligitur, non de eminentia, ratione ipsius virtutis, sed ratione dignitatis, quam per virtutem sit aliquando obtenturus, accipiendum esse patet, siquidem in eo respicit ad petitionem illam duorum Apostolorum, eorumve matris, & contentionem ea occasione inter Apostolos ortam sopit. Idem vero revera docetur superius cap. 18. ỳ. 1 & seq. Præterea idem significatur in illa parabola de servis, quibus Dominus decem minas distribuerit, ut se absente quæstum interea facerent, Luc. 19. Non enim frustra Christus ait primo servo, qui decem minas fuerat lucratus, dixisse Dominum *sis potestatem habens, supra 10 civitates*. Illi autem qui fuerat lucratus quinque; *& tusis super quinque urbes*; neque enim credibile est, nihil illam præmiorum differentiam hic significare, sed Dominum potius indicare voluisse, eum qui diligentior, in munere sibi commisso fuerit & aliis plus laboraverit, plus etiam præmii relaturum, ut ita ad diligentiam, tanto magis eos excitaret, eorumque industriam acueret. Certè si quis id ad omnes omnino Dei servos extendere noluerit, ad Apostolos tamen, aliosque Ecclesiæ doctores, id pertinere consentaneum omnino est. Non commemoro nunc illa in quibus iis, qui opes suas in egenos effuderint, nominatim thesaurus in cœlis promittitur; aut iis qui largiter seminaverint, larga etiam messis promittitur; quemadmodum contra ii, qui parcè seminaverint, parcè messuri dicuntur. Quia id posterius fortasse etiam ad alia præmiorum & benedictionis genera, referri potest, quæ in hac vita locum habeant. Illud referri huc non immerito potest, quod supra hoc ipso cap. 3, de doctoribus Ecclesiæ fidelibus ait ỳ. 8. *Et qui plantat & qui rigat, unum sunt, quilibet autem propriam mercedem accipiet, secundum proprium laborem*, &c. Omninò enim significat, diversam fore mercedem, pro diversitate laboris. Facile enim patet, de mercede eadem hic agi, ce qua & infra, in loco nostro ỳ. 14, de qua etiam infra cap. 4 ait, in adventu Domini, suam cuique laudem tributum iri à Deo. Pertinet huc & illud, quod de seipso infrà ait Apostolus cap. 9. 18. Hanc sibi fore mercedem (hoc est, mercedis causam) ut euangelizans, gratuitum ponat Euangelium Christi, satis aperrè indicans, contra si faciat, mercedem illam, de qua loquitur se non adepturum. Itaque salutem sempiternam, etiamsi id non fecisset, consequi poterat, ut ex eodem capite, satis apparet. Quare consentaneum est, eum mercedis nomine, quispiam aliud præter salutem sempiternam intelligere, & sic præmium quoddam non omnibus fidelibus commune. Adde iis, quod haud quaquam credibile est, Paulo, qui tot Christi causa labores, tot pericula, tot afflictiones, per tot annos sustinuit, & tot gentes ac populos ad Christum convertit, plusque cæteris Apostolis omnibus laboravit, in præmio æquatum iri, latronem illum, qui in cruce pendens, atque in extrema vitæ ut ita dicam regula hærens, in Christum credidit, nihil illius causa perpessus, nulloque alio, quam quod à lingua proficisci poterat opere bono perfecto, è vita migravit. Nimium enim inter utrumque ratione pietatis bonorumque operum intervallum est, ut nequaquam sit credibile, inter quos tantum laboris est discrimen, nullum plane præmii fore. Denique cum videamus, in Angelico exercitu, magnum esse dignitatis discrimen, cum ex illis nonnulli aliis præsint, summum in suo genere locum obtinentes, unde principatus, aut principes Angelorum appellantur, alii his iterum inferiores, superiores tamen reliquis, vocantur potestates, nonnulli etiam virtutes, seu potentiæ, ob insigne quod habeant præ cæteris robur. Quis absurdum putet, simile inter pios etiam aliquando, cùm Angelis pares, ut ait Christus evadent, discrimen à Deo constitutum iri. Imò quis absurdum non putet, tantum exercitum, tot inquam Myriadas, in certos ordines digestum non iri, neculos fore cæterorum veluti duces, ut in exercitu Angelico, qui alteram Hierarchiæ illius cælestis partem constituunt, fieri, futurumque videmus. Nam ut principibus angelorum illos subdendos statuamus, tanta quæ illis in Sacris Literis promittitur dignitas prohibet. Tanta enim est, ut Angelis præferendi quodammodo videantur, tantum abest, ut præcipui Christianorum duces, qui per tot difficultates in cælum ad supernam fœlicitatem sunt eluctati, & infinitæ hominum multitudini, ad eandem capessendam signum sustulerunt, & merito quodam suo, ad tantam fœlicitatem pervenerunt, putemus subjiciendos iis, qui sine pulvere ut ita dicam ac sudore, in cœlesti beatitate sunt constituti. Sed de his plus satis. Illud reliquum est, ut pro se quisque

que maximè laboret, ut mercedem à Deo referat, quam copiosissimam, segnescere nos pudeat in munere, quod forte suscepimus docendi, quandoquidem labor noster, sine fructu non est abiturus.

Hæc de eventu, sive effectu prioris dogmatum generis, sequitur ut de effectu, alterius dogmatum generis loquamur, de quo agitur ab Apostolo vers. 16. ubi rem ipsam primum exprimit. Deinde expositione quadam & tacitæ objectionis occupatione illustrat. Prius facit, illis in verbis. *Si cujus opus comburetur, jacturam faciet*, vel *Damnum patietur*. Alicujus opus comburi igne illo, cujus in præcedentibus facta est mentio, nihil est aliud, quàm divino judicio rejici atque improbari. Quia enim ea quæ ignis vim sustinere non possunt in illum conjecta, aut illi admota comburuntur, ideò quæ vim judicii, quod igni fuit comparatum, sustinere non possunt, seu in illo non possunt subsistere, comburi dicuntur. Effectus autem hujus rei est, quòd damnum subeat is, qui hoc opus construxerat. Damnum verò illud consistit in eo, quod ipsius operis operæque in illud insumtæ premium perdat. Neque enim verbum ζημιοῦσθαι hoc loco ita accipiendum est, quasi omnino significet multari, aut puniri. Significat enim interdum etiam simpliciter Damnum pati, aut jacturam facere, & ζημία ipsum damnum seu jacturam, ut Phil. 3. 7, 8. Act. 27. 10, 21. Neque vero est quòd quis dicat. Omnino necesse esse, ut verbo ζημιοῦσθαι, quidpiam aliud significetur, quam operis, operæque jactura, quia hæc videatur, in ipsa combustione comprehendi, cum opus illud pereat, quod comburitur. At verò id, quod verbo ζημιοῦσθαι significatur, pro combustionis consequente ponitur. Etenim, utut opus ipsum combustione pereat, non tamen protinus ejus pretium & merces laboris in illo construendo insumti perit. Nam ut inde capiamus hujus rei exemplum, unde ipse Apostolus similitudinem duxit, potest architectus aliquis, domum cuipiam construere & ipsemet materiem suppeditare, ac tam pro hac, tum pro opera, in illo construendo impensa, pretium ac mercedem jure repetere, etiamsi ipsi ædium Dominus qui eas construi jusserat, vel consultò comburere velit, vel comburi permiserit, si modò ita prius eas construi jusserit, aut pro construendis prætium promiserit. Quare aliud est combustio operis, aliud jactura pretii. Quare similiter de re simili judicandum est; nempe differre jacturam operis, atque operæ, à combustione operis. Quod si is qui Dominus est ædificii, opus tale jussisset construi, etiamsi id postmodum ipse improbaret, & hoc pacto combureret, non tamen jure pretium operis ac laboris ipsi negaret qui construxerat. Sed quia non tale voluit opus, non ex tam vili materia, constitutum, non ex talibus rebus, quæ ignis vim sustinere non possent, ideo nullam ei debet mercedem, neque adeò persolvet, qui tam vile opus construxerat. Non debere autem verbum ζημιοῦσθαι accipi de pœna aliqua, quę infligenda sit ei, qui tale opus construxerit, apparet ex iis, quæ sequuntur, *Ipse autem salvabitur* &c. Etenim quæcunque illa pœna esset futura, quæ diversa sit ab operis ac laboris jactura, ea ipsam hominis illius personam attingeret. At nunc non rectè huic verbo opponerentur illa, *Ipse autem salvabitur*, &c. Hæc enim verba significant, antea quidpiam dictum esse, quod ad ipsam illius hominis personam, non pertineat. Nunc autem demum significari, quid ipso illo homine, seu ipsa illius persona, sit futurum. Ea enim vis est illorum verborum, Ipse autem, &c. Quæ sententia optimè constabit nostra verbi ζημιοῦσθαι interpretatione retenta. Jactura enim illa, ad opus operisque pretium ac mercedem laboris referetur. At salus hæc de qua in sequentibus agitur, ad ipsum hominem: quasi dicat; Opus quidem, operisve pretium, ac laboris merces, illi peribit, sed ipsemet tamen salvus erit. Et hæc est (ut ad posterius jam transeamus) illa oppositio, qua rem illustrari diximus. Ubi quidem tacita quædam est objectionis occupatio, seu mavis ad quæstionem quandam tacitam responsio. Dicere enim quis poterat. Si ille homo operis jacturam faciet, malè cum illo agetur, peribit miser. Vel, Quid ergo cum illo ipso homine fiet? An ipse fortè simul peribit? Respondet Apostolus, Non periturum ipsum, sed salvum fore. De salute nimirum æterna, loquitur Apostolus: ubi quidem intelligendum est, tacitè hoc Apostolum ponere, quod etiam in præcedentibus posuerat; nempe hominem hujusmodi, qui ligna fœnum stipulas, super fundamento Apostolico posuerit, pie interim vixisse, & in Jesu Christo sartam ecclesiam conservasse, & vitæ rationem convenientem, illi instituisse.

Quod posterius etiam de illis, ut jam innuimus statuendum est, quorum opus manserit, quosque perinde mercedem relaturos Apostolus dixit. Nam aliàs, ne illi quidem salvi futuri essent, & operis constructi mercedem relaturi qui aurea ut ita dicam dogmata, fundamento superædificaverint, si vitam secundum doctrinam Christi, non instituerint. Notum est id, quod Christus dicit Matth. 7. multos dicturos ipsi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? & tamen iis ipsum dicturum, Numquam novi vos, discedite à me, qui operamini iniquitatem. Quanto ergo minus illi salutem sibi polliceri poterunt, qui vana ac futilia dogmata, fundamento Apostolico superstruxerint, si cum pietate vitam non traduxerint. Verum quia salutem illis ita simpliciter pollicitus fuerat Apostolus, quorum opus utpote vanum ac futile combustum fuerit, dicere aut cogitare quis poterat, Ergo nihil illi perdunt. Omnia illi habebunt, qui salutem consequentur. Quare hujusmodi cogitationi occurrit Apostolus, & ostendit, non fore id tamen, absque insigni istorum hominum detrimento. Deinde subjicit, *Ita verò ut per ignem*. Quasi dicat non tamen ut paulò ante indicavi, sine jactura, & haud levi detrimento. Evadent quidem illi, sed veluti per ignem, aut ut Latini malunt loqui, velut ex incendio, hoc est, nudi atque omnibus aliis rebus, quibus antea abundare videbantur perditis, ita ut vix ipsi periculum aut interitum effugiant. Persequitur enim & hic Apostolus, metaphoram ac similitudinem, & cum ante significaverit igne ipsorum architectorum aut fabrorum, ut ita dicam opus explorandum esse, in quo aliud quidem sit permansurum, aliud verò arsurum, nunc significat ipsum illum hominem hoc pacto veluti per ignem transiturum, & sic quia nihilo minus salvus evadat, evasurum velut ex incendio, orbatum iis, quibus antea gaudebat rebus. Adde quòd hæc verba significent illum ipsum hominem quoque in periculum quidem interitus venturum esse, quemadmodum illi contingit, cui per ignem ipsum, mediasque flammas est evadendum. Itaque & hoc intelligere possumus Apostolum significasse, singulari Dei benignitati, ipsius salutem imputandam esse: quin etiam non ita certò eum hominem, sibi salutem polliceri posse, si præsertim aliquanto negligentius in munere suo se gesserit, aut ob notabilem ipsius culpam factum fuerit, ut tam vile opus construeret. Quo quidem loco non est necesse, ut voce ignis omnino intelligamus ignem illum, de quo antea loquutus fuerat Apostolus, præsertim quia articulus voci Græcæ non est præfixus. Possunt enim verba simpliciter uti sonant per similitudinem prolata intelligi, ita ut ignis nomine etiam ignis vulgaris intelligatur, quandoquidem non dicit Apostolus, eum hominem transiturum per hunc ignem, sed ita eum saleum futurum, seu evasurum *tamquam per ignem*. Hoc est, non secus ac si per ignem transiisset, atque evasisset. Sed deinde si quis omnino velit, eodem modo ignem hunc accipi, quo paulo ante*, & particulas illas similitudinis, ipsam rei uti loquuntur veritatem significare, per nos id ei licebit. Etenim, per hunc ignem divini judicii, qui etiam consumendi, ac perdendi, seu damnandi vim habet, illi transeundum erit, non sine periculo interitus, & cum certa jactura operis, rerumve earum, quas alii

* Vide Volk. lib. 5. cap. 16. pag. 510, 511.

ſecum, in ſempiternam vitam, ut ita loquar, aſportabunt. Hinc autem intelligitur, tum quanta ſit Dei benignitas atque æquitas, qui nolit pietatis ſuæ mercedem illum perdere, qui multum tamen operæ in rebus vanis, ſeu futilibus dogmatis conſtruendis atque aſſerendis poſuerat. Simul tamen videmus, non eſſe ſuſque deque habendum quale opus conficias; ſiquidem homines ii qui in vanis dogmatibus exſtruendis fuerint occupati, utut ſalvi ſint futuri, jacturam tamen non levem facturi ſint, & ipſum etiam interitus periculum, quoddam adituri.

Cauſæ, cur bonis malè ſit in hac vita, cum ſit divina providentia, Muretus ex Chryſoſtomo.

I. Ne inflentur & ſuperbiant, ſed ſuam humanam fragilitatem videant.

II. Ne alii ob illorum præſtantiam qua à Deo ſunt ornati, in errorem rapiantur, & divinitatem illis adſcribant.

III Ut ſe in illorum infirmitate divina potentia, magis exſerat.

IV. Ne hæc bona caduca, pro mercede pietatis ſtatuantur.

V. Ut hoc indicio ſit, aliam eſſe vitam, in qua cuique præmia reddenda.

VI. Ne deſpondeamus animum, adverſam fortunam experti, & Deum nos odiſſe ſtatuamus, cum Deo chariſſimos, talia perpeſſos videamus.

VII. Ut eos ſine tergiverſatione imitari poſſimus, tamquam eos, qui divinioris naturæ non fuerint.

VIII. Ut ſciamus, quibus in rebus fœlicitas conſiſtat.

IX. Ut in illis pateat fortitudo & patientia Chriſtiana. Miſeria enim, fortes arguit.

X. Ut ſic caſtigentur peccata.

XI. Ut eò ſuavior ſit illa vita, & gloria illuſtrior.

XII. Ut ea ratione impii, in ſua nequitia exſultantes, & divina judicia deridentes, excæcentur, indurentur, & iiſdem judiciis divinis, quaſi laqueis quibuſdam irretiti, attrocioribus ſuppliciis opprimantur, atque ita dignam ſua nequitia mercedem reportent.

1 Cor. 3. verſ. 21, 22, 23.

HIs verbis docet Apoſtolus cur Corinthii non debeant ita ſeſe diverſis in Eccleſiæ Chriſti ſervis addicere, ut inde gloriolam inanem captantes, in varias ſcindi partes, & ab illis, poſthabitis aliis denominari cupiant. Conſideranda duo. 1. Modus dehortandi, ſeu mavis ipſa dehortatio ab hujuſmodi facto, 2. Rationes quibus illud diſſuadet.

Prius eſt in illis verbis, *Nemo glorietur in hominibus*, nempe ad eum modum quem ſuperiùs expreſſit Apoſtolus cap. 1. ℣. 12. niſi quòd illic cauſam non indicaverit, ex qua hujuſmodi contentiones fuerunt ortæ inter ipſos, quam hoc loco non obſcure exprimit, gloriæ ſtudium videlicet ipſos eò impuliſſe. Nam procul dubio alios Doctores aliis præferebant, ut ſeſe præ aliis efferrent, quia ſcilicet digniores & præſtantiores magiſtros habuerint quàm reliqui: adeo ut quidam etiam Chriſti nomine ſint eam in rem abuſi, affirmantes ſe eſſe Chriſti, quaſi reliqui non eſſent, eo quòd non perinde fortaſſe ut ipſi vivam vocem ex ore ipſius audierint. Non decet igitur, inquit Apoſtolus, quemquam eo nomine inſoleſcere, & ſibi plus præ aliis attribuere, quia ab aliquo magno viro ſit religionem edoctus. Hic videre licet quàm perniciosa ſit gloriæ cupido in Chriſti Eccleſia, contentionum mater. Vide Philip. 2. ℣. 2 & 3. Adde etiam locum Eph. 4. 2. ubi non temere modeſtiam ſeu demiſſionem animi ad concordiam ineundam requirit Apoſtolus. Itaque qui à contentionibus abhorret, vitet ambitionem. Præterea notandum, etiam præſtantiſſimos quoſque ſervos Dei in terris, *homines* nihilominus eſſe: qua appellatione Apoſtolus hoc loco omnes unà ſecum demittit ac deprimit, & Deo atque Chriſto tacitè opponit. Hujus ſolius gloriæ ſtudendum, in hoc gloriandum. Ita tamen ne quis Chriſtum, ſervis ipſius, Corinthiorum more quaſi ex adverſo opponat. Dicebant enim quidam ex illis, *Ego ſum Chriſti*, quaſi ſcilicet non omnes eſſent Chriſti, qui ſanctiſſimum nomen & doctrinam ipſius profitentur. Chriſtus eſt omnium Dominus & Rex; ſervi ipſius quantumvis maximi, ſunt homines mortales.

Reprehendendi Pontificii, qui ſe Pontificios ſeu Papiſtas appellare non dubitant, denominatione ſumta ab homine mortali, ſuo Pontifice: vel, quod majus eſt, ita ſeſe illi addixerunt, ut in ipſo glorientur, tanquam in ipſo Domino Jeſu. Sed & Lutherani culpâ non carent, qui ſeipſos à Luthero Lutheranos appellari haud ægreferunt, imò ipſi ultro nulla neceſſitate cogente, ſe ita appellitant. Eſt Deo gratia quòd cœtus noſter plus hac in parte ſapiat, qui Chriſtianorum titulo contentus, à nullis mortalium denominari ſeſe unquam patitur. Hæc de ipſa hortatione Apoſtoli.

Poſterius, hoc eſt rationes ab Apoſtolo ad diſſuadendum hoc vitium productæ, ſunt duæ: quarum altera à dignitate & imperio quodam Chriſtianorum, altera ab eorundem ſubjectione, Deo & Chriſto debita petitur. Dignitas & dominium Chriſtianorum, partim in genere, partim in ſpecie deſcribitur. Generatim, *omnia namque veſtra ſunt*. Quæcunque cogitari poſſunt: exceptis tamen iis qui nobis imperant, aut etiam ſunt nobis pares. Illi ſunt Deus & Chriſtus: hi verò Angeli: qui licet nobis quodammodo inſerviunt, ſunt tamen nobis præſtantiores: ad tempus præſertim, quum aliquando Chriſti perſonam gerant. Omnia inquam, ſive temporaria, ſive æterna, ſive ſpiritualia, ſive carnalia, ſive bona, ſive mala, ſunt noſtra: quatenus noſtræ ſaluti ſerviunt, & in noſtrum commodum vertuntur; neceſſe eſt ad omnia hominibus Chriſtianis jus & aditum liberum patere, adeo ut omnibus noſtro bono uti liceat.

Conſolatio. Vide quantopere nos Deus dilexerit & extulerit, & ad quantam dignitatem Chriſtianos evexerit. Omnia ſunt illis ſubjecta à Deo. Cujus rei exemplum jam extat in Chriſto evidentiſſimum. Vide Hebr. 2. 7, 8. Homines hujus ſeculi, mancipia ſunt eorum quæ poſſident, & quibus inhiant, & unice delectantur: Chriſtiani ſunt Domini ac Reges omnium. O miſeram ſervitutem, quæ in cauſa eſt, ut exigua portio terræ homines privet hæreditate totius cœli, & vitæ æternæ! Jacob. 1. 9, 10. *Glorietur pauper in ſua ſublimitate*, imò & *dives in ſui demiſſione*, quæ in cauſa eſt tantarum divitiarum. *Quilibet in vocatione in qua vocatus eſt maneat*, ſive liber, ſive ſervus. 1 Cor. 7. 20. ſeqq.

Speciatim enumerat Apoſtolus, primùm perſonas, deinde res varias, quæ nobis ſubſunt. Perſonæ ſunt duplicis generis; quædam enim in cœtu, quædam extra cœtum Chriſti ſunt, quædam fideles, quædam infideles. Illi ſunt ſervi Domini Jeſu, quorum præcipuos Paulus recenſet, dum ait, *ſive Paulus, ſive Apollos, ſive Cephas*, id eſt Petrus. Ex quibus duo fuerunt Apoſtoli, præſtantiſſimi omnium; tertius nempe Apollos, non quidem Apoſtolorum munere fungebatur, ſed tamen dignitate Apoſtolis valde fuit vicinus. Initium autem facit à ſeipſo, non ut ſe præ aliis extollat, ſed ut tanto magis deprimat: gradatim enim altius aſcendit: adeo ut non ſolùm Petrum, verum etiam Apollonem ſibi anteponat. Unde 1 Cor. 1. ℣. 12. Chriſtum in ultimo id eſt ſupremo gradu collocat. Qui locus rationem ordinis quo utitur Apoſtolus, hanc ipſam eſſe quam indicavimus, docet. *Paulus*, ille qui fuit in tertio cœlo, qui tantos Chriſti cauſa labores ſuſcepit, tot & tam gravia paſſus eſt, electum Chriſti organon, qui nomen Domini portabat coram gentibus & Regibus, qui plus omnibus Apoſtolis laboravit. *Veſter eſt*, id eſt, veſtri cauſa Eccleſiæ datus eſt, veſtræ ſaluti ſervit. *Apollos* tantus vir, (vide Act. 18. 24, 25, 27, 28.) itidem, unde à Deo emolumenti cauſa conceſſus eſt uſibus Eccleſiæ, cui miniſtrat. *Petrus* tantus Apoſtolus, qui ideo etiam à petra denominatus, qui

qui nominatim circumſionis Apoſtolus, quemadmodum ego præputii, conſtitutus eſt, nihilominus ſimiliter atque cæteri vobis quodammodo ſubeſt, vobis miniſtrat, veſtræ ſaluti ſtudet. Quemadmodum ſervi non quærunt quæ ſua ſunt, ſed quæ Dominorum, quibus miniſtrant, non ſibi nec ſuis emolumentis ſerviunt, ſed Dominorum; ita etiam nos omnes non noſtrum ſed veſtrum commodum quærimus. Huc facit locus 2 Cor. 4. 5. & cap. 1. verſ. ult. & 1 Pet. 5. 3.

Extranei voce *mundi* comprehenſi videntur. Veriſimile enim eſt perſonas perſonis opponi, id eſt homines mundanos ut ſic dixerim, Chriſtianis. Appellantur autem extranei voce *mundi*, partim quia ex illis potiſſimùm mundus conſtat, partim quia illi mundo rebuſque hujus mundi maxime addicti ſunt, imò toti immerſi. Licet autem mundus Chriſtianos maxime oderit & infeſtet; tamen duplici de cauſa Chriſtianorum eſſe dici poteſt. 1. Quia ex tanto hoſte incomparabile emolumentum in ipſos redundat. Dum enim promiſſa ipſius parvi æſtimant, dum ipſum vincunt, nec ſe ab illo ſuperari patiuntur, gloriam & coronam victoribus decretam accipiunt. Adde quòd in Chriſti adventu frangent homines hujus mundi virga ferrea. 2. Quia licet nobis ſint maximè infenſi, cogantur tamen quoties Chriſtus vult Chriſtianis inſervire, & quæcunque faciunt ſibique facienda proponunt, commodo Eccleſiæ Chriſti, quamvis inviti, atque uſui aptare. Chriſtus enim corda illorum moderatur, nec unquam permittit, ut illorum conatus ita ſuccedant quemadmodum ipſis libet, ſed prout expedit populo ipſius. Hinc ſæpe illorum conſilia diſſipat, bella inter ipſos excitat, ut interim pace fruantur fideles, & ut impii exterminentur plurimi: piis verò libertas major affulgeat. Reges, Cæſares, principes ſubſunt Chriſti populo. Non enim eis licet quidquam facere cum detrimento vero Eccleſiæ. Et quamvis interdum videantur mali aliquid nobis creaſſe, tamen *iis qui Deum diligunt, hæc omnia cooperantur in bonum*, teſte Apoſtolo, Rom. 8. 28. Ne igitur ſerviamus mundo, neque patiamur nos ad illum pertrahi: præſtat nos eſſe illius Dominos quàm mancipia. ô quàm beati ſunt Chriſtiani, ſi ſua bona norint! Infelices & ſtulti, qui malunt ſervire quàm imperare. Cæterum vox *mundi* poteſt etiam accipi, imò fortaſſe debet pro rebus mundanis. Adde etiam pro illo mundo futuro: non enim ille angelis ſubjectus, ſed nobis. Hebr. 2. 5. Ea quæ ſunt hujus mundi noſtra ſunt; quòd hæc omnia conculcent quando libet pedibus ſuis Chriſtiani. Mundus futurus eſt ipſorum, quia jam habent jus illius hæreditatis, ſanguine & poteſtate Chriſti partum. Gaudete, & iterum tertiumque gaudete omnes veri Chriſtiani. *Intelligite quæ auditis, & Dominus det vobis intellectum in omnibus.* 2 Tim. 2. 7.

Res à perſonis diſtinctæ deinceps ſuccedunt, 1. *ſive vita, ſive mors.* Poteſt autem nomine utriuſque non minus æterna quàm temporaria intelligi. Æterna vita eſt nobis promiſſa, inſcripta, fœdere divino ſancita, ſanguine Chriſti obſignata, reſurrectione ejuſdem oſtenſa, imò jam quodammodo donata. Eſt enim in illius manibus qui ideo mortuus eſt, ut ubi ipſe jam eſt, ibi & nos ſimus unà cum eo. Mors æterna neceſſe eſt ut nobis cedat, & tanquam captiva ad noſtrum triumphum olim ducatur. Vita temporaria ſervit noſtræ inſtitutioni in fide & pietate, utilis nobis eſt ad incrementum in Chriſti cognitione, & ad comparandam ſpem futuræ vitæ, adeoque ipſam ſalutem adipiſcendam. Adde quod liceat nobis cum illa agere quod libet. Si velimus licet eam Dei cauſa abjicere, contemnere, deſerere. Quodſi non ſit opus ut eam deſeramus, licet ea uti ad noſtrum ſalutare commodum. Mors temporaria noſtra eſt, quia præterquam quòd fieri poteſt ut eam non experiamur, ſi nimirum Dominus Jeſus nos vivos deprehendat; quantumvis nos attingat, nocere tamen nobis non poteſt, nec impedire quominus vitam æternam aſſequamur. Imò verò etiam ex parte nobis ad eam auxilio eſſe poteſt, quatenus eſt materia fiduciæ in Deum, quod nos Deo præcipuè commendat, credentes cum patre noſtro Abrahamo quòd & à mortuis poſſit nos Deus excitare. Quodſi ſit violenta, tanto magis ſervit noſtro commodo: Nam *qui perdiderit animam ſuam Chriſti cauſa, vivificabit eam.* Luc. 9. 24. & 17. 33. adeò certus eſſe poteſt ſuæ ſalutis, atque ſi in propriis ipſius manibus eſſet. Taceo quòd mors naturalis ſit quidam tranſitus ad vitam, & liberatio noſtri ab omnibus malis hujus vitæ: hæc enim minoris momenti videri poſſunt. Eja eja quantæ deliciæ, quantus honor, quantæ opes, poſitæ Chriſtianis, imò nobis! Vita eſt noſtra, quid igitur mortem metuamus? mors æterna eſt noſtra, triumphemus igitur de ea. Vita temporaria eſt noſtra, utamur igitur eâ ad noſtram ſalutem. Mors temporaria eſt noſtra, veniat igitur quando volet, non erit nobis terrori, Deo favente. Atque utinam digni cenſeamur à Domino, qui non tantum vitâ piâ, ſed & morte innoxia quantumvis truculenta nomen ipſius glorificemus.

2. *Sive præſentia, ſive futura.* Illa ſunt partim ſpiritualia, partim ad corpus ſpectantia. Spiritualia ſunt noſtra; Nam & verbum Dei vivum, & dona Spiritûs ſancti ſingulariſſima, & alia ejus generis quæ noſtræ utilitati & neceſſitati plurimum inſerviunt. Adde his, ſi libet, angelorum cuſtodiam, *qui mitti ſolent eorum cauſa qui ſunt futuri hæredes ſalutis.* Hebr. 1. ult. Quanquam hoc ad bonum temporale ſpectare videri poteſt. Quæ ad corpus pertinent, ſunt noſtra, ſive bona ſint, ſive mala. Bona, quia bene iis utimur. Mala, quia juvant noſtram ſalutem. *Afflictio* enim & res adverſæ *operantur patientiam, hæc vero probationem, probatio ſpem, quæ non confunditur.* Rom. 5. 3, 4, 5. Omnia ſunt in manibus noſtris, omnia utilia nobis, modo iis rectè uti velimus. Futura ſunt noſtra, quia *ea quæ oculus non vidit præparavit Deus diligentibus ſe.* 1 Cor. 2. 9. *Chriſtus abiit ut locum nobis pararet.* Joh. 14. 2. Exultate juſti in Deo, attollite corda veſtra, & elevate, ſi fieri poteſt, ut veſtram dignitatem cognoſcatis.

Hactenus prima ratio, ab imperio: ſecunda ratio ſequitur, à Chriſtianorum ſubjectione, qua Chriſto; & per ipſum conſequenter Deo ſumus ſubjecti. *Vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* Quemadmodum non decet nos gloriam captare mundano more ex iis qui nobis ſubſunt & qui ſervi noſtri ſunt; ita ſe quodam modo ſubmittere alii cuipiam quàm Deo & Chriſto qui pretio ſanguinis ſui Chriſtianos emit, & ſuos non alienos eſſe vult, inconveniens eſt. Soli Chriſto ſunt ſubjecti Chriſtiani, & per ipſum Deo. Non igitur ſeſe debent ſubjicere Paulo, Apolloni, Cephæ, & addicere tanquam novis Dominis, à quibus denominari debeant. Qua ratione *ſimus Chriſti*, ſatis notum eſt. Is enim nos ſibimet acquiſivit, & magno pretio comparavit. *Nemo noſtrum ſibi ipſi vivit, nemo ſibi moritur, ſive vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.* Rom. 14. 8. In illius manibus ſunt noſtra corpora & animæ. Ne verò quis objiciat; Itane verò? Ergo etiam ipſius Dei imperio ſubeſſe non poſſumus, ſi Chriſti ſolius ſumus. Reſpondet Apoſtolus; atqui *Chriſtus eſt Dei.* Agnoſcit ille patrem ſuum pro ſuo Deo, pro ſuo capite, pro ſuo benefactore. Vide Apocal. 3. 12. 1 Cor. XI. 3. & ſimilia. Quare qui Chriſti eſt is etiam eo ipſo Dei eſt: Deus per Chriſtum nobis imperat. Doctrina. Quia ſumus Chriſti, obediendum eſt Chriſto. Conſolatio. Quia Chriſti ſumus non tantum ſervi ſed etiam amici, non poſſumus perire. Refutatio erroris. Ita Chriſtus extollendus, ne Deo patri pereat ipſius prærogativa: quod neſciunt adverſarii. *Confiteatur omnis lingua, quòd Chriſtus ſit Dominus, in gloriam Dei patris.* Philip. 2. verſ. 11. Amen.

1 Cor. 5. verſ. 7, 8.

VErba hæc & inſtituto noſtro, & diſciplinæ exercendæ egregiè conveniunt. Nam & qua ratione nobis

nobis paſcha celebrandum ſit, ex alluſione veteris ritus, & quomodo Eccleſia pura ab omnibus flagitiis tuenda ſit, egregie docet. Partes conſtitui duæ poſſunt; quarum unâ tradatur quomodo recte exordiendum ſit nobis paſcha noſtrum; alterâ autem quomodo deinde celebrandum.

Primò monet exordiendum nobis eſſe paſcha ab expurgatione veteris fermenti: cujus admonitionis duas ſubjungit cauſas: unam finalem, alteram impulſivam. Quid fermentum ſit in re domeſtica, notum eſt. Interdixerat autem Deus fermentum, tum in ſacrificiis quæ altari inferuntur, Levit. 2. ỷſ. 11, 12. tum in quotidiano victu ſingulis annis per integros dies ſeptem, Exod. 12. 15. Item 13. 19, 20. Cauſa azymorum comedendorum in paſchate, orta videtur ex properatione Iſraëlitarum, cùm urgerentur ab Ægyptiis, primogenitorum ſuorum nece conſternatis: ut videre eſt Exod. 12. 39. Id poſtea Deus in legem vertit, ut memoria tam divinæ liberationis apud poſteros perpetuò exſtaret. Credibile tamen eſt in utroque ritu aliquid divinius jam tum adumbratum fuiſſe: quod in Novo Fœdere diſertius nobis explicatur. Omnis quippe miſtura rerum Deo adverſarum in cultu ejus tacite interdici videtur. Matth. 16. 6, jubet Dominus Jeſus cavere à fermento Phariſæorum & Sadducæorum, id ipſe ỷſ. 12 de doctrina iſtorum deinde interpretatur. Lucæ 12, 1. Phariſæorum fermentum ipſe pòſt de eorum hyprocriſi explicat. Hoc in loco quem nobis explicandum ſumſimus per vetus fermentum mali mores, ad quos & ſenſus atque affectus, dicta item atque facta perverſa referuntur, intelligi debent. Occaſio ſub fermenti nomine iſta prohibendi Apoſtolo nata fuit ex ſimilitudine quam præcedentibus verbis innuit. Ut enim fermenti parum totam maſſam fermentat, ita & mali mores facile ad alios ſerpunt eoſque inficiunt. Eadem vis etiam eſt in fermento pravæ doctrinæ: ut apparet Gal. 5. 9. Cum quo confer 2 Tim. 2. 17. & 1 Cor. 15. 33. Ut ne quid tale in Eccleſia Corinthiorum inoleſcat, jubet Paulus *expurgare vetus fermentum.* Ubi & epithetum *vetus* tacitam quandam rationem continet cur id fermentum exterminandum ſit. Solent enim vetera minus eſſe grata, tanquam putida, & interitui proxima. Significat autem ejuſmodi moribus quos cum fermento comparet, Corinthios antea deditos fuiſſe, quod etiam repetitur ſequenti capite verſ. 11. & cap. 12. 2. Miſer omnino fuit ſtatus illorum, cùm ante Chriſti agnitionem ejuſmodi moribus dediti forent: quem & in Epheſiis cap. 2. verſ. 1. & ſeqq. in Coloſſenſibus cap. 3. verſ. 7. imò & communiter in omnibus ad Titum 3 verſ. 3 deſcribit. Quo tanto magis laborandum eſt, ut vetus illud fermentum, prout monet Apoſtolus, expurgemus. Poteſt autem expurgatio ab Apoſtolo præcepta dupliciter intelligi: tum ut quiſque ex ſeipſo jubeatur deponere quicquid adhuc ex veteri homine reſiduum eſt: tum ut Eccleſia tota jubeatur e ſui medio ejicere ejuſmodi hominem qui ſuo fermento alios inficere poteſt. Utrumque doctrinæ Chriſti conſentaneum eſt. Nam & quilibet in eo laborare debet, ut peccatum circumſtans, ejuſque fomes concupiſcentia quæ in carne noſtra latet, plene excutiatur: & ſi quæ ovis ſcabioſa in grege Chriſti hæreat, ea eliminanda eſt, prout hoc capite & 2 Theſſ. 3. docetur. Eſt autem in phraſi alluſio ad ritum Judæorum, apud quos antiqua expurgandi formula hæc exſtat; Omne fermentum quodcunque hic eſt in poteſtate mea, quod neque vidi, neque abolevi, nullum eſſe tanquam pulvis terræ exiſtimator. Utinam nos eadem religione in vitiis non aliorum modò ſed in noſtris expurgandis verſaremur! Ut id tanto libentius faciamus, audiamus jam & rationes quas adhortationi ſuæ Apoſtolus ſubjungit. Earum prima finem expurgationis exprimit, quem aſſequi non poſſint Corinthii niſi vetus fermentum expurgent. Is eſt *ut ſint nova maſſa.* Poſſunt autem & ſic ea verba accipi, ut non tam finem quàm terminum & quouſque expurgatio *illa* pertingere debeat exprimant, nimirum ut nova quædam maſſa fiant. Per quam intelliguntur homines quorum ſenſus, affectus, mores, vitaque univerſa ita ſit in melius mutata, ut alii à prioribus & planè novi videantur: abluti quippe, & ſanctificati, & juſtificati in nomine Domini Jeſu, & in Spiritu Dei, ut eſt ſcriptum capite ſequente 6. verſ. 11. Si qui ergo fuerint antehac profani, Dei contemtores aut ſtores, idololatræ, perjuri, injuſti in proximos, aut illiberales, ebrioſi, impudici, ambitioſi, ii ſint jam religioſi, Dei reverentes & amantes atque cultores, veraces, juſti, liberales, ſobrii, pudici, modeſti. Si ex his talibus coaleſcat corpus Eccleſiæ Chriſti, jam illi nova quædam maſſa erunt, grata Deo, ſupra omnes panes propoſitionis aut libamina quæ ſub Veteri Fœdere oblata illi fuerunt. Vide Marc. 12. 33. Cæterum ne offendat id Corinthios quòd jubeat eos fermentum expurgare, ut nova ſint maſſa, quo videtur eis exprobrare quaſi nondum eſſent regeniti, ſermonem ſuum Apoſtolus emollit, additque *ſicut eſtis infermentati* ſive *azymi.* Concedit ergo eos quidem renovatos, & interea tamen ut renoventur hortatur, quæ propemodum contradictionis ſpecies quædam eſt: ſed ea facile tolletur, ſi cogitemus quibus elogiis alios quoque efferre ſolet Apoſtolus, quos nihilominus graviter nonnunquam reprehendit. Oſtendunt quippe illa elogia virtutem Chriſti in electis, qualeſque per illam evadere debeant ac poſſint, ac partim quoque evaſerint; interea tamen & in illis defectus quidam reſtare poſſunt, qui ſevera reprehenſione aut admonitione corrigendi veniant.

Notemus hic Chriſtianos non ſtatim omnibus numeris abſolutos eſſe. Sunt enim non modò viri, ſed etiam juvenes, & pueri in Chriſto. Sunt in quibus pugnat adhuc cum carne Spiritus: qui damnandi non ſunt, modò Spiritus in illis ſi non ſemper plerumque ſaltem vincat. Notemus etiam quantopere nobis laborandum ſit, ut proficiamus in dies, & ſanctificemur toti, ac integer noſter Spiritus & anima & corpus inculpate in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti ſerventur 1 Theſ. 5. 23. Notemus denique quanta lenitate adhortationes inſtituendæ ſint, & laudes reprehenſioni miſcendæ, ut animi ægri medicinam tanto facilius admittant.

Altera ratio Apoſtoli apertior eſt qua nos ad parendum adhortationi ſuæ vult impellere: *Etenim Paſcha noſtrum pro nobis immolatum eſt,* nempe *Chriſtus.* Manet in eadem allegoria. Ingreſſus Paſchatis erat ab immolatione agni, poſtquam per dies ſeptem fermentato pane Judæis veſci non licebat: ita ait & pro nobis Paſcha quoddam imolatum eſſe, idque interpretatur de Chriſto. Nam Paſcha & pro feſto celeberrimo accipitur, Luc. 22. 1. Act. 12. 4. Mat. 26. 2. Marc. 14. 1. Joh. 2. 13 & 23: & non minus frequenter pro agno qui in ingreſſu feſti iſtius comedi ſolebat, ut Marc. 14. 12. bis item ỷſ. 14 & 16. Luc. 22, 7, 11, 15. Joh. 18. 28. Nonnunquam & pro victima quæ ſeptem illis diebus immolari ſolebat, ut Deut. 16. 2. Omnes autem iſtę ſignificationes figuratæ ſunt, & Paſchatis nomen vel feſto vel ſacrificio tribuitur, quia memoriam ſervabant illius Phaſe ſive tranſitus angeli, de quo Exod. 12. 23. Solent enim ſignis rerum ipſarum rerum nomina tribui. Cùm autem Paſcha noſtrum vocat Chriſtum, ad agnum ſine dubio alludit, cum quo eleganter Chriſtus confertur, quippe agnus & ipſe aliquoties appellatus. Joh. 1. 29, 36. 1 Petr. 1. 19. & in Apocalypſi ſæpe: tum ob innocentiam, tum ob patientiam quam in morte præſtitit: vide Eſa. 53 ỷſ. 7. Act. 8. 32: tum inprimis ob fructum jugis ſacrificii. Confer. Exo. 29. 38. & ſeqq. Num. 28. 3. Deinde quemadmodum agnus olim in Ægypto mactatus fuit, & quidem eo fine, ut Ægyptiis pereuntibus Iſraëlitæ ſervarentur: ita & Chriſtus in cruce mactatus fuit, quò nos à vaſtatore angelo tuti eſſemus. Denique quemadmodum illis demum agni mactatio in Ægypto profuit quorum poſtes & ſuperliminare ſanguine illius fuerunt irrigati: ita & Chriſtus nonniſi illis prodeſt qui ſanguine ipſius aſperſi fuerint 1 Petr. 1. 2. Imò qui ſan-

ſanguinem ipſius biberint, Johan. 6. 53, 54: quod fit dum in illum credimus, & per fidem ſanguinis ab illo fuſi fructum haurimus.

Notetur hic quanti ſalus noſtra Chriſto conſtiterit, ut qui vitam illi ſuam impenderit, qua nihil homini carius, quantumque nos ob eam cauſam Chriſto debeamus. Vide & Rom. 5. 6. & ſeqq. Nimirum liberatio primogenitorum Iſraëliticorum à morte ſubita, ſanguine agni ſancienda erat. At liberatio noſtrum omnium ab æterna morte, & aſſertio in vitam interminabilem, in longe præſtantiore ſanguine procuranda erat; ipſius quippe unigeniti filii Dei Cùm itaque Paſcha pro nobis ejuſmodi immolatum ſit, annon meritò nos ad expurgationem veteris fermenti invitat? An verò non ſatis eſt Chriſtum pro nobis ſemel immolatum eſſe? Numquid illum rurſus crucifigemus ſanguinemque ipſius conculcabimus? *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis Domini, quieſcite agere perverſe.* Eſa. 1. 16. *Purificate manus veſtras, peccatores, & reddite corda veſtra caſta, ô vos duplicis cordis.* Jac. 4. 8. *Purificemus nos ipſos ab omni inquinamento carnis & Spiritus.* 2 Cor. 7. 1. *Deponentes omnem malitiam &c.* 1 Pet. 2, 1, 2.

Satis jam de eo quomodo Paſcha noſtrum ſit exordiendum. Videamus jam quomodo id deinde celebrandum. Jubet nos Apoſtolus *feſtum agitare*, non utique per ſeptem tantum dies, ſed perpetuo. Vita enim hominis Chriſtiani perpetuum eſt feſtum, quod hilariter in honorem Dei etiam inter medios labores celebrat. Omnes enim dies pariter judicat, Rom. 14. 5. Non patitur ſeſe judicari in parte diei feſti. Col. 2. 17. Laboribus corporis ita deditus eſt, ut interea animus Deo ſemper vacet. Novit & corporis laboribus, ſi divino cultui officiant, moderari, cùm in fructu laborum iſtiuſmodi felicitatem minime ponat. Porrò docet Apoſtolus primùm quomodo non ſit nobis celebrandum feſtum hoc, deinde quomodo ſit celebrandum. Non eſt celebrandum *infermento veteri.* Quod quid ſit explicat in ſequentibus, *neque in fermento malitiæ & improbitatis*, ſive *nequitiæ.* Sub duabus his vocibus quicquid eſt vitiorum complecti videtur: aliter quàm Rom. 1. 29. Ubi cum aliis pluribus eaſdem ponit. Videtur improbitas ſive nequitia addere malitiæ nocendi aliis proclivitatem. Cæterum quæ ſuperius dicta fuerunt de expurgatione fermenti veteris, eadem hic quoque eatenus referri poſſunt, quatenus ſine fermento iſto vita Chriſtianis agenda præcipitur. Hoc tantùm notandum, non ſufficere quòd quis bene cœperit, niſi pergat. Non ſatis repurgaſſe ſemel ſordes vitiorum, ſed curandum eſt ne illis rurſus unquam inquinemur. Vide 2 Petr. 2. 20. Tenenda eſt fides & bona conſcientia, quam nonnulli repellentes, fidei naufragium fecerunt. 1 Tim. 1. 19. Vide & Hebr. 3. 12. Huc pertinent quoque omnes Epiſtolæ ad Eccleſias Aſiæ in Apocalypſi: inprimis cap. 2. ℣. 4, 5, 16. cap. 3. ℣. 23 & ſeqq. Caveamus igitur, & cum timore ac tremore ſalutem noſtram operemur. Philip. 2. 12.

Sequitur quomodo ſit celebrandum iſtud paſcha. *In azymis, ſinceritatis & veritatis.* Malitiæ & improbitati ſive nequitiæ, probitas atque virtus opponitur. Sed ſignificantius Apoſtolus loquitur, cùm inquit, *in azymis ſinceritatis*, quàm ſi dixiſſet virtutis aut probitatis. Poteſt virtuti atque probitati adhuc aliquid admiſtum eſſe labis. Hanc verò per ſinceritatem excludit. Appoſitè verò ad continuandam de fermento allegoriam ſinceritatis mentionem facit. Eſt enim in fermentato compoſitio quædam ex vetere fermento & nova maſſa. Hanc ſinceritatem Apoſtolus inculcat quoque Philip. 1. ℣. 10, 11. Vide & 2 Cor. 6. 14, 15, 16. Item Matth. 5. 24. Exemplum Apoſtoli 2 Cor. 1. 12. Vetat Deus diverſis ſeminibus vineam conſerere, vetat bovem cum aſino aratro jungere, vetat veſtem ex lana atque lino induere. Deut. 22. verſ. 9, 10, 11. Adumbrare quippe jam tum voluit miſturam ſibi moleſtam. Unde diſcimus quanta in Chriſtiano perfectio requiritur.

Addit Apoſtolus, *& veritatis.* Veritas eſt proprie virtus ſermonis cum re conſentientis, ad quam & alibi noſter nos Apoſtolus hortatur. ut Epheſ. 4. 25. Quod ſumtum eſt ex Zachar. 8. verſ. 16. Hoc in loco quia ſinceritati jungitur, videtur integritatem animi quæ fuco atque ſimulationi opponitur ſignificare. Ita enim veritas & alibi uſurpatur. ut Heb. 10. 22. 1 Johan. 3. 18. Meritò autem Apoſtolus hanc integritatem nobis inculcat. Quid enim nos juvabit ſimulatio apud eum qui corda & renes ſcrutatur, quod non tantùm de Deo, toto Pſalmo 139, ſed & de Domino Jeſu, Apoc. 2. ℣. 23 dicitur. Cui ibidem ℣. 18 oculi inſtar flammarum tribuuntur. Vide Heb. 4. 13. Difficilis eſt evaſio cùm qui judex idem teſtis eſt. *Deus major eſt corde noſtro.* 1 Joh. 3. 20.

Poteſt tamen & alius eſſe ſenſus, ut veritas opponatur umbræ quæ in azymis veteris legis fuerit. Ita Chriſtus gratia & veritate plenus, & veritas per ipſum facta dicitur. Joh. 1. ℣. 14, & 17. Sic Joh. 6. 32, *Pater meus verum vobis dat panem è cœlo.* Et Hebr. 8 ℣. 2, Chriſtus dicitur miniſter veri tabernaculi. Lex enim umbram habebat futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum. Hebr. 10 ℣. 1. Hic occaſio foret ampla, de ſignificatione omnium ceremoniarum Veteris Fœderis diſſerendi: Verbi gratiâ, circumciſionis, ablutionum variarum, ſacrificiorum, feſtorum, templi, ſacerdotii &c. Sed habenda temporis eſt ratio. Diſcamus in genere nulla nos re in pietate inferiores Hebræis eſſe debere, imò potiùs conniti, ut tanto illis ſuperiores ſimus, quanto umbræ corpori præſtant. Vide Ethicam Chriſtianam pag. 115, & 400.

1 Cor. 6. verſ. 2, 3, 4.

IN his verbis conſiderandum eſt, primò quid Apoſtolus probare velit. Deinde qua ratione id probare velit. Quid probet, ipſe ſatis expreſſit, in fine verſ. 2, ubi rationis ſuæ concluſionem ita effert; *Num indigni eſtis minimis judiciis*: quaſi dicat, digniſſimi eſtis qui de rebus tam exiguis quales ſunt eæ quæ ad hanc vitam pertinent, judicetis. Probat autem id eo, quia de rebus longe majoribus judicaturi ſumus, & olim cùm mundus atque angeli damnabuntur, veluti judices ſeſſuri, & ſententiam damnatoriam laturi. Nam vulgarem horum verborum interpretationem ſequimur: Niſi quod ea quæ ab aliis ſejunguntur, conjungenda putamus. Duæ enim cauſæ videntur, ob quas dicitur nos mundum atque angelos judicaturos, quas alii ita ſejungunt, ut unam tantùm harum ad iſtud judicium putent ſufficere: atque ita alii hanc, alii illam hoc loco tantum commemorent. Prior cauſa eſt, quòd nos pietate noſtra ſeu noſtro exemplo damnaturi quodammodo ſimus impios qui *mundi* nomine intelliguntur, quia nimirum hoc pacto illis omnem excuſationem ſuæ impietatis ſimus erepturi. Qua ratione dicitur Noë fide ſua omnes ſuæ ætatis homines damnaſſe, Hebr. xi. 7. Et præputium, ex natura legem ſervans, dicitur judicaturum Judæum, qui per literam & circumciſionem ſit tranſgreſſor legis, Rom. 2. 27.

Et viri Ninivitæ, & Regina Auſtri, dicuntur reſurrecturi in judicio cum generatione iſta Judaica quæ ætate Chriſti vixit, & damnaturi illam: quia illi pœnitentiam egerint ad prædicationem Jonæ, cùm tamen hic plus fuerit quam Jonas; hæc verò venerit ab extremis terræ ut audiret ſapientiam Salomonis, cùm tamen hic eſſet plus quàm Salomon, Matth. 12. 41, 42. Eodem ergo modo dici poteſt nos olim in judicio damnaturos mundum, & angelos, quia cùm mundus eandem ad pietatem habuerit occaſionem & vires, nec tamen eam pietatem præſtiterit, quam nos præſtitimus, omnis illi excuſatio noſtro exemplo adimetur, & apparebit eum ſua plane culpa in Chriſtum non credidiſſe, & in impietate ſua perſeveraſſe. *Angelos* autem, nempe malos, adhuc multo magis, quia illi longe majores vires ad obediendum Deo, ac longe majora incita-

incitamenta, impedimenta verò nulla revera habuerunt quominus Deo parerent: nos verò plurima, tum in corpore noſtro, affectibus variis & cupiditatibus obnoxio, tum extra nos, in hoc mundo & hominibus hujus mundi, ipſiſque malis angelis, adeoque exiguas ad Deo parendum vires, reſpectu iſtorum angelorum; nihilominus tamen Deo quem nunquam vidimus, paruimus, & uſque ad extremum vitæ ſpiritum adhæſimus, quem illi impie deſeruerunt. Quare his quoque omnem excuſandi ſeſe occaſionem exemplo noſtro eripiemus. Hæc ergo prior cauſa eſt, cur dici debeat nos olim mundum & angelos judicaturos. Poſterior eſt, dignitas noſtra ſumma, & noſtra cum Chriſto judice conjunctio, quæ faciat ut cenſeri poſſimus cum illo unà veluti judices aſſidere, & mundum angeloſque malos, quos felicitate noſtra ac dignitate ſuperabimus, damnare. Verùm hæc poſterior ratio, niſi prior cum illa conjungatur, ſufficere non videtur. Quare breviter conjunctis his duabus cauſis, ita judicium hoc explicandum putamus; Nos olim cum Chriſto judice mundi ac dæmonum, dignitate conjunctos, mundum & dæmones, noſtro exemplo, quod ſententiæ loco ſit, damnaturos. Simili ratione, quanquam excellentiori Apoſtolis promittitur, eos *in judicio olim ſeſſuros ſuper* XII *thronos, & judicaturos* XII *tribus Iſraëlis*. Matth. 19. 28. Qua de re alibi diſſeruimus. Diximus autem excellentiori quadam ratione id de Apoſtolis aſſeri, quia ex eorum legibus quanquam à Chriſto traditis populus divinus judicabitur: id quod cum priori cauſa ob quam nos judices dicimur futuri, convenientiam quandam habet. Ad poſteriorem verò illuſtrandam illud aliquo modo pertinet, quod Chriſtus promittit, Apoc. 2, 26, 27. *Qui vincit & ſervat uſque ad finem opera mea, dabo illi poteſtatem in gentes, & paſcet eas virga ferrea, tanquam vaſa figulina conterentur.* Quanquam hoc propterea etiam dici videtur, quia is qui vincit, & ſervat uſque ad finem opera Chriſti, non tantùm olim cùm impii peribunt, ipſe rex quidam cœleſtis evadet, verùm etiam quia ipſe in cauſa quodammodo erit cur iſti pereant, atque à Chriſto qui verè illos paſcet ac conteret, diſperdantur; nimirum quia illi hoſtes ejus qui vicerit, fuerint. Verùm quia verba hæc ab aliis aliter explicantur; videndum eſt quænam interpretatio vel verbis ipſis vel loci circumſtantiis magis ſit conſentanea. Diſcrepantia autem potiſſimùm eſt in verbo *judicandi*, & *angelorum*. Nam quod ad prius attinet, *judicare* ab iis accipitur pro præſtantiorem eſſe, vel dignitate ſuperare. Verùm primò hanc ſententiam non facile ullo exemplo comprobabunt. Nam quod ad illud attinet, id quidem reperias in Sacris Literis, *judicare* ſumi pro regere; verùm ut ſimpliciter ſignificet dignitate ſupra alium eminere, id nuſpiam crediderim reperiri. Iſta verò ſignificatio verbi *judicandi* quam nos ſuprà ſumus amplexi, ſatis jam à nobis eſt comprobata, & exemplis illuſtrata. Deinde iſtud obſtat huic ſignificationi hoc loco, ut ut ea alibi exſtaret, quòd id verbum eodem orationis complexu, & ad angelos & ad res huic vitæ ſervientes referatur: & quidem ita ut poſterius ad prius manifeſtam habeat relationem, & illud ex hoc deducatur. Nam verſ. 3. ita loquitur; *An neſcitis quòd Angelos judicabimus? quidni ergo res ad hanc vitam pertinentes?* Nam etiamſi fatendum ſit paulo aliter de Angelis dici eos à nobis judicandos, aliter de rebus ad hanc vitam pertinentibus (de illis enim Metaphorice atque improprie, de his proprie effertur) non eſt tamen concedendum nimis remotas eſſe à ſe mutuò illas ſignificationes; ſed elegantem quandam inter ſe habere analogiam, quod in explicatione noſtra contingit. Siquidem utrobique *judicium* ſententiæ pronunciatio intelligitur; quanquam ibi impropria ſeu per ſimilitudinem ita dicta, hîc propria. At in altera illa ſignificatione id nequaquam deprehenditur: & ſic omnis ſermonis concinnitas atque elegantia, quam tamen ſequutus eſt Apoſtolus, perit. Talis enim erit ſenſus: An neſcitis quòd Angelis ſimus futuri præſtantiores, nedum negotia ad hanc vitam pertinentia, ſcilicet judicabimus. Præterea ut minus duriter dictum cenſeri debeat judicare mundum aut Angelos, eſſe, dignitate ſuperare mundum aut Angelos; tamen nimis videretur durus ille loquendi modus, quo ℣. 2 utitur Apoſtolus, nempe *in vobis judicatur mundus*. At longe concinnius & conſuetudini ſermonis Apoſtolici convenientius eſt, ſi dixeris, illis verbis ſignificari, per vos judicatur aut damnatur mundus. Denique ut alia omittamus, & ad alterum quod hoc loco in diſputationem vocatur, nempe quid per *Angelos* hîc ſignificetur, tranſeamus; non videtur veriſimile, Apoſtolum per Angelos, bonos Angelos intelligere voluiſſe: id quod ſententia iſta requirere videtur, quæ vocem *judicandi* tantum de eminentia ratione dignitatis accipit. Nam quæ aliàs hic eſſet comparatio ſi id tantùm ſignificare voluiſſet Apoſtolus; Nos dæmonibus dignitate præſtituros: cùm ſciamus quàm infelices illi nunc ſint, poſtquam mali evaſerunt. Jam verò primùm eam ob cauſam non videtur veriſimile eſſe, Apoſtolum dixiſſe, nos Angelos bonos judicaturos, quòd ſi verbo judicandi, præſtantia & dignitas noſtra præ angelis, ut iſta ſententia requirit, ſignificetur; non quævis præſtantia fuerit intelligenda: ſed talis quæ cum imperio & dominio aliquo in Angelos ſit conjuncta. Talis enim dignitatis eminentia hoc verbo ſignificatur. At eo modo nos Angelis fore ſuperiores nullus Scripturæ locus docet, & nimis foret audax id aſſerere: neque etiam ab iis quorum ſententiam jam examinamus, aſſeritur. Ac præterea, etiamſi id verum eſſet, non tamen ab Apoſtolo videtur hoc loco fuiſſe aſſerendum, ubi tanquam de re Corinthiis etiam vulgò nota & admodum manifeſta loquitur, cùm inquit: *An neſcitis quòd Angelos judicabimus?* At Corinthiis vulgò notum fuiſſe nos imperium aliquod habituros in Angelos, haud videtur concedendum. Vix enim fieri poſſe videtur quin ſi res hæc Corinthiis generatim omnibus nota fuiſſet, & à viris divinis aperte ab ipſo etiam initio inculcata, eadem res in Sacris Literis ſæpiſſime vel ſaltem alicubi aperte fuiſſet explicata: ſiquidem ea res ad omnium Chriſtianorum conſolationem & ſingulare gaudium pertinuiſſet: fuiſſetque tale quippiam quod ab omnibus percipi haud difficulter potuiſſet. Eadem cauſa eſt cur etiamſi tandem ſimplicem tantummodo dignitatis præeminentiam atque ab imperio ſejunctam iſto verbo ſignificari poſſe concedamus, non tamen facile concedendum ſit, de ea hic ſermonem eſſe. Nam nec de eo quicquam certi conſtat nos aliquando Angelos reipſa dignitate ſuperaturos, & ſi quid tale eſt, id ſatis obſcure non tam in Sacris Literis ſcriptum eſt quàm ex illis colligitur, adeo ut eam rem tanquam admodum manifeſtam pro conceſſo hic ſumere non potuerit Apoſtolus. Cui illud quoque addendum eſt, quod ii qui eminentiam iſtam dignitatis ſupra Angelos intelligunt, aſſerere non audeant Angelos fore olim dignitate nobis inferiores, ſed tantùm noſtram conditionem olim futuram meliorem aut præſtantiorem quàm nunc ſit Angelorum. Sed Apoſtoli verba de eo loquuntur quod olim reipſa ſit futurum: & nimis eſt durum, ac prorſus inuſitatum talem aliquam eminentiam verbo *judicandi* ſignificari. Maximè ſi quis conſideret hoc loco ea ad quod idem *judicandi* verbum refertur nempe ea quæ ad vitam pertinent. Deinde illud quoque cum ſententia iſta parum convenit, quòd hoc loco judicium iſtud Angelorum, cum judicio mundi hoc eſt impiorum hominum olim futuro conjungitur: videturque plane abſonum Angelos bonos cum hominibus impiis aliquando damnandis hac in parte aliquo modo conferri aut comparari. At iſtud longe eſt probabilius, & convenientius, Diabolum & ejus Angelos cum hominibus impiis ratione futuri judicii conferri ac comparari: quum eadem ſit futura illorum conditio, ut Sacræ Literæ manifeſtiſſime docent: Inter alia vide Matth. 25 ad finem. Sed urgent illi Angelorum ſimplici nomine nuſpiam in Sacris Literis angelos tantùm malos intelligi. Reſpondendum videtur; Etiamſi id nuſpiam prorſus factum reperiretur; tamen quia hoc nomen ſpiritibus malis convenit, & nonnun-

nonnunquam ea voce angeli tam boni quam mali promiſcue intelliguntur, ut Job. cap. 4. verſ. 18. nonnunquam etiam adjecta aliqua voce aut explicatione ita appellantur mali ſpiritus; nil prohibet ibi ubi circumſtantiæ loci ſuadent, & res ipſa quæ angelis tribuitur inſtar limitationis & adjectionis eſſe poteſt, angelos malos intelligere. Talia enim ſunt ſubjecta qualia à prædicatis eſſe permittuntur, ut vulgo in Scholis loquuntur. Ita nemo mirari debet voculas quæ alibi adjiciuntur ad ſpiritus malos diſtincte ſignificandos, hoc loco fuiſſe neglectas, quia res ipſæ & circumſtantiæ, earum vicem ſupplerent. Eodem modo Rom. cap. VIII. 38 ſimpliciter angelorum nomine Angeli mali videntur ſignificari. Ii enim iſto in loco haudquaquam erant omittendi ubi ea recenſentur quæ aliquam ad nos felicitate noſtra excludendos vim habent, ſed vel potiſſimùm commemorandi, cùm ii ſint infenſiſſimi ſalutis noſtræ hoſtes, & id perpetuo agant ut ſalute nos excludant. Nam ſi quis dicat, Paulum tantum amplificandi & exaggerandi cauſa angelorum feciſſe mentionem, non quòd eos noſtræ perniciei incumbere indicare voluerit, atque adeo bonos Angelos intelligi hoc loco poſſe, quemadmodum proximè antea vitæ fecerat mentionem, licet ea nullam videatur habere vim ad nos ſalute privandos, id haudquaquam concedendum eſt. Nam etiamſi largimur Paulum quorundam hoc loco mentionem facere quæ per ſe ipſa ad rem non videantur pertinere & nullam vim habeant ad ſalutem nobis eripiendam, (quanquam id incertum eſt: cum fieri poſſit, ut vita verbi gratiâ quæ minime omnium ad rem videtur pertinere, vita inquam hæc terrena aliquid ſaluti noſtræ afferat remoræ) tamen id tum demum fieri cenſendum eſt, cùm oppoſitum ejus quod ad rem per ſe facit antea fuit nominatum, & ſic ad alterum oppoſitum exprimendum occaſionem aliquam præbuit. At quum nulla talis eſt occaſio non eſt concedendum ullo pacto aliquid à Paulo nominatum quod ad rem non faciat, & fruſtra expreſſum cenſeri debeat. Hoc autem modo angelorum hoc loco facta eſt mentio nulla re præcedente quæ eorum mentionem facere ſuadeat, niſi res ipſa de qua ſermo eſt, id exigat ac requirat: ſtatuendumque eſt, recte Apoſtolum nominata morte quæ maximam ex iptius rei natura vim habere videtur, ad nos ſalute excludendos, angelorum nempe malorum, tum principum ac poteſtatum, quæ inter angelos iſtos eminent, & robur ad nos ſalute privandos maximum habent, (niſi quis magiſtratus humanos quoque his vocibus velit comprehendi,) nominaſſe tanquam ejus mortis efficientes cauſas præcipuas, cùm Diabolus eorum princeps, cui cæteri omnes ſubſerviunt, mortis ſeu mortiferum dicatur habere imperium. Unde neceſſe fuit ut per Chriſti mortem deſtrueretur, ſi nos morte ejuſque metu liberari debeamus, ut Heb. cap. XI. verſ. 14, 15. patet. Diximus autem, mortis mentione facta, angelorum ſubjectam eſſe mentionem, licet vox vitæ fuerit interjecta, quia vitæ hic exigua eſt habenda ratio, cùm vix veriſimile ſit Apoſtolum eam fuiſſe nominaturum, etſi aliquam vim in hoc de quo agitur negotio habere poſſit, niſi mortis prius feciſſet mentionem, quam per contrarium amplificare voluit: adeò ut ferè perinde cenſendum ſit ac ſi vox vitæ abeſſet. Progreditur autem Apoſtolus à genere ad ſpeciem potiſſimam, eo genere comprehenſam: quemadmodum & Petrus facit I epiſtola cap. III. verſ. ult. licèt ibi angelorum nomine boni etiam poſſint & debeant comprehendi.

Verùm ut ad locum ad Corinthios redeamus quod alii in voce *angelorum* metuunt, & in ſententia vulgari reprehendunt, id ipſi in *judicandi* vocabulo committunt, cujus nullum videntur afferre poſſe exemplum in eam ſignificationem accepti quam ipſi volunt, cùm tamen hic aliquod ſit exemplum & certa ratio quæ id fieri poſſe ſuadeat, & nulla ſit cauſa cur ab ea ſignificatione vocis *judicandi* quæ aliquot exemplis comprobari poteſt, diſcedatur, & inuſitata eligatur; imò rationes ſint quæ diverſum ſuadeant, & *angelorum* nomen pro malis accipiendum doceant.

Antequam ab his Apoſtoli verbis diſcedamus, aliorum quorundam objectio quam contra argumentum Apoſtoli prout à nobis explicatum eſt afferunt, diluenda eſt. Ajunt enim non ſequi ex eo quòd nos olim ſimus mundum & angelos judicaturi, nos quoque cauſas de rebus ad hanc vitam pertinentibus diſceptare poſſe, adeoque ad judicia hæc aptos eſſe: cùm fieri poſſit, ut is qui olim mundum eſt judicaturus, jus civile ignoret, & ſic in judicando fallatur. Qui autem hujuſmodi eſt, idoneus controverſiarum judex eſſe nequit. Reſpondeo, primò, Apoſtolum ex eo quod nos olim mundum & angelos ſimus judicaturi, non concludere ſimpliciter, nos idoneos eſſe controverſiarum de rebus ad victum pertinentibus judices: ſed tantum nos haudquaquam eſſe indignos qui de hujuſmodi rebus judicemus. Non ergo omnia idonei judicis attributa, ſed dignitatem tantum judici convenientem ex judicio noſtro futuro colligit Apoſtolus. Apparet enim eos qui apud Corinthios, ad judices infideles confugerunt, fideles ea in parte contemſiſſe, & indigniores judicaſſe, quam ut eorum judicio ſeſe ſubjicerent. Quia nimirum dignitas quædam atque authoritas in judice requiratur, quam piis crediderunt deeſſe. In Magiſtratu autem infideli abunde crediderunt reperiri. Huic ergo illorum opinioni occurrit Apoſtolus, & ea quam expoſuimus ratione dignitatem ac præſtantiam Chriſtianorum aſſerit. Facultatem & ſcientiam juris ad eam rem neceſſariam interim præſupponens, de qua infrà demum agit verſ. 5. ubi ait; *Ita non eſt inter vos ſapiens neque unus qui poſſit dijudicare inter fratrem ſuum?* Præſupponit ergo illam ſcientiam in ſuperioribus verbis ideo, vel ejus rationem nullam habet, quia poſtmodum de ea eſſet dicturus, vel quia non eſſet veriſimile, ut ipſemet aſſerit, ne unum quidem adeò rerum peritum inter ipſos reperiri qui id præſtare poſſet. Idque tanto magis quia in iis controverſiis quæ inter Corinthios agitabantur, altera pars injuriam faciebat, altera patiebatur: quemadmodum ex verſ. 7. & 8. apparet. At tales controverſias dijudicare Chriſtianorum eſt propè omnium, ſaltem plerumque: cùm neceſſe ſit ut Chriſtiani ab omni genere injuriæ abſtineant, & ſic etiam quid juſtum quidve injuſtum ſciant. Quomode enim alioqui injurias vitarent? Non eſt ergo veriſimile Chriſtianos ejuſmodi cauſis diſceptare non poſſe: præſertim ſi cœtus aliquis ſit ex multis variiſque hominibus conſtitutus: qualis erat cœtus Corinthiorum. Quod ſi nihilominus interdum incidant controverſiæ difficiles, quas dijudicare non ſit cujuſvis, ſed ejus demum qui ſingularem præ cæteris juris cognitionem habeat; non prohibet Paulus quominus Corinthii aliquos ex infidelibus juriſconſultos in conſilium adhibeant, & demum judicium ferant, modò ne coram Magiſtratu infideli litigent. Nam illud nunc non dicam, quòd non fuerit neceſſe, ut Paulus hujuſmodi caſuum qui fortaſſe rariores ſunt, haberet rationem; cùm ſatis ſit eum generatim de judiciis ad hanc vitam pertinentibus loquutum eſſe. Præterea ad objectionem iſtam illud quoque reſponderi poteſt: Si argumenti Apoſtolici vis rectè expendatur, illud quoque inde colligi poſſe, Chriſtianos homines rerum ad juſtitiam pertinentium tantam quanta hic ſufficiebat, habere cognitionem, ita ut propterea ad judices infideles confugere neceſſe non eſſet: & etiamſi tandem Chriſtiani aliqua ratione vincerentur juris civilis

cognitione, ab infidelibus, cum tamen defectum ipſos juſtitiæ & ſanctitatis ſtudio, quo infideles longe ſuperant, abunde explere. Nam ſi Chriſtiani, olim, infideles & injuſtos exemplo ſuo damnare debent, apparet eos juſtitia & probitate, cujus in judicando non minor videtur eſſe uſus aut neceſſitas quàm peritiæ rerum civilium, infideles longe ſuperare: ac præterea, ut ſupra monuimus, eam juris notitiam habere, qua inter juſtum & injuſtum diſcrimen conſtituere queant.

Verba ℣. 4. Non eodem modo ab omnibus leguntur, & accipiuntur. Alii enim per interrogationem quandam legunt, & verbum καθίζετε quod hoc loco ambiguitatem habet, pro præſenti indicativi accipiunt, & reddunt *conſtituitis*. Unde ejuſmodi emergit ſenſus: Judicia ergo ad vitam hanc pertinentia cùm habueritis, eos qui in Eccleſia contemti ſunt, id eſt infideles, eos inquam conſtituitis? quaſi dicat, Quàm indignum eſt vos id facere? Atque in hanc ſententiam ſequentia potiſſimùm verba eos videntur impuliſſe, quòd ſtatim ſequatur; *ad pudorem veſtrum hæc dico*. Quaſi dicat; Ego hoc dico ideo ut hujus facti veſtri vos pudeat. Alii ſine interrogatione hæc verba legunt, & verbum καθίζετε in imperativo ſumunt, ita ut hoc præceptum ſit Apoſtolicum, ex ſuperioribus deductum. Quaſi dicat; Quando ergo judicia habetis ad vitam hanc pertinentia, contemtos in Eccleſia homines conſtituite judices. Diſcrepant tamen hi ipſi inter ſe, quòd alii aliter accipiant vocem ἐξουθενημένους ſeu *contentorum*, *in Eccleſia*. Alii enim omnes fideles qui in Eccleſia ſunt per hoc verbum intelligunt, & eos ideo contemtos nominari arbitrantur, quià ab iis qui lites habuerunt, fuerunt antea contemti, & ſpreti, tanquam judiciis hujuſmodi indigni: ſiquidem non ad eorum, ſed ad infidelium judicium cauſas ſuas detulerunt. Alii verò contemtos in Eccleſia eos dici putant, qui ſunt in Eccleſia contemtibiles & veluti in infimo loco poſiti. Quaſi dicat Apoſtolus; Cùm habueritis judicia ad vitam hanc pertinentia, infimos potius & homines contemtibiles in Eccleſia judices conſtituite, quàm ut ad infidelium judicium confugiatis. Priorum ſententia de voce illa *contemtorum*, videtur Apoſtoli ſcopo verbiſque ſuperioribus ex quibus hæc deducuntur, valde conſentanea: præſertim cùm vox *contemtorum* propriè non de eo quod fieri poſſit, quemadmodum vox *contemtibilium* ſonat, ſed de eo quod factum ſit loquatur. Hoc unum, niſi fallor hic deſiderari à quopiam poſſet, quòd Apoſtolus dicat, *contemtos in Eccleſia*, quaſi hos contemtos ab aliis in eadem Eccleſia diſtinguat. Sed hoc non eſt neceſſarium. Poſſunt enim omnes qui ſunt in Eccleſia fratres hoc nomine ſignificari: quaſi dictum ſit; Eos quos antea contemſiſtis, eos nempe qui ſunt in Eccleſia, hos conſtituite. Deinde poſſunt nihilominus hi contemti in Eccleſia ab aliis quibuſdam qui in Eccleſia ſunt, nempe ab ipſis litigantibus, ſeu controverſias habentibus diſtingui. Poſteriori ſententiæ illud videtur obſtare, quòd Apoſtolus ſimpliciter loquatur, non verò comparatè: abſurdum autem ſit abſolutè dicere; Contemtos in Eccleſia & omnium infimos eſſe in Eccleſia conſtituendos judices. Nam primi potiùs & cæterorum prudentiſſimi judices conſtitui debent, ut ſequentia etiam verba indicant. Ne id nunc repetamus quod paulò antè de voce ἐξουθενημένους diximus. Quanquam illud quoque addi poteſt, vix veriſimile eſſe Apoſtolum hac voce deſcripturum ullum ex fidelibus ut eum contemtibilem, ſeu ut vox Græca ſonat pro nihilo reputandum dicat. Quod ad illorum ſententiam attinet, qui per contemtos in Eccleſia intelligunt infideles, iis objici ſolet quòd Apoſtolus ſi de facto Corinthiorum loqui voluiſſet, non videretur dicturus fuiſſe ἐὰν ἔχητε *cùm habueritis*, ſed potiùs ἔχοντες hoc eſt *habentes*, ſeu *quando habetis*. Illud enim ad futurum potiùs videtur reſpicere quàm ad præſens, aut ad id quod jam præteriit. Atqui illi volunt de re præſenti aut præterita loquutum eſſe Apoſtolum. Objici etiam fortaſſe poteſt, quòd vix dici queat, Infideles in Eccleſia Corinthiorum fuiſſe contemtos, ſed contemnendos potiùs, contrà quàm verbi fert ſignificatio aut poteſtas; à qua cùm nihil cogit diſcedere, haud temere eſt diſcedendum. Quod verò illi qui hanc ſententiam tuentur, ſequentia verba pro ſe adducunt, id infirmum eſt: cùm poſſint ea non ad præcedentia ſed ad ſequentia referri, hoc modo: *Ad pudorem veſtrum dico; Num ne unus quidem inter vos eſt ſapiens, qui poſſit inter fratrem ſuum dijudicare?* Quaſi dicat; Pudere vos debet, quòd videamini hujuſmodi facto indicare, ne unum quidem inter vos eſſe ſapientem, qui lites hujuſmodi inter fratres diſceptare queat. Probabiles quidem ſunt hæ conjecturæ: ſed nulla earum ita videtur firma ut non liceat quamcunque ex his ſententiis amplecti: & ſatius ſit rem in dubio relinquere; quàm quippiam conſtanter aſſeverare: niſi fortè quid cuipiam inciderit firmius.

1 Cor. 7. verſ. 7.

IN his verbis explicat Apoſtolus ordinem qui ſit inter perſonas divinas, & humanas, ratione imperii & ſubjectionis: idque tum junctim tum diſjunctim. Nam primùm ordinem quendam conſtituit inter perſonas quaſdam humanas, & divinas. Deinde inter ſolas humanas; & denique inter ſolas divinas. Quanquam prius attentionem Corinthiorum excitat, dum ait, *Volo autem vos ſcire*. Deinde rem primam, quæ nimirum comparationem continet inter perſonas quaſdam humanas & divinas, vel potius unam ex divinis, exprimit, dum ait, *quòd omnis viri caput ſit Chriſtus*. Ubi per virum præcipue quidem videtur intelligere maritum; ſed interea tamen etiam cæteros mares complecti cenſendus eſt, utpote à natura ita factos ut & mariti fiant, & porrò capita ſint uxorum ſuarum. Dum autem ait, *viri caput eſſe Chriſtum*, nequaquam excludit fæminas, imò validiùs ut ita dicam, includit. Si enim Chriſtus caput eſt capitis mulierum, quidni & ipſarum mulierum? Quanquam fortè dici poteſt, Chriſtum, aliqua ſaltem ex parte, mediatè mulierum eſſe caput, virorum ita generatim loquendo, magis immediatè. Nam & per maritos illis aliqua ex parte imperat, licet alioquin multa ſint officia quæ æque immediatè ad uxores pertinent atque ad maritos, utpote ad peculiare officium uxorum erga maritos non ſpectantia. Cur autem Chriſtus caput dicatur viri, notum eſt. Quorſus autem hoc dicat, poſtea explicari poterit, ubi ſecundum hujus loci membrum viderimus, ad quod ſtatim accedimus. Continetur autem illis verbis, *Caput autem mulieris vir*. Ubi quemadmodnm antea per virum intelleximus maritum primò, deinde etiam marem quemvis, utpote qui maritus eſſe poteſt, & ut fiat, à natura factus eſt, ita mulieris nomine intelligimus primò uxorem, deinde quamvis fæminam, utpote à natura etiam ita factam ut uxor fiat, & ſic ſub marito ſit tanquàm ſub capite. Maritus actu caput eſt, uxor actu caput habet: quivis mas in cœlibatu adhuc conſtitutus, potentiâ naturali caput eſt, puella eadem potentiâ caput habet. Quid autem iſtud ſit, itidem notum eſt. Quorſum verò id dicat, ex ſequentibus Apoſtoli verbis apparet, in quibus id monet ut viri orantes, aut prophetantes capite ſint aperto, ut libertatem ſuam oſtendant, & nihil ſuper capite habere, hoc eſt ſuperiorem aliquem Dominum non agnoſcere oſtendant, & Dei imaginem hac in parte ſe gerere ſignificent: Contra autem ut mulieres orantes aut prophetantes caput tegant, & ipſo capitis tegumento ſe ſub aliena poteſtate eſſe, non vero ab alieno imperio ac dominio in terris liberas profitentur. Itaque media pars hujus loci ac comparationis in eo inſtitutæ per ſe ad rem facit;

eit; Cæteræ illius confirmandæ atque illustrandæ causâ adduntur. Potest autem prior loci ac comparationis Apostolicæ pars, ita accipi; ut non tam per similitudinem illustret eam quæ in medio est posita, quàm ut tacitæ cuidam objectioni occurratur: præsertim quia omnino videtur subaudienda particula μὲν id est quidem. Quasi dicat; Quod omnis quidem viri caput est Christus, sed caput mulieris vir: id est, Etiamsi vir quivis sit sub alieno imperio, nempe Christi, eo tamen nihil obstante, vir iterum est caput mulieris. Aliàs si per similitudinem id explicare velis, hujusmodi erit sensus, quòd quemadmodum omnis viri caput est Christus, ita vicissim vir caput est mulieris. Verùm prior expositio ideo magis est vero consentanea, quia particula *autem*, indicat oppositionem quandam esse inter hoc & prius membrum: atque adeo ex dissentaneis, non ex consentaneis rem illustrari. Quod verò ad tertium membrum attinet, in quo comparatio instituitur inter solas personas divinas, seu divinum imperium habentes, id istis continetur verbis, *caput autem Christi Deus*, quoniam in suo imperio Christus à Deo dependet; non modò quia id à Deo totum accepit, verùm etiam quia ipsius nomine administrat, & secundùm leges ipsius generales omnia disponit, idque agit ut voluntatem ejus ad exitum perducat. Cæteroquin in iis quæ generalibus illis legibus, (quibus addenda sunt peculiaria de rebus singularibus decreta) definita non sunt, liberrimus. Hæc autem pars simul ad illustrandam mediam per similitudinem addita videtur, & ad primam etiam declarandam, & errori qui inde nasci forte posset occurrendum. Neque enim hic obstat particula *verò* quæ diversitatem simpliciter hujus membri à priori indicat; quum in præcedenti itidem sit posita particula δὲ. Nam quod ad proximum membrum attinet, ejusmodi institui potest, similitudo: quòd quemadmodum vir mulieris est caput, ita Deus Christi: sed quod ad primum membrum attinet, cogitare aliquis posset, quia Christus viri caput esse dicatur, jam virum Dei imperio esse exemtum, & Christi imperium nulli alii prorsus esse subordinatum. Caput enim id videtur esse quod nihil supra se habeat. Ostendit ergo Paulus his verbis non esse Christi imperium simpliciter & absolutè summum, sed Dei imperio subordinatum: ac porrò etiam virum, licèt sub Christi sit potestate, tanquam capitis sui, non tamen à Dei ipsius imperio exemtum esse. Imò vel ob id ipsum quia Christi imperio sit subjectus, etiam Dei imperio subjectum esse, quum Deus ipsius Christi rursus sit caput. Qui autem caput est capitis, multo magis etiam est caput eorum quæ sunt sub illo capite. Idem denique etiam de muliere statuendum est; quæ utut sub imperio sit viri, non desinit tamen esse sub imperio Christi: sed vel ob id ipsum quod imperio mariti subsit, Christi imperio subest, ac porrò etiam Dei, qui Christi est caput.

1 *Cor.* 10. *vers.* 16, 17, *ad p.* 84.

IN his verbis docet Apostolus quid significet ritus Eucharistiæ à Christo institutus, seu quid aperte profiteantur ac testentur ii qui ritum hunc obeunt ac celebrant. Quia vero ritus hic duabus constat partibus, nimirum usu poculi Eucharistici, & comestione panis, ad eundem usum destinati, ideo Apostolus de utraque parte separatim agit, & quid declaret ac designet seorsim ostendit, quanquam scopus principalis utriusque rei idem est. Initium autem facit Apostolus ab usu poculi Eucharistici, licet ea pars ritus hujus sacri ordine sit posterior, quemadmodum Domini Jesu Christi institutio ab Euangelistis sat diligenter descripta, & à Paulo repetita, ostendit, & ratio aliquomodo comprobat, quandoquidem, licet hæc comestio sacra sit, tamen ad vulgares cœnas, aut cibi ac potus usum alluditur. Solent autem plerique esculentis prius uti, quam poculentis. Initium nihilominus à poculo Eucharistico facit Apostolis, vel propterea, quia de usu panis sacri, seu Eucharistici, plura, quam de poculo dicturus erat, quemadmodum apparet ex ℣. 17. Solent autem S. L. non rarò id de quo plura dicturi sunt, posteriori loco exprimere ac describere, licèt alioquin ordine præcedat, cujus rei inter alia illustre habes exemplum Apocal. 1. 5, collato cum præcedenti, ubi ob causam dictam, posterius de Christo agitur, quam de septem spiritibus: vel inquam ob causam dictam, à poculo fecit initium Apostolus, vel ideo quia poculum eucharisticum ac laudatorium, seu gratulatorium aptius respondet poculis illis, quæ in idololatricis conviviis, à quibus Corinthios hoc loco dehortatur Apostolus, diis falsis libabantur, aut in honorem istorum deorum circumferebantur, & à singulis convivis hauriebantur, maximè si homines essent affecti aliquo beneficio, ac gaudio singulari, quod illi suis diis imputabant, quibus propterea tum sacrificiis, tum epulis, post victimarum oblationem, atque imprimis poculo illo gratulatorio, seu laudatorio, honorem habebant. At in usu panis, minus apparet ea similitudo, cum non appareat in conviviis istis, pane vel cibo aliquo insignite, honorem diis habitum, in conviviis istis. Dico insignitè idque in conviviis, quia cæteroqui & carnes apponi solebant de victimis, seu idolothytis, & de cibis etiam aliquid demi solebat, quod postea diis libaretur, ac cremaretur. Cæteroqui cibum aliquem insignitè fuisse in honorem deastri alicujus comestum, non apparet, secus quam in poculo.

Sed misso nunc ordine, de quo plus satis, verba ipsa consideremus. Ea verò sunt; *Poculum benedictionis, quod benedicimus, nonne communicatio vel communio sanguinis Christi est.* Ubi, quod etiam in sequenti parte observandum est, Primum describitur altera hujus sacri ritus pars. Deinde ostenditur quam significandi vim habeat. Descriptio alterius hujus partis, est ibi *Poculum benedictionis, quod benedicimus.* Per poculum hoc loco non tantum id quod in poculo continetur, nempe potus, sed etiam illius usus intelligitur, duplici metonymiâ. Quandoquidem, & continens pro contento, & res, pro rei usu, quam rei adjunctum, vel si mavis effectum possis statuere, sumitur. Prius, apud omnes satis manifestum est. Posterius ex eo patet, quia communicatio illa sanguinis Christi, ad homines refertur, qui sanguinem Christi participent, ut postmodum intelligetur, cum eorum verborum sententiam examinabimus. Jam verò poculum, aut quod in poculo continetur, nisi ab hominibus usurpetur, nequaquam communicatio ejusmodi est sanguinis Christi, quocunque tandem modo, verba ista velis accipere, Quod idem etiam de pane, cujus postea fit mentio, erit intelligendum quanquam id ipsum videtur Apostolus, satis expressisse in sequentibus, cum addit:

Poculum benedictionis, quod benedicimus. Quibus verbis, quæ usum istius poculi universum revera complectuntur, non tantum discrimen exprimit hujus poculi, ab aliis prophanis, & sic amplitudinem vocis *poculi* restringere vult ad poculum Eucharisticum, sed etiam ostendere, quomodo, seu quatenus etiam poculum istud sit communicatio sanguinis Christi. Quare ut Scholastici loquuntur, formaliter hæc verba sunt accipienda, & non tantum intelligendum id poculum benedictionis, quod benedicimus esse communicationem sanguinis Christi, sed etiam eatenus, hoc poculum, esse communicationem sanguinis Christi, quatenus est poculum benedictionis quod benedicimus, quod idem statuendum est de pane quem frangimus; qua fractione, universus ille ritus, qui circa panem adhibetur, & sic ipsa

quoque comestio per synecdochen quandam comprehenditur. Antequam autem ad sequentia verba progrediamur duo hoc loco possunt observari. id est quòd eucharisticum ritum describens Paulus, & quidem eatenus, quatenus ab omnibus Christi fidelibus celebratur, poculum haud quamque omittit, sed primò etiam loco collocat, satis aperte ostendens, illud ab omnibus Christianis usurpari solere, atque adeo usurpandum. Nam ut ea hoc loco dicamus, quæ cæteris etiam à nobis postmodum explicandis, Lucem afferre possunt. Paulus hoc loco Corinthios, ab idololatria, seu ab epulis idololatricis dehortatur, idque hac ratione, quia illi sint participes mensæ Dominicæ, & poculum Domini bibant. Non potest autem fieri, seu non liceat poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum, & participem esse mensæ Domini, ac dæmoniorum. Quemadmodum ex ℣. 21. ubi totam hanc raciocinationem suam claudit, apparet, quod posterius propterea affirmat Apostolus, quia is qui ex poculo Domini bibat, particeps sit, vel esse se profiteatur sanguinis Domini, & qui de pane isto sacro comedat, particeps sit, vel participem se esse profiteatur, corporis Domini, quemadmodum contra is qui comedat idolothyta ipsisque adeò dæmoniis sacrificata, particeps sit, vel esse se profiteatur dæmoniorum. Quasi hoc pacto argumentaretur Apostolus: Qui particeps est mensæ ac poculi Dominici, is non debet esse particeps, mensæ ac poculi dæmoniorum. At vos estis participes, mensæ ac poculi Dominici. Ergo non debetis esse participes, mensæ ac poculi dæmoniorum. Majoris sententia uti diximus continetur ℣. 21; Minor verò ipsa, vel reticetur tamquam manifesta, vel in istis de quibus nos agimus verbis, nempe ℣. 16, & 17. aliquomodo comprehenditur. Majorem iterum hac ratione probat Paulus. Quicunque est particeps, vel participem se esse profitetur corporis & sanguinis Domini, is non debet esse particeps, vel participem se profiteri dæmoniorum, atque adeò non debet esse particeps mensæ & poculi dæmoniorum. At quicunque particeps est mensæ & poculi Dominici, is particeps est, vel participem se esse profitetur, corporis & sanguinis Domini. Ergo, qui mensæ & poculi Dominici particeps est, non debet particeps esse, vel participem se profiteri dæmoniorum, atque adeò, nec mensæ ac poculi dæmoniorum esse particeps, quandoquidem (nova enim hic latet argumentatio qua major syllogismi probetur.) Is qui particeps est mensæ & poculi dæmoniorum, particeps etiam est, vel se participem profitetur ipsorum dæmoniorum; ex quibus apparet Paulum hoc loco, tamquam rem manifestam ponere, & tamquam fundamentum ratiocinationis suæ universæ, collocare, quòd Corinthii non minus poculi quam panis eucharistici, sint participes, seu non minus ex illo bibant, quam ex hoc comedant; quod idem apertissimè constat ex cap. XI. initio facto à vers. 25. usque ad finem 29. Quo loco rationem ritus eucharistici, à Corinthiis celebrandi, ex prima Domini institutione deducit, & ad Corinthios manifestè accommodat, ostendens id, quod Dominus ab initio Apostolis facere præcepit, cum ritum istum istitueret, idem Corinthios facere oportere, nec quidquam committere, quod ei institutioni adversetur. Qua ergo fronte ausi sunt pontificii poculum eucharisticum laicis quos vocant eripere, tum contra primam institutionem, tum contra Apostolicam sententiam, tot seculorum usu in Ecclesia comprobatam & corroboratam cum tamen alias jactent suam Ecclesiam, ritus & consuetudinis ac moris Apostolici, adeò esse tenacem; nempe id faciunt, quia errorem suum alterum eumque longe maximum de sacro hoc ritu tueri difficulter possunt, & vident vehementer suæ sententiæ, de reali corporis Christi vivi & sanguinem adhuc, ut illi credunt habentis, manducationi obstare, quòd Dominus Jesus separatim panem, de quo dixit, quòd corpus sit pro nobis traditum, aut fractum jussit comedere; separatim etiam è poculo, de quo dixit, quod sit sanguis suus, pro multis effusus, Vel testamentum Novum, in sanguine suo, bibere. Nam quorsum ajunt, & non malè quidem, biberetur sanguis Christi, jam comesto corpore Christi & sic universo illo, quod in eo continetur, sanguine simul sumtum. Ita scilicet error errorem trudit, cum malunt homines in errore progredi, quam ab eo regredi: maluerunt pontificii mutilare sacrum hunc ritum, & contra apertam Domini institutionem & doctrinam, consuetudinemque Apostolicam agere ac tollere apertum erroris sui indicium, quam errorem suum damnare. Nam si hæc ratio valet, cur non valuit etiam tum, cum Christus ritum hunc suum institueret, cum Paulus eum Corinthiis traderet, cum Corinthii & Ecclesiæ cæteræ, eundem usurparent. An cornicum illi oculos confixerunt, aut sapientiores illi sunt, quam Christus & Apostoli, qui rationem hanc non videbant, nec potuerunt cernere, alteram cœnæ Dominicæ partem laicis inutilem, vel eorum respectu, supervacaneam esse? ut taceam Dominum Jesum, cum de sanguine suo, in eucharistiæ institutione loquitur, non de sanguine, quatenus in corpore contineatur, & in venis diffusus sit, sed de sanguine postmodum effundendo, ac reipsa jam effuso, loqui. Is verò cum sanguis fuerit talis, natura sua inspecta, qualis aliorum hominum e corpore effusus, atque in cruorem versus, corruptus est procul omni dubio, non verò alicubi incorruptus asservatus, quod miraculum haudquaquam tacuissent, euangelii historiæ scribtores, cum longè minora circa eandem rem referant, ut videre est apud Johannem, in historia passionis Christi, imò etiam apud alios, qui multas circumstantias passionis Christi referunt, quasque absque salutis jactura, imò etiam absque rerum ad religionem vere pertinentium scientiæ detrimento, ignorare possemus. Quid ergo est, quòd illi ad sanguinem istum, qui in corpore Domini remanserit, nec effusus ab eo fuerit, hic disputant. Quare figuram potiùs in verbis Domini Jesu, eamque valde usitatam, agnoscere debebant, quam temerario ausu, sacram hanc ceremoniam violare ac mutilare: præsertim, cum tot sint argumenta, quæ & absurditatem insignem, & impossibilitatem sententiæ eorum, quæ illos in hanc temeritatem induxit, quot vix alia in re ulla, quantumvis absurda, apparent, de quibus alio tempore disseruimus. Illud etiam hoc loco obiter notari potest, quòd ubicunque de ritu hoc Dominico disseritur, & altera ejus pars, quæ ad sanguinem Christi adumbrandum pertinet, commemoratur, semper poculi tantum fiat mentio, nusquam autem potus genus certum exprimatur. Quanquam enim plusquam verisimile est, Dominum Jesum in prima institutione, vinum Apostolis bibendum dedisse, tamquam potum iis in locis usitatum ac salubrem; præterea qui egregie adumbrare posset, salutarem istum animis nostris potum, quemadmodum ex Luca colligi potest cap. 22. 18. tam ex Matth. & Marco locis parallelis, licet eo loco, ut plurimi jam observarunt, non de poculo illo eucharistiæ Christianæ sermo sit, sed de eo, quod in paschatis celebratione, cujus apud Lucam ℣. 15 & 16, facta fuerat mentio, usurpari solebat; credibile tamen est, non alio potus genere postmodum usum esse Christum, cum suam eucharistian, statim institueret, eidem assidens mensæ; verum tamen quia in ipsa cœnæ seu eucharistiæ Dominicæ descriptione, nusquam in Sac. Literis certum potionis genus exprimitur, sed poculi tantum fit mentio, vide Mat. 26. 29 quo nomine intelligi potest, quivis potus, quo homines ad corporis sustentationem, & virium refectionem, vulgò soleant uti, jure statui potest, nullum certum potionis genus esse præcise, ad ceremoniam hanc Sacram, rite celebrandam necessarium, licet interea non sit facile discedendum à consuetudine tot seculorum & initium suum, in prima ipsa eucharistia habente, præsertim ubi vini copia est, habendaque hic est ædificationis ratio,

ac

ac cavendum ne quemquam libertatis alicujus usu offendamus; ut taceam, Non decere, ubi nulla cogit necessitas, consuetudinem per se bonam relinquere, atque ab ea discedere, cum id sine temeritatis nota, fieri vix queat. Sed de hac re, ubi nulla necessitas, apud populum, nihil attinet differere. Illi, hæc scire debent, qui res scribturasque divinas, accuratius scrutari, ac cognitas habere debent, & ad casus aliquos notitiam hanc reservare.

Sed jam tempus est, ut ad sequentia verba, quibus hoc poculum describitur, & à vulgaribus ac prophanis secretum, ad eucharisticum restringitur, ejusque usus ostenditur, accedamus, quæ sunt: *Poculum benedictionis, quod benedicimus*, de quibus verbis fuse egimus in ethic. Christianis, ubi ostendimus, hanc eorum sententiam, nobis maxime probari, quasi dixisset, Apostolus, Poculum benedictorium seu eucharisticum ac laudatorium, quod per hanc benedictionem seu laudationem, ac gratiarum actionem consecramus ac quodammodo sanctificamus. Cætera quæ ibi diximus, hoc loco nil attinet repetere, atque ita actum agere. Ideò autem nominatim vocat, poculum benedictorium, seu laudatorium, quod de pane postmodum agens, non repetit, quia ut supra monuimus, ad alia pocula gratulatoria, seu ut Psal. 116, appellantur, pocula salutum alludit. Unde colligitur, quid potissimum agere debeant Christiani homines, cum poculum istud sumunt, nempe debere eos Deo ac Domino Jesu gratias agere, pro ineffabili ipsius amore, quo impulsus, Deus quidem filii sui unigeniti ac charissimi, Christus verò suum ipsius sanguinem pro nobis, seu ad peccatorum nostrorum remissionem, salutemque nostram sempiternam, fundi voluit. Quapropter hortandi sunt auditores, ut cum ad mensam Domini accedunt, & poculum hoc sacrum sumunt, id unum agant. Ex iisdem etiam verbis satis colligitur quemadmodum etiam ex nomine Eucharistiæ, hoc est, gratiarum actionis, quo prisca Ecclesia ritum hunc insignivit, & recentior adhuc retinet, non esse hunc ritum institutum, prætertim ut vulgo creditur, primario ac potissimum (quemadmodum quidem necesse esset, si reliquæ eorum sententiæ, de substantia seu mavis materia hujus ceremoniæ, veræ essent) ad beneficium aliquod novum & maxime insigne, à Deo Christoque obtinendum, sed ad beneficium, jam ante præritum, gratiarum actione celebrandum. Nam cum à potiori fieri soleat denominatio, & à potissimo proculdubiò usu Apostolus poculum hoc Domini describserit, non eucharistia nominari ritus hic deberet, aut poculum benedictionis, seu gratiarum actionis appellandum, sed alio potiùs nomine, quod beneficii divini acceptionem significaret.

Observandum autem hoc loco illud quoque est, quòd cùm Paulus hoc loco dicat: Quod poculum benedicimus, quo verbo exprimere vult usum hujus poculi, seu actionem Christianorum circa poculum, non tantum se suique similes intelligat, sed se Corinthiis conjungat. Nam cum Paulus, uti diximus ex eo, quod Corinthii usurpent unà cum aliis Christo addictis, poculum panemque eucharisticum, concludere velit, eos debere abstinere, à poculis cibisque idololatricis, haud est consentaneum, eum istiusmodi actionem circa poculum eucharisticum exprimere voluisse, quæ Apostolo aut sacerdotibus, ut pontificii volunt solis conveniret, omissa ea, quæ omnibus Christianis, atque adeò ipsis etiam Corinthiis, de quibus hic ait communis esset, nullam autem exprimit aliam, præter benedictionem. Quare benedictio etiam illa Corinthiis fratribus erat communis cum Apostolo. Quod idem ex reliquo etiam orationis cursu patet, & maximè ex vers. 17. qui conferendus est cum præcedentibus, ubi eadem orationis forma Apostolus se cum Corinthiis conjungit. Hoc admisso, concidit id totum, quidquid hinc pontificii eliciunt, ad stabiliendum singularem quandam sacerdotum, quos illi vocant, potestatem, quam illi benedicendo exerant, & qua ut illi loquuntur, conficiant sacramentum corporis & sanguinis Domini. Nam si benedictio hæc, communis est omnibus Christianis eucharistiam celebrantibus, satis constat, nullam potestatem, nullam vim ac potentiam, in poculum & panem eucharisticum exeri ab eo, qui benedicit, seu per ipsam benedictionem, quandoquidem ipsi volunt, vim ac potestatem illam, solis sacerdotibus competere, laicis verò id, quod illis etiam tacentibus, res ipsa monet, haudquaquam communem esse. Adde hoc loco, illud quoque, quòd ex tota hac epistola & hoc imprimis loco, satis appareat, nullum apud Corinthios fuisse, vel Apostolum, vel Apostolorum successorem, qui sacerdotis munere, in toto hoc ritu fungeretur, & toti huic actioni, nominatim præesset, ac Christi personam, ut illi volunt, sustineret; aliàs vel planè opus non fuisset Paulum quidquam monere circa hunc ritum, quia id satis scivisset ille, vel Apostolus, vel sacerdos, Apostolorum ut illi volunt, in rebus hujusmodi, successor; imò vix fieri potuisset, ut is permitteret adeò indigne tractari hunc ritum, ac tanta cum confusione, quemadmodum inter Corinthios factum scribsit Apostolus; vel si id ignorasset, & ista fieri permisisset, hic vel solus, vel nominatim fuisset monendus ab Apostolo, ne qui huic toti actioni præesset, ista fieri permitteret. Quodsi ergo, nemo istiusmodi fuit inter Corinthios, & nihilominus quoque poculum benedictionis fuit usurpatum, apparet vana esse & futilia, quæ de hac benedictione pontificii differunt, & quæ exinde pandunt nobis miracula.

Vidimus hactenus primam particulam, primi membri, hoc est descriptionem primæ partis eucharistiæ sacræ; sequitur altera ejus membri particula, in qua, vis seu significatio, partis istius eucharistici ritus exprimitur. Id autem fit in illis verbis. *Nonne communio, vel communicatio sanguinis Christi est.* Interrogatione utitur Apostolus, quæ orationi, vim quandam addit, & ostendit, rem adeò manifestam esse, ut ne is quidem cum quo res est, id negare ausurus sit, sed affirmaturus, ita se rem habere. Cum verò tribus potissimum modis, verba hæc accipi soleant; Nonnulli enim ita ea explicant, quasi dixisset Paulus, in poculo hoc, ipsum Christi sanguinem propriè contineri, sive quia vinum aut potus, sint mutatus in sanguinem Christi, sive quia sanguis Christi, in, cum, & sub potu illo contineatur, adeoque eum qui poculum hoc bibat, ipsum Christi sanguinem, verè & realiter bibere. Alii verò ita explicant, Poculo hoc sumto, spiritualiter sumi Christi sanguinem, & vim quandam atque efficaciam, inde manare ad eum, qui illum usurpet. Alii denique ideo hæc dici asserunt ab Apostolo, quia poculi hujus eucharistici usus, sit tessera, seu symbolum ac professio, communionis quam fideles inter se habeant in sanguine Christi, id est in fructibus, ex Christi sanguine seu morte cruenta, ad nos fluentibus. Cum inquam tribus his modis, verba hac accipiantur; Primus sensus, multis modis & absurdus est, & prorsus impossibilis, & si possibilis esset, supervacaneus atque inutilis, quemadmodum alias ostendimus. Secundus sensus, licet alias verbis his communio sanguinis Christi, per se sumtis, accommodari queat, si modò res recte intelligatur, hoc est si impropriè nihilominus accipiatur, participatio sanguinis Christi; nempe, pro participatione fructuum, qui ex sanguine Christi fuso, hoc est ex morte ipsius cruenta ac sanguinolenta fluunt, tamen huic loco, non convenit. Primum, quia hoc loco simpliciter, poculo huic benedicto adscribitur, quod sit communicatio seu participatio sanguinis Christi, & ut supra ostendimus Corinthiis ipsis hæc verba applicantur, ut appareat iis generatim tribui, quod participent sanguinem Christi eo quo hic intelligitur modo. Atqui,

etiam illis ipsis, qui locum hunc secundo isto modo accipiunt, fatentibus, non quivis qui poculum istud Dominicum usurpat, spiritualiter particeps est corporis & sanguinis Domini, quia ad eam rem requiratur, ut quis vivam habeat fidem, & ritè sacram hanc ceremoniam tractet, id quod hoc loco, neutiquam præsupponitur in iis, qui ritum hunc celebrent, cum satis aperte ac satis graviter Apostolus eosdem Corint. quibus hæc verba accommodantur, reprehendat, quòd indignè de pane hoc edant, & de poculo bibant, & judicium sibi ipsis comederint comedantque, rei corporis & sanguinis Domini, quemadmodum patet ex cap. xi. Quapropter, non potest hoc loco intelligi communio spiritualis, ac participatio sanguinis Christi, seu fructuum mortis Christi cruentæ. Altera ratio hæc est, quòd hoc loco sermo sit de re, quæ nominatim fiat, in cœna Dominica, & ejus sit proprium, imo quæ vi istius ritus peragatur, & ex quo pendeat. Atqui spiritualis illa participatio sanguinis Christi, semper fit, aut fieri debet ab iis, qui nomen Christi profitentur, nec cœnæ Dominicæ est propria, aut ex ea pendet, non magis quam ipsa fides, per quam id fit; quanquam interea non negamus, etiam in hujus ritus celebratione id fieri; taceo quòd quandocunque in Sac. Lit. ceremoniæ alicui seu actioni corporeæ, atque externæ, de qua constat, quod sua natura, nullo modo, rem spiritualem efficere queat, spirituale quidpiam, atque ad salutem animæ pertinens adscribitur, nunquam id propriè intelligatur, sed tropum quendam, nempe quòd rei istius spiritualis sit vel adumbratio, vel signum aut symbolum, seu professio. Quare cum ritus hujusmodi sit usus poculi eucharistici, itemque usus panis eucharistici, intelligendum est, non propriè participationem spiritualem sanguinis aut corporis Domini, illis adscribi, sed impropriè, nempe quòd sit adumbratio quædam istius participationis, ejusdemque symbolum quoddam ac professio, qui tertius est modus, verba hæc Apostolica explicandi. Solent nempe figuræ & adumbrationes rerum nomina rerum ipsarum sortiri, quod in quavis lingua ita usitatum est, ut in puerorum etiam ore, istiusmodi loquendi modi versentur. Quamvis enim imaginem rei alicujus, appellare solent, nomine rei ipsius. Quapropter, cum ut alibi explicatur, potus seu mavis vinum, in poculo eucharistico contentum, adumbret sanguinem Christi effusum qui instar potus est, & panis eucharisticus (ut de hoc simul agamus) adumbret corpus Christi pro nobis fractum, atque excarnificatum, ut quemadmodum panis & potus reficiunt corpora nostra, ad vitam hanc animalem & terrenam, ita corpus Christi pro nobis traditum, & sanguis ipsius pro nobis effusus, nutriunt atque alunt animas nostras ad vitam spiritualem atque sempiternam. Ideo quicunque participat poculo hoc, adumbrat participationem sanguinis Christi, & qui participat pane hoc, adumbrat participationem corporis Christi, & sic ista se spiritualiter facere profitetur, omnibusque apertè testatur. Testatur inquam se, qui potum hunc, qui sanguinem Christi pro nobis effusum repræsentat, bibit, spiritualiter quoque bibere Christi sanguinem, & ad vitam spiritualem atque æternam, eo refici ac recreari, se etiam qui de pane hoc comedit, qui corpus Domini pro nobis fractum atque excruciatum repræsentat, spiritualiter etiam comedere corpus Domini, idque in animæ cibum atque alimentum succunque adeò & sanguinem, ut ita loquar convertere. Hic sensus etiam loquendi usui, & scopo Apostoli, est accommodatissimus & efficacissimus ad ostendendum, Eos qui ritum hunc eucharisticum celebrant, haudquaquam participes debere esse poculi dæmoniorum, & ciborum idolis consecratorum, ne hac ratione ostendant, atque adeò profiteantur, se cum idolis, ipsisque adeò dæmonibus, habere aliquid commune.

Istud adhuc addendum, ad horum verborum sententiam penitus intelligendam, vocabulum communionis, quo utitur Apostolus, significare usum aut participationem rei alicujus, quæ aliis quoque sit communis, seu quam alii quoque, simul participent, ac proinde etiam, si improprie sumatur, significare adumbrationem & professionem participationis rei, quæ pluribus sit communis. Quare, qui poculum eucharisticum usurpat, is non tantum significat, ac profitetur hoc pacto se sanguinem Christi spiritualiter bibere, sed quia ritum hunc, unà cum aliis simul servat ac celebrat, istud bonum sibi cum aliis esse commune, seque adeò communionem habere, ac conjunctionem, cum cæteris, qui eodem bono participent, idque hac ceremonia sacra profitentur. Et huc sanè Paulum altero velut oculo respicere, idque suis verbis comprehensum velle, ex altero illius verborum membro, & declaratione illi adjecta, patebit.

Ex quibus verbis jam liquet, qualem oporteat esse eum, qui rite velit ad Domini mensam accedere. Nam cum ibi profiteatur, se mortis Christi cruentæ & fructuum inde provenientium, esse participem, cavere sedulo debet ne Deo hic mentiatur, & sic judicium sibi bibat ac comedat. Id verò fiet, si fidem salvificam non conceperit ex morte Christi cruenta atque ad fœdus Novum sanguine Christi sancitum non pertineat. Qua de re fusius dictum est in ethicis, unde cætera quæ huc pertinent petantur.

Patet etiam hinc, quantopere fallantur ii, & quam graviter sæpe peccent, qui ideò hunc ritum observant, atque ad Domini mensam accedunt, ut sanguinis corporisque Christi fiant participes, cum nisi jam participes sint, ritè ceremoniam hanc obire non possint, quandoquidem eo ipso profitentur, se jam corporis & sanguinis Domini participes esse, proque tanto beneficio à Deo sibi præstito, gratias ipsi agant. Quanquam id ipsum quoque vehementer in illis reprehendendum est, quod tantum bonum putant se hujus ceremoniæ ope consequi posse, quod assiduo studio, meditatione, diligenti labore ac precibus comparatur; estque vehementer dolendum, homines hujusmodi rebus ita fidere, cum inde fieri videamus, ut pietatis studium, valdè frigeat, quia tam facili via, salutaria bona, ipsamque adeò salutem æternam, quæ cuivis carnem Christi edenti, & sanguinem ejus bibenti promissa est, consequi se posse sperant. Quapropter, error hic valde perniciosus est, & quanto perniciosior, tanto magis curandum optandumque est, ut ab eo revocentur homines.

Denique ex his verbis patet, Eorum animos, qui sacrum hunc ritum unâ obeunt (obire autem unà censentur, omnes Christiani, licèt variis in locis sint dispersi, nec eodem tempore id facere queant) charitatis synceræ vinculo connexos esse debere, & instar membrorum unius corporis, inter se firmiter cohærere, quandoquidem hoc ritu communionem ejusdem boni, ipsiusque adeò salutis sempiternæ, profitentur. Qua de re, plura dicentur in explicatione alterius membri, ad quod nunc accedemus. Id verò continetur in illis verbis. *Panis quem frangimus*, De voce panis nil attinet quidquam differere, cum vocis significatio & res ipsa, adeò sit manifesta, ut sensu destitutus esse, & omnia in dubium vocare velle videatur, qui ea de re dubitet, adeò ut inexcusabilis sit pontificiorum error, qui eum non amplius panem, in ritu hoc post consecrationem esse volunt, sed ipsum Jesu Christi corpus, pro nobis in mortem traditum; cui sententiæ & verbi proprietas & sensus omnes quibus quacunque ratione dijudicare possumus, panem, esse panem, idque constanter, atque in omnibus hominibus ritum hunc celebrantibus, repugnant, ita ut qui in dubium istud vocare audeat, non possit, de ullare, cujus omnis cognitio à sensibus incipit, certus esse, nec ulla est causa, quominus omnia miracula, omniaque dicta Christi, & Apostolorum, aliorumque divinorum virorum in dubium vocet, cum ea vel uno tantum vel duobus, vel summum tribus sensibus sint cognita. Hic autem minimum tres sensus, nempe visus, gustus, tactus; addi fortè potest etiam olfactus conspirent, & panem, panem esse testentur. Qua quæso ratione

tione Dominus Jesus, ut resurrectioni suæ fidem faceret, & se spiritum non esse ostenderet probare discipulis suis voluit, se non esse spiritum; sed carnem atque ossa habere; nonne visu & tactu? duobus nimirum tantummodo sensibus. Quodsi hi duo sensus, aliique his simul juncti, in re hac, ubique & perpetuo fallunt, nonne convellitur penitus Christi argumentum, & sic resurrectionis Christi certitudo, in dubium vocatur, ac porrò nostra ipsorum resurrectio, universæ religionis ac pietatis fundamentum. Johannes initio primæ epistolæ, cum vellet summam eorum, quæ aliis annunciaret, unà cum cæteris Apostolis, certitudinem exprimere, ait se ea audisse, vidisse oculis suis, contemplatum esse, & manu sua illas palpasse, indicans ea, quæ his modis sint cognita, fallere nullo modo posse. At fallere poterunt, si ita fallunt sensus tot, simul juncti, idque in omnibus, ubique, ac perpetuò. Quare, quod illi objiciunt iis, qui improprietatem in verbis, quibus ritum hunc instituit Dominus Jesus, admittendum esse statuunt, eos omnia Sac. Lit. dicta, in dubium vocare, quod tamen est falsissimum, cum multa, atque adeò infinita, ultrò agnoscant, & agnoscere jure omnes cogantur, quæ aliter atque sonant accipi nequeant, id in illos majori jure potest retorqueri, nempe illos, non quidem animo, sed vi hujus sententiæ suę, non sensum tantum Sac. Literarum sed omnium omnino & factorum & scribtorum dictorumque veritatem, ac certitudinem convellere, atque in dubium vocare. Sed eo misso, illud adhuc breviter moneri potest, debere usurpari in hoc ritu panem, qui revera panis sit, & vulgò pro pane habeatur, atque ad nutrimentum corporis cæteroqui usurpetur, non verò istiusmodi quidpiam, quod pro pane nemo habere soleat, nec ad nutriendum corpus alioqui adhiberi soleat, quod tamen faciunt pontificii & Lutherani. Est enim hic spectanda, rei adumbratio. Ideo enim adhibetur panis, in sacro hoc ritu, ut designet necessarium animæ nostræ cibum, qui eam alat, nutriat, ac reficiat, qualis cibus panis est usitatus, non verò placentula, ac crustula, qualem hodie, isti quos diximus, usurpant. Quamquam enim hic error tantus non est, quanti alii, & si cæteroquin, nihil esset apud illos mali, ferri hoc facile posset; longe tamen satius est, errore omni carere, & ceremoniam hanc ita instituere, ut institutioni Domini primæ & fini in quem instituta est, sit quam accommodatissima.

Addit porrò Apostolus verba ista, *Quem frangimus*, ut usum istius panis exprimat, & eum aliquomodo à cæteris panibus distinguat, quasi dicat, Panis ille, quem nos Christiani, qua Christiani sumus, frangere solemus, & in solenni isto ritu usurpare. Nam per synecdochen quandam frangendi verbo, omnia ista complectitur Apostolus, quæ circa panem fiunt in eucharistia, quæque fractionem, vel comitari, vel consequi solent; nempe gratiarum actionem, seu benedictionem & comestionem. Utitur autem plurali numero, de se & aliis fidelibus, ut in priori membro jam monuimus, loquens, non quòd singuli Christiani semper frangere panem illum sacrum soleant; sed quòd vel singuli id faciant, vel unus aliquis aut plures, omnium nomine. Quod autem omnium fit nomine, id illis ipsis, quorum nomine fit, rectè attribuitur. Ad cujus rei confirmationem repetantur memoria illa, quæ supra de benedictione diximus, ubi ostendimus non esse necesse, ut unus aliquis nominatim poculo benedicat, ac panem frangat; quasi nimirum is Christi ipsius vices hac in parte sustineat, sed actiones has omnibus esse communes, licèt conveniens sit ac decorum, ut unus aliquis cæteris hac in parte præeat, reliqui tacitè subsequantur, ut in benedictione, Vel ubi non satis decorum videretur, omnes idem agere, unus aut plures cæterorum nomine, id faciant, quod facto sit opus, ut in fractione. Alia hic ratio est comestionis & bibitionis quæ singulorum debet esse propria, & adumbrare actionem uniuscujusque, in participando corpore, & sanguine Domini, seu illo comedendo, hoc verò bibendo. Quemadmodum & gratiarum actio saltem tacita unicuique debet esse propria, licèt unus fortè apertè ea in re præeat; fractio autem, quia non exprimit aliquam actionem ipsorum fidelium, sed id potiùs, quod infideles circa corpus Christi egerunt, ideò non est necesse singulos id per se facere, sed satis est ab iis curari, ut id fiat.

Hinc autem perspicitur fractionem panis in ritu eucharistico, non esse omittendam, quandoquidem videmus & Christum in prima institutione, ex qua ratio hujus ceremoniæ, nobis potissimum est discenda, panem fregisse, & Apostolos cæterosque Christi fideles in primæva Ecclesia institutionem illam sequutos, idem facere solitos: quemadmodum ex hoc loco constat, & ex eo quòd hic ipse ritus nonnunquam per fractionem tantum panis effertur, ut Act. 2. 42, 46. Quin etiam Paulus verba institutionis Dominicæ repetens, non frustra primam ritus hujus partem describens, & verba Christi quæ protulit, tum cum panem discipulis porrigeret, referens, loco vocis traditur aut Datur quod habetur apud Lucam 22. 19 ipse ponit verbum, Frangitur, rationem aliquomodo redditurus, cur per panem fractum, repræsentetur corpus Christi pro nobis traditum; nempe, quia ipsum etiam Domini corpus, aliquomodo fractum, id est excruciatum & excarnificatum fuerit. Ex quo patet. Eos* qui fractionis ceremoniam negligunt, ceremoniam hanc ex parte mutilare; qui illorum error, ex alio errore traxit originem; nempe quia nec finem cœnæ Dominicæ verum ac proprium, nec ejus formam, rectè intellexerunt, ac de materia illius, aliter quam par est senserunt. Quia enim putarunt, primarium ac proprium hujus ceremoniæ finem esse, confirmationem fidei nostræ, & remissionem peccatorum, quam ad rem nihil fractio facit; Quia item censent, sumi ipsum corpus ac sanguinem Domini sub pane & vino; ex quo corpore nempe & sanguine Domini à nobis rite percepto, omnis vis & efficacia quæ hic quæratur, manet ac profluat, sive panis interea frangatur, sive non frangatur, atque interim non animadverterunt, adumbrari tantum in hoc ritu res illas; inde factum est, ut fractionem panis supervacaneam judicent, quemadmodum quidem revera esset, si ipsum Christi corpus substantialiter exederetur, ut inde vis salutaris ad homines redundaret. Atqui contra potius fieri debebat, & ex eo quòd fractio, & primùm à Christo, & deinde ab Apostolis, aliisque Christianis, in primæva Ecclesia, omnino fuerit usurpata, & ejus rei ratio, non obscure à Paulo expressa, concludendum illis erat, adumbrari in hoc ritu corpus Christi fractum, & sanguinem ejus pro nobis effusum, & sic non rerum istarum pro nobis traditarum substantiam exhiberi, sed figuram quandam & imaginem, id quod finis & ratio, qui mediis largitur modum, satis apertè comprobat, quandoquidem Dominus Jesus, ad sui commemorationem, atque ut Paulus interpretatur, ad annunciationem mortis suæ, ritum hunc instituit, omisso eo, quem illi tamen primarium putant fine, qui tamen à Christo omitti nequaquam potuisset, si ita res haberet, ut illi volunt. Quid enim absurdius esset, quam statuere Christum in prima ritus hujus institutione, principali & maximè proprio fine prætermisso, minus principalem ac secundarium solùm expressisse. Nam quod nonnulli, imò plerique dicere solent, eum finem expressum esse, in verbis *Pro vobis*, vel, *In remissionem peccatorum*, in eo mirum est tantopere errare potuisse, atque in re aperta adeò cæcutiisse, cum manifestissimum sit, verba illa non ad comestionem panis, aut bibitionem poculi referri, sed ad corporis Dominici traditionem, & sanguinis effusionem, ad quod demonstrandum, nulla alia re est opus, quam verborum inspectione, ut taceam, nullam hic confirmationis fidei, quæ à remissione peccatorum distinguatur, fieri mentionem. Quare cum finis hujus ritus verus ac proprius, sit commemoratio Christi, seu annunciatio mortis ipsius truculentæ, cruentæque salutis

* Lutherani.

nostræ causa suscepræ, facile colligi potest, in eo non exhiberi substantiam corporis & sanguinis Domini, imò ne efficaciam quidem, sed ista tantum adumbrari. Quid enim ad commemorationem mortis Domini opus est comedere ac bibere substantiam corporis & sanguinis Christi, aut efficaciam etiam ejus, tum temporis nominatim, ac peculiari ratione sentire, quod antea factum non fuerit? sed adumbratio rei & illius veluti oculis subjectio, ad solennem rei commemorationem ac celebrationem, vehementer pertinet. Huc ergo cum pertineat etiam panis fractio, ea nequaquam omittenda est.

Quodsi quis objiciat, Hac ratione sequuturum, ut etiam effusio sanguinis omnino sit repræsentanda, cum tamen nec ex verbis institutionis, nec ex verbis Pauli quidquam ea de re appareat. Respondeo, Non omnino parem esse fractionis & effusionis rationem, & nihilominus tamen quantum satis est, effusionis quoque illius veluti vestigium, in ritu isto exhiberi atque ostendi. Nam quod ad prius attinet. Si fractio omitteretur, posset, quidem panis ille Eucharisticus, repræsentare aliqua ratione, corpus Christi, quatenus nimirum significaret corpus Christi, esse animi salutarem cibum, quemadmodum panis est corporis, sed id non significaret, quod hoc loco significandum est, corpus Christi non simpliciter sed eatenus tantum, quatenus pro nobis fractum atque excruciatum est, animæ nostræ cibum esse, ac nobis ad sempiternam vitam prodesse. Quia omissa panis fractione, nullum fractionis istius, seu cruciatus corporis Dominici exstaret in pane Eucharistico vestigium; id est nil significaret, eam præcessisse. Atqui contra se res habet in poculo, seu potu Eucharistico. Is enim non sanguinem in corpore Christi, per venas hinc inde diffusum repræsentat, aut repræsentare potest; sed eum demum qui effusus sit, & potui factus similis, ac propemodum aptus. Tum enim demum hauriri & bibi possit. Ex quo apparet, posterius etiam, quod proposuimus; nempe effusionis etiam quoddam in isto ritu exstare vestigium, & animis nostris per istum potum, aliquo modo subjici. Quæ res tota, ut melius intelligatur, animadvertendum est, non tam id spectari in sancto hoc ritu, ut representetur ipsa fractio corporis Christi aut sanguinis effusio, quanquam alii aliter sentiunt, quam ut repræsentetur ipsum Domini corpus fractum, & sanguis effusus, & significetur quem usum nobis præstet corpus Domini fractum & sanguis effusus, ac quomodo rebus istis uti, ad animæ nostræ salutem possimus. Jam verò uti diximus panis ille, non repræsentaret nobis corpus Christi fractum, seu fractionis istius, nullum in eo exstaret vestigium, nisi fractio in ritu hoc sacro adhiberetur. At potus, qui in poculo continetur, repræsentat sanguinem Christi effusum, seu effusionem istam factam esse animis nostris subjicit, etiamsi fusio ista non repræsentetur, propter causam, paulò ante allatam. Sed de hoc plus satis.

Sequitur nunc ut videamus quam significationem habeat, panis iste Eucharisticus, seu panis illius usus, atque adeò, altera cœnæ Dominicæ pars. Eam verò significationem primum exprimit Paulus, Deinde ex parte declarat, ac confirmat. Exprimit in illis verbis *Nonne communio* vel *communicatio corporis Christi est.* Quorum verborum duplex est sensus. Alter, isque principalis est, is qui exactè respondet, sensui verborum illorum, quibus poculi Eucharistici significatio fuit expressa, nempe, *Nonne communio vel communicatio sanguinis Christi est.* Nulla enim ea in re est differentia, nisi quòd ibi sanguinis, nempe, pro nobis effusi, hic vero corporis scilicet pro nobis traditi ac fracti, fit mentio. Quapropter, quæcumque ibi dicta sunt, hac una tantum observata differentia, quam nunc explicuimus, huc transferuntur. Quare hoc sensu nunc missò, ad alterum accedamus, quem nobis sequentia verba imprimis suppeditant. Differt autem is à priori, in eo vel solum, vel potissimùm, quòd in priori corpus Domini propriè accipitur; nempe pro eo Christi corpore, quod pro nobis traditum, ac cruci est affixum. In posteriori verò quem sequentia verba suppeditant, & solum urgent, impropriè; nempe pro corpore Christi mystico ac spirituali, quod ipsius est Ecclesia ex multis hominibus tamquam membris quibusdam conflata, ita ut quemadmodum omnes junctim sumti, respondent toti Christi corpori, ita singuli fideles singulis membris, quemadmodum ab hoc Apostolo fusissime explicatur infra hac Epistola cap. 12. 12 & seq. Quanquam alibi quoque non semel, hac metaphora corporis & membrorum de Ecclesia loquens, utitur. Vide Rom. 12. 4, 5. Ephes. 1. 22, 23, & 4. 12, 15. 16, & 5. 30. Col. 2. 19. Quare sensus hic posterior, verborum istorum quæ tractamus, hic est. Panem hunc quem frangimus, seu illius usum, esse adumbrationem & professionem quandam, communionis nostræ, ratione corporis nostri mystici, ac significare, nos corporis illius, esse participes; seu nos ita de nobis sentire, idque profiteri. Ex illa autem, quam diximus, utriusque sensus differentia, alia quodammodo proficiscitur, quæ cernitur, in significandi modo. Nam cum profitemur nos participes esse, corporis Christi pro nobis traditi, seu fructuum istorum; qui inde manant, ejus rei non habetur ratio, quòd non solum totus ille panis de quo singuli sumunt, qui unà mensam Domini accedunt, uni totique corpori Christi respondeat, sed etiam partes singulæ, singulis membris. Quandoquidem, quod ad priorem sensum attinet, nulla habetur ratio distinctionis inter totum & membra, cum nec fructus corporis Dominici pro nobis traditi, alius sit totius, alius membrorum, aut pro membrorum ratione diversus, & alius quidem fidelium hujus membri, alius alterius fructu, participet. Itaque si priorem istam significationem spectes, panis quidem totus, qui frangitur, & inter plures distribuitur, totum Domini corpus significat; partes verò, quas singuli sumunt, id significant & adumbrant, quòd quisque participat de fructu, quem corpus Dominicum pro nobis fractum animis nostris præstat. Nam etsi totius corporis Dominici pro nobis traditi fructum, unusquisque percipit, non tamen ita percipit ut aliis tantundem non relinquat, totum nempe Domini corpus seu illius fructus, usu est singulorum. At verò si posteriorem significandi rationem spectes, tum totus panis, totum Domini corpus significat, singulæ verò illius partes singula membra, adeò ut qui partem illius capit, partem etiam corporis Dominici mystici ad se pertinere, seu se ipsum, corporis illius membrum esse profiteatur. Hunc verò etiam sensum verbis his de quibus hactenus egimus contineri, ex sequentibus, quibus istorum continetur quædam explicatio, apparet. Paulus enim omisso priori sensu, utpote manifestiori, & ex membro superiori satis claro, posteriorem nobis explicat, ad quam explicationem antequam accedamus, illud adhuc notandum est, etiam in priori membro, quidpiam esse, quod huic posteriori sensui alterius membri, quodammodo respondeat, vel saltem id, unde consequitur quodammodo istud ipsum, quod posterior hæc significatio complectitur. Diximus enim Paulum in superioribus etiam verbis indicare Christianos poculum Domini unà bibentes, significare eos inter sese communionem habere in sanguine Domini, seu illius fructu, tanquam in communi bono, quandoquidem de eodem poculo, quod sanguinem Christi pro nobis fusum adumbrat, bibunt. At vero non possunt illi communionem habere in sanguine Christi ejusque fructu, nisi simul in unum veluti corpus coalescant, quandoquidem, qui fructu sanguinis Dominici participant, illi ad N. F. sanguine hoc confirmatum ac sancitum, atque adeò ad remissionem peccatorum & vitam æternam in eo promissam pertinent. Quorum verò eadem est spes vocationis, seu ad quos eadem promissa divina, idemque fœdus pertinet, illos idem corpus vel constituere,

vel

vel saltem constituere debere, satis apertè confirmat Paulus in Epist. ad Ephes. 4. 4. ubi cum dixisset, ut idem simus corpus & idem Spiritus, primæ statim rationis loco id collocat, quemadmodum etiam vocati estis, in una spe vocationis vestræ, & cætera quæ subjungit Apostolus, nempe, quòd unus Dominus, una fides, & reliqua cum hoc uno ita sunt conjuncta, ut sejungi ab illo nequeant. Qua propter etiam illi, qui ex eodem Domini poculo bibunt, profitentur id, unde pateat eos unum corpus constituere, vel constituere jure debere. Verùm quia in uno poculi Dominici, res non ita oculis subjicitur, nec ita adumbratur, quemadmodum in comestione panis eucharistici, qui corpus Domini adumbrat, & veluti membratim in singulos dividitur, ideò Apostolus in priori illo membro, ubi de poculo eucharistico agitur, nullam hujus adumbrationis vel significationis apertam fecit mentionem; sed in posteriori membro, in quo agitur de pane eucharistico, fecit, quod eum ut diximus, ex Apostoli verbis, priorum explicandorum gratia addidisse, patet; ideò ad illa statim accedemus. Ea verò existant vers. 17: *Quia unus panis unum corpus, multi sumus*; quæ iterum aliquomodo confirmantur cum subjungitur. *Omnes enim uno pane participamus.* Quod ad priora verba attinet, omissæ sunt in iis particulæ comparationis, quod apud Hebræos est admodum frequens, cujus rei ignorantia, obscurissimum fecit locum 1 Pet. 3. ℣. 20. ubi ante ὅτι id est cum vel quando omissa est particula ὡς *quemadmodum* vel *ut*, quod fit etiam, 2 Petr. 3. 4, 5. ante verba, Ab initio creationis: & Psal. 3. 1. & xi. 1. & 14. 4. & 22. 14. & 68. 18. Ita namque accipienda videntur hæc verba, ac si dixisset, quia quemadmodum unus est panis, ita nos multi unum corpus sumus. Neque enim credibile est Paulum voluisse dicere, Nos multos, esse unum panem: partim quia id insolens, & ab omni loquendi usu remotum censeri debet, nam de multis quidem inter sese conjunctis & arcto vinculo connexis, dicere solemus etiam vulgo, Eos unum esse corpus, & unum Reipub. corpus; sed multos unum esse panem, nemo dixerit: partim inquam ob caussam dictam, id non est verisimile, partim verò ideo, quia Paulus similitudinis atque adeò adumbrationis, ac significationis hujus de qua jam nonnulla diximus, rationem explicare debuit, atque adeò voluit. Ostendere nempe debuit, quomodo iis qui de pane eucharistico participant, unum sese corpus Christus mysticum constituere profiteantur; id verò non explicuisset, si simpliciter intelligi voluisset, nos esse unum panem, seu instar unius panis. Quod si tamen quis omnino urgeat, Paulum ita verba sua intelligi voluisse, cum eo non multum pugnabimus, modò id fateatur, quod negari nequit, Paulum id dicere voluisse, nos qui multi sumus, unum esse corpus, quemadmodum etiam unus sit ille panis de quo participamus. Quasi dixisset (concesso interim eo sensu, quem omissæ comparandi particulæ, postulare videntur) nos qui multi sumus, instar unius esse panis, atque adeò instar unius corporis, quod unus ille panis adumbret seu designet. Deinde observandum est, verba posteriora, *Unum corpus multi sumus*, non tam de reipsa, quam de rei declaratione, accipienda videri: quod itidem Hebræis est familiare, ut nimirum rem, pro rei declaratione ponant: quasi dixisset Apostolus, quia quemadmodum unus est panis, ita nos multos, unius corporis instar esse declaratur, atque ostenditur. Ita verbum *Est* pro declaratur, ostenditur, vel apparet, sumitur apud eundem Apostolum Rom. 3. 26. ut sit ipse justus, id est Appareat, vel declaretur, & 2 Cor. 4. ℣. 7. Ut eminentia potentiæ, sit Dei, id est appareat, ostendatur, non esse ex nobis. Neque enim quia unus est panis in cœna Dominica, nosque omnes, de eodem illo pane participamus, reipsa sumus unum corpus, sed tantum ita se rem habere declaramus. Paulus autem ut ipsa verba manifestè docent, ex eo quòd unus sit panis eucharisticus, quodque nos omnes ex uno illo pane participemus, concludit nos unum esse corpus. Quare, nisi malè conclusisse censendus sit, non de reipsa, seu rei veritate, sed de declaratione ejus loquutus est. Quod autem ad rem ipsam attinet, nempe quomodo nos, qui multi sumus, unum constituamus corpus seu instar membrorum unius corporis simus inter nos compacti, de eo videantur loca, hujus ejusdem Apostoli, superius à nobis indicata. Sed quia dicere quispiam posset, unum quidem panem eucharisticum esse, qui unum etiam corpus designet, sed non apparere, quomodo nos qui multi sumus, profiteamur nos, unum istud corpus mysticum quod adumbratur esse, Apostolus id amplius declarat, & quodammodo confirmat, cum ait, *omnes enim de uno illo pane participamus*: quasi dicat cum unus ille panis eucharisticus, unum Christi corpus & naturale & mysticum significet, nos qui singuli partem istius panis sumimus, significamus nos membratim quoque ad corpus istud mysticum pertinere; seu quod idem est, nos ipsos, membra corporis illius mysticie esse.

Ex his quæ de posteriori significatione alterius partis eucharistiæ diximus, satis apparet, quam longè illi aberrarint à vero, qui ideò de pane eucharistico dictum putant, quòd sit communio corporis Christi pro nobis crucifixi, quia vel sub spe panis, vel unà cum illo pane, ipsum Christi corpus realiter sumi, atque oraliter manducari, vel saltem spiritualiter, aut etiam ratione efficaciæ cujusdam accipi, non verò spiritualem istius corporis comestionem nobis cum aliis communem adumbrari. At si ita se res haberet, simpliciter statuendum esset in altero istorum verborum sensu, nempe nos vel ore, vel alia quapiam ratione sub specie panis, aut unà cum pane, comedere corpus Christi mysticum, illudque unà cum aliis usurpare, non verò nostram cum aliis in Christi corpore mystico conjunctionem seu communionem profiteri. At quivis cernit, quàm absurda sit sententia illa, nec quisquam hactenus exstitit, qui tale quidpiam asserere auderet. Hoc autem, vel omnes, vel plerique hactenus concesserunt, eucharistiam esse inter alia spiritualis nostræ conjunctionis symbolum, ac fraternæ, quæ inter ejusdem religionis, socios esse debeat charitatis, quanquam hic non sit principalis ritus hujus sacræ usus. Quare idem sentiendum est, de priori illa panis ac potus eucharistici significatione, nempe utrumque symbolum esse, ac tesseram quandam comestionis spiritualis, Dominici corporis, & bibitionis sanguinis illius, pro nobis fusi. Deinde, cum videamus, quam arcta inter nos sit conjunctio, seu cognatio spiritualis, ita ut instar membrorum simus, unius corporis, cumque hanc conjunctionem ritus eucharistici celebratione profiteamur, danda nobis est opera, ut ita nos geramus, erga nos mutuo, quemadmodum membra ejusdem corporis solent, nempe, ut uno dolente doleamus, lætante lætemur, quemadmodum docet Apostolus infrà cap. 12. utque alii aliis opem & auxilium feramus, & curam de nobis invicem suscipiamus. Quidquid nobis virium impertitus est Christus, id vicinis nostris membris, imò toti corpori subministremus, & ad illius usum, & incrementum convertamus. Quemadmodum enim in membra, à capite, vis quædam influit, qua totum corpus vegetatur ac regitur, sed in illa membra primo, quæ capiti sunt viciniora; per ea deinde ad alia. Ita etiam à Christo, vis quædam spiritualis, in omnia membra corporis illius mystici influit, sed in alia primò, deinde per ea iterum ad alia permanat, aut permanare saltem ipsorum opera debet. Quemadmodum etiam non eadem est omnium membrorum facultas, non eadem functio. Quidquid autem facultatis, uni cuilibet membro inest, id usui debet esse, omni membrorum, compagini ita ut totius corporis utilititati serviat, ita etiam non omnium qui in ecclesia sunt, eædem sunt facultates, eædemque functiones ac munera, si quæ autem sunt illæ, omnium usui parere debent, ita ut quod unus habet, omnes habere videantur, quemadmodum item, unum,

unum membrum alteri non inſultat, nec propterea ſpernit, aut abjiciendum putat, quia vel vilius eſt, vel infirmius, ſed potius quæ vilia ſunt, ſæpe judicantur magis neceſſaria, iiſque quæ ignominioſa videntur, plus addimus ac circumponimus ornatus, & quæ infirmiora ſunt, ea diligentius cuſtodimus, ita etiam nemo debet contemnere alium, ne maximus quidem ac præſtantiſſimus minimum & ſecundum carnem viliſſimum, nec repudiare infirmum, ſed potius aliorum vilitatem tegere, ac honorem illis conciliare, infirmitatem autem erigere ac confirmare, nemo etiam alteri dona quibus à Deo eſt ornatus invidere, nemo etiam quia non ſit iis donis præditus, quibus alii, deſperare, aut ſuſpicari debet ſe non eſſe membrum tam præſtantis corporis Chriſti, cum non ideo membrum illud non ſit de corpore, quod vel oculus non ſit, vel auris non ſit. Quare unuſquiſque locum quem in corpore Chriſti eſt nactus tueri ſtrenue debet, & ſi altius aſcendere nequeat, ſpe tamen firma teneri, fore ut una cum reliquis ejuſdem corporis membris ad gloriam ſempiternam, ad quam corporis hujus caput pervenit, ab eodem illo capite aliquando evehatur. Amen.

Idem locus 1 *Cor.* 10. *verſ.* 16, 17, *explicatus.*

CElebraturi cœnam Domini noſtri Jeſu Chriſti, utique diligenter expendere debemus quid ſibi velint ſacra illa ſymbola panis & vinum, & quo ſenſu tota hæc actio inſtituatur. Id nos verbis hiſce Paulus egregie docet: in quibus oſtendit quid reſpectu Chriſti hæc cæremonia ſignificet, quid item reſpectu noſtri ipſorum. Atque hæ hujus loci partes conſtitui poſſunt. Quarum prior ℣ſ. 16, poſterior ℣ſ. 17 continetur.

Cùm autem duæ ſint partes in Sacra Cœna, panis & vinum, de utraque ſeparatim quid ſibi velint, narrat; ita tamen ut eodem recidant. Communionem enim noſtram ambæ cum Chriſto inferunt. Cæterum cùm alioquin & Chriſtus ipſe apud Euangeliſtas, & noſter Paulus capite ſequente in inſtitutione Cœnæ Domini, panem prius, deinde vinum proponant, ordinem hîc immutavit Apoſtolus, & de vino prius, deinde de pane agit. Cujus rei cauſa eſſe poteſt, quòd cùm ex mentione panis, aliam hujus actionis ſignificationem quæ nos mutuò reſpiciat, deducturus eſſet, ſermonem iſtum interpoſitione ejus quod de vino memorandum erat, divellere noluerit. Non nudè autem commemorat Apoſtolus ſacræ cœnæ ſymbola, ſed ſingula certa actione circa illa uſitata deſcribit, ac deinde quid ſibi velint ſubjungit. De vino ergo ſic inquit, *Poculum benedictionis quod benedicimus.* Per poculum intelligit id quod poculo inerat, vinum nimirum, (is enim erat in illis locis potus uſitatus) manifeſta ſynecdoche. Quod notandum contra eos qui præfracte negant ullum in explicatione hujus actionis quam illi teſtamentum vocant, tropum. Similis tropus eſt verſ. 4 petra pro aqua. Potius autem in hac actione poculum quàm vinum nominatur, ut intelligamus non præciſe vinum requiri, ſi quæ ſit fortaſſis regio in qua vinum haberi nequeat. Interea tamen fateor, non facilè hic quicquam mutandum: cùm ubi non naſcitur eò tamen importari vinum & poſſit & ſoleat. *Poculum benedictionis* appellat, id eſt benedictum, phraſi Hebraica, Novi Fœderis ſcribtoribus ſatis uſitata. Verbi gratiâ *vas electionis.* Actor. cap. 9. verſ. 15. *œconomus injuſtitiæ*, Luc. cap. 16. verſ. 8. *Judex injuſtitiæ*, Luc. cap. 18. verſ. 6. Additur verò explicationis cauſâ, *quod benedicimus.* Benedictio varias habet ſignificationes. Nam & Deus hominibus benedicit, cùm beneficium illis exhibet, & homines Deo, cùm illum laudant, & homines hominibus, cùm bona illis precantur. Dicuntur & res benedici, cùm à profano uſu ſegregantur, & ad ſanctum finem deſtinantur. Sic Deus benedixit diei ſeptimo. Geneſ. cap. 2. verſ. 3. Sic & nos cibos quibus quotidie veſcimur benedicimus, gratiarum actione & precatione, ut colligere licet 1 Tim. 4. verſ. 4, 5. Nec enim fruſtra orationi Dominus inſeruit illud, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Quodſi id de cibis quibus quotidie veſcimur ad corporis noſtri ſuſtentationem dicitur, quanto magis id de ſingulari cibo & potu in cœna Domini dici debet. Quomodo verò in cœna Domini benedictio illa peragatur, docent ſatis Euangeliſtæ: quorum alii pro eo quod alii in hac actione dicunt Dominum *benedixiſſe*, ajunt eum *gratias egiſſe.* Per gratiarum ergo actionem, cui & precationem adjungere par eſt, poculum hoc benedicitur.

Nota autem quod Apoſtolus benedictionem hic ſicut in ſequentibus verbis fractionem, non certis in Eccleſia tribuit, ſed ut videtur omnibus in Eccleſia membris. Quanquam enim ordinis boni cauſâ unus cæteris hic præire ſoleat, non videtur tamen id officium unius miniſterio alligatum. Nam quod in prima inſtitutione Dominus Jeſus & benedixiſſe & panem fregiſſe legatur; id eam habet rationem, quod novam hanc inſtitueret actionem, quæ quomodo peragenda eſſet, cæteri niſi ipſo miniſtrante ſcire nequibant. Interea quod ipſe fecit, nobis ſine diſcrimine imitandum propoſuit. Notetur etiam hoc quàm abjectis ſymbolis ſæpenumero utatur Deus ad maximarum rerum myſteria. Quid enim pane & vino vulgarius? Sic agni paſchalis comeſtio Iſraëlitis deſignabat liberationem à gladio angeli tranſeuntis, & ex ipſa ſervitute Ægyptiaca. Sic pleræque veteris teſtamenti ceremoniæ in ſpeciem humiles res maximas denotabant. Sic & baptiſmus noſter externus notat internam animi ablutionem. Notetur tamen & hoc, quod cùm Veteris Fœderis externæ ceremoniæ quædam ſumtum non exiguum requirerent, ut ſacrificia omnis generis, quædam & dolore magno aut ſaltem moleſtia aliqua conſtabant, ut circumciſio, & ablutiones in aqua frigida, ad præciſum tempus alligatæ; hac quoque in parte levius nobis onus fecerit Dominus Jeſus, qui parabilibus facilè rebus, & dolore ac moleſtia vacuis, imò naturâ ſuâ jucundis, externum noſtrum cultum conſtare voluit.

Sequitur quid ſibi ergo velit poculum id benedictum. *Nonne* inquit, eſt *Communio ſanguinis Chriſti?* Non affirmat ſimpliciter, ſed interrogat, ut fiduciam affirmationis ex ipſorum conſcientiæ teſtimonio petat: ſic & in ſequentibus. Quòd poculum dicatur communio ſanguinis Chriſti, id non poteſt proprie intelligi, & hîc neceſſariò alter tropus admittendus eſt. Sed vel ſic capiendum eſt, quòd ſit medium communionis, vel quòd ſit ſignum & adumbratio illius. Quod ſit medium communionis quamvis aliquo ſenſu concedi poſſet, quo quælibet actio à Chriſto nobis præcepta medium quoddam eſt quo communionem ſanguinis illius adipiſcimur; quia tamen hic poculo illi videtur ſingularis aliqua communionis ratio tribui, & præterea quia oportet eos qui hoc è poculo bibunt, jam antea communionem ſanguinis Chriſti habere, ut colligi poteſt ex cap. ſequenti, verſ. 27, 28, 29; magis conſentaneum eſt ut exiſtimemus, ſignum hîc & quandam adumbrationem communionis cum ſanguine Chriſti in poculo iſto exhiberi. Illi enim qui bibunt ex hoc poculo, eo ipſo oſtendunt & profitentur ſe in ſanguine Chriſti, cujus vinum fuſum eſt ſymbolum communionem habere, eumque ſpirituali illa ratione de qua Johan. 6 agitur, bibiſſe. Nec verò novum eſt in Sacra Scriptura ut ſignum rei quam deſignat nomine appelletur. Sic agni paſchalis eſus certa ratione comparatus dicitur tranſitus,

Exod.

Exod. 12. 11. Quod exemplum eò convenientius eſt, quòd paulò ante quàm cœnam ſuam inſtitueret Dominus, agnum illum cum diſcipulis comederat, eoque veriſimile ſit, voluiſſe eum ſermones circa agni illius eſum uſitatos imitari: præſertim cùm hæc ceremonia in illius locum ſucceſſiſſe putetur. Sic & Ezech. 5. verſ. 5, adumbratio ejus quod Jeroſolymis futurum erat Jeruſalem vocatur. Sic Gal. 3. 17, omnes baptizati Chriſtum induiſſe dicuntur, quod de re ut verba ſonant intellectum falſum eſt, de profeſſione rei & verum eſt, & Apoſtoli ſcopo ſervit. Sic ſepulti cum Chriſto in baptiſmo dicuntur, Coloſſ. cap. 2. 12. Eſt verò hoc argumento, ſignum potiùs quàm medium communionis hic dici poculum, quòd Apoſtolus argumentari videatur ex eo quod in omnium ſenſus incurrebat. Poculum enim illud quatenus bibi externe cernitur, non ſemper eſt medium iſtius communionis, cùm quidam judicium ſibi bibere illic queant, ſed ſemper tamen eſt ſignum, quo bibentes profitentur ſe communionem in ſanguine Chriſti habere. Cæterum notanda hic eſt Chriſti fidelium felicitas, quod ſanguinis Chriſti habere communionem dicuntur. Ea verò communio id vult, quòd eorum bonorum quæ ſanguine ſuo peperit Chriſtus & ipſi participes evaſerint. Chriſtus autem non ipſe tantùm propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatus eſt, Hebr. 2. 9: Confer Philip. 2. verſ. 8, 9; ſed & nos ab execratione redemit factus pro nobis execratio, Gal. 3. 13: & ingreſſum in ſancta ſive cœlos ſanguine nobis ſuo dedicavit. Unde & pro nobis proque peccatis noſtris mortuus, ſeque pro nobis redemtionis pretium tradidiſſe, & noſtra peccata ſacrificio ſuo ad quod mors illius pertinet, expiaſſe, ſanguiſque ejus in remiſſionem peccatorum noſtrorum fuſus eſſe, & quæ ſunt ejus generis alia, dicitur. Poteſt hæc res non exiguo nobis eſſe ſolatio, cùm humanæ noſtræ vel infirmitatis vel indignitatis recordamur, quod in ſanguine ejus communionem habemus, qui ab omni labe remotus, ſine labe, ſeparatus à peccatoribus, & ſublimior cœlis factus eſt, Heb. 7. verſ. 26: qui & in iſta ſublimitate, ut hujus nobis communionis fidem faciat, fratres nos appellare non erubeſcit, Hebr. 2. verſ. 11. Notetur & hoc, quanti Chriſto ſalus noſtra conſtiterit, ut qui ſanguinem ei ſuum impenderit: non enim per ſanguinem taurorum & hircorum, ſed per proprium ſanguinem ſemel ingreſſus eſt in ſancta ſanctorum, æternâ redemtione inventâ. Hebr. 9. 12. 1 Petr. 1. 18, 19. Notetur & hoc, non vili loco habenda nobis iſta cœnæ Dominicæ ſymbola, quæ nobis ſanguinem & corpus Chriſti repræſentant: & ſtudioſe ad illorum fruitionem eſſe accedendum. Ne invideamus Domino Jeſu hunc honorem, quominus corporis & ſanguinis illius pro nobis impenſi memoriam, eo quo ipſe voluit ritu obeamus atque celebremus. Nec ſine cauſa factum eſt quod tam ſplendido nomine & Dominus ipſe & Apoſtolus noſter ornare voluerunt, id quippe facit ad majeſtatem hujus rei nobis commendandam. Præterea & hoc notetur, cùm per fruitionem externorum iſtorum ſymbolorum profiteamur nos communionem cum ſanguine Chriſti habere, dandam nobis eſſe operam, ne falſa profeſſione nos venditemus. Hominibus imponere poſſumus, at Deo & Chriſto non poſſumus. Probet unuſquiſque ſeipſum. Et Iſraëlitæ immundi non poterant comedere Paſcha, Num. 9. 10. Curare tamen debebant ut id ſequenti menſe comedere poſſent. Vide ibidem.

Alterum cœnæ Domini ſymbolum ita deſcribit Apoſtolus, *Panis quem frangimus*, eique tribuit quod ſit *communio corporis Chriſti*. Multa circa explicationem horum verborum dici poſſent quæ circa antecedentia dicta fuerunt. Sed quorſum ea repetitio apud memores? Res vilis panis æque ac vinum, ſed magni tamen myſterii index. Dicitur autem *frangi* ex more quidem Hebræorum, quorum tenues panes ac veluti placentæ, non ſcindebantur veluti noſtri, ſed frangebantur: ut apparet ex Marc. 6. verſ. 11. VIII. verſ. 6. Luc. 24. ℣. 30. Act. 27. 35. Unde & modus loquendi manavit frangere eſurienti panem, Eſa. 38. verſ. 7. Hîc tamen ea fractio myſterio non caret: quod & ex eo apparet quòd & corpori Chriſti, (licet id revera fractum non fuit, ſecundùm typum agni paſchalis, Exod. 12. verſ. 46. Num. 9. verſ. 12.) fractio tamen tribuatur, 1 Corinth. 2. 24. Adumbrantur quippe hac fractione cruciatus varii quibus corpus Chriſti veluti fractum & contritum fuit cùm crucifigeretur. Ejuſmodi enim vexationes & in Sacris Literis fractiones ſeu fracturæ vocantur. Ut Proverb. 6. ℣. 15. Eſai. 30. verſ. 26. & XXXVIII. 13. Dan. 2. 20. Unde colligimus, fractionem illam non eſſe habendam pro re plane adiaphora, & quæ pro arbitrio noſtro vel omitti vel adhiberi poſſit. Quod enim ad finem hujus actionis adumbrandum pertinet, id nobis temere omittendum non eſt. Huc facit quòd tota hæc actio interdum non alio nomine vocetur quàm fractio panis: ut Actor. 2. verſ. 42. ubi vulgarem panis fractionem non intelligi ex eo patet, quod inter alias res ſacras commemoretur. Item Actor. 20. verſ. 7 & 11. ubi circumſtantiæ ſatis oſtendunt ſacram hanc actionem intelligi. Quod porrò de pane hoc fracto dicitur, eſſe eum *communionem corporis Chriſti*, id eo modo intelligendum eſt quo diximus poculum eſſe communionem ſanguinis Chriſti. Denotant nimirum & profitentur hac actione publice omnes qui eo pane participant, ſe communionem corporis Chriſti quod pro nobis traditum eſt habere, illiuſque paſſionum fructum, per veram in illum fidem percipere. Hinc eædem quæ ex antecedentibus verbis doctrinæ manant. Nam nec vili loco habendus eſt ſanctus iſte panis qui Chriſti nobis corpus ejuſque perpeſſiones adumbrat: Nec comedere debent ex eo quibus nulla cum Chriſto communio. Ita tamen ſeſe comparare debent omnes ut veſci eo digne poſſint, quo veſci nos Chriſtus juſſit, & cujus comeſtione paſſionum illius gloria celebratur. Diſcimus itidem hinc quanta ſit populi divini præſtantia, videlicet qui cum Chriſti corpore communionem habet, in quo omnium noſtrum ſolatium conſiſtit.

Altera hujus loci pars ſequitur: qua quid reſpectu erga nos mutuo ſancta hæc ceremonia ſibi velit oſtenditur. Quam ita cum antecedente connectit Apoſtolus, ut per eam proxime dictorum reddere velle videatur rationem. Id enim ſignificat particula *nam* vel enim. Hæc ratio ita videtur explicari poſſe. Poterat aliquis cogitare, qui fieri poſſet, ut in uno Chriſti corpore tam multi ſeu potius omnes quotquot in Chriſtum credimus communionem haberemus? Itaque contrariam aſſertionem firmat eo Apoſtolus quòd nos multi ſive omnes unum ſimus corpus. Id enim ſi admittatur, jam multitudo noſtrum communicationi unius corporis Chriſti non obſtabit. Syrus interpres illud *enim* hic reddit per *igitur*. Ut ſit ratiocinativa ſive illativa particula. Sicut Luc. 12 verſ. 58. Actor. 8. verſ. 39. Rom. 6. 19, XII. ℣. 3. & 15. ℣. 2. Optime autem hoc ſequitur: Si multi ſive omnes cum uno Chriſti corpore communionem habemus, & nos unum quodammodo corpus fieri. Sed quomodocunque ſeſe habeat connexio, videamus rem ipſam. Aſſerit Apoſtolus nos *unum eſſe corpus*; idque inde deducit quòd ejuſdem panis omnes ſumus participes. Cæterum ex priorum verborum explicatione ambiguum eſt, an Apoſtolus dicat, ſicut unus ſit panis, ita nos multos unum eſſe corpus, an verò utrumque nos eſſe dicat, panem ſcilicet & corpus unum? Priorem ſenſum ſequutus eſt Syrus interpres, & Beza. Et comparatio iſta certè minimè eſt abſurda. Sicut nimirum panis unus ex multis granis coaleſcit,

ita

ita & unum corpus hoc myſticum ex multis variiſque membris conſtituitur. Et convenit ratio quæ ſubjungitur, *omnes ex eodem pane participamus.* Itaque quemadmodum unus eſt panis, ita & corpus unum nos omnes ſumus. Ea enim ſocietatis ratio eſt. Qui eandem artem tractant unum quodammodo corpus conſtituunt. Sic & qui eidem in religione cultui dediti ſunt: quod & per Judaicæ & per Ethnicæ religionis cultum patet.

Alteram cauſam amplexus eſt Piſcator: qui duo complectitur. Primum nos eſſe unum panem: deinde & unum corpus. Poſſet paulò durius videri nos unum eſſe panem; ſed cogitandum eſt nos illud quodammodo eſſe quo veſcimur. Itaque non abſurde dici poteſt, ſi omnes eodem pane veſcamur nos eundem quoque panem eſſe, & ita ſequens ratio concludere videtur. Unitati panis etiam cohæret unitas corporis. Quod enim unum corpus fuit antequam comederetur, id etiam comeſtores ſuos in unum quodammodo corpus conjungit. Uterque ſenſus eò recidit, ut nobis ſumma illa unitas quæ eſt & eſſe debet inter unius corporis membra per illius ſacri panis participationem inculcetur. Unde cognoſcimus ſacram hanc ceremoniam, non tantùm communionis noſtræ cum Chriſto, ſed etiam inter nos mutuo, ſymbolum ac teſſeram quandam eſſe. Pulchre de primitiva Jeroſolymorum Eccleſia ſcriptum eſt Act. 4. 32. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.* Ad hanc unitatem pertinet, primò idem ſenſus, ſi non de omnibus ac ſingulis minutioribus Chriſtianæ religionis partibus, ſaltem in omnibus illis quæ ſunt ad ſalutem nobis ſcitu neceſſaria, & in cæteris mutua quædam atque amica tolerantia. Tolerantia enim diſſenſus inimica. Conſenſus unitatem ſupplet. Vide 1 Cor. cap. 1. verſ. 10. Philipp. cap. 3. verſ. 15, 16. Requiritur deinde voluntatis atque affectuum quædam concordia, ſive in rebus erga tertium quendam, Deum præcipue, ſive in rebus erga ſe mutuis. Nam Deum colendi eique obſequendi idem in omnibus debet eſſe ſtudium, & erga alios, ſive fratres, ſive externos, par charitas, & inter duos ita alius aliorum affectibus ſubſervire debet, &c.

* * *

Sanè ut ab infidelium quoque conſuetudine, intelligè nimia, & non aliundè, quàm ex eorum deſiderio profecta, abſtineamus, alibi nos monet Apoſtolus 2 Cor. 6. ℣. 14, & ſequentibus.

Verſ. 28. *Si verò quis vobis dixerit hoc eſt idolis immolatum, ne edite.* Jam docet, quando libertatis iſtius noſtræ uſus ceſſare debeat, nempe ſi quis nos moneat, hoc eſſe idolis immolatum: tunc enim ab ejuſmodi, cibo abſtinere debemus. Cur verò? *propter illum qui indicavit, & conſcientiam.* Id eſt, ne illum qui indicavit, & conſcientiam offendatis. Qui enim iſtud indicat, non fruſtra id facit, ſed apparet eum credere Chriſtiano idolothytis uti fas non eſſe. Nam cur alioquin iſtud faceret? Jam in ejuſmodi hominis præſentia nihilominus idolothyta edere quid aliud eſt, quam ſi infidelis ſit Chriſtianam religionem ludibrio & contemptui exponere, ſi fidelis animum ejus contriſtare, aut ut contrà conſcientiam idolothytis exemplum tuum imitatus, veſcatur, eum impellere?

Domini enim eſt terra & plenitudo ejus. Hæc verba repetita, aut librariorum incuria irrepſerunt, cùm neque ut teſtatur Beza in Claromontano eximiæ vetuſtatis & emendatiſſimo codice, neque in Syra, neque in Arabica interpretatione, imo nè in Latina quidem vulgata legantur: aut ſaltem eadem incuria cum in fine ℣. 27 ſcribi debuerint, huc tranſpoſita ſunt: Utrique incuriæ, ſed inprimis tranſpoſitioni anſam dare potuerunt, verba *propter conſcientiam* aliquoties ab Apoſtolo repetita, quam facilis enim eſt in hujuſmodi ὁμοιοτελεύτοις deſcribentibus errandi occaſio? aut denique, ſi hîc quoque legi debent hanc vim habent, quòd non minus propterea debeamus alienæ conſcientiæ cauſſâ à certis cibis abſtinere, quòd Domini ſit terra & plenitudo ejus, quam propter hanc cauſſam nobis fas ſit quibuſvis cibis per ſe uti. Quia enim Domini terra eſt & ejus plenitudo, ac proindè omnes cibi, hinc apparet nobis fas non eſſe in ciborum uſu Deum offendere, & ejus gloriæ obſtare, quemadmodum paulò poſt ℣. 6 docemur, hoc autem fieret, ſi cibis cùm aliorum ſcandalo uteremur.

Verſ. 29. *Conſcientiam vero dico non tuam, ſed alterius.* Declarat ſua verba, quibus dixit nos propter conſcientiam, nunc teneri nunc non teneri ab idolothytis abſtinere. Docet enim ſe non intelligere propriam ejus qui hac in parte libertatis ſuæ probè gnarus eſt (de talibus enim hîc agit Paulus) conſcientiam, cum idolothytis uti perſe illi citum non ſit: ſed conſcientiam alterius, quæ idolothytorum eſu turbetur & offendatur, ſeu ut ſuprà Cap. 8. verſ. 12. loquutus eſt verberetur.

Cur enim libertas mea judicatur ab alia conſcientia? His verbis quemadmodum & ſequenti verſiculo rationem affert Paulus, cur tum demum cum quiſpiam monet hoc eſſe idolothytum, abſtinendum ſit ab ejus, eſu conſcientiæ alienæ cauſſa, quaſi dicat; Cur enim aliàs cum ſcilicet non moneor hoc eſſe idolothytum, libertas mea judicatur, id eſt, damnatur ab alia, id eſt, ab alterius conſcientia? Iniquè prorſus, ſit iſtud. Non debet alterius conſcientia meam damnare libertatem. Ego libertate mea cujus mihi probè ſum conſcius utor, eâ non uſurus, ſi hoc idolothytum eſſe ab aliquò fuiſſem monitus, nè cujuſquam conſcientiam offenderem. Cur ergò libertas mea ab alterius tacita conſcientia qui hoc idolothytum eſſe novit eoque uti fas non putat, vapulat? Num ego idem quod ipſe ſentire & libertatem Chriſtianam æquè non agnoſcere teneor? Huc pertinet id quod in Epiſtola ad Romanos ſcriptum reliquit Apoſtolus: *Qui edit, non edentem nè nihili pendat: & qui non edit edentem nè judicet. Deus enim illum ſuſcepit. Tu quis es qui judicas alienum domeſticum? proprio Domino ſtat, aut cadit. Stabit autem. Potens enim eſt Deus ſtatuere eum. Qui edit, Domino edit.* (id eſt cum reſpectu ad Dominum edit) *gratias enim agit Deo: & qui non edit, Domino non edit, & gratias agit Deo.*

Verſ. 30. *Si vero ego gratia participo, quid blaſphemor, pro quo ego gratias ago?* Aliam rationem ſubjungit, quâ docet iniquum eſſe, ut is qui non monitus idolothytum libertate ſuâ utens, edit, reprehendatur. Ratio hæc eſt: quia ille pro cibo quem edit, gratias Deo agit. Unde apparet eum minimè profanum hominem eſſe aut ex aliquo religionis contemptu in quemvis cibum involare, licentiamque ſibi ſumere, ſed potiùs ſingularem Dei reſpectum habere, ejuſque reverentiâ imbutum eſſe.

Gratia participo. Id eſt, cum gratiarum actione quemadmodum ex ſequenti membro conſtat, in quo eadem cauſſa repetitur, cibum capio. *Gratia* ſumitur pro gratiarum actione.

Quid blaſphemor. Id eſt, quid reprehendor, quid tanquam impius ac profanus accuſor, quòd ſcilicet de eo participem pro quo ego gratias ago, ſeu quod cum gratiarum actione, & ſic cum divini numinis reſpectu ac reverentia participo, atque hoc eſt quod in eadem ad Romanos Epiſtola prioribus verbis ſimiliter ſecundæ rationis loco ſubjunxit Apoſtolus: *qui edit Domino edit* (id eſt cùm reſpectu ad Dominum ejuſque voluntatem ac gloriam) *gratias enim agit Deo: & qui non edit, Domino non edit, & gratias agit Deo.*

Verſ. 31. *Sivè igitur editis, ſivè bibitis, ſivè quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Superiori tractationi de idolothytorum eſu generalem concluſionem, ac breve quoddam omnium quæ hactenus diſſeruit compendium ſubjungit, nempè, ut

ſivè

sive edant, sive bibant, quibus de rebus hîc egit, sive denique aliud aliquid agant, omnia in gloriam Dei faciant, id est ad Dei gloriam tanquam ad scopum omnium actionum suarum respiciant, quod dupliciter fieri potest, vel ut Deus ex actionibus nostris gloriam consequatur: vel saltem nè quidquam per aliquam actionem nostram ejus gloriæ decedat.

Vers. 32. *Sine offendiculo estote & Judæis & Græcis, & Ecclesiæ Dei.* Explicat quodammodo quid sit omnia ad Dei gloriam facere, nempe ità te gerere, ut nulli homini sis offendiculo, nemini obstes ad fidem in Christum, ad constantiam in fide ac pietatis incrementum, nullis sis peccandi & impingendi caussa. Dividit autem homines in tria genera, sunt Judæi, sunt Græci, sub quorum nomine omnes Ethnici & tum à Judaica tum à Christianæ religione alieni comprehendi possunt, & ab Apostolo per Synecdochen quandam solent; sunt denique Christiani. Nulli istorum quantum quidem in nobis est offendiculo esse debemus, tùm Judæis, tùm Græcis, tùm fidelibus infirmis quantum licet, quantumque res ipsa patitur obsequi debemus.

Vers. 33. *Quemadmodum & ego omnia omnibus placeo, non quærens meam ipsius utilitatem, sed multorum ut serventur.* Exemplum suum hac in parte nobis proponit Apostolus, id quodammodo resumens, quod cap. 9. ỳ. 19, & sequentibus hac de redixit. *Omnia* id est secundum omnia πάντα pro κατὰ πάντα Ellipsi Græcis consueta. *Omnibus* id est, quibusvis hominibus. *Placeo*, id est placere studeo. Non enim omnibus ipso effectu placebat, displicebat multis, sed in caussa erat non Apostoli aliqua culpa, sed rei impossibilitas. Non enim eadem omnibus, sed sæpe contraria diversis placent. Itaque Apostolus sic omnes suas actiones moderatus est ut si non posset omnibus, saltem pluribus, aut iis quorum major ratio habenda erat, placeret. Loquitur autem Apostolus de rebus & actionibus, quæ per se à Deo nec vetitæ fuerunt, nec præceptæ. Nam in talibus soli Deo & Apostolus placere studuit & nos studere debemus. Hîc illud Apostoli locum habet: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Gal. 1. ỳ. 10. *Non quærens meam ipsius utilitatem, sed multorum.* Suæ privatæ utilitati communem multorum utilitatem opponit. Privatæ autem utilitatis suæ nomine intelligit id quod sibi alioquin gratum ac suave esset, quò eum Christiana libertas duceret: Communis verò utilitatis nomine intelligit spirituale quoddam maximumque bonum, nempe salutem multorum: ideò addit *ut serventur*: ità ut duplici nomine alienum commodum suo opponat, tùm quòd illud multorum sit commune: hoc sibi tantùm proprium: tùm quòd illud sit Spirituale omniumque summum; hoc carnale tantum & exiguum.

Vers. 34. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Hic versiculus planè cùm superioribus cohæret, ideoque eum iis attexemus. Exemplo suo proposito, monet Corinthios ut illud imitentur, quemadmodum & ipse vicissim hac in re Christum imitetur. Unde fiet ut dum se imitati fuerint ipsum Christum imitaturi sint. Verè enim & Christus non suum privatum & carnale commodum quæsivit, sed suorum commodorum oblitus, maximis incommodis & malis nostri boni ac salutis caussa sese volens objecit. Undè idem Paulus Christi hac in parte exemplum in Epistola ad Rom. cap. 15. ỳ. 2, 3, omnibus imitandum proponit. *Quisque nostrum*, inquit, *proximo placeat in bonum, ad ædificationem. Etenim Christus non sibi ipsi placuit, sed quemadmodum scriptum est, Opprobria opprobrantium tibi ceciderunt in me.* Idem facit etiam in Epistola ad Philipp. cap. 2. Postquam enim monuisset, *nè sua quisque spectaret, sed etiam aliorum quisque.* Subjicit: *Hic enim sensus sit in vobis, qui & in Christo Jesu.* In sequentibus verbis summam Christi Jesu humilitatem, & animi demissionem nobis describens. Hæc enim facit, ut privati nostri commodi obliti aliorum commodis ac saluti nos mancipemus.

IN CAPUT XI.

IN hoc capite agit Paulus de duplici quodam decoro in publico Ecclesiæ conventu observando quanquam posterius ità comparatum est, ut ejus neglectus etiam cùm gravi peccato ac pœna sit conjunctus. Itaque duæ sunt istius capitis partes. In priore agit de eo, ut mulieres in publico Ecclesiæ conventu velatis sint capitibus, quemadmodum è contrario, ut viri sint capitibus apertis dum orant aut propherant, quanquam de mulieribus inprimis ac præcipue agit Paulus, quas, ut apparet, quidam hac in parte cum viris æquare sunt conati. In altera agit, de convenienti ritûs Eucharistici celebrandi modo.

Vers. 2. *Laudo verò fratres, quòd per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, traditiones retinetis.* Aditum sibi parat Apostolus ad sequens monitum de velandis mulierum capitibus proponendum, laudans eo nomine Corinthios, quod traditionum suarum ac proinde & istius traditionis memores essent. Apparet enim Corinthios in Epistola sua ad Paulum scripta (manifestum enim est Paulum Epistola Corinthiorum provocatum, hanc iis Epistolam rescripsisse:) eo nomine gloriatos fuisse, quòd in omnibus traditionum ac institutorum ejus memores essent, ideoque ut mulieres capita sua in Ecclesia velarent, quemadmodum ab ipso traditum esset, urgerent. Itaque laudat hoc eorum factum Paulus, quo laudis œstro eos incitat, ut tantò constantius ac diligentius id faciant.

Quòd per omnia mei memores estis, sic verba Græca ὅτι πάντα μοῦ μέμνησθε convertit vetus interpres, ità ut in iis sit consueta Græcis ellipsis, pro κατὰ πάντα quemadmodum paulò antè super. cap. ỳ. 33. Istudque linguæ Græcæ convenientius est, quamsi verterentur, *quòd omnia mea meministis.* Namsi hoc dicere voluisset, aliter loquuturus fuisse videtur nempe ὅτι πάντα τὰ ἐμὰ, vel πάντων τῶν ἐμῶν μέμνησθε. Qua verò ratione per omnia, aut in omnibus Pauli memores fuerint Corinthii, statim explicat cùm addit:

Et quemadmodum tradidi vobis, traditiones meas retinetis. Ea ratione Pauli in omnibus memores erant, quòd traditionum ejus essent memores, easque retinerent. Traditionum nomine hoc loco intelligit præcepta viva voce non perscripta iis tradita: quanquam etiam hæc vox ab ipso Paulo de præceptis scripto traditis usurpatur, 2 Thess. 2. 15. Non est verò cur Pontificii ullum ex hoc loco traditionibus quas illi verbum non scriptum vocant, præsidium sperent. Quomodo enim probabunt tales in his Apostoli verbis traditiones intelligi quæ non certi tantùm temporis, aut certorum hominum respectu scriptæ non fuerunt, sed quæ nunquam sivè ab ipso Paulo, sive ab alio aliquo Divino homine literis sunt consignatæ? Quid? Nonnè hæc ipsa traditio de capitibus mulierum in Ecclesia velandis, quæ anteà scripta non erat, hîc scripta est? Nonnè & sequens traditio de ritûs Eucharistici celebrandi modo, quæ anteà ab Apostolo Corinthiis oretenus erat tradita, hîc quoque in literas est relata, ỳ. 23. Sic infrà cap. 15, ait Paulus se Corinthiis tradidisse inter prima ac præcipua, quòd Christus mortuus fuerit pro peccatis nostris, quòd post mortem & sepultus & resuscitatus, & visus tùm ab Apostolis, tum ab aliis multis tùm denique ab ipso Paulo fuerit, Num verò hoc quòd Corinthii à Paulo dicto primùm acceperant, scriptum

tum non extat? Fruſtra ergò Pontificii verbum illud ſuum non ſcriptum nobis obtrudere conantur, quòd non ſolùm nullam cùm ſcripto Dei verbo affinitatem habet, ſed etiam ab eo planè diſſidet. Fatemur quidem nos, multa non eſſe ſcripta, quæ vel à Chriſto, vel ab Apoſtolis aliiſque divinis viris tradita fuere; (num enim putamus, aut omnes Chriſti, vel Apoſtolorum conciones fuiſſe deſcriptas; aut nihil in iis particulare vel ſpeciale extitiſſe, quod in ſacris quæ extant monumentis non ſit expreſſum? An cùm nos multa ex ſcriptis divinorum virorum colligamus ac doceamus, quæ nuſpiam apertè ſcripta extant, credibile non eſt, ipſos etiam divinos viros ità ſagaces & ingenioſos fuiſſe, ut idem quod nos & viderint & docuerint?) ſed ea vel ſcitu factuvè ad ſalutem neceſſaria non ſunt: vel ſi ſunt, ex iis quæ ſcripta extant, facilè ab uno quoque elici ac colligi poſſunt. Nam ut omnes in ſpecie doctrinæ, omniavè præcepta ad amuſſim nobis traderentur, nihil erat neceſſarium: ſufficit, quòd ea quæ ratio noſtra per ſe aſſequi non poſſet, generaliaque principia ac multa etiam ſpecialia literis ſint prodita. Ex his enim facilè eſt quid Chriſtianæ religioni conſentaneum ſit, quidvè minus colligere. Adeò autem verum eſt omnia ad ſalutem ſcitu factuvè neceſſaria ea ratione qua diximus ſacrarum literarum monumentis conſignata eſſe, ut etiam valdè multa, quæ ad penitiora rerum divinarum myſteria pertinent, quæque à nobis ſinè ſalutis jactura ignorari potuerunt ſcripta fuerint, ut ita Dei Patris noſtri, & Domini noſtri Jeſu Chriſti ſingulari cura & providentia, non ſolum id, quod nobis neceſſarium eſt habere, ſed etiam in rerum divinarum cognitione abundare poſſemus. Nec eſt, quòd quis dicat, Sacras Literas ex certis occaſionibus, & de certis tantùm rebus ac materiis fuiſſe ſcriptas, nec ulli divinorum virorum propoſitum fuiſſe, ut compendium quoddam, aut corpus Chriſtianæ religionis traderet. Iſtud enim falſum eſt. Nam primùm lex Moſis, in qua Chriſtianæ pietatis principia quædam & elementa continentur, eo conſilio fuit deſcripta, ut populus divinus ex ea, omnia Dei inſtituta peteret, & regulam ejus colendi, eique ſerviendi haberet: Jam quæ Chriſtus legi adjecit, nonnè Euangeliſtæ diligenter ſunt perſequuti. Num vel Chriſtus quidquam ejuſmodi non docuit ad ſalutem ſcitu factuvè neceſſarium, vel illi omittere prorſus voluerunt, aut meminiſſe non potuerunt? at quàm multa vel parallela Chriſti dicta recenſent, vel quæ non recenſeri ſinè ſalutis diſcrimine poterant? Nonne Joannes etiam veluti auctarium quoddam eorum quæ Chriſtus docuit ſcripſit? Num hic, ſi quidquam ab aliis Euangeliſtis fuiſſet omiſſum ſcitu ad ſalutem neceſſarium, illud literis prodere aut non potuiſſet, aut noluiſſet? Quod verò attinet ad ea, quæ vel plenius vel apertius ab ipſis Apoſtolis docenda & inculcanda erant, nonnè in iis memoriæ prodendis diligens fuit Lucas, qui Apoſtolorum poſt Chriſti exaltationem acta, perſecutus eſt? Quid? Paulus Gentium Apoſtolus quàm multa ſcripta reliquit, de Legis ac Euangelii diſcrimine, ſeu quibus in rebus lex antiquata, & per Euangelicam Doctrinam emendata, fuerit. Et nè alia iſtius Divini viri hac de re monumenta commemorem, Epiſtola ad Romanos, nonnè hoc argumento prorſus inſignis eſt? Jam iſtis Divinorum virorum monumentis, addantur aliæ Epiſtolæ tum ab hoc ipſo Apoſtolo, tùm ab aliis ad varias Eccleſias, aut etiam ad omnes in univerſum Chriſtianos ſcriptæ, quæ ad manus noſtras pervenerunt, in quibus tot explicata ſunt Divinarum rerum myſteria, tot ſactiſſima præcepta tradita, ut qui ea omnia & cognitione comprehenderit, & opere compleverit, eum & ſapientiſſimum & ſanctiſſimum Angeliſque quàm hominibus ſimiliorem eſſe neceſſe ſit.

Verſ. 3. *Volo autem vos ſcire, quòd omnis viri Caput, Chriſtus eſt, Caput autem mulieris, vir, Caput autem Chriſti Deus.* Fundamentum in his verbis ſternit Apoſtolus præcepti de velandis mulierum capitibus in publico Eccleſiæ conventu, quemadmodum etiam ne viri contrà capita ſua obnubant. Hujus fundamentum eſt quòd Chriſtus ſit viri caput; illius verò quòd vir ſit mulieris caput.

Chriſtus eſt omnis viri caput. Quatenus in omnem virum abſolutum imperium & poteſtatem habet, ità ut omnis vir illi dicto audiens in omnibus eſſe debeat, quanquam etiam capitis nomine ſignificatur imperium & dominium abſolutum quidem, ſed tamen valdè benignum, & totum in curam ac bonum ejus qui ſubeſt directum, dominium tale, quale eſt in humano corpore capitis in ſua membra, quod propter ſummam capitis & membrorum conjunctionem mitiſſimum eſt. Iſtud tamen ità intelligendum eſt, ſi vir non ſolùm Chriſto adhæreat, eique per fidem conjunctus ſit, ſed etiam officium faciat, nec aliter quàm membra capiti, Chriſto in omnibus obtemperet. Nam alioquin imperium illud benignum, convertitur ipſius viri vitio in imperium durum, cujus effectus eſt pœna & perditio. Porrò *omnis viri* nomine intelligitur virilis ſexus in univerſum. Sequentia enim, quæ ex hoc fundamento educuntur de non velandis virorum capitibus, mulierum autem velandis, non ad ſolos viros & fæminas in matrimonio viventes, ſed in univerſum ad virilem & fæmineum ſexum pertinent, quanquam viri duplicis ſunt generis. Nam vel actu ipſo caput ſunt mulieris, vel poteſtate, id eſt, in id nati, ut caput mulieris fiant. De illis præcipuè loquitur Apoſtolus, qui & ipſi jam caput ſunt, quemadmodum etiam ſequens membrum indicat in quo caput mulieris vir eſſe dicitur. Manifeſtum enim eſt iſtud nonniſi in marito & uxore actu ipſo locum habere, in cæteris autem tantùm poteſtate ac naturæ conditione perſe ſpectata. Non idcircò autem Chriſtus caput viri eſſe dicitur, quaſi non ſimul etiam ſit caput mulieris, & quidem non minus quam viri immediatè, ſed quòd virilis ſexus in univerſum nullum aliud caput in terris habeat, ſed tantùm Chriſtum, & in illo Deum: Muliebris autem ſexus virilem ſexum vel actu ipſo, vel poteſtate pro capite præterea habeat.

Caput verò mulieris vir. Hoc ut diximus actu locum habet in viro, qui maritus eſt, & muliere quæ uxor eſt, poteſtate in cæteris, quorum ea eſt naturæ ſors ac conditio, ut mares quidem dominari, fœminæ verò ſub Dominio eſſe debeant. Verùm quia viri rurſus Chriſtum pro capite ac Domino habent, cujus ſunt mancipia, hinc apparet, nec ipſos jus habere quidquam Chriſto contrarium fæminis imperare, nec fæminis fas eſſe, ut in talibus viris ſuis obſequantur, quæ ſuppremus & virorum & fæminarum Dominus vetat.

Caput verò Chriſti Deus. Hoc adjecit Paulus veluti ex ſuperfluo, & illuſtrationis tantùm cauſſâ, & ne quis putaret quenquam ideò quod Chriſtum pro capite habeat ab ipſius Dei dominio excipi. Nam ſi Deus ipſius Chriſti caput eſt, utique omnis qui Chriſto ſubjectus eſt etiam ipſi Deo ſubjectus erit.

Porrò Deus Chriſti caput eſſe dicitur, non quòd nunc Deus in Chriſtum imperium aliquod exerceat: Novimus enim, Patrem neminem judicare, ſed omne judicium dediſſe filio; Novimus eum omnem in cœlo & in terra ſibi datam habere poteſtatem: Novimus ei ſubjecta eſſe omnia nulla re excepta: Nam illum qui ſubjecit ei omnia ab hac ſubjectione excipiendum eſſe, res ipſa docet: Novimus filium olim demum Patri ſubjiciendum: Novimus denique eſſe Regem noſtrum & Dominum abſolutum: Sed Deus caput Chriſti eſſe dicitur, quòd Chriſtus ab ipſo dependeat, quatenus omnem poteſtatem & robur ab ipſo donatum ſibi habet, & imperium ſuum

suum secundum generales quasdam à Deo sancitas leges administrat, quas ne Deus quidem ipse, præsertim eas quibus alteri jus aliquod sit factum, negligeret, quod verò ad omnia specialia quæ innumera sunt, attinet, quæ generalibus illis legibus definita non sunt, aut etiam ad æquas legum relaxationes attinet, in iis omnibus liberrima potestate Christus utitur. Breviter: Ideò Deus Christi caput esse dicitur, quòd Christus non suo sed Dei Patris sui nomine, auctoritate & potestate ab ipso accepta cunctis imperet, cuncta regat & administret, adeò ut non tam Christus quàm ipse Deus per Christum regnare dici debeat. Unde apparet, etiamsi Deus caput Christi sit, nihilominus nos debere in omnibus Christo obedientes esse, quippe cujus imperium nunquam Divinæ voluntati contrarium esse queat imò ipsius Dei imperium atque voluntas sit. Notandum autem est de Christo, quatenus omnis viri caput est, id est in omnia imperium & dominium absolutum habet, ab Apostolo dici, quod Deus sit illius caput, & sic quod ipse etiam eatenus consideratus non absolutè summum sit caput, sed adhuc caput se superius habeat. Jam verò vel quatenus Deus est imperium istud habet, vel quatenus homo, si quatenus Deus, utique non erit summus Deus, quippe qui altius se caput eatenus habeat, si quatenus homo, aut simul etiam ipse Deus summus est, aut non est, si est, cur non dicit Paulus, Christum, qui caput omnis viri est, esse ipsum Deum summum? hoc enim si verum id erat, omnino dicere debuit, ut rationem dicti sui redderet. Cur non tantum istud non dicit, sed eum tam apertè ab ipso Deo distinguit & Deo tanquam capiti supremo subjicit? Si verò non est, cur id pro verò jactatur?

Vers. 4. *Omnis vir orans, aut prophetans velato capite dedecorat caput suum.* Superiori fundamento posito, nunc illi superstruit præceptum suum Paulus, ne viri in publico numinis cultu capita sua velent, contra autem ut mulieres velatis sint capitibus. Mos erat receptus inter Gentes, *ut non tantum mulieres, sed etiam viri Deos suos colerent velatis capitibus, quemadmodum de Romanis scribit Plutarchus, majoris humilitatis & demissionis coram iis caussa, quo scilicet sese eorum mancipia ac servos esse testarentur. Hunc morem respectu virorum abrogat Paulus in Christi Ecclesia, & publico Divini numinis cultu. *Omnis vir.* Non tantum ingenuus, sed etiam alioqui servilis conditionis. *Orans*, sive aliis in precibus præeat, & clara voce preces concipiat, sive pro se tantum, seu tacitis animi votis preces ad Deum fundat. In precibus & oratione continetur etiam gratiarum actio, & laudes Divini nominis, continentur Psalmi, hymni & cantiones Spirituales ac piæ, quibus in Ecclesia Deus & Christus colitur.

Aut Prophetans. Prophetantis nomen latius hoc loco sumi debet, quam ut significet eum tantùm, qui peculiari Spiritûs sancti afflatu aliquid pandat, sed una significat quemvis in Ecclesia docentem, aut populum exhortantem, quo pacto & Prophetæ nomen accipit Christus Matth. cap. 10. vers. 41. & Paulus, Prophetiæ. Rom. 12. vers. 6.

Velato capite, κάτα κεφαλῆς ἔχων. Quia Paulus de tali capitis tegumento loquitur, quod sit servilis conditionis insigne, hinc apparet eum non quodvis capitis tegumentum primo intelligere. Nam & pileo tegitur caput, nec tamen pileus capiti impositus servitutis indicium fuit. Pileo enim tegitur caput non ad indicandum servilem statum, sed ad caput ab aëris injuria defendendum. Verum & pileus, & alia defendendi capitis tegumenta per analogiam quandam huc reduci debent, quoties cessat caussa propter quam gestantur, seu quoties ista capitis defensione non est opus: tunc enim tegumentum capitis veluti onus quoddam capitis est ac proindè pro Servitutis quodam signo censeri potest. Homines enim ingenui & in libertatem nati, semper nisi necessitas obstaret & corporis cura, aperto capite incedere deberent. Unde & naturæ quodam instinctu ii, qui cum audacia quadam & auctoritate loqui volunt, detracto ac de posito pileo aut alio capitis tegumento verba faciunt. Porrò non prohibet Paulus, quominus viri, qui servili sunt conditione non ingenua alio loco aut tempore capita velent & servitutis insigne gestent, si hoc sit more receptum; sed tantum ne id in Ecclesia quoties Divino cultui vacant, seu aliquid quod ad eum spectat peragunt faciant. In Ecclesia enim eoque tempore cessat istud servitutis & ingenuitatis discrimen, & uterque tum virilis, tum fæmineus sexus in suo naturali statu in quo à Deo est conditus consideratur. Ideoque cum virilis sexus nullum in terris caput, naturà suâ habeat, non convenit ut servitutis insigne gestet. Atque hoc est quod subjicit Apostolus: *dedecorat caput suum.* Non mysticum quod est Christus, sed suum proprium, naturà servum se esse hâc ratione indicans, cùm tamen in libertatem sit natus.

Vers. 5. *Omnis verò mulier orans aut prophetans retecto capite dedecorat caput suum.* Nunc proponit id quod præcipuè urget, nempe ut mulieres, quoties in publico Ecclesiæ conventu apparent, & Divino cultui vacant capitibus sint velatis, seu subjectionis signum in capite gestent. *Prophetandi* verbum de mulieribus in Ecclesia prophetantibus usurpatum strictius accipi debet, quam superiori commate cum de viris loqueretur Apostolus. Neque enim mulieribus in Ecclesia simpliciter docere aut exhortari liberum est: sed tum demum quoties Divino afflatu concitæ loquuntur tum demum enim non ipsæ mulieres suâ sponte; sed Deus per eas loquitur, quem quominus per eas loquatur, nemo prohibere potest. Nec dubitandum videtur in primitiva Ecclesia sæpè, etiam mulieres Divino Spiritu concitas, præsertim si quibus linguarum donum contigisset, in publico conventu fuisse loquutas, atque hâc ratione demum illis clara voce cæteris tacentibus & orare & loqui atque docere in Ecclesia, liberum est, quoties non ipsæ sed Deus per ipsas miraculosè loquitur. Per analogiam prophetantibus tum viris, tum fœminis, adjungendi sunt alii quà viri qua fæminæ, qui prophetantes audiunt, cum Divini verbi auditio etiam pars quædam Divini cultus sit. Unde quidam sacrarum literarum interpretes, prophetandi verbum etiam ad auditores retulerunt, in hac verò posteriori parte cum de mulieribus prophetantibus loquitur Apostolus, non aliam, quàm Divini verbi audiendi actionem designari putarunt, quod tamen durius est. *Dedecorat caput suum.* Non virum qui caput mulieris etiam est: sed suum proprium caput id est seipsam, dum scilicet naturalem statum & conditionem non servat, quandoquidem ea sorte nata est ut virum pro capite suo agnoscat.

Unum est & idem, ac si rasa esset. Probat id, quod dixit à pari quia si mulier caput non velet, perinde quodammodo esse ac si rasa prodiret in publicum. *Dico, quodammodo* quia non planè par sit ratio. Turpius enim est mulierem radi, quam non velari. Sed Paulus communi & usitato loquendi genere utitur dum illa unum & idem esse dicit, quæ inter se vicina sunt, & quandam paritatem habent.

Vers. 6. *Si enim non velatur mulier, etiam tondeatur.* Probat non velari mulierem, perinde quodammodo esse, ac si detonsa esset, quia si velamine non utitur nulla est caussa cur non etiam tondeatur. Nam quòd eam liberam facit à velamine, etiam ab alendis comis immunitatem illi concedit, quemadmodum in viris videre est, qui quia aperto capite possunt incedere, idcirco etiam caput detonsum aut rasum possunt habere.

* Beza in hunc locum.

Si verò turpe eſt mulieri tonderi, aut radi, veletur. Concludit argumentum ſuum, turpe ſcilicet eſſe mulierem non velari, cum turpe ſit eam tonderi ac radi. Nam comæ, quas ipſo naturæ inſtinctu tam ſtudioſe alunt fæminæ, ut nullo modo radi ſuſtineant, & in iis decus quoddam ſuum ſitum eſſe putent, nonnè fœminas monent capita ſibi omnino velanda eſſe, adeò ut ſi velamen capitis ab illis negligi poſſit, etiam nihil impedire quominus & comæ tonderi aut radi queant?

Verſ. 7. *Nam vir quidem non debet velare caput.* Cauſſam diverſitatis hac in parte inter virum & fæminam oſtendit Apoſtolus, cur ſcilicet vir non debeat velare caput fæmina autem debeat.

Quia vir eſt imago & gloria Dei: Mulier vero gloria viri eſt. Vir ita dicitur hoc loco Dei imago & gloria, ut id tacitè de muliere negetur, licèt & illa alia ratione etiam ad Dei imaginem ſit unà cùm viro condita. Imago enim Dei hoc loco vir dicitur, quòd exactam quandam imperii ac Dominationis divinæ imaginem referat, quatenus nihil eſt in mundo quod non ipſius imperio ac Dominationi ſubjectum ſit, ità ut quemadmodum vir Caput & Dominus eſt in mundo, ità Deus in univerſo, ideò Paulus non contentus *imaginis* voce, addit virum eſſe *Dei gloriam*, id eſt, in viri Dominio apparere quanta ſit gloria ac majeſtas imperii Divini, quòd ſcilicet nihil ſit in univerſo quod non ipſius poteſtati ac Dominationi pareat. Hinc conſequitur virum non debere Caput ſuum velare, nec ſervilis conditionis inſigne in Capite geſtare, & ſi id faciat in Deum ipſum quodammodo eſſe injurium. Alia ratio eſt mulieris quæ *Viri gloria eſt*, id eſt, in qua quanta ſit viri gloria ac dignitas, apparet, nempè quod cum omnes alias hujus mundi creaturas dignitate longè ſuperet, & viro ſimillima ſit, nihilominus illius poteſtati ac Dominio ſit ſubjecta. Itaque, vir quidem Dei gloria eſt dominatione. Mulier autem viri gloria eſt ſubjectione. Unde contrarii conſequuntur effectus, nempè virum quidem debere retecto capite eſſe, mulierem autem velato, adeò ut niſi id faciat, de viri gloria detrahat atque delibet.

Verſ. 8. *Non enim eſt vir ex muliere, ſed mulier ex viro.* Rationem affert cur vir potiùs, quàm mulier dominari & ſuperior eſſe debeat, quia vir eſt principium mulieris. Principium autem ſuo principiato cum ſunt ejuſdem ſpeciei, præſtantius eſt. Hæc Apoſtoli ratio includit etiam illam quam idem affert 1 ad Tim. 2. verſ. 13. *quòd Adamus prior ſit formatus, deinde Eva.* Quia enim prior formatus fuit tamquam omnium rerum à Deo creatarum Dominus, hinc apparet mulierem poſterius creatam.

Verſ. 9. *Neque enim conditus eſt vir propter mulierem, ſed mulier propter virum.* Novam rationem affert præſtantiæ viri ſuprà mulierem, quæ tamen ſimul eo pertinet cur mulier ex viro, non vir ex muliere formatus fuerit. Ideò particulæ καὶ γάρ, hoc loco idem valere videntur quod, *Nam &* vel *Nam etiam*, Hoc enim pacto eſt cauſſa ſuperioris dicti, & ſimul nova ratio principalis quæſtionis affertur. Nam & meritò factum eſt, ut cum mulier viri cauſſa, non verò vir mulieris cauſſa condi debuerit, illa potiùs virum quàm vir ipſam principium ſuum agnoſceret, & quia vir eſt finis mulieris, hinc apparet virum muliere longe præſtantiorem eſſe, ac proinde illi dominium, huic ſubjectionem convenire. Mulierem autem viri cauſſa conditam eſſe notum eſt ex Hiſtoria ſacra.

Verſ. 10. *Propter hoc debet mulier poteſtatem habere in capite propter Angelos. Propter hoc* id eſt, propter has cauſſas. *Debet mulier poteſtatem habere in capite.* Id eſt, caput velare, quod capitis velamen ſignum eſt caput à ſuperiori premi poteſtate, & idcirco illud Apoſtolus poteſtatem vocat, quia eſt ſignum poteſtatis.

Propter Angelos. Angelos nominat Paulus ut vel Angelorum reverentia ductæ mulieres id quod convenit faciant, nec Spiritus tam ſanctos offendant, qui ordinem ac decorum ab hominibus præſertim Chriſtianis, quos pro conſervis ac ſociis ſuis agnoſcunt, ſervari gaudent. Hinc autem apparet Angelos inter Chriſtianos præſertim in ſacris conventibus verſari, iiſque adeſſe, & eorum actiones ac facta obſervare. Quocirca & gaudere debemus tantos nobis comites ac defenſores addeſſe, & cautè circumſpectè, decenter ac convenienter agere, ne eos offendamus, & à nobis magno noſtro damno ac incommodo alienemus.

Verſ. 11. *Verumtamen neque vir abſque muliere, neque mulier abſque viro in Domino.* Quia mulieres depreſſerat Paulus, idcircò eas viciſſim erigit, & viris aliqua ratione exæquat, & primùm quidem reſpectu Domini id eſt Chriſti ejuſque religionis, deinde etiam reſpectu ipſius naturalis conditionis. Prius hoc verſiculo docet.. Ait enim, neque virum abſque muliere, neque mulierem abſque viro, in Domino, ſcilicet eſſe; hoc eſt, tam virum quam mulierem ad Dominum, id eſt Chriſtum pertinere, & in felicitate per eum humano generi allata æquam ſortem ac ſocietatem habere. Malumus enim hâc phraſi *in Domino* non ipſum Deum ſed Chriſtum perpetuo Apoſtoli more intelligere.

Verſ. 12. *Quemadmodum enim mulier ex viro, ſic & vir per mulierem.* Oſtendit merito id fieri quod dixit cum in ipſa etiam naturæ conditione quædam ſit inter virum & mulierem paritas: quandoquidem quemadmodum initio formata fuit mulier ex viro, ſic poſteà per mulierem propagetur vir.

Omnia verò ex Deo. Id eſt, tum vir ac mulier, tum ea quæ ad utriuſque tam ſpiritualem quam carnalem ſtatum & conditionem pertinent, quod ipſum ſolatio eſſe debet mulieribus, quandoquidem omne id quod Deo autore fit, pro rato & grato à nobis ſuſcipi debet.

Verſ. 13. *In vobis ipſis judicate, decorum eſt mulierem non velatam Deum orare?* Poſt expoſitas rationes, ad proprium ipſorum judicium remittit Corinthios Apoſtolus, & vult ut ipſimet rem expendant, an deceat mulierem non velatam in publico Divini numinis cultu verſari? Orationem enim pro aliis omnibus actionibus ad Dei cultum ſpectantibus, quæ à quovis publicè peraguntur, poſuit.

Verſ. 14. *Annon ipſa natura docet vos, quòd vir quidem ſi comam nutriat, ignominia illi eſt, mulier verò ſi comam alat, gloria eſt illi?* Cauſſam ſubjicere videtur cur eos ad ipſorum proprium, &c.

* * *

1 Corinth. XI. verſ. 7.

Vir imago & gloria Dei exiſtit, mulier autem gloria viri.

IN his verbis Apoſtolus oſtenſurus, virum orantem aut prophetantem non debere caput tegere, contrà autem mulierem id debere tegere, utriuſque dignitatem, ſed maxime mariti explicat. Duo autem ſunt loci membra; in primo enim dignitatem mariti explicat, ad Dei honorem aliquomodo relatam. In altero uxoris dignitatem, ad mariti honorem relatam.

Prius continetur illis verbis, quòd *vir imago & gloria Dei exiſtat.* Ubi duabus vocibus iſtam ut dictum eſt viri dignitatem explicat; quarum prior fundamentum continet ejus quod poſteriori voce ſignificatur. Primò enim virum nominat *imaginem Dei*, deinde ejuſdem *gloriam.* Cur imaginem vocet, notum eſt. Tribuit autem hoc viro peculiariter, quia cùm ratione imperii in res cæteras, homo Dei imago appelletur, perfectiori atque adeo propria quadam ratione vir imago Dei eſt, ſiquidem omnibus in terra rebus, etiam

etiam ipſi fœminæ, licèt alioquin imperii ac poteſtatis in res cæteras conſorti, imperet, nullumque in terris ita generatim loquendo agnoſcat ſuperiorem. Contrà autem fœmina, ut dictum eſt, naturaliter viro ſit ſubjecta: ac proinde licet cæteris rebus imperet, non tamen pleniorem ac perfectiorem Dei imaginem exhibeat. Atque hic jam diſſeri poteſt de jure quod maritus habet etiam uxori imperandi, & omnia in familia pro arbitrio diſponendi: modò Deum ne offendat, cujus eſt *imago*, & ut ſtatim videbimus *gloria*. Nam ut jam ad hanc poſteriorem quoque vocem explicandam accedamus, *gloria Dei* duplici ratione vir appellatur. Primò ob id ipſum quod ſit imago Dei ejuſmodi, in qua imperium ac majeſtas divina veluti refulget, eumque omnium oculis ſpectandam ſubjicit. Qui enim cernit quantum viro liceat in his inferioribus, inde colligere poteſt quantum poſſit Deus in univerſo. Deinde ea ratione, quòd cùm tantum habeat in inferiora poteſtatis, nihilominus tamen Deo penitus ſit ſubjectus, eumque authorem ac Dominum ſuum ſupremum agnoſcat, omnibuſque factis teſtari debeat.

Poſterius horum verborum membrum illud eſt, *Mulier autem gloria viri eſt*. Non dicit fœminam etiam eſſe imaginem viri, quemadmodum antea dixerat virum eſſe imaginem Dei, quia fœmina pluſquam imago viri eſt, & potius una cum viro imago eſt Dei, tanquam ejuſdem cum ipſo imperii in res cæteras quæ ſub Luna exiſtunt univerſas, ſocia. Imago autem alterius id rectius dicitur quod non ejuſdem planè rei ſed ſimilis tantùm eſt particeps. Appellatur autem *gloria viri*, ut ſimul & ipſius dignitas, & viri præ illa explicetur. Etenim gloria viri eſſe non poſſet, ſi nihil eſſet in ea ipſa dignitatis, nihil eximium, nihil præſtans: nec rurſus viri gloria eſſet, niſi vir illâ eſſet præſtantior, & propria fœminæ dignitas ad ejus dignitatem non referretur. Id ergo ſignificat Apoſtolus, fœminam, quum unà cum marito præſtantiſſima ſit terreſtrium creaturarum, imperio in cæteras omnes prædita, cum poteſtate quæ prope nimia eſſe videatur, nihilominus tamen marito eſſe ſubjectam. Magna enim in eo viri dignitas eſt eam ſibi habere ſubjectam quę rerum in terris univerſarum ſit Domina: quemadmodum Regis magna eſt in eo dignitas præſtantiſſimos alioquin principes habere ſubjectos. Itaque & maritus uxoris dignitatem agnoſcere debet, tanquam poteſtatis atque imperii ſui conſortis, nec eam illi eripere, quum ex ea ipſa dignitate honor ad ſe redundet, ſuaque dignitas illuſtretur: & rurſus ita dignitatis ſuæ ſibi conſcia uxor eſſe debet, ut eam ad mariti honorem penitus referat. Quod fiet ſi ei ut capiti ſuo pareat, ac ita omnia in familia adminiſtret, ne mariti voluntati aliqua ex parte refragetur, multò autem minus ut ipſi viro imperare velit. Itaque & maritus ſi uxorem ſuam contumeliâ afficiat, & dignitatem ipſi ſuam integram non relinquat, ſuâ ſeſe gloriâ privat: & contrà uxor ultra modum ſeſe effert, quum aut plane par marito eſſe vult, aut quod pejus, etiam ſuperior, eaque in parte in Deum eſt injuria, & ſuam illi dignitatem eripit, qui maritum ſuam imaginem ac gloriam eſſe voluit. Jam enim eum, quantum in ſe eſt imaginem Dei eſſe non permittit, dum eum non ſinit eſſe omnium rerum inferiorum Dominum abſolutum ac ſupremum, quemadmodum Deus eſt in univerſo. Itaque imaginem illam in eo veluti delet, & majeſtatem Dei in eo refulgentem obſcurat.

1 *Corinth.* 13. *verſ.* 1, 2, 3.

APoſtolus occaſione de recto donorum ſpiritualium uſu, digreditur in charitatis commendationem, quam uſui illorum longe præponit. Commendat autem charitatem triplici argumentorum genere. Primò enim neceſſitatem illius concludit, comparatione inſignium aliquarum virtutum quæ ſine illa nil valeant. Secundò utilitatem illius deprædicat, varios ejus effectus recitando. Tertio denique durabilitatem ejus præ aliis quibuſdam virtutibus commendat. Nos primum illud argumentum propoſitum hiſce tribus verſibus excutiemus. Sunt autem virtutes cum quibus Apoſtolus hic charitatem comparat duorum generum: quædam enim prorſus ſunt divinæ benignitatis, quædam humanæ facultatis. Nos autem ſimplicius numerum earum perſequemur. Sunt autem numero ſeptem. Prima eſt facultas, *linguis hominum Angelorumque loqui*. Una præſtantia linguarum varietas, Gen. XI. 7, 8, 9. Credibile eſt autem temporis tractu magis eam in diſperſione populorum creviſſe. Eſt autem ea magnum impedimentum commerciorum remotiorum. Quum itaque in univerſum orbem propagandum eſſet Euangelium, Deus primis ejus præconibus variarum linguarum notitiam indidit. De qua vide Actor. 2. 4. & ſeqq. & x. 46. & XIX. 6. Quod & antea Dominus Jeſus eis promiſerat, Mar. 16. 17. vide & antecedente XII. & ſequente XIV. capite hujus Epiſtolæ. Erat autem res miraculi plena linguas abſque Magiſtro ſciri: cùm rerum vocabula non ſint ex natura, eoque non ut artes ac ſcientiæ ingenio perveſtigari poſſint. Quod de Angelorum linguis loquitur id triplici modo accipi poteſt. Vel enim hypotheſis eſt nuda, in qua non antecedentis ſed connexionis veritas requiritur, ut in illo Gal. 1. 8. *Si vel nos vel Angelus de cœlo aliud Euangelium annunciaret* &c. Vel eſt hyperbole, qualis in illo dicto Pſal. 78. ℣. 25. *Panem fortium* id eſt Angelorum, *comedit vir*, quo notare præſtantiſſimum panem voluit. Vel denique per linguam Angelorum intelligendus eſt iſte modus quicunque tandem ſit quo Angeli animi ſui ſenſa cum aliis communicant. Quamvis autem & hominum & Angelorum lingua loqui res præſtantiſſima cenſeri debet, & hoc poſterius tanto præſtantius quantum Angeli hominibus præſtant; addit tamen; *ſi charitatem non habeam, factus ſum æs reſonans, aut cymbalum tinniens*. Per charitatem hoc loco affectus benevolus erga homines potiſſimum intelligi videtur; ut apparet tum ex deſcriptione proprietatum atque effectuum ejus ſubjuncta, tum ex ſcopo totius hujus commentationis, qui eſt iſte ut in uſu ſpiritualium Dei donorum, charitatis mutuæ habeatur ratio. *Æs reſonans*, omne inſtrumentum Muſicum ex ære factum ſignificat; ut ſunt tubæ, ſiſtra, organa pneumatica, tintinnabula. *Cymbalum* erat hemiſphærium cavum, tinnitum pulſu reddens. Dicere vult, non majori id ſibi bono fore, quàm ſi æs aut cymbalum foret; quæ nullum ipſa fructum ex ſuo ſono capiunt. Quanquam autem ex hypothetico hoc enunciato concludi nequeat linguarum donum, ut & cætera quæ ſubjungit, ſine charitate in quoquam eſſe poſſe, reprehenſio tamen Apoſtoli, qua perſtringit hoc dono abutentes, capite ſequente, oſtendit iſta aliquando ſeparari poſſe. Ne igitur imagnopere ſuperbiamus linguarum variarum notitiâ; quæ ne ſapientiæ quidem nomen meretur, ſed illius tantùm, ut & aliarum ſcientiarum, inſtrumentum eſt: alioquin utut famam ipſius nobis conciliet, ipſam tamen non adfert.

Secunda virtus cum qua charitas comparatur, eſt *Prophetia*. Per eam intelligitur propriè facultas prædicendi futura, ut nomen indicat. Qualis fuit in Paulo, vide Actor. 20. 25, 29. Rom. XI. 25. 1 Cor. 15. 51. 2 Theſſ. 2. 3. 1 Tim. 4. 1. 2 Tim. 3. 1. cap. IV. 3. In Petro 2 Pet. 2. 1. cap. III. ℣. 3. In Johanne, in Apocalypſi tota. In Agabo Actor. XI. 28. XXI. ℣. 10, 11. In aliis Act. 20. 23. Significatur tamen per eandem & in genere divinam veritatem enarrandi peritia: ad quam & propheticorum ſcriptorum enodatio pertinet: prout ſumi videtur Rom. 12. 6. Hujus Epiſtolæ cap. 14. ℣. 1. & ſeqq. Unde ſimul apparet quanta ſit hujus facultatis præ ſuperiore præſtantia, quæ uſum hominibus illâ majorem adferat. Poteſt tamen & prophetia ſine charitate exiſtere. Quid enim ſi quis in prophetando, non utilitatem aliorum, utut per accidens nihilominus prophetiam conſequatur, ſed ſuum commodum honoremve reſpiciat. Certe ſine pietate eam in aliquo conſiſtere poſſe, atque ita nihil prodeſſe, apparet ex Matth. 7. 22. collato cum ℣. 23.

Erat Balaam, Propheta verax, & tamen improbus, utpote mercedem iniquitatis amans, ut apparet Num. cap. 23. ℣ſ. 24. 2 Petr. 2. ℣ſ. 15, 16. & Balacum docuit ſcandalum Iſraëlitis ponere, ut idolothytis veſcerentur, & ſcortarentur. Apoc. 2. 14. Sic Cajaphas eodem tempore & prophetabat, & decretum ſupplicii capitis in Chriſtum ferebat, Joh. xi. 50. Nos demus operam ut prophetiam ſi quæ nobis adeſt ad utilitatem populi Chriſtiani referamus.

Tertia & quarta virtus eſt, *cognitio myſteriorum, omniſque notitia.* Poſſent hæc ad prophetiam tanquam explicatio quædam ejus referri: quia tamen, 1 Corinth. cap. 12. verſ. 8, ſermo ſapientiæ & ſermo cognitionis, & cap. xiv. verſ. 6, revelatio & cognitio, à prophetia diſtinguitur; reſtat ut hîc ea pro diſtinctis à prophetia divini ſpiritus virtutibus capiamus. Quanquam in quo & à prophetia, & ipſæ inter ſe diſtinguantur, explicatu ſit difficile. Cognitio myſteriorum idem eſſe videtur cum ſapientia, cap. xii. 8. & cum revelatione cap. 14. 6. nominata, & notare eam de Deo ejuſque voluntate notitiam, quæ alioqui humano ingenio perveſtigari poſſet. Notitia verò ſubjuncta, eam quæ minus recondita eſt, & magis circa officii noſtri explicationem verſatur. Poſſe verò cognitionem à charitate ſejungi, apparet ex 1 Corinth. 8. 9, 10. Ea verò tantum abeſt ut nos juvet, ut potius gravioribus nos verberibus dignos reddat. Luc. 12. ℣ſ. 37. Vide etiam Jacob. 4. 14. Demus igitur operam ut noſtra ſapientia ſit eo modo comparata quo Jacobus eam deſcribit cap. 3. verſ. 17.

Quinta virtus eſt *Fides.* Fidei variæ ſunt acceptiones. Nam & aſſenſum in genere divino ſermoni præbitum, & in ſpecie fiduciam in Deum, Dominumque Jeſum, & ſpecialius fiduciam de ope divina ad perpetranda miracula ſignificat. Cùm omnem fidem hic nominet Apoſtolus, videtur latiſſime eam intelligere, prout omnes eas ſignificationes in ſe comprehendit. Certè non ſolum miraculorum fidem hic notari, inde veriſimile fit, quòd ſub finem capitis fidem cum ſpe atque charitate, nunc manere inquit, quod de miraculorum fide non intelligi ſatis conſtat. Interea quamvis fidem in genere hic intelligamus; ad miraculorum tamen potentiam eam potiſſimum referri, utpote quæ propter effectum mirabilem maximè ſit inſignis, & in oculos omnium incurrat, apparet ex ſubjuncta exaggeratione de montibus tranſferendis. Quis enim fidem alicujus tantam non maximopere ſuſpiceret? Cæterum quod hîc maximæ fidei montium tranſlatio tribuatur, cùm Dominus Jeſus Matth. 17. 20, eam fidei quæ ſit inſtar grani ſinapis, id eſt minimæ tribuat; in eo Apoſtolus noſter non tam rem ipſam quàm opinionem hominum ſpectaſſe videtur, qui fidem montes tranſferentem pro maxima haberent. Porrò fidem quæ eſt aſſenſus, ſine charitate nonnunquam eſſe, apparet ex Jac. cap. 2. 14. Ubi & dæmonibus aſſenſum ejuſmodi tribuit verſ. 19. Idem & de illa, & de fiducia, quotidiana docet experientia. Sed hoc tamen intelligendum eſt, de aſſenſu languido, & fiducia minus circumſpecta ſeu ſtulta potius. Nam alioqui, ubi aſſenſus eſt plenus, atque vividus, & fiducia prudens, charitas abeſſe non poteſt. Unde cognitioni Dei Dominique Jeſu vita æterna tribuitur Joh. 17. 3. Quod idem & de confeſſione, quòd Jeſus ſit Dominus, & fide quòd Deus illum à mortuis excitarit, affirmatur Rom. 10. 9. Unde & Apoſtolus noſter Tit. 1. 16. inceſſit quoſdam confitentes quòd Deum norint, quem tamen factis negent. Fidem miraculorum ſine charitate eſſe poſſe, etſi vel ad ejectionem dæmoniorum & ad perpetrationem operum valde mirabilium procedat, apparet ex Matth. 7. 22. Sed quid fides iſta ſine charitate prodeſt? *Nihil* inquit Apoſtolus noſter, *ſum.* Demus ergo & ipſi operam, ſi fidem habemus, ut ea per charitatem ſit efficax, Gal. 5. 6. Jac. 2. 14. ad finem, 1 Joh. 2. 3, 4.

Sexta virtus, *Omnem ſuam ſubſtantiam, in cibum*, puta pauperibus *diſtribuere.* Magna hæc profectò virtus, præſertim ſi cogitetur id quod dicit de omni ſubſtantia. Videmus enim quàm grave id acciderit illi juveni, Matth. 19. 21, 22. Videatur quoque exemplum Ananiæ & Sapphiræ, Actor. 5. 1, 2. Erat tamen ea in Eccleſia Jeroſolymitana Actor. 4. verſ. 32, 34. Mirum autem quomodo hæc virtus ſine charitate vel concipi poſſit, cùm uſui aliorum omnia ſua impendat. Docet tamen id exemplum hypocritarum, de quibus Dominus Jeſus, Matth. 6. 2. Qui proinde meritò præmittit admonitionem ibid. verſ. 1. Recte monet Apoſtolus Rom. 12. 8. Qui diſtribuit ut id faciat cum ſimplicitate. Studeamus ergo beneficentiæ in alios, prout idem ad Rom. 12. 13. & Heb. 13. 16. Imò Dominus Jeſus Luc. xi. 41. xii. 33. Sed & operam demus ut ex charitate id faciamus.

Septima virtus eſt *dare corpus ſuum comburendum.* Durum hoc ſupplicii genus. Cui tamen Sidrachum Meſachum & Abdenagonem objicere Nabuchodonoſor voluit, Dan. cap. 3. verſ. 19. Eodem & Chriſtianos olim affectos aliquando fuiſſe, hiſtoria Eccleſiaſtica docet. Tacitus de Nerone ſcripſit libro Hiſtor. 15. eum Chriſtianos flammari, & ubi dies defeciſſet in uſum nocturni luminis uri juſſiſſe. Quid noſtro ævo in Hiſpania, Italia, Gallia, Belgio, imò & in Germania factum ſit, notum eſt. Quis neget autem inſignem plane hanc virtutem eſſe, ſi quis corpus ſuum comburendum, & quidem, ut hic intelligi par eſt religionis cauſa tradat? Summum enim id ſit conſtantiæ, patientiæ, & amoris in Deum atque Chriſtum documentum. Mirum tamen eſſet quenquam tanta virtute præditum charitate deſtitui. Et tamen credibile eſt quoſdam ex iis qui noſtro ævo hoc ſupplicio affecti ſunt, non immunes fuiſſe ab odio fratrum ſuorum, & idem quod ſibi factum eſt, aliis ob diſſenſum circa religionem, inferendum cenſuiſſe, aut fortaſſe etiam dum potuerunt inferendum curaſſe. Heu miſeri? Cur tantæ alioquin virtutis veſtræ pretium, injuſto fratrum odio perditis? Ait enim Apoſtolus ſine charitate nihil eam vobis prodeſſe. Nos ergo fratres ne in mediis quidem afflictionibus, charitatis obliviſcamur, exemplo & ſervatoris noſtri & ſancti Stephani, qui pro interfectoribus ſuis orarunt. Luc. 23. 34. Actor. 7. verſ. 60. Hoc vobis injungit Dominus Jeſus Matth. 5. verſ. 44.

Sequitur explicatio verſ. 4, 5, 6, 7, 8.

VIſum nobis fuit pergere in charitatis commendatione quam nuper orſi ſumus. Et nunc quidem illud argumentum excutiemus quod à proprietatibus atque effectibus charitatis utiliſſimis ſumitur. Qua enim ratione jejunium noſtrum Deo gratius efficiemus, quàm ſi charitatis illarumq; virtutum quæ ex charitate oriuntur, conſideratione, animos noſtros ad pietatem exſtimulemus. Sunt autem proprietates effectuſque charitatis quos Apoſtolus hîc recenſet, numero 16. Nos hæc ordine excutiemus.

1. *Charitas eſt longanimis.* Hæc virtus manſuetudini cognata eſt, & in iræ cohibitione verſatur, etiamſi juſta cauſa iræ nobis ſit præbita. Unde patet longanimem omnia quibus animus ad vindictam ſtimulari poſſit, ſine affectu expendere, nec injuriam ſuam ducere ſi quid vel ab inſciis vel ab invitis in ſe patratum ſit: veraſque injurias non nimium exaggerare, neque exactè numerare, ac multum humanæ infirmitati imputare, atque iis quæ excuſari nequeunt benevole ignoſcere, nec niſi tarde ad iram commoveri. Exemplo nobis eſſe poſſunt parentes nonnulli circa liberorum ſuorum peccata. Rectius tamen exemplum petere licet à Deo, qui longanimitatis nomine in Sacris Literis commendatur. Exod. 34. verſ. 6. 1 Timoth. 1. 16. 1 Petr. 3. 20. 2 Petr. 3. 9. Quod exemplum eo magis nobis conſiderandum eſt, quòd niſi illud imitemur nobis quoque Dei præcluſa ſit gratia. Porrò charitatem in cauſa eſſe ut quis ſit longa-

longanimus, quilibet videt: & illo quoque Salomonis probatur, Prov. 10. verſ. 12. quod 1 Petr. 4. verſ. 5. repetitur, *Charitas operit peccatorum multitudinem.*

2. *Charitas benigna eſt*, ſive comis. Ea benignitas ſuavitatem quandam ſignificat, in vultu, geſtu, verbis, imò & promptitudinem officiorum, ut apparet Luc. 6. 35. Recenſetur inter fructus Spiritus, Gal. 5. verſ. 21. Natura hominem homini ad officia mutua obſtrinxit, quæ ut tanto libentius præſtemus, charitas efficere ſolet.

3. *Non eſt æmulatrix*, ſive non invidet. Zelus ſive invidia dolorem ſignificat ex alterius bono, quod poteſt eſſe varium. Vel enim eſt animi, vel corporis, vel fortunæ ut vocant. Animi quòd quis ſit ingenioſior, doctior, tenacioris memoriæ, diſertior, prudentior. Corporis quòd fortior, agilior, ſanior, formoſior. Fortunæ quod florentior opibus, honoribus, gratiâ hominum. Porrò dolorem ex alieno bono, ſequitur deſiderium alios illo privandi, inque ſe illud tranſferendi, & varii ad id efficiendum conatus, ſive verborum, ſive factorum. Nec enim verebitur invidus detrahere, calumniari, fraudare, rapere, furari. Invidia eſt avaritiâ pejor. De invidia vide Prov. 4. 30. XXVII. ℣. 4. Jac. 3. 16. Recenſetur inter opera carnis, Gal. 5. 20, 21. Adverſatur maximè charitati, ut quæ amici commodis delectatur, eumque prout poteſt libenter promovet.

4. *Non agit perperam.* Protervia quædam notatur, contumeliam aliorum quærens, dictis factiſque petulantibus. Exemplum ejus rei in Chamo, Gen. cap. 9. verſ. 22. in Semei 2 Sam. cap. 16. verſ. 6. In juvenibus familiare vitium eſt, voluptatem ex alieno ludibrio quærentibus. Charitati maxime adverſatur, ut quæ honorem ac tranquillitatem aliorum non minus quàm ſuam ipſius amat.

5. *Non inflatur.* Metaphora eſt arrogantiam notans, qua quis vel ea ſibi tribuit quæ non habet, vel quæ habet, utut vilia, aut etiam fortaſſe vitioſa, magnifacit, ſeque ea de cauſa admiratur, omniumque præcomis dignum putat: quin & in geſtibus atque veſtibus pompam & oſtentationem ſectatur, laudes ſuas & lubenter audit, & ultro ipſemet ebuccinat. Eſt autem hæc arrogantia conjuncta cum aliorum contemtu. Rarò enim qui ſe nimium æſtimat, aliorum virtutes æqua lance expendit: quin cùm circa ſua vitia, talpâ cœcior ſit, circa aliena Argus eſt aut lynx. Huc pertinet parabola de Phariſæo & publicano Luc. 18. 9. Vide quoque Matth. 9. 2. Hoc autem charitati vehementer adverſatur, quæ alieno honore lætatur. Charitatis & arrogantiæ oppoſitionem vide 1 Cor. 8. 1.

6. *Non agit indecore.* Decori in omni vita ratio habenda eſt. Huic ſe plerique ſatiſfeciſſe putant, cùm nil in ſe admittunt quod perſonam eorum dedeceat, de aliorum honore ſecuri. Hîc vero charitas eo nomine commendatur, quòd nil in alios perpetret quod eorum perſonam dedeceat, eoque cum reverentia quadam cum aliis verſatur, verbis eos geſtuque honorans. Exemplum vitii illius contrarii, vide in Nabale 1 Sam. 25. 10, 11. Vertitur etiam hoc ita: *Non eſt faſtidioſa*, quod & ad homines referri poteſt, quos vel genus, vel vitæ conditio, vel aliquod ſive animi ſive corporis vitium, vel infortunium aliquod depreſſit; & ad officia non admodum nobis honorifica, quæ fortaſſe à nobis exigantur. Itaque charitas ab hominibus & officiis vilibus atque abjectis nequaquam abhorret. Exemplum de hominibus, in Chriſto Matth. 9. 10. Luc. 15. 1. & cap. 7. 37. De officiis in eodem Joh. 13. ℣. 4. De utroque in Samaritano Luc. 10. verſ. 33, 34.

7. *Non quærit ſua.* Natura nobis noſtri amorem inſeruit, qui per ſe culpandus non eſt: eſt enim & ad individui & ad ſpeciei conſervationem neceſſarius; ſed raro modus in eo ſervatur. Plerique ita ſuis ſtudent commodis, ut & in immenſum extendant deſiderium utilitatemque ſuam, quo jure quaque injuria, etiam cum aliorum læſione, proſequantur. Huc accedit quod commoda ſua ultra ſeculi hujus ambitum extendant. Hoc ergo meritò reprehenditur. Non enim habemus hic permanentem civitatem, Heb. 13. 14. Civitatis noſtræ jus in cœlis eſt. Phil. 3. 20. Quæ ſurſum ſunt, quærenda. Col. 3. 1. Quod verò ad hujus vitæ bona attinet, hæc ita habenda ſunt ac ſi non habeantur, 1 Cor. 7. 29, 30. eaque non ſolicite quærenda: multo minus cum aliorum neglectu & injuria, quæ charitati vehementer adverſatur. Imò magis quæ aliorum ſunt quàm noſtra nobis ſunt quærenda Rom. 15. 2, 3. 1 Cor. 10. verſ. 24. vide & Philip. 2. 4.

8. *Non exacerbatur.* Hoc primo cognatum eſt. Significat enim neque facile neque vehementer ad iram aliquem provocari, etſi magna ſuppeditata ſit cauſa. Id ne fiat, charitas prohibet: quæ omnia in meliorem partem interpretatur. Quin & cùm exacerbatur, non hominibus iraſcitur, ſed rei tantùm indignitatem dolet. Quod de Domino Jeſu ita capere par eſt quoties incanduiſſe legitur, ut Marc. cap 3. verſ. 5. & Joh. XI. 33.

9. *Non cogitat malum.* Græca verba duplicem poſſunt habere ſenſum. Primò enim ſignificari poteſt charitatem nil mali ſuſpicari, cum de ſuo animo omnes metiatur; neque injurias accurate conſiderare, prout ſolent homines ex variis tum eorum à quibus læſi ſunt, tum ſui tanquam læſorum, tum læſionis ipſius circumſtantiis, iræ odiique cauſas accerſere, eaſque exaggerare. Deinde & hoc ſignificari poteſt charitatem nil mali cuiquam moliri aut machinari, quo vel vitæ valetudinique vel honori vel commodis alterius noceat, neque per ſe neque per alium, ac ne Magiſtratum quidem, vel Deum ipſum: eoque nec accuſat verbis, nec mala cuiquam vovet, aut imprecatur. Quodſi pœnam cuipiam irrogat, in ea non malum patientis, ſed emendationem potius publicumque commodum ſpectat; nec lubens id exſequitur, ſed cum dolore quodam. Quod in Neronis quinquennio notatur, Mallem neſcire literas dicentis, quum damnationi cujuſpiam ſubſcribere deberet.

10. *Non gaudet injuſtitiâ.* Duplici modo quis injuſtitia gaudere poteſt; vel quod ſcelere alicujus delectetur, vel quod damno gaudeat, quod ex injuſtitia ſive in lædentem ſive in læſum ſit redundaturum. Sunt enim quidam ita perverſo ingenio, ut lætentur calamitatibus aliorum, etiamſi nihil commodi ad ſeſe redeat: præſertim ſi quando ab iis læſi fuerint. Sunt alii illis pejores, qui & peccatis aliorum gaudent: ſive quòd innocentiæ gloriam illis invideant, ſive quod aliorum delictis ſuam virtutem elucescere putent. Noli lætari caſu inimici, Prov. 24. 17. Gloriatur Job ſe id non feciſſe cap. 31. 29. Pœnam talium, vide Siracid. cap. 27. verſ. 30.

11. *Sed gaudet cum veritate.* Cùm veritas hîc juſtitiæ opponatur, ex more Hebræorum pro juſtitia accipi videtur. Ut enim veritas eſt conformitas verborum aut mentis cum re, ita & juſtitia eſt actionum cum jure legibuſque conformitas. Porrò veritas per proſopopœiam gaudere dici poteſt, cùm illi locus eſt in terris, cùm ſuccedunt ejus conatus, nec ei præmia deſunt juſta. Itaque cum veritate gaudere eſt delectari incolumitate & felici ſucceſſu juſtitiæ, ſive hominum juſtorum.

12. *Omnia tegit.* Deſumtum hoc videtur ex Prov. 10. 12. quod allegatur 1 Petr. 4. 8. Duplici verò modo tegit quis aliorum vitia, partim non efferendo quæ latebant, partim excuſando, & in meliorem partem interpretando quæ innotuerunt. Utrumque tamen charitas facit certo modo. Nam qui aliena vitia apud alios non differit, non eum tamen intermittit privatim caſtigare: quin etiam ſi privata caſtigatio parum proficit, alios aſſumit qui ſua authoritate peccatorem in ordinem redigant. Vide Matth. cap. 18. verſ. 15, 16. Qui excuſat alios peccantes, cavere tamen debet, ne vocet malum bonum, & contra: adverſus illud Eſai. cap. 5. verſ. 20. ne ita tum peccantes in malitia confirmentur, tum ne

aliis ſcandala exhibeant. Conniventia Heli ad flagitia filiorum graviter caſtigata 1 Sam. 2. 27. & ſeqq.

13. *Omnia credit.* Non eſt quidem ſtulta charitas, eoque non credit incredibilia, neque plane dubia pro certis habet, nec omittit explorationem rei ignotæ legitimam, ſecundùm illud 1 Theſ. 5. 20. *Omnia probate.* Et 1 Joh. 4. 1. *Non cuilibet Spiritui credite, ſed probate Spiritus an ex Deo ſint.* Sed tamen non exiſtimat eſſe nodum in ſcirpo quærendum ut multi ſolent. Circa duas verò res in credendo difficiles eſſe ſolemus; primò ſi de virtute alicujus affirmetur vel promittatur quippiam, quod mores ſeculi aut etiam illius cui credenda proponuntur captum ſuperat. Deinde ſi quis de ſua aliorumve injuria vel miſeria queratur, & ad eam ſublevandam auxilium cujuſpiam implorat. Utrumque hoc charitati repugnat: quæ & de virtute aliorum honeſta ſentit, & ad opem miſeris ferendam prona eſt.

14. *Omnia ſperat.* Hoc eodem modo limitandum quo ſuperius. Sperat charitas omnia quæ modo ulla ratione ſperari prudenter poſſunt. Multi ubi quem veritati repugnantem, aut in peccatum lapſum vident, ſtatim omnem ſpem de eo abjiciunt. At poteſt ex Saulo perſequutore Paulus Apoſtolus evadere: & Petrus qui Dominum cum jurejurando abnegaverat, pro illius Euangelio vitam ſuam expoſuit. Vulgò ajunt, qui non eſt hodie, cras minus aptus erit. Charitas id invertit, qui minus eſt hodie, cras magis aptus erit. Videbat Paulus Judæos obduratos, & tamen nullum non movet lapidem, ut aliquos ex iis ſervet. Semper tibi pendeat hamus, quo minime reris gurgite piſcis erit. Totam noctem piſcati ſumus, nec quicquam cepimus, ad tuum tamen verbum, inquit Petrus ad Dominum Jeſum, demittam rete Luc. 5. 5.

15. *Omnia ſuffert.* Hoc & ad defectus atque vitia referri poteſt, quæ quis in aliis tolerat, & ad mala ſeu incommoda quæ quis ab aliis aut aliorum cauſa ſuſtineat. Ad prius pertinet illud Mimi, Amici vitia noveris non oderis. Cogitanda eſt infirmitas humana, & quàm nihil ſit ab omni parte perfectum. Fortaſſe & nobis multa deſunt, itaque ut ignoſci nobis ab aliis vellemus, ita & ipſi aliis ignoſcamus. Circa poſterius nobis ocurrat quæ matres incommoda ab infantibus aut eorum cauſa ſuſtineant, quæ tamen omnia charitas quodammodo edulcat. Cogitemus etiam quæ mala Dominus Jeſus noſtri cauſa exhauſerit: cujus exemplum nobis Petrus inculcat, 1 Epiſt. cap. 2. verſ. 21. & Johannes 1 Epiſt. cap. 3. verſ. 16.

16. *Charitas non excidit.* Poteſt hic eſſe ſenſus quod charitas ab officio nunquam deſiſtat, etiamſi voto ſucceſſus minus ſæpenumero reſpondeat. Ita Moſes pro Iſraëlitis ex libro vitæ deleri ſuſtinet Exod. 32. ℣. 32. Paulus pro fratribus anathema fieri optat. Rom. 9. 3. Ita ſcilicet charitas nunquam ſibi ſatiſfacit. Sequentia tamen potiùs hunc ſenſum ingerunt, charitatem haud excidere dici eò, quòd durabilis ſit præ maximis Spiritûs ſancti donis, quæ ad tempus tantùm Eccleſiæ fuerunt collata: imò & præ fide atque ſpe, utpote quibus in altera vita non ſit futurus locus: quum tamen charitas nec illic deſitura ſit: quamvis plurima charitatis officia indigentiæ ſeculi hujus accommodata deſitura ſint. Amen.

2 Corinth. 1. verſ. 3 ad finem 2.

IN his verbis celebrat Apoſtolus divinam benignitatem, ſibi tum aliàs tum non multò antè in Aſia præſtitam, ubi ipſum Deus ex ingenti periculo liberaverat, ſpem ſibi faciens ejuſdem etiam in poſterum beneficii ab eadem divina benignitate impetrandi. Duo autem potiſſimùm ſunt loci hujus membra. In priori generatim prædicat divinam benignitatem ſibi in omnibus afflictionibus propter Chriſti nomen incumbentibus præſtitam, ita quidem ut ejus rei fructum & ad alios fideles ac nominatim ad Corinthios redundare oſtendat. In poſteriori ſpeciatim deſcribit beneficium divinum quod in Aſia nuper fuerat expertus, ubi nimirum ex ingenti diſcrimine fuerat divina ope ereptus: ita quidem ut & tum cùm iſta ſcriberet eandem Dei benignitatem ſe experiri ſignificet, & ſpem ſeſe habere in poſterum quoque eandem ſe experturum.

Quod ad primum membrum attinet, id ab initio ℣ſ. 3 ad finem uſque ſeptimi extenditur. Ubi primo authorem beneficii in ſe collati, nempe Deum Optimum Maximum celebrat, & inſignibus quibuſdam titulis ornat. Deinde veluti ulterius eum deſcripturus ab effectis quorundam præſertim attributorum jam in præcedentibus expreſſorum, explicat beneficium ab eo in ſe collatum, & per ſe in alios quoque fideles ac nominatim in Corinthios redundans.

Celebratio illa divini nominis ac deſcriptio authoris beneficii in ſe atque alios collati continetur ℣ſ. 3. ubi ait: *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti; pater ille miſericordiarum & Deus omnis conſolationis.* Δοξολόγιαν præmittit Apoſtolus in voce *Benedictus* intellige *ſit*, ut animum ſuum oſtendat, beneficii divini memorem, atque in authorem ejus gratum pietatiſque plenum. Quo ipſo exemplum nobis præbet, ut nos quoque acceptis à Deo beneficiis, & memori pectore ea contineamus ac recolamus, & ubicunque ſe offert occaſio ea laudibus extollamus eorumque authorem celebremus. Eodem modo orditur commemorationem divinorum beneficiorum in omnes fideles collatorum, Eph. 1. 3. Simili modo & Petrus 1 epiſt. 1. 3. Senſus autem vocis illius ſatis notus eſt: Id enim ſignificat, celebretur Dei nomen, laudibus extollatur atque evehatur Deus. Id nempe unum propemodum reddere poſſumus pro tantis beneficiis Deo, ut ejus nomen prædicemus. Impar quidem valde tantis beneficiis hoſtimentum: ſed quod ob idipſum Deus gratum habet, ſi animo alacri offeratur, quia majus præſtare non poſſumus. Si quid præter gratiarum actionem præſtamus, id in vitæ pietate conſiſtit, quæ in honorem divini nominis cedit.

Jam quod ad deſcriptionem attinet authoris beneficii in ſe collati cujus nomen prædicat, eum quidem primùm exprimit *Dei* nomine, quod per ſe quidem commune eſt, ſed illius ob ſummam excellentiam evaſit quodammodo proprium; de quo non eſt hic neceſſe plura dicere. Deinde triplici eum ornat epitheto ſeu titulo. Et primo quidem magis declarat quis ſit ille, cæteris duobus potius qualis ille ſit, & quàm in homines ſit benignus. Ac licet primus etiam titulus aliquomodo ad rem præſentem hoc eſt ad beneficium Paulo ſæpe exhibitum pertineat, ſiquidem de beneficio à Deo in Jeſu Chriſti ſervum collato agitur; poſteriores tamen duo propius ad rem pertinent: ſiquidem cauſam exponunt iſtius beneficii. Primus ergo titulus eſt quod appelletur *Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Quæ verba ita connectuntur cum præcedenti nomine *Deus*, ut quemadmodum dictum eſt, declarent quis Dei nomine ſit intelligendus: quaſi dictum eſſet, Deus id eſt Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel, qui eſt Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ut particula *&* ſit hoc loco, ut alibi ſæpe, exegetica, quod etiam in locis duobus paulò antè notatis aliiſque ſimilibus obſervandum eſt. Cur autem Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti appelletur, jam aliunde ſatis notum eſt, ut nil ſit neceſſe his explicandis immorari. Illud tantùm memoria repetendum eſt quod paulò antè indicavimus, hanc deſcriptionem Dei non ideo tantùm adhiberi ab Apoſtolo, ut magis intelligatur quis ſit ille Deus quem celebrat; ſed etiam quia tum maxime illuſtris eſt, & ſummam Dei poteſtatem majeſtatemque exprimit, tum verò etiam non obſcure indicat eum maxime illos amare ac favore ſuo ſingulari proſequi qui Jeſu Chriſto adhærent, ei confidunt, eum amant ac colunt, ſiquidem Jeſu Chriſti ſit Pater. Non poteſt autem non amare Pater eos qui filium ipſius unicum chariſſimumque amant ac colunt. Unde & nobis Jeſum Chriſtum complectendum amandum ac venerandum eſſe diſcimus, ſi ſummi Dei amore perfrui cupimus. Joh. 16. 27.

Quod

Quod ad reliquos duos titulos quibus Deum ornat Apoſtolus attinet, eorum prior eſt quod ſit, *Pater miſericordiarum*, id eſt, Pater miſericordiſſimus, ſi ita loqui licet, ſeu ſummè miſericors. Neque enim genitivus *miſericordiarum* genitivus effecti eſt, quaſi nimirum Deus miſericordiarum pater ideo dicatur quod miſericordiæ ab illo proficiſcantur, & ex eo ortum ſuum ducant, (quanquam id quoque, ſi vel de miſericordiæ effectis à Deo proficiſcentibus ſermo ſit, vel de affectu miſericordiæ in hominibus exiſtente, verum eſt) ſed Hebræorum more pro adjectivo ponitur, quemadmodum explicatum eſt: quo pacto verbi gratiâ Deus gloriæ id eſt glorioſus dicitur Actor. 7. 2. Sed hujus Hebraiſmi exempla paſſim occurrunt in Sac. Liter. *Pater* ergo dicitur reſpectu noſtri, quos ille & paterno amore complectitur, & ſibi ſimiles generat, atque aliquando perfecte generaturus eſt, ſimulque hæreditatem donaturus iis ante ſecula deſtinatam quos hîc Deus generavit filios, ſanctitate nimirum ac juſtitia ſibi ſimiles. *Miſericordias* autem dixit plurali numero, ad miſericordiæ divinæ magnitudinem atque ubertatem tanto melius exprimendam. Quo pacto etiam Jacobus, cùm patrem non luminis ſed *luminum* appellat cap. 1. ℣. 17, ut eum lucis pleniſſimum eſſe indicaret. Sæpe enim pluralia apud Hebræos rei copiam magnitudinemque indicant. Quid autem ſit Dei miſericordia, etiam vulgò notum eſt, quantum quidem cuique eſt neceſſe: ſignificatur nimirum ſingularis Dei promtitudo ad opem miſeris atque afflictis ferendam. Quanquam enim tam late non raro extenditur miſericordiæ nomen, ut univerſam Dei benignitatem complectatur; tamen miſericordia proprie exercetur erga miſeros, ut & ipſum nomen indicat, atque afflictos. Miſeros autem non eos tantùm appellamus, qui jam reipſa ſunt afflicti, & miſeria preſſi, ſed etiam eos quibus malum aliquod præſertim inſigne impendet: quales ſunt ii qui peccatis ſuis pœnas divinas ſunt promeriti, promeriti autem ſunt omnes homines, unde omnes divina miſericordia indigent, ut à peccatorum pœnis quibus ſunt obſtricti liberentur. Itaque non ii tantùm qui jam pœnas illas reipſa ſentiunt, miſericordiâ Dei fruuntur, cùm ab iis liberantur, verùm etiam illi qui nondum eas ſentiunt, atque ex ipſius benignitate nunquam ſunt ſenſuri. Hoc enim ipſum miſericordiæ eſt quòd à periculo ac reatu pœnarum ſubeundarum reddantur immunes. Eſt autem duplex miſericordiæ hujus effectus: alter, & quidem miſericordiæ fere magis proprius, conſiſtit in avertendis malis, ſive jam præſentibus, ſive imminentibus: alter in bonis præterea largiendis, atque iis qui miſeri antehac fuerant impertiendis. Hoc Dei attributum paſſim in ſcripturis celebratur, atque haud ſcio an nullum crebrius in Sacris Literis inculcetur: partim quidem quia ad nos conſolandos, ad ſpem noſtram ac fiduciam quam in Deo ponere debemus, excitandam, alendam ac firmandam, maximam vim habet, ac ſine eo eſſet, univerſa ſpes noſtra concideret; partim etiam quia nos maxime excitat ut Deum tam benignum ac miſericordem patrem, toto animi affectu complectamur atque amemus, ejuſque nomen prædicemus. Simul autem eò quoque facit, ut ejus benignitatem nobis imitandam proponamus, ſi quidem ipſius filii haberi volumus, & ejus miſericordiam penitus atque in omnem ævorum perennitatem experiri cupimus. Siquidem id & præceptum nobis eſt, ut miſericordes ſimus, quemadmodum pater noſter cœleſtis miſericors eſt, & miſericordes beati prædicantur, quia & ipſi miſericordiam ſint experturi, & contrà, judicium ſine miſericordia inſtitutum iri Jacobus minatur adverſus eos qui miſericordiam non exercuerint.

Poſſunt autem hoc loco commemorari inſigniora miſericordiæ divinæ planeque paternæ tum in univerſum genus humanum, tum erga nos ipſos nominatim effecta ac documenta, ad animos auditorum tum conſolandos, tum ad divini numinis amorem ac cultum excitandos. Et effecta quidem ſive ad ſpiritum ſive ad corpus pertinentia. Quo ipſo ſimul declarari poteſt quomodo Deus Pater noſter ſit, quod quidem attinet ad affectum illius erga nos paternum. Nam de hoc quidem potius diſſerendum eſt hoc loco occaſione nominis Patris, quàm de ratione qua Deus nos ex ſeſe generet, ſibique ſimiles efficiat. Quanquam & hoc ad rem facit, quatenus præſertim id divinæ erga nos benignitatis eſt effectus, & quidem præcipuus. Unde Johannes exclamat, *videte quantam charitatem nobis dederit Deus, ut filii Dei vocaremur*, & quæ ſequuntur. Continet autem hæc deſcriptio Dei quòd nimirum ſit pater miſericordiarum cauſam ſequentis, quæ jam numero eſt tertia, & ad inſtitutum Apoſtoli præſens maximè facit, nempe quod ſit,

Deus omnis conſolationis, Id eſt author omnis conſolationis. Quo pacto Deus pacis appellatur, non uno ſcripturæ loco, quia ſit author pacis: ſive pacis nomine concordia intelligatur ac tranquillitas, ut 1 Cor. 14. 33; ſive felicitas, ut 1 Theſſ. 5. 23. Heb. 13. verſ. 20. Per conſolationem autem intelligere poſſumus tum ipſum gaudium quod miſeris atque afflictis præſtat, quo triſtitiam ex calamitatibus ortam mitigat, imò delet; tum etiam res lætas, unde gaudium illud oritur, qualis eſt verbi gratiâ liberatio à periculo aut calamitate. Vocem autem *omnis* quæ adjuncta eſt nomini conſolationis, duplici itidem ratione interpretari poſſumus. Primò ut ſignificet Deum authorem eſſe omnis quæ in hominum animis exoriatur, modò alioqui ſit honeſta & divinæ voluntati conſentania, lætitiæ, rebus triſtibus ſupervenientis (hæc enim demum conſolatio eſt) aut etiam rerum proſperarum unde lætitia iſta proficiſcitur. Siquidem omnia bona quæ hominibus obtingunt, à Deo ejuſque benignitate in genus humanum redundant. Deinde ut ſignificet, non quidem nullam eſſe in animis hominum lætitiam res triſtes diluentem quæ à Deo non proficiſcatur, ſed Deum valde propenſum eſſe ad conſolandum, eumque eos quos ſolari velit nullo non gaudii ac lætitiæ genere complere. Itaque priori ſenſu magis amplitudo hujus divinæ benignitatis ſeu mavis beneficii exprimitur, & quàm latè id ſit diffuſum oſtenditur: poſteriori potiùs perfectio ejus ac magnitudo. Hinc primùm cernere licet quanta ſit Dei benignitas, præſertim erga afflictos, unde animi noſtri partim ad gratias Deo agendas, partim ad firmam in illo ſpem, cùm res præſertim adverſæ irruunt, collocandam, excitandi ſunt. Ferè enim eadem eſt vis hujus deſcriptionis Dei quæ & præcedentis, à qua, ut diximus, tanquam à cauſa ſua pendet. Confer cum hoc loco inter alia locum ejuſdem epiſtolæ inf. cap. 7. verſ. 7. Ubi itidem hoc epitheto inſignitur Deus, quòd conſoletur humiles ſeu afflictos: & illud Pſalmi 147. ℣. 3. & 146, licet conſolationis non fiat mentio, verſ. 7 & ſeqq. ubi ejus beneficia in afflictos & ab omnibus deſertos commemorantur.

Hactenus deſcriptus eſt author beneficii tum in Paulum collati, tum per eum in alios etiam dimanantis: ſequitur nunc, ut videamus, quomodo explicetur illud ipſum beneficium quod in Paulum Deus hucuſque deſcriptus contulerat, & per eum quodammodo in alios. Primùm ergo Apoſtolus id beneficium in ſe collatum exprimit. Deinde quomodo id in alios etiam redundet, docet.

Prius facit illis verbis, *qui conſolatur nos in omni afflictione noſtra*, initio verſ. 4. id eſt, qui quoties affligimur toties ſuperveniente gaudio triſtitiam mitigat atque abſtergit. Præſtabat autem id Deus, partim lætitiâ per Spiritum ſuum in animo ipſius excitatâ, etiam tum cùm ob Euangelium graviſſime vexaretur, & duriſſimas perſequutiones ſuſtineret, partim cùm calamitates illas mitigaret, ac denique penitus tolleret, & ex iis Paulum eriperet. Ad quod poſterius maxime hoc loco videtur reſpicere Apoſtolus. Cùm enim dicit *nos* & *noſtra* ſeipſum potiſſimum intelligit: licet quia Timotheum in hujus epiſtolæ inſcriptione ſecum conjunxerat, communicatione quadam

dam utatur, & quæ ſibi vel ſolùm vel ſaltem potiſſimùm contingerent, etiam illi unà ſecum tribuit: etſi ut jam indicavimus in quibuſdam etiam eum habuerit malorum ac calamitatum ſocium, ſiquidem & itineris & prædicationis euangelii ſocium miniſtrumque eum habuerat.

Ex his verbis vix quicquam novi præter ſuperiora colligi poteſt: ſiquidem hic ſpeciale quidpiam tantùm exprimitur quod ſub tertio Dei epitheto ſeu deſcriptione, tanquam generali continetur, & ejus quodammodo eſt documentum. Apparet autem hinc quanta ſit Dei in ſervos ſuos, qui ſe illius cauſâ nulli non diſcrimini ac calamitati promte offerunt, benignitas, quanta circa illos cura ac providentia, quòd in nulla eos calamitate deſerat, ſed eorum triſtia lætitia ſuperveniente temperet ac mitiget, imò tollat ac penitùs extinguat: qua de re in ſequentibus audiemus, verſiculo potiſſimum quinto.

Nunc videamus quomodo Paulus beneficio Dei ſibi toties præſtito annectat beneficium in alios hoc pacto collatum. Id autem facit duplici ratione: primùm in genere, deinde in ſpecie. In genere dum docet ex beneficio in ſe collato fieri ut ad alios quoque afflictos, intellige fideles ac Paulo quoad afflictionum cauſas attinet aliqua ratione ſimiles, ſimile beneficium hoc eſt conſolatio redundet. In ſpecie autem dum docet ad Corinthios ſingularem ex ea re fructum redundare: nec tantùm ex beneficio in ſe collato, hoc eſt ex conſolatione qua ipſe in rebus triſtibus Dei benignitate fruatur, verùm etiam ex ipſis calamitatibus, quarum duritiem Deus conſolatione emolliat, atque aſperitatem tollat. Prius ita præſtat, ut & rem exprimat, & confirmet.

Exprimit dum ait, *Adhoc ut poſſimus nos conſolari eos qui in omni afflictione, per conſolationem qua conſolamur ipſi à Deo.* Annectit hoc beneficium in alios redundans beneficio in ſe à Deo collato tanquam finem quendam, oſtenditque quòd Deus ſeſe in omni calamitate ſoletur, eò pertinere, ut poſſit etiam aliis fidelibus in quavis calamitate conſtitutis conſolationem præbere; ſpe nimirum illis facta ejuſdem divinæ benignitatis, quam ipſe in ſuis calamitatibus toties expertus eſſet. Exemplo enim ſuo illos docere poterat, fore ut & ipſos Deus ſimili ratione conſolaretur in afflictionibus, atque illis præſentem ferret opem, atque è calamitate eos eriperet. Verba Apoſtoli ſatis ſunt plana, præſertim ſi animadvertas illud *in omni afflictione* ſignificare in quavis afflictione, ſeu cujuſvis generis afflictione. Non enim συλληπτικῶς ut loquuntur, ſed διαιρετικῶς id eſt non collective ſed diſtributive vox *omnis* hoc loco ſumitur. Deinde verba illa *per conſolationem* &c. cohærent cum verbo *conſolari* quòd paulò ante præceſſerat, quemadmodum per ſe quivis cernere poteſt. Paulò autem aliter ſumitur conſolationis vox cùm ſermo eſt de conſolatione quam Deus Paulo impertiverit, aliter cùm de conſolatione quam Paulus aliis impertiri potuerit. Illa enim fiebat à Deo non verbis aut exemplo, ſed præſenti favore atque ope quam Paulo præſtabat; hæc verò verbis & exempli commonſtratione à Paulo peragebatur. Hinc videmus Deum dum interdum uni atque alteri in Eccleſia benefacit, exemplum ſimul præbere velle cæteris omnibus, & veluti ſignum ad bene ſperandum iis erigere. Itaque & ii qui ſingulari aliquo Dei beneficio perfruuntur, id reticere non debent, ſed ubique prædicare, ut & ad alios ejus rei fructus dimanet, hoc eſt, & illi ſpem bonam lætitiamque animo concipiant, & ad perferendas omnis generis calamitates adeundave pericula tantò reddantur alacriores: & illi qui cernunt ſingularem Dei benignitatem in alios non debent eſſe tam incurioſi ejus rei ſpectatores, ut id ad ſe nihil pertinere arbitrentur, ſed ad ſe quoque id beneficium pertinere exiſtiment, ac ſpem colligant ſimilis beneficii à Deo cùm opus fuerit obtinendi.

Quod ad confirmationem attinet, ea continetur ℣. 5, ubi ait, *Quia quemadmodum redundant paſſiones Chriſti in nos, ita per Chriſtum redundat* (vel abundat) *etiam conſolatio noſtra.* Ubi ita rationem reddit proxime præcedentium verborum, ut ſimul tacitæ cuidam objectioni occurrat, & ſimul beneficium à Deo in ſe collatum repetat atque amplificet. Objicere enim aliquis potuiſſet; Quomodo tu vel ipſe conſolationem à Deo percipis, vel etiam nos admodum conſolari tuo exemplo potes, cùm tot Chriſti cauſâ calamitates perferas? Contriſtare te Deus potiùs videtur, quàm conſolari, & nos potiùs triſtitiæ quàm conſolationis exemplum à te capere poſſumus. Reſpondet Apoſtolus, varias quidem calamitates ſibi Chriſti cauſâ eſſe perferendas, ſed non minorem etiam eſſe conſolationem quam in iſtis afflictionibus divina benignitati ſentiat. Itaque triſtitiam qua afficiatur, gaudio ſuperveniente abunde penſari, atque adeò obrui & exſtingui. Videmus igitur & repeti hoc loco à Paulo divinum beneficium in ſe collatum, & illuſtrari atque amplificari: partim quidem comparatione cum afflictionibus, dum non minus abundare conſolationem ſuam dicit quàm abundent afflictiones; partim commemoratione cauſæ efficientis impulſivæ iſtarum afflictionum, mediæ autem conſolationis, nempe Chriſti. Vocat enim afflictiones ſuas Chriſti afflictiones, quo quidem eas ex aliis afflictionum generibus veluti eximit & ab iis diſpeſcit. Chriſti enim vocat quia Chiſti cauſâ eas perferat, hoc eſt occaſione ejus rei quòd Chriſti euangelium prædicaret, ejuſque negotium ageret, atque adeò pro nomine ac gloria Chriſti: ut poſſit Chriſtus hoc loco haberi non tantùm pro cauſa impulſiva nempe procatarctica, ſed etiam pro cauſa finali, ea nimirum quam τέλος ἕνεκα vocant, iſtarum afflictionum. Vide Act. 5. ℣. 41. Philip. 1. 29. Significat ergo Apoſtolus ſe non loqui de afflictionibus quas vel naturæ curſu, vel alia aliqua de cauſa quæ cum Chriſti negotio nihil commune haberet, perferret, quales quidem fidelibus cum infidelibus ſæpe ſunt communes; ſed de iis ſe loqui quæ ob ſanctiſſimum religionis Chriſtianæ negotium ſibi incumberent, quaſque ſi officium Chriſto debitum prodere voluiſſet, effugere potuiſſet. Similis loquendi ratio eſt, qua idem Apoſtolus de ſeſe utitur infrà cap. 4. ℣. 10, ubi ait ſe mortificationem Domini Jeſu in corpore ſuo circumferre, id eſt, ut ipſemet verſu ſequente explicat, ſubinde in mortem propter Dominum Jeſum tradi: quo loco & vita Jeſu ſumitur pro vita quæ à Jeſu Chriſto tanquam cauſa efficiente proficiſceretur. Non abſimilis eſt & illa loquendi ratio, cùm ſeſe *vinctum Chriſti* appellat, id eſt vinctum propter Chriſtum. Epheſ. 3. 1. & 2 Tim. 1. 8. & ad Philem. ℣. 1. & 9. De conſolatione autem dicit, eam per Chriſtum in ſeſe redundare, vel abundare, quia ipſius Chriſti opera actioque ad eam rem interveniebat, & per eum Deus Paulum conſolabatur. Chriſti enim curæ à Deo ſunt omnia illa commiſſa quæcunque ad illius ſervos, maxime quatenus illius negotium agunt, pertinent. Ideo non ſemel liberatio Pauli ex periculis Chriſto adſcribitur, tanquam ei qui illius eſſet author. Nam partim ipſe Chriſtus id Paulo promiſerat, ut ipſemet Paulus refert Act. 26, 17, ubi inter alia ait, Chriſtum ſibi dixiſſe, ſe velle eum eripere à populo & gentibus ad quos ipſum mitteret; partim etiam in hac ipſa epiſtola Paulus Chriſto liberationis ſuæ beneficium adſcribit, in qua, ut antea vidimus, conſolatio illa maximè conſiſtebat. Vide infrà cap. 4 ℣. 10 & 11. Ubi etiam cernimus Paulum de traditione ſua in mortem ſeu mortis periculum dicere, eam fieri propter Chriſtum, ut cauſam impulſivam ejus traditionis denotaret: de vita autem id non aſſerere, ſed phraſi uti quæ latius pateat, & cauſam quoque efficientem alterius generis deſignare poſſit, dum vitam Jeſu appellat, hoc eſt ab eo profectam. Vide etiam infrà cap. 12 ℣. 9 & ſeqq.

Hinc autem primò patet, quæ ſit conditio ſervorum Chriſti, & maxime eorum qui ſunt omnium præcipui: hæc nimirum ut in eos abundent afflictiones Chriſti. Itaque nobis non eſt exſpectanda in hoc mundo quies ac tranquillitas, ſed potiùs quanto diligentius Chriſti negotium urſerimus, tanto plures graviores que ſunt nobis exſpectandæ eo nomine afflictiones: ſed interim etiam

etiam tantò major nobis eſt ſperanda conſolatio, quandoquidem non minor eſſe ea ſolet quàm afflictiones. Siquidem Paulus aſſerit quemadmodum abundent afflictiones Chriſti in ſeſe, ita etiam abundare ſuam conſolationem. Non eſt Deus promior ad calamitates ſervis ſuis imponendas, quàm ad conſolationem iis præbendam: imò ad hanc quàm ad illas eſt longe promtior. Unde ſimul apparet, & Dei in Chriſti ſervos benignitas, & ipſius etiam Chriſti in eoſdem favor, & circa eos cura ac providentia: quandoquidem per Chriſtum, ut de ſe hîc Paulus loquitur, abundat fidelium conſolatio, qua afflictiones ipſorum mitigat earumque acerbitatem tollit. De qua Chriſti Domini providentia, & in auxilio fidelibus ſuis afflictis ferendo promtitudine, differi hoc loco uberius poteſt: nempe non ignarus mali noſtri, didicit miſeris ſuccurrere. Vide Hebr. 2 & 4, circa finem utrobique, & cap. 5. confer inter ſeſe ỳſ. 2 & 8 cum ſeqq.

Hactenus generaliter explicuit Apoſtolus fructum ad alios ex beneficio divino in ſe collato redundantem: ſequitur nunc ut videamus, quomodo ſpeciatim etiam idem explicet. Id enim quod in genere dixerat, nunc ad Corinthios nominatim applicat, ita quidem ut hoc pacto aliqua ratione tanquam exemplo confirmet id quod generalius antea dixerat, & ſimul non tantùm conſolationis ſibi præſtitæ fructum, ſed etiam ipſarum afflictionum quas perpeſſus fuerat, ad Corinthios dimanare doceat. Id autem utrumque præſtat, ut non tantùm quis ille ſit fructus ad Corinthios dimanans doceat, verum etiam rationem explicet cur ita ſe res habeat, atque adeò aſſertiones ſuas confirmet.

Incipit autem ab afflictionibus, quarum fructum ad Corinthios redundantem illis verbis complectitur ỳ. 6, *Sive autem affligimur, pro veſtra conſolatione & ſalute*, ſcilicet affligimur. Duplicem quodammodo conſtituit fructum ex afflictionibus ſuis in Corinthios proficiſcentem, alterum præſentem, alterum futurum: qui quidem ita inter ſe ſunt connexi, ut poſterior ex priori, aliquomodo pendeat. Prior eſt, conſolatio; alter ſalus Corinthiorum. Ita autem cohærere videntur hæc verba verſ. 6 cum ſuperioribus, quaſi dixiſſet Apoſtolus; Non injuriâ autem dixi, ex conſolatione quam nos ipſi percipimus à Deo, etiam ad alios conſolationem redundare, eumque ipſum in finem nos conſolationem à Deo percipere, ut eam præbere aliis poſſimus, ſiquidem non tantum ex conſolatione quam in calamitatibus percipimus, ad vos nominatim hic fructus redundat, & redundare ex conſilio Dei debet; verum etiam ex ipſis afflictionibus quas perpetimur, & in quibus nos Deus ſolatur: Nam ſive affligimur, affligimur pro veſtra conſolatione &c. ſive conſolationem accipimus, accipimus eam pro veſtra conſolatione & ſalute. Ita autem fructum hunc utrumque ad alios manantem afflictionibus ſuis annectit Apoſtolus, ut oſtendat eum non tantùm effectum, ſed etiam finem eſſe ad quem Deus in afflictionibus illis ipſi imponendis reſpiciat ac collimet. Hæc enim eſt vis particulæ ὑπὲρ pro, qua in hoc ỳſ. 6 bis utitur: quæ vis fuit etiam antea verborum ỳſ. 4 *ad id ut poſſimus nos conſolari* &c. Etenim Deus cùm ſervis Chriſti præcipuis, ac nominatim Apoſtolis, tantas tamque graves afflictiones euangelii cauſâ immiſit, non tantùm proprium ipſorum bonum & explorationem fidei ac pietatis ipſorum, indeque conſecuturam felicitatem reſpexit, ſed præcipue totius Eccleſiæ & eorum qui ad Eccleſiam aggregandi eſſent bonum ſpectavit. Unde Apoſtolus non hoc tantùm loco teſtatur ſe aliorum fidelium cauſa affligi, verùm etiam alibi, præſertim cùm de vinculis ſuis loquitur, quæ Romæ patiebatur ob euangelii negotium. Unde ſeſe vinctum pro gentibus eſſe ait Epheſ. 3. ỳſ. 1 & afflictiones ſe pro illis perferre, ibid. verſ. 13, & Col. 1. 24, ubi ait ſe gaudere in paſſionibus ſuis pro Coloſſenſibus eorumve ſimilibus, nempe fidelibus ex gentibus, & adimplere defectus afflictionum Chriſti in carne ſua pro corpore ipſius quod eſt Eccleſia. Et 2. ad Timoth. cap. 2, aſſerit ſe omnia ſuſtinere propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur quæ eſt in Chriſto Jeſu, cum gloria æterna. Quia enim Apoſtolus non ſuæ tantùm ſalutis, ſed totius Eccleſiæ, atque inprimis ex gentibus collectæ, quarum erat Apoſtolus, negotium agebat, ideo etiam eò tam graves tamque multiplices ejus calamitates quas eo nomine perferebat, dirigebantur.

Jam ut ad utriuſque illius fructus ſeu finis afflictionum Paulinarum conſiderationem veniamus, duplici potiſſimùm ratione conſolatio Corinthiorum ex afflictionibus Paulinis proficiſcebatur. Primùm quia inde cernere poterant veriſſimam eſſe doctrinam quam à Paulo acceperant, ſiquidem is ejus cauſa tam multa tamque gravia mala perpetiatur: quod nunquam facturus fuiſſet, ſi eam veriſſimam eſſe non credidiſſet. Veriſſimam autem non credidiſſet, niſi etiam revera fuiſſet: neceſſe enim fuiſſet eam ab ipſo confictam, vel ſaltem conficta plurima quibus ſe adductum eſſe affirmabat, ut eam doctrinam & amplecteretur, & alios ad eandem amplectendam toto paſſim orbe hortaretur atque permoveret. Deinde quia ex iſtis afflictionibus Paulinis diſcere poterant, non eſſe ſibi metuendas illas afflictiones, neque in ipſorum exitium aut detrimentum aliquod ceſſuras, ſed potiùs in ſalutem, neque divinæ adverſus ſeſe iræ argumenta eſſe; ſiquidem tantus Dei Chriſtique ſervus, ei tam charus tamque fidelis, tam dura tamque multiplicia mala Deo permittente ac volente pateretur. Id enim non fieri ex odio erga eum divino, nec id in ipſius ceſſurum ſupplicium, ſed potiùs in ſummum aliquod ipſius bonum. Adde quod ipſa Pauli in afflictionibus illis perferendis conſtantia, eos erigere atque animare vehementer poterat. Addi poteſt his duabus rationibus & tertia, niſi quartam dicere malis, quòd Deus eas calamitates ideo immittebat Paulo, ut haberet tanto uberiorem occaſionem ipſum poſtmodum conſolandi, & maximam ſuam in ipſo benignitatem demonſtrandi, eum nimirum ex illis afflictionibus eripiendo. Quo pacto conſolatio hæc non proximus erit afflictionum illarum finis, ſed remotior: ita ut inter eum & afflictiones, conſolatio ipſius Pauli, ſeu ereptio ex periculo interveniat. Sed quia Paulus diſtincte hic de fructu atque effectu afflictionum & conſolationis ſuæ agit, credibilius eſt eum diſtincta conſolationis genera intellexiſſe, ſeu ad diverſos modos reſpexiſſe, quibus conſolatio illinc ex afflictionibus ſuis, hinc ex conſolatione ſibi à Deo præſtita ad Corinthios manaret: ita ut ad conſolationem Corinthiorum ex afflictionibus Pauli percipiendam, non intelligatur intervenire conſolatio quam in ſuis afflictionibus Paulus ipſe ſentiret. Quare priores duæ rationes à nobis expoſitæ magis loco huic quadrant, & maxime ſecunda, ut ex ratione apparet quam ſubjungit Paulus, qua oſtendit fructum ſuarum calamitatum ad Corinthios quoque pertinere, de qua paulò pòſt.

Interim enim paucis nobis eſt conſiderandus alter finis ſeu fructus quem Paulus ex ſuis calamitatibus ad Corinthios proficiſci aſſerit, qui quidem eſt *Salus*. Pendet autem hic ex præcedenti. Etenim conſolatio illa Corinthiorum, ex afflictionibus Pauli manans, ad illorum ſalutem plurimum faciebat. Ea enim ratione ad doctrinam euangelicam quam ab ipſo didicerant, firmiter conſtanterque retinendam, atque ad præſtandam in omnibus afflictionibus ejuſdem doctrinæ cauſa imcumbentibus patientiam animabantur ac vehementer commovebantur. Quæ res quantopere ad ſalutem fidelium pertineat, quivis facilè cernit. Sed nihil eſt neceſſe nos de ratione illa invenienda multum laborare, qua ſalus Corinthiorum ex Paulinis afflictionibus proficiſceretur, cùm eam ipſemet Apoſtolus ſequentibus ſtatim verbis indicaverit, cùm ait; *Quæ* ſcilicet ſalus, *efficitur in patientia earundem paſſionum* ſeu *afflictionum quas & nos patimur*. Hæc enim verba licet videantur deſcriptionem quamdam continere ſalutis illius quam ex ſuis afflictionibus ad Corinthios manare dixerat, tamen non ad eam explicandam & ejus naturam tanto melius illuſtrandam revera pertinent; ſed rationem

tantùm

tantùm ut diximus continent ob quam Paulus aſſeruerat, ſalutem Corinthiorum afflictionum ſuarum finem quendam ac fructum eſſe: quaſi dixiſſet, utpote quæ ſalus efficitur in patientia ſeu tolerantia earundem afflictionum. Itaque articulus participio ἐνεργουμένης præpoſitus eſt ἀπολογικὸς, ut & alibi accidit. Rom. 1. ỳſ. 18. & cap. 2. ỳſ. 14: quanquam hoc poſteriori loco etiam excipiendi vim habere poteſt, quaſi dicat, licet legem non habeant. Sed hoc obiter. Ad rem noſtram quod attinet, ait Paulus, ſalutem Corinthiorum effici & velut comparari ac produci *in patientia* ſeu per patientiam ac tolerantiam *earundem afflictionum* id eſt, ejuſdem generis calamitatum, quas & ipſe & ejus ſocii perpetiebantur. Quaſi dicat; ideò aſſerui meas afflictiones ad veſtram conſolationem atque adeò ipſam ſalutem æternam pertinere, quia ſalutem illam eadem afflictionum ac patientiæ via conſequi debetis. Ad hanc autem patientiam præſtandam, mearum afflictionum ac patientiæ meæ exemplum vos plurimùm provocare poterit. Si Corinthiis licuiſſet ſine afflictionibus ſalutem æternam conſequi, non adeò multum eorum ſalutis interfuiſſet Paulum tam gravia tamque multiplicia mala veritatis cauſa perpeti: ſed quia non alia lege ac conditione illis fuerat oblata ſalus, quàm ut ipſi quoque ejus cauſa varias calamitates, ac denique truculentiſſimam, ſi Deo ita videretur, mortem perferrent, multum referebat Paulum ex quo illam doctrinam primùm didiciſſent, ipſis in exemplum proponi. Itaque eatenus potiſſimùm Paulus hoc loco aſſeruit ſuas calamitates ad ſalutem Corinthiorum pertinere, quatenus exemplo illius erigi ac firmari poterant, ne in ſimilibus afflictionibus animis conciderent ac labaſcerent, animumque deſpondentes pedem tandem referrent atque à veritate deficerent. Quæ cauſa eſt cur nos antea dixerimus ſecundam rationem à nobis propoſitam qua conſolatio ad Corinthios ex afflictionibus Paulinis manaret, maximè nobis videri ad rem pertinere, atque ad mentem Pauli accommodatam eſſe: ſiquidem conſentaneum eſt, eo modo ſalutem Corinthiorum ex illis afflictionibus profectam quo & conſolationem, ac viciſſim: quandoquidem ſalus per conſolationem illam ad Corinthios manare intelligitur.

Hinc videre poſſumus quæ cauſa fuerit cur tot tantaſque afflictiones Deus tum Paulo, tum aliis fidelibus Chriſti ſervis, atque adeò ipſi Chriſto impoſuerit, & quem nos inde fructum percipiamus. Non igitur otioſi earum ſpectatores eſſe debemus: ſed fidei robur inde capere, atque ad veritatem in ſummis etiam afflictionibus conſtanter tuendam animari, ac patientiam eorum imitari. Simul etiam videmus non alia nobis conditione ſalutem oblatam eſſe, quam ut ad omnis generis afflictiones juſtitiæ cauſa porferendas ſimus parati, & ſi ita Deo placuerit, eas re ipſa ſuſtineamus. Quod enim de Corinthiis dicit Apoſtolus, id ad nos quoque tranſferendum eſt, nempe ſalutem noſtram effici aut perficiendam eſſe, per patientiam ac tolerantiam afflictionum iis ſimilium quas Paulus aliique Chriſti ſervi olim perferebant. A Chriſto enim, & præcipuis ipſius ſervis, orbis Doctoribus diſcere debemus & quid facere, & quid pati, & quid denique conſequi debeamus. Quanquam à Chriſto potiſſimùm, tanquam ſummo ac primo omnium fidelium duce ac magiſtro: à quo & Apoſtoli omnia didicerunt. Oſtenditur autem hîc ſummus afflictionum noſtrarum & patientiæ fructus, ac earum ad felicitatem nobis comparandam vis atque efficacia, cùm dicitur ſalutem ἐνεργεῖσθαι ſeu effici ac veluti produci pararique in patientia ſeu per patientiam ac tolerantiam afflictionum. Cum quo conſentit illud quod infra legitur in hac eadem epiſtola cap. 4. verſ. 17, ubi ait Apoſtolus, momentaneam levitatem afflictionis noſtræ operari vel comparare nobis abundantiſſimum æternæ gloriæ pondus. Vide etiam inter alia 2 Theſſ. 1. ỳſ. 5. & ſeqq. Etſi enim Deus univerſæ pietati ſalutem æternam conſtituerit præmium, tamen vel inprimis patientiæ, quæ pietatis pars eſt duriſſima hanc mercedem propoſuit.

Sequitur nunc ut videamus quomodo Apoſtolus fructum explicet ex conſolatione, quam in afflictionibus Dei beneficio percipiat, ad Corinthios manantem. Primùm autem fructum ipſum eumque duplicem exprimit. Deinde ejus certitudinem oſtendit. Fructus ille duplex idem eſt cum eo quem ex afflictionibus ſuis in Corinthios proficiſci dixerat, nempe conſolatio & ſalus: quorum poſteriorem ex priori pendere jam ante indicavimus. Itaque cùm res hîc ſit eadem, tantùm de modo quærendum eſt, quomodo uterque hic fructus ex conſolatione Pauli manarit: hic enim aliquomodo diverſus eſt ab eo quo idem fructus ex afflictionibus ejus manabat. Facile enim eſt intelligere, alio modo afflictiones Pauli ad conſolationem Corinthiorum pertinuiſſe, alio modo ipſius conſolationem, & contraria non eodem modo eundem effectum parere. Quo autem pacto conſolatio Corinthiorum, qui prior eſt fructus, ex conſolatione Pauli ipſius, in Corinthios redundare potuerit, atque adeò redundarit, facile intelligi poteſt ex iis quæ verſ. 4 jam diximus. Ubi in genere oſtendimus, quomodo ex conſolatione Pauli, ad alios quoque conſolatio redundare potuerit. Duo tantùm hoc loco dictis ſunt addenda. Alterum eſt ad hanc conſolationem Corinthiorum non requiri ut ipſe Paulus eos hac de re admoneat, & ſuum illis exemplum, ut eos in afflictionibus exhilaret, ante oculos proponat; ſed ſatis eſſe Corinthiis conſtare quomodo Deus Paulum in afflictionibus fuerit conſolatus, & opem ei præſentiſſimam tulerit, atque ex calamitatibus eripuerit. Inde enim vel tacente Paulo ex ipſius conſolatione conſolationem & ipſi percipere poterant, pollicentes nimirum ſibi ſimilem Dei benignitatem ſeu conſolationem in ſimili calamitate conſtitutis. Alterum eſt quod Corinthii peculiari adhuc ratione præter eam quæ ad omnes Chriſtianos afflictos pertinet, & à nobis verſ. 4 explicata eſt, conſolationem ex conſolatione quæ Paulo contingeret, capere potuerint: quæ tamen ratio illis communis eſt cum aliis fidelibus, qui Euangelicam doctrinam à Paulo primum aut potiſſimùm didiciſſent. Nam ex conſolatione quæ Paulo toties contingeret, & miraculoſa plane ex maximis periculis atque ingentibus calamitatibus liberatione, intelligere facile poterant ejus ſalutem atque incolumitatem Deo ac Chriſto curæ eſſe: ſiquidem non humanis auxiliis ſed divina tantùm ope eum ex tantis malis emergere, liquidò appareret. Inde autem porrò colligere poterant, eum verum ac fidelem eſſe Dei ac Chriſti ſervum, & ipſius negotium ſincere agere, ac doctrinam quam tanto conatu ubique ſpargeret, omnino divinæ voluntati eſſe conſuntaneam, atque à Deo Chriſtoque profectam. Quomodo enim aliàs tantæ Deo ac Chriſto curæ eſſet? cur toties divinum & quidem præſentiſſimum auxilium in ſummis malis experiretur? Neglectus potiùs ac deſtitutus à Deo ac Chriſto fuiſſet in iis malis in quæ ſeſe ipſemet, doctrinam falſam atque ementitam diſſeminans conjeciſſet. Quare ſolari ſe meritò poterant Corinthii, uti & cæteri hujus Apoſtoli diſcipuli, conſpecta divina circa ipſum in variis periculis & ærumnis providentiâ, & gaudere ſe verè divinum habuiſſe magiſtrum à quo religionis doctrinam accepiſſent, ſibique de tanta felicitate gratulari, ac porrò ſeſe animare ad eam doctrinam conſtanter ſectandam, & omni malorum patientia tuendam. Id quod ad ipſorum ſalutem, qui jam alter eſt fructus ex conſolatione Pauli ad eos dimanans, plurimum faciebat. Verùm enimvero magis reſpexiſſe cenſemus Paulum ad modum illum generaliorem, ỳſ. 4 à nobis explicatum, quo conſolatio ad alios ex ipſius conſolatione redundaret, nempe quòd ex Pauli exemplo Corinthii diſcere poſſent, quid ſibi in ſimilibus afflictionibus eſſet exſpectandum, & ſpem bonam concipere, fore ut ſibi Deus opem in ærumnis pro veritate exantlandis ferret, non ſecus ac Paulo magiſtro ſuo tuliſſet. Id enim apparet ex ratione ỳſ. 7 ſubjecta, qua dictum ſuum probat Apoſtolus. Interim tamen quod Paulus Corinthiorum magiſter erat, id vim quandam exemplo Pauli

Corinthio-

Corinthiorum reſpectu addebat. Magis enim ad Corinthios pertinere videbatur quid Paulo ipſorum magiſtro contigiſſet, & quidem in ea ipſa re quam ab eo tanquam magiſtro accepiſſent, quàm ad alios. Quæ cauſa etiam inter alias eſt cur id quod in genere antea dixerat, ad Corinthios nominatim accommodet, & ipſorum cauſa ſe & affligi & conſolationem à Deo percipere aſſerat. Quanquam enim non id intelligi vult Apoſtolus, non æque hunc fructum pertinere ad alios Chriſti fideles, atque ad Corinthios; non obſcure tamen indicat magis ad ſuos diſcipulos, inter quos non poſtremum certe locum Corinthii obtinebant, quàm ad alios pertinere. Iraque cùm hoc loco dicit, *pro veſtra conſolatione & ſalute*, aut aliis verbis ad Corinthios quos alloquitur, fructum ſuarum calamitatum ſimul ac liberationis accommodat, non cæteris ſuis diſcipulis, ſed aliis potiùs Corinthios tacite opponit, vel in hac re quodammodo præfert.

Jam quod ad ſalutem Corinthiorum attinet, qui poſterior eſt conſolationis Pauli fructus, & ex conſolatione ipſorum Corinthiorum inde profecta manabat, non eſt difficile animadvertere quomodo ea ex conſolatione Pauli manaverit. Etenim conſolatio illa quam ex ipſius Pauli conſolatione percipiebant, eos ad conſtantiam in doctrina Euangelica atque ad tolerantiam omnium malorum quæ eo nomine ſibi incumberent, excitare atque adeo armare vehementer poterant. Quis enim ipſe divinæ opis quam in calamitatibus ſit experturus præſentiſſimam ſuffultus, omnibus periculis ac calamitatibus ſeſe offerre horreſcat? quis eam doctrinam non conſtanter tueatur, ob quam qui periclitantur divino auxilio foventur, & ſolatia parata ſemper habent? Quantum verò ad ſalutem noſtram momenti habeat in veritate conſtantia, & malorum omnium ejus cauſa incumbentium tolerantia, ex præcedentibus ſatis conſtat: ubi Apoſtolus docet ſalutem noſtram effici in patientia afflictionum. Et hæc quidem de fructu ipſo ex conſolatione Pauli ad Corinthios dimanante.

Reliquum eſt ut ejus certitudinem quoque videamus. Quam quidem ita explicat Apoſtolus, ut primùm oſtendat, ſe de eo certò perſuaſum eſſe. Deinde rationem addat cur ita de eo ſit perſuaſus ipſique Corinthii perſuaſi eſſe meritò debeant. Prius præſtat ultimis verſiculi ſexti verbis, *Et ſpes noſtra firma de vobis*. Quaſi dicat; Et ſanè firmiter ſperamus ac credimus vobis hunc fructum quem diximus reipſa eventurum, ac conſolationem quæ nobis à Deo præbetur, ceſſuram eſſe in veſtram conſolationem, ac porrò in ſalutem veſtram ſempiternam. Quanquam non vetamus quominus quis etiam paulò aliter hæc verba cum ſuperioribus connectat. Poſſet enim quiſpiam particulam *&* ſumere pro *nam*; non quidem ut intelligatur rationem hic reddi rei ipſius quæ ab Apoſtolo aſſeritur; ſed potius cur id Apoſtolus auſus fuerit aſſerere. Jure enim id fecit Apoſtolus: quandoquidem de ipſorum ſalute (ad hanc enim potiſſimùm videtur reſpexiſſe) bene perſuaſus eſſet, nec dubitaret Deum illis felicitatem ſempiternam cupere, ac porrò etiam ut eam conſequantur nihil non facere, ac nominatim ea quæ ipſorum magiſtro evenirent ad ipſorum ſalutem dirigere. Nihil etiam prohibet quominus contrario ferè modo particula καὶ ſumatur pro *itaque*. Hebræorum enim more pro variis conjunctionibus uſurpatur: atque inter alia nunc pro cauſalibus quas vocant, nunc pro concluſivis ſeu ratiocinativis; cujus rei exempla alibi vidimus. Neque verò id pugnat cum eo quod modò dictum eſt, quia hîc effectus rei ipſius intelligendus eſſet, hoc eſt ejus rei quòd Deus ſalutis Corinthiorum cauſa nunc affligeret, nunc iterum conſolaretur: & præterea ſpes quædam plenior firmior ac perfectior intelligenda eſſet, quàm foret ea quæ Paulum impelleret ut id de Corinthiis affirmaret quod in proximis verbis ab eo aſſeri vidimus.

Sed videamus jam etiam rationem Apoſtoli qua motus fuit ut ſic de Corinthiis eſſet perſuaſus quemadmodum dixerat, & ipſi etiam Corinthii meritò perſuaſi eſſe deberent. Ea verò exprimitur verſ. 7, cùm ait, *ſcientes quod ſicut participes eſtis paſſionum*, ſeu afflictionum, *ita etiam conſolationis*. Quibus in verbis conſolationis tantum expreſſam facit mentionem, ut videatur tantùm id probare velle, quomodo conſolationem Corinthii ex ipſius conſolatione percipere queant; ſed revera tamen etiam illud probat, quomodo ex eadem Pauli conſolatione ſalus Corinthiorum proficiſceretur: quia ut antea monuimus, ſalus Corintihiorum ex conſolatione Pauli eatenus manabat quatenus inde ad eos dimanabat conſolatio. Itaque dum conſolationem ad eos ex ſua conſolatione manare docet, tacitè etiam ſalutem indidem manare oſtendit. Antequam autem ipſius rationis vim conſideremus, prius animadvertendum eſt participium εἰδότες *ſcientes*, quod certitudinem rationis ſubjectæ exprimit, oſtenditque Paulum de hac ratione minime dubitaſſe. Eſt autem in hoc participio ad præcedentia verba relato, quoddam Soloecophanes: nominativus enim pro genitivo poſitus eſt, præceſſit enim in Græco pronomen ὑμῶν, cum quo participium hoc εἰδότες quod ad ſenſum attinet connectitur. Unde etiam nonnulli codices ut hoc Soloecophanes evitetur, totam illam particulam ultimam verſiculi ſexti *& ſpes noſtra firma de vobis*, rejiciunt in medium ejuſdem verſiculi, & ſubnectunt illis verbis, *quas & nos patimur*, quemadmodum apud Bezam videre eſt. Sed rectius noſtro judicio ſubjicitur utrique reliqui hujus verſiculi ſexti membro, in quo fructus partim afflictionum partim conſolationum Pauli ad Corinthios manans fuit expreſſus, meliuſque cohæret cum fructu ex conſolatione Pauli, quàm ex afflictione ipſius in Corinthios profecto, ac cum ratione quæ verſiculo hoc ſeptimo quem nunc tractamus adjicitur, quo apertius certitudo fructus ad Corinthios manantis demonſtratur, & ſic etiam fundamentum ſpei de Corinthiis Pauli oſtenditur. Illud autem Soloecophanes quod in enallage caſuum conſiſtit parum eſt curandum: Facile enim per Hebraiſmum excuſari poteſt: quandoquidem Hebræi cùm caſus revera non habeant, participia quæ per nominativum in aliis linguis exprimi ſolent, ſubjungunt nominibus aut pronominibus quorumcunque caſuum. Cujus rei exempla nec in hac ipſa epiſtola deſunt, ut cap. 8 ỷſ. 19 in participio χειροτονηθεὶς & cap. 10 verſ. 5. Vis autem rationis Apoſtolicæ in eo conſiſtit, quòd pro certo habebat Apoſtolus, Deum Corinthiis in afflictionibus quas veritatis cauſâ illis impoſuiſſet non minus opem eſſe laturum atque adeò eos eſſe conſolaturum, quàm ipſi nempe Paulo opem tuliſſet, ac conſolationem præbuiſſet.

Quam quidem rationem illuſtrat comparatione parium quanquam in re contraria, cùm ait, *Scientes quòd quemadmodum participes eſtis afflictionum, ita etiam conſolationis*, ſcilicet eſtis vel eritis. Volebat nempe Paulus illos intelligere ex eo quod ſibi contigiſſet, eos certò colligere poſſe, quid ſibi quoque ſperandum à Deo atque exſpectandum eſſet, nec minus communionem conſolationis ad eos pertinere quàm pertineret communio afflictionum.

Apparet autem Corinthios tum temporis veritatis cauſâ afflictos fuiſſe, ſiquidem ait, *quemadmodum participes* ſeu ſocii *eſtis afflictionum* intellige mei, id eſt ſimiliter atque ego veritatis cauſâ vexor & vos vexamini. Niſi quis verbum *eſtis* indefinite ab Apoſtolo elatum velit, & quodvis tempus indefinite deſignare exiſtimet. Sed priori ſenſui favet & illud quod antea dixit verſiculo ſexto, ſalutem nempe Corinthiis effici per tolerantiam earundem afflictionum quas & ipſe patiatur. Tacite enim indicare videtur, & Corinthios jam tum pati. Conſolatio autem quam Corinthiis hîc pollicetur Apoſtolus, non de ea intelligenda eſt quam illi ex exemplo Pauli caperent, quæ etiam ante afflictiones locum habere

poterat, ſed de ea quam ipſe Deus illis eſſet ad exemplum Pauli præſtiturus, quæque non in ſpe liberationis à Deo obtinendæ, quemadmodum prior illa conſiſtebat, conſiſteret, ſed in ipſa liberatione: ita ut hæc conſolatio illius alterius ſit materia quædam ac fundamentum. Si enim de hac certò conſtet, illa altera facilè inde naſcitur, aut naſci certè debet. Si enim conſtet mihi, Deum in afflictionibus me conſolaturum, id eſt opem mihi laturum, & à calamitate me liberaturum, ſtatim conſolationem quæ in ſpe hujus divini auxilii conſiſtit, vel ſi mavis ex ea protinus naſcitur, percipio, & animum erigo, neque afflictionibus illis promte offero.

Quæ ex his verbis excerpi poſſint ſive doctrinæ, ſive conſolationes, facilè per ſe quivis cernit: & ex ſuperioribus intelligi poteſt. Nempe ex ducibus ac magiſtris in religione Chriſtiana primis, diſcendum eſſe nobis quæ ſit & noſtra & cæterorum Chriſtianorum conditio: ſiquidem ex ſua conditione Apoſtolus colligit quæ ſit & Corinthiorum futura, eoſque tum participes afflictionum eſſe aſſerit, & ſimul conſolationis participes fore promittit. Unde porrò oſtenditur, Chriſtianorum hoc ferè proprium eſſe, ut veritatis cauſa affligantur, ſimul etiam ut à Deo in ipſis afflictionibus mirifice recreentur, & opem ipſius præſentem ſentiant. Et hactenus quidem de prima loci hujus parte.

Sequitur altera pars quam ſpecialiorem eſſe diximus, utpote in qua de liberatione ex certo quodam & non ita pridem ſibi oborto periculo potiſſimùm diſſerit, ita quidem ut in poſterum etiam eandem Dei benignitatem ſibi polliceatur. Duæ autem ſunt hujus membri partes. Primum enim ipſum periculum ex quo ereptus fuerit explicat. Deinde de liberatione ex eo diſcrimine diſſerit. Et in priori quidem parte ita de periculo diſſerit, ut primò ejus magnitudinem, deinde cauſam ejus ob quam Deus in tantum diſcrimen eum incidere voluerit, exprimat. Illud præſtat verſ. 8, hoc autem verſ. 9.

Quod ergo ad prius attinet, ita inquit: *Non enim volumus vos ignorare fratres, de afflictione noſtra quæ contigit nobis in Aſia, quòd ſupra modum gravati fuerimus ſupra vires, adeò ut etiam de vita deſperaremus.* Quia hæc verba Apoſtolus per particulam *enim* cum ſuperioribus connectit, apparet eis ſuperiora confirmari, vel ſaltem illuſtrari. Nam cùm Paulus de conſolatione quam in ſuis afflictionibus ſentiat non pauca hucuſque diſſeruiſſet, poterat aliquis dicere: Cur tu iſta hoc loco commemoras, & quemadmodum redundent in te afflictiones Chriſti ita & conſolationem redundare aſſeris, & eandem Dei benignitatem in afflictionibus nobis quoque polliceris? Ad hanc ſive quæſtionem ſive objectionum tacitam Paulus his verbis reſpondet, ac docet non fruſtra ſe iſta hucuſque dixiſſe. Quaſi dicat; Non fruſtra autem tam multa hucuſque diſſerui de conſolatione divina quæ mihi in afflictionibus meis contingat. Etenim nunc nuper ingenti periculo fueram oppreſſus; ſed ex eodem ſingulari Dei ope ereptus ſum, ac vitæ quodammodo ipſi è præſentiſſima morte reſtitutus.

Narrationem autem de tota hac re inſtituturus, Corinthiorum attentionem excitat, dum ait, *Non volumus vos ignorare fratres*, nempe quia in ea re non parum erat ſitum quod quidem ad Corinthiorum utilitatem attinet. Conſolationis enim ac ſalutis eorum, ut hucuſque vidimus, intererat eos hoc ſcire: & quanto hoc periculum fuerat majus, quantoque illuſtrior Pauli ex eodem liberatio, quantoque res erat recentior, tanto magis afficere atque movere animos Corinthiorum poterat, & ſpe divinæ opis in ſimilibus afflictionibus majori implere. Quæ res etiam nos licèt à tempore Apoſtolorum longe abſimus movere debet, ut nolimus ignorare quod divinis olim viris totius orbis doctoribus aliquando contigerit: ut inde nobis exempla capiamus, & quid ſive metuendum, ſive ſperandum ſit, cognoſcamus.

Exprimit autem deinde locum ubi ea calamitas ipſi contigerit, dum ait, eam ſibi eveniſſe *in Aſia*. Intelligit eam Aſiæ minoris partem in qua Epheſus erat ſita; quæ non ſemel hoc nomine peculiariter deſignatur. Actor. 6. verſ. 9. cap. XVI. verſ. 6. cap. XIX. verſ. 10. & XXII. verſ. 26, 27. cap. XX. aliquoties verſ. 4, 16, 18. 1 Corinth. 16. verſ. 19. & 1 Petr. 1. verſ. 1. Quænam autem fuerit hæc calamitas atque periculum Pauli, adhuc dubitatur inter doctos. Nonnulli arbitrantur deſignari hic ſeditionem adverſus Paulum à Demetrio fabro argentario excitatam, de qua legimus Act. 19. verſ. 23 & ſeqq. Aliqui aliam afflictionem deſignari cenſent, quæ a Luca non fuerit deſcripta: ut ſanè non paucas calamitates ac pericula Pauli ingentia eſſe ab eo prætermiſſa, vel illa docent quæ ipſe Paulus infra cap. 2 hujus Epiſtolæ de afflictionibus ac periculis ſuis indicat.

Quicquid ſit modò Paulo credeamus aſſerenti in maximo ſe verſatum fuiſſe diſcrimine, & ab illo divina ope vindicatum, non multum noſtra intereſt ut ſciamus, quænam aut cujuſmodi afflictio hæc fuerit. Satis enim ex eo quod Apoſtolus exprimit doctrinæ ad cautionem ſimul ac conſolationem noſtram capere poſſumus.

Magnitudinem porrò iſtius periculi exprimens, ait ſe *ſupramodum fuiſſe gravatum, ſupra vires*, eamque ex effectu quodam in ſe enato illuſtrat, dum ait, *adeò ut etiam diſperaremus*, vel ut alii interpretantur, animi prorſus penderemus, *de vita*. Ubi quidem omnia ſunt ſatis plana, ſi illud primùm obſervaveris verba *ſupra vires*, de viribus Pauli naturalibus, ſive animi, ſive corporis, accipienda eſſe. Nam ſi ad illas reſpicias vires quæ divinitus illi ſubminiſtrabantur, non periculum ſupra vires, ſed vires ſupra periculum erant. Itaque non pugnant hæc cum illis ejuſmodi Apoſtoli verbis quæ exſtant in priori ad eoſdem Corinthios epiſtola cap. 10. ubi ex eo quòd Deus fidelis ſit, ſpem illis facit, fore ne permittat ipſos tentari ſupra id quod poſſint, ſcilicet ferre, aut ſuſtinere: ſed facturum cum tentatione etiam exitum, ut poſſint ſufferre. Patitur ergo Deus interdum ſervos ſuos ſibi fideliſſimos ipſe fideliſſimus, tentari gravarique ſupra vires, ſupra vires inquam ipſorum veluti proprias, ut ſuas illis poſtea vires inſpiret, ac efficiat ut quod non poſſunt poſſint tamen. Quanquam in eo etiam inter hunc & illum locum id intereſt, quòd in illo prioris epiſtolæ loco agatur de viribus patientiæ ac tolerantiæ, hîc verò de viribus quibus evadere periculum ac vitam tueri ſub tanti ingruentis mali onere Apoſtolus poſſit. Sunt nonnunquam pericula magna licèt, talia tamen quorum impetum ſuſtinere naturalibus viribus, eaque vel propellere, vel ſine vitæ jactura ſuſtinere, aut denique ubi vim illorum ſenſeris evadere poſſis. Sed hanc calamitatem nulla ratione, nulla humana ope, vel ſuſtinere, vel evadere ſe potuiſſe Paulus indicat. Itaque per δυνάμεις ſeu virium nomen comprehendere debemus non modò vires corporis, ſed & animi ac prudentiæ humanæ, quin & amicorum auxilium, & quicquid denique extra Dei opem cadit.

Deinde & illud obſervandum eſt quod ſubjicit Paulus ſe etiam *de vita deſperaſſe*, id ſimiliter intelligendum eſſe ratione habita humanarum aut naturalium Pauli virium, non divinæ opis, quam ſupra omnem periculorum vim eſſe probe noverat. Cujus poſterioris reſpectu infra cap. 4. ℣. 8 eodem verbo uſus ait, ſe dubitare quidem ſed non deſperare, intellige in periculis. Unde nulla eſt inter locum utrumque pugna. Hîc enim ait, ſe deſperaſſe de vita, cùm nimirum ad ſe ſuaſque vires oculos referret: illic ſe deſperare in afflictionibus negat, ad divinam opem reſpectu habito.

Unde diſcimus, nobis quoque evenire poſſe, ut in ſimi-

in similia incidamus discrimina, ex quibus evadere, nulla sive nostra, sive amicorum, aliorumve hominum ope, nulloque nos consilio explicare possimus: idque non adversari divinæ in nos benignitati ac fidei quæ se nobis obstrinxit, ex sequentibus facile discemus, ubi cognoverimus, & quem in finem id facere soleat Deus, & quem exitum sæpe habeant ejusmodi calamitates, quarum pondere ita premimur ut humeri nostri tanto oneri sint impares. Causam enim nos Paulus suo docet exemplo, dum finem subjicit in quem Deus collimarit, cùm tam grave Apostolo onus imponeret.

Quod quidem facit versu 9, dum ita ait, *sed ipsi in nobis ipsis* (id est in animis nostris) *decretum mortis habuimus: ut ne fidentes essemus in nobis ipsis, sed in Deo qui excitat mortuos.* Ubi primò animadvertenda est vis particulæ *sed*, qua hæc verba superioribus annectuntur, seu mavis opponuntur. Videtur autem comparata esse ad tacitam objectionem excludendam. Posset enim aliquis hìc dicere; Cur ergo mortem non oppetiisti? quî interitum effugisti, si tantopere fuisti afflictionis onere pressus, ut etiam de vita desperares? Respondet Paulus non eò se fuisse tanto periculo pressum ut reipsa etiam opprimeretur ac mortem oppeteret; sed alio fine ista sibi divino consilio contigisse, nempe ut omni spe ac fiducia de suis viribus sequestrata, in uno Deo spes ipsius recumberet. Breviter, ita sunt hæc annectenda superioribus, acsi dixisset: Verùm non ideò id mihi contigit, ut, quemadmodum verebar, reipsa morerer; sed ut decreto mortis apud meipsum jam lato, in solo Deo spem omnem repositam haberem. Cùm ergo ait; *Ipsi in nobis ipsis responsum* id est sententiam seu decretum *mortis habuimus*, id vult dicere, se jam ita apud sese conclusisse ac statuisse, sibi jam omnino moriendum esse, intellige, nisi ipse Deus sibi succurrat, & veluti è machina quod dicitur appareat. Alludit ad judicia in quibus judices sententiam capitis ferunt: Itaque vocat ἀπόκριμα sive responsum, quia judices interrogati ac de sententia requisiti respondent, decretaque ferunt. Hoc ergo decretum ait seipsum apud se de seipso tulisse. In quibus verbis repetitur aliquomodo effectus ille magnitudinis periculi Paulini sub ipsum præcedentis versiculi finem commemoratus. Idem enim revera est Paulum desperasse de vita, & in seipso decretum mortis habuisse.

Quod verò ad ipsum ejus rei finem attinet, is explicatur per oppositionem, cùm inquit, *Ut ne fidentes essemus in nobis ipsis*, id est ne in propriis nostris viribus ullam spem poneremus, & iis nos evasuros tantum periculum confideremus: *Sed super* vel in *Deo, qui excitat mortuos.* Quod quid sit unusquisque cernere potest. Describit autem Deum ab opere ipsius insigni, & uno ex præcipuis immensæ ipsius potentiæ effectis: dum ait eum excitare mortuos. Ita autem describit Deum, quia hujus ipsius operis veluti specimen quoddam in se liberando tum temporis exhibuerat. Nam ex ipsa propemodum morte ereptum, vitæ restituerat, cùm ex tam gravi periculo, in quo præsentem omnia mortem intentabant, eum liberaret: Unde id mortis etiam nomine describit, & quidem non vulgaris, dum ita subjicit; *qui ex tanta morte eruit nos.* Quapropter ut aliæ apud sacros scriptores Dei descriptiones, & maximè apud Paulum, alioique authores scriptorum Novi fœderis, ita & hæc Dei descriptio, rei de qua agitur accommodata est. Cùm autem Deus dicitur ille esse qui excitet mortuos, quanquam id de actu ipso excitandi mortuos nulla habita ratione certi temporis, sed respectu cujusvis temporis indefinite intelligi possit; possis tamen etiam accipere de sola vi atque efficacia, seu mavis potentia excitandi mortuos. Quasi dicat; Ut in solo Deo fiduciam collocaremus, utpote qui potest, & quidem solus, mortuos excitare. Causa ergo hìc continetur fiduciæ illius, quam Paulus in Deo sibi reponendam censuit, ac porrò ob quam & nos spem nostram in Deo collocare debemus. Et hic quidem veluti summus est apex ac fastigium nostræ in Deum fiduciæ, ut credamus eum mortuos excitare & posse, & olim etiam velle, atque adeo nos quoque si ipsi paruerimus excitaturum.

Ex his discimus, cur etiam nobis aut aliis Christianis non rarò tanta periculorum moles Deo permittente incumbat, ut si humana spectent auxilia, pereundum sibi esse existiment. Nempe ideo id fit ut spem suam tum à seipsis, tum à cæteris rebus humanis omnibus abducant, eamque in Deo solo reponant. Et licèt existimare nonnunquam possis, rebus tranquillis & ad animi sententiam fluentibus te nulla alia in re præter ipsum Deum ac Christum spem tuam collocare, facilè tamen fieri potest ut teipsum decipias. Non libenter agnoscitur hoc vitium fidei nostræ, quam in Deo ponimus, aut ponere nos censemus, ut ea humanis aliqua saltem ex parte nitatur opibus atque auxiliis, quæ si subducantur, fides jam collabascere, jam nutare incipit. Itaque ut nostræ fidei ingenium ac robur tum cernamus, tum ut in uno Deo eam ponere discamus, omnia nobis nonnunquam eripit hujus vitæ præsidia, quibus sublatis, si fides nostra nihilominus sul sistit, apparet eam genuinam esse ac probam; si concidat, eam adulterinam esse; si vacillare incipiat, aliqua saltem ex parte aliquid adulterinæ fidei illi fuisse admistum, intelligere licet. Qua de re vide insignem quendam apud Acontium locum. Hoc loco recenseri possunt illa quibus homines ferè confidere solent, & eorum vanitas infirmitasque ostendi, ut ita dedoceantur homines in illis spem collocare. Multa huc pertinent etiam Sacrarum Literarum loca. Ut Psal. 62. & 146. & Jerem. 17. & Psal. 33.

Hinc etiam discimus quid de Dei potentia potissimùm credere debeamus, nempe quòd is sit qui excitare possit mortuos, eos præsertim quibus resurrectionis spes est facta & Christi exemplo demonstrata. Unde etiam ita fideles describuntur Rom. 4. 24, quòd credant in eum qui excitavit Jesum Dominum nostrum ex mortuis. Hoc fuit culmen ad quod fides Abrahami, quam nos qui filii ipsius fieri debemus, imitari necesse est, ascendit, ut apparet ex Epist. ad Hebr. cap. 2. ℣. 19. Qui hoc credit, ille sat causæ habet cur in cæteris quoque rebus Deo confidat. Qui enim credit Deum mortuos quoque excitare posse, facile credit etiam ex aliis sive periculis sive calamitatibus, è quibus facilior est quàm è morte exitus, eripere posse. Quare nullo in periculo licèt maximo desperandum est, sed ad divinam potentiam omni periculo superiorem oculi semper sunt convertendi. Et hæc quidem de priori posterioris hujus loci membri parte: in qua periculum ac calamitatem suam nuper sibi obortam explicuit Apostolus.

Sequitur ut videamus, quomodo de liberatione ex isto periculo aliisque similibus porrò disserit Apostolus. Id autem facit versiculis duobus sequentibus 10 & 11. In quorum priori liberationem suam ex periculis distinguit pro diversitate temporum, eamque triplicem constituit, præteritam, præsentem ac futuram. De præterita ita loquitur, *qui ex tanta morte eripuit nos.* Mortem vocat periculum illud, quia præsentissimam videbatur mortem allaturum, adeò ut ipsa jam mors Paulo immineret. Ait autem *ex tanta morte*, sive ut magnitudinem periculi ac discriminis, quod magis probo, sive ut acerbitatem mortis ipsius ad quam periculum illud ducebat, exprimeret. Ex quo apparet, in nullo periculo quantumcunque sit, desperandum esse. De præsenti autem liberatione ita ait, *& eruit* sive *eripit*, scilicet Deus ille qui excitat mortuos. Quod vel propterea ait Apostolus, quia nondum penitus defunctus erat eo periculo, vel quia nova illi subinde subnascerentur mortis adeundæ discrimina, in quibus præsentem Dei opem experiebatur. Nam ut ipse Apostolus de se ad eosdem Corinthios in priori Epistola scribit cap. 15.

verſ. 30, 31, quavis hora periclitabatur, quotidie moriebatur, id eſt mortis diſcrimen adibat, & ut infra ait hac 2 Epiſtola cap. 4. ℣. 10, ſemper mortificationem Domini Jeſu in corpore ſuo circumferebat. *Semper enim* (inquit) *nos qui vivimus in mortem tradimur propter Jeſum*, & rurſus, *mors in nobis operatur* ſeu *efficitur*. ℣ſ. 10, 11, 12. Quare cùm in iſtis periculis non deſtitueretur, ſed ſalvus tamen atque incolumis conſervaretur, ſubinde è morte eripiebatur. Unde etiam loco dicto ait, ſe ubique mortificationem Domini Jeſu in corpore ſuo circumferre, ſemperque in mortem tradi propter Jeſum, ut & vita Jeſu, id eſt vita atque incolumitas à Jeſu præſtita in corpore noſtro manifeſtetur ſeu appareat.

De futura autem liberatione ita agit, ut primùm ſuam de illa ſpem exprimat, deinde cauſas ejus adjuvantes ſubjungat. Spem ſuam exprimit dum ait; *In quem* ſcilicet Deum *ſperavimus*, pro ſperamus, præteritum pro præſenti, ut 1 Tim. 4. ℣. 10, & cap. 5. ℣. 5, *quòd adhuc eripiat*. Verba ſunt facilia. Moneri hic poſſunt auditores, ut diſcant, ex præteritis aut etiam præſentibus divinæ opis experimentis, de futuris etiam ſpem bonam concipere: ne ſimiles ſint vel Iſraëlitis olim, qui cùm tot haberent circa ſe divinæ curæ ac providentiæ documenta, ſubinde tamen aliqua difficultate preſſi, aut terrore aliquo perculſi, aut rumore quopiam turbati, animo concidebant, & veluti conſilii inopes animum deſpondebant, adverſus Moſem & Aaronem murmurabant, & ſuas miſerias quiritabantur: vel Chriſti diſcipulis, qui de panibus ſoliciti erant, viſis non ita pridem tot millibus hominum à Chriſto miraculoſe exiguo panum numero paſtis. Gravior verò eſt hæc diffidentia quàm ea eſt quæ tot firmamenta tamque evidentia documenta quibus niti poſſit non habet. Et hanc ferè intelligere ſolent Sacræ Literæ, cùm Deum vel tentatum fuiſſe, vel non tentandum eſſe dicunt.

Quod ad cauſas adjuvantes attinet, eas ℣ſ. 11 explicat: & quidem ita ut primùm doceat quinam illi ſint qui ſeſe ea in re juvare, nempe ut à Deo ex periculis liberetur, debeant. Deinde quo pacto juvare ſe debeant. Et denique unde modus ille ſe juvandi videatur vim accepturus, ut ad eum juvandum ſit tanto validior. Quod ad primum attinet, ita ait, *Adjuvantibus etiam vobis pro nobis*, id eſt, ſi & vos nobis auxilio fueritis, & unà nobiſcum fueritis adnixi ut nobis hoc divinum auxilium impetretis: vel quandoquidem & vos, uti quidem mihi perſuadeo, me adjuvatis. Modum deinde addit, cùm ait, *precatione*. Videntur autem verba illa *pro nobis*, cum hoc poſteriori nempe precatione potius jungenda eſſe, quàm cum præcedentibus: ut quidem & vetus interpres oſtendit, qui ita reddit, adjuvantibus & vobis in oratione pro nobis, & nonnulli recentiores interpretes faciendum cenſuerunt, qui hoc modo verba ordinaverunt, atque interpretati ſunt; unà conferentibus operam etiam vobis, per preces pro nobis, ut Piſcator, vel per deprecationem pro nobis, ut Eraſmus. Quanquam Beza cum prioribus conjungere maluit, hoc modo; vobis etiam unà pro nobis operam conferentibus ad deprecandum. Hinc apparet preces eſſe arma præcipua quibus in periculis ſit pugnandum: his divinum auxilium nobis eſſe impetrandum. Simul etiam videmus optime eum ſibi conſulere, qui non modò ipſe Deum oret, verùm etiam aliorum hac in parte opem, atque auxilium flagitet. Quandoquidem & Apoſtolus auxilium Corinthiorum non obſcure his in verbis implorat, & eos ut ſeſe precibus apud Deum juvare velint incitat. Quod quidem alibi quoque aperte facit, ut legimus Rom. 15. ℣. 30, & ad Epheſ. cap. 6. ℣. 19: adde etiam Philip. cap. 1. verſ. 19: quanquam ibi obliqua eſt & indirecta ut etiam hoc loco petitio: & 2 Theſ. cap. 3. verſ. 1. Sic etiam ad Philemonem ſcribens, multum ipſius aliorumque ipſi ſimilium precibus in ſe liberando adſcribit, cùm ait; *ſpero enim quòd per preces veſtras donabor vobis*. Sic & author divinus epiſtolæ ad Hebræos eorum ad quos ſcribit preces pro ſe flagitat cap. 13. verſ. 18. Quodſi autem & tantus Apoſtolus, & alii viri diviniſſimi, qui in tanta fuerunt apud Deum gratia, & qui omnia apud eum non ſibi modò ſed & cæteris omnibus impetrare poſſe videbantur, aliorum pro ſe preces deſiderarunt, iiſque ſe juvari & cupierunt & crediderunt, quid cæteris nobiſque adeò ipſis faciendum putabimus? Quare tanto magis nobis ad hæc auxilia, præſertim cum peciculis undique cingimur, ac velut in media morte poſiti ſumus, confugiendum eſt. Simul & illud cernimus non debere nos aliis præſertim petentibus hoc auxilii genus denegare, ſed promte etiam non petentibus ferre: nec cogitare, vel non indigere alios, præſertim homines eos de quorum pietate ſumus optime perſuaſi, hujuſmodi noſtro auxilio, vel nos indignos eſſe qui quidquam cuiquam à Deo exoremus. Refellit has cogitationis hæc Apoſtoli de Corinthiorum aliorumque fidelium pro ſe precibus perſuaſio, aut in iis flagitandis cura. Non rogaſſet enim ille omnes generatim ut pro ſe Deum orarent, niſi eorum preces ſibi vel neceſſarias, vel ſaltem admodum utiles eſſe ac fore credidiſſet. Non ignarus erat multos atque adeò pleroſque ex illis fore, qui cogitarent quàm longe ab ipſius dignitate ac ſanctitate abeſſent. Sed non tam verendum nobis eſt ne nos ab hoc officio aliis præſtando indignitatis noſtræ conſideratio & cum aliena ſanctitate comparatio abſterreat, quàm ne abducat ſegnities, & charitatis noſtræ in alios languor ac defectus: huic medicandum eſt, huic nonnunquam noſtram vilitatem fruſtra prætexemus.

Interim & illud hac occaſione monendi ſunt ii qui preces aliorum pro ſe apud Deum interponi cupiunt, primùm ne ipſi interea ocioſi ceſſent, & alienis precibus fidentes ipſi Deum pro ſe ipſis orare negligant. Deinde adhuc multo magis, ne aliorum preces ſua impietate impediant, earumque fructum ſuis factis irritum reddant. Neque verò hîc Apoſtolus in ſolos Corinthios omne precandi & divinum auxilium impetrandi onus rejicit, ſed tantùm cum illis quodammodo communicat, & ſe quoque in eo laborare ſignificat, dum ait, *ſimul adjuvantibus etiam vobis*; quaſi dicat; Ego in eo perpetuò laboro, id ipſemet anxius ago, ut divinum auxilium mihi impetrem, Deumque ut me liberare porrò velit exorem: ſed id tamen cupio, ut vos quoque me ea in re juvetis. Non boni ſunt illi, & ſibi-ipſis inimici qui ſeipſos precibus non juvant: ſed deteriores ac ſibi inimiciores, qui aliorum etiam pro ſe precibus intercedunt, earumque vim impediunt.

Sequitur tandem quid precibus illis vim apud Deum addere potuerit atque adeò additurum fuerit, ad Paulum tanto magis juvandum atque ex periculis liberandum. Id autem exprimitur illis in verbis; *Ut ex multis perſonis profectum in nos beneficium, per multos* (ſeu *multas* ſcilicet perſonas) *gratiarum actione pro nobis celebretur*. Juvant ipſæ quoque preces per ſe ad divinum auxilium impetrandum, præſertim multorum. Nam multum apud Deum etiam conſenſus atque conſpiratio bonorum in re bona valet, ut intelligitur ex illis Chriſti verbis Matth. cap. XVIII. verſ. 19. Sed vim illis addit, quòd conſentaneum eſt fore ut illas etiam gratiarum actio conſequatur ab iiſdem præſtanda qui beneficium impetrarunt. Hoc ergo hîc vult Apoſtolus, fore ut preces ipſorum apud Deum multum efficiant, quia inde conſequuturum ſit ut per eoſdem, qui quidem erant multi, gratiæ agantur Deo pro beneficio in Paulum collato, ad quod obtinendum preces ſuas contulerant. Cohærent autem hæc verba quod ad ſententiam attinet, non tantùm

tantùm cum proxime præcedentibus nempe primis hujus verſiculi 11 verbis, ſed etiam ſimul cum ſerie verſiculi præcedentis, id eſt cum illis, *in quem ſperavimus quod etiam adhuc eruet.* Finis ergo hic exprimitur ejus rei quòd Deus intervenientibus etiam Corinthiorum precibus Paulum ſit ex periculis liberaturus, nempe ut hac ratione laudem poſtea obtineat à pluribus, nempe ab ipſis etiam Corinthiis, & beneficium in Paulum collatum è multorum qui etiam id impetraverant gratiarum actione celebretur. Itaque quod antea diximus, hîc exprimi id quod precibus Corinthiorum vim apud Deum ſit additurum, non tam aperte eſt ab Apoſtolo expreſſum, quàm ex iis quæ exprimuntur colligendum. Conſideratio nempe finis hujuſmodi, qui quidem eſt gloria divini nominis, poſt beneficium præſtitum, conſequutura, movet Deum ut tanto facilius preces piorum exaudiat. Eſt autem animadvertenda in verbis Apoſtoli tranſpoſitio, quæ ea reddit obſcuriora: quam interpretes recentiores ut claritati ſententiæ conſulerent ſuſtulerunt, hoc modo verba iſta reddentes, *Ut donum ex multis perſonis in nos collatum per multos celebretur gratiarum actione pro nobis*, ſcilicet factà. Donum autem ex multis perſonis in Paulum collatum dicitur, quia ex iſtarum perſonarum precibus ad Deum, profectum quodammodo fuerit, iiſque à Deo impetratum.

Ex his autem intelligimus primùm quanta vis ſit precum apud Deum, ab hominibus piis aut pietatis ſaltem ſtudioſis fuſarum: quandoquidem Paulus hoc loco beneficium à Deo in ſe conferendum ipſis perſonis orantibus adſcribit, dum ex iis id profecturum eſſe aut in ſe conferendum ait. Quod etiam videtur indicare Johannes 1 Joh. cap. 5. verſ. 16, ubi ait eum qui oraverit pro fratre peccante non ad mortem, daturum ei vitam. Quanquam non ignoremus eſſe, qui hæc poſteriora verba *& dabit ei vitam* ad Deum licèt non nominatum referenda cenſeant. Deinde & illud, plurium preces Deo eſſe gratiores, & ut antea dictum, conſpirationem piorum multum apud Deum poſſe. Denique omnino debere eos qui beneficium aliquod vel ſibi vel aliis à Deo impetraverint, id etiam gratiarum actione celebrare: ſiquidem Deus in eum finem beneficia talia præſtat, ut fructus ille gratiarum actionis ac celebrationis nominis ſui inde conſequatur. Et ſanè Paulus ita loquitur ut appareat eum perſuaſum fuiſſe, fore ut ii qui pro ipſo Deum oraverint, poſtmodum etiam, ubi id quod voluerint impetraverint, Deo gratias pro hac benignitate perſolvant. Et id quidem cujuſvis pii eſt officium: nec debemus eſſe ſegniores in agendis gratiis, quàm in precibus fundendis fuimus. Quodſi verò id in alienis beneficiis facere debemus; non minus vel etiam multo magis id faciendum eſt in iis quæ in nos ipſos conferuntur. Sed plerumque beneficii accepti gratia apud homines evileſcit; & petere quidem à Deo ſcimus, gratias autem referre neſcimus: nempe quia illud neceſſitas etiam docet, hoc verò pietas, quæ non eſt omnium, licet eſſe deberet.

2 Cor. 3. verſ. 4, 5, 6.

DIxerat Apoſtolus paulò antè ſeſe commendatiis literis neque apud Corinthios neque alibi egere, quandoquidem ipſimet Corinthii eſſent ei inſtar commendatitiarum literarum, utpote in quibus efficacia miniſterii ſui manifeſta eſſet. Ea occaſione prædicat miniſterium ſuum apud Corinthios, quod non atramento ſed ſpiritu viventis Dei, non in tabulis lapideis ſed carneis cordium peractum ſit. Ne verò arrogantior videri poſſet iſta gloriatio, lenit eam, gloriam ejus omnem in Deum tranſferendo. Id quod deinde apertius declarat, dum aptitudinem omnem ſibi adimit, & divinæ liberalitati adſcribit. Partes hujus contextus duæ conſtitui poſſunt. In priore oſtendit Apoſtolus, unde habeat eam gloriandi fiduciam quam paulò antè uſurpaverat. In poſteriore hoc ipſum amplius declarat.

De priore; *Fiduciam autem ejuſmodi habemus per Chriſtum ad Deum.* Fiducia hæc reſpicit vel res apud Corinthios ab Apoſtolo geſtas, vel ejuſdem de geſtis gloriationem, vel utrumque potiùs: ut ſenſus ſit; quod tantas res geſſerit, quodque de iis gloriari auſit, id ſe Deo per Chriſtum adſcribere, utpote à quo non modò Apoſtolicum munus ſed & vires ad idem rite fungendum acceperit: quemadmodum in ſequentibus declarabitur. Notanda hic Apoſtoli modeſtia, qui licet circa euangelii prædicationem multos labores ſuſtinuerit, multas moleſtias atque pericula exantlaverit, omnem tamen & agendi vim & gloriam actionum ſuarum Deo adſcribit. Sic 1 Cor. cap. 15. 10 inquit, *Gratiâ Dei ſum quod ſum*, &c. Imitemur hanc Apoſtoli modeſtiam, & cum eodem agnoſcamus *Deum eſſe qui operatur in nobis & velle & efficere ob beneplacitum.* Philip. cap. 2. 13. Quis enim quamvis acuto ingenio rationem hanc Deum colendi in Euangelio præſcriptam ſuo Marte excogitare potuiſſet? quis ad eam obſervandam voluntatem animi inclinaſſet? quis rem tantam digne præſtaret, niſi Deus primum nobis ne cogitantibus quidem notitiam ejus obtuliſſet, eandemque deinde efficacibus argumentis nobis ad aſſenſum commendaſſet, eaque ratione ut illi nos ſubmitteremus impuliſſet, imò & vires deinceps nobis per Spiritum ſuum ingeſſiſſet; ad implendum opere quod ipſe mandaſſet, inter tot & carnis obſtacula, & adverſitates, aliunde incurrentes?

Notandum ſecundò & hoc, quòd quamvis Deo actionum ſuarum vim & gloriam Apoſtolus adſcribit, ex parte tamen derivet eam in Chriſtum, tanquam mediam cauſam. Nimirum quemadmodum ex uno Deo qui Pater eſt, omnia, ita viciſſim omnia per Chriſtum in nos deſcenderunt 1 Cor. 8. 6. Ipſe enim & Pontifex noſter eſt, per quem nos accedimus ad Deum cum fiducia, Epheſ. 3. 12. Ipſe & Rex noſter eſt, à Deo nobis præfectus, per quem ille omnem ſuam gratiam atque omnia ſua beneficia in nos effundit. Itaque meritò non modò cum Johanne *omnia per ipſum facta* confitemur; ſed & adhuc fieri, & porrò facienda eſſe. Ipſe enim eſt A & Ω primus & noviſſimus, Apoc. 1. 11, 18. & XXII. 13. Porrò quod hic Apoſtolus circa vim atque gloriam miniſterii ſui; noſque illius exemplo circa rationem ſalutis noſtræ, idem & circa omnia vitæ hujus bona merito agnoſcimus. Quid enim habemus, imò quid ſumus? niſi à Deo. *In ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus.* Act. cap. 17. verſ. 28.

In ſecunda parte declarat Apoſtolus id quod jam dixerat, amplius, partim adimendo ſibi aptitudinem ad rem tantam, partim Dei beneficentiæ eam adſcribendo. Inquit enim: *Non quòd idonei ſimus ex nobis cogitare quippiam, tanquam ex nobis ipſis.* Minimum inter ea quæ quis agere poſſit, ac primum eſt, cogitare. Sed hoc ipſum quoque Apoſtolus ſibi adimit. Unde quid de aliarum actionum momentis judicet, patet. Cæterum cùm cogitationum variæ ſint ſpecies (nam & cùm ad aliorum dicta attendimus, & cùm ipſi aliquid meditando invenire ſtudemus, cogitamus) hic de illis cogitationibus ſermo eſt quas quis ex ſeipſo promit, ut apparet ex verbis ſequentibus. Non ergo negat Apoſtolus ſe ad divinum ſermonem attendere eumque intelligere poſſe, niſi ſupernaturali lumine interius illuſtretur; ut quidam interpretantur: quos ſatis refellit hiſtoria Act. 9. ℣ſ. 5, 6. Sed hoc vult, ſe non poſſe ex ſeipſo quicquam excogitare magni, ad eam rem de qua ſermo fuit, opere complendum. Interim quia & hoc tamen in dubium venire poterat, annon quid tale excogitare poſſet, cùm certum ſit illum & fatigaſſe animum ſuum in excogitando quæ ratione poſſet gloriæ divinæ per miniſterium Euangelicum prodeſſe, & ſine dubio non rarò hoc illudve conſilium inveniſſe quo rem divinam promotum ierit, addit: *tanquam ex nobis ipſis* quo

ipso ostendit, quamvis videri posset ipse laborasse multum in excogitanda ratione promovendi Euangelii, & nonnunquam illi quoque non infeliciter successerit conatus, non esse tamen ex se tantæ rei originem. Ex quonam ergo? *aptitudo nostra ex Deo est.* Is enim & notitia rerum divinarum, quæ ad hoc opus necessaria erat, illum instruxerat, is corporis atque animi vires, alioqui fatigationi obnoxias vigore suo instaurabat, is occasiones varias, quas avidus animus amplectebatur suggerebat, is denique & singulari Spiritus gratia illum & juvabat & instruebat, ac veluti armabat.

Notanda iterum hic est singularis Apostoli modestia, nobis semper & ubique imitanda. *Quis te discernit?* inquit idem: *quid habes quod non acceperis? Quod si vero illud accepisti, cur gloriaris quasi non acceperis?* Quam odiosa sit Deo hominum gloriatio, apparet ex exemplo Nabuchodonosoris Dan. 4. 29. De superbia Babelis eamque subsequuta pœna, vide Esai. 14. 11, 12. *Abominatio Domino cor superbum* Prov. 16. 5. Idque cùm in quibusvis vitæ rebus locum habeat, tum inprimis in sacris & in ratione salutis nostræ. Nota est historia de Pharisæo & Publicano Luc. 18. 9. *Gratiâ servati estis, per fidem: & hoc non ex vobis, Dei hoc donum est: non ex operibus, ne quis glorietur.* Ephes. 2. 8.

Pergit deinde Apostolus in exaggeranda Dei erga se beneficentia, quam non tantum in conferenda sibi aptitudine ad aliquid præclare excogitandum apparere dicit, sed & universæ suæ aptitudinis ad munus Apostolicum atque Euangelicum, autorem facit. Inquit; *qui & idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti* seu Fœderis. Novum fœdus est pactum gratiosum, inter Deum atque homines, Christo mediatore constitutum, in quo Deus remissionem peccatorum & vitam æternam hominibus pollicetur, & ab hominibus vicissim pœnitentiam ac fidem stipulatur. Id novum dicitur respectu prioris veteris fœderis per Mosen cum Israëlitis icti, & proinde vetus dicitur Fœdus. Istius sese Novi fœderis ministrum innuit Paulus. Erat enim Apostolus sive legatus à Deo per Christum institutus, ut fœdus istud per orbem terrarum publicaret, hominesque ad illius communionem vocaret. Qua de causa etiam per orbem terrarum varia suscepit itinera, annuncians ubique locorum Euangelium hujus fœderis: idque & vitæ innocentia & miraculis variis, & malorum variorum tolerantia confirmans, aliisq; commendans. Ait vero sese ut id præstare possit aptitudinem ad id à Deo accepisse: quod qua ratione factum fuerit, jam superius explicuimus. Ne verò leve putetur id beneficium, extollit comparatione muneris sui præstantiam, cum addit ministrum se esse, *non literæ sed Spiritus.* Per *literam* intelligit doctrinam Veteris Testamenti in lege, utpote quæ ex parte ipsius Dei digito in tabulis lapideis consignata esset. Deinde tota à Mose literarum monimentis fuit tradita, & ita quidem tradita ut literis illis inhærens ad animos hominum parum penetraret. Itaque ipsum *literæ* nomen, legis quandam infirmitatem denotat. Per *Spiritum* intelligit doctrinam Novi Fœderis, sive euangelium, ut quod totum spirituale est, & efficacia sua ad animum hominis facile penetrat, eumque spiritualem efficit. Paululum diversa *literæ* & *Spiritus* significatio est Rom. 2. 27, 29, ubi per *literam* literalis legis sensus externum cultum requirens, per *spiritum* spiritualis seu mysticus qui interiorem hominis reformationem exigit significare videtur. Cavendum autem est ne utramque istam significationem, quanquam alias inter se cognatæ sint, confundamus. Periculosius peccant qui per literam universa quæ vocantur Biblia ex veteri Novoque Testamento constantia, intelligunt. Per Spiritum verò occultam, sive sui animi sive etiam Ecclesiæ ut ajunt Catholicæ suggestionem. At hi ex ipso contextu satis refutantur. Manifeste enim Apostolus Novo fœderi interpretationis vice subjungit oppositionem literæ atque Spiritus, literamque à Novo fœdere segregat, spiritumque cum eo conjungit. Hi verò in unoquoque fœdere & literam & Spiritum concipiunt. Deinde vs. sequenti, ita describit ministerium mortis in litera, ut nemini obscurum esse possit per hoc legem solam, nequaquam verò & Euangelium intelligi posse, quod isti palam opponatur. Videtur autem Satanas magno astu perversam hanc literæ spiritusque significationem hominibus suggessisse, eo fine, ut paulatim eos à sacro Dei sermone abducat ad somnia sive imaginationes mentium sive suarum sive alienarum. Notanda autem est hic præstantia Euangelii præ Lege, quam istis nominibus Apostolus nobis studet commendare. Ut verò hanc nobis præstantiam tanto magis inculcet, addit: *litera enim occidit, spiritus autem vivificat.* Reddit autem rationem cur à Novo fœdere literam sejunxerit, spiritumque ei tribuerit. *Litera* inquit, *occidit.* Is effectus Novo fœderi minime congruit. Quomodo verò litera, seu doctrina Veteris fœderis occidit, cùm lex sive præcepta ad vitam data sint, Apostolo ipso fatente Rom. 7. 10? Responsio habetur in eodem Apostoli loco, cujus ea vis est, Legem quidem ad vitam datam, si quis eam servasset, sed carnis vitio quod non modo eam non servet, sed per eam ad peccatum irritetur, id fieri ut mortis potiùs nobis sit causa, quam omnibus sui non servantibus minetur. In scholis diceremus, literam istam occidere non per se sed per accidens. Lex multa exigit & ad ea præstanda vires non suppeditat, & interim tamen omnibus transgressoribus mortem sine venia intentat. Contra *spiritus vivificat*, id est Euangelii doctrina spiritualis vitam nobis æternam confert. Nec enim rationem vitæ æternæ adipiscendæ nobis proponit tantùm, sed & eam proponit rationem quæ nobis non sit difficilis, & si quæ sit difficultas, eam partim ampla veniæ spe si quid delinquatur, mitigat, partim suggestis novis spiritus viribus nobis reddit superabilem, quo utroque remedio Lex destituebatur. Notanda hic felicitas ultimi temporis quo Euangelium promulgatur, spiritusque ille vivificus omnibus offertur, cujus & nos participes sumus facti. Quo nomine benedictus sit Deus qui nos vocavit per filium suum Jesum, in secula seculorum, Amen.

Explicatio loci 2 Cor. cap. 3. vers. 6, 7, &c. ad finem ipsum paraphrastica.

VErs. 6. Deus nos alioqui & indignos & ineptos, dignos idoneosque ad id fecit, ut essemus ministri atque precones Novi Fœderis cum hominibus pacti, quod non est simile fœderi antiquo seu Legi Mosaicæ: quæ ut literis quoad præcipuam sui partem comprehensa, & lapidibus insculpta erat, ita nihil aliud quàm quod litera seu scriptura præstare poterat, præstabat: Id est ea quidem quæ facienda essent oculis exhibebant, sed in animum non penetrabat, nec vim ea servandi largiebatur. Cùm contrà Novum Fœdus seu Euangelium quod in se doctrinam de fœdere isto Novo continet, quemadmodum primo vi spiritus divini fuit animis insculptum; ita vim quoque habet singularem; & in animos hominum penetrans vires eis largitur ad ea quæ præscribit præstanda. Unde fit, ut Lex quidem Mosaica cùm tam dura sub comminatione mortis præcipiat, vires autem ad ea præstanda non largiatur, mortem hominibus afferat: Euangelium autem cùm vires illas largiatur, & sibi parentibus vitam æternam polliceatur, vitam eam hominibus præstet, seu ut eam adipiscantur causa sit.

7. Jam verò si ministerium seu prædicatio Legis, quod morti propemodum serviebat, eamque hominibus afferebat, literis tantùm primò comprehensa, & lapidibus insculpta, tanto tamen fuit cum splendore conjuncta, ejus cui ministerium hoc fuerat commissum, ut non possent Israëlitæ qui ipsum audiebant, splendorem istum ferre, & irretortis oculis faciem Mosis intueri, ob tantum quo collustrata erat splendorem, quanquam unà cum Lege abolendum;

8. Annon multò magis ministerium seu prædicatio Euangelii quod divino spiritu atque afflatu nobis primùm patefactum, vim suam in animos hominum exserit,

exſerit, erit conjunctum cum hominum gloria ac ſplendore, quo nos ejus miniſtri ornemur?

9. Etenim ſi illud miniſterium [doctrinæ illius quæ condemnationem hominibus affert] quod condemnationi ut ante diximus inſervit, fuit glorioſum ac ſplendidum; multo certe magis miniſterium [ejus doctrinæ quæ quod] juſtitiam ſeu à condemnatione liberationem hominibus affert, cum inſigni gloria conjunctum eſſe neceſſe eſt:

10. Adeo ut Legis miniſterium quod glorioſum ac ſplendidum à Deo redditum fuiſſe diximus, ſi conferatur cum miniſterio Euangelii, ejuſque ſplendore ac gloria, vix poſſit dici glorioſum fuiſſe ac ſplendidum, evaneſcente ejus claritate ad auguſtiſſimum hoc Solis jubar.

11. Neque verò id injuriâ: Nam præterquam quod diximus, illud fuiſſe condemnationis ac mortis, hoc juſtificationis ac vitæ miniſterium; iſtud quoque accedit quod Lex aboleri debuerit, Euangelium verò quod nos prædicamus, perpetuò debeat durare, nec unquam ad finem uſque mundi abrogari. At verò ſi id quod abolendum erat, fuit cum gloria conjunctum, multo glorioſius ac ſplendidius eſſe oportet id quod manere ac durare perpetuo debet.

12. Cùm ergo tantam habeamus [ſpem fore ut euangelium quod prædicamus, perpetuo duret,] fidendi & audacter agendi cauſam, magna in loquendo confidentia utimur, & libere aperteque in promulganda noſtra doctrina agimus.

13. Diſſimiles ea in re Moſi, qui velum imponere ſolebat faciei ſuæ, cum populo loquuturus, ita ut non poſſent Iſraëlitæ [in imas uſque partes introſpicere Legis aliquando abolendæ, atque adeo id ipſum animadvertere quod abroganda tandem eſſet.] videre, finem rei aliquando abolendæ, nec animadvertere legem aliquando abrogandam.

14. Unde factum, ut mentes eorum obſtupeſcerent, & vim legis non perviderent; cujus rei etiamnum exſtat experimentum: Etenim uſque ad hoc tempus, cùm legitur antiquum fœdus ſeu Lex Moſaica, idem ut ita dicam velum adhuc manet, & Judæorum oculis ac mentibus obſtat, nec retegitur: quia per Chriſtum demum ejuſque religionem tollitur atque aboletur, atque adeo iis demum patefit, Legem deſinere debuiſſe, qui hanc religionem agnoverint, cum cæteri id videre adhuc nequeant.

15. Ad hoc inquam tempus uſque cùm legitur Moſis doctrina, velum quoddam non tam Moſi jam ipſi ejuſque doctrinæ obtenditur, quàm ſuper ipſorum Judæorum corda poſitum jacet, quominus rem penitus introſpiciant, ac cognoſcant.

16. Verùm quemadmodum olim Moſes cum à populo rediret ad Dominum ſeu cum Angelo eſſet loquuturus, tollebat velum faciei ſuæ impoſitum; ita etiam nunc quamprimum ſeſe corda Iſraëlitarum ad Dominum id eſt Jeſum Chriſtum ejuſque ſanctiſſimam religionem converterint, ſtatim velum illis impoſitum tolletur, & clariſſime cernent in Lege illud quod antea videre non poterant.

17. Etenim [religio ac doctrina Domini Jeſu Chriſti & ſpiritus ille de quo ſuprà ſumus loquuti. Ubi vero &c.] Dominus Jeſus Chriſtus is eſt à quo Spiritus ille de quo ſupra diximus, & cujus nos miniſtros ac diſpenſatores profeſſi ſumus proficiſcitur in eos qui ad ipſum ſe convertunt, eique ſeſe applicant: ubi verò ſpiritus ille quo tum ipſe Dominus fuit à Deo repletus, tum omnia ipſius membra per ipſum implentur, reperitur, ibi etiam libertas eſt ſpiritualis, [adeoque ſervitus iſta quam Lex hominibus imponit excluditur.] ita ut cuicunque ille contingit, eidem etiam hæc contingat. Libertati verò non convenit velum iſtud, ſervitutis cujuſdam ſignum.

18. Quapropter nos Chriſtiani omnes retecta facie omnibuſque impedimentis contemplationi ſeu cognitioni rerum ſalutarium exactæ obſtantibus, remotis, gloriam Domini Jeſu Chriſti in facie ipſius veluti refulgentem, hoc eſt excellentiſſimam illam divinæ voluntatis cognitionem quam in ipſo Deus primò repoſuit intuentes, atque inſtar ſpeculorum quorundam excipientes, ipſi quoque imaginem ipſius recipimus, & ab ipſius ſplendore ſplendidi etiam ipſi redimur, non ſecus atque olim conſpecto Dei angelo Moſes; hoc eſt ejuſdem divinæ voluntatis glorioſiſſimæ cognitionem adipiſcimur; id quod efficit Spiritus ille e Domino in nos manans.

2 Cor. 5. verſ. 1. uſque ad verſ. 10.

Paraphraſis, cum ſcrupulorum quorundam ſolutione.

IDeo autem dixi animum nos non deſpondere, etiamſi corpus hoc noſtrum corrumpatur, & momentaneam levitatem afflictionis noſtræ parere nobis excellentiſſimæ gloriæ æternum pondus: quia certò novimus, ſi terreſtre hoc noſtrum corpus in quo veluti domo quadam habitamus, quodque cujuſpiam tabernaculi inſtar eſt, cùm ſit invalidum, & mox diſſolvendum, deſtruatur, nos habituros ædificium ab ipſo Deo, nempe domum quæ non manu hominum ſit conſtituta, quæ æterna eſſe non poteſt, ſed æternam, & in ipſis cælis ubi nullus eſt corruptioni locus duraturam. Tantum enim abeſt ut in hoc terreno corpore ſolida poſſimus potiri felicitate, ut in eo ſemper ſuſpiremus ad ſtatum meliorem, id unicè deſiderantes, ut corpore noſtro quod ex ipſis cœlis habituri ſumus, tanquam habitaculo quodam ſuperinduamur. (Dico autem ut ſuperinduamur, ſi modò in adventu Domini, vivi ac corpore induti, non verò mortui, & corpore hoc exuti deprehendamur: alias enim corpore cœleſti tantùm induemur, non ſuperinduemur) Nam nos qui in fragili hoc tabernaculo habitamus, dum calamitatibus & afflictionibus premimur, ſuſpiramus: non quòd velimus corpus hoc per mortem exuere, ſed potiùs cupimus vivi glorioſo illo corpore ſuperindui, ita ut mortale hoc corpus abſorbeatur ab immortalitate, ſeu corpore incorruptibili, huic ſuperveniente, & illud undiquaque circumplectente. Neque enim vana hæc ſpes noſtra eſſe poteſt, cùm Deus is ſit qui hunc ipſum in finem nos reformarit, & veluti condiderit, tantæque felicitati deſtinarit: ac præterea ne quidquam de ea re dubitaremus, Spiritum ſuum tanquam arrham quandam dederit. Quapropter ſpe ac fiducia ſemper ſumus pleni, & cùm ſciamus nos quamdiu habitamus in corpore, procul habitare atque abeſſe à Domino Jeſu Chriſto, cum quo conjungi debemus. (Nam hactenus quamdiu in hoc corpore ſumus, fide tantùm felicitatem noſtram apprehendimus, non verò reipſa cernimus & oculis uſurpamus) Fiducia inquam & ſpe pleni ſumus, & magis nobis probatur ut migremus e corpore, & ſic habitatum eamus ad Dominum. Eaque de cauſa id ſtudioſe agimus, ut ſive in corpore habitemus, ſive ex eo migremus, ipſi placeamus.

Quæritur hoc loco quid intelligat Apoſtolus per vocem *ſuperinduendi*. Nos in paraphraſi ſatis oſtendimus id nihil aliud ſignificare, quàm eum qui corpore mortali adhuc ſit indutus, immortali corpore ſuperveniente, veluti veſte quadam undique circumplectente contegi, quo fiat ut corpus illud mortale quod ab immortali veluti ambitur ac contegitur, abſorbeatur, & in nihilum redigatur, & ſic immortale tantum remaneat. Siquidem certum eſt unum eundemque hominem duplici corpore præditum eſſe non poſſe. Hoc ut pateat, primùm animadvertendum eſt, ſuperindutionem hanc referri ad corpus noſtrum quod ex cœlo ſumus habituri, ſeu cœleſti illo corpore tanquam habitaculo homines certos ſuperindutum iri. Ita enim loquitur Paulus ỷſ. 2; *habitaculo noſtro quod ex cœlo eſt, ſuperindui deſiderantes*. Habitaculum autem illud eſſe corpus noſtrum quod ex cœlo ſumus habituri, ex oppoſito ỷſ. 1. ſatis conſtat. Quanquam res ipſa per ſe ſatis eſt manifeſta. Nec poteſt, ut nonnulli arbitrantur, vel potiùs, quia aliàs ſententiam ſuam de corporibus noſtris futuris defendere non poſſunt, dicere

coguntur, ipſa tantùm immortalitas abſtractè ſumta, eo nomine intelligi. Dico abſtractè ſumta; quia ſi pro corpore immortali ſumatur, hoc ipſum eſt quod quærimus. Deinde quòd plus ſit *ſuperindui* quàm *indui*, patet ex collatione ℣ſ. 2 & 3. Aperte enim Apoſtolus, tum *nos ſuperindutum iri, ſi modò induti non verò nudi reperiamur.* Indutum verò eſſe, & non nudum, nihil aliud ſignificare, quàm corpore mortali eſſe indutum, totius loci circumſtantiæ, tum vox ipſa *indutionis* indicat, quàm ad *habitaculum* quod corpus noſtrum dicitur, referri, antea docuimus. Quare vocem *ſuperinduendi* quoque ad habitaculum ſeu corpus aliud quàm quo circumdati ſumus referri, conſentaneum eſt. Nullum autem reſtat aliud præter illud ex cælo. Idem oſtendit vox oppoſita *exuendi*, qua in ſeqq. verſ. Paulus utitur, quam nihil aliud ſignificare quàm corpus hoc mortale deponere, ſeu mori, omnes ni fallor animadverterunt. Nec ſanè aliam ſignificationem locus admittit. Quanquam verò ex his ſatis jam conſtat, ſuperindutionem iſtam non ita eſſe accipiendam ut corpus illud quo jam induti ſumus, & quod tanquam veſte cæleſti illo habitaculo ſeu corpore circumdari ſeu ſuperindui debet, ſub iſto altero permaneat, ita ut duplici veluti veſte homo ſeu hominis Spiritus indutus cenſeri debeat: ſiquidem duo diverſa corpora, & quidem adeo interſe diſſimilia, uni eidemque homini convenire nequeant; tamen id præterea ex eo confirmatur quòd Paulus ſuperindutionis iſtius modum & rationem explicans, ait; *ut mortale abſorbeatur à vita.* Mortale autem nihil aliud niſi hoc corpus eſt. Indicat ergo Paulus ſuperindutionem iſtam corporis ita fore, ut corpus immortale, circumplectens hoc mortale, veluti ignis cujuſdam inſtar ſtatim abſorbeat & conſumat, ac id tantùm in nobis reſtet quod aptum natum eſt ut cæleſti tabernaculo indutum vivat in æternum. Ex quo apparet, metaphoram hanc quæ eſt in voce *ſuperinduendi*, non in eo conſiſtere quòd homo is qui dicitur ſuperindutus, duplici veluti veſte circumdatus, ſemper maneat; ſed quòd tum cùm primò immortali veſte indueretur, alia jam extaret veſtis quam immortalis illa circumplecteretur. Quemadmodum ſi fieri poſſet ut ignea aliqua veſtis, & contactu alias ſtatim veſtes conſumens, alicujus veſtibus ſuperinjiceretur, rectè dici poſſet, eum ſuperindutum fuiſſe, licet interior veſtis contactu igneæ ſuperinjectæ ſtatim fuiſſet conſumta, & ignea tantùm porrò remanſiſſet.

Ex ℣ſ. 6 & 8. Oritur quæſtio cur Paulus aſſerat, nos *dum verſamur in corpore, peregre abeſſe à Domino*, contra ℣ſ. 8 ita loquatur ac ſi tum cùm è corpore migramus, ſtatim habitatum eamus ad Dominum. Nam aliàs nulla erat cauſa cur Apoſtolus diceret, *ſibi magis probari è corpore migrare, & habitatum ire ad Dominum*, ſubaudi, quàm perpetuò in hoc corpore manere. Nam ſi ii qui moriuntur non habitant cum Domino ante ultimum illum diem, nulla eſt cauſa cur ex corpore propterea malit migrare, ut ad Dominum habitatum eat, quàm in corpore perpetuò manere, ſiquidem mortuus, ea in re ſe vivum non antevertet: ac præterea beatior videtur is qui vivit, ac Domino cum quo unus eſt Spiritus & quem perpetuò colit, cujuſquam præſentiam viciſſim ſentit perpetuò, propior eſt quàm mortuus, qui nihil horum præſtat. Præterea ipſemet Paulus ſup. ℣ſ. 2. & 4. optaſſe videtur ut vivus potiùs immortali corpore indueretur, quàm mortuus, atque adeo ut uſque ad adventum Domini vivus permaneret.

Quod ad prius attinet, reſponderi poteſt, duplici de cauſa eos qui in Domino moriuntur propiores Domino cenſendos eſſe quàm ſint illi qui in Domino vivunt. Primò quia illorum ſalus jam in portu eſt, horum adhuc in fluctuoſo mari. Nam qui adhuc vivunt, ii omnes, generatim loquendo, à pietate ac fide deficere, & ſic ſalute æterna excidere poſſunt; qui autem in Domino mortui ſunt, nequaquam. Altera cauſa eſt ad quam Apoſtolus fortaſſe potiſſimùm reſpexit, quòd cum iis qui in Domino moriuntur perinde agatur, atque ſi ſtatim ad Dominum Jeſum in cœlos migrarent. Nam tempus illud quod inter mortem eorum & vitam futuram intercedit, eorum reſpectu pro nihilo eſt, ejuſque ratio hîc ab Apoſtolo habetur nulla. Nam quia tempus illud intermedium à mortuis nullo modo ſentitur, perinde iis quum reſurgent videbitur, atque ſi nunc primùm obdormiviſſent. In iis autem quæ ad felicitatem noſtram, aut miſeriam ei verè contrariam pertinent, non tam ejus habenda eſt ratio quod revera ſit, quàm quod à nobis ſentitur: quum tota felicitatis & contrariæ miſeriæ ratio, in ſenſu noſtro ſit poſita: ita ut quod non ſentitur propemodum non eſſe cenſendum ſit. A mortuis autem non ſentiri tempus intermedium inter mortem & vitam, adeo eſt manifeſtum, ut ſi quis contrarium affirmet, ei dicendum ſit mortuos vivere, quod ſeipſum evertit. Documentum hujus rei nobis præbet imago mortis ſomnus: qui quò eſt altior ac profundior, & ſenſus magis devincit quominus mutationes ullas advertant, tanto brevior videtur dormientibus. Nam tempus tum ſentitur quum motus aut mutatio aliqua ſentitur: ubi mutationis alicujus nullus ſenſus eſt, ibi nec temporis ſeu durationis. Unde Ariſtoteles hac de re diſſerens, ait: Quando in dormientibus nullus eſt mutationis ſenſus aut cogitatio, ultimum vigiliæ ſomnum antecedentis momentum, cum primo momento vigiliæ, ſomnum conſequentis, ita ab illis qui dormierunt conjungi, ut unum illud faciant, & eximant tempus interjectum, quia id ſenſu non perceperint. Sicut igitur (inquit) ſi non aliud eſſet momentum, ſed unum & idem, non eſſet tempus, ita etiam quando non animadvertitur eſſe diverſum, non videtur eſſe tempus quod eſt interjectum. Phyſic. 4. c. xi. ex vet. diſtin. ſecundum Pacium xvi. tex. 79. Quod igitur in ſomno cernimus in quo tamen phantaſiæ noſtræ ſentimus mutationem, & imaginum mentis motum, quin etiam corporis ſenſus non prorſus ſtupet, & aliquæ reſtant ſenſionis reliquiæ; id multo magis ad mortem ubi nulla planè relinquitur ſenſio, tranſferendum eſt: ita ut dicere poſſimus, ſomnum brevius reddere tempus, mortem nullum. Concludendum ergo eſt, perinde agi cum iis qui in Domino moriuntur, ac ſi ſtatim ad Dominum migrarent, & ultimum vitæ mortalis punctum idem eſſet cum initio vitæ immortalis: Secus agitur cum iis qui in corpore mortali verſantur, qui ut revera à Domino abſunt, & loci intervallo disjunguntur, ita ſe abeſſe reipſa ſentiunt, & miſeriam ſuam, afflictionibus præſertim ut hic Paulus indicat onerati, agnoſcunt, & ad meliorem ſtatum ſemper ſuſpirant. Quòd verò ii qui adhuc vivunt alia quadam ratione videantur eſſe propiores Domino quàm ſint mortui, quia nimirum ſpiritu conjunguntur, id ad hunc locum ubi de corporali conjunctione ſermo eſt, nihil facit. Deinde, non ſunt comparandi vivi cum mortuis quatenus hi mortui ſunt, & à Domino reipſa abſunt; cùm jam docuerimus, hujus temporis nullam hic rationem habendam eſſe, ſed ita ſunt conſiderandi iſti mortui atque ſi ſtatim ad Dominum migrarent. Hoc autem modo ſi conſiderentur mortui, nemo non videt eorum cum Domino conjunctionem longe majorem & propiorem eſſe ea conjunctione, quæ eſt inter Dominum & eos qui hic in ipſo vivunt. Hæc autem quæ de his Apoſtoli verbis nunc diximus, tranſferenda etiam ſunt ad locum Phil. 1. 23. *Cupio migrare, & eſſe cum Chriſto.* Nam ibi quoque ita loquitur Paulus ac ſi ſimul atque moreretur, futurus eſſet apud Dominum.

Quod ad alteram objectionis partem attinet, dicendum eſt, non ita accipienda eſſe verba Pauli ac ſi ſimpliciter ac quovis modo maluerit ſuperindui quàm exui, ſed eo tacitè poſito, ſi Dom. Jeſus non ita multo pòſt, ſeu intra illud ſpatium ad quod vitam hanc naturaliter perducere poſſet, venturus eſſet. Nam aliàs poſito eo quòd Dominus Jeſus poſt multa demum ſecula eſſet venturus, id quod Paulus futurum proculdubio prævidit, maluit is exuere hoc corpus quàm ad illud uſq; tempus in fragili hoc domicilio, graviſſimis calamitatibus onerato perdurare, & vitam in perpetuis ſuſpiriis exigere. Vel, ſi mavis, ita reſponderi poteſt, Paulum per ſe maluiſſe ſuperindui quàm exuto hoc corpore aliquando

tantùm

tantùm indui: sed per accidens (hoc est ob diuturnitatem temporis & afflictionum gravitatem quas necesse foret sustinere, si ad illud usque tempus vivere deberet, quo posset superindui, hoc est usque ad adventum Domini Jesu) hoc illi prætulisse, & corpus hoc deponere maluisse, quàm superindutionem istam exspectare.

Tertio nascitur quæstio de verbis ℣. 9. *sive incolentes, sive peregre agentes*, an ea sint accipienda respectu corporis, an respectu Domini. Nam in superioribus utroque modo fuerunt usurpata. Respondeo, ea proculdubio respectu corporis esse accipienda. Non modò quia ordo horum verborum, qui nisi aliqua suadeat ratio non est temere negligendus; sed etiam quia sermonis Apostolici elegantia & concinnitas id requirit. Aliàs quod ad rem ipsam attinet, sententia loci eadem est, sive hoc sive illo modo sumas. Nam quod ad ordinem attinet, prius ponitur vox *incolentes*, quàm *peregrè agentes*. At si priori voce intelligere velis habitationem apud Dominum, posteriore absentiam à Domino, ordinem naturalem rerum verbis istis significatarum pervertes, hoc enim illo, naturæ ordine prius est. Quod ad concinnitatem ipsius orationis attinet, non satis elegans esse videtur, Apostolum dicere, se ambire, ut jam cum Domino habitantes ipsi placeant, quod tamen diceretur si hæ voces ad Dominum essent referendæ. Nam non est hoc anxiè quærendum ut jam apud Dominum habitantes, ipsi placeamus, cùm hoc illius sit antecedens ac conditio, adeoque isto nominato hoc jam ultro præsupponatur. At si hæc verba ad corpus referas, & ordo erit planus, & omnis inconcinnitas verborum aberit. Perinde enim erit, ac si diceres: Nos id solicite agimus ut sive vivi sive mortui in adventu Domini reperiamur, ipsi placeamus, atque ita præmio nobis destinato donemur. Potest & hæc addi ratio, quòd in his verbis contineatur porisma seu consectarium conclusionis argumenti Paulini quod in superioribus verbis exstruxerat. Quæstio enim erat, An satius sit, manere in corpore quàm migrare è corpore, nec ne? Concludit Paulus satius esse migrare, quàm in eo manere. Medius terminus est: Quia is qui manet in corpore, peregre absit à Domino, & contrà qui migret è corpore habitatum eat ad Dominum: quod posterius conclusioni argumenti sui ℣. 8 adjicit Paulus. Neque enim quæstio erat Apostolo, an satius sit habitare apud Dominum, quàm ab eo peregre abesse? Quis enim hoc nescit? Quapropter cùm conclusio hæc sit, si plene explicetur, satius est migrare e corpore, quàm in eo manere, apparet in consectario hujus conclusionis, in quo verba è conclusione transsumuntur, & repetuntur, vocem *manendi* seu *incolendi* & *migrandi* ad corpus non ad Dominum debere referri.

Explicatio loci 2 Cor. 5. 11, 12. &c. ad 18.

S*Cientes ergo &c.* id est, Cùm ergo sciamus causam, cur Deus sit timendus, *homines suademus*, id est hominibus proponimus doctrinam Christi, & inculcamus eis euangelium, & ad illud amplectendum illos adducere conamur. *Deo autem manifesti sumus*, id est, Hominibus quidem salutarem doctrinam inculcamus, interim Deo sumus noti, quod ita nos geramus, ut sciamus semper Deo constare nostram probitatem. *Spero autem quod* &c. id est quod & vestris conscientiis nostra pietas sit nota, & si ex conscientia vestra judicium de nobis sit faciendum, spero vos dicturos quod bene nos gesserimus, vide sup. cap. 4. vers. 2.

Non enim rursus nos ipsos commendamus &c. Quasi dicat. Ideo dixi vestris conscientiis hoc patere, quia non hoc agimus ut nos ipsos vobis commendemus, quasi ignorantibus. Qui enim non novit hominem, ei commendatio est necessaria. *Sed* &c. quasi dicat sunt apud vos multi qui non ex animo gloriantur, sed externe: quorum hominum vanitatem potestis meo exemplo retundere, qui verè glorior & non facietenus.

Sive enim &c. Est occupatio. Quasi dicat. Aliis quidem possum videri insanus, aliis sobrie agere. Si quis putat hoc esse insani hominis quòd multa de me loquor, hic furor meus in Dei gloriam spectat, excusariq; id potest zelo Dei gloriæ; puto enim ea in re multum situm ut mea authoritas sit salva. Aut etiam sic, si ego hic aliquid pecco, Dei est non vestra injuria. *Sive sobrie agimus, vobis*, id est in vestrum commodum. Ubique finis, sed alter ad injuriam quasi, alter ad commodum pertinet. Quocunque modo agere me putaveritis, non est quod irascamini, præsertim si sobriè loquor: vestra enim hæc est utilitas. Dato autem me esse insanum, Dei hæc sit injuria. Vide inf. cap. 11. ℣. 16, *Ferte meam stultitiam.* Verum erat quod dicebat, interim etiam hoc ipsum hominis videbatur imprudentis.

Charitas enim Christi &c. Non tam videtur rationem reddere præcedentium proxime, quàm superiorum & scopi totius: quanquam & hujus postremæ particulæ, quòd scilicet utilitati eorum consuluit gloriando; maxime tamen superiorum, præcipue cùm dixit se multa pati causâ doctrinæ Christi, tum etiam quòd suaderet euangelium. Totum caput huc spectat. Ita enim solet Apostolus agere, ut rationem afferat superius dictorum, quanquam addat aliquid proxime quod eadem ratione probet, ut pateat tamen esse cohærentiam. Quod ad rationem attinet, ejus vis est; Ideo ego vestræ & omnium utilitati servio, non ut ad Legem Mosis adducam homines, sed ac Christum, qui nos ita dilexit, ut illi pseudapostoli se dicebant Judæos diligere. Quia charitas Christi nos ex utroque latere premit; Cùm ita apud nos concludamus, & ratiocinemur, &c. Vide de his Anti-Grot. cap. 9. partic. 7. Sensus est, Ita ago, nempe quòd commendo religionem Christianam, mors enim Christi eò me adigit, si is est finis mortis Christi qui dicitur, omnes homines debent mori sibi, id est pristinis religionibus, & vitæ institutis. *Et pro omnibus &c.* Quasi dicat, quia vel quandoquidem pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, id est omnes homines, non tales maneant quales antea ratione morum & cultûs Dei, sed ad ejus se nutum componant qui sancire morte sua voluntatem Dei voluit, & ad resurrectionem pervenit, docuitque eam religionem sequendam cujus causa fuerat mortuus.

Quare nos ab hoc tempore &c. Quasi dicat; Quia ergo omnes debent vivere ei qui pro ipsis mortuus est &c. (Descriptionem Christi posuit loco nominis: quæ descriptio causam indicat rei;) Ideo nos neminem amplius æstimamus ex iis quæ ad carnem pertinent, ut quòd quis sit Israëlita, circumcisus, exinde non æstimamus ejus præstantiam, nec cultorem eum Dei verum judicamus. *Nosse* pro approbare aut censere. Hic intelligitur ratione religionis aut rerum quæ coram Deo valent: ut quod quis sit ex Abrahamo, Isaaco, Jacobo, quod legem ceremonialem servavit. Vide Philip. cap. 3. vers. 4. seqq. *Si quis habeat fiduciam in carne* id est cur carne fidat, & de talibus sese jactet quæ recenset, ut est circumcidi octavo die &c.

Occupatio, sed & Christum putastis censendum ex Abrahamo, Davide; tum quod circumcisus fuit, & Legem Mosaicam servavit: hoc æstimastis dignum laude in Christo, ergo idem in Christianis centeatur. Responsio: Etsi Christum ex iis censuerimus aliquando, nunc non amplius eum ex istis censemus. Nam etsi illa omnia talia fuerunt sine quibus non fuit Christus, tamen ad dignitatem Christi & munus ejus hæc nihil faciebant per se. Cur dicit, *Quod si aliquando cognoscebamus &c.* Respondetur; Paulus utitur quadam communicatione, quasi dicat, si nos Christiani, imò etiam Apostoli, censuimus Christum ex carne, tamen nunc jam amplius non censemus. Ut generatim de omnibus Christianis sumatur. Si de se Paulus dicat, sensus erit; Ego quidem de Messia antea cum essem Judaicæ religionis, hoc existimabam quod futurus esset Rex hujus mundi, carnalis, &c. Aut etiam quòd Paulus ab initio Christum etiam ex carnalibus prærogativis commendatum sibi habuisset, & eundem commendasset.

mendaſſet. Redit jam iterum ad Chriſtianos cæteros: *Quare ſi quis eſt in Chriſto*, &c. Quaſi dicat, quemadmodum Chriſtus non eſt ex carne cenſendus, ita & Chriſtiani: quia *qui eſt in Chriſto*, id eſt qui eſt Chriſtianus, *eſt nova creatura*, aut ex nova creatura eſt cenſendus, id eſt ex nova ratione cultus divini & vitæ à Chriſto præſcriptæ. Exinde debet Chriſtianus cenſeri, & talis eſſe. *Vetera* id eſt, antiqua legalia quæ ad cultum Dei olim pertinebant, & ad præſtantiam alicujus, *præterierunt*, jam abrogata ſunt, pro nihilo reputata, jam negligi debent. *Ecce omnia*, id eſt quæ pertinent ad cultum divinum, *facta ſunt nova*, renovata ſunt, novam rationem Deus præſcripſit per Chriſtum, qua ſit colendus.

Paraphraſis ejuſdem loci, 2 Cor. 5. 11. *ad* 18.

CUm ergo ſciamus, Dominum Jeſum adeo eſſe timendum, ob hoc ipſius tremendum judicium, cui nos omnes ſiſti oportet; [hominibus quidem noſtram pietatem probare conamur; ſed Deo illi omiſcio ea penitus patet] in hominibus ad Chriſtianam religionem ac fidem adducendis ita laboramus, ut Deo teſte & arbitro vivamus, eique noſtra pateat pietas. Quanquam ſpero nos & veſtris conſcientiis ita ſatiſfeciſſe, ut etiam illis noſtra pietas manifeſte pateat.

12. Neque enim quòd hactenus non pauca de noſtra erga Deum pietate & in officio fungendo fide diximus, eam ob cauſam id fecimus quaſi vellemus nos vobis ipſis demum commendare, eaque ratione efficere ut qui noſtras virtutes hactenus ignoraſſetis, in poſterum ſciretis: ſed tantùm occaſionem eo pacto voluimus vobis dare de nobis noſtraque pietate ac fide gloriandi, & ſic vos impellere ad eam prædicandam, ac commemoratis virtutibus illis, quarum vos probe eſtis conſcii, vos quodammodo inſtructiores reddere ad id, ut poſſitis aliquid opponere iis qui ſeſe verbis quidem jactant, & ſpeciem earum præferunt ut de quo glorientur habeant, cùm interim cor illorum reluctetur, ac reclamet conſcientia.

13. Nam etſi fortè laudes noſtras prædicando, videamur cupiam inſanire, id tamen non ad veſtram aliquam pertinet injuriam, ſed ſi ita res ſe haberet, in Dei injuriam. At verò ſi ut arbitramur ſobriè ac prudenter ea in re egimus, in veſtram hoc utilitatem ſpectat, ad eamque id à nobis fuit relatum, quam ego, ut & aliorum hominum anxie ac ſolicite quæro.

14. Propterea quòd charitas illa Chriſti admiranda, qua nos, mortem pro nobis ſubiens complexus eſt, nos ad id faciendum adigit, ac plane cogit.

15. Cùm ita apud nos ratiocinemur, ac judicemus: Si unus ille mortem truculentam ſubiit, ut omnibus ſalutem æternam pararet, & verum ad ſupremam felicitatem iter oſtenderet ac muniret, omnibus hominibus moriendum quoque eſſe, ſeu cauſam ſufficientem eſſe datam, ut relictis priſtinis religionibus ac moribus, aliam quoque rationem Deum colendi ac vitam inſtituendi ineant. Quandoquidem eum in finem pro omnibus hominibus eorumque ſalute Chriſtus eſt mortuus, ut quotquot vivunt homines, non amplius pro ſuo arbitrio ac priſtina conſuetudine vivant; ſed vitam ac religionem ſuam penitus componant ad nutum ac præſcriptum Jeſu Chriſti, ut pote qui ut ſalutem illis pararet, ac viam ad eam felicitatem illis ſanciret, mortuus eſt: nec mortuus tantùm, ſed ut pleniſſima doctrinæ ejus fides conſtaret, etiam à Deo eſt ex mortuis excitatus, æternaque donatus gloria.

16. Quare cùm ſola Chriſti religio ſit amplectenda, & cultus divinus ab ipſo præſcriptus in poſterum omnibus ſit ſequendus; nos ab hoc tempore ex quo id agnovimus, neminem amplius in religionis negotio æſtimamus aut præſtantiam ipſius cenſemus ex rebus quæ ad carnem ſpectant, qualis eſt ex Abrahamo ortus, circumciſio, & reliquæ ceremoniæ Moſaicæ, quas iſti veſtri doctores commendant, & jactant. Quod ſi quis nobis objiciat ipſum Chriſtum, omnium fidelium ac Dei cultorum caput, ex quo de membris ipſius faciendum eſt judicium; ejus nos dignitatem aliquando ex hujuſmodi rebus carnalibus æſtimaſſe; ei id reſponſum volumus, nos aliquando quidem ita judicaſſe: ſed nunc melius edoctos, ex iſtiuſmodi rebus non amplius dignitatem ejus veram cenſere.

17. Quapropter eodem modo de iis qui Chriſto ſunt addicti judicandum eſt, & ſtatuendum, hominem Chriſtianum debere eſſe novam quandam creaturam, hoc eſt rationem cultus divini ac morum quam ſequatur, debere eſſe novam atque à veteri illa ſeu legali diverſam: ita ut res iſtæ carnales quæ olim in cultore Dei requirebantur, in ipſo non ſpectentur amplius. Vetera enim iſta, Dei conſilio & voluntate ſunt abolita atque abrogata: ecce omnia quæ ad religionem ſpectant facta ſunt nova atque à prioribus diverſa.

2 *Corinth.* 5. *verſ.* 14, 15.

EXplicat his verbis Apoſtolus, quantam in ſe ſuique ſimilibus vim habeat charitas Chriſti, eaque occaſione rationem ſubjungit, cujus intuitu ad officium adigamur. Itaque partes verborum duæ ſunt.

Vis charitatis Chriſti exprimitur, *Charitas Chriſti conſtringit nos*; quæ quidem accipi poteſt vel de ea charitate qua Chriſtus nos complexus eſt, vel qua nos Chriſtum complectimur. Quantopere nos Chriſtus amaverit, vel mors ejus argumento eſt, de qua paulò pòſt. Multum autem Chriſti amorem commendat, quòd & prior, & nil tale meritus, nos amaverit. Confer 1 Joh. 4. 10. & Rom. 5. ℣. 6, 7, 8.

Ieoque dubium non eſt, quin Chriſti charitas hoc ſenſu omnes illius veros æſtimatores vehementer obſtringat. Jam verò quantum Paulus Chriſtum amaverit, cui obſcurum eſſe poterit, labores & moleſtias & pericula conſideranti quæ ejus cauſâ ſuſtinuit? Idem de aliis Paulo ſimilibus judicium eſt, utpote eandem in illum amoris cauſam habentibus. Itaque & ea acceptione charitati rectè tribuitur, quòd nos conſtringat, & quidem ut cauſa proxima & immediata. Ad quid verò conſtringebatur Apoſtolus, ex antecedentibus petendum eſt, cùm quibus hæc verba ita cohærent, ut cauſa antecedentium in iis afferatur, quod indicat particula *Nam*. Dixerat verò Apoſtolus, ſe, quomodocunque ſeſe gerat, vel Deum illiuſque honorem, vel Eccleſiæ ſalutem ſpectare. Ad hoc verò ſeſe charitate conſtringi innuit: quod de utraque charitatis ſignificatione rectè accipi poteſt. Imitemur & nos, Pauli illiuſque ſimilium exemplum, Chriſtique charitate, utrocunque modo accepta, incitemur, ut ad Dei honorem, Eccleſiæque ejus commodum omnia noſtra conſilia actioneſque referamus. Illuc cogitationes, dicta, factaque noſtra tendant. Sive edatis, ſive bibatis, ſive quid aliud faciatis, omnia in gloriam Dei facite. 1 Cor. 10. ℣. 31. Nemo quærat quod ſuum eſt, ſed quilibet quod eſt alterius, ibid. verſ. 24. Ad hoc verò nos ducere debet charitas Chriſti, utpote cui patris ſui honos & Eccleſiæ ſalus grata eſt, quique ut utrumque nobis curæ haberemus præcepit.

2. Videamus jam & rationem ſubjunctam, quam charitas iſta in conſilio habuit qua ad ea qua diximus ratione agendum moveamur. Ea verò eſt quod indicat, *ſi unus pro omnibus mortuus ſit, omnes eſſe mortuos*. Non falli verò ſeſe hoc ſuo judicio, ſequentibus probat. Quis iſte *unus* ſit, *qui pro omnibus mortuus ſit*, quamvis hoc loco Apoſtolus non indicat, ex locis Scripturæ variis patet; nec obſcurè ex eo quòd morti reſurrectio paulò pòſt ſubjicitur, colligi poteſt. Chriſtum nimirum pro omnibus eſſe mortuum, intelligendum eſt. Quod quomodo accipiendum, deſceptatur. Plerique putant, idem hoc eſſe, atque ſi diceretur Chriſtum loco omnium eſſe mortuum: atque ita in his verbis commutationem eſſe perſonarum, Chriſtumque, ut omnium, ita etiam noſtri loco ſubrogatum. Nos verò commutationem hîc aliquam, perſonarum, atque loco noſtri factam commutationem Chriſti, vel ſubſtitutionem in ſufferenda morte, concedimus: modò & illud

illud addatur, in ipsa quoque morte commutationem factam esse, & pro æterna morte, quam nos debebamus, Christum nonnisi triduanam, quod res docuit sustinuisse. Et hinc quoque patet quo sensu vel negari vel admitti possit, Christi pro nobis satisfactio, de qua tantæ alioquin sunt lites. Meritò enim negatur, si Christus ita pro nobis satisfecisse dicatur, ut pœnas peccatis nostris debitas, vel easdem, vel vi sua æquipolientes, pependerit. Admitti verò potest, si ita dicatur satisfecisse, ut mortem violentam atque ignominiosam sustinendo, omne id quod illi Deus nostri causâ imposuit, quoque ut pater amans filii acquiescere benigne voluit, præstiterit. Sed quicquid de reipsa per se sit, hoc in loco tamen ad commutationem non respici, patet tum ex vi Græcæ vocis ὑπὲρ quæ commutationem non denotat, sed fructum atque commodum eorum qui subjunguntur, tum ex eo quod paulo post Christus non modò pro nobis mortuus esse, sed & resurrexisse legitur: ubi commutatio locum non habet. Nec enim ita nos ipsi gesseramus ut resurrectio nobis deberetur, quam Christus loco nostri occupaverit: & si eam nostri loco Christus occupasset, nos ab ea excluderemur. Itaque dubitandum non est, cum Christus pro omnibus hic mortuus dicitur, id fructum & utilitatem, quam omnes ex Christi morte capiant, respici. Fructus isti varii sunt: sed ad duo capita revocari possunt. Nam Christus nos morte sua, primùm à peccatis, eorumque & reatu, & pœna, id est morte atque inferno, Diabolique tyrannide liberavit. Deinde per eandem nos gratiæ amorisque Dei variorumq; in hac vita beneficiorum spiritualium, itemque resurrectionis atque immortalitatis cœlestisq; gloriæ participes fecit. Quomodo verò fructus hi ex morte Christi fluant, quanquam prolixiorem tractationem requireret, breviter tamen ita concipi poterit, si consideremus triplex Christi munus, & quam connexionem cum unoquoque horum mors Christi habeat. Est enim confirmatio atque obsignatio prophetici ejus muneris, est pars sacerdotalis, & est aliquomodo causa Regii. Itaque ratione prophetici muneris mors Christi nobis ejus universam doctrinam confirmavit & obsignavit, atque sic eo nos adduxit ut in illum crederemus, & peccatis relictis justitiæ studeremus, quod unicum à nobis requisivit Deus, ut cætera omnia quæ superius nominavimus nobis impertiret. Ratione sacerdotalis muneris se Christus morte sua tanquam victimam præparavit ad oblationem coram Deo, eamque sequutam apparitionem continuam, per quam, immunitatem à reatu peccatorum, quam deinde immunitas à pœnis, & gratia atque beneficentia divina tum in hac tum in futura vita consequitur, adipiscimur. Ratione Regii numeris mors Christi in causa est, ut Christus qui carnis atque sanguinis nostri particeps fuit, nosque non erubescit fratres appellare, potestate à patre accepta possit ipsemet nobis omnia ista bona superius commemorata actu ipso conferre: quod eum pro amore suo erga nos, proque fide qua se nobis obstrinxit, facere velle dubium non est. Atque ita patet quomodo Christus pro hominibus in eorum utilitatem atque bonum sit mortuus.

Illud adhuc expendendum, quòd Apostolus non pro paucis sed *pro omnibus mortuum esse* dicat Christum, quo universalitatem beneficii ejus prædicat, nullo vel nationum vel sexus, vel status discrimine coërcitam. Non esse enim hanc universalitatem fructuum mortis Christi ad solos electos restringendam, ut nonnulli volunt, ex eo patet quòd Apostolus ex universalitate fructus mortis Christi, universalitatem officii hominum quotquot vivunt deducit: eoque & personam commutat, cumque de suo aliorumque sui similium judicio in prima persona loquutus fuisset, ubi de officio hominum in genere subjiceret aliquid, tertiam substituit. Certè nulla hic fit electorum mentio, nec ullum in verbis his vestigium apparet ea ad solos electos esse restringenda. Idem patet ex 1 Tim. 2. 6. cum quo confer ℣. 1, 4, 5. & ex 1 Joh. 2. 2. Multisque aliis locis, quos hîc enumerare, & à pravis interpretationibus tueri, longum esset. Hoc quidem verum est, beneficiorum ex morte Christi manantium non omnes actu esse participes, ob deficientem in illis conditionem, sub qua oblata fuerant, eoque fit ut interdum Sac. Lit. restrictius de iis loquantur. Sed quanquam improbitas hominum, eventum quominus in omnibus obtineat impediat, non tollit tamen universalitatem gratiæ, quominus omnibus ex æquo pateat. Agnoscamus fratres summum hoc Christi in nos beneficium, qui pro omnibus atque ita etiam pro nobis mortuus est. Cogitemusque & genus mortis plenum doloris atque ignominiæ, & cruciatus qui illam antecesserunt. Unde non immerito illius memoriam in Ecclesia solenni ceremonia celebrari Christus voluit.

Expendamus jam quoque quid significet quod ex Christi morte Apostolus deducit, & quomodo id ex ea sequatur. Id vero est, *si unus pro omnibus mortuus sit, omnes esse mortuos*. Res ipsa docet, cùm omnes dicit esse mortuos, id non de ea morte qua Christus sublatus est, ac ne de simili quidem, id est nec de violenta nec de naturali morte intelligendum esse. Quin ne is quidem sensus est, quem plerique tamen esse putant; Si unus pro omnibus mortuus sit id perinde esse atque si omnes mortui sint. Ea enim interpretatio nititur falsâ hypothesi, quod unum pro omnibus mortuum esse, idem significet quod loco omnium, quam nos superiùs refutavimus. Et tamen sine ista hypothesi nulla foret in ista oratione, respectu vulgati sensûs consequentia. Deinde etiamsi per Christi mortem id assequeremur ut omnes eodem modo mortui censeremur, quid inde tamen commodi assequeremur? cùm etsi quis vel naturali vel violenta morte tollatur, non per id tamen evadat, nisi aliud quid accesserit, pœnam peccatis maxime proprieque debitam, quæ est mors æterna. Denique sic nulla est cum antecedentibus connexio, nulla consequentia, ut quis sese charitate Christi constringi dicat ad id ut non sibi sed Deo atque Ecclesiæ Christi studio suo subserviat, quia videlicet per Christi mortem se pro verè mortuo habeat. Sed verus horum verborum sensus ex collatione sequentium satis patet, ubi Apostolus ait, eos qui vivunt non sibi sed Christo vivere debere. Ex collatione duplicis vitæ apparet duplicem quoque esse mortem, ut cùm quis vel sibi vel Christo moritur: & quidem cùm ex morte Christi in sequentibus concludat Apostolus, homines non sibi vivere; sic quoque intelligendum eos sibi mortuos esse. Homines verò sibi esse mortuos, nihil est aliud quàm nos ad commoda nostra carnalia non esse intentos, nec cupiditatibus illis quæ nos vel ad divitias, vel ad honores vel ad voluptates persequendum rapiunt, amplius vacare. Convenit cum hoc loquendi modo id quod legitur Rom. 6. 2. Gal. 2. 19. Col. 2. 20. & cap. 3. 3. 1 Petr. 2. 24. Ubi Christiani vel simpliciter mortui, vel peccatis, aut legi, aut mundi elementis mortui dicuntur. Posset tamen objici, Non omnes pro quibus Christus mortuus est, eo modo quo diximus mortuos esse. Sed respondeo loquutionibus actum significantibus sæpenumero tantùm vim atque efficaciam quam res aliqua ad actum producendum habeat, aut quid jure debeat fieri, significari. Cujus rei exempla vide Rom. 6. 6. & cap. 7. 4. Imo & hoc ipso capite ℣. 17. Vide etiam Rom. cap. 11. ℣. 26. Heb. 8. 11. Jam autem in eo quod Christus pro omnibus mortuus sit, vim atque efficaciam esse ut omnes mori, ea quam explicuimus ratione, & possint & debeant, cuinam dubium esse potest? Quis neget illos posse qui cogitant Christum morte sua universam doctrinam suam confirmasse, atque ita nos ad illi obtemperandum obstrinxisse, memineruntque ad quantum dignitatis fastigium per mortem suam ille qui caput est nostrum pervenerit? Quis & debere illos neget, qui modò omnes illos fines ob quos Christus mortuus est probe ad animum revocarint, & aliquo æquitatis sensu sint præditi? Porrò optime cum antecedentibus hic sensus convenit. Si enim ex unius Christi morte pro omnibus sequitur omnes sibi mortuos esse, aut esse saltem debere, utiq; qui hoc agnoscit, is charitate sese Christi constrictum sentit, ad hoc ut non ad suum emolumentum sed ad Dei honorem Ecclesiæque Christi utilitatem consilia actionesque suas referat.

Hoc restat adhuc ut ipsi nos examinemus singuli & expen-

expendamus an & eam in nobis vim habuerit Chriſti mors ut nobis mortui ſimus, nihilve adhuc nos tirillet proprii commodi ſtudium? an honori noſtro non invigilemus pluſculum? an voluptates, & quidem carnis quæ per ſe ſæpenumero fœdæ ſunt, non ſectemur? *Si cor noſtrum non condemnat nos*, &c. 1 Joh. 3. 20, 21. Caveamus ergo à malo, & mortem Chriſti ad animum ita nobis revocemus ut ex ea & ipſi mortificationem veram aſſequamur.

Quod verò Paulus ſe alioſque ita judicare inquit, ex morte Chriſti pro omnibus omnium mortificationem recte ſequi aut concludi, id argumenti vim auget, utpote quod non obſcurum, ſed apud nos ipſos quorum cauſa deducitur, in confeſſo eſt. Non falli verò ſeſe judicio ſuo, probat ſequentibus, ad quæ accedimus. Ea verò non longa opus habent explicatione. Nam aut eadem quæ jam explicuimus verba in iis recurrunt, aut illis ſaltem ſimilia ſunt. *Et pro omnibus mortuus eſt.* Vocula *&* interdum eſt cauſalis, ac ſignificat idem quod *nam*, ut patet ex his locis; Luc. cap. 6. 32. Joh. 3. 13. Col. 3. 25. 1 Joh. 1. 2. & alibi. Repetit vero Chriſtum pro omnibus mortuum, mortiſque ejus finem addit, ex quo probare vult id quod antea aſſeruerat. Quomodo intelligendum ſit quod Chriſtus pro omnibus mortuus ſit, jam antè vidimus. Hujus verò mortis illius finem eum eſſe dicit, *ut qui vivunt, non amplius ſibi vivant, ſed illi qui pro iis mortuus eſt, & reſurrexit.* Mortis Chriſti finem dicit eſſe vitam hominum; ſed non communem hanc (iſtam enim habent jam illi quorum cauſa Chriſtus mortuus eſt, ut oſtendunt ea verba, *qui vivunt*) verùm vitam certo modo comparatam. Quo modo verò? *ut non ſibi amplius vivant.* Sibi vivere, eſt conſilia actioneſque ſuas eo referre ut ſibi bene ſit in iis quæ ad hujus vitæ ſtatum pertinent. Quod à pleriſque fieri videmus qui omni ſtudio id unum agunt, ut ad opes honores dignitates emergant, aut cum voluptatibus vitam tranſigant. Quum verò inquit, ut non *amplius* ſibi vivant, oſtendit antea eos ſibi vixiſſe. Quomodo Ethnici antehac ſibi vixerint, patet ex Rom. 1. 29, 30, 31, &c. & ex 1 Petr. 4. 3. Quomodo Judæi, ex Rom. 2. 17. ad 23. Alterum ob quod Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, ut ei vivant. Id enim notatur ea phraſi, *qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.* Chriſto vivere, eſt omnia conſilia atque actiones ita inſtituere ut Chriſto placeas, ad illius voluntatem, & cogitationes & dicta & facta componere. Hoc optime præſtabat iſte ipſe Apoſtolus vide Gal. 2. 20. Eit verò id æquiſſimum ut ii pro quibus Chriſtus mortuus eſt, non ſibi ſed Chriſto vivant. Quod ut melius evinceret, non nominat Chriſtum cui vivere debeamus, ſed eum ita deſcribit quòd pro nobis mortuus ſit, & reſurrexerit. Addit verò morti reſurrectionem, ad quam ἀπὸ κοινοῦ ſubaudiendum, eam quoque pro nobis Chriſto contigiſſe. Quanquam enim videri poſſet ipſius bono eam tantùm ceſſiſſe, tamen ad nos ea quoque pertinet: adeo ut 1 Cor. 15. 17, 18 dicatur; *Si Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra, adhuc eſtis in peccatis veſtris, eoque & illi qui obdormierunt in Chriſto, perierunt.* Et Rom. cap. 4. 25, ait idem *Chriſtum traditum eſſe propter peccata noſtra, & reſuſcitatum propter juſtificationem noſtram.* Imò verò magis etiam reſurrectioni quàm morti Chriſti Apoſtolus noſter tribuit quòd condemnationem noſtram evadamus, Rom. 8. 34. Pro nobis ergo Chriſtus reſurrexiſſe dicitur, quia reſurrectione ſua plurimum nobis profuit. Nam per eam confirmata eſt ejus doctrina, inprimis promiſſa, quorum ipſa nobis reſurrectio ejus maximum eſt documentum. Itaque per eam nos ad illam amplectendam obſervandamque adducimur. Per eandem ſacerdotale Chriſti munus ex quo remiſſio peccatorum noſtrorum dependet, complementum accepit. Si enim in terris eſſet, ne ſacerdos quidem eſſet, Hebr. 8. 4. Rationem vide ibidem, & ℣. 1, 2. & cap. 7. ℣. 26. Per eandem ad regiam poteſtatem ſuam in cœlos tranſiit, per quam & ab hoſtibus nos tuetur, & dona in nos varia diffundit, & à mortuis nos ipſos aliquando ſuſcitabit, vitâque æternâ & gloria inenarrabili afficiet. Cauſa verò cur ſæpius mors à Chriſto pro nobis ſuſcepta quàm ejuſdem reſurrectio inculcatur, eſt, quod mors propriè ejus ſit opus: reſurrectio vero non ipſius ſed patris ejus. Et quod mors illi maximo dolore conſtiterit, quum reſurrectio illi cum gaudio obvenerit. Interea tamen reſurrectio Chriſti maximam vim habet ad efficiendum in nobis ut illi vivamus. Quis illi vivere, id eſt omnia ſua ad illius voluntatem atque arbitrium componere nolit, qui ſua ei reſurrectione tot commoda quot antea recenſuimus attulit. Imò quia reſurrectio Chriſto aditus ad novam vitam fuit, aliquanto concinnius ex ea noſtra quoque nova vita, quàm ex morte deducitur. Porrò ſi Chriſtus eo fine mortuus eſt ut non nobis ſed ipſi vivamus, rectè ſequitur nos nobis mortuos eſſe, id quod Apoſtolo propoſitum erat demonſtrare.

Illud tantum reſtat excutiendum an & in nobis mors Chriſti eum finem aſſequuta ſit, ut non nobis ſed ipſi vivamus. Quod ſi nondum factum eſt, demus operam ut fiat. Abnegemus nos ipſos, *abnegemus impietatem & mundanas cupiditates*, ut monet idem Apoſtolus Tit. 2. 12. ſeqq. *ac temperanter juſte & piè vivamus in hoc præſenti ſeculo. Expectantes beatam ſpem & apparitionem gloriæ magni Dei, & ſervatoris noſtri Jeſu Chriſti. Qui dedit ſeipſum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum peculiarem zelatorem bonorum operum.* Amen.

2 Cor. 5. verſ. 16, 17.

IN his verbis docetur, unde ſeu qua ex re Apoſtolus putarit divini numinis cultorem ſub Novo Fœdere cenſendum eſſe. Hic primùm duo ſunt conſideranda, 1. Quomodo hanc doctrinam Apoſtolus proponat, vel explicet. 2. Quomodo eam confirmet. Proponit autem duplici ratione. 1. In antitheſi, ut loquuntur, 2. in theſi: Hoc eſt primum docet unde ſub Novo Fœdere Dei cultor cenſendus non ſit: deinde unde revera ſit cenſendus. Prius iterum duobus modis præſtat, primò generatim, deinde ſpeciatim. Vel primò ſententiam hac de re ſuam Apoſtolus ſimpliciter proponit, deinde eam prolepſi illuſtrat.

Quod ad prius attinet, illud continetur ℣. 16. vox *Quapropter*, indicat hanc ſententiam ex ſuperioribus tanquam concluſionem aliquam pendere. Eſt autem ratio hujuſmodi in ſuperioribus verbis comprehenſa, quaſi dicat Apoſtolus: Quia Dominus Jeſus in eum finem mortuus eſt, ut omnes viventes non ſibimetipſis amplius vivant, ſed illi qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit: hoc eſt ut non amplius eam rationem Deum colendi & vivendi ſequantur, quæ ipſis placeat, aut cui hactenus aſſueverunt, ſed quæ Domino Jeſu placeat, & quæ ab eo tum morte tum reſurrectione fuit ſancita & conſtituta; jure nos Dei cultorem non amplius cenſendum putamus ex iis rebus quæ ad carnem pertinent. Ut ſunt v. g. ceremoniæ, & ſi quæ ſunt hujus generis: ſiquidem nulla earum ſit in Chriſti doctrina mentio, nec quicquam illis inibi tribuitur momenti, ad id ut Deo placeamus. Quanquam in hac ratione poſſunt, aut etiam fortaſſe debent adjungi prima iſta verba *judicantes hoc quòd ſi unus pro omnibus mortuus eſt &c.* Quinimo & illa, *charitas enim Chriſti conſtringit nos.* Præſertim quia Apoſtolus in ſententia hac ſua verſ. 16. exponenda expreſſe addidit vocem illam *nos*, ita ut videatur in ea emphaſis eſſe. Quaſi dicat, quia *nos charitas Chriſti conſtringit*, & *quia ita judicamus, ſi Chriſtus pro omnibus mortuus eſt* &c. ideo *nos* inquam ab hoc tempore neminem probamus ſecundùm carnem. Secundò tempus etiam exprimit Apoſtolus ex quo ita ſentiendum judicarit, in verbis *à nunc* vel *ab hoc tempore.* Intelligit autem tempus illud ex quò charitas Chriſti ipſum conſtringere, & ipſe ut dixerat ita judicare cœperit: quemadmodum in ſequentibus etiam verbis: *Et etiamſi cognoverimus ſecundùm carnem Chriſtum, ſed nunc &c.* Quod ſi quis hæc verba non tam de eo quod Paulus ipſe cenſuerit, quàm quod reipſa facien-

faciendum fuerit, præſertim à Chriſtianis generatim, putet accipienda; tum iſtud *nunc* intelligendum erit de tempore Novi Fœderis: quemadmodum Rom. 8. 1. Sed prius videtur huic loco magis convenire. Apparet ergo inde, temporis præteriti aliam fuiſſe rationem. Tertiò dicit, *neminem*, quod poteſt vel ſimpliciter accipi, quaſi dicat nullum hominem, vel reſtrictè, quaſi dicat, neminem qui Dei cultor cenſeri velit: exprimit nempe inprimis gentis diſcrimen: quaſi dicat, ſive ille Judæus, ſive Ethnicus ſit. Videtur autem hìc abſolute potiùs accipi id vocabulum: nam reſtrictio iſta in ſequenti voce locum habere poteſt. Quartò ait *novimus* hoc eſt approbamus: intellige ratione cultus divini, aut omnium eorum quæ quoquomodo eo ſpectare videntur ut quis Deo probetur, & ab eo ſingulari quadam ratione ametur. Quinto *ſecundum carnem*, hoc eſt ex iis quæ carnalia ſunt, 1. ortus ſeu natales ex Abrahamo, Iſaaco, Jacobo. 2 Ceremoniæ omnes, inter quas ordinem ducebat circumciſio.

Hactenus generatim ſententiam hanc expoſuit: ſpeciatim proponit in verbis ſequentibus, idque per quandam prolepſin. Objectio ipſa eſt in his verbis; *Si verò & cognoveramus ſecundùm carnem Chriſtum.* Potuiſſet enim aliquis objicere Paulo: Atqui tu Chriſtum, Ducem eorum omnium qui Dei cultores hodie cenſeri debeant, aliquando etiam cenſuiſti æſtimandum ex iis quæ ad carnem pertinent, nempe ex nobilitate familiæ Davidicæ, unde fuerit oriundus, ex eo quòd circumciſus fuerit, quòd Legi & ceremoniis fuerit ſubjectus. Hæc autem verba duplici modo poſſunt accipi. Nam vel *Chriſti* nomen hoc loco ſumitur abſolutè, ita ut non reſtringatur ad certam perſonam, ſeu ſubjectum illud quod Jeſu Chriſti poſtea exſtitit; vel ut certa illa perſona quæ Chriſtus eſt & dicitur, denotetur. Scholaſtici dicerent, vel formaliter ſumi vocem *Chriſti*, atque adeo abſtractè, vel materialiter & concretive. Si priori modo ſumatur, exigua eſt difficultas. Senſus enim erit, Paulum unà cum cæteris Judæis, antequam doctrina Chriſti innotuiſſet, Meſſiam ſuum quem ſperabant ex rebus ad carnem pertinentibus æſtimaſſe, aut æſtimandum cenſuiſſe: hoc eſt tum ex iis quæ paulò antè dicta ſunt, tum ex præſtantia aut potentia illius carnali, quam ſibi imaginabantur, externa verborum propheticorum ſpecie inducti. Si poſteriori modo, tum vel ſtatuendum eſt, Paulũ aliquando etiam poſtquam Chriſtum agnoviſſet, ac nondum doctrinam Chriſti & ejus religionis vim atque à Lege diſcrimen penitus percepiſſet, unà cum aliis qui è Judæis facti erant Chriſtiani, non parum tribuiſſe iis quæ in Chriſto ſecundùm carnem fuerunt conſpecta, & eorum nonnulla vi promiſſorum divinorum ab ipſo abeſſe non poterant, qualia fuerunt illa de quibus priore loco diximus. Id autem eo tempore factum fuiſſe, credibile eſt, antequam Paulus ad Gentes reipſa eſſet miſſus, atque adhuc inter Judęos verſabatur, & illorum converſioni incumbebat: quum videamus idem cęteris Apoſtolis contigiſſe, ut religionis Chriſtianæ à Lege diſcrimen penitus nondum perciperent, quum adhuc intra unius gentis Judaicę terminos Euangelii prædicatio contineretur. Vel vox illa cognoſcendi hoc loco non ſumetur ſtrictè, pro voce approbandi, ſed laxius pro voce cenſendi vel æſtimandi, ita ut judicium ſignificetur per ſe indifferens, adeoq; ejuſmodi quod vel in hanc vel in illam partem inclinaret, & vel approbare vel reprobare poſſet. Quaſi dicat; Etſi aliquando de Chriſto ſenſimus, aut Chriſtum æſtimavimus, ex rebus carnalibus, eamque ob cauſam illum repudiavimus, tanquam ea non habentem quę in Chriſto ſeu Meſſia noſtro exſtare deberent: aberat enim illa potentia & majeſtas ac pompa carnalis, & ejus loco ſumma erat infirmitas, quæ à Meſſia tã videbatur abeſſe debere quàm quod maxime.

Sequitur altera pars hujus prolepſeos, nempe reſponſio ad objectionem, in qua revera ſpeciatim id exprimitur quod antea in genere dictum fuerat: quum inquit; *Sed nunc non amplius cognoſcimus.* Diſtinguit Apoſtolus tempus, in eoque vim reſponſionis collocat. Verba ipſa ex ſuperius dictis ſatis intelliguntur.

Hactenus antitheſis: ſequitur theſis ſeu ſententia Apoſtoli affirmative propoſita. Ubi duo conſideranda. 1. Quomodo Dei cultorem ſub Novo Fœdere exiſtentem & Deo ſe approbantem deſcribat Apoſtolus. 2. Deinde quomodo modum cultus divini ex quo ille ſit æſtimandus exprimat. Primum eſt ibi, *ſi quis eſt in Chriſto*, id eſt ſi quis eſt Chriſtianus ut Rom. 16. ℣. 7. Gal. 1. 22. 2 Cor. 12. 2. Alterum eſt ibi, *nova creatura.* Hæc duplici ratione conſiderari poſſunt: vel quatenus opponuntur divino cultui legali, vel quatenus priſtinæ noſtræ vivendi rationi adverſantur. Sed prior ſenſus magis proprius: quanquam nec poſterior eſt prorſus alienus, & uterque videtur hìc accipiendus, quamvis alter magis, alter minus. Nam ſequentia poſteriori ſenſui valde favent, uſque ad finem capitis. Quinetiam poſteriora verba ℣. 15, *ut qui vivunt, non amplius ſibi ipſis vivant, &c.* Quod ad priorem ſignificationem attinet, *nova creatura* eam denotat (nam in concreto ſumitur hæc vox) quæ novam & antea inauditam rationem cultus divini ſequatur; qui & ſpiritualis ſit totus, & in ſuo genere planè perfectus: quum vetus ille & ceremonialis eſſet magna ex parte, & imperfectus; quod poſterius, nempe de imperfectione ratione moralium præceptorum inprimis dicimus: de ceremonialibus nihil dicere eſt opus.

Quod ad moralia attinet perfectio iſta cultus Euangelici præ legali in quatuor conſiſtit officiorum ac virtutum generibus. 1. Spectat ad Deum. 2. Alterum ad proximum, ſeu ad homines alios. 3. Ad nos ipſos. 4. Ad patientiam. Quanquam licet hoc quartum cum tertio conjungere, & illud poſtea dividere, in facienda, vel patienda, ſeu in ea à quibus abſtinere, & ea quæ ſuſtinere debemus.

Primi generis ſunt; 1. Quòd Chriſtus divino cultu, & omnibus iis quæ huc pertinent, ſit afficiendus & venerandus. 2. Quòd perpetuò orandum, perpetuò agendæ gratiæ Eph. 5. 20. 1 Theſſ. 5. 3. 3. Quòd juramenta voluntaria, ac de futuris, omnia prohibita. Secundi generis, 1. quod omnes, etiam inimici diligendi: ubi modus diligendi inimicos explicandus. 2. quòd eouſque diligendi fratres, ut animam etiam pro illis ponamus. 3. quòd vindicta omnis prohibita, & affectus vindictam ſuadentes. Poteſt huc aliquomodo referri divortii prohibitio. Nam & hoc cum charitate præſertim matrimoniali pugnat. Tertii generis eſt, 1. ut ſemper gaudeamus in Domino: quod gaudium ex perpetuo amore & ſpe immortalitatis naſcitur. 2. quòd amor rerum hujus mundi ſit prohibitus: & ſic omnis intemperantia (ad quam refer etiam polygamiam, cum perfecta caſtitate, quæ altera eſt temperantiæ pars, pugnantem) avaritia, & faſtus hujus vitæ: ac virtutes contrariæ, ut perfecta temperantia, contemtus divitiarum, modeſtia, præceptæ: in quibus rebus verè cernitur Magnanimitas. Quarti generis eſt patientia perfecta, in afflictionibus propter juſtitiam, id eſt veritatem & pietatem. Et huc pertinet abnegatio ſui ipſius atque abdicatio quædam, ac valedictio rebus omnibus nobis chariſſimis: de quo, Matth. 16. 24. & Luc. 14. 26. & 33. Itemque crucis portatio. Omnium autem horum conſummatio & complementum eſt, Chriſti imitatio, latè ſumta. Nam alia eſt ſpecialior, quę ad patientiam inprimis pertinet. Hactenus novam creaturam eatenus conſideravimus quatenus cultui legali opponitur. Sequitur ut videamus quomodo eadem priſtinæ vivendi rationi opponatur. Nam illi opponitur non ut rei malæ aut Dei voluntati adverſæ, ſed tanquam ſublimius himiliori, perfectius imperfectiori: at huic opponitur tanquam bonum malo. Hoc ergo poſteriori modo nova creatura ſignificat concrete ſumta eum hominem cujus animus ſeu mens, cujus voluntas, cujus actiones denique, penitus ſint reformatæ, & ad Chriſti præcepta compoſitæ, ita ut longe ſint à prioribus diverſæ.

Sequitur altera pars loci, confirmatio hujus doctrinæ: quæ magis eſt accommodata priori conſiderationi novæ creaturæ quàm poſteriori: quia illum locum hujus diximus magis propriam. Ea duabus partibus ſeu antitheſi quadam conſtat. Prior ad priorem doctrinæ hujus

partem, altera ad posteriorem pertinet. Prior enim docet cur non amplius secundum carnem æstimandi Dei cultores. Altera cur ex nova creatione seu novo colendi modo iidem estimandi. Prius ibi, *vetera præterierunt*, hoc est vetus Dei colendi ratio, & si quæ ad eam spectant, quæ imperfectionem & humilitatem cultus divini & fœderis illius antiqui arguerent. Atque huc possunt referri non tantùm præcepta, sed etiam promissa; (habent enim inter se proportionem, ita ut imperfecta imperfectis apponantur, & perfecta perfectis) & promissorum confirmationes, quæ etiam promissis conveniunt, eorumque perfectionem vel imperfectionem sequuntur. Adde etiam Mediatorem, fœderis rationi & naturæ convenientem. Ex his etiam altera pars satis intelligi potest, nempe, *ecce facta sunt nova omnia*. Alludit ad verba prophetica, Esa. 43. 18, 19. *Ecce* dicit ad majorem attentionem excitandam. Vox *omnia* non tantum restringenda ad certum genus, verum etiam non de singulis ejus generis rebus, seu de minimis Novi fœderis particulis est accipienda, sed generatim, vel ut ita dicam confuse de toto Novo Fœdere, ejusque partibus principalibus, quæ mutationem aliquam receperunt, ut sunt præcepta, promissa, confirmationes, mediator.

Quod ad alterum modum attinet confirmationem hanc superioribus accommodandi, quæ aptior est posteriori novæ creaturæ consideratione; sensus verborum hujusmodi erit, ac si dixisset Apostolus: ideo dixi hominem Christianum novam debere esse creaturam, & depositâ pristinâ vivendi ratione, novam plane sequi debere, quia ex Dei voluntate vetera omnia quæ ad vivendi rationem spectant, sublata sunt, id est jure cessare debent: quum plenissima sit a Deo causa hominibus præbita cur ea debeant abjicere. Contrà autem omnia à Deo nova sunt constituta, omniaque ea facta quæ ad hominum vitam in melius reformandam pertinent. Verùm hîc attendendum est, vocem istam *vetera* quæ Græce est ἀρχαῖα, non debere referri ad singulorum Christianorum pristinam vitam: sed generatim ad pristinam hominum, totiusque mundi à multis jam seculis, vel potiùs omnibus, vivendi rationem. Nam ἀρχαῖα non quælibet vetera denotant, sed antiqua & prisca, quasi dicat, initialia. Licet *dies antiqui* Act. 15. vers. 7. pro breviori tempore usurpentur, quasi dicatur, ab ipso initio prædicationis Apostolicæ. Nihil autem refert quòd tum temporis quum hæc scriberet Apostolus, reipsa vetera ista magna ex parte non præteriissent, nec generatim omnia nova facta fuissent. Satis enim est, id Dei consilium fuisse, & à Deo omnia ad eum finem spectantia fuisse parata: ita ut per illum non staret quominus omnia reipsa nova fierent. Breviter, non de facto sed de jure hæc sunt accipienda: quo pacto superiùs dicitur, *omnes esse mortuos* nempe pro quibus Christus est mortuus. Atqui non omnes erant mortui, nempe sibi, seu pristinæ vivendi ac Deum colendi rationi, sed jure tum mori omnes debebant. Hic ergo modus loquendi, non parum facit ad illustrandum illum Johannis locum, *mundus per ipsum factus est*, si id de hominibus hujus mundi generatim accipias. Et ne fortasse dicas hæc verba illum sensum non exigere, nisi eatenus quatenus ea referantur ad posteriorem novæ creaturæ consideratione, quæ hujus loci minus sit propria; animadvertendum est etiam priori sensu admisso, idem statuendum esse. Neque enim tum temporis cultus legalis reipsa penitus cessarat: imò longe maxima Judæorum pars & totus populus Israëliticus cultum illum mordicus sectabatur, ut apparet ex cap. IX. X, XI. ad Romanos.

2 Corinth. 6. usque ad finem vers. 10.

IN his verbis Apostolus muneris sui functionem commendat. Sunt autem in iis consideranda tria: 1. Quæ sit dignitas illius muneris per se considerati. 2. Quis effectus illius muneris, respectu eorum qui Euangelium jam receperunt. 3. Quibus modis Apostolus munus hoc suum ornarit.

1. Primùm continetur primo verbo *Cooperantes*. In quo Paulus laborem suum, qui ad muneris ipsius functionem pertinebat, cùm alieno labore & operatione conjungit, seu comparat. Alii arbitrantur Paulum se hîc conjungere ratione laboris cum ipsis fidelibus, qui salutem suam operari debeant. Sed alii rectiùs Paulum cum ipso Deo, qui salutem nostram curet, & circa eam laboret, se conjungere statuunt, quasi dicat; Nos verò Deo cooperantes, & nostram operam studium, ac laborem ei in humani generis salute procurandâ & perficiendâ adjungentes. Respicit enim ad ea Paulus quæ superiùs ad finem cap. 5 dixerat; Deum per ipsos hortari, nempe, ut homines reconcilientur Deo. Nunc asserit, se hac in parte Dei esse cooperarios; & adhortari itidem homines ne frustra gratiam Dei receperint. Simili ratione Paulus 1 ad eosdem Cor. epist. 3. ℣. 9. se suosque collegas Dei cooperarios appellat. Non conjungit autem se Paulus cum Deo tanquam in hoc opere ipsi parem; sed tanquam Ministrum Domino, qui summa cum potestate operi toti præsit, & ejus ministerio ad illud perficiendum utatur, ut vel ex loco modo dicto apparet, præsertim si quis incipiat ℣. 5, ubi ait, *Quis ergo est Paulus, quis verò Apollo? nisi Ministri*, per quos credidistis, & unicuique ut Dominus dedit: idque ipsum videtur Paulus hoc, de quo agimus vocabulo, nempe συνεργῶν aut συνεργοῦσιν voluisse exprimere, in significatione quadam strictiori illud usurpans. Duplex enim significatio est: altera Generalis, quâ omnes illi, qui simul eidem labori atque operi imcumbunt, sive primi sint authores in opere principes, seu administri aut caussæ sociæ atque adjuvantes συνεργοὶ dicuntur: altera strictior quæ sociis tantum caussis & adjuvantibus vel administris competit, non verò etiam caussæ principali: & hoc posteriori modo Apostolus utroque in loco voce hac usus est; & in priori quidem epistola satis apertè, ubi se eatenus Deo postponit, quatenus ipse cum collegis sit illius συνεργὸς. Deum autem tanquam Dominum illius agri, in quo colendo laboretur, constituit. Interea tamen indicat hæc vox cooperandi vel cooperariorum Paulum in eo, de quo agitur, negotio, non fuisse instar instrumenti alicujus inanimati, qualis est securis aut malleus respectu opificis, qui nihil ipse agit, nisi quatenus ab ipso opifice movetur; unde nullo pacto ipsius Opificis cooperarius dici potest, nisi admodum catachresticè & præter omnium loquendi consuetudinem, loqui velis: Sed se, licet autore & impulsore Deo, studium suum & voluntatem, indeque etiam operam Dei operationi adjunxisse, & suo impetu, aliquid etiam hac in parte fecisse: Ex quo jam satis apparet dignitas muneris Apostolici, si quidem in re omnium maxima, qualis est humanæ salutis & sic etiam Divinæ gloriæ negotium, Dei & ministrum & cooperarium esse, maximæ est dignitatis. Itaque Paulus eadem hac voce, se partim cum Deo conjungit & dignitatem suam exprimit; partim ab eo distinguit, & quatenus in hoc negotio eo sit inferior & indignior indicat. Etiamsi autem Paulus hoc loco de se potissimum loquatur, ut ex versic. 4 & seqq. satis apparebit; tamen plurali numero utitur eam potissimum ob caussam, quod in Epistolæ inscriptione Timotheum secum conjunxerit; adeoque figurâ illâ, quam Communicationem vocant Rhetores, cum hîc, tum alibi in hac Epistola, creberrime utitur, per quam Timotheo etiam eadem quodammodo tribuit, quæ ipsi propriè competunt. Idque tanto libentius, quod non pauca Timotheo tanquam ipsius germanio filio, cum Paulo essent communia; quæ hîc de sese narrat Apostolus. Talis autem communicatio observari potest, & in aliis Pauli Epistolis: & imprimis in iis quæ ad Thessalon. Quanquam alias quoque absque ista figurâ, Paulus nonnunquam de se solo loquens, plurali utitur numero, usitata omnibus bonis scriptoribus Synecdoche, ut inter alia apparet Rom. 1. ℣. 5.

2. Sequitur alterum loci membrum, reliquo ℣. 1, & 2 toto. Ubi 1. effectum illum muneris sui, respectu eorum, qui Euangelium receperant, exprimit. 2. Deinde eundem illustrat & confirmat.

Expri-

Exprimit ibi *etiam hortamur*: vel, ut alii, *obsecramus ne in vanum gratiam Dei receperitis vos*. Cum dicit, *Etiam hortamur*, vel id vult dicere: Non tantum Deus hortatur; sed etiam nos hortamur: Vel hanc hortationem quæ eo spectat, ne quis frustra gratiam divinam receperit, confirmat cum illa, quæ eo pertinet, ut quis cum Deo reconcilietur, & sic gratiam divinam recipiat, de qua superiori cap. erat actum. Quasi dicat; Non tantum Deus hortatur per nos, ut homines sibi reconcilientur, sed etiam nos, postquam id factum est, hortamur porrò, ne ii, qui eam gratiam receperunt, frustra eam recepisse censeri queant. Vult ergo, si posteriorum sensum, qui magis videtur esse consentaneus scopo Apostoli, amplectamur, alteram partem functionis suæ Apostolicæ exprimere. Nam prima ejus muneris pars est, hortari homines, ut cum Deo reconcilientur, & ad Deum convertantur, spe remissionis peccatorum & justitiæ obtinendæ. Altera est ut ii qui jam hoc aliquâ ex parte fecerunt, cæptum urgeant, & fructum ejus rei partim proferant, partim consequantur. Itaque prior ad illos pertinet, qui nondum crediderunt Euangelio: posterior ad eos, qui jam crediderunt, pertinet. Quod ut rectiùs intelligatur, considerandum est, posse verba ỳ. 20, cap. superioris, ubi hortatur ad reconciliationem cum Deo generatim seu absolutè accipi, ita ut non restringantur proprie ad Corinthios, quos alloqui alias videtur Apostolus; sed habeantur pro ejusmodi sermone, quo Apostolus primo soleat uti, in muneris sui exequutione, nempe tùm cùm ejus rei est occasio. Est autem ea tunc, cùm homines adhuc à Deo sunt alienati. Porrò vox παρακαλοῦμεν duplici modo reddi potest, & ab interpretibus etiam diversis redditur. Alii enim vertunt *Hortamur*, alii verò *Obsecramus*. Et sanè utraque significatio, loco est satis conveniens, præsertim cùm superiùs cap. 5. vers. 20, hac eadem voce fuerit usus Apostolus, quanquàm ad Deum relata; & postea de se Christi nomine legatione fungentibus vocem rogandi usurpavit. Tertiò finem & scopum ejus actionis seu cohortationis, seu mavis materiam in qua versetur, exprimit Apostolus *ne in vanum*, &c. Per *gratiam Dei*, hoc loco intelligit Apostolus, Dei benignitatem per Christum & Apostolos humano generi oblatam atque exhibitam; nempe non imputationem peccatorum seu justitiam Dei, morte Christi innocentissimi confirmatam, ut apparet ex versiculo 19 & 21 cap. superioris. Aoristus δέξασθε non per præsens hoc loco reddendus est, ut alias fieri potest, sed per præteritum perfectum aut plus quam perfectum, Recepisse, si infinitivum infinitivo reddere velis: vel Receperitis, si infinitivum resolvere velis in subjunctivum. Nec enim Corinthios hortatur Apostolus, ut gratiam Divinam recipere velint; sed ne frustra receperint, hoc est ne culpâ aut negligentiâ sua committant, ut receptio illius gratiæ frustrà ab illis facta fuerit. Recipere autem gratiam illam Dei, est non tantum assensum præbere gratiæ illi Divinæ oblatæ, & certum id esse, quod offertur, statuere; sed etiam ejus obtinendæ desiderio, animum ad eam reipsa consequendam adjicere, & conditiones illas, quæ ad eam rem sunt necessariæ, amplecti, tùm animo tùm professione. Idque nil est aliud quàm cum Deo reconciliari, si in significatione minus perfecta, quæ alibi quoque occurrit, verbum id accipias, ut Coloss. cap. 1. ỳ. 21, ubi pietas vitæ, reconciliationis finis statuitur. Nam reconciliationis vox, significat interdum ipsum illum actum constituendi & jungendi amicitiam, qui ab ejusdem rei continuatione & effectu distingui potest. Et hoc modo possumus accipere verbum reconciliandi, capite superiori vers. 20, si orationem Apostolicam velimus esse generalem. Nam si specialem esse velis, & ad Corinthios propriè spectantem, vox *reconciliandi* in perfecta significatione, quæ constantem in Deum pietatem complectitur, accipienda erit. Addit autem vocabulo *recepisse* pronomen *vos* quò tum Corinthios, tùm omnes eos qui ejusdem sunt generis, hoc est eos omnes, qui perinde ut ipsi gratiam divinam receperunt, significat. *In vanum* autem seu *frustra* is dicitur gratiam Dei recepisse in quo effectus ac fructus ejus rei non apparet, qui quidem est duplex. Alter quem ipse proferre debet; alter quem consequi. Ille ad officium ejus pertinet; hic ad præmium & felicitatem. Si prior absit, Deus frustratur suo fine, quem quæsivit; si posterior, homo: quanquam hic posterior abesse non potest, nisi prior etiam absit: & hoc quidem loco posterior, primò videtur intelligendus, prior consequenter. Quasi dicat; Ne fructu & effectu, quem in receptione istius gratiæ divinæ spectastis, frustremini, & sic gratiam illam divinam a vobis receptam, reipsa tamen non experiamini; quod fieret, si non viveretis piè; seu, ut supra fuerat loquutus capite 5, non moreremini, & vobis ipsis viveretis, non illi qui pro vobis mortuus est & resurrexit; seu novæ creaturæ non evaderetis in Christo.

Hactenus expressit Apostolus alterum sui muneris effectum seu functionis partem: sequitur ejusdem illustratio & confirmatio. Est autem illustratio petita ex ipsius Dei per Prophetam loquentis testimonio; quod primo proponit Apostolus, deinde ad rem suam seu præsens negotium applicat. Proponit ibi. *Dicit enim, Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te*. Primo Ellipsis est in verbis, quibus testimonium se divinum citare indicat Apostolus, & ad illud explicandum transit. Non enim exprimit, quis dicat. Intelligendum autem videtur, Deum aut Dominum dicere. Non modo quia is, per Spiritum suum Prophetæ ori hæc verba inseruit, & sic eum ad illa proferenda impulit; sed etiam quia ipse Deus hic introducitur loquens. Similis Ellipsis extat etiam Ephes. cap. 4 & 5, licet ibi nil constet Deum ipsum in sua persona loquentem introduci, præsertim priori loco. Extant autem hæc verba Esa. cap. 49. vers. 8, ubi, ut doctioribus interpretibus placet, primò sermo est de liberatione populi Israël ex servitute & captivitate per certum quendam ducem seu servatorem qui ei negotio præficiendus sit vel præfectus: quæ res typus fuit spiritualis nostræ per Christum ex servitute Sathanæ liberationis, ita ut jure Apostolus hæc verba ad hoc negotium accommodarit. Quod ad verba ipsius testimonii attinet, duobus modis eadem res explicatur, quanquam posterior majorem emphasin habet, & si ita placet, dici potest in priori causam, in posteriori effectum ipsum exprimi. Utrobique autem & gratia divina hominibus exhibita, & tempus ejus rei opportunum exprimitur. Primò ergo dicit, *Tempore accepto exaudivi te*. Quem alloquatur Deus non satis constat. Alloquitur autem Deus vel Israëlem seu Dei populum, vel ejus populi caput, hoc est eum per quem Deus, populum suum ex captivitate liberaturus, & felicitati restituturus erat, in cujus personà ea proponuntur à Deo, quæ ad universum illum populum, cujus dux & caput est, pertinent; adeò ut nihil intersit sive ducem ipsum divini populi, qui nunc Christus est, sive ipsum illum populum intelligas, per eum, quem Deus alloquitur, & particula *te* designat. Vox exaudiendi si ea verba ad ducem populi divini referas, in cujus persona totus quoque populus quodammodo fuerit exauditus, proprie potest accipi de approbatione, ut ita dicam, precum ejus à Deo facta, & inclinatione voluntatis Divinæ, ad rem eam præstandam, quam is rogarat. Sed si eam referas ad ipsum divinum populum, qui in captivitate animi aliquando fuerit constitutus, impropriè ea erit sumenda, hoc est tantùm pro inclinatione voluntatis ad juvandum eum, cujus miseriam videas, qui tuum auxilium & opem ipsam quodam-

modo imploret. Erit ergo hic Metaphora, aut Metonymia quædam. Metaphora quidem, quia is, qui alterum in miseria & calamitate constitutum juvat, infelicitatis ipsius misertus, simile quippiam facit ei, qui alterius precibus movetur ad eum juvandum. Metonymia verò si effectum exauditionis seu auxilii præstationem, per exauditionem intelligas. Illa enim hanc consequitur. Quanquam si historicum sensum spectes, quem Propheta primò intendit, licet non potissimùm, magis proprie hæc vox accipi potest etiam respectu ipsius populi divini, qui in captivitate constitutus, Deum proculdubio precibus frequenter sollicitavit, ut sese ex captivitate eriperet. Sed quod ad populum divinum sub Novo Fœdere attinet, præsertim eum qui ex Gentibus erat collectus, cujus hic potissimùm habet rationem Apostolus; tum cum is adhuc in captivitate sua versaretur nullæ illius preces ad Deum revera intercesserant, quibus eum ad se liberandos impellerent; sed si quid Deum in illis movit, id nihil aliud quàm eorum fuit infelicitas & miseria.

Quod ad tempus attinet, utitur Apostolus voce καιρῷ, quod tempus opportunum significat. Quod ad nomen *accepto* attinet, illud paulo aliter habetur in fonte. Extat enim ibi vox *beneplaciti* seu *benevolentiæ*. Quanquam eodem res recidit, utrovis modo legas. *Nam tempus benevolentiæ* seu *beneplaciti*, significat tempus illud, quo Deo placet hominum reipsa misereri, eosque exaudire: vel tempus benevolentiæ ipsius hominibus exhibendæ destinatum. Idem significat Paulus, dum illud tempus vocat acceptum, nempe tùm Deo tùm hominibus. Deo quidem quatenus ei placet, illo tempore auxilium suis ferre: Hominibus autem, quatenus eo tempore, benevolentia & auxilium illius experiuntur, & sic tempus illud iis est lætissimum & gratissimum. Significatur autem istis verbis, Deum non semper actu ipso exaudire aut juvare; sed interdum ob justas gravesque caussas auxilium suum differre & in tempus commodum rejicere.

Quod ad posteriorem loci partem attinet, in qua idem ἐμφαλικωτέρως, seu mavis effectus ejus, quod priori loco dictum est exprimitur, ea est, *Et in die salutis adjuvi te*. Qua in re adjumentum istud vel auxiliatio consistat, & ad quem ea proprie spectet ex dictis intelligi potest. Significat enim utrobique liberationem ex captivitate summaque calamitate: Illic quidem corporali, hic verò spirituali. Quod idem significatur voce salutis, cujus ea vis est, ut non tantum boni alicujus præstationem significet, sed etiam (idque interdum solum ac proprie) liberationem à malo vel præsente vel imminente; ità ut is quoque possit dici servari, cui nihil præterea boni conceditur, nisi quòd è calamitate eripitur, aut ab ejus periculo liberatur. Quanquam tamen, cùm quis ex ipso malo eripitur, necessariò ejus mali contrarium seu bonum ponitur, ita rei ipsius natura ferente. Et salus quidem nobis, partim re ipsa contigit, dum ex æterni interitus periculo præsentissimo ac certissimo sumus erepti, quò non pauca Sacrarum N. F. Literarum spectant loca: partim spe, quatenus nondum penitus ab eo sumus immunes, restatque adhuc ultimus illius liberationis actus, qui in adventu Domini fiet, cum ex ipsa morte & inferni faucibus eripiemur, & extra omne interitus discrimen, &, ut ajunt, teli jactum constituemur. *Dies* autem *salutis* ut ex collatione cum præcedenti particula patet, pro tempore saluti destinato sumitur. Hactenus ipsum testimonium divinum.

Ejus accommodatio ad præsens institutum, subjicitur in his verbis, *Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies salutis*. Bis utitur voce ecce, ad attentionem tanto majorem, ut pote in re maxima & animadversione dignissima, maximeque necessariâ excitandam, ne quis forte tempus tam opportunum ad supremam felicitatem consequendam prætermitteret. Utitur & ingeminatione in particula *nunc*, ut ostendat ea verba, non tantùm olim fuisse impleta, sed etiam nunc, hoc est sub Novo Fœdere, imò maximè locum habere; ita ut dici propemodum queat olim illud tempus acceptum & diem salutis non extitisse; nunc verò demum reipsa advenisse: quia si comparatio instituatur inter illud tempus & hoc, & ea quæ vel in hoc vel in illo tempore hominibus à Deo contigerint, bona, priora ista ferè pro nihilo sint censenda. Quo pacto etiam alibi viri divini verba Prophetica citantes, & ad Novi Fœderis tempora accommodantes, negare videntur, imò quòd ad verba ipsa attinet, omnino negant, ea olim fuisse impleta in aliis, in quibus tùm impleta suo modo fuerant. Sed quia sensus ille primus & impletionis modus jam olim factus à Deo, fuit imperfectus aut figuratus; ut cum eo qui sub Novi Fœderis locum habet, vix debeat conferri; & Spiritus divinus, qui Christi fuit Spiritus, linguam propheticam regens ad hunc posteriorem potissimùm respexerit; ideò perinde loquuntur divini sub N. F. viri, atque se verba ista sub V. F. nullum habuissent locum. Quod idem de hoc loco statuendum est. Nam liberatio illa ex captivitate corporali, umbra tantùm fuit hujus liberationis & salutis nostræ, quæ & animum spectat, & omni fine caret, ita ut inter illam & hanc comparatio vera sit nulla, similitudo autem exigua.

Addit autem aliquid Paulus verbis Propheticis, dum ea ad negotium suum accommodans non simpliciter ait, *Nunc esse tempus acceptum* seu δεκτὸν sed ἐυπρόσδεκτον seu benè acceptum. Parum nempe illi visum est tempus illud simpliciter vocare δεκτὸν, licet vox hæc in perfectissimâ significatione accepta, eundem possit habere sensum, quem vox ἐυπρόσδεκτος; sed voluit id apertiùs & significantius exprimere Apostolus. Quomodo autem nunc sit tempus salutis seu quo pacto nos salutem fuerimus jam consequuti, aut jam consequamur, paulo ante dictum est, quòd huc propriè pertinet. Ex his autem verbis jam apparet, quâ de caussa Apostolus verba hæc Prophetæ adduxerit, nempe partim ad exaggerandam illam Dei gratiam, quæ populo divino contigerit sub N. Fœdere: partim verò ut tacite hortetur ac moneat, curandum nobis esse ne gratiam istam divinam, frustra receperimus: quia nimirum certum aliquod sit tempus saluti nobis conferendæ destinatum, quod si prætermittatur, frustra postea quæretur.

III. Superest tertium loci membrum, in quo Apostolus docet, quâ ratione ipse aut etiam Deus per ipsum hanc muneris ipsius functionem ornarit atque adhuc ornet. Cujus iterum duæ sunt partes. 1. Primum enim docet Apostolus, quid vitet ad dignitatem atque autoritatem muneris sui tuendam. 2. Deinde quibus virtutibus aut dotibus divinis muneris sui functionem commendet. Vel hoc pacto locum sequentem dividere licet, ut *tria* constituantur membra. 1. Quibus virtutibus aut dotibus ipse munus suum ornet. 2. Quibus in rebus inprimis virtutes illæ eluxerint, & per quas difficultates is in suo munere fuerit eluctatus. 3. Denique quomodo iis occurrat eave diluat, quæ ipsi objici solerent & auctoritatem ac dignitatem muneris ipsius obscurare atque elevare. Primum duplici ratione præstat, in Antithesi & Thesi. Primò enim docet, quod vitet, auctoritatis officii sui tuendæ gratia; deinde quod faciat ac in se demonstret.

Quod ad prius attinet, id continetur versic. 3, ubi ait; *Nullam ullâ in re dantes offensionem, ut ne reprehendatur ministerium* quæ verba cohærent, si constructionem spectes, cum verbis primis hujus capitis, nempe *adhortamur*, &c. Quasi dicat; Una cum Deo laborantes in salutis humanæ negotio etiam adhortamur, &c. nemini ulla in re dantes offensionem. Unde viri Docti totum versum secundum Parenthesi includunt, & versum tertium

tium cum decimo conjungunt. Quid per offensionem intelligat Apostolus facile est intelligere. Denotat enim ejusmodi factum, quod prohibet, quominus quis vel veritatem recipiat, vel in ea constanter pergat ac progrediatur, aut in pietate ità proficiat quemadmodum esset opus. Summa: quicquid hominem in negotio Salutis impedit, & studium ac profectum ejus remoratur: quemadmodum id, ad quod quis impingit cursum alicujus remoratur; cujus plures veluti species constituit Paulus Rom. cap. 14. ỳ. 21, ex parte etiam vers. 13 & 15. Nam ỳ. 21 tria ponit id in quo Frater offendit, licet alias nomen hoc generaliter sumatur, tùm eodem cap. ỳ. præcedente, tùm hoc nostro loco, in quorum utroque nomina sunt ab illo verbo deducta. Verum eo loco cùm apertissimè offensionem distinguat à scandalo & infirmitate, apparet eum specialius quidpiam denotare; id nempe, cùm quis alicujus facto ita offenditur, ut de veritate dubitare incipiat, aut saltem in cognitionis & pietatis cursu resistat, nec ita strenue ut cœperat aut facere debebat, pergat; licet nondum penitus ab ea resiliet. 2. Id autem quo scandalizatur, frater, id esse videtur, quo ita movetur, ut à veritate etiam resiliat: unde apparet hoc illo esse gravius. Nam defectionem à veritate interdum significari voce illa σκανδαλίζεσθαι apparet ex collatione verborum Christi Matt. 13. ỳ. 21. Lucæ cap. 8. vers. 13. Nam quod est apud Matthæum scandalizantur, id apud Lucam est, deficiunt. 3. Denique id quo Frater infirmatur id esse videtur, quo is impellitur ad idem faciendum, sed dubitante aut hærente conscientiâ. De quo imprimis agitur 1 Corinth. cap. 8, licet ibi etiam usurpetur interdum vox offensionis & scandali. Ideo autem hoc infirmitatis nomine videtur efferri; partim quia id ex infirmitate conscientiæ alterius proficiscitur eamque arguit; partim quia illius pietatem & Dei metum nondum satis robustum, labefactat magis, & aliqua ex parte convellit. Hoc idem fortasse significatur verbo *tristari* eodem cap. 14 ad Rom. vers. 15, nempe ab effectu istiusmodi facti. Nam Frater is post factum dolet & tristatur id se fecisse, cùm vereatur, ne id Deo displiceat, & in eum hac ratione peccarit, quod expressit Paulus dicto loco 1 Cor. 8. 12, dum ait, illos qui infirmos suo exemplo ad aliquid hæsitante conscientiâ faciendum adducunt, percutere illorum conscientiam infirmam, hoc est vulnere & dolore magno afficere. Quanquam licet id latius extendere, & alia quadam ratione explicare, ut ita offensionis latè sumptæ species inde constitui queat; nempe si quis etiam in rebus liberis ita se gerat, ut id alius fratribus valde displiceat, iique propterea tristentur & doleant: eo quod id malè factum esse arbitrentur. Sed prior explicatio videtur loco magis consentanea, atque inprimis iis quæ sequuntur: *Ne cibo tuo illum perdas, pro quo Christus mortuus est*: quæ verba iis respondent exactè, quæ scribuntur loco dicto ad Corinth. vers. 11. Ubi de eo sermonem esse diximus, quo Frater infirmatur, & ejus qui firmior est, exemplo impellitur ut id imitetur, quod istum facere videt dubiâ interim conscientiâ. Hoc autem loco nostro duæ priores potissimùm species accipiendæ sunt.

Addit autem ad perfectionem ejus rei exprimendam negationem duplicem, quarum prior universalitatem simpliciter significat; altera universalitatem materiæ sive rei, in qua offensio cernatur. Ait enim, *nullam in nullo* vel Latinè *in ullo*. Prius nulla amplius explicatione habet opus. Quod ad posterius attinet, intelligendum est Apostolum hîc complecti omnia rerum genera, tùm per se illicitarum, tùm per se licitarum: quod non tantùm in rebus per se illicitis nullam aliis damus offensionem, sed ne in licitis quidem rebus illis, id quod priori particula universali non ita clare fuerat expressum: licet ea tàm late possit extendi, ut id quoque in ea comprehensum censeatur: Sed quia ea poterat universalitatem significare in uno tantùm rerum genere, v.gr. rerum per se illicitarum, ideò Apostolus posteriorem etiam adjecit, ut id quoque clarè exprimeret. Quomodo etiam antè in licitis rebus omnibus aliorum ædificationi consuluerit, de eo prolixè ait Epist. 1. cap. 9 & 10. Ait autem *dantes offensionem*. Nam fieri poterat ut quis acciperet quidem aliquod scandalum ex Apostoli factis sed quia prorsus injustè, ideò Apostolus ait; non quidem neminem ex suis ipsius factis offensionem accepisse; sed se non dedisse, hoc est tale quid fecisse, unde infirmus aliquis non planè immeritò offendiculum aliquod caperet. Nota est enim distinctio scandali dati & accepti.

Explicato studio suo in evitandis offendiculis, Finem etiam ejus rei explicat dum ait; *Ne reprehendatur ministerium* per *ministerium* ut patet, intelligens munus suum Apostolicum, quo eodem vocabulo utitur etiam suprà hac de re loquens cap. 3. ỳ. 6, & seqq. & cap. 4. ỳ. 1, & 1 Tim. 1. 12. Quanquam vox suâ naturâ latior est, & ut à latissima significatione discedas, & ad Ecclesiasticas functiones restringas, significat interdum omnis generis ministeria, seu functiones quæ in Ecclesiâ obeuntur, ut 1 Corinth. 12. 5, quarum species enumerantur vers. 28, 29. Paulo specialius, de munere docendi & regendi Ecclesiam, vel si mavis, ipsa horum munerum functione & administratione sumi videtur Ephes. 4. 12. Cujus species prima ac potissima est, functio muneris Apostolici, ut ex superiori versic. & dicto loco 1 Cor. 12 satis apparet. Loquimur autem de Ministeriis servorum Christi: Nam alias quoque de Christo vox ministri, licet ad certum subjectum, nempe ad circumcisionem seu circumcisos restricti usurpatur Rom. 15. 8. Quia in parte similis fuit Apostolis, vel potius Apostolus ipse. Alia adhuc est significatio itidem specialis, distincta tùm à munere docendi & regendi Ecclesiam, cùm usurpatur de iis qui pecunias publicas Ecclesiæ habent ac in res ad Ecclesiam spectantes distribuunt atque impendunt, aut iis qui ope Ecclesiæ egent ejus nomine serviunt, eorumque egestatem, infirmitatem ac morbos curant atque sublevant; quæ significatio satis nota est, & quidem Rom. 12. 7, satis apertè à munere docendi distinguitur. Quanquam non desunt, qui id ibi generalius positum arbitrantur, ita ut munus docendi & aliis ad eorum necessarios usus ministrandi, in se complectatur. Sunt ergo, ut rem breviter complectamur, significationes hujus vocis ad Ecclesiam relatæ duplices: una generalis ad omnia Ecclesiastica munera sese extendens; duæ speciales, altera ad munus docendi pertinens, quæ καθ' ἐξοχὴν de Apostolico munere effertur; altera ad ea, quæ magis propriè ministeria dici queunt, spectans: Et prior quidem illa significatio ex specialibus inde orta est, quia docendi munus inter omnia excellit & eminet: posterior verò inde, quia magis propriè vox ministerii eo accommodatur, quòd hîc plus sit laboris atque operæ externæ, quæ hoc nomine vulgo exprimitur. Quid sit reprehensio ministerii Apostolici facilè est intelligere. Reprehensionem autem ejusmodi intelligit Apostolus, quæ ullo pacto obstare possit, quo minus ita esset efficax ad animos aliorum permovendos & ad veritatem pietatemque pertrahendos & in ea retinendos ac promovendos, ut esse deberet. Ex his autem liquet Apostolum in evitandis offendiculis, non tam de sua persona, quæ reprehensionibus fieret obnoxia, & malè audire posset, fuisse sollicitum, quàm de muneris sui auctoritate, quam sartam tectam esse, salutis universi mundi, ad quem legatione fungebatur Apostolus, plurimum intererat. Quod ad alios quoque qui munere aliquo in Ecclesiâ funguntur, præsertim munere docendi, accommodandum est. Quin etiam ad alios Christianos, quatenus

illi Christiani sunt, & personam tam gravem atque excellentem sustinent: iis enim eatenus potissimum offendicula vitanda sunt, quatenus eorum munus, aut professio religioque inde malè audire posset. Hactenus vidimus quid vitaverit Apostolus.

Sequitur ut videamus, quid boni etiam Apostolus, ad commendandum suum munus attulerit. In quo si priorem hujus tertii membri divisionem sequaris, tria sunt consideranda, quæ superiùs in explicatione secundæ divisionis dicta sunt, unde peti possunt.

Quod ad Primam particulam attinet, ea duplici ratione explicatur. 1. Generatim. 2. Speciatim. Generatim ibi: *sed in omni commendantes nos ipsos ut Dei ministri.* Illud *in omni*, vel significat in omni rerum genere, ut opponatur illis verbis versiculi 3. *in nullo:* vel significat, omni re: redundante particula ἐν, quæ Hebræorum more instrumentum significat; sed apud Græcos & Latinos superfluè, quum casus ipse instrumentum & modum actionis significet. Si hoc posteriori modo sumatur, significabuntur omnia virtutum & dotium spiritualium genera, quæ ministerium Apostolicum vehementer decerent & commendarent. Aliis in locis verba hæc *in omni* significant interdum, *In omni tempore*, ut inter alia 1 Thess. cap. 5. vers. 18. ubi ἐν παντὶ respondet illis, in versiculis tribus superioribus πάντοτε, quod est ℣. 15 & 16. & ἀδιαλείπτως ℣. 17. Fortasse etiam Phil. 5 6. & infra hac Epist. 7. 5. Sensus verborum alias est perspicuus. Significat enim se in omnibus ita gessisse & approbasse, ut appareret omnibus, ipsum esse Dei ministrum. Speciatim eandem rem explicat in seqq. usque ad versic. 7 finientem: Ubi numerat virtutes ac dotes varias, quibus munus suum ornarit, & omnibus se approbarit. Sunt autem numero Novem potissimum: quanquam id quod ultimo loco ponitur vers. 7 iterum distingui potest, ut numero fiant Decem, licet Decimum istud non prorsus sit speciale, sed aliquomodo generale.

1. Primo autem loco collocat *Patientiam*, quàm primo exprimit, indicata simul ipsius perfectione; deinde materiam seu subjectum, in quo ea fuerit exercita, ad ejus perfectionem clarius ostendendam, & amplificandam, explicat. Prius facit in illis verbis, *In patientia multa*, In pro per sumitur, aut potius redundat, eo modo quo paulo ante diximus. Pendet enim hoc nomen à verbo Commendandi, hoc pacto, *Commendantes nos ipsos patientiâ multa* seu per patientiam multam. Quid sit Patientia notum est. Est enim virtus, quæ cernitur in ferendis adversis, tum omnibus, tum inprimis in iis, quæ justitiæ caussa nobis incumbunt. Unde nonnunquam in Sac. Literis N. Fœderis & fortasse sæpius pro hac Patientiæ universæ specie seu parte sumitur, quæ in afflictionibus justitiæ caussa nobis incumbentibus spectatur. Ejus munus est, ne afflictionum acerbitate aut magnitudine à veritate aut pietate, cujus caussa affligeris, ulla in parte te patiaris abduci, nec quicquam vel cogites vel loquaris aut facias, malorum istorum effugiendorum, aut deponendorum caussa, aut doloris impatientiâ stimulatus quod pietate tua & gravitate Christiani hominis sit indignum. Qualia essent, si Deum ipsum vel verbis ipsis vel animo saltem incusares, & illi obloquereris, tanquam injuriam tibi faceret, quod calamitates istas immisisset; vel conviciis appeteres eos aut mala imprecareris aut minareris iis qui te affligunt, vel denique aliis quibusdam dictis factisque animi tui mollitiem proderes, & à constantiâ dejectum te ostenderes; quales sunt ejulatus, querimonia perpetuæ, gestus & planctus muliebres, & si quæ sunt similia. Quanquam enim non potest non dolere homo, cùm affligitur, & signo aliquo doloris acerbitatem testari, Patientia tamen iis admodum moderatur, & ita temperat, ut in summis etiam doloribus & cruciatibus constantiam & gravitatem homine Christiano pro ejus statu, conditione, munere, ætate, ac sexu dignam retineas. Potest hoc paullò accuratius ad hunc modum explicari. Patientia generatim sumpta in omnis generis afflictionibus cernitur, ejusque effectus perpetuus est duplex. Alter respectu Dei, alter respectu nostri ipsorum. Quod afflictiones illas, quæ per homines nobis afferuntur, attinet, ille quoque effectus, qui ad alios spectat, prioribus accedere debet. Quod si denique justitiæ caussâ affligamur, ille quoque addendus est, quem primò loco collocavimus, nempe ut justitiam hanc constanter tueamur. Breviter, Effectus primus patientiæ est is, ut constanter tuearis id, cujus caussâ affligeris, hoc est veritatem aut pietatem, nec ab ea te patraris abduci, id quod ii quærunt, qui te persequuntur. Deinde ut cæteroquin & officium tuum facias, tùm erga Deum, tùm erga eos qui te affligunt, tùm denique erga te ipsum. Erga Deum, ne injuriæ illum accuses, sed animo æquissimo, tanquam à Patre benignissimo impositam tibi calamitatem, suscipias. Erga eos, qui te affligunt, ne quicquam vel animo optes, vel linguâ proloquaris, vel denique factis exequaris, quod illis sit noxium. Erga te ipsum vero, ut dignitatem, gravitatem ac constantiam, in omnibus factis externis serves ac tuearis, ne quid muliebre, molle & ignavi fractique animi indicium uspiam extet; & hæc posteriora, primo excepto, quod proprium est afflictionum ob justitiam nobis incumbentium, in cæteris quoque afflictionum locum habent: quæ quidem hominum aliquorum culpâ nobis accidunt. Quodsi non hominum culpâ, sed alia aliqua de caussâ: duo ista tamen, quæ speciatim erga Deum & erga nos ipsos præstanda esse diximus, observanda erunt. Complectitur autem hæc patientia, constantiam quoque & perseverantiam; cum Græce sit vox ὑπομονὴ, quæ expectationem etiam, & sub onere permansionem significat. Vox *multa*, quam Apostolus addit, ad perfectionem patientiæ suæ exprimendam, videtur sumenda pro *magna*: quemadmodum alibi non semel, ut cùm fit mentio misericordiæ Dei multæ 1 Petr. 1, aut multæ Dei longanimitatis Rom. 9. 22. Quodsi quis ad varietatem patientiæ non quidem per se consideratæ; sed respectu variorum objectorum seu variarum afflictionum & calamitatum, ea voce expressam respici dixerit, non admodum pugnabimus. Quamquam priùs magis nobis probatur, nisi quis fortè utrumque hîc intelligi velit.

Sequitur, ut videamus, quomodo Apostolus ab objectis eorumque varietate patientiæ suæ magnitudinem, amplificet. Id auem præstat novem vocabulis, quorum primum generale esse videtur, cætera specialiora. Primum est, dum ait *in afflictionibus*, ubi particula *in* propriam suam vim retinet, & ut jam diximus, objectum denotat. Neque enim hæc, quæ hîc subjiciuntur, proximè pendent à verbo Commendantes, quemadmodum vox Patientiæ; sed potius proximè pendent à nomine Patientiæ, eique subnectuntur, tanquam ejus materia, quasi dicat; *Commendantes nos ut Dei ministri, patientiâ magnâ aut multiplici, quam ostendimus in afflictionibus, in necessitatibus*: seu *consistente in afflictionibus in necessitatibus.* Afflictiones autem sunt omnis generis mala & nocumenta, sive illa corpus ipsum vitamve lædant, sive bona externa, quæ fortunas appellare solemus, hoc est commoda aut honores famamque, aut personas nobis carissimas, quas itidem bonis externis annumeramus, ut uxorem, liberos, & si quæ sunt similes, nobis vel eripiant vel lædant. Dicuntur autem Græcè θλίψεις propterea, quòd nos ex utraque parte premant atque urgeant. Cujus vocabuli vim cernere licet supra cap. 4. 8. Etsi autem dixerimus vocem hanc generalem esse respectu sequentium, præsertim quorundam (nam nonnulla ex sequentibus, quæ magis videntur voluntaria, quàm aliunde illata, ut labores, vigiliæ, & jejunia quædam, non ita propriè nomen afflictionum merentur, quanquam non injuriâ ad illud genus referri queunt:) tamen posset etiam paulò strictius sumi, ita ut à necessitatibus & *angustiis* distinguatur, quemadmodum fit Rom. 8. 35, ut afflictiones significent, quæ nos quidem vehementer premant, urgeant, & dolorem afferant, non tamen in locum ita arctum cogant, ut exitus non pateat. A *necessitatibus* autem ità distinguantur, ut

ut afflictio externum quendam dolorem afferat, qualis est ille, quando quis plagis aut vulneribus afficitur aut alias cæditur; necessitas autem cum rerum necessariarum inopia alia quadam ratione nos cruciet: Sed quicquid sit, nihilominus tamen vox hæc generis rationem habebit respectu quorundam, quæ in sequentibus ponuntur; nempe plagarum, carcerum, & exagitationum: Qua de caussâ faciliùs adducimur, ut credamus, omnium potiùs sequentium, quàm quorundam tantùm genus ea voce exprimi: cùm nulla videatur esse caussâ, cur genus à suis speciebus sejungere maluerit, & nonnullorum tantùm genus exprimere; non verò omnium, cùm res ipsa per se id ferat. Nam etsi per se vox θλίψεως perfectionem calamitatis, qualem στενοχωρία significat, non exprimat, ut apparet etiam ex loco superiùs citato cap. 4 hujus Epist. ỷ. 8: tamen eam quoque sua latitudine comprehendit.

Quod ad specialia vocabula attinet, primo loco ponitur *Necessitates*. Quo verbo videtur significari penuria & defectus rerum necessariarum. Sic enim vulgo etiam loqui solemus, ut aliquem dicamus urgeri necessitate, aut in necessitate constitutum, cùm aliqua re necessaria eget. Quo eodem prope sensu dicuntur χρεία, Rom. 12, 13. Nam necessitatem vel χρείαν interdum opponimus rei ipsius copiæ aut possessioni vel adeptioni. Unde dicimus aliquem opus habere re aliqua, de eo inprimis, qui re illa caret, carere tamen sine damno non potest; licet alias latius extensâ phrasi eâ aut vocabulo, dici potest illis quoque nobis esse opus, vel ea nobis esse necessaria, quæ ita habemus ut carere iis non possimus. Etiamsi autem eadem videatur propemodum esse vis vocis χρείας & ἀνάγκης in hunc sensum acceptæ; tamen major videtur esse posterioris vocis vis, quàm prioris: quemadmodum minor etiam videtur esse vis phraseos, opus alicui esse re aliqua, quàm alicui esse necesse, vel aliquem necesse habere. Nam χρεία tunc esse videtur, cùm quis incommodè re aliquâ carere potest quâ tamen caret: ἀνάγκη, cùm vel nullo pacto nisi cùm jactura vitæ aut valetudinis, vel vix ac ne vix quidem quispiam re illa potest carere; qualis est vestitus ac victus necessarius.

Secundo loco ponit *Angustias* Græcè στενοχωρίας, quæ vox proprie significat aliquem in locum angustum in quo vertere se nequeat, vel ex quo effugere & exitum reperire non possit, esse coactum. Quare afflictiones aut discrimina gravissima hic intelligit Paulus, in quibus ipsi si earum vis spectetur, & aliunde auxilium non affulsisset, de vitâ fuisset desperandum, atque adeò omnino de eo actum fuisset, quia nullus exitus inde pateret. De ejusmodi afflictione scribit sup. cap. 1, 8, 9. Negat quidem supra 4, 5, ubi verbo ab hoc nomine deducto utitur, se in angustum fuisse coactum, contrà quàm hîc asserit; sed aliter ibi, aliter hoc loco vocem hanc accipit. Ibi enim de eventu seu effectu ipso loquitur: hic tantum de vi & efficacia ipsarum afflictionum per se consideratarum. Sensus enim istius loci est; Ubique quidem vel semper premimur & urgemur; sed tamen non ità in angustum cogimur, ut exitus non pateat, & nesciamus quò nos debeamus vertere: siquidem Domini Jesu auxilium latam nobis aperit viam & nos ex angustiis illis, quibus humanitus videmur conclusi, educit. At hoc loco significat Apostolus se ità interdum calamitatibus undique fuisse circumclusum, ut humanitus nullus pateret exitus. Sed non ait, nullum omnino patuisse, habita ratione auxilii divini.

Tertio sequuntur *Plagæ*, de quibus ipse infra, explicatiùs cap. XI. ỷ. 23 & seqq. ubi Apostolus speciatim rem illam explicans, primùm ait se à Judæis *quinquies* accepisse *plagas unde quadraginta* quæ plagæ proculdubio baculo infligebantur: postea addit, se ter virgis fuisse cæsum, quod Romanorum more fuit factum, qui non baculis revera, sed virgis colligatis ea in re utebantur. Qua de re vide Act. 16, 22 & 23.

Quarto *In carceribus* vel *custodiis*. Cujus rei exemplum, hoc loco dicto Act. 16. Sed sæpiùs id sibi contigisse testatur Apostolus infrà XI. 23. Potest autem vox Græca φυλακὴς latius extendi, quàm vox Latina Carceris, & alia etiam custodiæ genera significare, qualis fuit Pauli ab eo tempore, ex quo Hierosolymis vinctus est, & Romam deductus ibique in catena detentus. Nam non in carcerem fuit conjectus Romæ; sed dextra tantum manu catena vinctus, milite illi ad latus tanquam custode apposito, cujus manus sinistra eadem catenâ constringebatur, ne uspiam à vincto discederet, licet interea liberè huc illuc commeare posset. Quanquam fieri potest, ut egressu ex ædibus fuerit prohibitus. Sed tamen hoc loco per φυλακὴν carcer revera videtur significari.

Quinto ponuntur ἀκαταστασίαι, quæ à diversis diversimode accipiuntur. Alii enim *seditiones* contra Paulum excitatas intelligunt, quarum exempla habemus Act. 14. 5, 19. XIX. 23 & seqq. Alii vocem hanc reddunt nomine *Exagitationum*, & intelligunt Paulum nuspiam pedem figere potuisse, nec ullo loco tuto consistere; sed sæpius expulsum & urbibus locisque certis ejectum fuisse: quod significavit 1 epist. ad eosdem Corinth. scriptâ 4. 11, ubi ait καὶ ἀστατοῦμεν id est, *incertis sedibus erramus*. Seu *nullo certo loco consistimus*, nempe quia undiquaque ejicimur, nec consistere nos patitur aliorum improbitas. Hujus ejusdem rei exempla habemus locis paulò ante citatis ex Actis. Atque huc pertinent inprimis pericula illa in urbe seu urbibus, quæ partim à suis Gentilibus, partim ab Ethnicis concitabantur; de quibus infrà XI. 26. Et posteriori modo nos interpretari & explicare hanc vocem malumus. *Seditiones* autem istas eatenus huc pertinere credimus, quatenus harum agitationum erant caussæ.

Sexto commemorat *Labores*, qui duplicis generis censeri queunt, alii planè corporales, quibus victum sibi parabat Apostolus, quos supra commemorat Epist. 1 cap. 4. 12. & Act. 20. 34, 35. & 1 Thess. 2. 9. & 2 Thess. 3. 8 & seqq. Alii spirituales quodammodo erant, & in prædicando Euangelio & salute aliorum curanda insumebantur; prælertim cum Paulus domatim etiam noctu atque interdiu doceret, moneret, & hortaretur alios, ut apparet Actor. 20. 20 & 31. Cui potest addi locus 1 Thess. 2. 2. Nam labor est etiam magnus in prædicando Euangelio insumendus, unde Paulus 1 Tim. 5. 17. dicit seniores, qui benè præsint duplici honore dignandos esse, maximè autem eos, qui *laborent* (ubi est verbum κοπιᾶν, à nomine eo, quo hîc utitur, deductum) in sermone & doctrinâ; & postea ad eos accommodat dictum Legis, Bovi trituranti ne os obstruas, &c. Huc etiam pertinere videtur locus in 2 ad eundem Epistolâ 2. 6. De hoc labore vide etiam infra cap. XI. ubi duobus vocabulis exprimitur ἐν κόπῳ & μόχθῳ.

Septimo ponit *Vigilias*, quas easdem etiam commemorat infrà XI. 27. Istæ itidem, ut labores, constitui possunt duplices. Alias enim insumebat in labores, quibus victum sibi suisque parabat, ut commemorat 1 Thess. 2. 9. Alias in prædicationem Euangelii, vel quod dies interdum non sufficerent: vel quod interdiu non semper ita tutum esset, noctu autem faciliùs possent convenire discipuli. Cujus rei exemplum Act. 20. 7. Vide etiam eodem cap. infrà vers. 31, ubi ad Ephes. ait se noctes diesque non cessasse cum lacrymis erudire vel admonere unumquemque. Quod si quis velit, poterit etiam addere vigilias, quas in preces insumebat: multò autem magis eas quas nonnunquam sustinere cogebatur, cum periculum aliquod sibi immineret, aut aliorum malorum acerbitas somnum negaret. Vide etiam Act. 16. 25, ubi duplicem ob caussam Paulum unà cum Syla vigilasse apparet; partim proculdubio, quòd carceris asperitas somno non admodum esset accommodata, partim quòd orarent laudarentque Deum.

Denique Octavo loco commemorat *jejunia*, quæ infrà quoque commemorat XI. 27. Ubi postquam famis & sitis fecisset mentionem, jejunia crebra commemorat: hoc loco ubi separatim non commemoratur fames & sitis, licet jejunia latè extendere, ut &

voluntaria & involuntaria eo nomine comprehendamus. Voluntaria, cum vel Precum caussa, vel ut aliis erudiendis & docendis tantò commodius vacare posset, à cibo abstinuit. Involuntaria, cum ob rerum necessariarum seu cibi ac potus inopiam jejunare coactus est. Quod commemorat etiam suprà 4. 2. & Rom. 8. 36. famem quoque commemorat, inter ea mala, quæ Christi caussa sustineamus. Verum cum possit fames & sitis seu cibi ac potus defectus comprehendi in voce ἀνάγκαις superiùs commemorata; possumus hoc loco voluntaria tantum jejunia intelligere; quemadmodum infra quoque fieri videtur capite XI, ubi postquam famis & sitis fecisset mentionem, peculiariter subjungit jejunia tanquam rem vicinam quidem, sed tamen diversam. Crediderim autem ea potissimum jejunia intelligenda, quæ ut aliis consuleretur, & tempus ad eos erudiendos & salutem eorum curandam suppeteret, ab eo suscipiebantur: quia hæc ad functionem ipsius muneris inprimis pertinebant, & studium, ardorem, ac diligentiam in eo obeundo ostendebant. Quanquam Precum quoque assiduitas magna Apostolici muneris pars erat, ut colligi potest ex Act. 6. 4. ubi Apostoli primo loco preces commemorant, tum Ministerium sermonis, cui utrique rei constanter vacare in eaque persistere debeant. Itaque jejunia eum quoque in finem suscepta jure hîc comprehendi possunt.

2. Hactenus Primam virtutem, quâ Apostolus munus suum ornavit, vidimus sequitur Altera, dum ait *In Puritate seu castitate.* Quæ verba cohærent cum illis in Patientia multa. Siquidem, ut ostendimus, intermedia illa ad Patientiæ amplificationem ab Apostolo fuerunt interjecta. Itaque Præpositio *in* significat per, aut redundat, quemadmodum in verbis illis, cum quibus hæc proximè, quod ad sensum attinet, connectuntur. Etiamsi autem vox ἁγνότητι, quâ hîc utitur Apostolus, possit significare puritatem vitæ in universum, quo pacto vox ἁγνὸς aut ἁγνίζω aliquoties in Sacris Literis usurpatur, ut inter alia 1 Joh. 3. 3. & Jac. 4. & in hac ipsa Epistolâ 7. 1. quanquam hoc posteriori loco ad certum negotium restringitur: tamen quia hoc loco inter speciales virtutes collocatur, specialem quoque eo nomine virtutem intelligere convenit. Ea verò est *castitas*, ad quam significandam hæc vox aut conjugatæ adhibentur, ut infrà cap. XI. 2. & 1 Tim. 4. 12, ubi est vox ἁγνείας & 5. 2 & Tit. 2. 5. De qua virtute vide Ethica. Caussa verò cur hanc potissimùm virtutem superiori nempe Patientiæ proxime subjunxerit Apostolus, hæc esse videtur: quod in verbis proxime antecedentibus materiam patientiæ explicans, ultimo loco posuerit jejunia, quæ ad alteram Temperantiæ speciem, quæ est Sobrietas seu moderatio in cibo & potu pertinent, quam recte consequitur castitas: quæ altera est Temperantiæ species, Sobrietatis filia; ne quid de eo nunc dicam, quòd cætera quoque, quæ præcesserant, hoc est, afflictiones omnes atque inprimis labores assidui & vigiliæ, egregiè cum castitate conveniant, & voluptatum istarum, quibus castitas moderatur, non modo cupiditatem, sed etiam memoriam ferè excutiunt. Quare etsi hanc particulam In castitate arbitremur connecti potissimùm cum illa, In omni patientiâ, tamen ea quæ ratione ordinis proxime antecedunt, hujus nexus videntur esse vinculum. Nam cum Patientiâ conjungitur castitas, ut virtus cum virtute; qui nexus est generalior. At cum jejuniis, ut Temperantiæ pars altera cum altera, vel saltem alterius partis effectu, qui nexus est specialior: Potestque inde quispiam suspicari, Paulum Apostolum cum jejunia commemoravit, duo simul facere voluisse, & partim Patientiæ materiam, partim novæ virtutis, hoc est, Temperantiæ effectum exprimere: quemadmodum ea, quæ præcesserunt nempe labores & vigiliæ, non tantum Patientiæ objectum sunt, sed etiam effectus quidam ejus Patientiæ partis, quæ Tolerantia Græcis καρτερία dicitur. Siquidem eo differunt à cæteris quæ præcesserunt, quod illa planè fuerint involuntaria, hæc sæpè etiam voluntaria, & sic cùm optimo fine fuerint suscepta, virtutis cujuspiam effecta. & hæc superioribus, quæ de istis vocabulis disseruimus, addi volumus.

3. Tertia virtus est *cognitio* seu *scientia*, nam utroque modo vox γνώσεως reddi potest. Quarum altera accommodatior esse videtur ad designandum inquisitionem & studium res ignotas indagandi; altera ad adeptionem potiùs notitiæ rei. Illa actum magis, quam habitum denotat, hæc contra. Duplici autem modo hæc vox accipi potest. Plerique interpretes & fortasse omnes pro scientia rerum Divinarum accipiunt, quo pacto non tam virtus hæc esset Apostoli, quàm donum divinitus ipsi concessum, ad munus illius prorsus necessarium. Sed id nobis haud fit verisimile, non modò, quia hîc ea reverâ commemorari videntur, quæ ipse ex sua parte licet non absque Divina ope ad suum munus commendandum adtulerit, qualis non est scientia ista rerum Divinarum seu ad salutem pertinentium; qualis hîc esset intelligenda, quæ ex solâ Divini Spiritûs virtute videtur profecta, non studio acquisita: Sed etiam, quòd absurdum videatur Apostolum inter castitatem & longanimitatem, scientiam hanc rerum Divinarum interjecisse. Nam etiamsi non sit quærendus in hac enumeratione virtutum nimis accuratus ordo; non tamen est concedendum, nimiam etiam esse confusionem, & quippiam ab Apostolo dictum, quod ab ordine eo, quo plerique homines cordati in sermonibus etiam extemporaneis utuntur; multo verò magis in scriptionibus, ubi meditandi majus est spatium, nimis abhorreat. Hoc verò factum esset ab Apostolo, si cognitio hoc loco, pro scientiâ rerum divinarum fuisset usurpata, quæ non nisi valde generalem habet cum virtutibus, quibus interjecta est, nexum; quum ipsa arctius inter se cohæreant, cùm non modo virtutes sint studio acquisitæ, sed etiam morales: scientia verò ita donum tantum sit, & ad mentem & ad intelligentiam pertineat. Quare non videntur ista, quæ arctiùs cohærent, eo, quod ab iis longius abest, interjecto fuisse dirimenda: Quærenda ergo esse videtur alia hujus vocis interpretatio. Ea verò est, ut hîc intelligamus Prudentiam & dexteritatem quandam, quâ quis potissimum in aliis regendis, eorum salute curanda, & infirmitate sublevanda utatur: quæ etsi per se mentis sit virtus; tamen tota est Practica, & ad actiones vitæ refertur, ac virtutibus iis, quæ hîc sequuntur, lumen veluti præfert & monstrat, quid aliorum caussa sit faciendum. Quo admisso, jam satis apparebit, egregius hujus virtutis cum antecedentibus & sequentibus nexus. Nam postquam Apostolus eas virtutes enumerasset, quæ ad nos primò & per se referuntur, qualis est Patientia & castitas una cum Sobrietate, quam antea tacitè vel ex parte commemoratam ab Apostolo fuisse diximus; jam subjungit eas virtutes, quæ ad alios potissimum spectant, inter quas ordinem ducit ea quam diximus, cognitio, quæ cæteras regit & moderatur, & quid sequendum quid fugiendum sit, monstrat. De hac vide Ethica Christiana, in voce cognitionis.

4. Quarta virtus est *Longanimitas*: quæ virtus in ira diu cohibenda cernitur, & sic quoque illa diu differre docet, quæ iræ solent esse effectus. Durantibus diu caussis illis, quæ iram concitare possunt, & ad ea nos promovere, quæ alteri possunt esse noxia. Caussæ autem illæ sunt offensæ quævis sive Publicæ sive Privatæ: & Publicæ quidem illæ, quæ ad totam illam Societatem, cujus nos membra sumus, spectant, quibus annumerari debent eæ, quæ ad Deum Christumque per se videntur spectare, etiamsi tandem cœtus aliquis Christianorum publicus non extet. Societas autem illa, quæ hîc potissimum respicienda est, est Ecclesia. Ad offensas autem hujusmodi pertinent partim errores in doctrina, qui cuipiam non videantur in fide ferendi ac tolerandi, qui nonnunquam vehementius movent quosdam, qui Spiritu Christi

non

non reguntur, ad errantem odio prosequendum & à societate cum fraternitate nostra repellendum, quam delicta & flagitia aliqua: partim alia delicta, quæ veritati Divinæ maculam aliquam aspergere, & toti Euangelio ignominiæ notam inurere, atque exemplo aliis nocere possunt. Ubi non exiguâ opus est moderatione seu longanimitate; præsertim si diutius hujusmodi delicta durent. Tamdiu autem longanimitas suadet eos ferre, qui ità vel in doctrinâ vel in vita labuntur, quam diu vera in illis est imbecillitas. Nam ubi malitia apparet & manifestis indiciis deprehenditur, virtutis est hujusmodi homines non ferre, ut apparet ex Apoc. 2. Quin etiam alias, cum quis inordinatè ambulat, etiamsi aliqua imbecillitas adhuc locum habere videatur; tamen *Longanimitas* moderanda est prudentiâ & amore tum erga gloriam Divinam, tum erga salutem aliorum, qui corrumpi ejus exemplo possunt, tum etiam erga illum ipsum, qui in vitio aliquo hæreat, & severitate quadam decenti utendum; qua is ipse quoque ad frugem revocari possit, & longanimitati nihilominus satisfiat, si hominem non plane jam contemnas, sed eum tanquam fratrem admoneas, neque odio aliquo illius ab ejus commercio abstineas. Huc etiam pertinent offensæ extraneorum, quæ universum cœtum petunt; ut calumniæ convicia, aliaque insectationum genera. Quia verò Ecclesiæ membra potissima sunt seniores & Ministri, qui cæteris regendo & docendo sunt præfecti, unde offensæ publicæ ad eos privatim quoque pertinere videntur, & in eos potissimum redundant: ideo his longanimitate inprimis est opus in hujusmodi offensionum genere. Inprimis etiam Apostolo erat opus, qui Dei negotium agebat, & in ejus gloriâ promovenda totus erat, unde non poterat non offendi, si quid adversus Dei gloriam aut etiam aliorum salutem diceretur aut fieret. Quod ad eas offensas pertinet quæ planè censendæ sunt privatæ; non verò primò ad Deum aut Ecclesiam spectant, quanta hîc longanimitate sit opus, satis docet Christus Matth. cap. 18. & Luc. cap. 17. Huic opponitur ὀξυθυμία hoc est, celeritas in irascendo, & quædam impatientia, quæ non patitur ut diu feras eum qui offendit aut ullo pacto molestus est.

5. Quinta virtus est χρηστότης hoc est, *Benignitas*, quæ licet possit beneficentiam significare, quemadmodum vox χρηστὸς de Deo elata Luc. 6. 35 sumitur; tamen si quis pleraque loca consideret, in quibus illud nomen vel ea quæ inde deducuntur, vocabula extant, perspiciet, suavitatem quandam seu humanitatem, quam quis aliis exhibeat, eo significari: & libenter Apostolus eam vocem longanimitati subjungit, ut 1 Cor. 13. 4, ubi est vox χρηστεύεται, hujus, quæ in loco nostro, conjugata, & Galat. 5. 22. quo loco eadem distinguitur ab ἀγαθωσύνη, quæ cum pro speciali virtute sumatur, beneficentiam videtur significare. Unde apparet χρηστότητα quippiam à beneficentia diversum denotare. Et cum videamus χρηστὸν interdum, non tam id quod utile est, quam quod suave significare 1 Petr. cap. 2. vers. 3. Matth. XI. ult vers. facile est colligere eam virtutem ibi significari, quæ facit, ut aliis simus suaves & jucundi, in iis actionibus, quæ nobis cum aliis intercedunt, id quod humanitatis & comitatis est proprium: de hac virtute vide in Ethicis. Non est tamen reticendum hanc virtutem interdum tam latè extendi, ut mansuetudinem quoque complectatur, à qua tamen loco dicto Gal. cap. 5. distinguitur. Vide Ephes. 4. ℣. ult. ubi cum de condonandis delictis agitur, & virtutes illas commemorare voluit Apostolus, quæ iræ & vindictæ opponuntur, primo loco collocatur χρηστότης, quanquam ibi est vox concreta χρηστοὶ. Eodem modo sumitur, cum de Deo usurpatur Rom. cap. 2. 4. Ubi ponuntur tria, eodem fere sensu: χρηστότης, ἀνοχὴ & μακροθυμία. Ubi primo loco χρηστότης collocatur, ante μακροθυμίαν, quia ibi paulo aliter quàm in locis paulo antè commemoratis, ubi ei subjungitur, usurpatur. Rom. cap. 2. vers. 22. opponitur τῇ ἀποτομίᾳ severitati Divinæ: vide & Tit. 3. 4. Recte autem longanimitati subjungitur hæc virtus, quia plus videtur complecti quàm illa, & nisi illa præcedat, hæc locum habere non potest. Nisi quis enim iram norit diu cohibere, humanus & comis revera esse non potest: præsertim cum hæc virtus id quoque postulet, ut illis te suavem præbeas, qui te aliquando offenderunt & ostendas nullam in te simultatem, nullas iræ reliquias hærere: ad quem effectum fortasse potissimùm & hîc & in locis similibus respexit Apostolus. Ex quo apparet, hanc virtutem jure interdum ità latè extendi, ut mansuetudinem quoque seu placabilitatem in se comprehendat; quum eam nisi sit simulata & vultu tantùm comitatem mentiatur, necessario præsupponat.

6. Sexto loco commemorat Apostolus *Spiritum sanctum*; quod alii interpretes ad dona Spiritus Sancti miraculosa seu aliquomodo visibilia ad munus Apostolicum exornandum spectantia referunt. Alii ad animum verè purum & sanctum & ab omni simulatione alienum; quorum neutrum probatur, & posterius minùs quam prius; quod hujus significationis nullum possit proferri exemplum, nisi valde dubium: Quod ad priorem significationem attinet, cur eam non putemus admittendam caussæ ferè sunt eædem, quales explicuimus antea, cum de scientia egimus, & propemodum hîc videtur caussa esse major. Nam hic Spiritus sanctus in medio ponitur virtutum earum, quæ arctissimè sunt inter se copulatæ, non tantùm genere quòd virtutes sint, & quidem morales, quemadmodum antea erant castitas & longanimitas, sed etiam specialiùs, quod pertineant ad alios. Interjicitur enim inter benignitatem & charitatem non simulatam. Unde jam conjicere licet, Spiritus Sancti nomine talem virtutem esse intelligendam, quæ ad alios quoque proprie pertineat, & cum charitate magnam habeat conjunctionem, per Metonymiam efficientis. Spiritus enim S. pro effectu illius spiritus ponetur, non tali tamen, qui ab eo solo absque hominis studio & ardore proficiscatur. Sed jam ulterius pergendum est, & considerandum, quænam hujus generis virtus, hoc loco denotari queat. Intelligi autem potest, tum ex ipsa hac appellatione & descriptione, quâ Apostolus utitur, & ex aliorum quorundam locorum, in quibus Spiritui Sancto una aliqua virtus peculiariter videtur adscribi, talem inprimis virtutem denotari, quæ nihil videtur habere (ut ita dicam) humanum aut carnale, quod naturaliter etiam ab aliis hominibus fiat & exerceatur; sed quòd planè sit spirituale, & nonnisi divinitus & cœlitus nobis ingeneretur, quodque præterea in suo genere admodum sit excellens & perfectum. Tale autem in eo rerum genere, in quo versatur Apostolus, vix quicquam potest inveniri aliud, quam ferventissima quædam erga Christianos quà Christiani sunt, charitas, in qua nihil spectetur carnale, nihil humanum, sed id tantum, quod divinum est ac spirituale, ac proinde non ab humano aut mundano quodam spiritu, sed à cœlesti ac verè sancto possit proficisci; præsertim, si quis ità ea in re se gerat, ut appareat illum hac in parte totum spiritu illo S. quo sit imbutus, regi. Quare possumus hîc intelligere φιλαδελφίαν istam quam Petrus 2 Epist. cap. 1. in enumeratione virtutum Christianarum, à charitate simpliciter dictâ, distinguit, & ei præmittit; quemadmodum etiam hoc loco charitas spiritui S. postponitur. Alibi Spiritui Sancto tribuitur gaudium aut consolatio, quam quis ex rebus Divinis aut bonis istis & felicitate spirituali ac cœlesti, quæ divinitus sibi vel jam contigerit vel oblata fuerit, capiat: qua de re vide Act. 9. 30. & XIII. ℣. ult. ubi est, implebantur discipuli gaudio & Spiritu Sancto, quod perinde esse videtur, ac si dictum fuisset, gaudio spirituali seu ex Spiritu sancto profecto, ut distinguatur à carnali seu mundano: quemadmodum superiorem locum explicant interpretes nonnulli. Vide etiam Rom. 14. vers. 17. & 1 Thess. 1. 6. licet non desint

de sint qui locum istum Rom. 14. de gaudio accipiant, quod quis aliis Christianis præbeat, & in rebus licitis illorum imbecillitati indulgens & ædificationi singulari studens. Sed prior illa interpretatio ob loca similia à nobis adducta, nunc mihi sit verisimilior, licet posterior aliquando fuerit probata. Tribuitur etiam Spiritui sancto ardor ille & fervor, qui in precibus cernitur, iis præsertim, quæ totæ ad Spiritum spectant, seu in quibus ea à Deo petuntur, quæ ad fidei & salutis negotium pertinent. Qua de re vide Judæ ỷ. 20, Jungi etiam potest locus Ephes. 6. 18. licet ibi non sit vox Sancti; sed tantùm Spiritus simpliciter: Itemque locus ejusdem Epist. 5. 18, ubi vult ut impleamur in Spiritu, hoc est, Spiritu, redundante particula in ut supra vidimus, ut opponatur ei quod dixerat, Ne inebriemini vino. Quæ sit autem impletio ista nostri, ratione Spiritus, in sequentibus explicat, ubi effectus commemorat hujus rei proprios: cum ait, Loquentes vobis mutuo Psalmis & hymnis & cautionibus spiritualibus. Quæ mundamis aut carnalibus opponuntur: quod adhuc plenius explicat dum addit; Canentes & psallentes in corde vestro Domino: gratias agentes ubique vel semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi Deo & Patri. Ex quo loco etiam apparet, in hominis potestate esse, ut singulares quidam effectus Spiritus seu Spiritus sancti in homine appareant; cum jubeat Apostolus ut impleamur Spiritu. Qua de caussa hoc nostro loco Apostolus Spiritum sanctum virtutibus inseruit, significans, proficisci quidem id, quod hoc nomine designat, ex Spiritu sancto; Sed non ramen ubique singulari hominis studio; quod in omnibus virtutibus Christianis apparet. Tum autem implemur Spiritu, & effectus Spiritus sancti in nobis singulares apparent, cum ardorem quendam in nobis excitamus, & animus noster commovetur in rebus ad Spiritum resque cœlestes ac divinas pertinentibus. Unde videmus de viris Divinis, tum inprimis dici eos Spiritu sancto fuisse impletos, cum vel singularis ardor illos corripuit, vel gaudium quoddam illorum animos invasit. In quo animi motu singularis quædam vis Spiritus sancti quo vel antea erant præditi, vel qui tum temporis illorum animis illabebatur, sese exeruit. Vide Luc. 8. 41. & 67 ubi de Elizabetha & Zacharia & Act. 7. 55. ubi de Stephano; quanquam id totum potest censeri miraculosum & 13. 9. ubi de Paulo. Nam duplici ratione potest aliquis impleri Spiritu. Vel ut aliquis impleatur dono aliquo cœlesti, quo antea carebat; vel ut donum istud, quod antea in ipso erat, sed tamen propemodum latebat, sese exerat; & animum ejus virtute suâ impleat, ac tale quippiam in ipso efficiat, quod per se nulla ratione efficere potuisset. Et prius quidem illud revera miraculosum est, quanquam hodie quoque id non raro accidere credibile est; partim privatim, cum nos ad religionem & devotionem singulari quadam ratione componimus: partim vero & crebrius quidem, in publicis piorum conventibus, ubi Dominus Jesus, qui illis interest, rorem istum gratiæ suæ vel odorem quendam suavem spargit, ac diffundit, qui ab iis tantum excipitur ac sentitur, quorum animi ad eam rem jam sunt præparati; præsertim cum sunt admodum intenti & cogitationes veluti extra nos missæ, quæ id excipiunt & ad nos deferunt, imisque sensibus insinuant, quæ extra nos quodammodo fiunt: qui Spiritus inprimis docentium cogitationes & animos ferit, imbuit ac movet, cum ipsi fervent; partim natura hujus rei ita ferente, partim etiam ipsius Christi precibus omnium impulsi singulari voluntate & consilio, præsertim cum ex Ministri ore & vultu cœleste quippiam spirante, omnes Divini Spiritus rivos hauriant atque excipiant, ut satis sit interdum docentem primùm gratiæ istius ubertate perfundere, & in eo fontem quendam aquæ viventis excitare, unde sitientes auditorum animi rigentur & fæcundentur. Videtur autem non rarò ita contingere, ut pro diversitate animorum aut præparationis in animis extantis, diversi etiam sint influxus illi cœlestes, ut alii quidem cognoscant ea, quæ sponte sua nunquam indagassent, alii verò ardorem tantum majorem, & gaudium ex rerum Divinarum consideratione, quia huic potissimum sunt intenti eorum animi, & ad eam rem dispositi, concipiant. Est ergo illud quoque quod per se miraculosum videtur aliquo pacto in nostra potestate; cùm id ex animi nostri præparatione, accedentibus precibus pro sua bonitate Deus pendere quodammodo voluerit. Quod ad posteriorem modum attinet, is est magis ordinarius & usitatus, adeoque & magis in nostra est potestate, & à studio nostro pendet. Quo pacto jubet Apostolus 2 Tim. 1. ỷ. 6 ut Timotheus exsuscitet donum illud Dei, quod in ipso erat per impositionem manuum ipsius, quod donum Spiritus erat, ut ipse Apostolus docet ỷ. sequenti. Potest autem dici quempiam impletum esse Spiritu aut Spiritu sancto, quo antea quoque fuerit præditus, sive is Spiritus tantum sit Euangelicus, omnibus Christianis communis, sive ab Euangelio diversus, qui non est omnibus communis. Atque haud scio an Euangelium, cum plerumque, Spiritus nomine simplici appelletur, tum cum animum totum occupat, & vim singularem in eo exserit Spiritus sanctus dicatur, & sic effectus quoque ille, qui inde manat, ac caussæ suæ nomen sortitur, ut hoc loco contingere videmus; licet in Paulo, cum Spiritu illo Euangelico, alia quoque peculiaria Spiritus sancti dona fuerint conjuncta, quæ vim suam cum priore illo in virtutibus præsertim certis excitandis, conjunxerunt. Id autem quod diximus ideò videtur fieri, quia tum temporis inprimis Spiritus ille Euangelicus hominem sanctificat, & idem propemodum præstat, quod Spiritus ille singularis ab Euangelico diversus, in iis præsertim qui cognitione veritatis cœlestis singulari sunt præditi, eaque optime uti norunt & ferventi alioqui sunt animo. Sed ut ad locum nostrum redeamus, per Spiritum sanctum ut diximus, hîc intelligimus, ardentem erga fratres, quâ tales sunt, amorem atque affectum, qui nihil carnale habet, sed totus Spiritualis ac cœlestis est, & vel ex Spiritu Euangelico solo, vel ex dono Spiritus sancti singulari cùm Euangelica doctrinâ conjuncto nascitur. Videturque magis actum & animi motum, quam habitum significare. Complectitur autem inprimis desiderium vehemens salutis ipsorum ac felicitatis æternæ atque arctissimæ cum illis conjunctionis, quod animum nostrum penitus occuparit; indeque tum verbis tum vultu quoque ipso aliisque nonnullis actionibus externis sese probat.

7. Septima est, *Charitas non simulata*, per quam videtur intelligere habitum quendam, seu virtutem ejusmodi quâ non tantùm impellimur ad salutem aliorum æternam curandam, sed ad alia omnia officia, quæ à nobis proficisci possunt, ad hanc vitam pertinentia iis præstanda, aut labores ac pericula pro iis suscipienda, & siquæ sunt similia. Hæc autem exercerî à nobis potest etiam tum, cum singularis ille fervor quem Spiritus Sancti nomine intelligimus, non apparet, sed animum haud satis promptum excitamus, & ad officia aliis præstanda stimulamus. Sunt enim interdum quædam, qui vi suâ, absque peccato tamen nostro fervorem illum in nobis impediunt, ubi tùm Charitati est locus, ut cum & indigno benefacimus. Hanc ut supra monuimus, Petrus quoque 2 epist. 1. cap. Charitati fraternæ subtexnit, vel tanquam ejusdem generis proximi speciem ab illâ distinctam, vel tanquam genus aut totum latius suâ natura patens, quam fraterna Charitas. Quæ illius sunt officia, magna ex parte constat 1 Corint. 13. Cur autem addat Paulus non simulata, caussa in promptu est, ideòque eam non attingo.

8. Octava virtus vel Virtutis effectus est, *sermo veritatis*, per quam alibi Euangelium intelligitur, sed hoc loco simpliciter, sermo verax intelligendus videtur. Dedit enim Apostolus operam, ut sermones ejus omnes, cum re vel saltem cum animo consentirent,

rent, neminemque vel studio falleret, vel ex levitate aliqua mendacium diceret; quæ res miram quandam gravitatem spirat, & auctoritatem homini conciliat, præsertim Doctori cœlestis veritatis. Contrarius contrarii effectus est. De veritate vide in Ethicis.

9. Nono loco commemorat *potentiam Dei*: per quam alii intelligunt vim Spiritus Divini, per quam admiranda patrabat Apostolus opera, ad Euangelii confirmationem pertinentia, de qua vide Rom. 15. vers. 19. 1 Cor. 2. vers. 4, 5. Nobis verisimilius videtur fortitudinem divinitus Apostolo inspiratam, & Deo vehementer probatam hoc nomine intelligi, de qua Eph. 3. vers. 16. cap. VI. vers. 10. Col. 1. vers. 11; in quibus omnibus locis est vox Potentiæ, aut verbum inde deductum. Caussa autem non ea tantùm est, quam supra in aliis quoque hujus ordinis vocibus explicandis attulimus, quòd Apostolus virtutes suas hoc loco enumerare instituerit, eaque expresserit, quæ ipse ad munus suum ornandum studio suo attulerit; verùm etiam quia huic potentiæ Dei stratim subjicit: *Arma justitiæ dextra & sinistra*, quæ fortitudini aptissimè adjunguntur. Fortitudinis enim est potissimùm pugnare & armis uti; spiritualis quidem spiritualibus, ut carnalis carnalibus; quo pacto etiam dicto loco Ephes. 6. potentiæ vel robori, quod ad pugnam cum Sathana afferre debeamus, armatura Dei plena subjungitur. Dei autem potentia ista dicitur, tùm quia à Deo præscripta perfectaque fuerit, tum quia Deo vehementer probata fuerit, ut opus Dei, ac denique quia non humana ea fuerit aut carnalis, qualis bellica, sed Divina, quæ in Divinis rebus cerneretur. Fortitudo autem hæc in periculis ac terroribus ob veritatem pietatemque nobis incumbentibus cernitur. De Fortitudine hac vide in Ethicis.

10. Denique subjicit *arma justitiæ dextra & sinistra* quæ videntur proximè nimirum potentiæ Dei seu Fortitudini Christianæ, ad ejus illustrationem amplificationemque ab Apostolo fuisse adjecta; præsertim cùm modum loquendi jam mutarit Apostolus, non enim ampliùs ait, in Armis justitiæ, quemadmodum superius fuerat loquutus, ubi perpetuò usus est particula *in*: sed aut per arma q. d. quam Potentiam ac fortitudinem ostendo, dum armis justitiæ dextris ac sinistris pugno. Vel *per* idem valet quod *cum* ut sæpè alias; vide supra cap. 3. vers. 2. *Arma* autem justitiæ vocat ea, quibus justitiæ seu sanctitati pietatique pugnatur, seu quod idem est, quibus justitia propugnatur. Similis est loquendi modus Rom. 6. 13. Quanquam arma justitiæ aut injustitiæ videntur ibi sumi pro instrumentis, quibus justitia vel injustitia utatur.

Ait *dextra & sinistra*, quia duplicibus opus est militi armis, aliis ad excipiendos aut repellendos ictus, aliis ad infligendos. Hæc dextra sunt, illa sinistra; dextra enim gladium sinistra scutum tenere solent; quorum illo feriunt hostem, hoc tela ictusque adversarii excipiunt aut repellunt. Quinam autem sit ille gladius aut scutum, docuit Paulus Eph. 6. 16, 17. Quanquam nihil prohibet, quominùs Apostolus hoc nostro loco, per Arma dextra & sinistra, omnem illam Armaturam spiritualem revera intellexerit, quæ partim ad repellendos ictus, partim ad inferendos ictus pertinet; licet brevitatis ac concinnitatis caussa tantùm dextrorum ac sinistrorum armorum fecerit mentionem: cum præsertim videamus cum alibi quoque Armaturam illam ejusve partes quasdam, aliter collocare ac describere 1 Thess. 5. vers. 8.

Quod si quis tamen superiùs per *Dei potentiam* non fortitudinem animi sed vim Spiritus Divini per quem miracula ediderit Apostolus, omnino intelligendam urgeat; Arma hæc eo pacto erunt accipienda, quemadmodum infrà cap. 10. vers. 8. nempe pro effectis istius Divinæ potentiæ quibus Apostolus ea, quæ Euangelio obstabant, aut quibus viam obstruere Euangelio laborabant, licet alias valde sublimia munitaque oppugnabat ac demoliebatur, eaque nullas hebere vires ad Euangelii veritatem labefactandam, aut cursum ejus impediendum, ostendebat; hominumque animos veluti captivos ducebat & Christo subjugabat; ac denique punire poterat contumaces ac refractarios. Verum non satis apparet, quomodo ea arma non tantùm dextra sed etiam sinistra fuerint; cum non tam ad adversariorum tela depellenda, quàm ad munitiones aliorum demoliendas pertinerent. Hactenus virtutes suas, quibus ministerium suum ornavit, enumeravit Apostolus.

2. Sequitur alera, quam suprà constituimus, posterioris partis secundi membri, particula, in qua explicat, per quas difficultates fuerit eluctatus in muneris sui functione Apostolus; quæ alium aliquem non satis animo obfirmatum ac robustum facilè transversum abripere, & à recto cursu avertere potuissent. Sunt autem difficultates istæ inter se contrariæ, quas primò generatim opponit Apostolus, postea speciatim.

Generatim, dum ait, *per gloriam & ignominiam.* Vocula *per* hoc loco ita accipitur, ut cùm dicere solemus, per medios hostes, per aquas, per saxa, per ignem: quasi dicat Apostolus, quas virtutes, imprimis autem animi robur, justitiæque arma expedivi, per mediam gloriam atque ignominiam; utramque hanc perrupi, mihique iter aperui armis, per easque sum eluctatus. Hæc autem nunc potissimùm commemorat, quia si quid aliud, certè gloria ac ignominia facillimè hominem à recto pietatis tramite possunt avertere; illa hominem inflare solet, hæc deprimere. Nonnulli gloriam contemnunt, ut Cicero testatur, ignominiam ferre non possunt: contra gloria suaviter se animis hominum insinuat, eos titillat ac paullatim attollit fastuque inflat: videntur nonnulli contemptum moderatiùs tulisse, quàm gloriam; illo non fuisse fracti, huic succubuisse.

Speciatim ea exprimuntur ibi *per bonam famam & malam famam* hoc est per laudem & vituperationem, quarum illa gloriæ, hæc ignominiæ species est: hæc enim duo in verbis tantum cernuntur, gloria & ignominia etiam in factis. Mirum si quem hæc duo non corrumpant; illa quia mirificè nos oblectare solet, & vanam de nobis ipsis opinionem in animis nostris excitare: hæc, quia boni viri officium esse videtur, famam malam omnibus modis vitare, sectari bonam. Sed nec bona fama magni æstimanda est, nisi recte factis paretur, nec mala fama nisi malis: cum præter nostrum meritum contingit, utraque spernenda & pro nihilo æstimanda est. Id autem quod de mala fama seu de vituperatione ac convitiis ait, in sequentibus explicat.

3. Restat Tertia atque ultima particula, in qua Paulus ea diluit, quæ contra ipsius auctoritatem à malevolis aut iniquis rerum æstimatoribus afferri, ipsique objici solebant. Constat autem hoc totum, septem membris, ac totidem oppositionibus: quodlibet enim membrum terminis constat oppositis, dum primùm Paulus exprimit quod sibi objiciatur aut vitio vertatur, deinde quid ipse respondeat atque opponat.

Primum membrum est, *Ut seductores & Veraces*, hoc est, pro impostoribus quidem habemur ac traducimur à malevolis, & tamen veraces sumus, doctrinamque eam tradimus ac promulgamus, quâ nil verius est nil certius. Particula *&* interposita membris contrariis pro Adversativa sumitur quasi dicat. Et tamen vel nihilominus tamen.

Secundum membrum est. *Ut ignoti & (tamen) noti* ἐπιγινωσκόμενοι hoc est, qui cognoscimur: quasi dicat; Objicitur mihi, quòd sim homo obscurus ac ignobilis, atq; ut ajunt, terræ filius. Atqui ego satis sum notus, apertissimisque argumentis constat me Dei esse servum atque legatum. Hujus enim evidentissima sunt in doctrina moribus admirandis, factisque meis documenta.

Ter-

Tertium membrum, *Ut morientes & ecce vivimus*, quaſi dicat; Objicitur mihi, quòd perpetuo in mortis verſer periculo, eaſque ſuſtineam calamitates, quæ mortis ſunt inſtar, aut eam facillimè afferre queunt, quòd non videatur cadere poſſe in eum, qui Deo adeò ſit clarus & verus ipſius ſervus, qualem ego me profitear: ſed cur illi hoc quoque non conſiderant, quòd licet toties propemodum moriar, toties in extremo vitæ diſcrimine verſer, nihilominus tamen adhuc vivam, & tot periculis defunctus ſalvus ſim atque incolumis. Cur quemadmodum ex mortis periculis, in quibus verſor, colligunt me non eſſe Deo charum: non colligunt etiam ex liberatione iſta à tot periculis ac mortibus, Deum mei ſingularem habere curam, qui me ex mortis faucibus ac præſentiſſimo interitu eripuit, adeoque me ipſi charum ejuſque verum eſſe ſervum? Neque enim magis ex periculis illud, quàm hoc ex liberatione colligitur. Quare jure mortibus illis, vitam meam ejuſque conſervationem toties repetitam oppono, quæ, quicquid illæ videntur habere offenſionis, penitus tollit atque elevat. Ait *Et ecce*, quaſi dicat; Atqui oculos tantum aperi & contra etiam vide, me vivere: vide ſupra 1. 9, 10, atque inprimis 4. 9, 10, 11. Quoties Paulus à præſenti mortis diſcrimine eripiebatur, toties è morte in vitam à Deo ac Domino Jeſu videbatur revocari; quæ Dei Chriſtique in ipſum charitas & circa eum providentia non ita apparuiſſet, ſi tot tantiſque periculis non fuiſſet objectus. Vide & infra cap. 12. 9, 10.

Quartum membrum eſt, *Ut caſtigati, & non occiſi* ſeu, *Ut qui caſtigamur & non occidimur*. Ferè idem quod proximè ante, aliis verbis repetit. Caſtigationem ſumit pro afflictione, quæ caſtigationi ſit ſimilis: quo pacto de Chriſto, Caſtigatio pacis noſtræ ſuper eum. Et Pſal. 22, *Et caſtigatio mea ſingulis matutinis*: pro quo nonnulli viri docti, Flagellatio mea vel afflictio, ponunt. Senſus eſt; Objicitur mihi, quòd ſemper flagris plagiſque ſubjiciar ac cædar, non ſecus ac ſi ſubinde à Deo caſtiger ob peccata aut ſcelera aliqua. At non cogitant iſti ipſi, me non occidi tamen à Deo; quod haudquaquam fieret ſi me odiſſet Deus, & tanquam ſeductorem puniendum cenſeret: potius enim me è mediò tolleret, & extremo ſupplicio, tot præſertim occaſionibus ſeſe ultro offerentibus, me afficeret, non verò ex morte eriperet.

Quintum membrum: *Ut triſtitia affecti, ſemper autem gaudentes*, δὲ pro ἀλλὰ, Autem, pro ſed, quaſi dicat; Objicitur autem, quòd in perpetuis verſer doloribus, triſtibus & adverſis mihi ſubinde evenientibus: quod videtur hominis eſſe miſeri atque infelicis, quem Deus minimè curat. At cur non animadvertunt iſti, me nihilominus tamen ſemper gaudere etiam in afflictionibus: quod gaudium nonniſi ex ſingulari Dei favore ac Spiritus Sancti virtute & rectæ conſcientiæ fiduciâ, aut etiam ex Divino auxilio, quod mihi affulſerit, ut patet ex cap. 1. ℣. 4, 5 naſcitur: pluſque eſt in perpetuo hoc gaudio roboris ad oſtendendum, me in ſtatu feliciſſimo verſari, Deoque, à quo ſolo ea felicitas proficiſcitur, charum eſſe; quàm in rebus adverſis quæ me premunt, ad contrarium oſtendendum.

Sextum membrum: *Ut pauperes, multos autem* (vel pleniùs, *ſed multos*: iterum eſt verò pro ſed) *ditantes*, quaſi dicat; Objicitur mihi paupertas: at non animadvertitur me nihilominus divinis, cæleſtibus ac ſpiritualibus bonis, nimirum rerum Divinarum ſcientiâ & conſequenter ipſa ſalute quàm plurimos locupletare atque augere; id quod paupertatem iſtam abunde compenſat. Eſtque hîc animadvertenda vox πλοῦτοι quæ non ſemper *pauperes* ſimpliciter, ſed mendicos etiam ſignificat, qui rectiſſimè opponuntur iis, qui multos locupletant: iſti enim ab aliis petunt & accipiunt, hi aliis plurima largiuntur.

Septimum ultimum membrum eſt, *Ut nihil habentes, & omnia poſſidentes*, quaſi dicat; Extrema egeſtas mihi objicitur: Atqui omnia, nimirum, quæ ad veras perenneſque divitias ſupremamque felicitatem pertinent, poſſideo. Quare etiamſi ſecundum carnem nihil habeam; omnia tamen ſecundum ſpiritum, quæ verè bona cenſeri debent, poſſideo. Poſſunt etiam huc referri illa 1 Cor. 3. 21, 22. Differt hoc membrum à ſuperiore: ibi enim aliorum potiſſimum habuit rationem, hîc ſui ipſius: ibi dixerat ſe multos locupletare, ſeu eos divites efficere, hîc ſe omnia tenere ac proinde ipſummet divitem eſſe. Fieri autem poteſt, ut poſtrema hæc objectio fuerit mota adverſus proximam reſponſionem: Dicere enim poterat quiſpiam; quomodo tu multos ditas ac locupletas, cum nihil ipſe habeas? Reſpondet Paulus; etiamſi nihil habeat ſecundùm carnem, aut ferè perinde ſit ac ſi nihil haberet, omnia tamen vera bona poſſidere, quibus alios quoque abundè ditare queat.

2 Corinth. 10. à verſ. 12. ad finem.

NOn enim audemus vel *auſimus*. Dixerat antea Apoſtolus ſe non eſſe talem qui alius ſit præſens quàm abſens ſe per Epiſtolam oſtendat, imò eundem ſe futurum erga illos opere qui fuit ſermone per Epiſtolam. Hoc idem his verbis pergit probare. *Non enim ſuſtinemus*, aut quaſi ironicè, non audemus cùm illi tanti ſint, &c. qui ſeipſos commendant: aut propriè non poſſumus id facere ut nos eis inſeramus & comparemus qui tam magnifica de ſe ſentiunt. Pòſt eos reprehendit; ſed non intelligunt iſti homines dum id faciunt quòd non habeant rationem aliorum, ſed ſeipſos tantùm reſpiciunt. Si conferrent labores ſuos cum aliorum laboribus, viderent alios ſe eſſe præſtantiores: ſua intuentur, nec intelligunt tamen quod ſuos labores ita magnifice efferendo non comparant laboribus eorum: *Nos autem non ultra modum gloriabimur*, aut ut Beza, non gloriabimur de eo quod Deus non eſt admenſus nobis: at prius præſtat. *Sed* gloriabimur *ſecundùm menſuram* id eſt pro modo & quantitate, regulæ, id eſt territorii illius & terræ quæ per regulam quandam fuit mihi admenſa admetiente Deo. *Canon* enim ſumitur vel pro ſorte terræ per regulam attributa, vel pro ipſa menſura. Dicit ergo Apoſtolus, ſe de illis hominibus ad Chriſtum per ſe adductis gloriaturum, non de alienis. Quaſi dicat, quod quouſque prædicaverit Euangelium Deus ei illas regiones & illos homines eſt admenſus, qui ipſi etiam eas vires dedit ut id faceret. Ubi Euangelium prædicavi, ibi dicam id me feciſſe. *Ut pervenirem uſque & ad vos*. Quaſi dicat, tantum mihi admenſus eſt Deus ut etiam vos Corinthios poſſem mihi vendicare, ut à Deo datos, per meum laborem. Beza paulò aliter ſubaudit, *gloriamur*: nos autem ſubaudimus hoc loco *ut*. *Non enim tanquam non pervenerimus ad vos* &c. Id eſt, quandoquidem dum ego id dico me perveniſſe ad vos, non ultra modum meum territorium nimis late protendo, quaſi vos non lucrifeciſſem Chriſto. *In Euangelio Chriſti*, id eſt prædicans Euangelium Chriſti. *Non in* &c. id eſt non gloriamur ultra modum de laboribus alienis, aut non gloriamur ultra menſuram, nec nobis tribuimas alienas eccleſias, ſed noſtras. *Imò ſpem* &c. quaſi dicat; imò verò ſpem habeo adhuc ubi veſtra fides in vobis creverit, me ratione meæ ditionis fore majorem, amplificatum iri meum territorium. Si veſtra fides creverit, ut à vobis adjuvari poſſim, aut etiam à vobis vacare. Auxilium duplex potuit habere Paulus à Corinthiis, aut per exemplum eorum, aut etiam quod occaſionem dare potuerint aliis, & ipſe illis potuerit uti etiam ad Euangelium diſſeminandum. *In abundantia* id eſt abundanter, vel ulterius. *Ad ea quæ ultra vos ſunt*, ita ut etiam ad regiones quæ ſunt ultra vos Chriſti religionem proferam aut Euangelium. Nec Paulus ſitum loci conſiderat, ſed vult dicere *alibi*. Quaſi dicat ut poſſim longius progredi. *Non in alieno* id eſt ne prædicem ubi alicui alii eſt attributa area. Alienum dicitur reſpectu hominum non reſpectu Dei.

Qui verò gloriatur. Quia de gloriatione dixerat, ego quidem non ut alii in alieno ſed in meo labore glorior: id tamen in Domino, quia id & Domino totum adſcribo,

ſcribo, & tantum mihi tribuo non amplius, quantum Deus dedit. Monet igitur ne quis glorietur de aliis rebus quàm quæ à Domino ſunt collatæ, & quæ revera ſunt Domini, non de divitiis, aut nobilitate generis, &c. Deinde ut ad Dominum omnia referat.

Non enim qui ſeipſum commendat, quaſi dicat; Non is qui ſeipſum commendat quaſi multum à Domino acceperit, is eſt commendatus, ſed in quem Dominus multa contulit. Aut etiam non rationem reddit, ſed ſuperiora amplificat. Quaſi dicat; Si ego me laudarem in alienis laboribus, nihil commendationis haberem, ſi nimirum Deus nihil in me contuliſſet. Illum Deus commendat, quem multis donis cumulat, & per quem multa præſtat. Is ſeipſum commendat, qui verbis ſe commendat.

Paraphraſis ejuſdem loci 2 Corinth. x. à verſ. 12 ad finem.

VErſ. 12. Non eſt de nobis exiſtimandum plura nos abſentes de nobis ſcribere quam præſentes opere præſtare queamus: abeſt enim à nobis ea vanitas ac jactantia. [Nec audemus nos inſerere nos veſtris illis tam præclaris Doctoribus, & cum iis nos conferre, qui &c.] Nec poſſumus in animum inducere ut ſimiles efficiamur illis veſtris Doctoribus, qui ſeſe magnifice jactant, ac laudes ſuas ipſimet prædicant: non animadvertentes, ſe dum id faciunt, ſeipſos tantùm reſpicere: nec alienas dotes à Deo ipſis conceſſas alienoſque labores æſtimare ac cum ſuis conferre. Quod ſi fieret, ſeſe illi longe inferiores eſſe perſpicerent, & ex ipſa comparatione tenuitatem ſuam agnoſcerent, ac ſupercilium ponerent. Quod quia non faciunt, & ſeipſos tantùm reſpiciunt; philautia atque arrogantia tam glorioſas ipſis voces excutit.

13. Nos verò haudquaquam committemus, [ut de iis regionibus ac locis quæ Deus nobis non eſt admenſus, quæque per euangelii prædicationem & religionis Chriſtianæ annunciationem noſtra non fecit, gloriemur.] ut ultra modum divinorum donorum nobis conceſſum, quidquam gloriemur, ſed [gloriabimur.] pro modo ac quantitate regionis ac territorii ut ita dicam, quod veluti regulâ quadam, ut in diſtribuendis ex hæreditate agris fieri ſolet, nobis admenſus eſt atque attribuit Deus, [ita ut etiam ad vos Corinthios perveniremus, ac terminos noſtros proferremus] nos non tantùm alibi euangelium prædicaſſe, & eouſque territorium noſtrum extendiſſe; verum etiam ad vos Corinthios, euangelium Chriſti prædicando, perveniſſe, & ſic territorii noſtri terminos protuliſſe.

14. Neque enim quum id dicimus, & veſtræ Eccleſiæ conſtitutionem atque erectionem primam nobis tribuimus, ultra modum nos noſtrumque territorium extendimus, quaſi ſcilicet ad vos, euangelium prædicando terminos noſtros non protuliſſemus. Pervenimus enim etiam revera & ad vos Corinthios, euangelium Chriſti prædicando.

15. Quapropter non gloriamur [de iis locis, quæ Deus nobis admenſus non eſt, nec noſtræ veluti ditionis fecit.] ultra modum, hoc eſt de alienis laboribus, eos nobis vindicando. Imò verò ſpem habemus, fore, ut ubi veſtra fides incrementum ſumſerit, & penitus fuerit confirmata, in vobis, [per vos veſtrâque operâ.] majores adhuc acquiramus ditiones, & terminos noſtros ulterius adhuc proferamus.

16. Ita nimirum ut regionibus ultra vos ſitis euangelium prædicemus, nec opus habeamus ut de aliena veluti ditione aut portione regionibuſque ab aliquo alio jam euangelii doctrina excultis gloriemur.

17. Meminiſſe autem debet quiſque qui gloriatur, ut in Domino id faciat, ea ſibi tantùm tribuendo quæ Dominus revera in ipſum contulit, eaque non ſuis ſive viribus ſive meritis adſcribendo, ſed Domini potentiæ ac benignitati.

18. Neque enim is qui ſe magnifice jactat, protinus etiam laude dignus eſt; ſed is demum quem Dominus donis ornat, ac inſignem reddit.

2 Cor. 13. verſ. 5. Probate vos metipſos an ſitis in fide.

PYthagoræi ſingulis diebus ad veſperam examinabant vitam moreſque ſuos, ſeduloque inquirebant quò progreſſi eſſent, quid feciſſent, aut prætermiſiſſent boni, quid mali perpetraſſent, ſinguliſque percenſitis, bene quidem geſtis delectabantur, malas verò actiones ſuas ipſimet increpabant. Par eſſet, idem Chriſti nos facere quotidie; & quidem tanto melius, quanto melius iſti norunt bene vivendi rationem, & præmium virtuti propoſitum intelligunt. Sed quid vulgo fiat, notum eſt. Non tantùm enim privatim omnis ea cura inſuper habetur, ſed nec examen mutuum morum, vel admittunt vel uſurpant iidem amplius: quo tamen nullum ad continendos homines in officio poterat eſſe efficacius. De vobis fratres melius ſentio. Cùm verò ad diſciplinam morum publicam cupide & alacriter conveneritis, expendamus verba Apoſtoli modo prælecta, in quibus examen noſtri tam diligenter commendat. Duo autem iſta hîc expendemus. 1. Adhortationem Apoſtoli ad examen noſtri. 2. Judicium quod Corinthii poſt examen de ſe facere debuerint. Cui etiam 3. abſurdum ſubjungitur inde ſequuturum, niſi tale judicium fecerint. Circa adhortationem & examen duo iterum examinanda veniunt, 1. Circa quam rem; Deinde quomodo illud examen ſit inſtituendum. Res circa quam examen verſari debeat, eſt, *an ſimus in fide.*

Fides non uno modo in ſcriptura accipitur. Interdum fidelitatem ſignificat. ut Rom. 3. 3. ubi de *Dei fide* ſermo eſt. Et ita quoque fortaſſe accipitur Gal. 5. 22. ubi aliis particularibus virtutibus maximè proximum concernentibus admiſcetur. Interdum ſignificat fiduciam in Deum, ad promiſſa atque benevolentiam ejus potiſſimùm reſpicientem: quomodo accipi videtur quum fidei ſalus in Scriptura tribuitur: quod ex fidei Abrahami, qui credentium omnium pater dicitur, exemplo patet. Interdum verò doctrinam religionemque Chriſtianam in genere ſignificat: quomodo accipi videtur Gal. 1. 23. III. 5, 23, 25. 2 Cor. 1. 24. Rom. 1. 5, 8. 1 Theſ. 3. 10. Act. 6. 7. In ea ſignificatione hîc quoque ea vox accipi videtur, ut ſit ſenſus, explorate vos omnes, num ſitis Chriſtiani. Quanquam enim fidem ſine additione nominet, intelligit tamen ſine dubio fidem Chriſti, ſive quam Chriſtus docuit atque præſcripſit. Hæc enim per excellentiam *fides* dicitur. Quanquam enim & ſub veteri Fœdere fides obtinebat, tamen neque tam eximium objectum, neque tam clarum promiſſum habebat: atque adeo magis ex conſideratione benevolentiæ divinæ, quàm ex certo promiſſo naſcebatur. Ad hanc fidem requiritur notitia omnium partium Chriſtianæ religionis, præſertim neceſſariarum, itemque aſſenſus notitiæ accommodatus qui ſi verus ſit, & non ſimulatus, pietatem neceſſario ſibi conjunctam habet. Quum enim Chriſtiana religio non tantùm promiſſa, ſed & præcepta, illis qui promiſſorum compotes evadere volunt, data, contineat, curamque Dei ac Chriſti vigilem circa actiones hominum earumque remunerationem atque pœnam nobis inculcet; qui fieri poteſt, ut qui iſta credit, pietati non ſtudeat? Eſt autem loquutio magis emphatica, quum jubet Apoſtolus nos explorare *an ſimus in fide*, quàm ſi dixiſſet, an fides ſit in nobis. Hæc enim loquutio præſentiam tantùm fidei ſignificat: illa verò tantam ejus abundantiam ut ea veluti contineamur. Similis loquutio eſt 1 Joh. 5. 20. Hinc diſcimus, non ſufficere, ut quis obiter religionem amplectatur, ſed cura atque accuratione opus eſſe. Non aſpergi ſed immergi debemus. Atque hæc quidem res eſt circa quam examen noſtrum verſari debet.

Examen autem iſtud quomodo tandem inſtituendum? Id verò duabus vocibus idem ſignificantibus, quanquam per diverſas metaphoras nobis inculcat. *Tentate vos ipſos, probate vos ipſos.* Ad examen hoc duo requiruntur: Accurata legis Euangelicæ cognitio, & diligens morum atque vitæ noſtræ ad illam exactio. Illa eſt inſtar regulæ atque menſuræ, quæ quo exactior tanto melior. Huic ergo rei diligenter invigilandum. Vide Pſal. 1. 2. 2 Tim. 3. 15. Confer 1 Tim. 4. 13. Act. 17. 2.

Joh.5.39. Turpe eſt civi ignorare leges Reipublicæ in qua vivit. Nec eſt quod quis hîc aut ingenii memoriæque ſuæ debilitatem, aut legendi imperitiam, aut temporis anguſtiam ac alias vitæ occupationes prætexat. Studeat quis modo ei rei,& præſtet quantum poteſt,id quod ei ſufficiet. Neque enim ab omnibus eadem eruditio requiritur. Sunt pueri, ſunt juvenes, ſunt & viri, in Chriſto. Non iniquus eſt exactor Dominus: ſed nec impotentiam nos ignaviæ loco prætexamus.Danda verò eſt opera, ne regulam legis divinæ inflectamus, præjudicio pravarum opinionum affectuumque noſtrorum. Quæramus ſcripturæ ſenſum in ſcriptura, non aliunde in eam inferamus. Nota eſt hiſtoria de Nadabo & Abiho, qui peregrinum ignem ad rem ſacram adhibebant, Levit. 10. 1. Num. 3.4. Diſcipuli Chriſti nequiverunt intelligere quæ Dominus eis de paſſionibus atque morte,deque reſurrectione ſua prædicebat,Luc.18.34. Quid aliud in cauſa fuiſſe dicemus, quàm quod animum opinione de terreno Chriſti regno haberent occupatum? Ita & præcepta Euangelii, Mat. 5. 6, 7. atque alibi propoſita ſatis clarè, multi parum rectè intelligunt; quòd affectus ſuos ad eorum intelligentiam in conſilium adhibent, vel quòd pravum eorum ſenſum à parentibus aut magiſtris ſuis jam antè imbiberunt. Si hanc Euangelicæ legis regulam probe habeamus cognitam, non eſt cur de alia amplius ſimus ſoliciti. Gal.1.8. omnis homo mendax, Pſ.116.11. ſive ſinguli loquantur, ſive plures una in concilio coëant. Nec eruditio nos ab errore abſolvit. Nam & ſeniores Judæorum & Phariſæi,eruditi erant,qui tamen in Dominum Jeſum non credebant,Joh. 7.48. Nec antiquitas errori patrocinari debet: ſiquidem jam Johannis ævo, pſeudoprophetæ & quidem multi, in mundum ingreſſi erant, 1 Joh.4.1.& Pauli tempore myſterium iniquitatis jam erat in opere,2 Theſ.2.7. Ut taceam,quam multi ſemper & ipſi Domino Jeſu,& Apoſtolis reſtiterint,quorũ poſteritas ſemper populoſa atq;fœcũda fuit.

Poſtquam Euangelicam legem quis ſcrutatus probè fuerit, oportet ut & vitam moreſque ſuos ad illam exigat, examinetque: non modò actiones ſuas exteriores, quæ in oculos hominum incurrunt,itemque ſermones, ſed & tacitas animi cogitationes, itemq; conſilia, atque ſtudia,quàm probe cum regula euangelica conveniant. Vide hortationem Jeremiæ,Thren.3.40. Zophon.2.1. ubi quod in verſionibus quibuſdam habetur *colligite vos*, eſt vel verti poteſt *excutite vos*. Et in hoc præivit nobis exemplo David,Pſal.119.59. Hoc quum omni tempore ſit utile,tunc inprimis neceſſe eſt,quum quis ſacrum Domini panem & vinum ſumere vult. 1 Cor.xi.28. Id quum & nobis nunc ſit propoſitum, appello conſcientiam veſtram,fratres, an probè vos examinaveritis, dignoſque menſæ Domini hoſpites vos exhibere poſitis. Si nondum id feciſtis, facite adhuc, tacitaque animi cogitatione è Sacris L. vobis ob oculos ponite, quem Deo cultum, amorem,obedientiam,quæ officia proximis debeatis: qua modeſtia, caſtitate, & ſobrietate,vita vobis fuerit exigenda. Simulque recogitate, an id, ſi non præſtiteritis ſemper,curæ ſaltem vobis habueritis? Nolite blandiri vobis ipſis, nolite per amorem veſtri, qui cœcus plerumque eſt,vobis imponere. ô Infelices, ſi veſtrum vos cor condemnat! Sed nec exinde vos abſolutos putate, etiamſi cor veſtrum vos non condemnet. Major eſt enim Deus corde noſtro, 1 Joh. 3.21. Nondum Apoſtolus ſe juſtificatum exſtimabat etiamſi nullius rei ſibi conſcius eſſet. 1 Cor.4.4. Quod ſi ne nunc quidem vos tales deprehenditis, quales eſſe debeatis; ne tamen deſpondeat animum, ne cum Caino queramini, majora eſſe peccata veſtra quàm ut remitti poſſint Gen. 4. 13. ſed cogitate apud Dominum Deum noſtrum eſſe miſericordiam, & veniam, Pſal. 145.9. Nondum finitam eſſe, ſed quotidie renovari. Thren.3.22,23. Sed præterea, & apud veſtrum animum id firmiter vobis proponatis velle vos in poſterum ſaluti veſtræ invigilare, & Domino ſervire in ſanctitate & juſtitia omnibus diebus vitæ veſtræ; quo poſitis in examine illo Domini tandem ſubſiſtere, de quo Matt. 25. verſ 32,33. Porrò quanquam ſuum cuique examen Apoſtolus imperare videtur, poſſunt tamen ea verba ad mutuum quod inter Chriſtianos verſari debet examen trahi. Non poteſt quidem hoc examen tam eſſe plenum ut illud prius; (nam de cogitationibus noſtris factiſque occultis, quis judicium ſibi ſumere poterit?) ſed tamen ſolet eſſe exactius ſæpe numero,quàm prius illud. Nec enim tam facile alii quàm ipſi nobis blandimur. Circa mutuum verò iſtud examen, præter peritiam legis Euangelicæ, requiritur integritas atque candor animi; ut nec diſſimulemus aliorum vitia,nec quæ nulla ſint fingamus, quin ut nec majora aut minora quàm revera ſunt reputemus. Deinde ut benevolo affectu omnia caſtigemus, non vindictæ aut nocendi ſtudio.

Veniamus jam ad alteram contextus noſtri partem, & expendamus quod judicium Corinthii de ſe facere debuerint. Id Apoſtolus per interrogationem explicat: *Annon cognoſcitis vos ipſos, quòd Jeſus Chriſtus in vobis ſit?* Affirmat interrogatio talis vehementius. Quòd Jeſus Chriſtus in Corinthiis fuerit, id duplici ratione intelligi poteſt, ordinaria atque extraordinaria. Ordinaria ratione Dominus Jeſus in fidelibus ſuis eſt, quum euangelii notitiam illis indit, quum ea deinde notitia in illis eſt efficax per pietatem, quumque Spiritu ſuo complet eorum animos. Extraordinaria ratione quum miracula vel inter ipſos vel per ipſos edit: hoc enim præſentiæ Domini indubitatum eſt argumentum. Dominus Jeſus in Corinthiis utraque ratione fuit; idque eos Apoſtolus vult agnoſcere. Poterant autem utrumque non difficulter cognoſcere: ſed tamen magis quòd extraordinaria ratione, quæ & in externos ſenſus incurrebat. Notandum eſt autem in verbis Apoſtoli, quòd non ſimpliciter interroget, Annon cognoſcitis quòd Jeſus Chriſtus in vobis ſit; ſed *annon cognoſcitis voſmetipſos, quòd Jeſus Chriſtus in vobis ſit?* Ex ſeipſis quippe ejus rei argumentum eos capere jubet, nec enim ſeipſos ignorare poterant. Solent quidem homines ſæpe vitia ſua ignorare, aut voluntaria ignoratione obterere: ſed non item virtutes. In his enim nimium ſerè oculati ſumus. Nota eſt fabula de duabus manticis. Notanda hîc eſt præſtantia populi Chriſtiani, in quo Chriſtus ipſe hîc eſſe dicitur. Vide & Joh. 14. 20, 23. xv.4. Notandum itidem poſſe Chriſtianos de Chriſti in ſe præſentia eſſe certos, idque, quod virtutis eorum eſt, agnoſcere: tantum abeſt ut id ambitioni aut temeritati alicui adſcribi debeat. Sed hoc fortaſſe non eſt neceſſe tantopere inculcare, quum plus hîc ſibi plerique quam par erat, arrogent. De vobis quid dicam, fratres? Annon Apoſtoli verbis interrogare mihi vos licet, Annon agnoſcitis vos ipſos, quòd Chriſtus in vobis ſit? Certè ſi notitiam veritatis cœleſtis expendamus, ea tanta eſt, ut cum diſcipulis Domini beatos prædicare liceat oculos atque aures veſtras, &c. Matth. cap. 13. 16. Quin & nunc temporis, præ aliis qui tamen Chriſtiani audiunt, ea lux vobis affulſit, ut cum Eſa. 60. 2. dicere mihi liceat, *Ecce tenebræ operiunt terram, & caligò populos: ſed ſuper te Dominus exorietur, & gloria ejus ſuper te conſpicietur.* Utinam reſpectu pietatis idem tam certò affirmare liceret, Dominum Jeſum in nobis eſſe! Neminem condemno, neminem quoque abſolvo. Novit Dominus ſuos. Ego per charitatem, quæ minime ſuſpicax eſt, optimè de ſingulis ſentire malo. Veſtrum eſt dare operam, ut ſi fortaſſe ipſimet vos nondum agnoſcitis, eam eſſe veſtram pietatem, ut ejus reſpectu affirmare auderetis Dominum Jeſum in vobis eſſe, id ſaltem in poſterum conſequamini. Detis quoque operam,ut Spiritus Chriſti in vobis habitet: ſiquidem *qui Chriſti Spiritum non habent, non ſunt ejus.* Rom. 8.9.Sumite vobis in exemplum Apoſtolum,Gal. 2.20.imo verò Corinthios ipſos hoc in loco.Unde non eſt cur quiſquam impoſſibilitatem ejus rei prætendat.

Sequitur ratio ab abſurdo, quod infert Apoſtolus, niſi agnoſcant Chriſtum in ſe eſſe: *niſi ſi reprobi vel rejecti eſtis.* Quum reprobos nominat,non intelligit abſoluto Dei judicio, ſine ullo peccati intuitu rejectos, & ad infernales cruciatus damnatos, ut hodie nonnulli reproborum nomen interpretantur. Enervaret enim expro-

exprobrationem suam. Nec enim cuiquam jure exprobrari potest quod Deus sine illius culpa patrat. Nec verò ullibi Scriptura *reproborum* nomen ea significatione usurpat: utpote quod Deum justissimum iniquitatis argueret, quippe ad exitium destinantis æternum eos qui nihil adhuc mali sunt meriti. Vocantur in Sacris Literis *reprobi* quos Deus propter incredulitatem atque peccata sua rejicit, & tanquam scoriam ab argento separat. His talibus, quia culpâ suâ tales sunt, meritò id exprobari potest, si qui sunt reprobi. Id quod ex moribus eorum constare potest: quum de occultis Dei judiciis nemini liqueat. Optionem ergo dat Apostolus Corinthiis, an agnoscere malint, Christum Jesum in se esse, an se esse reprobos. Sed quia posterius nec de se quis facile fatetur, nec de aliis præsumere licet; inde inferre vult, Christum in Corinthiis esse. *Nisi reprobi estis*, id est, nisi vel ipsimet omnem in Christum fiduciam abjeceritis, & proinde à Christo rejecti sitis, tunc demum non possetis explorare vosmetipsos, atque agnoscere Jesum in vobis esse. At in statu adhuc salutis constituti, impossibile est ut id non agnoscatis. Nota autem hic nexum duarum sententiarum. Hinc enim concludere licet, eos in quibus Jesus Christus non sit, reprobos atque rejectaneos esse. Unde apparet, quantopere nobis laborandum sit, ut Christus Jesus in nobis sit, idque ipsi sine mendacio agnoscere possimus. Concludo ex 1 Thess. 5. 23, 24. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos omnino perfectos, & integer vester Spiritus, & anima, & corpus, inculpate in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur. Fidelis est qui vocavit vos, qui etiam faciet.* Amen.

Galat. 3. vers. 20, 21.

DUplici modo verba hæc v. 20, videntur posse accipi. Vel ita, ut in iis, tum objectio, tum responsio ad eandem contineri censeatur; vel ita ut eadem habeantur, pro parte quadam objectionis, cujus conclusio quædam sit, in versu sequenti 21, ubi etiam ad eandem est responsio. Quod ad priorem explicandi rationem attinet, Objectio quidem ipsa continebitur in illis verbis: *Mediator autem unius non est* Responsio verò in iis, Deus autem unus est. Objectionis vis, hujusmodi fuerit. Quandoquidem mediator, cujus officium est, fœdus aliquod pacisci, non est tantum unius partis, sed diversarum, necesse est ut Deus qui Mose mediatore usus est (Dei enim nomine Angelos, quorum operam intervenisse ad legem ferendam vers. superiore dictum est intelligit) cum aliis quibusdam pactum aliquod constituerit, cum certa promissa, tum certas etiam conditiones ipsis proposuerit, & easdem sanxerit. Ea enim in omnibus fœderibus continentur. Quod autem à quopiam, atque adeo etiam à Deo promittitur, alteri parti, præsertim tam solenni ratione, id omnino ratum ac firmum esse debet, & adeò haudquaquam mutari. Quapropter, cum lex tum temporis à Deo per mediatorem istum lata fuerit, necesse est eam, apud eum ratam firmamque esse, contra quam in superioribus disputaverat Paulus, qui ostendit rationem justificationem consequendi in lege propositam sub Euangelio haudquaquam esse ratam, sed aliam esse ab ipso humano generi promulgatam. Quod ad responsionem attinet, ejus hæc vis fuerit; Etiamsi Deus legem per mediatorem tulerit, necesse esse tamen, ut Deus nil promissis suis, ante legem, jam exstantibus verè contrarium statuerit, & sic promissorum istorum vim sustulerit; quandoquidem *Deus* sit *unus*, intellige ratione voluntatis, hoc est semper sibi similis, & sibi usque quaque constans, qui à decretis suis ac promissis, quibus jus acquiritur aliis, nunquam recedat. Quapropter si hæc sententia admittenda est, Apostolus in vocabulo *unius* argutus esse amavit, quod alibi quoque facit, ac ne longè abeamus, hoc ipso capite vers. 13, ubi diverso sensu, maledictionem ad Judæos, diverso ad Christum refert. Illis enim maledictio, quam fuerant commeriti, erat mors æterna, maledictio cui Christus fuit subjectus, fuit mors crucis, ut ex ipso loco satis constat. Quare nihil videtur prohibere, quominus Apostolus aliter in prioribus verbis, aliter in posterioribus, seu aliter in objectione, aliter in responsione, vocem unius acceperit; & in illa quidem, ad essentiam seu personam, in hac verò ad voluntatem retulerit, id quod solemus sæpe facere, in responsionibus Laconicis, hoc est brevibus & argutis, ubi sæpe unius vocis in alienam flexione, responsio tota continetur, nec interim tamen, quæstionis terminos vere mutamus, aut ad rem non loquimur: sed sæpe ad rem accommodatissimè, propterea quod significationis mutatione, vel corrigimus adversarii verba, tamquam falsam sententiam, ni commode, atque adeò aliter, quam adversarius velit, accipiantur, continentia, vel tantam argumenti vim non esse, ostendimus, ut id evertat, quod nos volumus: quod posterius, ad hunc locum maximè pertinet. Nam cum objectio, unitatem essentiæ ac personæ divinæ urgeret, ad ostendendum, Deum in ferenda lege, cum aliis pactum iniisse, quod salva ipsius justitia ac fide, mutari non posset, Paulus per quandam ἀντιτύφωσιν, urget unitatem seu constantiam divinæ voluntatis, quæ ostendit, tantam ejus rei quam objectio urget, vim non fuisse, ut Deus quidquam contrarium antiquis suis promissis constitueret, & rationem justificationis, qua in Abrahamo fuerat usus, quamque semini ipsius promiserat, everteret. Ea enim requirit, ut promissum illud, omnino sit ratum, & quidquid postea fecit, aut promulgavit Deus, utut in speciem videatur ei adversari, reipsa tamen, haudquaquam adversetur, alias Deus mutabilis foret, & ea in parte non unus, sed varius & multiplex. Quod ad aliam explanandi rationem attinet, ea hujusmodi est. Quandoquidem lex per mediatorem lata est; Mediator autem non unius tantum partis est, seu personæ; Deus autem cujus ille mediator fuit, unus tantum est, apparet, Deum pactum quoddam iniisse in lege ferenda cum aliis quod ratum & firmum esse debeat. Unde consequi videtur legem quæ rationem justitiæ per opera consequendæ describit, evertere & annihilare Dei promissa ante exstantia, quæ ex fide justificationem semini Abrahæ datum iri pollicentur. Quid Paulus ad hæc respondeat, postea breviter attingemus nunc utra explicatio alteri videatur præferenda. Quamvis igitur prior, magnos habeat autores; & rei, de qua agit Apostolus, satis sit accommodata, duo tamen imprimis sunt, quæ posteriorem, probabiliorem faciant. Alterum est, quòd in posteriori, non ita multa sint subaudienda, atque in priori, in qua brevissimis verbis & objectio, & responsio statuitur contineri, cum in posteriori asseratur, non tantum illa, sed & proximè sequentia verba, objectionem tantum continere. Itaque simplicior, & minus quæsita esse videtur. Alterum est, quòd si in illis verbis, *Deus autem unus est*, responsio continetur, ad objectionem propositam, eaque à constantia divinæ voluntatis ducta, non videtur, satis commode postea subjungi: *Lex igitur est contra promissiones Dei*, ea enim indicant, hanc objectionem ex superioribus deduci, & quidem ex re aliqua, ab Apostolo concessa, vel saltem, nondum refutata. Atqui id non apparet, si ita illa verba priora accipias, Deus autem semper est sibi similis, nec voluntatem suam verè mutat, & aliquid suis promissis contrarium statuit. Nam ex hujusmodi verbis, tantum abest, ut istiusmodi objectio deduci queat, aut aliqua ansa, ad eam movendam, cuiquam fuerit data, ut potius occasio ad eam movendam fuerit præcisa, quod posterius ideo dicimus, ut illis quoque respondeamus, qui dicturi fortè essent, ex antecedentibus verbis quæ objectionem contineant, hanc interrogationem vel objectionem fluere. Nam, cum objectio illa, soluta jam fuerit, non fuit amplius occasio ex eadem, alteram objectionem deducendi, nec id scriptoribus bonis, usitatum est. Ita potius concludere debuisset Apostolus, & adversarium urgere: Quomodo ergo lex est contra promissa Dei. Id enim

rectè concluditur ex eo, quòd Deus ſibi ſemper conſtet, nec voluntatem ſuam mutet. Cum enim & lex & promiſſa illa, ab eodem Deo fluxerint, neceſſe eſt, ut ſi Deus ipſe ſibi contrarius non eſt, lex promiſſa Dei non evertat, nec hæc illam. Ad hanc rationem, vix quidquam aliud videtur reſponderi poſſe, quod probabilitatem aliquam habeat, quam Paulum hoc veluti fundamento jacto, quòd Deus ſit ratione voluntatis unus & ſibi ſemper ſimilis, jam porrò objectionem adverſarii diſſolvat, & non tam objectionem ipſam, ex proximè dictis deducat, quam cauſam indicet, cur ad iſtam objectionem ſibi diſſolvendam accedat. Quaſi dicat; Quandoquidem ergo Deus unus eſt, & ſibi ſemper ſimilis, dices ne legem eſſe Dei promiſſis contrariam? Haudquaquam. Si cui hæc placent, & non videntur coactiora, iis uti poterit, & ſuo frui judicio. Quanquam verò animus nobis ab initio non fuit, quidquam dicere de ſequentibus in quibus Paulus reſpondet ad objectionem proxime propoſitam, ſive eam velis tantùm contineri ỳ. 21, initio, ſive ſimul etiam toto ỳ. 20, tamen quia res difficultate non caret, aliquid ea de re addemus, quod lucem verbis Apoſtoli afferat. Primum ergo Apoſtolus negat legem eſſe *contra promiſſiones Dei*; hoc eſt promiſſiones Dei evertere, & earum vim atque effectum tollere, ſeu ea etiam Dei reſpectu irrita reddere. Nam licet alia, & ex parte contraria juſtitiæ conſequendæ ratio fuerit in lege promulgata à Deo, ei rationi, quam promiſſiones divinæ, fuerant pollicitæ, non tamen lex, Dei promiſſa, fecit irrita, propterea quòd promiſſiones illæ, non reſpiciebant illud tempus quo lex viguit, ſed tempus, quod legem eſſet conſequuturum. Itaque non pugnant hæc inter ſeſe, nec contradictoria ſunt, ſiquidem reſpectu diverſorum temporum ſunt intelligenda. Contradictoriorum autem, aut eorum, quæ ſe mutuò evertunt, qualia ἀσύνδετα ſolemus appellare, ea eſt conditio, ut de eodem tempore, intelligantur.

Sed dicet quiſpiam, non hanc ſed aliam quandam reſponſionem, vel rationem, ob quam lex Dei, non ſit contra ipſius promiſſiones, afferre, hanc nimirum. *Si enim data fuiſſet lex, quæ poſſet vivificare, verè ex lege eſſet juſtitia; Sed concluſit ſcriptura omnia ſub peccatum, ut illa promiſſio, ex fide Jeſu Chriſti, daretur credentibus*, &c. Sed ſi quis recte attendat, ea quam nos attulimus reſponſio, tacitè in his Apoſtoli verbis continetur. Id enim vult dicere Apoſtolus. Non fuiſſe in lege tradenda Deo id propoſitum, ſemini Abrahæ, vel etiam univerſis gentibus exhibere, quod olim ab ipſo promiſſum fuerit; ſed alia conditione, nec ideo dediſſe legem, ut ea perpetuo eſſet, ſed potius hac ratione viam ſibi ſtraviſſe, ad promiſſa illa, hominibus tanto plenius exhibenda. Ait igitur ſi fuiſſet à Deo, ejuſmodi lex data, quæ vim haberet tantam, ut iis tum piam, tum æternam vitam largiri poſſet, omnino ex lege hominibus datum iri juſtificationem, olim à Deo ſemini Abrahæ promiſſam. Namſi homines potuiſſent, vi ipſius legis, eam penitus ſervare, & vitam æternam conſequi, quid opus fuiſſet eam abrogare, & ejuſmodi rationem, juſtitiam conſequendi præſcribere, quæ aliqua ſaltem ex parte, fuiſſet longe imperfectior, eam nempe quæ eſt ex fide, quæ non requirit perpetuam, & omnibus numeris abſolutam vitæ pietatem, & mandatorum divinorum obedientiam, poteſtque in illum etiam cadere, qui vel millies ex legis ſententia, mortem ſit commeritus. Itaque non modò non fuiſſet aliqua, legem abrogandi cauſa, ſed etiam fuiſſet, eam non abrogandi magna. Neque enim Dei alias eſt, à perfectioribus ad imperfectiora progredi, ſed contra. Imbecillitatis humanæ ratio, & veluti neceſſitas quædam eo adducere Deum poteſt, ut id faciat, quæ hic nulla fuiſſet, ſi lex potuiſſet homines vivificare. Verbum autem *vivificandi* ita hic accipimus, ut ſignificet & vires ad vitæ pietatem in ea præſcriptam ſufficientes largiri, & vitam æternam ipſo actu tribuere. Nam interdum, de excitatione ad vitam ſpiritualem ſumitur; interdum de vitæ ſempiternæ datione. Illius rei exemplum habemus Epheſ. 2. 5. Coloſ. 2. 13. Hujus verò Johan. 5. 21. 1 Cor. 15. 22, quanquam paulò aliter legi, aliter Deo aut Chriſto tribuitur. Huic, quòd reipſa id faciat: Illi, quòd ipſius quandam vi fiat, vel potius non fiat. Hac utraque vi vivificandi caruiſſe legem, ſatis docuit Paulus Rom. 7, præſertim ſi conferas cum cap. 8 initio, ubi Chriſti Spiritus, ei hac in parte opponitur. Idem autem pronunciatur etiam aperte à Paulo 2 Cor. cap. 3. verſ. 6, & ſeq. ubi dicit *Literam occidere, Spiritum autem vivificare.* Id vero propterea, quòd Euangelium vitam æternam aperte pollicetur, & talem obedientiæ modum & rationem præſcribit, ad quam quivis, vi hujus tam divini promiſſi, ſi ejus ſpem firmam concipiat, pervenire poteſt, ita ut ad vitam piam primò excitetur, tum ejuſdem Euangelii vi, æternam conſequatur; propterea, quòd Deum quodammodo obligat, hoc promiſſo, ad eam dandam, partim quòd in homine effecerit illam conditionem, qua præſtita, ei ſit ex iſto Dei promiſſo, omnino danda immortalitas, Lex nec apertam vitæ illius futuræ habeat promiſſionem, nec ita facilem, atque æquam, ſed durum admodum obediendi modum præſcribebat, quem qui non obſervaſſet, ei mortem comminabatur. Itaque cum rem tam duram præciperet, vires interim hominibus ad eam præſtandam admodum imbecillibus, non largiretur, quid aliud faciebat, quam homines perimebat, morti illos addicendo. Quapropter Deus legem promulgando, non id egit, ut rem Abrahamo aliquando promiſſam hominibus præſtaret, & ſic alia ratione idem non exſolveret. Lex enim non erat aptum ad hanc rem perficiendam inſtrumentum, ob cauſam dictam; unde Apoſtolus per oppoſitionem ſubjungit, *Sed concluſit ſcriptura omnia.* Quaſi dicat; Lex homines non vivificavit, ſed potius homines omnes peccati reos arguit, & peccati pœnæ reddidit obnoxios, eum in finem, ut promiſſio illa Abrahamo facta, non legem ſervantibus, ſed credentibus potius exſolveretur, cum ipſa illa promiſſio fidem poſtularet, eam quæ Jeſu Chriſto autore, promulgata eſt.

Gal. 3. à verſ. 26 ad finem.

PRoponitur hîc nobis felicitas Chriſtianorum ſub Novo Fœdere: neque proponitur tantùm, ſed & aſſeritur atque probatur. Partes loci duæ. 1. Declaratio felicitatis Chriſtianorum. 2. Probatio rei tantæ. Prior eſt in his verbis, *Omnes enim filii Dei eſtis per fidem in Chriſtum.* In his verbis conſideranda primum connexio eorum cum antecedentibus. Particula *enim*, cauſalis, notat antecedentium reddi rationem. Dixerat paulò antè Apoſtolus, *poſtquam veniſſet fides*, id eſt, poſtquam doctrina fidei publicata, eique ex fœdere juſtificatio promiſſa fuit, non amplius ſumus ſub pædagogo: id eſt, jam nos Judæi non amplius diſciplinâ Legis quæ nos inſtar pædagogi & præceptis variis exercebat, & pœnarum metu terrebat, coërcemur. Hoc inde probatur quòd Galatæ, & proinde etiam alii illorum ſimiles Gentiles, filii Dei eſſent, & quidem per fidem. Non poteſt autem, nec debet deterior eſſe Judæorum conditio, eandem fidem amplexorum. Atque ita ſe habet connexio.

Felicitatem Chriſtianorum ita declarat, ut & cauſam inſtrumentalem in ipſis exiſtentem ſimul commemoret. Felicitas verò hæc in eo conſiſtit, quum inquit, *omnes eſtis filii Dei.* In magno habetur quum quis eſt alicujus divitis aut nobilis filius: quid ſi principis, aut Regis alicujus? Hic verò Chriſtianis tribuitur quòd non regum hominum ſed totius mundi Regis atque etiam conditoris ſint filii. Eſt verò inter filios illud diſcrimen, quòd quidam adhuc impuberes ſint, atque proinde ſub tutoribus ac pædagogis agant, quorum ſtatus à ſervili non multum differt. Hic vero de talium filiorum ſtatu ſermonem non eſſe, collatio cum antecedentibus.

cedentibus oſtendit. Intelliguntur ergo hîc tales Dei filii qui eò ætatis pervenerunt, ut & intelligant bona ſua, hæreditatiſque ſuæ ſpem claram habeant, quique non onerentur puerilibus præceptis, nec ſervili metu contineantur; ſed tanquam conſilii rationiſque capaces, omnia conſilio atque ratione agant, virilibuſque virtutibus ſtudeant. Ut nunc Chriſtianorum felicitatem tanto magis æſtimemus, cogitandum eſt hæreditatem cujus ſpe hi filii Dei nituntur atq; omnia agunt, non eſſe poſſeſſionem terræ Chanaan, lacte & melle fluentis, nec terrenam benedictionem, qualem Deus Iſraëlitis Deut. cap. 28. promiſit, (hæc enim inſtar crepundiorum, aliorumq; munuſculorum tantùm fuerant, qualia nos pueris donare ſolemus) ſed cœli poſſeſſionem, quippe Deo verè dignam, omniumque bonorum quæ in eo nobis Sacræ Lit. proponunt, & mens humana vel cogitando aſſequi poteſt. Eſt autem hoc animadvertendum, quoſnam hîc Apoſtolus alloquatur, Deique filios appellet: Gentiles nimirum, ut apparet ex cap 4. 5. Ita ergo tantò major apparet illorum felicitas, ex prioris ſtatûs collatione. Noſtra eadem eſt ratio, qui quum ipſi ex Gentibus oriundi ſimus, non ex Judæis, filiorum jus apud Deum adepti ſumus. Itaque gaudeamus & ipſi felicitate noſtra, Deique beneficium in ea agnoſcamus.

Quod autem Galatas in genere alloquens, *omnes* Dei filios appellet, illud benigne interpretandum eſt. Credibile eſt enim multos inter ipſos non fuiſſe veros ac legitimos Dei filios: præſertim quum ab integritate fidei Chriſtianæ ad cerimonias Legis inciperent deficere; quo nomine graviter ab Apoſtolo reprehenduntur, præſertim in initio hujus capitis. Reſpicit enim Apoſtolus, non quid revera in illis fuerit, quod nemo exacte ſcire poteſt, ſed profeſſionem illorum, quam animi conſcientiæ reſpondere charitas jubet credere. Ita alibi paſſim eos ad quos ſcribit ſanctos vocat. Vide inprimis 1 Cor. 6. 11.

Porrò quum filii Deo tribuuntur, ſatis conſtat non ea ratione Deum liberos gignere, qua homines, aliaque animalia, per ſpeciei propagationem. Nec enim habet eâ ipſe opus, quum ſit immortalis. Quo argumento Dominus Jeſus probat neque nos in futura vita liberos ſuſcepturos, Luc. 20. 35, 36. Imò & ejuſmodi generatio impoſſibilis eſſe cenſeri debet: quum eſſentia divina nec multiplicari poſſit (aliàs enim & plures eſſent Dii) nec eadem pluribus ſive tota ſive per partes poteſt eſſe communis. Eſt alia quædam divinior Deoque magis digna generatio, qua filios ſibi producit. Qua ratione Dominum Jeſum genuerit, qui peculiaris quidam filius Dei eſt, de eo nunc non eſt dicendi locus: Qua verò ratione alios ſibi procreet, id in noſtro contextu explicatur, quum additur, *per fidem in Chriſtum Jeſum.* Quid fides in genere ſit, exponitur Heb. XI. 1. quod verſ. 6. declaratur. Fides in Domino Jeſu, quæ etiam 1 Tim. 3. 13. & 2 Tim 3. 15, ita dicitur, vel fidem per Dominum Jeſum præſcriptam, vel in eodem collocatam ſignificat: & tum aſſenſum univerſæ ejus doctrinæ adhibitum, tum inprimis promiſſorum ejus ſpem, in qua fiducia erga ipſum maximè cernitur, comprehendit: imò quum promiſſorum illius ſpem nemo hominum concipere poſſit, niſi à peccatis deſiſtat, & juſtitiæ ſtudeat, etiam pietatem eâ comprehendi exiſtimandum eſt, quoties fidei ſoli in nobis, juſtificationis aut adoptionis noſtræ cauſa tribuitur. Per hanc ergo fidem dicit Apoſtolus, Galatas, ac proinde omnes eorum ſimiles, Dei filios eſſe, ſive ad id perveniſſe ut filiorum Dei jure gaudeant. Quanquam enim in Lege Deus ab illis qui filii Dei eſſe vellent, Legis opera requiſiviſſe legatur, quia tamen ea opera nemo præſtabat, atque adeo præſtare vix poterat, propemodum inutilis erat illa declaratio, ut pote quæ effectum nullum producebat. Agnoſcamus grato animo hanc Dei benignitatem, qui per fidem nos in filios ſuos ſuſcipere ſeu adoptare voluerit, eamque fortiter amplectamur. Interea tamen caveamus, ne per fidem, imaginationem neſcio quam dogmatum, aut etiam mortuam pro viva amplectamur. Mortua verò eſt, quæ bonis operibus caret, ut S. Jacobus docet. Notemus & hoc, ad honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, quòd licet olim ſat eſſet in Deum credere, neque quicquam amplius vel de Abrahamo omnium fidelium parente, vel etiam in definitione fidei Hebr. XI. quæ fidem omnium qui ibidem poſtea celebrantur, reſpicit, legamus; nunc tamen & Jeſu Chriſti in fide nobis noſtra eſſe habendam rationem. Hæc enim *eſt vita æterna, ut* non tantùm *cognoſcamus Patrem, ſolum illum verum Deum*, ſed *& quem ille miſit, Jeſum Chriſtum.* Joh. 17. ℣. 3. Imò ut Petrus inquit Act. 4. 12. *In nullo alio eſt ſalus, neque ullum aliud eſt ſub cœlo nomen hominibus datum, in quo poſſint ſervari*, quàm Jeſu Chriſti.

2. Probat jam quod dixerat, omnes eſſe Dei filios per fidem. In ea probatione ſic progreditur. Docet ex baptiſmo in Chriſtum, qui nil aliud erat quam profeſſio fidei Chriſti, Galatas Chriſto unitos, atque ita Abrahæ ſemen, ac proinde benedictionis hæredes eſſe. Hoc autem nil aliud erat quàm eſſe filios Dei. *Quotquot enim in Chriſtum baptizati eſtis Chriſtum induiſtis.* Quid ſit baptiſmus propriè, videatur alibi. In Chriſtum baptizari eſt in eam profeſſionem aquæ immergi quòd Jeſum agnoſcas pro Chriſto atque Domino, quodque vale priori tuæ religioni ac vitæ dicto, ad Chriſti legem omnia tua conſilia & actiones componere velis. Atque ita eſt hic quædam initiatio, ſolenni cerimonia. Neque nova erat hæc ceremonia apud Judæos, ſed ut ex libris eorum conſtat, jam ante ut & nunc apud illos uſitata fuit, quoties Judaicæ religioni proſelytos initiabant, quos non ſatis erat circumcidi, ſed & baptizari neceſſe erat. Quod probe obſervandum, contra eos qui baptiſmum circumciſioni ſucceſſiſſe putant. Unde minus mirum quòd & Johanni Baptiſtæ eandem Deus ceremoniam præceperit, qua novæ vitæ rationi Judæos initiaret, & à diſcipulis Chriſti, tum ante mortem illius, tum poſt datum Spiritum ſanctum uſurpatam. Quorum illud ſine dubio Domino Jeſu approbante, hoc verò ſpiritûs illius inſtinctu, factum eſt. Quin commode hæc ceremonia illud ipſum adumbrabat, quod illi qui illam ſuſcipiebant per illam profitebantur. Immerſio enim in aquam, & ex eadem emerſio, erat repræſentatio quædam quòd ii qui baptizabantur, cum Chriſto & ſepeliri vellent, tanquam mortui peccato, & cum eodem reſurgere, Deoque vivere, & in novitate vitæ ambulare. Vide Rom. 6. 3.

Porrò *Chriſtum induere* non tantum eſt Chriſti ſenſum moreſque, ſed ejuſdem quoque ſtatum conditionemque in gratia filiationis apud Deum ſuſcipere. Metaphora à veſtibus ſumta, quæ geſtantem ubique complexæ, ſtatum ejus conditionemque indicant. Fortaſſe & alluſum eſt ad baptizandi ritum, quem nudi ſuſcepiſſe videntur, eoque ſuſcepto veſtes denuo induebant, cum quibus jam ipſum Chriſtum induiſſe quodammodo videbantur. Interim & ante baptiſmum indui Chriſtus poterat, atque adeo debebat: quod in domo Cornelii ſine dubio factum eſt: cui etiam ante baptiſmum Spiritus ſanctus collatus fuit, ut legimus Actor. 10. 44. Et poſt eundem repeti poteſt, ut ex cohortatione Apoſtoli patet Rom. 13. 14. Quod autem Apoſtolus hanc Chriſti indutionem hoc loco cum baptiſmo ſeu potius cum baptizatis conjungit, non eum habet ſenſum, quòd per baptiſmum ipſum Chriſtus propriè induatur: ſed quòd baptiſmus argumento ſit, eos qui illum ſuſceperunt Chriſtum induiſſe: quod ipſum denique tam benigne interpretandum eſt, non quòd perpetuò ita fieret, ſed quòd ita fieri deberet, eoque ex charitate, nihil mali ſuſpicante, fieri quoque, niſi quid obſtet, præſumeretur. Poſſet tamen hoc etiam aliquo modo admitti, quòd per baptiſmum quis Chriſtum induat, quatenus baptiſmus eſt profeſſio Chriſti: ſine profeſſione verò, utut quis corde credat, Chriſti indutio nondum ſit perfecta. Vide Rom. x. 10. Hoc tamen ita concedi poteſt, ut interea non negentur illi quoque Chriſtum induiſſe quia aliâ ratione quàm iſta in aquam immerſione Chriſtum publicè ſunt profeſſi.

Non est Judæus Declarat id quod dixerat omnes Christum induisse, & ostendit hac in parte, nec gentis, nec status, nec sexus, ullum esse discrimen. Non sine causa verò istud tantopere inculcat. Nam gentium quædam discrimina, Judæorumque præ Ethnicis quos hîc Græcos Apostolus vocat, quòd inter eos Græci excellerent, & apud plerosque Græca lingua usitata fuisset, prærogativa tanta antea fuerit, ut & Petrus post ascensionem Domini, postquam visionem illam memorabilem, tunc demum quum à Cornelio vocatus, ab eo intellexisset, per Angelum eum ad se fuisse ablegatum, cognovisse se dicat, apud Deum non esse acceptionem personarum. Dominorum quoque præ servis atque mancipiis magna erant privilegia: adeo ut servis propemodum haud aliter quàm jumentis uterentur. Ita & virorum præ fœminis inter ipsos quoque Christianos prærogativa est aliqua, de qua vide 1 Cor. xi. 7. Judaica quidem religio, & ex ea manans benedictio, ad viros primariò pertinuisse videtur: unde & his solis fœderis signum impressum fuit. At ratione ejus quòd quis Christum induerit, Christianusque sit, omnia illa discrimina sublata sunt. De nationibus, Petrus, loco allegato: de statu, 1 Cor. 1. 21. Ephes. 6. 8. Col. 3. 11, 25. Lætentur hac æqualitate cum Judæis Gentes, cum Dominis servi, cum viris fœminæ.

Omnes enim vos unus estis in Christo, Utcunque in communi vita discrimen & prærogativa hic remaneat, habitâ tamen Christianæ religionis ratione, omne illud sublatum est, imò omnes instar unius hominis sunt. Notandum hîc non unitatem substantiæ, sed qualitatis statusve ratione significari. Itaque malum est argumentum, quum ex unitate simpliciter nominata substantiæ seu essentiæ unitas concluditur: quod vulgò fit in illo Joh. x. 30. & 1 Joh. 5. 7. At id & hujus loci & aliorum, exemplis refutatur. Vide Joh. 17. 11, 21, 22. Act. 4. 27. 1 Cor. 3. 8. 1 Joh. 5. 8.

Si verò vos Christi. Hîc concludit argumentum: quod ut intelligatur, animadvertendum est, pro eodem Apostolum habere ista tria, induisse Christum, esse unum in Christo, &, esse Christi. Christi verò esse non significat hîc, esse illius in dominio, sed esse membrum sive partem illius. Id qui sint, ait: Nos esse *Abrahæ semen.* Ratio consequentiæ petenda est è vers. 10. & 16 superius. Quod si semen Abrahæ, Ergo & promissionis illius tantæ hæredes. Promissio Abrahæ facta variis in locis in libro Geneseos legitur. Sed tamen ea hîc spiritualiter intelligenda. Quod si fiat, jam in idem recidit, esse Christi, atque esse Abrahæ filium & hæredem. Amen.

Ephes. 2. vers. 1. ad 11.

AD calcem superioris capitis disseruit Apostolus de supereminenti magnitudine virtutis Dei, quam exeruit in Christo, dum eum suscitavit è mortuis, ut exinde colligerent Ephesii, quantam virtutem etiam in illis Deus sit exerturus. In hoc vero capite ostendit Apostolus, aliquid simile in Ephesiis factum esse, quod factum est in Christo, dum ait eos olim mortuos esse à Deo resuscitatos, & collocatos in cælis, idque cum Christo, id est, eadem opera ac vi, qua Christus resuscitatus & in cœlis collocatus est. Summa igitur horum verborum est: quòd describat, quomodo Deus Ephesios ex miserrimo statu, in quo fuerant constituti, transtulerit in statum lætissimum ac beatissimum. Itaque considerandus est:

1. Status infelix fidelium antè susceptam in Christum fidem.
2. Modus, quo ex eo erepti & in meliorem translati sunt.

Rem priorem ostendit primò Apostolus in Ethnicis: deinde in Judæis. Duplices enim erant fideles Christi: alii ex Ethnicismo ad Christianam religionem accedebant, è quibus erant etiam Ephesii; alii ex Judaismo, de quibus etiam hîc loquitur Apostolus, quod itidem miserrima eorum fuerit antè Christum conditio. De Ethnicis loquitur vers. 1, 2. *Et vos cùm essetis mortui* &c. ubi Apostolus periodum non absolvit, sed vers. 5 demùm, simul & Judæos complectens: *Et nos cum essemus mortui* &c. In sermone de Ethnicis duo proponit. 1. Quis fuerit Ethnicorum status. 2. Quæ causa eos in hoc statu detinuerit. Status exprimitur his verbis: *Et vos cum mortui essetis in peccatis & lapsibus.* Cum dicit: *Et vos*, respicit ad superiora, in quibus de Christo egerat. Quasi dicat: sicut Christum resuscitavit, ità & vos; de quo infrà. Cùm dicit, eos fuisse mortuos duplici modo id potest intelligi, sicut etiam Apostolus intellexit; primùm de morte spirituali, cùm quis peccatis immersus est, & mortuus est pietati ac bonis operibus. Mortuus enim is Deo est, qui peccatis deditus est, nihil eorum faciens, quæ Deo placent. Explicat quodammodo hanc mortem Apostolus, quando addit, *in lapsibus & peccatis:* ostendens, in eo ipso fuisse sitam hanc mortem spiritualem, quòd fuerint dediti lapsibus atque peccatis. Deinde possunt hæc verba Apostoli intelligi de morte æterna, quæ peccati est consequens, in quâ reipsa Ephesii non erant, sed ei tamen erant destinati, & ad eam damnati. Mors æterna jus quasi in eos obtinebat, quam non effugissent, absque omni dubio, nisi Deus ipsorum misertus, ex illius potestate eos eximere dignatus fuisset. *Stipendium* enim *peccati mors est* Rom. 6. 23. Hujus mortis reatu omnes Ethnici tenebantur, & nos, quotquot è fidelibus parentibus non sumus prognati. Primus, mortui, quoad divinam gloriam, & res eas, quæ salutem nostram spectant. Is fuit noster status, ut nos mors debuerit absorbere in æternum. Hoc ut probe consideremus interest, quo possimus meliùs intelligere magnitudinem divinæ gratiæ. Qui non novit præteritam suam miseriam, non poterit etiam nosse & perpendere suam felicitatem. Qui parentibus orti sunt fidelibus, agant gratias Deo, quòd non fuerint experti hunc miserum statum; quem tamen & ipsis considerare prodest, ut suam felicitatem intelligant. Metuant quoque sibi, ne felicitate suâ excidant: sic enim conditio eorum deterior esset conditione Ethnicorum.

Causas hujus infelicis status Ephesiorum duas profert Apostolus. 1. Seculum mundi hujus. 2. Principem potestatis aëris, id est, diabolum. In quibus, id est, lapsibus & peccatis *aliquando ambulastis secundùm seculum mundi hujus*, id est, secundum consuetudinem hominum hujus seculi: quasi dicat ita vixistis, prout vobis homines huic mundo dediti exemplo suo præiverunt, & vos variis illecebris traxerunt: homines vulgò sunt pecudum instar, quæ sequuntur antecedentium gregem. Idem faciebant Ephesii, quod videbant alios homines mundanos vitiis corruptos facere. Ita & hodie in mundo alii alios corrumpunt, & alii alios in malo imitantur: quod bene norunt, qui olim mundo servierunt. Magna est vis exemplorum, præsertim malorum. Seculum malum est, ubi multa sunt mala exempla: ideo nunc quoque nobis metuendum est, ne corrumpamur, cùm tam multa passim obvia sint mala exempla. Unum malum exemplum multum nocere potest; quid? cùm multa sint talia exempla. Claudamus oculos nostros, ne mundi corruptelam videant: quæ magis nocet contagione, quàm pestis. Pestis enim nonnisi propinqua inficit: at mala exempla etiam è longinquo nocent. Fugiamus ergo mundum, quantum fieri potest. Vitemus consortium hominum mundanorum, & nonnisi summa necessitate coacti cum iis habeamus commercium. Jubet enim Spiritus Dei, ut exeamus ex mundo.

Altera causa est, diabolus, hostis juratus humani generis, qui fuit homicida ab initio, qui hoc unum agit, ut homines & temporaria & æterna morte perdat, ut quam plurimos habeat socios in igne illo inextinguibili. Cumque sciat, humani interitus causam esse peccatum, eo intendit omnes nervos, ut ad peccandum homines inducat. Describit autem Diabolum Apostolus dum eum appellat *principem, cui potestas est aëris*, & *Spiritum qui nunc operatur in filiis inobedientiæ.* Qua de-

scriptione

scriptione exprimit, quanta sit vis atque potestas diaboli, ne mirentur, se ab eo fuisse seductos, utque præterea videant turpitudinem & indignitatem prioris sui status. Primùm ergo potestatem illius describit, postea effectum istius potestatis in hominibus mundanis. Potestas exprimitur appellatione *Principis*. Cùm esset bonus Angelus, habuit sibi subjectam magnam angelorum multitudinem: ubi degeneravit, & hi ipsum secuti sunt, cùm debuerint eum deserere. Alibi vocatur *Deus hujus seculi* 2 Cor. 4. 4. Non proprie, sed quia homines se ei ultro subjecerunt ac subjiciunt, facientes voluntatem ejus. *Cui potestas est.* Quid mirum est, eum multum posse efficere? *In aëre*, id est, id est, super dæmones seu reliquos malos spiritus, & super homines hujus mundi. Est enim princeps mundi, Eph. 6. 12. ubi etiam dicitur, esse in cælestibus. Aër enim superior vocatur cælum. In sublimi habitat. Locum habet commodum & opportunum ad magna patranda. Est *spiritus* inconspicuus. Homo hominem videns, facile sibi ab eo cavere potest. At ille non est corporeus, sed totus spiritus: ita facile potest homines seducere, ut mirum non sit, eum habere homines sibi in malo obnoxios. Adest ille hominibus, cùm sunt soli, interest & multis simul existentibus, potestque malas cogitationes hominum animis injicere, & cupiditates eorum incendere ad peccata, ad quæ eos pronos esse videt. Hic ergò fuit causa miserrimi Ephesiorum status. Idem nunc quoque agit, nunquam quiescit, sed leonis rugientis instar circuit, quærens, ut aliquem devoret. 1 Petr. 5. ℣. 8. Quicunque credimus in Christum, sciamus, eum esse nobis infensissimum, quia aliquando locum ejus in cælis, è quo ipse excidit, occupare debemus. Multum ille potest, sed tamen non amplius, quàm ei Deus permiserit. Oportet, ut armis spiritualibus adversus hunc spiritum instructi simus: præcipuè tempore persecutionis & afflictionum.

Porrò describit Apostolus effecta ejus. *Qui nunc operatur in filiis inobedientiæ.* Quasi dicat; Sicut olim & in vobis operatus est. Sed nunc estis traducti ex tenebris in lucem. Non patitur nunc Christus eum ità regnare, ut antea. Hoc illi licet, homines variis irritamentis ad peccatum allicere, ut eorum virtus tantò fiat illustrior. Hinc de iis dicitur, quòd vicerint malignum illum, ideò, quòd verbum Dei habitet in eis viresque eis subministret. Multa verò ademit Dominus nunc Satanæ, ut inter cætera, etiam oracula & responsa in delubris Ethnicorum. Hodie tamen adhuc multa habet talia, à quibus libera est Christi Ecclesia. *In filiis inobedientiæ*, seu incredulitatis: quasi dicat. In horum exemplo spectate, quales anteà fueritis, quid egeritis, & ad quæ facienda ducti fueritis. Videtis, illos nihil boni agere (ut ait infrà Apostolus cap. 4. 17.) Sed vos non decet ampliùs eorum more vivere. Non est difficile conjectura assequi, quomodo se gerant mundani homines, & quibus rebus operam, studium ac tempus impendant. Sed maximè si legantur historiæ, id videri potest: nec absque admiratione legi, quàm ad turpia & nefanda homines adduxerit Satan. Eminùs spectemus malitiam mundi, ut nostram præsentem sortem beatam videamus, Deoque gratias agamus, quòd nos sanctificaverit, & è potestate diaboli eripuerit. Etiam in hoc populo, qui Christianum se vocat, quàm multi sunt, filii inobedientiæ, qui veritatem Dei non agnoscunt, & Deo inobedientes sunt.

Transit ab Ethnicis Apostolus ad Judæos: *In quibus & nos omnes conversati sumus. Et nos*, id est, è Judæis oriundi. Innuimus superius, in his duobus situm fuisse infelicem statum Ephesiorum, tum quòd in peccatis fuerint, tum quòd morti sempiternæ fuerint obnoxii. Idem igitur jam de Judæis quoque affirmat Apostolus, quòd inquinati fuerint peccatis, & iræ divinæ fuerint obnoxii non minus, quàm Ethnici. Confundit Apostolus Judæos cum Ethnicis, & rejicit illos in mediam horum turbam. Ait enim: *In quibus*, id est, inter quos & nos Judæi &c. Erant quidem Ethnici suo modo deteriores, sed tamen & Judæi erant in eodem prædicamento, & quoad mores ab Ethnicis parum descrepabant, nec erant separati à mundo, sicut nunc Christus separavit populum suum. Conversati sumus *olim*, nempe ante agnitionem veritatis. *In Cupiditatibus carnis nostræ.* Indulsimus cupiditatibus nostris. Viximus prout libuit. Et ne quis putaret, tantum fuisse in illis cupiditates otiosas, addit: *Facientes voluntatem carnis & cogitationum nostrarum.* Amabant cupiditates, quamvis fœdas & detestandas, easque exequebantur, seu ductum earum sequebantur. Hoc etiam indicat Petrus 1 Epist. 4. 3. *Sufficit vos, præterito vitæ tempore voluntatem gentium perfecisse, ambulantes in luxuriis, cupiditatibus, violentiis, comessationibus, potationibus, & nefariis idolorum cultibus.* Inquit eos voluntatem Gentium fecisse, id est, idem quod Gentes voluerunt ac fecerunt, eos quoque voluisse ac fecisse. Apparet Judæos etiam idololatriâ se polluisse in dispersione. Namque tunc temporis in Judæâ nullam exercebant idololatriam: ideò Apostolus Rom. 2. ℣. 22. loco idololatriæ objicit illis sacrilegium. Ibidem etiam objicit illis furta & adulteria, & quòd Ethnicos scandalisarent; quòd gloriarentur in Deo, & interim Ethnicis essent in vitâ similes: quemadmodum & hodiè multi sunt in Ecclesiâ, sed non ex normâ divinæ vocationis viventes, sunt dehonestamenta nominis Christiani.

Ulterius subjungit, quid consecutum sit illam morum depravationem: *Et eramus naturâ filii iræ*, id est, obnoxii fuimus pœnæ, ac rei. Per iram enim pœnâ intelligitur. Filium autem alicujus esse, phrasi Hebræa significat, jus habere ad aliquid. Ira divina habebat jus in Judæos. Ità dicuntur in Sacris Literis etiam *Filii Regni*: quanquam hic est quædam diversitas. Hîc quidam putant agi de peccato originali, sed Apostolus de eo hic ne somniavit quidem. Comparat Judæos cum Ethnicis, monstrans, eos perinde peccasse, sicut Ethnicos, & non minus pœnâ dignos esse, atque illos. *Naturâ.* Non dicit, à nativitate: etsi Scriptura alibi magnitudinem humanæ malitiæ insinuans, dicat, eos erasse ab utero. Ita dicebant Pharisæi cæco nato: *Tu in peccatis natus es totus.* Ioh. 9. 34. sed huc non spectat Apostolus, verùm hoc sibi tantum vult, eos verè tales fuisse. Naturâ enim opponitur opinioni: ut & Gal. 4. 8, *qui naturâ non sunt Dii*, id est, qui reipsa non sunt Dii, sed tantum opinione hominum. Non enim loquitur de iis, qui dono Dei erant Dii; neque agnoscit, illos Galatarum Deos ullo jure Deos fuisse. Ità hîc quoque opinionem Judæorum refellit, ac supercilium retundit, qui Abrahamo & Lege ceremoniali ac circumcisione gloriabantur. Ideò Apostolus ait hæc omnia non obstare quominùs ad eos ira Dei ac judicia ejus pertineant, vultque eos credere, quod naturâ, id est, verè sint filii iræ. Ità Johannes Baptista imò Christus ipse quoque hanc eorum opinionem infringebat, ne dicerent: Non est, quòd timeamus judicia Dei, quia sumus filii Abrahami. Imò, vos estis filii iræ, inquit Apostolus. Deinde ait Apostolus de fidelibus Judæis: Eramus filii iræ naturâ, non sumus; indicat eos jam mutatos, & non ampliùs esse iræ filios. Quod autem naturale est, id non mutatur. Non ergò hic est de peccato originali sermo, quem ajunt homines isti, manere in fidelibus quoque usque ad mortem. Cogitemus & nos fuisse olim filios iræ divinæ: quin & hodiè adhuc esse, si verè ac seriò non egimus pœnitentiam. Sed si mutavimus animum ac vitam in melius, non ampliùs sumus iræ filii: idque nobis contigit summâ Dei gratiâ; absque quâ fuisset, irâ Dei in nos jus adhuc haberet.

Sequitur descriptio status felicissimi, in quem sint transpositi; ubi ostendit. 1. Quid Deum moverit ad transmutandum statum ac conditionem eorum. 2. Exprimit ipsum statum beatum. 3. Finem & scopum monstrat, ad quem Deus respexerit, & propter quem tantam gratiam Christianis exhibuerit. Rem primam expressit his verbis: *Sed Deus qui est dives misericordiâ*, Deus, inquit, ille Pater Domini nostri Jesu Christi, qui hunc suscitavit ex mortuis, (quem hoc ipso Apostolus manifestè distinguit à Christo) hoc fecit. Quid

eum moverit, indicat, cum dicit, eum cum esset misericordiâ dives, multa seu magna charitate dilexisse nos. Idem indicat, cum bis ait: nos gratia Dei esse servatos ℣. 5. & 8 & cum ℣. 7. abundantes divitias gratiæ ejus commemorat. Non meminit hîc ullius meriti vel satisfactionis. Quicquid enim cum Christo actum est, totum id ex merâ gratiâ Dei factum est. Ex gratia Dei propter nostram salutem mortuus est, & postea resuscitatus est. Non mors Christi fuit causa gratiæ Dei: sed Dei gratia fuit causa mortis Christi. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, nempe in mortem. Joh. 3. 16. Errant, qui sentiunt, Deum tunc nobis fuisse iratum, cum Christus moreretur. Deus enim ipse per se ac ultro ira deposita misit filium suum in mundum, obtulitque nobis gratiam suam salutarem, inque ejus fidem ac testimonium tradidit filium suum in mortem. Non opus erat, ut quisquam Deum nobis placaret, sed hoc opus erat, ut nos videntes effecta divinæ erga nos gratiæ, ad eum converteremur, ipsi viveremus, sicque servaremur. Si id verum esset, quod hodiè Christiani credunt de meritis Christi, an fieri potuisset, ut id Apostolus hic omitteret? Quam facile potuisset Apostolus dicere: Deus motus merito ac satisfactione filii sui? Sed ne verbulo quidem ejus rei meminit. A Deo incipit Apostolus, in Christo desinit, per quem res ista ad exitum perducta est. *Misericordia* respicit miseriam. Quis verò potest esse miserior eo, qui in peccatis atque simul in judiciis Dei demersus, in faucibus hæret mortis æternæ. Ex his faucibus divitiæ misericordiæ, & quidem abundantes ac supereminentes divitiæ nos eripuerunt. Non vulgaris aut exigua aliqua gratia, sed amplissima & penè infinita ac immensa nobis exhibita est. De hac gratia ac misericordiâ Dei tantum detrahunt homines, quantum meritis ac solutioni plenariæ Christi pro peccatis nostris adscribunt. Quæ enim in eo gratia foret, si Deus quod suum est, recepisset. Neque gratia, neque remissio dici meretur, quando quis solutionem pro aliquo, quamvis ab alio, accipit. Nos verò consideremus gratiam Dei, qui ultrò homines nihil minùs cogitantes prævenit gratia sua: cum illi facerent omnia Deo contraria, Deus nihilominus ex mero beneplacito suo, misertusque interitus eorum, obtulit eis salutem, ideoque filium suum in mortem dedit, eundemque propter eos à mortuis suscitatum in throno suo collocavit, & media omnia suppeditavit, per quæ homines ad notitiam veritatis pervenire queant. Hæreat hæc beneficentia Dei alte animis ac memoriæ nostræ infixa, & pro ea celebremus Deum in æternum.

Posteà Apostolus breviter iterata miseriæ nostræ mentione, exprimit summam nostram felicitatem. *Et nos*, intellige, tam Ethnici, quàm Judæi. Suprà distinctè locutus est de Ethnicis & Judæis, nunc utrosque conjungit. *Cum in delictis mortui essemus*, utroque scilicet modo, qui suprà indicatus est. *Una vivificavit cum Christo.* Hic est status felix, in quem translati sumus à Deo per Christum. Quæ verba duplicem sensum habent, & duas partes nostræ felicitatis complectuntur, quemadmodum superius etiam duæ partes infelicitatis nostræ significatæ fuerunt, & ratione peccati & ratione pœnæ. Ita nunc felicitas nostra primùm in eo sita est, quòd sumus erepti ex morte Spirituali, ut animum ac voluntatem nacti sumus ad vitanda peccata; deinde in eo, quod jus adepti sumus ad resurrectionem à mortuis & ad vitam æternam. Duobus autem modis hæc adepti sumus per Christum. 1. Dum in nobis Deus per eum effecit, ut velimus peccati jugum excutere. 2. Dum effecit, ut possimus, ut habeamus satis virium ad serviendum Deo. Sicut Christus cum mortuus est, peccato mortuus est semel, nunc autem vivit Deo, id est, vitam divinam, quam vult Deus Christum vivere, atque hæc vita ejus spectat ad gloriam Dei: Ità nos quoque peccato mortui, debemus vivere vitam talem, quæ sit cum gloria Dei conjuncta. Spiritualis ergò vita ita in nobis effecta est, ut & voluntatem pie vivendi habeamus & facultatem, atque sic regeniti sumus per resuscitationem Christi à mortuis. Per hanc enim Deus nobis ingeneravit spem vivam 1 Petr. 1. 3. Spes autem ista efficit, ut sanctificemus nos ipsos, sicut ipse sanctus est. 1 Joh. cap. 3. 3. Deinde nos etiam vivificavit cum Christo, dum aditum nobis ad vitam æternam aperuit per resurrectionem mortuorum. Nam & promissionem vitæ æternæ Christi resurrectione confirmavit, & exemplum ejus nobis in Christo exhibuit, & per eum tanquam per primitias nos consecravit. 1 Cor. 15. 20. Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Christus est primitiæ eorum, qui obdormierunt. Omnes qui ipsi sunt similes, idem sperare habent. Quia enim est similitudo ac proportio quædam in obedientia, vult Deus, ut etiam sit in præmio. Deus enim est benignissimus, & justissimus, quanquam benignitas hic prævalet. Christus perfectè Deo servivit; nos verò ei similes sumus, quando nullo laboramus peccati habitu. Non est paritas, sed est similitudo. Dominus Jesus etiam prior est resuscitatus, ut esset exemplum felicitatis, & ut esset noster Dominus. Similitudo præmii in eo erit, quòd sicut ille in æternum beatus est, ita & nos erimus. Nam si in hâc solum vita speramus in Christum, miserrimi omnium hominum sumus. 1 Cor. 15. 19. Oportet ergò esse resurrectionem. Dux noster jam resurrexit, & nobis idem promissum est. Dei autem justitia postulat, ut quod promisit impleat. *Una cum Christo.* Non reipsa sumus cum eo spirituales & immortales effecti, sed Christi resurrectio est medium ad hoc in nobis efficiendum: & quòd cum Christo resurgere ac spiritualem vitam agere velimus, testati sumus per baptismum. Rom. 6. 4. Col. 2. 12. Addit Apostolus, in parenthesi; *Gratiâ estis servati.* Inculcat hanc gratiam Apostolus, vultque hoc antè omnia notari, quòd perfectissimâ Dei gratiâ id factum sit, quòd simus *servati*, id est, quòd & à peccatis simus liberi, & jus habeamus ad vitam æternam. Convertamus ergo oculos nostros ad fontem omnis gratiæ. Ipsi acceptum feramus, quod & voluntas in nobis ad pietatem excitata sit, & media suppeditata, & spes vitæ æternæ ingenerata. Repetit postea, quod *simus resuscitati cum Christo*, de quo jam egimus. Sed cum dicit, quòd simus *collocati in cœlestibus in Christo*, ad felicitatem nostram magis pertinet, quàm ad officium. Quanquam id ita explicari posset, quod debeamus cœlestem vitam agere, ea quæ in cœlis sunt quærere, ac sapere Col. 3. 1, 2. ubi sic argumentatur Apostolus: jam in vos recepistis, vos velle piè vivere, adeoque mortui estis peccato. Sicut ergò Christus resuscitatus vivit in cœlo, ita & vos capita vestra ad cœlum attollite. Sed meliùs tamen verba hæc de collocatione nostri in cœlis in textu nostro sumuntur de jure & privilegio ad immortalitatem. Ubi adoleverimus, ad hæreditatem nostram cœlestem admittemur. Habemus ibi Patrem nostrum, ejus hæredes erimus, & cohæredes Christi. Nunc jus nos ad hæreditatem habere satis est. Postquam maturuerit nostra pietas, reipsa adibimus hanc hæreditatem, & in cœlis collocabimur tanquam filii Dei. Hanc Dei gratiam semper habeamus ante oculos. Maximè hac nos solemur in maximis afflictionibus. Si nos terra rejiciat, paratum nobis est cœlum, ad quod transferemur, ubi nullus fletus, nulla mors, nulla habebit locum molestia, ubi videbimus gloriam Dei & Christi, ejusque fiemus participes.

Finem istius gratiæ ostendit Apostolus: *Ut ostenderet in seculis supervenientibus eminentes divitas gratiæ suæ* &c. id est, ideò sic nobiscum egit Deus, quia constituit non solùm homines horum temporum, sed & eos qui postventuri sunt eripere ex servitute peccati, & in cœlum transferre. Pepigit enim Fœdus cum universo humano genere. Voluit, in primis Christianæ religionis professoribus, quàm maximè conspicua esse sua beneficia; ideoque elegit pessimos, ut posteriora secula hoc se solarentur gratiæ Dei exemplo, & tanto citius ad Deum converterentur. Ita Paulus ait de se: *Propter hoc misericordiam consecutus sum, ut in me primò osten-*

ostenderet Jesus Christus omnem longanimitatem, ut essem exemplar credituris in eum ad vitam æternam 1 Tim. 1. 16. ut nimirum videntes tanto peccatori gratiam exhibitam, & illi non desperarent de divina clementia. Hoc idem nunc quoque Deus feci, & talia elegit tempora, ut homines ad se adduceret, quibus homines fuerunt corruptissimi. Quales enim fuerint majores nostri, res nota est. Glorificemus Deum pro gratiâ divinâ nostris temporibus exhibita, quam & imposterum exhibere paratus est, si homines non fuerint ingrati.

Pergens ulterius Apostolus in cæpta materiâ, id quod dixerat de gratia Dei, quâ translati sumus è statu miserrimo in felicissimum, illustrat & amplificat, ostendens, adhuc in eo magnitudinem gratiæ nobis exhibitæ, quòd 1. conditionem facilem & tolerabilem & æquam nobis Deus imposuerit. 2. Quòd ipse nos adjuvet, ut hanc conditionem impleamus. Id enim necessario ad salutem requiritur. Primùm igitur in genere gratiam proponit Apostolus, postea eam illustrat. Proponit repetens jam superius prolata verba: *Gratia estis servati.* Ex gratia profecta sunt omnia, quæ ad mutandum statum nostrum per Christum facta sunt, de quibus jam dictum ante. *Estis servati*, non reipsa: nam demum in adventu Domini continget fidelibus salus reipsa; sed sumus servati spe nunc in terris, postea in futuro seculo reipsa servabimur. Illustrat hanc gratiam Apostolus, cum addit, *per fidem*: quam opponit operibus. Fides est fiducia in Deo collocata per Christum, quæ in eo consistit, ut homo habeat firmam spem, se victurum in æternum, hacque spe impulsus pie vivat, vitiis abjectis & adscitis in eorum locum virtutibus. Fidei utilitas anima est pietas, ac bona opera, sine quibus fides mortua est, sicut corpus sine anima Jacob. 2. 26. In Christo Jesu tantum fides valet, per charitatem efficax, quæ utramque facit paginam. Nam & Deum nemo potest diligere, nisi diligat proximum. Alibi observatio mandatorum Dei ponitur loco fidei, vel nova creatura, quando scilicet quis in melius mutat animum ac vitam suam. Confer cum Gal. 5. 6. ejusdem epist. cap. 6. 15. & 1 Cor. 7. 19. Quanquam hæc tria distingui queant; tamen certum est, animam fidei esse observationem mandatorum Dei: & ubi ista est, ibi demum est fiducia illa, sine qua impossibile est Deo servire; cum præcepta Dei sint carni difficilia & molesta, nempe ut non diligamus mundum, ut omnia mala perferamus propter nomen Domini. Hoc impossibile est præstare, nisi cælesti spe fulciamur. Necesse enim est, ut homo aliquid amet tanquam summum bonum suum. Itaque qui caret spe vitæ æternæ, eum necessario oportet amare terram & bona hujus vitæ. Sed qui habet spem futurorum æternorum bonorum, is purificat se ipsum, sicut ille purus est. 1 Joh. 3. 3. Nemo potest habere salutarem fidem absque operibus, neque opera absque perfecta fide. Rem facilem & exiguam Deus à nobis exigit, ut nimirum credamus, nos in cælum translatum iri, si sub hac spe piè vivamus, etiamsi forte ante hac peccatis cooperti Satanæ servierimus, dignique perditione ob flagitia nostra fuerimus. Præterita delicta etiam gravissima condonat nobis Deus, dummodo post agnitam voluntatem ejus piè vivamus. Et nunc quoque etsi aliquando cespitemus aut labamur ex fragilitate, paratus est Deus ignoscere, modo in nullo peccati habitu hæreamus, & è contrario habitum omnium virtutum contrahamus, ne excelso brachio & ex malitia unquam peccemus. Hac fide atque obedientia, quæ ex ista fide promanat, Deus nos justificat. Ut enim Deus homines peccatis inquinatos, nec ablutos, in cælum intromittat, neutiquam Deo convenit: & oportet esse extremæ impietatis hominem, qui tantum habens sibi propositum præmium peccatis non vult valedicere, sed cum illis vellet in cælum transferri. Nihil quidem operibus nostris meremur, sed tamen nisi opera faceremus, promisso præmio non potiremur. Gratiâ Dei non debemus abuti, ut illa nobis sit fomentum vitiorum nostrorum; sed potiùs nobis debet esse incitamento ad pietatem. Vide Rom. 6. vers. 1, 14, 15. Tit. 2. 2. Qui nimis sibi dilatat gratiam Dei, is propriis manibus sibi viam ad eam obstruit.

Ostendit deinceps, quanta sit perfectio istius gratiæ divinæ; *Et hoc non ex vobis* &c. Non est hoc ex vobis, quod credatis in Deum, fiduciam in eo collocetis, ipsique obediatis. Deus enim vobis revelavit voluntatem suam, eamque validissime confirmavit, & sic effecit, ut eam reciperetis. Homines de eo non cogitarunt: sed Deus solem gratiæ suæ exoriri fecit, quem conspicientes homines probi ingenii, amplexi eum sunt. Non omnes credunt, non quòd sufficientes causas credendi non habeant, sed quod propter suam improbitatem credere nolint. *Hoc est judicium* &c. Joh. 3. 19. Mali lucem fugiunt, ne cogantur opera tenebrarum abjicere. Lux enim detegit ac manifestat opera tenebrarum. Nocte latent vitia, & nuditas: interdiu honeste vestiri oportet. Itaque mali amant noctem; at probi luce gaudent, ut appareant opera eorum cum voluntate Dei consentanea. Hoc igitur modo fides est donum Dei: non eo, quo vulgo creditur, Deum infundere hominibus invitis fidem. Ille quidem donat nobis fidem: sed tanquam hominibus ratione præditis. Liberam relinquit voluntatem nostram. Satanas nos libenter cogeret, sed non potest. Deus posset, sed non vult. Vult ut ipsi sponte serviamus: & in eo sita est gloria Dei. Quando Deus maximas & certissimas promissiones nobis proponit, tunc nos trahit ad fidem. Et hæc est illa tractio, de qua Christus Joh. 6. 44. Etiam mundus sic trahit homines ad se. Quod si quisquiliæ hujus mundi tantum possunt præstare, etsi sint viles & incertæ, cur non etiam præstantissima & certissima bona cælestia possint in nobis id quod Deus vult, præstare? Id circo nos scriptura ad fidem adhortatur, quia illa est in nostra potestate. *Vobis donatum est pro Christo, non solum in eum credere, sed etiam pro illo pati.* Phil. 1. 29. Non vi id Deus effecit, sed occasionem & media & vires præbuit, ut crederent, & perferrent omnia Christi causa. Ita nobis Deus donat fidem, cum dat sufficientes caussas credendi, quibus homo cordatus possit acquiescere. Non agit nobiscum, uti cum equis ac mulis. Proponit nobis vitam & mortem. Si quis mortem ac viam mortis eligat, jure perit sua culpa, quia poterat piè vivendo adipisci vitam æternam, sed noluit. Hæc conditio, quam nobis Deus imponit, est res exigua respectu præmii. Onus ejus leve est, & adhuc ipso nos in hoc onere portando juvat ac sublevat.

Ita Apostolus illustrat gratiam Dei, ostendens facilitatem conditionis nobis impositæ; quam porrò opponit conditioni arduæ ac difficili, quam Deus exigebat sub veteri Fœdere. *Non ex operibus.* Sub lege Deus requirebat opera, id est, voluit, ut perfecte lex servaretur, & executioni mandaretur. Ideo dictum est: Maledictus omnis, qui non fecerit omnia. Talia opera erant meritoria, qualia Deus sub novo Fœdere non postulat. Illis opponit Apostolus fidem, non eò quòd fides sit absque operibus, sed quòd hæc fidei opera non mereantur vi sua mercedem, quodque cum imperfectione & lapsibus conjuncta sint. Atque hæc opera non tam sunt nostra, etsi etiam nostra sint, quàm Dei, qui ea in nobis efficit promissis suis. Illa opera veteris Fœderis erant hominum propria: quia cum promissa essent imperfecta, solo virtutis amore cogebantur homines Deo servire; quod tamen nemo perfectè præstitit, præter Christum. Gaudeamus nos non esse sub illo Fœdere, sed sub Fœdere gratiæ. Etsi enim id per se justum ac æquum sit, ne Deum unquam offendamus, Deus tamen habuit rationem nostræ infirmitatis. Si per omnibus numeris absolutam obedientiam deberemus servari, nemo nostrum servaretur, quia omnes peccavimus. Finem postea hujus rei monstrat Apostolus: *Ne quis glorietur.* Merita operum possent dare gloriandi ansam: sed Deus vult, ut ipsi gloria in solidum tribuatur. Quanquam & gloriatio illa non foret justa, esset tamen speciosa. Quæ enim est proportio inter finitam rem ac infinitam? sed tamen ratione

ratione pænarum, posset aliquis jure gloriari, qui perfectè Deo serviret. Pœna enim non potest irrogari, nisi propter peccatum. Ut igitur gloriationi nullus sit locus, Deus fidem acceptare vult, in quâ opera non possunt esse perfecta propter nostram imbecillitatem. Servi sumus inutiles. Deus omnium bonorum operum in nobis est auctor, etsi non sine nostro labore, qui tamen admodùm est exiguus: & cogeremur nihilominùs hunc laborem suscipere, etiamsi nobis tam amplum præmium non constituisset Deus.

Restant verba Apostoli vers. 10. in quibus illustrat & probat superiora, quòd nimirum Dei donum sit fides nostra, & quòd nos Deus ex fide justificet, non ex operibus. *Ipsius enim sumus opus, creati in Christo Jesu* &c. Non est hîc sermo de veteri creatione. Hæc enim ad propositum Apostoli non facit. Sed est sermo de nova creatione, quod indicant verba hæc addita: *In Christo Jesu*, seu per Christum. Creati autem sumus per Christum non ex toto & de integro, sed tantum ratione qualitatis cujusdam ad perfectionem nostram spectantis. Ita etiam dicitur Psal. 100. 3. *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Ubi non hoc vult dicere, nos non creasse nos ipsos. Quis enim id nescit? Sed, nos factos esse populum Dei, non nostro merito aut dignitate. Non ergo & hic loquitur de eo Apostolus, quòd nos Deus creaverit homines, quamvis id verum sit, sed quòd nos creaverit Christianos. Hoc enim ad propositum ejus pertinet. Creati sumus in Christo, id est, recreati vel reformati in animo ac moribus; quanquam animum maximè respicit Apostolus, quia addit: *Ad bona opera.* Agit Apostolus de tempore, quo nobis innotuit Evangelium. Hoc autem ad notitiam omnium Deus perduxit per Christum. Hic enim est ille Dominus, per quem omnia. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso nihil factum est, quod factum est. Joh. 1. 3. ubi agitur de mutatione religionis, quæ facta est inter Ethnicos & Judæos. Etsi enim etiam per Apostolos multa sint facta ad hanc rem pertinentia, per Paulum inter Ethnicos, & per alios Apostolos inter Judæos: tamen nihil sine Christo factum est; ut ipse Dominus dixit eis alibi: *sine me nihil potestis efficere.* Joh. 15. 5. Christus eos corroborabat, dona ipsis largitus & miracula faciendi, & sanctè vivendi, & atrocia patiendi pro nomine suo. Creati verò hoc pacto sumus per Christum, dùm nobis Deus per eum tradidit doctrinam cœlestem, promissa & præcepta, & promissorum argumenta indubitata; quibus factum est, ut crederemus, & viam pietatis ingrederemur. De hâc creatione loquitur infrà quoque vers. 14, 15. Item Cap. 3 9. ubi dicit omnia Deum creasse per Christum, id est, omnes homines reformasse, non Judæos tantùm, sed & Ethnicos: quos utrosque ità immutavit, ut ex duobus unus fieret Christianus populus, atque pariter omnes uni Deo servirent. Hoc Deus fecisse dicitur, sed intelligendum est, id eum non fecisse absque hominum ipsorum operâ ac voluntate. Non enim nobiscum egit Deus, uti cum truncis, quemadmodum nonnulli asserunt, novam creationem eodem modo peragi, ut veterem: cùm hîc ingens sit discrimen. Nam antè primam creationem, nos nondum eramus in mundo; antè secundam, jam sumus & ratione sumus præditi, quâ flectere voluntatem & affectus nostros possumus in hanc aut illam partem. *Ad bona opera.* Ostendit, in quem finem facta sit ista nova creatio & mutatio religionis. Posteà ostendit, id non ita factum esse, ut nos jam deferat; addens: *quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* Ità igitur ad bona opera creati sumus, ut pietatem, justitiam, charitatem aliasque virtutes nobis præscriptas servemus. Qui non dat operam bonis operibus, frustrà gloriatur gratiâ Dei, vel, ut Apostolus ait, in vanum recepit gratiam Dei. 2 Cor. cap. 6. ℣. 1. Quicquid Deus fecit, fecit propterea, ut nos bona opera faceremus. Nihil omnia illa, quæ à Deo facta sunt ac Christo, cuiquam proderunt, si pietatem non colat. Probat autem his verbis Apostolus, ea quæ superiùs dixerat; quòd nos Deus non ex operibus justificet. Nam si nos Deus propterea iterùm creavit, ut bona opera faceremus, sequitur, nos antea illa non fecisse. Præterea quia Deus ea præparavit, apparet, nos iis nihil mereri. Quòd ea non præstiterimus anteà, ex eo liquet, quod ea Deus in nobis demùm efficere debuerit: & propterea longè absunt à merito. Aliud esset, si ipsi nostris propriis viribus ac motu ea fecissemus: etsi ne tunc quidem, ut jam dictum est, possemus iis ut pote finitis æternum adeoque infinitum præmium mereri. Quantò minùs jam merito locus est, postquam peccavimus, & Deus ipse auxilium nobis ad ea perficienda largitur? *Præparavit*, id est, viam stravit, impedimenta removit, media omnia ordinavit, leges præscripsit, vires subministravit. Fugiebat nos ratio, quâ Deo serviendum sit; nescivimus, quænàm sint bona opera. Deus nos docuit per Christum. Omnia nobis donavit, quæ ad vitam & pietatem pertinent: incitamenta ac stimulos nobis subjecit ad sanctimoniam sectandam, & ne quid nos in viâ moretur, curat. *Ut in illis ambulemus.* Vult ne parcamus pedibus. Cui via paratur, debet ipse eâ viâ ire. Itaque cùm & hîc Deus paraverit bona opera, ut ea faciamus, ingrediendum atque calcandum nobis est hoc iter bonorum operum. Ambulandum nobis, imò currendum in hoc itinere est, non standum. Ne simus contenti initiis pietatis, sed subindè progrediamur ulteriùs, & ad altiora contendamus. Omissò initiali Christi sermone ad perfectionem feramur. Hebr. 6. 1. Eorum quæ à tergo sunt, obliviscamur, & ad ea quæ à fronte sunt totis viribus contendamus. Phil. 3. 14. Demus operam perpetuò, ne unquam Deum offendamus: si quandò id accidat, ne id fiat deliberato animo, sed ex imprudentia, Deumque deprecemur assiduò, ne id nobis imputet. Ne ipsi nobis obices & impedimenta in via pietatis ponamus, imò curemus, ut quàm maxime expediti simus ad hoc stadium decurrendum. Ità ambulemus & curramus, ut ad metam pertingamus, ut brabeum accipiamus, 1 Cor. 9. 24. ut ad finem viæ nostræ ac fidei perveniamus, qui est salus animarum. 1 Petr. 1. 9. Abjecto omni onere & peccato nos facilè circumcingente per patientiam propositum nobis stadium decurramus, idque faciamus intuentes in fidei nostræ ducem ac consummatorem Jesum, qui pro gaudio sibi proposito sustinuit crucem, ignominiâ contemtâ, & ad dextram throni Dei consedit; ut nos quoque cum eo aliquandò in throno ejus consideamus & æternùm regnemus Hebr. 12. 1, 2. Deus autem nobis currentibus adsistat per spiritum suum in Christo Jesu. Amen.

Ephes. 3. vers. 13.

Continetur his verbis adhortatio ad constantiam in religione & doctrina Christiana. Partes constituemus tres: In prima modum cohortationis: In secunda argumentum ejusdem. In tertia deductionem seu rationem ejus; considerabimus. De prima. Adhortationis deductio notatur vocula *Quapropter*, quæ respicit antecedentia. Commemoraverat Apostolus creditum sibi mysterium de vocatione gentium ad consortium promissionum divinarum. Hinc ergo adhortationem suam deducit. Non enim sufficiebat ad salutem gentium, quòd Deus hanc illis destinaret, quandoquidem non sine ipsorum opera servare eos Deus constituerat; sed opus erat ut oblatam à Deo gratiam ipsi quoque amplecterentur, & quidem constanter. Notandum verò hic est; primum salutis fontem esse Dei gratiam atque prædestinationem, sine ea enim frustra à nobis omnia susciperentur. Eoque tam diligenter id inculcat cùm rationem salutis nostræ declarat Apostolus, sup. cap. 1. ℣. 4, 5. Ex ea deinde petendus est actionum nostrarum modus, non nostro arbitrio fingendus. Inde Apostolus Judæos reprehendit, qui justificationem ex operibus legis quæ Deo non amplius allubescebant, sectabantur. Rom. 9. 30. & seqq. Modus adhortationis exprimitur, *peto*, vel rogo. Potuisset Apostolus imperare nomine Dei, ac Domini nostri Jesu Christi, quod fecit 1 Thess. 4. 2, 11.

2 Thess.

2 Thess. 4. 6, 10, 12. 1 Tim. 6. 13. & Timotheum id facere jubet 1 Tim. 1. 3. & 4. 11. & 5. 7. & 6. 17. & Tit. 2. 15. Sed mavult jure suo non uti. Est enim amans libertatis animus humanus: cui videtur vis fieri cùm quid imperatur. Itaque ad Philemonem ℣. 8, 9 inquit, se quanquam imperare posset, tamen malle hortari sive rogare, propter amorem. Videmus & alibi quàm cautus in imperando sit Apostolus, 1 Cor. 7. 10, 25. 2 Cor. 8. 8. Ideo plerumque hortari mavult, quod & inf. facit cap. 4. vers. 1. Non rarò tamen & rogat, ut 2 Cor. 5. 20. Gal. 4. 12. 1 Thes. 4. 1. & 5. 12. 2 Thes. 2. 1. Quis autem tam blande roganti non libenter obsequeretur? præsertim si cogitet, quis, & quid roget. Rogat enim Apostolus Jesu Christi, vas illud electum, de cujus præstantia vix satis dici potest. Solent magnorum virorum preces imperii vicem habere apud animos æquos & generosos. Rogat quoque aliquid non quod suo sed quod nostro ipsorum bono cedit. Notandum hîc qua ratione alios ad pietatem ducere debeant Ecclesiæ ministri, non imperio superbo, sed hortationibus & precibus blandis. Nec enim *dominari clero* debent, ut docetur 1 Pet. 5. 3. Unde constat quid judicandum de imperio Pontificis, qui vulgò Sanctissimus Dominus noster audit, qui non tantùm superbus est, sed etiam violentiam armis exercet in Principes & Respublicas, atque his regnum suum stabilire conatur. Id quippe significatum vult illis Petri verbis, *Ecce duo gladii hic*, Luc. 22. 38. Et voce illa Act. cap. 10. vers. 13. *Surge Petre, & macta, & comede.* Scilicet omnes & omnia etiam violenter ad usum tuum converte.

Argumentum adhortationis Apostolicæ ipsum est *ut ne segnescatis*, vel ut alii vertunt, ne deficiatis. Quippe non satis est bene cœpisse, sed & pergere & perseverare oportet, usque ad finem. Vide Col. 2. 23. 1 Tim. 4. 16. Hebr. 10. 38. Matth. 10. 22. XXIIII. 13. Heb. 3. 6. Apoc. cap. 2. vers. 16. Imò non tantùm pergere decet, sed & alacritatem vehementiamque bene agendi temporis progressu intendere. Quemadmodum ii qui in stadio currunt, quanto propiores sunt metæ, tantò avidius cursum intendere solent. Exercitatio atque usus ipse facilitatem operis promovet. Interea tamen fatendum est, esse non pauca quæ alacritatem in nobis infringere possunt, & solent. Remigamus ferè adverso fluvio: nam pietati nostræ & Satanas, & mundus, & caro nostra adversantur: quam si planè non subvertunt, sæpe tamen nonnihil convellunt. Sed inter cætera non exiguo nobis obstaculo sunt afflictiones variæ, non nostræ tantùm, sed & aliorum piorum veritatis divinæ professorum. Quilibet enim sibi bene esse vult. Itaque cùm vident homines ob professionem euangelii sibi multa mala impendere, dissimulatione aut excusatione ejusdem mala ista declinare student: quum aliis eadem incumbere vident, statim ne exemplum ad se manet, metuunt. Alii etiam sic argumentantur; Non posse eam à Deo profectam esse religionem, quæ suos professores tam multis malis objiciat. Hanc occasionem sedulò ambiebant hostes Pauli euangeliique ab eo prædicati, eoque argumento veritatem doctrinæ ejus in dubium vocare conati sunt. Videbant enim, Paulum ob doctrinam de justificatione per fidem sine operibus Legis, multis periculis atque incommodis obnoxium. Hinc concludebant doctrinam illam haud esse veram, nec ipsum esse gratum Deo voluntatis suæ præconem: quippe quem tantis incommodis alioquin haud esset passurus premi. Id ergo cùm non ignoraret Apostolus, Ephesios hortatur, ut ne per suas istas afflictiones adducantur ad segnitiem, aut defectionem à doctrina fideque vera. Cæterum quàm multæ Apostoli nostri afflictiones fuerint, docet historia Actorum Apostolicorum. cap. 13. 45, 50. & 14. 5, 6, 19. & 16 vers. 19. & 17. 1. & 18. 12, 13. & 19. 23. & 21. 21. usque ad finem libri. Ipse quoque eas aliquoties commemorat, ut 2 Cor. cap. 4. vers. 8. & XI. 23 Et 12. 7. ait hunc sibi stimulum in carne datum, ut à Satana colaphis afficiatur. Hoc tamen in loco videtur Apostolus potissimùm respicere ad illam afflictionem quam sustinebat in carcere Romano, quam in hac epistola aliquoties inculcat. Vide sup. vers. 1. & inf. cap. 4. vers. 1. & 6. 20. Possumus autem hîc observare ex Apostoli exemplo, afflictiones & piis viris & amicis Dei nonnunquam obtingere, eatque non semper esse iræ divinæ erga afflictos argumentum. Idem patet in multis aliis piis viris, ut in Jobo, in ipsoque Servatore nostro Domino Jesu. Habet Deus nonnunquam occultas quidem semper tamen legitimas causas, cur homines tales malis etiam atrocissimis objiciat. Apostolus in descriptione suarum afflictionum finalem causam hanc commemorat quòd illæ cederent Ephesiorum bono, cùm inquit, *pro vobis.* Potuisset allegare gloriam DEI atque Domini Jesu Christi, quæ non parum inde celebratur quòd vir tam eximius in illius servitio non refugeret tot mala perpeti. Potuisset dicere sese tot pericula subire ob euangelii promotionem: cujus veritas certè non parum inde confirmatur, quòd illius professores non dubitant ei vitam impendere. Potuisset quoque suum ipsius commodum spirituale salutemque ostendere, quæ Ephesiis non debebat esse ingrata. Habent enim hoc afflictiones boni, ut carnis coërceant luxuriam. Vide 1 Cor. 9. 21, ut reprimant superbiam 2 Cor. 12. 7, quin & peccata nostra per illas quodammodo expiantur, ut innuit Apostolus 1 Cor. cap. XI. 32. Pronunciatum quoque generale Apostoli Act. 14. 22, quòd per multas afflictiones nos in regnum cœlorum ingredi oporteat, in ipso locum habere poterat. Sed loco omnium istarum causarum eam commemorat quæ ipsos Ephesios attingebat, cum inquit, *pro vobis.* Quæri autem potest, quomodo pro Ephesiis Apostolus sit afflictus? Sciendum autem est verbis *pro vobis* non impulsivam sed finalem causam designari: quod etiam fit in illis loquutionibus, cum Christus pro nobis passus aut crucifixus aut mortuus dicitur. Quanquam passio Christi pro nobis in eo ab afflictione Apostoli pro Ephesiis differt, quòd Christus passionem suam. Deo ordinante ultro appetebat, nostramque utilitatem quasi scopum intendebat. Apostolus verò afflictiones suas non tam appetebat, quàm non refugiebat. Et utilitas Ephesiorum, non tam Apostoli consilio, quam ex eventu eas consequebatur. Interim tamen Ephesiorum bono Apostoli afflictiones cedebant; etenim cum intelligebant Ephesii Apostolum ob promulgationem euangelii inter gentes, tot ac tanta mala tam constanter subire, confirmabantur ipsi in agnita veritate, pro qua voluisset ista pati vir prudens, & qui eorum quæ prædicabat fidem non ab hominibus sed à Domino se accepisse dixerat. Quin & hoc Apostoli exemplo animabantur Ephesii, ut nec ipsi reformidarent illas adversitates, quæ possent ob euangelii professionem in illos incurrere. Hunc afflictionum suarum scopum Apostolus & alibi commemorat. Vide Philip. 1. 12, 13, 14. Col. cap. 1. 24. 2 Tim. 2. 10. Maluit autem hunc afflictionum suarum scopum Apostolus hoc in loco inculcare, quod is simul & rationem causamque suggereret, cur adhortationi Apostoli, Ephesii deberent præbere locum. Quomodo enim ob istas Apostoli afflictiones segnescerent ac deficerent, quas ipsemet illorum bono subibat, ut scilicet per eas in doctrina fidei confirmarentur, & ad patientiam similium malorum exemplo animarentur.

Subjungitur tamen & altera ratio quæ movere Ephesios debebat, *quæ est gloria vestra.* Hæc verba duplicem admittunt sensum. Primò enim ad afflictiones proximè nominatas referri possunt, quas meritò dixit Apostolus Ephesiorum esse gloriam, id est gloriæ causam. Erat enim hoc Ephesiis gloriosum quòd Paulus Apostolus dum ipsis aliisque gentibus euangelium prædicabat, mala ipsorum bono sustineret. Sic utique & Christi afflictiones utpote nostro bono susceptas gloriæ nobis ducimus. Deinde possunt hæc verba referri ad totam præcedentem sententiam:

tiam: ut sensus sit, quòd Ephesii non segnescant aut deficiant ob Apostoli afflictiones, id illis gloriæ cedere. Si enim aggressio rei honestæ gloriosa sit, quanto magis perseverantia in illa, & quanto ei plura ponuntur obstacula, tanto ea gloriosior evadit. Nota non in solo hoc seculo seu mundo gloriam esse, sed & in Ecclesia: verùm gloriam tamen alterius generis. Illa enim ut rebus temporariis comparatur, ita hujus seculi finibus coarctatur. Hæc verò prout causam habet longe sublimiorem, ita etiam ad cœlum & in omne ævum protenditur. Ad hanc gloriam nos perducat Deus optimus Maximus per filium suum Jesum Christum. Amen.

Eph. 4. vers. 1.

Continetur his verbis adhortatio ad vitam Christiano homine dignam. Ubi duo consideranda veniunt. 1. Modus adhortationis. 2. Res ea ad quam nos adhortatur. Eaque primum in genere proposita, deinde in specie. Circa modum adhortationis consideranda tria, 1. deductio adhortationis ex antecedentibus, 2. persona adhortantis, 3. ipsa adhortationis formula. Explicaverat Apostolus rationem salutis nostræ, superiùs cap. 1 & 2. ex prædistinatione & vocatione divina, itemque redemtione gloriosa, per Christum facta cap. 3. preces suas pro salute Ephesiorum interposuerat: Jam ad adhortationes progreditur cap. 4. quas persequitur & quinto & sexto. Deducit autem hortationes suas ex ea salutis nostræ explicatione quam superius posuerat. Nec enim satis erat quòd nos Deus vocaverit, Christusque redemerit, sed & pietate nostra insuper opus est. Deus enim creavit quidem nos sine nobis, sed sine opera tamen nostra servare nos non vult. Unde discimus, tantum abesse, ut nos gratia, aut Dei, nos prædestinantis & vocantis, aut Christi, nos redimentis, segniores ad opera bona facere debeat, ut inde maxime nos ad pietatem colendam incitari par sit. Si enim Deus & Christus nihil quod ad nos servandos facit sua ex parte omiserunt, quid nos facere par est, quorum hic res agitur? Persona adhortantis, *Ego vinctus in Domino.* Raro Apostolus in ipso orationis cursu exhortationibus suis præmittere solet sui status descriptionem. Sufficere enim potest ea descriptio quæ in omnium ferè Epistolarum initiis habetur, ut & in hac ipsa. Quis enim Christianus Apostoli Jesu Christi per Dei voluntatem constituti verba parvipendat? Cogitemus igitur rem magnam hîc agi cùm præter morem Apostolus status sui descriptionem exhortationi præmittat. Similiter facit, Rom. XI. 13, & hîc sup. cap. 3. ℣. 1. Alibi non additâ statûs sui descriptione solum nomen suum inculcat, ut Gal. 5. 2. Philem. ℣. 19. Notatu verò dignum est, quòd cùm multa de se commemorare posset, quibus adhortationi suæ authoritatem conciliaret, ut quòd esset Apostolus, quod Spiritu sancto præditus esset, quod multa in euangelio cum laude gessisset, quòd Ephesios in Domino genuisset, eosque amore summo complecteretur, aliaque hujus generis, hîc vincula sua inculcare maluerit, ut & sup. cap. 3. ℣. 1. Videtur autem ad carcerem suum Romanum respicere, de quo narratur sub finem Actorum Apostolicorum. In illum verò Apostolus redactus erat, non ob ullum suum flagitium, sed ob euangelium Jesu Christi, ejusque præconium, præcipue apud Gentes. Ea enim res Judæos in illum irritaverat, quorum operâ in Romanorum præsidum potestatem devenerat, à quibus deinde Romam est transmissus. Hinc sese memorat vinctum *in Domino*, id est propter Dominum Jesum Christum: Is enim Domini nomine apud Paulum nostrum plerumque intelligitur. Eam autem esse hoc loco particulæ *in* vim, apparet ex similibus locis, sup. cap. 3. 1. inf. cap. 6. 20. Philip. 1. 9. Eadem hæc vincula sua commemorat, Philip. 1. 7, 13. & seqq. Coloss. 4. 3. 2 Tim. 1. 8. & 2. ℣. 9. Videtur autem commemoratione vinculorum authoritatem adhortationi suæ velle conciliare: quo ipso retundere velle videtur criminationem adversariorum suorum, qui vinculorum ejus commemoratione ipsum doctrinamque ipsius gravabant. Non parum autem ponderis adhortationi alicujus accedit, cum adhortator earum rerum causa ad quas alios impellit multa mala patienter sustinet. Hinc enim liquet illum serio agere qui ne per vincula quidem ab ea cura avertatur. Et plerumque altius in animum nostrum descendunt, quæ ab hominibus in tali statu constitutis nobis inculcantur, ut eorum pietas per afflictiones sit contestata. Discimus verò hinc quæ fortuna ferè semper maneat in hoc seculo fideles Jesu Christi servos, quippe omnis generis mala, & inter cætera carcer atque vincula. Oportet enim nos per multas afflictiones in regnum Dei intrare, Act. 14. 22. Et omnes qui volunt in Christo piè vivere persequutionem patientur. 2 Tim. cap. 2. 12. Discimus præterea, non esse cur nos afflictionum nostrarum pudeat quas ob religionem sustinemus. Imò tantùm abest, ut nos ejus rei pudere debeat, ut quis inde possit & gloriari, Deoque gratias hoc nomine agere, 1 Petr. 4. 15, 16. 2 Cor. 12. 9. Et Apostolus Philip. 1. 29, gratiam id vocat. Cujus participes Apostoli Petrus atque Johannes, gravisi fuerunt. Act. 5. 40. vide & Matth. 5. 10, 11, 12. 1 Petr. cap. 2. 19. & 3. ℣. 14. Formula adhortationis; Non præcipit, sed *hortatur*, imò ut nonnulli vertunt, *rogat*. Tam blanda agendi ratio fortius nos ad obtemperandum impellere debet. Qua de re dictum ad locum Eph. 3. ℣. 13, ubi & exemplum hoc Apostoli diximus imitandum Ecclesiæ ministris qui pietatem cum fructu apud homines liberos & generosos prædicare cupiunt.

Res ad quam hortatur Apostolus continetur hisce verbis; *Ut ambuletis, sicut convenit* vocationi qua vocati estis. Vox *ambulandi* in Sacris Literis certam vivendi agendique rationem significat, & tam in bonam quàm in malam partem accipitur; Ut apparet vel ex hujus epistolæ locis, cap. 2. ℣. 2, 10. c. 4. 17. c. 5. ℣. 2, 8. 15. Est autem apta Metaphora, ab iis qui itinera faciunt sumta. In qua notandus est terminus à quo, & scopus ad quem, & directus certusque inter utrumque motus sine longa declinatione ad dextram vel sinistram. Hæc enim omnia in ratione vitæ quam quis sibi deligit obtinent. Quin & quemadmodum ambulare dicimus eum non qui paucis aliquot passibus, sed qui multis pedes promovet; item ut non negamus ambulare eum qui aliquando cespitat, modò surgat à lapsu, & in via pergat; Sic nec vitæ cujusquam rationem à paucis aliquot actionibus denominamus, sed ab iis quas quis plerumque exercet: Nec statim vitæ ratio alia censetur, etiamsi quis paululum nutet. Ut autem rectè intelligamus quid sit ambulare prout vocationi convenit, *vocatio* ipsa expendenda est. Autor ejus sine dubio Deus ipse intelligitur, qui nonnunquam absolutè solet isto nomine designari: ut Rom. cap. 9. 12. 1 Thess. 5. 24. interdum diserte exprimitur, ut 1 Cor. 7. 15. 2 Thess. 2. 14. 2 Tim. 1. 9, aut Christus, Gal. 1. 6. Ex quo possumus intelligere qualis hic requiratur ambulatio, ut quæ divinæ vocationi conveniens esse debeat. Quam Petrus clarius explicuit, 1 epist. cap. 1. ℣. 15, 16. Et hîc sup. cap. 2. vers. 5 & seqq. Erat præterea vocatio hæc ex Ethnicismo: Unde consequebatur, ambulationem illi convenientem, longe diversam esse debere à moribus gentium. Qua de re vide hîc inf. cap. 4. 17. & 1 Pet. 4. 3 Erat deinde hæc vocatio ad sanctimoniam, 1 Thessal. cap. 4. vers. 7. denique ad communionem filii Dei, 1 Cor. 1. 9. ad pacem Dei Col. 3. 15. ad regnum & gloriam Dei 1 Thess. 2. 12. ad salutem, in sanctimonia spiritûs & fide veritatis, 2 Thess. 2. 13, 14. ex tenebris ad mirificam Dei lucem 1 Pet. 2. 9. ad hæreditatem benedictionis, 1 Pet. 3. 9. ad æternam Dei gloriam, ibid. cap. 5. ℣. 10. Cogitate fratres, an & ipsi ambulaveritis hucusque quemadmodum vocationi vestræ convenit. Si cor nostrum nos non condemnat, libertatem habemus ad Deum, & si quid petierimus accipimus ab eo, quia mandata ejus servamus &

quæ

quæ placent coram ipso, facimus. 1 Joh. 3. 21, 22. Cæterum discimus hinc, non ex cujusvis arbitrio, nec ex Philosophorum placitis, sed secundùm eam rationem ad quam Deus nos vocavit, vitam nostram instituendam esse. Frustra me colunt, inquit Deus, docentes doctrinas & mandata hominum. Mat. 15. vers. 9. ex Esa. 29. 13. Est autem id æquissimum, ut qui à Deo pietatis suæ præmium exspectant, ab eo quoque pietatis suæ leges accipiant.

Sequitur jam exhortatio specialis. Ejus scopus est ducere Ephesios ad tolerantiam mutuam, atque concordiam. Huic scopo præstruit Apostolus tres virtutes, ad illum plurimùm conducentes, imò unice necessarias, quas ordine videbimus. *Cum omni humilitate*, sive submissione animi. Ea virtus est cùm quis de se suisque virtutibus moderate sentit, non arrogando sibi quæ non habet, nec ea quæ revera in se habet, ultra meritum extollendo. Gignitur hæc virtus in nobis, cùm expendimus nos ipsos, quales aut fuerimus, aut adhuc simus, aut porro futuri essemus, qualesque esse debeamus. Item si aliorum qui nos superant, virtutes ex merito æstimemus: denique si cogitemus, quicquid in nobis est laudabile, id Deo acceptum esse ferendum, vide sup. cap. 2. 10. & 1 Cor. cap. 4. vers. 7. Effectus hujus virtutis exteriores sunt, & sermo, & gestus, animi nil altum de se sentientis testes, aliorumque cum quibus nobis negotium est, observantia. Porrò cum *omnem* animi submissionem Apostolus requirit, vel ad species ejus respicit, quæ quidem duæ constitui possunt: interior atque exterior. Vel ad perfectionem ejus, ut *omne* pro toto dicatur: quod magis placet. Unde patet quantopere huic virtuti studere debeamus. Hinc non immerito cæteris præposita fuit. Ad hanc virtutem vocamur etiam Matth. 18. 3, 4. & xx. ỳ. 26, 27. Rom. 12. 3, 10, 16. Philip. 2. 3. 1 Pet. 3. 5, 6. Est autem hæc virtus magno ad tolerantiam concordiamque adminiculo. Nihil enim facilius homines inter se committit, concordiamque rumpit, quàm quòd alter supra alterum sese efferat, aut honorem quem alius sibi debitum putat, ipsi detrahat.

Duæ virtutes quæ subjunguntur inter se cognatæ sunt. Ambæ enim circa iram moderandam versantur. *Mansuetudinis* tamen proprium videtur, ut ne quis sine causa legitima, nec gravius quàm pro merito, nec diutius irascatur. *Longanimitatis* autem ut etiam post datam causam iram tamen suspendat atque differat. Ad utramque hanc virtutem pertinet ut quis dicta atque facta aliorum dubia in meliorem partem interpretetur; ut injurias non exaggeret supra meritum, ut offensus non facile prosiliat ad vindictam, ut tractabilem sese omnibus præbeat, ut vultu, voce, gestu, animi benignitatem erga omnes testetur. Gignere hanc in nobis virtutem potest consideratio humanæ infirmitatis, per quam fit ut alii in alios facile delinquant, item cunctatio circumspecta in agendo (nil enim facilius iram frangit quàm temporis mora:) item æquitas naturalis, quæ jubet ut qui non tantùm ab hominibus, sed & à Deo ignosci nobis multa petimus, aliis vicissim & ipsi ignoscamus. Porrò quàm hæ virtutes ad tolerantiam concordiamque sint utiles atque necessariæ, dubitari nequit. Amen.

Ephes. 4. vers. 7, 8, 9, 10.

HOrtatus fuerat Apostolus Ephesios ad unitatem atque concordiam, modumque ejus colendæ per animi submissionem, lenitatem patientiamque ostenderat, argumentisque subjunctis ab ejusdem corporis & Spiritus, & spei & Domini, ac fidei & baptismatis & Dei unitate hortationum suam confirmaverat. Usus autem hujus adhortationis insignis erat in Ecclesia primitiva, dum vigerent varia in ea Spiritus sancti dona, quibus nonnulli sese præ aliis efferebant, unde dissidia in Ecclesia oriebantur. Itaque monet Apostolus, varia sane dona à Christo in Ecclesiæ suæ membra esse collata, quæ tamen omnia ad communem totius corporis utilitatem referenda sint, ut ex sequentibus patet, atque ita pacis studio minime debeant officere. Confirmat autem assertionem suam verbis Davidis in quibus cum ex interpretatione Apostoli adscensionis Christi mentio fit, cum qua distributionem illam donorum conjungit, quam deinde ex contrario descensu illustrat, nos illorum quidem verborum causa potissimum hunc locum explicandum suscepimus, interea omnia isto in toto loco considerabimus. Primo videbimus admonitionem Apostoli de distributione donorum Christi. Deinde expendemus, quomodo eam ex verbis Davidis confirmat. Tertia considerabimus quomodo verba illa proposito suo aptet, & ex contrario illustret.

Primo igitur distributionem donorum in Ecclesia proponit. Deinde modum simulque authorem eorum inculcat. *Unicuique nostrum inquit data est gratia.* Per gratiam intelligi possunt varia illa in primitiva Ecclesia usitata dona de quibus 1 Cor. 12. 13, 14, fuse agitur, ubi commemoratur distributio Spiritus, sermo sapientiæ, & cognitionis, fides, donum sanationum, operatio virtutum, prophetia. Hæc dicit Apostolus unicuique data, non quod omnia omnibus neque quòd singula singulis, sed quod cuique vel multa vel pauca, vel unum saltem. Nam Apostolis quidem, atque aliis insignibus Christi ministris & insignioria & plura collata fuisse credere par est. Cæteri tamen iis non plane fuerunt destituti. Marc. 16. 17, in genere credentibus varias virtutes promittit Christus, & Act. cap. 19. vers. 2. Apostolus cum discipulos invenisset, statim quærit an Spiritum sanctum accepissent cum credidissent, quasi debitum quodammodo omnium.

Possunt per hanc gratiam simul quoque intelligi varia munera atque officia in Ecclesia. Ita sane latius ista dona accipit Apostolus Rom. 12. 6, & in hoc cap. ad Eph. 1. 2, commemorantur Apostoli, prophetæ, Ecclesiastæ, pastores, Doctoresque. Ita & 1 Cor. 12. ỳ. 28, ista commiscet Apostolus. Atque ista quoque munera non omnia omnibus, nec singula singulis, sed aliis quidem singula, aliis vero & plura collata fuisse patet. Apostolorum enim munus sine dubio cætera quoque omnia continebat. Cæterum & dona ista Spiritus & munera in Ecclesia varia merito gratiæ nomine veniunt. Quis enim ea se meritum dici potest? id quod & seqq. innuit *de mensura doni Christi.* Quibus verbis author istius gratiæ indicatur. Christus, & modus ejus Mensura, quæ Christo placeat. Insignis est illa benignitas Christi in Ecclesiam, qui tam eximia in illam dona confert, officia distribuit. Est & argumentum hic simul excelientis Christi potestatis atque potentiæ. Hæc vere sunt regalia imperii seu potius majestatis jura de quibus Politici disputant. Est autem notatu dignum, quod pro suo arbitrio hæc unicuique Christus admetiatur. Id enim significat Apostolus cum inquit *de mensura.* Quod si igitur ab uno Christo varia illa sive dona sive officia Ecclesiæ muneribus conferuntur, non debet diversitas ea inter se collidere. Imo cum ab arbitrio Christi ea distributio pendeat, debet & is, qui exigua quædam habet, iis esse contentus, & qui majora nactus est, eis non efferri, neque alios præ se contemnere, sed unusquisque id quod habet, in commune ad Dei Christique gloriam Ecclesiæque ædificationem in medium conferre. Nunc quidem temporis non restant visibilia illa Spiritus sancti dona in Ecclesia quæ olim, officia quoque nonnulla ut Apostolorum, prophetarum Ecclesiasticorum desierunt. Interea tamen ne nunc quidem deseruit suos Dominus Jesus, sed & nunc aliis alia dona atque officia licet non tam insignia impertit, quæ in Ecclesiæ commune bonum conferri debent. Quin & alii aliis, sive animi sive corporis sive fortunæ muneribus pollent, alii aliis in hoc orbe officiis atque dignitatibus sunt præfecti, quæ cum ab uno omnia à Deo pendeant, eadem circa illa ratio est.

Secundo confirmat jam dicta verbis Davidis, quanquam eum non nominet, *Quapropter dicit* subintellige David in Psal. 68. 19. quanquam alii ex vers. 30 in quo templi fit mentio, dubitent sit ne David Psalmi author. Sed in eo parum est situm. Potest etiam subintelligi scriptura. Cæterum verba quæ hic ex psalmo allegantur in psalmo quidem de Deo manifeste loquuntur, neque tamen hinc concludendum Dominum Jesum ad quem Apostolus ea accommodat, ipsum esse Deum. Sicut enim quo tempore scriptus est Psal. Deus (qui locum alioquin non mutat) ascendere dictus est, captivosque duxisse, quia per Davidem sive quemcunque alium gloriam suam antea veluti depressam humi extulit multosque populos sibi subjecit. Ita & in accommodatione Apostolica Deus qui erat in Christo mundum reconcilians sibi ut Apostolus 2 Cor. 5. 19. in eodem ascendisse & per eum captivos duxisse muneraque distribuisse recte dicitur. Loca sunt similia multa, quibus omnibus explicandis notetur recte de Deo dicta ad Christum accommodari, cum per Christum illa Deus peracturus est. Sic Actor. 13. ℣. 47, ad se atque Barnabam Apostolus Esaiæ verba accommodat, quæ alioquin ad Christum ipsum proprie pertinent. Sed ad rem. Probat Apostolus id quod de Domino Jesu dixerat, Christum dona Ecclesiæ suæ distribuisse iis Psal. verbis, in quibus & tempus, quo ista Psalmi distributio facta est, exprimitur, & aliud ejusdem temporis effectum cum ista distributione conjungitur.

Tempus *cum ascendisset in sublime*. Effecta illius temporis duo. Captivam duxit captivitatem, & dedit dona hominibus. Ascensio hæc & proprie & Metaphorice intelligitur. Nam Deus quidem metaphoricè ascendere dicitur: cum veritas atque honor illius extollitur, aut cum servos suos, in quibus ipsemet honoratur, elevat: confer Psal. 47. 8, 10. XCVII. ℣. 8. Et Christus è sepulchro in hæc superiora terræ loca atque ex iis in summum usque cœlum ascendit. Ascensio Christi in cælos describitur Marc. 16. 19. Luc. cap. 24. 51. Act. 1. 9, 10, 11. Promittit eandem Christus Joh. 20. 17. Eandem celebrat Petrus Act. 2. 34. & ad Hebr. cap. 4. 14. Pertinet vero hæc ascensio ad Christi excellentiam, qua segregatus à peccatoribus sublimior cælis factus est Hebr. 7. 26. Fuit quidem & ante diluvium Henoch translatus, ne videret mortem Hebr. 2. 5, & Elias in cœlum sublatus 2 Reg. 2. 11. sed non parum tamen differt ascensio Christi ab eorum translatione: cum Christum in cœlum ita translatum constet, ut ibidem ad dexteram Dei sederit: quemadmodum apud Marc. habetur, item Act. 2. ante allegato: vide & Act. 5. 31. 1 Petr. 3. 22. vide quoque sup. cap. ad Eph. 2. 20, 21. Quantum autem ad excellentiam Christi res illa pertinet, tantum etiam ad nostram consolationem, si cogitemus non modo nostram cum Christo communionem in natura fore, sed etiam in gratia & felicitate.

Fructus ascensionis Christi prior: *Captivam duxit captivitatem*. Hoc alii sic explicant: Christum *captivos duxisse* eos, qui captivi fuerant antehac sub Sathanæ & mortis imperio. Quamvis enim eos liberavit potius, potest tamen & eosdem cepisse dici. Confer 2 Cor. 10. 5. Sed ex collatione Jud. 5. ℣. 12. videtur potius eum hostes suos captivos duxisse. Hostis porro Christi est Satanas. Hebr. 2. 14, ejusque angeli Col. 2. 15, quò pertinent & homines ministri Satanæ, tyranni atque sophistæ. Item inferus atque mors Oseæ 13. ℣. 14. 1 Cor. 15. 25. Ceperat quidem hos hostes jam ante quoque debellare Christus: Unde illud Luc. 10. 18. Exaltatione tamen Christi res omnis confecta est vide Joh. 12. ℣. 31, 32. XVI. ℣. 11.

Alter fructus *& dedit dona hominibus* in Hebræo est accepisti dona in hominibus. Quæ verba bifariam cum Apostoli interpretatione conciliant. Aliqui sic accepisti dona inter hostes, quæ inter tuos divideres ut solet fieri. Aliqui sic, accepisti dona quæ inter homines divideres ut illud *in hominibus* sit propter homines. vide similia loca Exod. 25. 2. XXVII. ℣. 20. 1 Reg. cap. 12. ℣. 10. Quænam sint illa dona jam superius dictum est. Hæc acceptio donorum si de Deo accipiatur, id ita intelligendum erit, eum ista in manus accepisse non ab alio sed à seipso. Si verò de Christo cum Apostolo nostro interpretemur, ille quidem ea à patre accepisse dicendus erit ut ipse fatetur Matth. cap. 28. 28.

Videamus jam tertio quo modo Apostolus verba psalmi scopo suo accommodat, & ex contrario illustrat. *Cæterum illud ascendit quid est nisi quod*, &c. Nec enim opus est, ut descenderit, qui ascendit, cum potuerit semper inferius fuisse. Cujus rei exemplum est in Elia. Sed aut præsupponit Apostolus Christum in cœlis antea fuisse, quod sane verum est, vide Joh. cap. 3. vers. 13. VI. vers. 62. Hebr. cap. 1. vers. 6: aut ascensum Christi non ex monte olivarum, sed è sepulchro orditur, in quod eum descendisse ex hac superiore hominum civitate oportuit: id quod astruere videntur illa verba quod in inferiores partes terræ descenderit, per quæ sepulchrum statusque mortuorum designari videtur. Notanda hic summa Christi humiliatio, de qua Philipp. 2. vers. 8. Hebr. cap. 2. vers. 9. Non frustra vero hanc humiliationem hoc loco inculcat Apostolus. Multum enim ad pacem atque concordiam colendam facit: unde & vers. 2. cap 8. eandem requisiverat. Vide Philipp. 2. ab initio. Eodem pertinent & seqq. cum inquit, *qui descenderat ipse est qui & ascendit*: vult quippe nobis inculcare exemplum Christi, qui per humiliationem suam ad exaltationem pervenerit. De quo & Luc. 24. 26, ut & ipsi scil. cum ipso humiliemur, si cum eodem exaltari velimus. Rom. 8. 17. Act. 14. 22. 2 Tim. 2. 12.

Exaggerat hanc Christi exaltationem cum addit: *longe supra omnes cœlos*. Hunc scilicet locum opponit inferioribus terræ partibus. Intelligit autem aspectabiles illos cœlos supra quos Christus evectus sit. Penetravit enim sine dubio ad tertium illud cœlum, in quod & Paulus raptus fuit 2 Cor. 12. 2. illamque lucem, in qua Deus in habitat 1 Tim. cap. 6. vers. 16. regnum illud quod moveri non potest Hebr. cap. 12. vers. 28. mundum illum futurum Hebr. cap. 1. vers. 6. confer 2. vers. 8. Cœlos illos novos, novamque terram, in quibus justitia habitat 2 Petr. 3. 13. Credendum autem est vere Dominum Jesum ascendisse, non vero, quam primum è terra sublatus est, disparuisse & ubique esse cepisse, ut nonnulli interpretantur. Repugnat enim id corporis humani naturæ, repugnat tot claris sacrarum literarum locis, in quibus Christus in cœlos ascendisse inque cœlis esse dicitur. Nec ullus fingi potest honestus rei tam mirificæ fructus. Quo sine corpus Christi in rebus omnibus scilicet brutis atque inanimatis ponatur, aut quid hoc ad illius regnum, fideliumque consolationem faciat? Sed putant nonnulli sibi favere verba qua sequuntur *ut omnia impleat*. Atqui si verba hæc significant Christum suo corpore omnia complere, quid opus erat ut eo sine ascenderet. Impletio enim illa & inferiora & superiora loca complectitur. Sed inquiramus veriorem ascensionis Christi finem, quem his verbis Apostolus exprimit. Nonnulli putant impletionem prophetiarum intelligi, quæ quidem sæpe hoc verbo significari solet, sed si scopum Apostoli propius inspiciamus, videtur hic angustius aliquid significari: illud nimirum quod & vers. 7 & 8. jam significaverat, quodque verso 2. deinde repetit. Implet Christus omnia donis suis, dum cuique fidelium gratiam suam impertit, implet providentia sua, dum officia in Ecclesia varia ad corporis universi bonum constituit, implet illustribus potentiæ suæ documentis. Confer 5. vers. 38, 39. XVI. vers. 7. Conclusio per cohortationem Apostoli Coloss. 3. ℣. 1, 2, 3. & votum 1 Petr. 5. 10.

Col. cap. 3. vers. 12.

VErum jejunium non tam maceratione corporis quàm sincera pœnitentia ac pietate perficitur: ut constat ex illo loco Esa. cap. 58. vers. 5, 6. Quocirca cùm & nos publici boni causa quo etiam cujusque privatum continetur jejunium nobis jam indixerimus; visum mihi fuit hunc vobis locum explicare in quo Paulus ad virtutes plurimas Colossenses exhortatur, quibus si studuerimus, tum demum jejunium nostrum Deo erit gratum. Duo autem nobis in hoc loco consideranda veniunt. Primùm ratio generalis qua Colossenses inducere conatur, ut virtutibus subjunctis studeant. Deinde singularum virtutum ad quas eos hortatur, enumeratio, unà cum rationibus particularibus quibus nonnullas earum commendat.

De primo. Ratio generalis qua Colossenses Apostolus ad virtutis studium adducere conatur, sumitur à personæ illorum qualitate, ut qui sint *electi Dei, Sancti, & dilecti.* Electi Dei sunt quos Deus ex communi numero hominum pro suo beneplacito elegit, quos vitæ & salutis æternæ participes faceret. Electio duplici modo consideratur. Primò ut fiat in destinatione, quæ olim ante conditum mundum cœpit, & pro objecto habet non homines singulares, sed in genere omnes in Christum credituros. Secundò ut est actu: quæ licet singulares homines respiciat, non tamen quà sunt hic aut ille, sed quatenus sunt fideles Christo, considerat. Atque ita electio, quanquam ex Dei beneplacito proficiscatur conditionem tamen ab hominibus requisitam includit: quæ cùm intendi & remitti possit, potest etiam electio, prout patet ex 2 Pet. 1. 10.

Sancti Dei, (repetendum enim est ἀπὸ κοινοῦ *Dei* nomen) dicuntur quos Deus segregavit, ex profano hominum vulgo, sibique per spiritum suum consecravit: quod omnibus illis obtingit qui puritati vitæ Euangelium Jesu Christi amplexi student.

Dilecti Dei sunt quos Deus gratuito amore complexus, beneficiis suis cumulare vult, & in hac & in futura vita; quæ illis singulariter competit, qui & ipsi vicissim Deum Dominumque Jesum diligunt, ejusque præceptis obtemperant. Porrò magnum hoc est pietatis incitamentum, quòd quis sit Dei electus, sanctus, & à Deo dilectus. Electus es, itaque ipse Dei vias elige ac sectare. Electus es sub conditione fidei; Ergo fidem tuam bonis operibus vivifica atque exorna. Electus es ad vitam æternam atque cœlestem; Ergo illis moribus stude qui non dedeceant Angelorum concivem cœlique incolam. Vide Apoc. 21. 27. Sanctus es Dei; ergo & ipse sanctitatem Dei imitare. 1 Pet. 1. 15, 16. Segregatus es à profano hominum vulgo; ergo & à moribus ipsius discede, quibus sufficiat antehac fuisse deditum, 1 Pet. 4. 3. Noli instar canis redire ad vomitum, & instar suis ad volutabrum. 2 Pet. 2. ℣. 22. Consecratus es atque obsignatus Spiritu sancto; ergo noli eum contristare, atque ita à te expellere, Ephes. cap. 4. vers. 30. Dilectus es Dei; ergo cogita quòd similitudo morum amorem aut excitet, aut saltem foveat. Cogita Deum tibi vicissim diligendum. Id verò frustra tibi adscribes sine præceptorum ejus observatione 1 Joh. 2. ℣. 3, 4, 5. Cogita quanto indignior fuisti cùm te Deus diligere cœpit, tanto illius iram in te gravius exarsuram si & nunc peccatis eum tuis lædere atque exacerbare perges.

De secundo. Virtutes ad quas Apostolus Colossenses hortatur ferè ad officia quæ Christiani mutuo sibi debent respiciunt: quæ licet subtilius in classes quasdam discerni possent, (sunt enim quædam inter sese maximè cognatæ) nos tamen ad numerum earum attendemus, qui est denarius. Est autem observandus modus loquendi quòd virtutibus istis velit nos Apostolus *indutos.* Metaphora est à vestibus sumta, quibus undique circumdamur contra injurias aëris, quibus itidem exornamur. Quin & status distinctioni vestes inserviunt, adeo ut cum nova vestium forma novam quis personam induere videatur. Fortassis tamen & hac & contraria huic phrasi exuendi, allusum est ad baptismi ritum, qui nudis olim conferebatur. Ita ut baptizandi veteres mores cum veste vetere deponere, & baptizati cum nova novos induere viderentur.

Prima virtus qua Colossenses Apostolus vult esse indutos est *misericordia.* Ea verò est commotio animi ob miseriam alterius ad eum sublevandum nos incitans. Affectio hæc naturæ humanæ maxime congrua. Excitatur ea per sensum visûs præcipue. Miseriæ vitæ humanæ variæ sunt, & quanto quæque major tanto magis nos movere debet. Nec parum stimulat hunc affectum si quis indigne & sine sua culpa aut merito patiatur. Non sufficit autem interior animi commotio, sed opera quoque sese ad sublevandos miseros jungere debet: ita demum misericordes erimus ad exemplum Dei, ad quod nos remittit Dominus Jesus Luc. 6. 36. Vide de misericordia etiam Ephes. 4. 32. 1 Pet. 3. 8. Est autem in Apostoli verbis notandum, quòd emphatice *viscera miserationum* à nobis requirat. Eadem phrasis legitur Luc. 1. 78.

Secunda virtus est *benignitas* sive comitas, morositati adversa: quæ reddit nos amabiles omnibus, suavi quodam temperamento & vultûs & gestûs, & sermonis, obviisque officiis. Oritur autem ex benignò erga omnes affectu, atque eo differt ab adulatione. Numeratur inter fructus Spiritus Gal. 5. ℣. 21. Virtus hæc homini quatenus est animal civile, maxime convenit, utpote qua civilis conversatio maxime coalescit. Morositas utut perse non ita sit vitiosa atque alia quædam vitia, maximam tamen hominibus aliis molestiam exhibet. Ita muscæ magis molestæ quàm araneæ licet hæ magis nocentes.

Tertia virtus est *animi submissio*, ea requirit ut quis nec arroget sibi quod non habet, & quod habet ne nimis magni æstimet, suæ vel prudentiæ vel viribus adscribat, nec eo sese apud alios jactet, sive gestu sive voce. Juvare hanc in nobis virtutem potest consideratio sincera nostræ indignitatis, & alienæ virtutis; tum exemplum Christi, ad quod revocamur, Matth. xi. 28, 29. Johan. 13. 14, 15. Philip. 2. 3, 4, tum promissum huic virtuti propositum, Matth. cap. 18. ℣. 4, & cap. 23. ℣. 12. & alibi.

Quarta virtus est *mansuetudo.* Hæc virtus iræ moderatur, prohibetque nos ne irascamur cùm non oportet, neque gravius quàm oportet, neque diutius quàm oportet. Multos musca offendit, aut ex musca elephantum faciunt, exaggerant injurias suas vario prætextu; inde ad vindictam prosiliunt, nec modum in ea tenere sciunt. Virtutem hanc in hominibus fovere potest consideratio humanæ imbecillitatis, quæ non semper satis est circumspecta, temporis tractus post injuriam acceptam interpositus, divinæ clementiæ exemplum, ad quam in ipsa oratione Dominica provocamur, denique promissa divina, ut Matth. 5. 4.

Quinta virtus est *longanimitas.* Hæc virtus mansuetudini cognata est, eoque tantum differt quòd etiam post multas injurias, datis irarum causis, tamen ad vindictam non prorumpit. Hanc virtutem nobis Sacræ Literæ commendant, quæ nobis Deum ad iram tardum proponunt.

Sexta virtus, *ut alii alios sufferamus.* Varia sunt quæ nos in aliis offendere possunt, quæ tamen revocari queunt vel ad sensus, vel ad mores. Circa sensum & tarditas nos aliorum, & dissensus, ejusque dissensus contestatio sæpius offendit. Mores quoque aliorum nobis displicere possunt, vel quia non satis civiles, vel quia virtuti adversi. Distinguendum autem diligenter inter vitia, tum circa sensum, tum circa mores, ut rectè definiamus quousque ea toleranda sint, nec ne.

Nam in Apocal. cap. 2. ℣. 2, laudatur Angelus Ecclesiæ Ephesinæ quòd *malos tolerare non posset*. Circa sensum in fratre omnia ferenda quæ non subvertant penitus honorem Dei atque Christi, verumque pietatis cultum. Vide Rom. 14. In moribus itidem, si quid videamus non ex destinata malitia, sed vel ex infirmitate humana, vel ex inscitia peccari.

Septima virtus, *ut alii aliis condonemus, si quis querelas adversus alios habeat*. Variæ sunt in vita humana aliorum in alios injuriæ, & nonnullæ quidem à volentibus illatæ, quas si quis semper ad animum revocare velit, nimium habebit negotii. Has ergo alii aliis condonemus, & quantum fieri potest oblivione obteramus. Magno ad id incitamento nobis esse potest exemplum Christi, quod & Ephes. 4. vers. 32. & hîc Apostolus subjungit cùm ait: *sicut & Christus condonavit vobis, ita & vos*. Cogitemus, quot modis, quàm graviter, ipsi Christum offenderimus, qui tamen veniam peccatorum ab illo & petimus, & impetramus. Quid quòd & pro persequutoribus suis oravit? Possit & ipsius Dei nos exemplum movere, præsertim ut proponitur Matt. 18. vers. 23. & seqq.

Octava virtus est *charitas* quam *super omnia* nobis inculcat. Ea est affectus animi interior, concitatus boni alicujus consideratione, & ad bonum aliorum tendens. Vulgò homines ad amandum moveri solent vel forma corporis, vel beneficii alicujus fruitione aut spe. Christiana charitas solam pietatem aut virtutem respicit: imò etiam ubi nihil invenit quod amari mereatur, benevole tamen affecta est, & commodum omnium quærit, deque suo etiam impertit, & id quacunque ratione promovet, aut in ipsis, aut apud alios, aut denique apud Deum. Pulchre verò charitatem vocat *vinculum perfectionis*, per hanc enim omnia inter se hominum officia continentur, & perficiuntur. Videatur elogium charitatis 1 Corinth. 13.

Nona virtus est *pax Dei*. Posset per Dei pacem intelligi pax quam cum ipso Deo habemus, quam Christus nobis peperit, de qua Rom. 5. 1. Posset etiam intelligi pax bonæ conscientiæ, quam quis intra sese teneat atque experiatur. Sed cùm cæteræ virtutes hoc loco ad alios referantur, præstat & hic per pacem intelligere eam quæ cum aliis nobis intercedit. Hanc Dei pacem vocat, quòd Deo sit grata, & ab illo præcepta, atque secundùm ipsius voluntatem colenda. Hanc vult Apostolus *regnare in cordibus nostris*. In Græco est vox admodum significans, id volens ut pax sit instar agonothetæ, quæ & agendi modum præscribat, & præmium assignet, atque distribuat. *Cordibus* autem nostris pacem hanc inculcat: id enim si fiat, opere quoque ipso lubenter exseritur. Pax vulgò dividitur in publicam, & privatam. Publicæ bellum opponitur: privatæ, pugnæ, lites, & rixæ: quorum illud est manuum consertio, ista juris, hæc verborum extra judicium. Quum pax nobis commendatur, jubemur omnia ista vitare, quibus vel ad bellum vel ad pugnam, vel ad lites, vel ad rixas, veniri potest. Id assequemur, si nec ipsi cuipiam offensæ occasionem præbeamus, & datam ab aliis occasionem ipsimet non arripiamus. Imò si ipsimet alium forte læsimus, ipsi reconciliationem quæramus, si læsi sumus, injurias remittamus, seu potius beneficiis pensemus. Quanquam autem pax cum omnibus colenda est, quoad licet, quod monet Apostolus, Rom. 12. 18, tamen inprimis inter ipsos Christianos ea obtinere debet. Eo pertinet ratio quam subjungit Apostolus; *ad quam etiam vocati estis, in uno corpore*. Membra unius corporis optime conveniunt inter se, mutuisque sese officiis sublevant. At Christiani quoque unius corporis membra sunt, & ad hoc vocati. Vide Rom. 12. vers. 4, 5. 1 Cor. 12. vers. 12. & seqq. Vocatio autem ista intelligenda est esse à Deo: atque ita Apostolus explicat cur *pacem Dei* vocaverit. Porrò *pacifici filii Dei vocabuntur*, Matt. 5. ℣. 9. Vide etiam Hebr. 12. ℣. 14.

10. Decima atque ultima virtus, *Gratitudo*. Hæc requirit agnitionem æstimationemque legitimam accepti beneficii, ejusque contestationem verbis factam, imò & remunerationem operis, si id sit in nostra potestate. Respicit *gratitudo* vel Deum vel homines. Quanto majus est acceptum beneficium, tantò ipsa quoque major. Ad illam ipsa nos vocat æquitas (est enim gratitudo justitiæ species) & quorumvis hominum sensus. Nonnemo Ethnicorum ajebat, quum ingratum dixeris, omnia vitia dixeris. Quin & illud gratitudinem in nobis provocare potest, quòd per eam homines ad benefaciendum porrò excitentur. Quilibet enim suum beneficium bene collocare studet, nec melius id potest quàm apud homines gratos. Amen.

Analysis verborum Pauli

2 Thess. cap. 1. à vers. 3. ad capitis finem.

IN his verbis testatur Paulus Apostolus, atque una Silvanus ac Timotheus, quos secum in scribenda hac Epistola conjunxit Paulus, singularem erga Thessalonicenses benevolentiam, & intimum charitatis affectum. Testatur autem tribus potissimum modis. Primùm dum agnoscit se perennes Deo debere gratias pro incremento virtutum Christianarum quod in Thessalonicensibus cernere liceat, quodque ea de re apud alios Christianos gloriari se profitetur. Deinde dum eosdem in afflictionibus veritatis causa positos solatur, & ad eas fortiter sustinendas animat; & denique dum Deum orat, ut salutis sempiternæ negotium in iis cæptum ad finem perducat. Primus modus atque adeo primum hujus loci membrum continetur versic. 3 & 4. ubi uti jam innuimus, duobus modis suum erga Thessalonicenses affectum exprimit Apostolus, nempe tum gratiarum actione, tum de iis gloriatione. Quanquam prior modus potior est, ac princeps, alter prioris quodammodo amplificandi causa videtur additus: qua de causa ei inter principalia loci membra locum non dedimus. De priore agitur vers. 3. de posteriore vers. 4. Quod ad priorem attinet, is primo proponitur, deinde ejus redditur ratio. Proponitur in verbis illis, *gratias agere debemus Deo semper pro vobis fratres*. Quo loco non immorabimur voci *fratrum*, qua Thessalonicenses compellat ac designat Apostolus, tum honorifice tum amanter. Est enim appellatio hæc ut notum est charitatis atque affectus propensi indicium. Id tantum unusquisque sibi inde capere debet, ut sive coram sive per literas absens alloquatur homines Christianos, ejusdemque religionis participes, eos Apostoli exemplo quam honorificentissime quamque amantissime compellet, ut ipsa etiam vox charitatem spiret in animo latentem. Sed rem ipsam cernamus. Ait ergo Apostolus, *se debere pro Thessalonicensibus perpetuo Deo gratias agere*. Quæ verba intellectu satis sunt facilia; eo præsertim animadverso quòd vox *semper* seu perpetuo, nihil aliud significet quàm subinde, & quàm creberrime ac frequentissime: nihil enim aliud quàm summam in re de qua agitur diligentiam exprimit. Quo eodem modo usurpatur hæc vox cùm jubemur semper orare, aut cùm Apostolus profitetur se aliquorum semper seu quod perinde est, absque intermissione, in precibus suis facere mentionem: loca unicuique satis sunt obvia. Istud adhuc animadvertendum est, Apostolum cùm ait *sese debere Deo semper agere gratias pro Thessalonicensibus*, non tantùm id velle indicare quod aperte dicit, se ad id faciendum obstrictum obligatumque esse, sed etiam se id reipsa quoque facere. Cogitandum hoc Thessalonicensibus reliquit Apostolus: norant enim illi Apostolum adeo memorem adeoque tenacem esse officii, ut quod agnosceret se facere debere id reipsa etiam faceret ac præstaret. Quare perinde propemodum est, ac si dixisset Apostolus sese gratias semper agere Deo pro Thessalonicensibus: quemadmodum superiore Epistola cap. 1. vers. 2. dixerat. Nisi quod in nostro hoc loco plus dixit quàm ibi: hic enim non tantùm

tantùm factum ipsum expressit, sed etiam facti necessitatem. Hinc primùm discimus inter alias rationes quibus nostrum vel erga divinam gloriam vel erga alios testemur amorem, hanc esse & quidem ex præcipuis unam, ut gratias agamus Deo pro beneficiis in alios collatis, & sanctissimum ejus nomen celebremus, nosque ipsum bonorum istorum quæ in alios collata cernimus, fontem agnoscere profiteamur. Quod enim ipsi gratias agimus, id honori ipsius tribuimus; quòd vero pro beneficiis in alios collatis, id istorum hominum amori. Deinde ex iisdem verbis discimus, non esse hunc liberum prorsus atque arbitrarium nostræ erga alios charitatis effectum, Deo nempe pro beneficiis apud eos collocatis gratias agere; ita ut id vel facere vel omittere si libeat etiam liceat: sed ut Apostolus de sese ait, debere nos pro aliis Deo agere gratias. Obstringunt enim nos beneficia in alios collata ad gratias Deo reddendas, perinde atque nostra: quandoquidem beneficia in alios præsertim fratres nostros collata, pro iis habere debemus quæ in nos ipsos sint collata. Est enim frater mecum collatus, alter ego: utpote quem perinde ac meipsum diligere debeo. Quemadmodum autem amor quem erga seipsum unicuique insevit natura, efficit ut potitus insigni aliquo bono læteris, & amori huic adjuncta pietas jubet ut ejus boni authori gratias agas; ita etiam amor erga proximum, fratremque, qui amori sui ipsius esse debet similis, ac prout natura fert par, eique conjuncta pietas, facit ut & læteris de bono in alterum collato, & ejus authori Deo gratias agas. Pertinet huc locus. 1 Tim. 2. ℣. 1. ubi non tantùm orare jubemur pro omnibus hominibus, sed etiam gratias agere. Quod si pro omnibus hominibus, multo magis pro Christianis. Sed homines ita ferè comparati sunt, ut aliena nihil ad se pertinere putent: quanquam nihil humani, multo verò minus id quod ad homines Christianos pertinet, à sese alienum putare debent. Sunt Christiani homines inter sese ita coagmentati sicut humani corporis membra, quorum si unum, ut Apostolus loquitur 1 Corinth. 12. ℣. 16. honore afficiatur, simul lætantur ac gaudent omnia membra: ad se nempe pertinere censent singula quod uni ipsorum contigit. Quod idem in tristibus quoque fieri idem testatur. Quare idem quoque Christiani sentire debent, & bona singulorum propria, communia ducere, ac pro iis divinum nomen celebrare: præsertim si ea sint insignia ac notabilia. Tertiò hinc intelligimus non satis esse semel atque iterum Deo agere gratias pro beneficiis, sive in nos sive in alios effusis, sed adhibendam etiam esse constantiam ac diligentiam. Nam Paulus non contentus dixisse se Deo gratias agere pro Thessalonicensibus, addit se id facere *semper*. Quod quo pacto sit intelligendum, antea diximus. Quanquam enim non possint propriè semper aut assidue commemorari sigillatim Dei sive in nos sive in alios collata beneficia; generatim tamen recenseri & possunt & debent quam frequentissimè: atque insignite ea quæ ad salutem sempiternam spectant; quæ tamen ipsa quoque brevibus verbis concipi queunt. In his omnibus doctrinis, adhortationi quoque locus est: & si auditorum desideretur officium, reprehensioni, ac castigationi. Omnes enim doctrinæ practicæ, adhortationem castigationemque admittunt. Quod etiam in aliis quas porrò tradituri sumus animadverti poterit. Hactenus rem ipsam seu effectum benevolentiæ Apostolicæ erga Thessalonicenses vidimus.

Nunc rationes & causas hujus effectus videamus. Hæ afferuntur duæ, ita inter se colligatæ, ut posterior priorem fulciat. Prior est ibi, *quemadmodum dignum est*. Ab ipsa rei honestate ac decoro rationem facti reddit Apostolus. *Dignum est* ita facere, hoc est, id ita fieri convenit, seu æquum est ut id fiat, res ipsa id prorsus exigit, ac meretur.

Cur autem id asserat Apostolus, in sequentibus statim videbimus. Ad quæ antequam transeamus, illud discendum est; Maximam esse Christianis hominibus ipsius honestatis æquitatis ac decori habendam rationem: ita ut quicquid convenire ac decere videant, id ipsum etiam facere se omnino debere agnoscant, atque adeo reipsa etiam faciant. Nam ut idem docet Apostolus Philip. 4. 8. Si quæ est virtus, si quæ laus eam meditari ac studiose consectari debent homines Christiani. Animadverti etiam hinc potest, æstimanda esse ab hominibus Christianis divina beneficia, & diligenter ponderanda; ut quæ sit illorum dignitas, quid ea à sese exigant, intelligant: quomodo enim alias constare illis potest, dignum justumque esse ut pro illis Deo aganturgratiæ. Indignum est homines brutorum esse instar: quæ quum Dei fruantur beneficiis, autorem tamen non agnoscunt, & quum ex rivulis bibant, ad scaturiginem non respiciunt, neque etiam quanti quidque sit æstimant.

Sed jam ad alteram causam veniendum est, unde effectus superius à nobis expensus, fuerat profectus, qui superiorem quoque rationem fulcit. Ea verò continetur in illis; *Quòd supra modum augescit fides vestra, & abundat charitas uniuscujusque vestrum mutua*, seu in alios mutuò. Causa hæc, est incrementum virtutum earum in Thessalonicensibus quæ universum officium Christianorum ambitu suo quodammodo complectuntur, & in quibus salutis cardo vertitur. Hoc quia Deo acceptum esse ferendum norat Apostolus, (id quod in his verbis subaudiendum est, tanquam omnibus notum) ideo æquum esse judicabat Apostolus, ut ipsemet pro tanto beneficio Deo perennes ageret gratias. Duas autem, ut liquet, virtutes, commemorat Apostolus, in quibus insignes progressus faciant Thessalonicenses, adeoque duplex commemorat incrementum, duplicemque gratiarum actionis causam; fidem nempe, & charitatem fraternam: quibus in rebus non semel universum Christianorum hominum officium collocatur. Inter alia vide locum nobilem Gal. 5. 6. & 1 Joh. 3. 23. Adjungi etiam possunt loci huic nostro similes Ephes. 1. 15. & Col. 1. 4. Nam quod alibi fidei & charitati spes additur, vel interjicitur, tanquam tertia Christianarum virtutum, id cum his recte conciliari potest: solet enim ea hujusmodi in locis fidei nomine tanquam proximus quidam illius effectus includi; aliquando etiam in charitate, tanquam ipsius causa. Quod posterius aliquomodo apparet ex loco quem ultimò citavimus, ad Coloss. 1. vers. 4, & 5. Primùm ergo ait, fidem Thessalonicensum supra modum vel vehementer augescere, atque incrementum capere. Per fidem, licet intelligi queat fiducia ac spes solida in Deo Christoque collocata hausta ex promissis ipsius in Euangelio comprehensis; tamen si vers. sequente consideres, ubi ejusdem fidei mentio fit, & nonnulla alia Apostoli loca huic similia, ac denique frequentiorem hujus vocis in Sacris Literis Novi Fœderis usum, verisimilius est hic intelligi assensum Euangelii doctrinæ adhibitum: qui quum sincerus est ac firmus, illam quam diximus fiduciam ac spem ex se necessario parit, ac quodammodo in sese comprehendit. Fieri enim non potest ut promissis divinis per Christum propositis vere firmiterque assentiaris (assentitur autem quisquis doctrinæ Euangelii à sese cognitæ assensum præbet) quin ex iis spem concipias bonorum à Deo promissorum, & sic Deo Christoque promittenti penitus confidas. Dicit autem hanc Thessalonicensium fidem supra modum augescere, propterea quòd subinde magis atque magis assensus hic eorum firmaretur, ac robustior solidiorque evaderet: id quod prodebat eorum in perferendis Euangelicæ doctrinæ causa calamitatibus ac persequutionibus constantia & invicta patientia, quemadmodum sequente versiculo patebit. Quanquam etiam alia ratione fides ista incrementum capere potest, quatenus plenius cognoscitur doctrina illa cui adjungitur: idque procul omni dubio contigerat Thessalonicensibus.

Sed vix videtur ea esse hujus phraseos vis, nec ex mente Apostoli in hoc loco. Hoc autem fidei incrementum Deo jure adscribitur, qui eandem primùm excitavit: iisdem enim quibus eam hominum animis primùm inserit modis, vel saltem similibus eandem fovet, alit, auget, atque ad fastigium suum perducit: verbo nimirum suo, & ejusdem verbi confirmationibus, quas vel exterius conspicimus, vel intus in nobis sentimus. Hinc videmus non tantùm fidem esse adjungendam doctrinæ Christi, verùm & progressus in eadem fide esse faciendos, ita quidem ut non tantùm augmentum sumat, sed etiam, ut de Thessalonicensibus Apostolus loquitur, supra modum augescat. Sunt nempe varii virtutum Christianarum gradus, per quos homini Christiano est ascendendum ad earum apicem: nec conquiescendum est in imo gradu, sed ascendendum subinde altius, & prima semper sunt sesequenda, quæ si fortè ob virium imbecillitatem aut temporis brevitatem non assequaris, tum demum honestum erit in secundis aut tertiis consistere. Hinc toties Apostolus cognitionis rerum divinarum, fidei ac charitatis atque adeo universæ pietatis incrementum optat aliis. Quemadmodum inter alia loca patet, Eph. 3. 16. & seqq. Philip. 1. 9. Colos. 1. 9. & seqq. 1 Thes. 3. ℣. 12, 13. & cap. 4. ℣. 1 & 9. cap. 5. 23. Accommodari huc possunt aut etiam debent illa divini Authoris ad Hebræos verba quæ exstant cap. 6. ℣. 1. ubi monet ut relicto sermone Christi initiali, seu primis Christianæ doctrinæ rudimentis ad perfectionem feramur. Quod enim ibi de cognitione potissimùm dicitur, id ad omnes virtutes Christianas accommodari debet, atque inprimis ad eam de qua hoc in loco agimus, fidem. Potest quidem nonnulla etiam hinc consolatio peti ab iis quorum fides nondum ita robusta est, ne propterea desperent protinus, & fidem suam, quia à fide aliorum multum superetur, nullam esse, & pro nihilo apud Deum censeri arbitrentur. Nam etiam hi Thessalonicenses non iidem semper fuerant, nec eadem fuit in iis semper fidii magnitudo: quæ à parvis progressa initiis, adeò postmodum excrevit. Tribuit illis in superiore epistola Apostolus fidem, & fidem quidem veram, pro eaque gratias egit Deo, & tamen satis indicat hoc loco, eam ab illo quoque tempore mirum in modum crevisse. Quod si ipsorum salus antea incerta non fuit, licet infirmior esset ipsorum fides, idem de aliis quoque sentiendum est. Recte dictum est à nonnullis, parvam etiam fidem, fidem nihilominus esse, si modò id addas, ut ea quoque sit efficax, & omnis generis pietatem ex sese producat, & calamitatum violentia non frangatur: hunc enim quamdiu habebis, tamdiu salus tua in tuto est. Sed hæc consolatio non est diminenda ab ea quam præmisimus cautione ac cohortatione. Nam si quis progredi in fide nolit, ei verendum est ne regrediatur, & ne postea negligentiæ suæ det pœnas, ingravescentibus ob veritatem periculis, quia illud fidei robur quod parare per tempus poterat non acquisierit: neque enim huic tam desidi ac salutis suæ negligenti homini sperandum est, Deum inusitata quadam ratione ignaviæ subventurum, & quod ipse sponte sua neglexisset, singulari aliqua & extraordinaria ope sarturum. Diligentibus ac sedulis libenter Deus subvenit.

Hæc de prioris virtutis nempe fidei incremento. Sequitur ut videamus quomodo alterius quoque virtutis nempe charitatis fraternæ augmentum Thessalonicensibus tribuat Apostolus. Id verò facit in illis verbis *Et abundat charitas uniuscujusque omnium vestrum, mutua* vel in vos mutuò. Quid sit charitas, notum est: est enim nihil aliud quàm affectus in alterum benevolus, seu ejusmodi in alios propensio ut iis optima quæque cupiamus: unde fit ut si ea ipsis obveniant, lætemur, si eveniant contraria tristemur, ac præterea ut bonis illis potiantur, precibus, consilio, operâ, ac denique si opus sit etiam sanguine efficere conemur, maximè quum de æterna illorum salute agitur, & ut illis sint perpetua ac propria sedulo laboremus, contraria verò amoliri summa ope nitamur. Hanc virtutem tum in hoc tum in aliis quos paulò ante laudavimus locis, Sacra Scriptura pro omnis generis pietate, quam fides doctrinæ euangelicæ adhibita in nobis efficit, ea præsertim quæ in agendo cernitur, (nam patientia afflictionum veritatis causâ incumbentium ab ea & hoc & aliis locis distinguitur) ponit: propterea quòd fieri posse non videatur ut quis hac virtute perfectè, quatenus quidem id in hominem Christianum cadere omnino debet, sit præditus, quin cæteras quoque habeat omnes: præsertim si quis consideret quàm latè ejus pateant officia. Id quod vel ex nobili illo hujus ejusdem Apostoli loco constat, qui exstat 1 Cor. cap. 13. 4. & seqq. Nemo enim omnia illa charitatis officia præstabit, quin cæteris omnibus virtutibus Christiano homini præscriptis sit excultus. Qua de causa charitas Legis divinæ complementum ac veluti compendium quoddam esse perhibetur, ab Apostolo eodem, Rom. 13. 8. seqq. Gal. 5. 14. Et ut alia prætereamus, vita sempiterna ei promittitur homini qui fratres dilexerit 1 Joh. 3. 14. adde etiam ejusdem capitis vers. 18 & seqq. usque ad finem capitis: in quibus eadem continetur sententia, licet aliis verbis elata, & cap. 4. 7. asseritur eum hominem qui diligat alios, ex Deo natum esse ac Deum nosse, & vers. 12. dicitur Deus in talibus manere, ex quibus sequitur, tales vitam æternam habituros. At vita æterna nemini nisi omni pietatis genere prædito vi divinæ promissionis dabitur, & ex mente S. Johannis aliorumque scriptorum sacrorum nemo ex Deo natus est, nemo Deum novit, nisi qui mandata ejus servat, ut ex universis ejus epistolis constat: inspiciatur vel caput 2 & 3. primæ Epistolæ. Eidem charitati tribuitur quòd opertura sit multitudinem peccatorum, 1 Pet. 4. 8. At peccata nostra non teguntur hoc est non remittuntur, nisi in luce ambulaverimus, ut Deus est in luce, sicut testatur idem Johannes 1 epist. cap. 1. ℣. 7. Quapropter etiamsi reliquæ virtutes natura sua a charitate sint distinctæ, ita ut in ipsius essentia non includantur; nihilominus tamen quia cum ea individuo ac indissolubili nexu videntur esse conjunctæ, meritò ea sola nominata omnes intelliguntur, vel intelligi saltem queunt, nisi ex ipso loco aliquid aliud constet. Hoc autem loco ubi præter fidem ac charitatem, fideique prolem patientiam, nulla alia commemoratur, non tantum nihil obstat quominus cæteræ etiam omnes virtutes, charitati adjunctæ intelligantur; verùm etiam magna est causa cur hoc nomine tacitè comprehensæ censeantur. Laxitatem autem hujus virtutis aliquo pacto restringit Apostolus ad eam quæ est erga fratres, quæque inter ipsos Christianos Thessalonicæ degentes mutuò exercebatur: non quòd iidem charitate in extraneos, & à fide in Christum alienos non essent præditi; sed quòd eam præcipuè in sese mutuò seu in omnes Christianos exercerent, & mutuis officiis certatim colerent, quodque hæc sinceri in religionem Christianam amoris, & singularis pietatis sit indicium, ac Christi discipulis maxime digna. Qui enim ob id ipsum diligit alios, & quidem præ cæteris omnibus, nempe propter communem Christi religionem ac fidem, nulla rerum carnalium habita ratione, is ostendit se ipsam Christi religionem maximi facere, ac sincere amplecti, & eam prope solam in aliis amare. Interea tamen quisquis ob communia sacra & ejusdem Christianæ religionis societatem alios diligit, is ejusdem religionis vi impelletur ad cæteros omnes homines diligendos, quandoquidem hoc eadem illa docet religio. Quare quum Paulus ait Thessalonicenses abundare charitate inter sese mutuo, tacite simul illis tribuit charitatem erga alios & ejusdem abundantiam. Abundabat autem Thessalonicensium amor erga sese mutuò, quatenus subinde intendebatur, & pluribus effectis pluribusque officiis quibus sese mutuò prosequebantur in dies sese prodebat, & magis atque magis testatam se faciebat. His enim modis incrementum capit charitas, cùm & intus & extus intenditur, atque exuberat, intus affectu extus effectu: intus effervescit, extus ebullit atque declaratur per opera. Ait autem *uniuscujusque omnium* ipsorum

ipſorum charitatem in alios abundare, ut non tantùm intendi charitatem illorum doceret, ſed etiam latiſſimè extendi, & non in uno tantùm aut altero, ſed in omnibus generatim ejus Eccleſiæ membris augeſcere doceret. Dico in omnibus generatim, quia admodum vero eſt ſimile Apoſtolum id de ſingulis atque univerſis pronunciaſſe quod de pleriſque conſtabat: cùm ſi quis eſſet in quo diverſum deprehendi poſſet, ejus nulla eſſet habenda ratio: quum reſpectu tantæ multitudinis in qua contrarium appareret, id non compareret, ac pro nullo cenſeretur. Quod propterea dicimus quia vix eſt credibile adeo probam ac felicem fuiſſe illam piorum ſegetem quin vel una aliqua in ea exſtaret ſpica, ut ille ait, nequam; neque credibile eſt ita exacte de ſingulis conſtare potuiſſe Apoſtolo, ut de unoquoque nominatim id aſſerere tam conſtanter poſſet, quemadmodum proprietas horum verborum poſtulare videtur. Neque enim prophetico aliquo Spiritu hæc enunciat Apoſtolus, ſed ex aliorum proculdubio relatione ac conſtanti fama, cæteriſque documentis, quibus charitas Chriſtiana arguitur. Quare conſuetus tum ſacris tum profanis ſcriptoribus mos videtur ab Apoſtolo uſurpatus, ut quod de longe maxima fidelium iſtorum parte verum eſſet, id de omnibus ac ſingulis pronunciaret.

Ex his diſcimus, charitatem non minus quàm fidem in hominibus Chriſtanis requiri, quæ eam animet ac ſpiritum ei indat, & ſine qua ea mortua ſit atque inefficax. Unde idem Apoſtolus loco quem ſuperius citavimus Gal. 5, dicit *in Chriſto Jeſu nihil valere præter fidem quæ per charitatem ſit efficax.* Qua de re nihil opus eſt plura hîc à me dici, præſertim cùm hujus rei documenta ex iis quæ paulò ante diximus peti queant: atque inter alios nobilis eſt locus 1 Cor. 13. ℣. 2, 3, qui perſpicue oſtendit, ſine charitate nihil valere cætera omnia Chriſtiani hominis ornamenta, factaque, & ad ſalutem eſſe inefficacia. Secundò diſcimus, etiamſi omnes homines charitate proſequi debeamus, eam tamen primò ac præcipue à nobis deberi hominibus Chriſtianis, & in eos potiſſimùm exercendam eſſe: quam ob cauſam diximus hic commemorari charitatem Theſſalonicenſium non in cæteros homines ſed in eos nominatim qui ejuſdem ſint Eccleſiæ membra, ejuſdemque religionis participes. Quo pacto etiam idem Apoſtolus alibi, jubet in omnes beneficentiam exercere, ſed *maxime in domeſticos fidei.* Gal. 6. 10. Hac de cauſa idem Rom. 12, cum primum hortatus eſſet ad charitatem non ſimulatam, mox inſignite præcipit ℣. 10, ut fraterna charitate ſimus alii in alios propenſi, & naturalem inter germanos fratres charitatem æmulemur. Et Petrus 2 epiſt. cap. 1. ℣. 7, poſt pietatem quæ Deum ejuſque gloriam proprie reſpicit, proximè collocat fraternum amorem, cui demum ſubjungit charitatem quæ ad omnes omnino ſpectat, & in qua magis ſpectatur effectus quam affectus, ſeu animi fervor, licet ipſa quoque ſincera eſſe debeat. In fratres uti jam ſuprà monuimus major eſſe debet animi propenſio ac fervor, majora etiam officia, quorum ſummum eſt ut animam etiam pro fratre ponas: qua de re in Ethicis dictum. Tertiò hinc perſpicimus, non initia tantum charitatis in nobis exſtare debere, ſed progreſſus etiam in eadem eſſe faciendos, horum Theſſalonicenſium exemplo, ad quos faciendum eos hortatus fuerat Apoſtolus, 1 epiſt. cap. 4. ℣. 10, ubi cum dixiſſet eos ſeſe mutuò diligere, imò omnes qui eſſent in Macedonia fratres, addidit, *Hortamur autem vos fratres ut abundetis magis.* Hujus voti ſui compotem ſe factum eſſe Apoſtolus his verbis quæ præ manibus habemus oſtendit. Itaque cavendum eſt è contrario diligenter, ne illud nobis objici poſſit, quod Dominus Jeſus objecit Epheſinæ Eccleſiæ angelo, Apoc. cap. 2. ℣. 4, nos primam dilectionem deſeruiſſe, & ab ea deſeciſſe. Pertinent huc nonnulla ex iis quæ de fidei incremento ſupra diximus.

Denique cum ex his verbis perſpiciatur omnia generatim Eccleſiæ Theſſalonicenſium membra charitate hac excelluiſſe, adeoque vera vitæ pietate fuiſſe conſpicua, idem etiam in aliis Eccleſiis contingere poſſe, adeoque etiam nobis idem eſſe conandum, & tum quemque pro ſua virili parte in id incumbere debere, tum alios exemplo ſuo, ac ſalutaribus monitis excitare, ut ad eandem pietatis laudem apud Deum adſpirent, ut ita per omnia Eccleſiæ membra diffundatur virtus, nullum verò eorum ſit morbidum aut languidum. Et hactenus quidem priorem primi membri partem, prioremque ex iis benevolentiæ Apoſtolicæ erga Theſſalonicenſes effectibus quos in primo illo membro explicari diximus, conſideravimus: Sequitur ut ad alterum quoque effectum qui in primo illo membro exprimitur, & ſic ad poſteriorem membri ejus partem accedamus, quæ quidem prioris amplificandi cauſa adjecta videtur ab Apoſtolo. Explicaturus enim Apoſtolus magnitudinem atque incrementum earum virtutum quas hactenus expendimus, atque inprimis fidei, quam priore loco collocaverat, ab effectu rem illuſtrat, nempe ſua de Theſſalonicenſium patientia, quæ certiſſimum fidei ipſorum ſit argumentum apud alias Chriſti Eccleſias gloriatione. Qua in re ita progreditur Apoſtolus ut primò hunc effectum exprimat, deinde ſubjiciat ejus objectum, quod idem quoque cauſa ejuſdem eſt impulſiva. Prius facit in illis verbis, *adeò ut nos ipſi in vobis gloriemur, in Eccleſiis Dei.* Quæ verba ita ſunt capienda ac ſi dixiſſet, tantum capit incrementum veſtra fides, atque inde nata charitas fraterna, ut nos ipſi continere nos non poſſimus quin de vobis gloriemur ſeu vos laudemus ac celebremus paſſim in aliis Eccleſiis ac cœtibus Deo Chriſtoque ſacris. Illud enim *in vobis* perinde poteſt accipi acſi dictum fuiſſet de vobis: Niſi forte malis ita id capere acſi dictum eſſet per vos, aut propter vos; quaſi nempe Paulus ipſe ad honeſtam ac Chriſtiano homine dignam ſui ipſius laudem hoc retulerit quòd hujuſmodi haberet diſcipulos, adeò in fide conſtantes. Pertinet enim ad laudem ipſorum Doctorum egregios habere diſcipulos. Unde ſuperius, priore Epiſtola cap. 2. ad finem, ita de iiſdem ſcripſit Apoſtolus: *Quis enim eſt noſtra ſpes aut gaudium, aut corona gloriationis, annon & vos coram Domino noſtro Jeſu Chriſto, in ipſius adventu? Vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium.* Porrò autem Eccleſias Dei opponit Apoſtolus cœtibus & collegiis profanis, & quibuſcunque aliarum etiam religionum Synagogis aut conciliabulis. Hinc apparet poſſe hominem Chriſtianum & Eccleſiæ Doctorem laudibus celebrare ſuorum auditorum aut diſcipulorum virtutem, ita ut etiam illis ipſis quos laudat ea de re conſtet. Id verò eum in finem, partim ut alios eorum exemplo ad eandem virtutem ac pietatem incitet, eos nimirum apud quos illam prædicat; partim verò ut illi ipſi qui laudantur hac laude & approbatione Doctoris ſui inflammati, tanto acriùs cœptum virtutis ſtudium urgeant, ut tanto majores in ea progreſſus facere nitantur. Notum enim eſt virtutem laudatam creſcere. Id tantùm cavendum eſt ne in adulationis crimen vel ſuſpicionem etiam incurrat: quod fiet ſi aut immeritò laudet, aut nimis crebro laudet. Deinde ne forte præpropera gloriatione eos in ſtudio pietatis ſegniores reddat, & in cauſa ſit cur intumeſcant. Nam utut plerumque verum ſit illud quod antea diximus, vel ſaltem non raro eveniat nempe ut virtus laudata creſcat; non ſemel tamen accidit, in iis præſertim qui judicio non multum pollent, aut non ita longe ſunt in virtutis ſtudio progreſſi, ut opinione pietatis inflentur, & ſeſe jam ſatis probos, ſatis officio ſuo functos autument. Apparet ſane Paulum non quoſvis laudare ſolitum, nec niſi de robuſta adultaque virtute gloriatum. Arguunt id ipſa ejus hæc verba, quandoquidem dicit, *ſupra modum creſcit fides veſtra* &c. *adeò ut nos ipſi in vobis gloriemur* &c. Satis oſtendens ſe de vulgari fide ac charitate non fuiſſe gloriaturum: ſed nunc poſtquam tantopere creverit, facere non poſſe quin glorietur. Quare laus illa moderanda eſt prudentiâ, atque temperanda. Quodſi alter ſenſus verborum *in vobis gloriari* admittatur, perſpici poteſt, poſſe etiam virum pium aliquid in ſuam laudem dicere,

modo eam & modeste prædicet, & non per se quærat, sed ad Dei gloriam aliorumque ædificationem ac emolumentum unicè referat: quemadmodum Paulum Apostolum fecisse nihil est dubium. Apparet etiam ubinam Christianorum laudes potissimùm sint prædicandæ, nempe in Dei Ecclesiis, ut inde & lætitiam & exemplum sibi pii capiant.

Objectum porrò & causam impulsivam hujus gloriationis exprimit Apostolus cùm ita inquit, *de patientia vestra & fide in omnibus persequut onibus vestris & afflictionibus quas sustinetis.* Ubi duas exprimit virtutes in quibus gloriatio Pauli versabatur, patientiam, & fidem: deinde easdem amplificat à materia in qua exercebantur atque elucescebant, nempe persequutiones & afflictiones. Quod ad virtutes attinet patientiam priore loco collocat, tanquam manifestiorem, & oculis ipsis subjectam, cui deinde subnectit fidem, quæ ipsa per se sub arbitrium oculorum non cadit, sed in animis hominum latet abdita: verùm à priore illa quæ hujus effectus est arguitur, & quodammodo conspicua redditur. Quare ista Apostoli verba cum dicit *de patientia vestra & fide*, &c. ita sunt accipienda, ac si dixisset, gloriamur de vestra patientia, & quæ ab illa arguitur ac demonstatur fide, quam abundè comprobatis in omnibus afflictionibus vestris. Quid autem sit *patientia*, quid item *fides*, in Ethicis satis est explicatum. De eo non est opus amplius monere quomodo vox *fidei* hoc loco accipiatur: cùm id superiore versu jam sit explicatum. Ex his autem verbis satis apparet, istud quod dixerat Apostolus, *Ita ut nos ipsi in vobis gloriemur* &c. Magis cohærere cum illo, *quia supra modum crescit fides vestra*, quàm cum isto quod sequitur *& abundat charitas* &c. Hæc autem verba vix ullum doctrinæ genus præbent, præter abhortationem ad easdem virtutes, de quibus gloriabatur Apostolus, consectandas: cùm ex his verbis appareat, quàm præclaræ quamque laudabiles illæ sint, quantaque prædicatione dignæ. Istud adhuc addi potest, patientiam in afflictionibus pro veritate sustinendis, præsertim constantem, esse signum minime dubium solidæ constantisque fidei: quemadmodum impatientiam fidei dubiæ atque infirmæ, vel penitus nullius.

Quod verò attinet ad materiam in qua exercebantur istæ virtutes atque enitescebant, de ea ita loquitur Apostolus, *in omnibus persequutionibus vestris.* Hoc est quam patientiam atque adeo etiam fidem exseritis atque probatis in omnibus persequutionibus, iis nempe quæ ipsius veritatis cœlestis quam profitemini causâ vobis inferuntur. Persequutiones autem & afflictiones hoc loco pro iisdem sumuntur, & posteriora verba priorum tantùm sunt explicatio. Apparet autem varias afflictiones ac multiplices sustinuisse Thessalonicenses: quandoquidem ait Apostolus *in omnibus afflictionibus*, hoc enim nonnisi de multis dicitur. Hinc quæ peti queant doctrinæ, cuivis patet. Nempe virtutem atque inprimis patientiam ac fidem in Christum, argui malis ac calamitatibus, præsertim variis ac diuturnis, & ex iis penitus apparere: Ideoque eas Christiano homini ubi opus est non esse defugiendas. Deinde non aliquas tantùm, sed quasvis, atque adeo multiplices ac varias sustinendas esse ei qui patientiam ac fidem suam probare Deo ac hominibus piis debet: exemplo horum Thessalonicensium, qui in omnibus persequutionibus fidem ac patientiam suam ostendebant.

Hæc de primo loci hujus membro. Sequitur alterum in quo continetur secundus ex principalibus benevolentiæ Apostolicæ erga Thessalonicenses effectibus, qui est, quòd consoletur Thessalonicenses in hujusmodi ut vidimus afflictionibus & calamitatibus, pietatis ac religionis causâ constitutos. Consolatur autem eos proposito earum afflictionum effectu, partim ad ipsos, partim ad eorum adversarios spectante. Is verò est quòd persequutiones illæ tum indicium atque argumentum essent, tum etiam causa quædam partim felicitatis ipsorum Thessalonicensium, partim verò sempiterni supplicii atque interitus eorum qui ipsos affligerent. Et primò quidem priorem afflictionum istarum effectum exprimit, nempe quòd eæ sint indicium earum quas diximus rerum, ad judicium divinum pertinentium: deinde hujus prioris aliquomodo confirmandi gratiâ, subjungit etiam alteram.

Quod ergo ad priorem attinet, is continetur illis verbis: *Indicium*, vel demonstrationem *justi judicii Dei, adhoc ut digni judicemini vos regno Dei, pro quo etiam patimini.* Ubi primò generatim effectum illum exprimit: deinde speciatim declarat, expressâ alterâ earum rerum parte quas ab istis calamitatibus argui significat Apostolus, ea nempe quæ ad ipsos Thessalonicenses pertinet. Prius est ibi; *indicium* vel *demonstrationem justi judicii Dei*: quæ verba antequam penitius considerentur, consideranda est eorum cum antecedentibus constructio ac contextus: non enim satis apparet quomodo cohæreant; præsertim si Græca verba consideres. Poterunt ergo duplici ratione connecti: vel ita ut per appositionem vox *indicium* seu *demonstrationem* conjungatur cum præcedentibus, hoc modo, *quas* scilicet afflictiones, *sustinetis*, *indicium* seu demonstrationem, hoc est quæ sunt indicium seu demonstratio. Nam etsi relativum ταῖς dativi sit casus, ita ut ἔνδειγμα, quod vel est nominativi vel accusativi, non videatur cum eo connecti posse; fieri tamen potest ut Apostolus perinde loquutus fuerit, atque si ea vox esset casus accusativi: quandoquidem pro accusativo ob casum sui antecedentis per Græcismum est posita: alioquin enim dicendum fuisset ἃς ἀνέχεσθε, quas sustinetis. Unde in Latino nullum σολοικόφανες apparet, cum vox ἔνδειγμα tanquam accusativo casu posita, cum relativo *quas*, recte per appositionem connecti queat. Quodsi hoc admittere nolis, dicendum est ἐλλείψιν hoc loco esse, Hebræis quorum consuetudinem creberrime sequi Apostolum nemo ignorat, admodum familiarem, nempe ut subaudiantur voculæ *quæ*, (scilicet afflictiones) *sunt*, indicium vel demonstratio. Hebræi unâ particula *Ascher* exprimerent, subintellecto verbo substantivo. In veteri Testamento admodum crebra sunt ejus rei exempla. In Novo habemus Jac. 1. versic. 18. initio, ubi quum præcedente versiculo dictum esset, *apud quem*, scilicet patrem luminum, *non est transmutatio, aut conversionis obumbratio*; subjicitur, *Volens genuit nos* &c. pro, qui volens genuit nos. Et hæc quidem de verborum constructione. Quod ad eorundem sensum attinet, id sibi vult Paulus, afflictiones quas veritatis causâ paterentur Thessalonicenses, argumentum esse ex quo appareat qualenam futurum sit aliquando Dei de ipsis eorumque adversariis judicium, seu qualis sit futura sententia illa quam juste aliquando pronunciaturus sit Deus. Vel, si mavis, eas esse indicium atque argumentum evidens, ex quo cernere liceat, sequuturum aliquando Dei judicium idque justissimum, quo nimirum & ipsis præmia, & adversariis ipsorum, hominibus impiis pœnam sit decreturus. *Judicium* enim Dei hoc loco non pro pœna tantùm & damnatione sumitur, sed etiam eam complectitur sententiam qua præmium decernitur ac merces rectè factis, ut ex sequentibus apparet. *Justum* autem appellat judicium istud Dei, non modò quia justitiæ usque quaque futurum est consentaneum, nullamque cuiquam injuriam Deus in ferenda & exsequenda sententia est illaturus, cùm præter aut ultra meritum neminem sit punituros, nemini etiam denegaturus præmium cui deberi videatur; sed etiam quia justitia Dei, hoc est ipsius rectitudo & æquitas, postquam præsertim immutabile ipsius decretum intervenit, id ab ipso requirit. De justo hoc Dei judicio non uno loco in Sacris Literis legitur, atque inter alios in iis in quibus Deus aut Christus secundùm uniuscujusque opera redditurus aut judicaturus dicitur.

Ex

Ex his verbis discimus quantam vim habeant afflictiones piorum, quamque longe judicium de iis humanum à rei veritate discrepet. Nam ita homines ferè judicare solent, homines inquam ii quibus pietas cordi non est, afflictiones hujusmodi arguere Deum humana non curare, & omnia temere sursum deorsum ferri, atque adeò Deum non esse, quòd videatur bonis malè, malis bene esse; quodque hi illis insultare & eos affligere soleant, quum contraria utrorumque conditio videatur esse debere. Sane etiam David, vel Asaph, Psal. 73, indicat parum abfuisse quin ipsemet hîc judicio vehementer falleretur, cernens adeò secundam ac prosperam eorum fortunam quibus pietas cordi non esset, quique securi ac sine ullo Dei metu viverent. Hujus ergo rei indicium quoddam videntur hominibus male feriatis præbere piorum calamitates. At longe aliter se res habet; & longè etiam aliter Paulus Apostolus judicat. Is enim ex piorum calamitatibus quas iis machinentur aut inferant impii, colligit potiùs sequuturum aliquando justum Dei judicium, quo fiat ut bonis bene, malis male sit. Nempe non semper præsentia tantùm intuenda sunt, sed etiam futura, & cogitandum sequuturam aliquando rerum omnium καλαστροφὴν, nec passurum esse Deum ut bonis sit malè, & malis facinora ipsorum sint inulta. Quare hac spe, quoties aliquid mali ingruit, nos solemur, & argumentum inde capiamus sequuturi Dei judicii. Deinde quum justum sit futurum illud judicium, non est quòd quisquam pietatis præmium speret, qui pietatem non exercuerit: aut effugiturum pœnam qui digna supplicio committere non destiterit. Nam ex factis suis unusquisque judicabitur: nulla hîc erit προσωπολημψία & personarum acceptio, sed factorum tantùm, quorum nomine etiam cogitationes includimus, ratio habebitur, & secundum eas sententia feretur. Et hactenus in genere effectum afflictionum quas Thessalonicenses sustinebant explicuit Apostolus.

Sequitur ut videamus quomodo specialius hanc rem exprimat, atque eam judicii divini partem, quæ est latior, quæque ad fideles Thessalonicenses pertinebat, efferat. Id autem fit in illis, *ad hoc ut digni sitis vos regno Dei, pro quo etiam patimini.* Quasi dicat; Afflictiones quas suffertis demonstrant Deum ita justè judicaturum ut vos dignos judicet reddatque, regno suo, cujus adipiscendi causa etiam hæc omnia patimini. Verbum καταξιοῦσθαι licet significare posset dignum reddere, tamen rectius, hoc & aliis Novi Fœderis locis accipitur pro dignum judicare, dignari: ita ut etiamsi per te ipsum re aliqua dignus non sis, eamque non fueris commeritus; nihilominus tamen eam ex singulari donantis bonitate adipiscaris. *Regnum Dei* autem sumitur pro felicitate suprema: quæ & eatenus Dei esse dicitur quatenus ab ipso primum est profecta, deinde etiam quatenus vere divina est & Deo ipso digna, & ei felicitati similis qua ipsemet perfruitur. Regnum enim ut notum est, quia beatissimus in terris censetur status, & maximè sublimis, ideo in Sacris Literis sæpe pro felicitate suprema ponitur. Vox autem *Dei* ultimo loco collocata posita est Hebræorum more pro relativo. Ita enim dicere potuerat, adhoc ut digni reddamini vos regno ipsius. Mentio enim Dei proxime hæc verba præcesserat.

Hinc primò discimus nullius hominis tantam esse pietatem ut propriè loquendo mereri queat sempiternam felicitatem: cùm Thessalonicenses quoque de quorum pietate paulo ante tot habuimus testimonia, eam non meruerint, sed necesse habuerint ut Deus eos tanto bono dignos censeret, eamque illis pro sua benignitate adjudicaret. Quanquam enim res jam promissa erat, & eatenus illis si in studio pietatis perrexissent, daretur; tamen si rem ipsam spectes, eatenus ex gratia danda erat. Deinde expendi debet felicitatis quæ nos exspectat quæque pietatis nostræ præmium est, summa amplitudo ac sublimitas, quandoquidem regnum appellatur, & quidem *Dei regnum*, quod omnibus hominum imperiis regnisque terrenis eatenus opponitur. Quum verò addit Paulus, *pro quo etiam patimini* rationem quandam aperit ob quam statuendum sit regnum hoc Thessalonicensibus à Deo adjudicatum iri. Perinde enim est acsi dixisset, utpote quum ejus obtinendi causa tanta sufferatis mala. Non solet enim Deus piorum hominum vota & conatus suæ voluntati cæteroqui consentaneos frustrari, & ut excellens eorum virtus præmio suo careat, perpeti. Ex his autem cognoscimus, non satis esse ad patientiæ laudem dura atque aspera ferre ac sustinere, sed id etiam requiri, ut honestum ob finem, & Dei voluntati consentaneum, ea patiaris. Is autem partim Dei Christique gloria, partim nostra ipsorum suprema felicitas. Deinde animadvertendum non tantùm optima quæque esse facienda sempiternæ felicitatis causa, sed etiam extrema omnia perpetienda, dignamque esse hanc mercedem cujus gratiâ nihil non subeas, nihil non toleres: quum illius causa Thessalonicenses, ut vidimus, tot sustinerent persequutiones & afflictiones. Hæc de priori effectu afflictionum quem ad eas levandas, & Thessalonicensium animos erigendos, exprimit Apostolus. Sequitur alter, qui in re ipsa consistit, quemque prioris illius quodammodo confirmandi causa subjicit Apostolus: Is verò est quòd eædem afflictiones parituræ sint, inferentibus quidem pœnam ac supplicium, tolerantibus autem quietem ac felicitatem sempiternam. Hunc effectum duplicem primò exprimit Apostolus, deinde illustrat & amplificat. Exprimit in illis ℣. 6 & 7 verbis: *Siquidem justum est apud Deum reddere affligentibus vos afflictionem, & vobis qui affligimini quietem, unà nobiscum.* Ubi videmus primò ut Thessalonicenses utrumque effectum certum esse cognoscerent, causam ejus impulsivam exprimi, quum inquit, *siquidem justum est apud Deum*, utrumque nimirum illud quod sequitur. Cur autem justum hoc esse dicatur, jam antea indicavimus cùm de justo Dei judicio ageremus. *Justum* nempe hoc loco non pro eo tantùm sumitur quod jure fieri potest, & ab injuria omni est sejunctum; sed pro eo quod ut fiat ipsa justitia atque æquitas postulat, ita ut sine iniquitate aliqua omitti nequeat. Duplici enim modo justum sumitur, vel pro eo quod jure fieri potest, vel pro eo quod jure fieri debet: illud sine injustitiæ nota omitti nonnunquam potest, hoc nunquam: illius generis est debitum exigere, hujus debitum reddere. Hoc autem loco posteriore modo vocem justi esse accipiendam, ex eo patet, quòd his verbis demonstret Apostolus afflictiones Thessalonicensium demonstrare, Deum justo suo judicio ipsos pronunciaturum dignos regno suo. Id verò non demonstrasset, si id tantùm dixisset, jure id fieri posse, & non id etiam fieri jure debere: quandoquidem id quod fieri jure potest, quemadmodum indicavimus, potest etiam jure non fieri, seu jure omitti: ita ut nisi aliunde constet id futurum, ex eo solo id demonstrari non possit quòd id justum sit modo illo qui est imperfectior. Justum autem hoc esse diximus, seu æquum ut ita omnino fiat, non tam ex rei ipsius natura, quanquam ea aliquid habet quod suadeat, quàm ex Dei decreto aut promisso. Et promissio quidem ad præmium reddendum, conditione præstitâ simpliciter obligat, nec sine injustitiæ nota revocari potest: pœna verò ob comminationem simplicem non necessario exigenda est, nec justitia id per se postulat, sed tum demum si decretum intercessit, vel planè immutabile, vel saltem ideo immutabile quia nulla ejus sit relaxandi causa, quæ si præberetur, relaxari fortasse ac mitigari posset, propterea quòd non prorsus esset absolutum, aut præcise factum. Decretum autem de puniendis iis qui non modò in contumacia & infidelitate perseverarent, verùm etiam alios ob pietatem ac religionem in Deum affligerent, ac resipiscere tempestive nollent, factum est à Deo immutabile. Itaque eam ob

causam

causam rectum est & æquitati conveniens, ut iis tandem ubi ad extremum in contumacia hac perseverarint, supplicium decretum infligatur. Quum verò hoc loco dicit Paulus, justum hoc esse non simpliciter sed *apud Deum*, vel id tantùm vult, justum id esse ut à Deo fiat, Deo ipsi hoc jure convenire: vel Dei judicium, hominum opponit judicio: quasi dicat; etiamsi fortè hominibus secus videatur, qui putant recte illos agere qui vos affligant, ut pote extrema meritos; nihilominus tamen aliud est hac de re Dei judicium, contrarium potiùs ipsi videtur esse justum, nempe ut reddat iis qui vos affligunt afflictionem, vobis autem requiem. Et hic posterior sensus qui paulò est uberior ac prægnantior, priorem in se complectitur. Quo loco animadverti potest quàm sæpe Dei & hominum discrepent judicia, ut quod his videtur iniquum, ille justum esse censeat, & contra: id quod in suppliciis aliisve malis quæ alii aliis religionis causa inferunt, sæpissime contingit. Vide ea de re quæ Christus dicat, Joh. 16. 2, 3. Nihil est errorum fœcundius quàm superstitio. Quare cavendum est diligenter hominibus, ne falsa religionis aut pietatis specie decepti, gravissimè peccent.

Sed jam effectus illi duo propius nobis sunt considerandi. Eorum prior spectat ad Thessalonicensium adversarios, qui est *reddere affligentibus ipsos afflictionem*. De qua afflictione sit sermo, facilè perspici potest, tum ex opposito membro, tum ex reliquis quæ sequuntur: nempe de ea qua Dominus Jesus è cælis aliquando veniens illorum impietatem, & in pios immanitatem judicabit. De qua plura postmodum dicet Apostolus ỳ. 8 & 9. De eadem differit Rom. 2. 9. ubi conjungit afflictionem & angustiam. Ideo autem libentius *afflictionis* nomine usus est Apostolus in describenda pœna quam Thessalonicensium persequutoribus inflicturus sit Deus, ut convenientiam ejus cum delicto, & sic æquitatem supplicii tanto clarius ob oculos poneret. Quam ob causam etiam *reddendi* vel retribuendi verbo est usus. Affligebant illi pios, affligendi sunt olim vicissim: qua mensura mensi sunt eadem illis remetietur. Quanquam afflictio illa diversi erit ex parte generis: afflictio enim illata Thessalonicensibus corporis tantùm erat, ea verò quæ ipsis est metuenda persequutoribus animi quoque interitum involvit. Nec tamen ideo iniqua est hæc compensatio, quia afflictionem illam corporalem malitia adjuncta adeo aggravabat ut hujusmodi illis supplicium meritò posset constitui. Hoc loco supplicio rum etiam metus incutiendus est auditoribus, eaque ratione omnes à peccatis avocandi: atque inprimis etiam ab omni crudelitate atque ab injuriis fidelium genti inferendis. Potest etiam hac occasione nonnihil differi de æquitate divinorum judiciorum, qui similia supplicia similibus accommodat delictis. Qua de re videatur etiam nonnihil, Apoc. 16. ỳ. 5 & 6. collatis cum præcedentibus.

Posterior effectus qui quidem pertinet ad ipsos Thessalonicenses, est quòd Deus illis sit daturus quietem, quum nunc affligerentur, unà cum Apostolo & aliis ipsius similibus, qui exprimuntur initio ỳ. 7. Quales fuerint afflictiones illæ quas tum temporis sustinebant Thessalonicenses, explicatum est supra. *Requies* autem est ab illis afflictionibus liberatio ac immunitas; cum qua conjuncta est vita sempiterna, & cælestibus affluens gaudiis. Hæc enim nonnunquam requiei nomine in Sacris Literis intelligitur. Ut in illis Christi verbis Matth. XI. 29. & Hebr. 4. ubi copiosa de ea differitur. Itemque Apoc. 14. 13. Itaque vocabulum hoc *quietis* plus habet in recessu quàm prima fronte promittit. Addit autem Apostolus *nobiscum*, vel unà nobiscum: partim ut exemplo suo illos reddat alacriores, propterea quòd ipse quoque affligeretur, sed tamen immunitatis ab hujusmodi afflictionibus aliquando futurus esset particeps: partim verò ut eos secum conjungens, & quam ipse exspectaret felicitatem eandem illis communem fore indicans, magnitudinem illius felicitatis, ipsorumque apud Deum dignitatem melius exprimeret: ita ut partim certitudinem, partim præstantiam felicitatis ipsorum his verbis indicaret. Hinc petenda est consolatio: quæ quum omnibus est necessaria, tum verò maximè iis qui affliguntur ob Christi nomen, (quanquam etiam aliis afflictis servit) fore aliquando ut ab his malis liberati, & ab omnibus vindicati doloribus, libertate gloriosa filiorum Dei gaudeant. Qua de re vide inter alia Rom. 8. ỳ. 20. & seqq. 2 Cor. 4. 17. cap. 5. ỳ. 2. seqq. Quare adhortandi sunt omnes ne doloribus fracti succumbant ac cedant, sed potiùs contra eant audentius, spe melioris conditionis. Omnia enim adversa, spes, præsertim tam certa mollit atque lenit. Deinde hinc discimus Christianos generatim eandem manere felicitatem, licet cæteroqui dignitate sint impares. Unde hoc loco Apostolus in quiete Thessalonicensibus danda eos secum conjungit, licet fieri queat ut inter ipsos dignitatis gradibus alii aliis excellant. Unde illud quoque consequitur, non debere eos qui se aliis Christianis præstare norunt, eos præ se contemnere, sed libenter in iis quæ cum ipsis habent communia secum illos conjungere. Et hæc quidem de ipsis effectibus afflictionum. Sequitur eorum amplificatio; quæ partim utrique eorum est communis, partim alterutri propria. Nam primò conjunctim effectum utrumque illustrat Apostolus à circumstantia temporis, quum ait: *in revelatione Domini Jesu à cœlo cum angelis potentiæ ipsius*. Ubi simul etiam explicantur causæ efficientes istorum effectuum: quarum alia principalior est, alia verò minus principalis seu instrumentalis. Illa est, Dominus Jesus. Hæc verò Angeli Domini Jesu potentes. Quanquam etiam locus est expressus, unde comparere debeat Dominus Jesus. *Revelatio Domini Jesu* nihil est aliud, quàm illustris & conspicuus ipsius adventus: qui eodem modo appellatur 1 Petr. 1. vers. 7. forte etiam vers. 13. Simili ratione describitur, 2 Tim. 4. vers. 1. & alibi. Coloss. 3. vers. 4. Ideo autem Dominus Jesus tum tanta in majestate comparebit ut id faciat Dei nomine, quod Deum facturum modò audivimus, nempe ut unicuique reddat secundùm ipsius opera; & impiis ac piorum persequutoribus irroget supplicium, piis autem maximè afflictis sempiternam afferat quietem: ipsi enim traditum est à Patre omne judicium Joh. 5. vers. 22. Ait autem *è cœlo* ipsum appariturum, quia in cœlis nunc beatus degit: in quos quemadmodum ascendit, ita etiam ex iisdem appariturus & ad nos rediturus est. Ait deinde ipsum appariturum *cum angelis potentiæ suæ*, hoc est cum angelis suis potentibus: non modò ut tanto illustrior ac magnificentior sit ipsius adventus, & ex eorum gloria, ipsi Domino Jesu plurimum accedat honoris; verum etiam ut ipsorum uratur opera in impiis à piis separandis, ac contra in colligendis piis, & ad ipsum adducendis. Qua de re vide Matth. 13. vers. 41, 49, 50. & XIV. 31. Ita ut quietis ac salutis piorum etiam causæ quædam sint angeli: quemadmodum quoque contrà supplicii impiorum. Potentes autem Angelos ideo vocat, quia magnæ sunt illis vires, præsertim inter se conjunctis, perque eos plurima maximaque præstat Dominus Jesus, & præstitit olim Deus sub Veteri Fœdere. Quanquam alioqui nonnulli iterum inter eos peculiari ratione *virtutes* appellantur, propter singulare quod præ cæteris habent robur ac vires, ut Eph. 1. 21. 1 Petr. 3. ultimo. In quo utroque loco distinguuntur ab iis qui ἐξουσίαι seu potestates appellantur.

Ex quibus verbis apparet in quod tempus rejectum sit perfectum pietatis præmium, & requies fidelibus parata: non in tempus illud quod inter mortem uniuscujusque & adventum Jesu Christi est interjectum, sed in ipsum Domini Jesu adventum, contra quàm hodie Christiani vulgo sentiunt. Et huc accommodare solent illum Apoc. 14. 13. locum, suprà à nobis citatum. Quem etiam non omnes rectè distinguunt: Nam vocem ἀπ' ἄρτι, seu à modo vel ab hoc tempore, quæ præcedentibus conjungenda est, ut ipsa verba sequentia satis indicant cum sequentibus conjungere solent:

solent: quasi dictum esset, à modò hoc est ab ipso mortis tempore illi requiescunt à laboribus suis. Nam etsi commodus hujusmodi verborum possit esse sensus, non tamen hoc à divino spiritu dicitur. Certe absona admodum & dura esset hæc verborum constructio, & ὑπερβατὸν insolens, si ita essent ordinanda verba, *à modo certè inquit spiritus ut requiescant à laboribus suis.* Neque enim communis loquendi ratio istum adverbiorum ab initio sermonis concursum, & quidem adverbiorum ad diversa verba referendorum, patitur. Et satis liquet particulam ναὶ seu *certè*, inchoare ibi periodum ac sententiam. Quare ita sunt ordinanda verba: *Beati qui in Domino moriuntur à modò*, vel ab hoc tempore; hoc est qui fidem in Christum constanter retinentes, ab eo tempore quo Antichristus ita sæviet, mortem violentam oppetent: nam in tuto prorsus erit illorum felicitas qui tantam malorum vim constantia sua ac patientia vincunt. Dixerat enim antea: *Hic est patientia sanctorum, hic qui servant præcepta* DEI *& fidem Jesu.* Sed de tempore quo felicitas piis promissa, sit eis exhibenda, dictum est à nobis in explicatione loci Heb. 12. ỳ. 23. ubi sententiæ nostræ veritatem multis argumentis comprobavimus. Idem etiam statuendum est de cruciatibus quibus prosequuturus est Deus hominum impietatem: de cruciatitibus inquam non hujus vitæ, sed futuræ, si modo ea vita est. Satis apparet tum ex hoc tum ex aliis locis, quemadmodum requies piis est promissa illo die, ita etiam afflictio impiis. Deinde consideranda est hoc loco Domini Iesu majestas, qui in cœlis nunc degens angelos omnes sibi habet subjectos, unde dicuntur angeli ipsius potentes: cum quibus etiam aliquando ad judicium compariturus est, eosque habebit sententiæ à se latæ aliqua ex parte exsequutores ac ministros. Qua eadem de re videantur verba ipsius Christi Matth. 16. 27, & illa ejusdem, cap. 13. ỳ. 41, cap. 24. ỳ. 31, supra à nobis citata. In quibus omnibus locis Angeli dicuntur esse Angeli Christi, nempe subjectione. Quodsi Sacræ Literæ veteris Fœderis inde inter alia Dei majestatem demonstrant quòd sit Dominus Zebaoth hoc est exercituum, nempe angelicorum, quod ita Græci interpretes reddere solent ut eum vocent Dominum vel Deum omnipotentem, quasi is qui dominus sit angelicorum exercitum idem etiam omnia possit, omniaque imperio suo complectatur, quemadmodum sanè statuendum est; Certe hinc itidem Domini Jesu majestas maxime elucet, quòd ipse quoque exercituum angelicorum sit Dominus, sicut Pater, quodque ad dexteram Dei sedeat, profectus in cœlum, subjectis ipsi angelis & potestatibus & virtutibus, ut ait Petrus. Inde certè meritò colligi potest eum omnia posse, omniaque alia quæ angelis sunt longe inferiora imperio suo continere. Discamus inde revereri tam augustam ac tam splendidam Domini Jesu ac tam sanctorum angelorum faciem: idque cogitemus perpetuò ne in tam augusta corona, ne in conspectu tanti Regis tantorumque ejus ministrorum pudefiamus, sed laudem potiùs à Domino Jesu referamus, nomen nostrum coram Patre suo & angelis confitentis, & nos pro servis suis fidelibus agnoscentis. Denique hinc discamus confidere Domino Jesu, & ipsius ope in omnibus rebus adversis niti, cui tam potentes sunt ministri, quos ad nos tutandos emittere semper potest, quique instar venti instarque flammæ celerrimè discurrunt, & jussa ejus expediunt. Quare, ipsius præsidio tuti esse perpetuò possumus, & quum hostium spiritualium, cui nulla vis humana resistere potest, potentiâ infestamur.

Hactenus conjunctim Apostolus utrumque effectum illustravit; nunc porrò separatim id præstat. Et primò quidem priorem illustrat, postmodum posteriorem: illum ỳ. 8 & 9. Ubi quatuor modis pœnam eam illustrat quæ sit adversariis Thessalonicensium infligenda. Primò enim modum ac qualitatem supplicii illius exprimit, designato ejus instrumento. Deinde ejusdem supplicii objectum, hoc est eos quibus id sit infligendum. Tertiò ejusdem describit durationem, ac denique causam efficientem principalem. Primum effert illis verbis, *in igne flammæ dantis vindictam*, &c. hoc est, qui Dominus Jesus vindicat vel vindicaturus est tum temporis per ignem flammeum seu flammantem in eos qui non norunt Deum. Nam vocem *dantis* ad Dominum Jesum, non ad flammam esse referendam, genus ipsius indicat. Per vindictam autem intelligit pœnam ac supplicium: quemadmodum etiam alibi, ubi Deo vindicta tribuitur. Et sanè omnis pœna vindictæ generatim sumtæ nomine comprehenditur: ut ostensum à nobis in Anti-Grotio. *Ignem autem flammantem* nominat, ut ejus vim ac vehementiam exprimat. De quo igne sermo est, quum aliis locis non paucis, ubi in ignem conjiciendi dicuntur ii qui fructum non ferunt, tum inprimis Matth. 13. 42, & 50. XXV. 41, & in cæteris loci, ubi Gehenna ignis nominatur, ut Matth. cap. 5. vers. 18. Mar. 9. ỳ. 43, 45, 47. Itemque 2 Pet. cap. 3. ỳ. 7, 10, 12. Apoc. 20. 14. XXI. 8, & alibi. Intelligitur autem ille ignis, quo, ut ex Petri dictis apparet, cœlum & terra exurentur. Quod sane supplicium est gravissimum. Idemque ignis destinatus est, ut in loco Matth. 25, à nobis citato dicitur, Diabolo & angelis ejus. Apparet ergo hinc supplicii illius gravitas atque acerbitas: quæ meritò nos ab omni peccati genere deterrere debet, ne in tam horrendum incidamus supplicium. Quare animo repetamus omnia Domini Jesu monita quibus nos hortatur, ut ignem hunc extremum effugere nitamur; & ea quæ nobis sunt charissima relinquamus potiùs, quàm ut iis usi, ignis hujus supplicium luamus. Atque inprimis repetenda sunt animo illa Petri Apostoli verba, quæ exstant loco paulò antè allegato, 2 Epist. cap. 3. ỳ. 11. *Cùm ergo hæc omnia solvenda sint, quales quantosque oportet existere nos in sanctis conversationibus & pietatibus*, &c. Hic etiam apparet denuo majestas ac potestas summa Domini Jesu, qui hoc loco dicitur daturus esse vindictam & supplicium gravissimum irrogaturus impiis. Unde ipsius metus ac reverentia tanquam judicis supremi à Deo nobis dati in animis nostris oriri debet, quæ faciat ut nulla in re ipsum offendere audeamus.

Secundum, hoc est descriptio eorum quibus hanc pœnam Dominus Jesus sit inflicturus, continetur in istis verbis; *Iis qui non noverunt Deum & non obediunt Euangelio Domini nostri Jesu Christi.* Ubi per eos qui non noverunt Deum, & non obediunt Euangelio Domini Jesu, iidem homines intelligi possunt: ita ut posterior descriptio tantum sit explicatio prioris: quasi dicat, id est iis qui non obediunt Euangelio Christi: vel etiam diversi intelligi possunt. Si priore modo, qui quidem videtur esse huic loco accommodatior, & ad mentem Apostoli accedere propius, verba ista accipias, per eos qui Deum non norunt quique Euangelio non obediunt, tum ii sunt intelligendi, & quidem primò ac præcipuè, qui Deum ejusque voluntatem in euangelio revelatam agnoscere nolunt. (Neque enim de iis sermo est qui Deum nosse non possunt, sed qui non volunt) ac doctrinam euangelii prorsus repudiant. Quales erant Thessalonicensium adversaaii, ad quos nominatim ac præcipue respicit Apostolus: ac de iis sane vel inprimis dicitur quod non obediant Euangelio Christi, quia tantùm abest ut ei factis parere velint, ut idipsum admittere præfracte abnuant, eique sese addicere nolint. Dicitur enim etiam is aliquando parere doctrinæ qui eam admittit, ei sese addicit, & eandem sequi apud se constituit, idque ore profitetur. Quo sensu *obedire fidei*, id est doctrinæ de fide dicitur. Hoc eodem modo videtur sumi illud, *inobedientem esse Dei euangelio* 1 Pet. 4. ỳ. 17, ubi infideles maxime notat. Sed deinde non excludendi sunt ab hoc censu, sed potiùs hac descriptione comprehendendi ii qui agnitæ doctrinæ euangelii ac receptæ opere ipso non parent: qui itidem dici possunt Deum non nosse. Quemadmodum

Johannes

Johannes docet non in uno loco, ubi ostendit eum non nosse DEUM, aut quod hac in re idem est, Dominum Jesum, Deumque non vidisse, qui mandatis ejus non paret, atque inter alia qui charitate fraterna caret. Vide 1 epist. cap. 2. vers. 3. 4. cap. 3. 6. cap. 4. 7, 8. & epist. 3. vers. 11. Notum etiam est, alibi cognitionem Dei sumi pro pietate, causam nempe pro effectu, vel saltem eam in sese includere. Videantur loca plura apud Socinum, in solutione scrupulorum. Causa ejus rei est explicata in Ethicis Christianis. cap. 2. Ea breviter hæc est, quòd cognitio Dei de qua Sacræ Literæ loqui solent in cognitione voluntatis illius potissimùm consistit. Hæc autem si vera ac solida sit, & animo semper obversetur, necessario spem vivam immortalis vitæ sub conditione pietatis promissæ parit, atque inde etiam obedientiam, ac vitæ pietatem. Quodsi alterum verba hæc explicandi modum sequi velis, per eos qui Deum non norunt intelligendi erunt homines infideles, seu ii qui euangelium ipsumque adeò Deum in eo revelatum cognoscere nolunt; per eos verò qui euangelio Christi non obediunt ii qui quum illud agnoverint, vitam tamen suam ad illius normam ac præscriptum non componunt. Illud explicare non est opus, cur Jesus Christum vocet Dominum nostrum, quum id nimis sit apertum. Hic nihil aliud est faciendum quam ut moneantur homines ad prosequendam veram Dei cognitionem, & obedientiam euangelio præstandam: atque inprimis illud inculcandum est, ne falsa Dei cognitione, seu cognitionis illius opinione sibi ipsis imponant, neve sibi persuadeant se Deum nosse, quum mandatis ipsius non pareant. Ostendendum etiam est, eos inprimis supplicium aliquando luituros, ac pœnas Domino Jesu daturos, qui quum possint, nolint tamen euangelio sese subjicere eique parere. Nam de his dici solet quòd non pareant euangelio, quibus id est revelatum, quique causam & occasionem parendi habent, non de iis qui non habent. Illi habentur pro iis servis qui domini sui voluntatem norant, sed animum suum non paraverant ad eam exsequendam ac perficiendam: hi verò pro iis qui eandem magna saltem ex parte ignorarunt. Itaque illi graviùs longè, hi levius punientur.

Tertium, nempe supplicii duratio, exprimitur ibi, *qui pœnam* seu vindictam *luent, interitum æternum.* Quanquam enim in his verbis etiam ipsum supplicii genus est expressum, in voce *interitus* quæ extremam ejusmodi hominum perniciem significat, tamen potissimum durationem ejus infinito tempore duraturam exprimere, & hac quoque in parte gravitatem ac severitatem ejus ante oculos ponere voluit Apostolus. Res ipsa satis est manifesta, & aliis quàm plurimis Sacrarum Literarum locis testata. Quare nihil hic restat aliud quàm ut pœnæ hujus gravitas diligentius consideretur: eaque ratione moneantur omnes ne momentaneum peccati fructum sempiterna infelicitate velint redimere, & tanto proposito metu in abyssum hanc suppliciorum divinorum immensam, sponte sua ruere.

Restat quartum amplificationis genus, in quo causæ efficientes principales supplicii hactenus explicati commemorantur. Idque fit in illis verbis, *à facie Domini & à gloria roboris ipsius.* Ubi duæ videntur exprimi causæ supplicii illius efficientes: altera in prioribus, altera in posterioribus verbis. In prioribus Dominus Jesus Christus, vel, quod malim, jussus ac sententia ab ipso tanquam Judice prolata. Nam Hebræa phrasi à facie alicujus id fieri vel progredi dicitur, quod vel ab eo ipso cujus facies commemoratur fit, vel, quod non multum ab illo recedit, ipso jubente, ac sententiam ferente. Jussus enim ac sententia ab ore ac à facie judicantis aut decernentis proficisci videtur. Unde David Psal. 17. vers. 2. ait judicium suum egressum esse à facie Domini. Aliàs à facie Domini montes contremiscere, vel similia dicuntur, quæ fiunt vel à Domino vel ob Domini adventum. Cujus rei non unum est in Sacris Literis veteris fœderis exemplum.

Hoc loco quia Dominus Jesus tanquam judex consideratur, qui vindictam sumat de impiis, valde convenit ut à facie Domini, significet Domino jubente, sententiam ferente, & exsequutioni mandante, vel ab ipso Domino adveniente. Potest etiam esse emphasis quædam in voce *faciei* quæ nonnunquam severitatem quandam sonat, & animis audientium insinuat. Unde David Psal. 34. vers. 17. & ex eo Petrus 1 epist. cap. 3. vers. 12. ait, *Oculos* quidem *Domini esse super justos, & aures ipsius ad deprecationem ipsorum: sed faciem Domini* (hoc est vultum severum, qui iræ solet esse index) *super facientes mala.* Quare, significare videtur Paulus, sententiam profecturam à vultu ut ita loquar Domini Jesu irati, qua æterno interitui adjudicentur impii. Verùm quia non satis est sententiam ferre ac pronunciare, sed necesse est eandem etiam exsequi; ideo Paulus alteram quoque causam illius pœnæ in Domino Jesu residentem exprimit, in illis, *& à gloria roboris ipsius* hoc est à robore ipsius glorioso. Neque enim gloria Domini Jesu robur habet, sed robur ejus gloriosum est, ac proinde non robur de gloria, sed gloria de robore prædicanda. Neque sane pœna illa à gloria Domini Jesu proficiscetur, sed robore ac viribus ipsius hominibus impiis infligetur. Est nempe observandum illud quod alibi quoque monuimus, non semper illum genitivum qui alteri substantivo subjungitur resolvendum esse in adjectivum (quanquàm id aliàs est frequentius) sed interdum substantivum id quod præcesserat esse resolvendum in adjectivum, genitivum verò subjectum substantivi rationem retinere, & subjecti locum habere. Quemadmodum cùm Paulus ait Rom. 7. 6. *ut serviamus non in vetustate literæ, sed in novitate spiritûs*, id vult dicere, ut serviamus non in litera quæ vetus est, sed in spiritu, qui novus est. Sic *abominatio desolationis* Matth. cap. 24. ℣. 15, sumitur pro desolatione abominanda, hoc est pro exercitibus abominandis qui desolationem essent ac vastitatem terræ Judaicæ allaturi. Accedit ergo ad pœnam irrogandam impiis robur Domini Jesu divinum, quo fiet ut omnes homines impii unâ cum Diabolo & angelis ejus illo igne inextinguibili, quo cœlum & terra exuretur, quem quidem Dominus Jesus divina sua potentia excitabit, & per universam hanc mundi machinam discurrere & omnia depasci jubebit, pereant, nec ab interitu illo ac suprema infelicitate in æternum revocari queant. Hinc iterum discamus metuere severam Jesu Christi sententiam, qui non tantùm supplicium possit decernere, sed reipsa etiam irrogare, ac divina sua potentia exsequi. Summam autem illius potentiam esse necesse est, qui hanc tam firmam universi molem possit igne consumere, & quicquid est impiorum hominum perdere.

Et hactenus quidem potissimùm illustravit priorem afflictionum Thessalonicensium effectum, ad adversarios ipsorum spectantem. Sequitur ut videamus quomodo eum amplificet effectum qui lætus est, & ad ipsos pertinet Thessalonicenses: quanquam eum ita effert ut videatur amplius illustrare priorem illum effectum, à circumstantia temporis, quam antea vidimus. Quæ amplificatio jam quinta foret numero. Sed magis id spectavit Apostolus, ut per modum amplificandi superioris, ab uno effectu ad alterum transiret aptius ac concinnius. Illustrat autem eum quem diximus effectum tribus modis. Primò ab alio effectu felici qui quidem spectat ad Dominum Jesum. Deinde à subjecto quo ille effectus nititur, & in quo felicitas illa piis danda apparebit. Denique à tempore. Quod ad primum illustrandi modum attinet, is exprimitur duobus verbis, primùm quum ait, *quum venerit ut glorificetur*, deinde quum ait *& admirationi sit.* Cur dicat *quum venerit* nempe Dominus, seu Christus, jam antea explicatum est. Effectus autem ille est gloria Domini Jesu, & admiratio qua percellentur ii qui tantam felicitatem tantamque gloriam ab illo in suos fideles conferri cognoscent. Omnes enim cogentur admirari immensam atque insuperabilem Domini Jesu potentiam qui fideles suos, qui à morte absorpti

vide-

videbantur, ex inferni faucibus ac claustris eripiet; nec tantum eripiet, sed etiam incorruptibiles atque immortales, gloriosos, validos, spiritualesque efficiet, facietque ut fulgeant instar Solis, in regno Patris sui. Admirari etiam cogentur inexhaustam & inexplicabilem illius bonitatem, qui tanto præmio, dignetur suos servos, aliàs indignos. Res enim magnas, & nunquam alioqui visas, eas præsertim quas ne animo quidem complecti potuimus, admirari atque obstupescere solemus. At quid majus, quid sublimius, quid inusitatius, iis quas diximus rebus? Nunquam certè oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ Deus præparavit diligentibus se. 1 Cor. 2. 9, quæ Dominus Jesus suis est exhibiturus. Illa autem admiratio erumpet in gloriam terrenis linguis inexplicabilem, illis tantum effandam quas ipse tum suis dabit. Quis enim tam potentem Dominum, quis tam benignum non extollat laudibus? quis ejus nomen non celebret? Indicat autem Paulus hanc quoque esse adventus Domini Jesu causam, & hunc finem in quem collimet, quod quidem ad ipsum attinet. Ex quo spei nostræ quam concipimus de immortalitate olim à Domino Jesu nobis danda, apparet firmitas ac certitudo. Cur enim putemus, Dominum Jesum oblitum iri nostri? Cur arbitremur eum omissurum id unde summus ipsius honor pendet? nec ipsius tantum, sed etiam Patris ipsius, quem unice amat, & à quo unice amatur, & cujus gloriæ causâ omnia & olim fecit, & nunc facit: sui ergo & Patris sui obliviscereturs i obliviscereturnostri: quare tam hoc est impossibile quàm illud. Et sane vel ex his verbis apparet Dominum Jesum gloriam suam amare & quærere, à Deo optimo Maximo ad dexteram ipsius exaltatum; quum eum in finem venire dicitur *ut glorificetur in sanctis suis*. Æstimanda etiam hoc loco est nostræ felicitatis quam speramus magnitudo: quæ sit effectura ut Dominum Jesum quem venturum cum imperio & majestate sublimi admiramur, magis adhuc postea admiremur, atque ita admiremur, ut nunc mirari non videamur, quemadmodum Apostoli verba innuunt. Et hæc de ipso effectu. Subjectum verò quo nititur hic effectus, & à quo aliquomodo pendebit, partim generatim est expressum, partim speciatim. Et generatim quidem duobus modis, primùm quum dicitur *in sanctis suis*, deinde dum dicitur *in omnibus credentibus*, iidem homines utrobique intelliguntur: ita ut Paulus posteriorem descriptionem prioris explicandæ causâ addidisse censendus sit. Per *sanctos* ii sunt intelligendi, qui per veritatis cognitionem seu doctrinæ Euangelicæ receptionem separati sunt à profano hominum vulgo, & vi ejus religionis adacti, vitâ etiam ac moribus ab iisdem semet ipsos segregarunt, & Dei servitio penitus addixerunt. Dicuntur autem Sancti Christi quia ipsi Christo etiam sunt addicti, & quatenus ei adhærent, eumque sequuntur, à profanis hominibus separati sunt, ac ipsi Christo sacri, ipseque est illorum Rex ac Dominus. Per *credentes* autem hoc loco intelliguntur ii qui doctrinam Euangelicam sincero animo sunt amplexi, eique verè ac firmiter assensum præbuerunt: unde etiam consequutum est ut vitam suam illi doctrinæ conformarent, ob eam causam quam explicuimus supra ad vers. 8. Ubi ostendimus, neminem posse voluntatem Dei in Euangelio revelatam vere cognoscere eique assentiri, quin piè simul vivat. Quare quemadmodum alibi *credentes* simpliciter positi ponuntur pro iis qui Euangelii doctrinam sunt amplexi, ita etiam hoc loco: adeoque primùm intelligitur assensus firmus Euangelio adjunctus, consequenter autem, & hoc quidem loco, necessariò, includitur etiam hac descriptione vera pietas, sine qua fides illa est mortua, nec servare hominem valet. Etenim Paulus hoc loco dicit Christum *admirabilem fore in omnibus credentibus*, idque ea qua explicuimus ratione, nempe ut illis immortalitatem donet. At si fides & assensus Euangelio præbitus à vitæ pietate sejungatur, asseri non potest in omnibus credentibus hunc effectum exstiturum, imò in multis admodum diversum apparebit: quum multi sint vocati, pauci autem electi. Hic ergo pluribus est explicandum, quantum referat esse sanctum & in Christum credere: quum quisquis in eorum est numero in eo Dominus Jesus admirabiles potentiæ ac benignitatis suæ effectus sit exhibiturus. Adhortandi etiam sunt omnes ut verè sancti esse velint, & ita in Dominum Jesum credere, ut id verè de iis affirmari queat, sintque in eorum numero qui non tantum ex parte sed toti sint sancti, & quatenus hîc in hominem cadit, inculpati. Ex iisdem verbis apparet Domini Jesu dignitas atque imperium, quòd sancti dicantur esse ipsius, quemadmodum supra de Angelis diximus, jure nempe eximii dominii quod ipsi tum in Angelos tum in homines concessum est. Quanquam non tantùm dominii jure sancti sunt ipsius, sed etiam studio atque affectu quem ipsi ut debent, ita etiam præstant. Nam cæteroqui non tantum sancti verùm etiam profani ipsius sunt: omnium enim est Dominus. Præterea illud quoque hinc perspicitur, in ultimo Domini Jesu adventu non uni atque alteri sed omnibus fidelibus datum iri felicitatem illam quæ faciat ut admirationi sit Dominus Jesus & glorificetur. Alioqui si alii alio tempore felicitatem illam à Domino Jesu accipiant, non in omnibus credentibus, ut hic dicitur tum temporis fieret admirabilis & gloriosus. Et ita generatim descripsit Apostolus effectus illius subjectum. Speciatim verò id facit in illis, *quòd creditum est testimonio nostro apud vos*, &c. In quibus verbis id quod antea de omnibus credentibus generatim dixerat Apostolus, nunc nominatim ad Thessalonicenses accommodat, & rationem ostendit cur ad ipsos quoque pertineat id quod generatim de omnibus piis pronunciavit. Est autem, ut quidem sensus à nobis indicatus postulat ellipsis quædam in his verbis, quæ parenthesi videntur inclusa, eaque est supplenda potestque commode suppleri ita, *ubi venerit*, scilicet Dominus, *ut admirationi sit in omnibus credentibus* (atque adeò etiam in vobis) *quandoquidem creditum est testimonio nostro apud vos*. Quasi dicat, Ideo id quod de omnibus credentibus dico, ad vos quoque accommodandum est, quia vos in istorum estis numero, siquidem prædicationi nostræ fidem ex animo habuistis. Quod supra explicuimus. Quicquid alioqui suppleveris, id durius videtur. Non semel autem prædicatio Apostolica vocatur *testimonium* nunc Apostoli, nunc Dei, nunc Christi: nam omnium horum erat. Quemadmodum etiam Euangelium, nunc Dei, nunc Christi, nunc suum appellat Apostolus. Vocat autem ideo *testimonium* Apostolus, quia non tantùm simpliciter id prædicabat, sed etiam multis modis confirmabat, & non audita tantum sed etiam visa referebat. Apostoli enim testes erant Christi constituti. Unde necesse fuit Paulum, inter Apostolos cooptandum, non tantùm edoceri doctrinam Christi, verùm etiam Christum ipsum videre, & ex eo ipso audire quæ aliis traditurus esset, ut non tantum auritus sed etiam oculatus esset testis. Quemadmodum autem Paulus hoc loco id quod credentibus generatim omnibus promiserat ad Thessalonicenses accommodat, ita etiam nos idem factum ad nos ipsos, si conscientia nobis testetur vera solidaque fide nos prædicos esse, partim ad alios, in quibus veræ & efficacis fidei cernimus fructus, accommodare possumus, eaque ratione tum nos tum alios solari. Additur denique vel potiùs repetitur circumstantia temporis, in his verbis, *in die illa*, hoc est in die seu tempore extremo: quod simpliciter dies illa dicitur quia maxime est insignis ac præ cæteris notabilis, & operum magnitudine quæ in ipsa præstabuntur, maxime illustris.

Et hæc de secundo totius loci membro. Sequitur tertium atque ultimum, in quo tertius benevolentiæ Apostolicæ erga Thessalonicenses effectus exprimitur. Eum verò esse diximus quòd assidue pro ipsis oret, ut Deus salutis æternæ negotium in ipsis cœptum, pro benignitate sua perficiat. Hoc verò totum continetur versiculis duobus ultimis. Quo loco quatuor

sunt consideranda. Primùm effectus ipse, hoc est oratio pro Thessalonicensibus assidua. Secundò ejus objectum, seu quid oret, quidve Thessalonicensibus à Deo voveat. Tertiò finis voti ac precationis. Quartò denique causa impulsiva, unde hic affectus manare debeat, quæque spem quandam faciat Thessalonicensibus, fore ut id obtineant quod ipse illis à Deo precetur. Primum continetur illis Apostoli verbis *In quod etiam oramus semper pro vobis. In quod* id est quem in finem, quam ob rem. Cætera verba facilia sunt. Vox *semper* quomodo intelligenda sit, ex eo potest constare quod supra de eadem dictum est ad vers. 3, adsiduitatem nempe ac summam in hac re diligentiam, ac quantum res ipsa fert constantiam significat. Hinc discimus quàm assidui esse debeamus in precibus; & quidem in precibus non tantum pro nobis ipsis fundendis, sed etiam pro aliis, hoc est in aliorum commodum. Qua de re in Ethicis Christianis dictum est satis. Inprimis autem orare pro auditorum suorum ac discipulorum salute convenit iis qui alios vel adhuc docent, vel aliquando docuerunt: ut ita non tantum plantent ac rigent ipsi, sed etiam incrementum à Deo impetrent. Aliæ adhuc doctrinæ eliciuntur ex his verbis, junctis cum sequentibus, ad quæ consideranda nunc accedimus. Succedit ergo secundo loco id quod impetrare à Deo Thessalonicensibus voluit Apostolus. Etsi autem tria videntur ab Apostolo commemorari, tamen ad duo potius videntur esse revocanda. Primum est ipsa felicitas suprema, alterum est medium quo ad felicitatem istam pervenitur. Prius continetur ibi, *ut vos dignetur vocatione Deus*, id est ut Deus vos ea dignetur felicitate ad quam vos vocavit, seu vobis ne cogitantibus quidem ex mera benignitate eam obtulit. *Vocatio* enim sumi videtur pro re ad quam vocatus fueris. Neque enim id orabat Apostolus ut Deus eos vocare dignetur, (hoc enim jam præcesserat) sed ut eos dignaretur ea re ad quam eos vocasset. Vocarat autem eos ad suum regnum & gloriam, ut supra dixerat ad eosdem Thessalonicenses, epist. 1. cap. 2. ỷ. 12. Cum quo consentit Petrus qui ait, 1 Ep. cap. 5. 10. Deum vocasse nos ad æternam suam gloriam. Idem ergo his verbis videtur significare quod supra dixerat, ỷ. 5, *ut digni judicemini vos regno Dei, pro quo etiam patimini*. Neque enim verisimile est, ita accipienda esse hæc verba quemadmodum cuipiam fortè videri queat, ut efficiat Deus quò digne sese gerant vocatione quæ ipsis à Deo contigerit: id enim ipsos facere jam suprà potuit Apostolus: & videretur aliquid adciturus fuisse quo significaret se id à Deo petere, ut quemadmodum hactenus fuissent, ita porrò pergerent esse digni vocatione divina. Ac denique vox ἀξιοῦν non tam videtur significare dignum efficere, vel facere ut ipse se dignum præstet, quàm dignum judicare ac pronunciare, seu dignari re aliqua aliquem. Non prorsus absimili ratione vox *vocationis* sumi videtur Ephes. 4. 4. Deum autem suum vocat Apostolus, ut summam ejus erga se benignitatem, & vicissim suam in ipso fiduciam atque spem quam de ipsius bonitate concepisset exprimeret: & ea descriptione indicaret fore ut obtineant à Deo id quod oret, quandoquidem Deus quem orat suus sit Deus. Ex his discimus, primò quidnam homines Christiani vel sibi vel aliis à Deo potissimùm precari debeant: id nempe quod ad supremam felicitatem pertineat, quod hic facit Apostolus. Magis enim id optandum est à Deo quod est majus & id maxime quod optimum. Nihil autem est cœlesti felicitate majus, & si ab ea discesseris, nihil melius eis quæ ad eam ducunt: tum demum sequuntur ea quæ ad hanc vitam spectant, eamque vel sustentant, vel ornant, vel jucundiorem reddunt. Deinde illud quoque discimus, Christianos homines etiamsi & fidem in Jesum Christum collocent, & charitatem exerceant, & in utraque hac virtute subinde crescant, ac denique pro Dei regno patiantur, ac nihil non faciant eorum quæ ad illud obtinendum requiruntur; haudquaquam tamen tantam felicitatem mereri: sed opus adhuc esse ut Deus eos tanto honore dignetur, idque adhuc precibus esse à Deo obtinendum. Nam ista omnia quæ diximus, tribuerat Thessalonicensibus superius Apostolus; & tamen ait se pro illis perpetuò orare, ut Deus eos felicitate ad quam eos vocasset, dignetur. Quanto ergo magis unusquisque pro se orare debet ut se Deus dignum tanto bono judicet. Simili quadam ratione monet Dominus Jesus ut perpetuò oremus quo digni judicemur qui effugiamus omnia illa quæ fieri debent, in ipsius nimirum adventu, omnes inquam ab ipso inferendas pœnas, & stemus coram filio hominis, Luc. 21. 36, licet antea satis indicarit, piorum hominum officium semper à nobis præstari debere; nempe licet omnia fecerimus quæ nobis sunt præcepta, dicere tamen debemus, servi inutiles sumus, quia id fecimus quod debuimus, hoc est ad quod faciendum jure obstricti eramus, ita ut nihil extra, nihil præter debitum præstiterimus, nihil quod gratiæ quod beneficio Deus imputare posset, siquidem quanti quanti sumus Dei sumus mancipia, & quicquid ipsius causâ facere possumus, id etiam facere debemus. Vide Luc. 17. 10. Quare si nihilominus felicitatem, præsertim supremam, & animis hominum incomprehensibilem & lingua inefabilem consequi debeamus, necesse est ut illinc quidem Deus nos dignetur tanta beatitate, hinc verò nos & pro nobis alii flagitent, ut dignari nos Deus eâ velit. Quanquam etiam vox *vocationis* qua utitur Apostolus, significat Dei voluntate factum esse, non jure aliquo aut merito nostro, ut ad felicitatem illam capessendam vocaremur: ea enim est vis hujus vocis in S. L. Discimus etiam hinc, eum demum & sibi & aliis spem certam facere posse, fore ut quod à Deo oret etiam exoret, qui possit Deum suum vocare Deum, ita ut de ipsius erga se benignitate nihil dubitet. Hoc autem eo pacto consequi possumus, si ipsi quoque Dei gratiam omni pietatis genere ambiamus ac provocemus. Deus enim piorum & nomen suum colentium Deum sese fore pollicitus est. Quare id nos quoque agamus ut & nos Dei simus & Deus noster sit.

Et hoc quidem primum est quod Thessalonicensibus à Deo precatur Apostolus, ipsa nempe suprema felicitas. Alterum, nempe medium ad felicitatem, exprimi videtur duobus modis, quorum posterior prioris est explicatio. Primò cùm ait, *& impleat*, (scilicet Deus noster) *omne beneplacitum bonitatis*, hoc est, & perficiat atque absolvat id omne quod ex benignissima sua voluntate in vobis jam cœpit. *Beneplacitum* enim, pro Dei beneplacito usurpari solet, & metonymice pro eo quod ipsi placuit, quodque liberè vel decrevit, vel etiam fecit. *Bonitatem* autem pro benignitate seu beneficentia ponit Apostolus, & hic & alibi, ut Gal. 5. 22. Ephes. 5. 9, & *beneplacitum bonitatis* accipit pro beneplacito ex benignitate profecto. Quia vero ait *ut impleat* Deus istud *beneplacitum*, & quidem *omne* id est totum; apparet eum de ea re loqui quæ jam à Deo cœpta erat, adeoque non de ipsa felicitate sempiterna seu de immortalitate, quæ nondum in Christi fidelibus esse cœperat, sed de mediis potiùs quæ ad illam ducant. Quanquam si quis ipsam felicitatem hic includere etiam velit, tanquam ejus rei de qua loquitur Apostolus complementum, cum eo non pugnabimus. Illud tamen certum est, non de hac sola aut primò sermonem esse, sed de toto salutis negotio, seu de fide ac pietate in Thessalonicensibus cœpta. Ita ut similia sint hæc verba illis ejusdem Apostoli, Philip. 1. 6, ubi ait se *confidere, eum qui cœperit in illis opus bonum*, nempe fidem ac pietatem, seu universum salutis negotium, *id perfecturum usque ad diem Domini Jesu Christi*. Et ut loquitur ad Corinthios, 1 Ep. c. 1. ỷ. 8, *eos confirmaturum ad finem usque irreprehensibiles in die Domini nostri Jesu Christi*. Ex his verbis discimus iterum unde tota salutis nostræ ratio pendeat, nempe ex solo Dei arbitrio, ac benignitate; sine hac si fuisset, salutis viam nunquam essemus ingressi. Quo pertinet illud Apostoli ad Phil. c. 2. 13 ubi ait, *Deus est qui operatur in vobis & velle & operari, pro beneplacito*. Sed non tantum ab eo initium rationis sempiternæ nostræ felicitatis proficiscitur; verum etiam ejusdem progressus ac complementum. Nam Apostolus Deum orabat assidue ut Deus impleret seu perficeret in Thessalonicensibus omne beneplacitum bonitatis,

nitatis. Nisi enim Deus nos salutis viam ingressos, porrò manuduceret, fulciret, corroboraret, & ad metam usque duceret, delassati itineris ac viæ tam asperæ molestiis, deficeremus animis, ac ad optatam metam non perveniremus. Itaque orandus etiam nobis est Deus, ut opus illud bonum quod in nobis cœpit, perficiat, id est ut in eo perficiendo nos juvet, & ubi nostræ deficiunt vires, suas nobis indat atque inspiret. Nam cæteroqui nos ipsi monemur ab Apostolo, *ut salutem nostram cum timore ac tremore operemur* seu *perficiamus*: & quidem illo ipso loco ubi subjicit Deum esse eum qui operetur in nobis & velle & operari pro beneplacito. Quod ideo monemus, ne quis putet Deum sine nobis nostraque opera id totum perfecturum. Alter modus, quo prior explicatur, continetur in his verbis *& opus fidei* (scilicet impleat) *in potentia*. Ubi *opus fidei* sumit pro eo opere quod sit fides, ut omnes prope doctiores interpretes videntur animadvertisse. Fidem autem sumit non tantum pro assensu veritati euangelii adhibito, sed etiam pro ejus quem in nobis parit effectu, hoc est pro pietate quæ illius fructus est, ut supra quoque vidimus ad ℣. 10. Omnia nimirum Apostolus fidei nomine includit quæcunque sunt ad salutem æternam necessaria. Hoc ergo est totum illud Dei beneplacitum, opus fidei arduum, quod alibi quoque, ut paulò ante vidimus vocat opus illud bonum quod in nobis cœperit. Hoc si ad fastigium fuerit perductum, jam impletum & omnibus numeris absolutum est quicquid ad salutem nostram pertinet, & quicquid ex benigna sua voluntate Deus in nobis efficere voluit. Addit autem *in potentia*, id est per potentiam, nempe suam, seu potenter: ut simul indicet alteram ejus rei causam efficientem, in Deo exstantem: antea enim expresserat alteram nempe benevolam ejus erga Thessalonicenses voluntatem, nunc potentiam quoque eidem adjungit, quia ad opus, præsertim tam arduum tamque difficile, non modò benignitate opus est, sed etiam viribus, ut ita non tantùm id velis sed etiam possis. Hanc utramque causam si junxeris, quin effectus sit sequuturus non est dubium. Eleganter autem potentiam commemoravit, postquam operis fecit mentionem: opus enim viribus ac robore potissimùm perficitur. Requiritur autem potentia ad fidem perficiendam & opus illius ad extremum usque consumandum, quia validis admodum arietibus quatitur atque impetitur fides nostra, & tum quoque inprimis impetebatur, variis calamitatibus ac persequutionum machinis fides Thessalonicensium: quo tempore requirebatur ut suo Deus robore hoc est Spiritu suo potente eos sustentaret ac stabiliret. Qua de re ita loquitur ad Eph. 3. ℣. 14. seqq. *Se flectere genua ad Deum, ut det eis secundùm divitias gloriæ suæ, ut potentia corroborentur per Spiritum ipsius in interiorem hominem, ut habitet* id est constanter perseveret *Christus* id est doctrina Christi *per fidem, in cordibus ipsorum.* Vide eadem de re in eadem Epistola cap. 6. vers. 10. Ubi adversus persequutiones Ephesios armans, vult *ut corroborentur in Domino, & in robore virium ejus, induantque universam Dei armaturam.* Et ad Colos. 1. vers. 11. ubi iis optat, ut *in omni potentia roborentur, secundùm robur gloriæ ipsius*, id est Dei, *ad omnem patientiam, & longanimitatem cum gaudio.* Hinc videmus qua in re nobis potissimùm sit laborandum, nimirum in opere fidei perficiendo. Deinde quanam re ad id complendum sit opus, nempe divino cœlestique robore, quod precibus assiduis ac crebris est obtinendum.

Sequitur tertia particula hujus membri, quæ docet quem in finem ista petierit Apostolus. Finis autem explicatur duplex: alter ad Dominum Jesum spectans, alter ad ipsos Thessalonicenses: qui tamen posterior pro effectu magis videtur habendus. Prior est in illis, *ut glorificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis*, hoc est per vos, seu per id quod in vobis atque à vobis fit. Videtur autem non de ea gloria hic agere de qua actum est suprà vers. 10 quæ ad Dominum Jesum redibit in ultima demum die: sed de ea quæ in hoc seculo, perspecta fidelium ipsius constantia in fide ac pietate, redundat. Pertinet enim hoc ad singularem laudem ac gloriam Jesu Christi, quod ii qui in ipso suam fidem collocarunt, tam constanter ei adhæreant, ut nullis machinis ab eo absterreri aut depelli queant, ac pietatem amare atque colere nunquam absistant. Quemadmodum contrà, nomen Domini blasphematur aut contemnitur ac despicitur, quum secus sese gerunt ii qui nomen ipsi suum dederant. Sicut etiam ex pietate hominum Dei nomen profitentium, glorificatur Dei ipsius nomen: quemadmodum Christus docet Matth. 5. ℣. 16. & Petrus 1 epist. cap. 2. ℣. 12. Et contra, ob eorundem impietatem, blasphematur, quemadmodum Paulus ostendit, Rom. 2. vers. 24. & 1 Tim. 6. 1. Sane ipsa quoque doctrina Dei & Christi, vel laudatur ob recte facta eorum qui illam profitentur, vel etiam blasphematur: ut apparet ex loco ad Tim. modò citato, & Tit. 2. 5. & 10. adde etiam locum hujus ejusdem epistolæ ad Thes. 3. 1. Commemorat autem Apostolus Christi tantam gloriam, tanquam finem ultimum eorum quæ Thessalonicensibus à Deo precabatur, non ut excluderet gloriam ipsius Dei, quæ in gloria Domini Jesu Christi includitur: siquidem, quicquid isti tribuitur honoris & gloriæ, id cedit ad laudem Patris ejus: quod ostendit idem Apostolus Philip. 2. 11. Sed ideo solius Domini Jesu fecit mentionem, quia Jesu Christi nomen tum demum per aliorum quidem prædicationem, per aliorum vero fidem celebre reddebatur: quum Dei nomen non ita fuisset antea inauditum. Et præterea apud extraneos, atque inprimis apud Judæos, qui Christum à Deo sejungebant, & illius religionem ab hoc profectam esse negabant, multum interrerat ad Domini Jesu laudem, vel contra etiam ignominiam, quo pacto ii se gererent qui ipsi Jesu Christo essent addicti: non verò adeò multum ad Dei ipsius laudem sive ignominiam, ut pote quum Judæis non viderentur revera Deo addicti qui euangelium Jesu receperant. Quare hinc monendi sunt omnes, ut & in fide constantiam, & in omni vita pietatem præstent, qui sanctissimam Jesu Christi religionem semel sunt amplexi: ne ignominiæ notam tam sancto ejus nomini inurant, sed potiùs laudem ac gloriam ei afferant. Et hic sane modus glorificandi nomen Domini non minus est insignis, imò verò etiam multo magis quàm is qui verbis tantum constat: longe enim majorem vim habent facta quàm verba. Idem etiam de ipsius Dei gloria quæ cum gloria Christi est conjuncta statuendum est. Hinc Paulus monet, *ut & in corpore nostro & in Spiritu Deum glorificemus.* 1 Corinth. 6. ℣. ult. Ubi universam nostram pietatem, quæ vel corporis nostri vel Spiritus viribus atque opera perficitur, hac oratione complectitur. Quod si quis honorem dignum Deo præstare nolit, is cogitet id quod annunciari summo sacerdoti Heli voluit aliquando Deus, nempe se honoraturum quidem eum qui sese honoraverit, ignominia autem affecturum eum qui sese dedecore affecisset. 1 Sam. 2. 30. Et hæc quidem dicta sunto de his verbis, si ea ita accipias quemadmodum nobis magis probatur. Quod si ea quis velit capere de illa gloria quæ ad Dominum Jesum reditura sit ex eo quod immortales sit effecturus Thessalonicenses, vel saltem hanc quoq; laudem putet his verbis comprehendi, cum eo non pugnabimus. Quæ verò ad ejus rei explicationem pertinent, ea dicta sunt suprà ad ℣. 10.

Hactenus prior finis: sequitur alter, ibi, *et vos in ipso* scilicet glorificemini, hoc est, & una etiam vos laudem referatis per Dominum nostrum Jesum Christum, quòd tam sanctam tamque præstantem ipsius religionem sequamini. Certe si hoc ad laudem Domini Jesu pertinet quòd homines mortales religionem ipsius & amplectantur & constanter tencant, ac secundùm eam vivant; non minor est ea laus ipsorum hominum quod tam præstans illis à Deo obtigerit donum, quodq; tam sancta illis religio sit à Deo patefacta, & illorum animis inserta. Plus inde ornamenti ac dignitatis ad illos redit, quàm ab illis ad Dominum Jesum. Is enim in sese satis foret gloriosus, etiamsi hujusmodi discipulos non haberet; sed illi haudquaquam, si talem non habe-

rent Magistrum ac Dominum. Qua re commonemur ut constanter adhærescamus Christo, ac cogitemus, non de Christi tantum laude ac gloria, sed de nostra quoque hic agi, & non tantum ipsi, verùm etiam nobis tum temporis seri ac meti. Et propterea tanto in ea re studio Christiani debent uti, ut appareat eos suum quoque agere negotium, & quidem negotium omnium maximum, non quidem ut vanam aliquam captent gloriam, apud homines, sed ut gloriam potius quærant apud solum Deum, quam Christus etiam quæri voluit, Joh. cap. 5. vers. 44. & cogitent, si nunc per euangelium ac doctrinam Christi evadant gloriosi, illis id olim in adventu Domini cessurum in laudem, gloriam, & honorem, ut Petrus ait, 1 epist. cap. 1. ℣. 7. Quanta autem illa sit futura gloria, de eo quod potuimus diximus superius, partim ad vers. 5. partim ad vers 10.

Restat ultima tum hujus membri tum totius istius capitis particula, in qua exprimitur causa impulsiva: unde tum id quòd modò dictum fuerat, tum id quod paulò ante expressum est, proficisci debuerit, nempe gratia Dei & Christi. Ita enim porrò ait Apostolus, *secundùm gratiam Dei nostri, & Domini Jesu Christi.* Verba autem hæc, ut jam indicavimus, connectenda videntur, non tantùm cum proxime præcedentibus, nempe, *& vos in ipso*, sed etiam cum iis omnibus in quibus votum suum expressit Apostolus, & quid Thessalonicensibus precaretur docuit, nempe, *ut vos dignetur* &c. Imò ad ista magis videntur pertinere, quàm ad illa quæ istorum tantum sunt consequens, in quo non cernitur peculiaris Dei ac Christi gratia, sed in eo tantum quod primo loco est explicatum, quodque vovit Thessalonicensibus Apostolus. Particula *secundùm* ita sumitur quemadmodum interdum apud Latinos *pro.* Ut cùm dicimus aliquem pro sua humanitate, pro sua benevolentia aut benignitate hoc vel illud fecisse: ubi causam efficientem impulsivam ea vocula exprimimus, seu talem cui effectus egregie respondet. Exempla hujus significationis in particula κατὰ non semel occurrunt in Sac. Lit. Inter alia vide Tit. 3. 4. 1 Pet. 1. 2, 3. Rom. 4. 16. Gratiam autem Dei & Christi commemorat, ut meritum omne excludat, & ex sola benignitate ac libera voluntate proficisci bona ista doceat, ut notum est. Commemorat autem non tantùm Dei, quem Deum suum vocat, eandem ob causam ob quam superius ℣. 11; sed etiam Domini Jesu Christi gratiam; quam in salutationibus etiam suis quas singulis epistolis præmisit, quin etiam in earundem clausulis commemorat, ut ipsemet sub finem hujus epistolæ testatur: licet versu superiore à Deo tantum expresse ea fuerit precatus quæ optabat Thessalonicensibus: quia quæ Deus hodie largitur, præsertim fidelibus suis, quæque ad salutem eorum spectant, ea omnia per Dominum Jesum Christum largitur. Est enim is Dominus ille per quem omnia. 1 Cor. 8. 6. & quemadmodum nihil olim fine ipso factum est, Joh. 1. 3. ita ne nunc quidem. Ita autem Deus per Christum largitur bona suis, ut omnia iis qui in nomine ipsius Deum invocant Christus faciat & præstet, quemadmodum expresse testatur ipsemet Joh. cap. 14. vers. 13, 14. & præstet quidem non tanquam minister ac famulus, qui nullam habeat disponendi ac dispensandi bona pro arbitrio suo potestatem, sed tantum Domini jussa exsequatur, unde ipsius gratiæ non est beneficium imputandum; verùm tanquam Rex cui omnis in cœlo & in terra potestas est concessa: unde gratiâ ipsius opus est ad beneficia divina ab eo obtinenda atque impetranda. Eaque de causa Deus voluit eum ita misericordem fieri, ut tam libera postmodum potestate donatus, ad succurrendum iis qui tentantur, esset fidelis, Hebr. 2. 17. Qua re non fuisset opus, si ipsius arbitrio hic nihil fuisset permissum, sed ex Dei jussu ac præscripto omnia perageret. Hinc quantum tribuat Paulus, & quas gratias agat Domino Jesu, qui se converterit, patet ex 1 Tim. 1. 12. & seqq. usque ad finem 16. Hæc nos quoque facere debemus, qui ex iis quæ in nos conferuntur bonis nihil nostris meritis debemus tribuere, sed ea solius Dei ac Christi gratiæ imputare, & huic eidem Deo, ac Domino nostro Jesu Christo gratias agere immortales. Ei igitur sit laus & gloria in omnem ævorum perennitatem. Amen.

Analysis verborum Pauli,

2 Thessal. cap. 3. à vers. 6. usque ad finem 15.

IN his verbis præcipit Apostolus de iis qui non ita ut Christianos homines decet vitam suam instituunt; ac nominatim de iis qui otio indulgent, nec honesto aliquo labore vitam tolerant. Docet autem, partim quo pacto cæteri Christiani qui cum hujusmodi hominibus vivunt erga illos gerere se debeant, partim etiam illis ipsis hominibus quid eos facere velit præcipit, & ab otio eos inprimis revocat. Prius illud facit partim in horum verborum initio, partim in fine. Posterius verò medio loco interserit. Quod ad primam horum verborum partem attinet, in ea iterum tria sunt consideranda. Primò præceptum Apostoli de hominibus istiusmodi quos diximus vitandis. Secundò hujus præcepti rationes. Tertiò occasio ejus Thessalonicensibus præscribendi.

Præceptum continetur ℣. 6, ubi ait Apostolus, *Præcipimus autem vobis fratres in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subducatis vos ab omni fratre inordinatè ambulante, & non secundùm traditionem quam accepistis à nobis.* Ubi tum modus præcipiendi, tum officium quod præcipitur ac præscribitur expendendum est. Modus est in verbis primis, *præcipimus vobis fratres in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Quo loco nihil dicemus de ista appellatione *fratres* quæ præcepti severitatem aliquantum mitigat ac mollit, cùm de ea & alibi jam dixerimus, & non magnæ sit operæ quæ ejus sit vis explicare, & doctrinas salutares inde deducere. Istud potius considerabimus quod apud Apostolum non ita frequenter occurrit, pertinetque ad severitatem quandam præcepti, & ad authoritatem ei conciliandam. Ea duo sunt, primum dum dicit *præcipimus.* Cur plurali utatur numero vix opus est monere: cùm res sit non obscura. Quodsi tamen causam quæras, ea duplex esse potest: altera communis huic loco cum multis aliis, nempe ut sit enallage quædam numeri, quæ tum apud Græcos tum apud Latinos elegantiæ causa adhibetur. Qualis est inter alias Rom. 1. 5. 111. 9. Altera huic epistolæ cum iis tantùm communis in quibus Apostolus secum alios quoque conjungit tanquam earum auctores: in quibus etiam crebrius plurali utitur numero, licèt interim de iis loquatur rebus quæ ad ipsum proprie pertineant. In hac autem epistola, ut in superioris loci explicatione monuimus, secum conjunxit Silvanum & Timotheum, ut ex initio cap. 1. patet. Interim ipsius Apostoli revera erat tanquam veri Jesu Christi legati fidelibus præcipere ac mandare. Alibi Apostolus fere utitur mitiori vocabulo, cùm officia Christianis hominibus præscribit, nempe adhortandi seu admonendi. Sed hoc loco ne fortè monitio hæc contemneretur, & propterea insuper haberetur quòd res non videretur esse magni momenti quæ hoc præcepto contineretur; ideo Apostolus severiore paulò voce utitur, & graviore quam sit vox monendi, quæque ipsa majorem statim loquentis authoritatem præferat. Non enim cui licet monere eidem etiam licet præcipere. Monere omnibus Christianis convenit, etiam paribus, etiam inferioribus: præcipere nonnisi eorum est qui authoritatem habent in alios, & authoritatem quidem ejusmodi quæ proficiscatur ab imperio quod vel ipsi habeant in eos quibus præcipiunt, vel ii quorum nomine & authoritate præcipiunt: quod posterius, ut statim videbimus hic locum habet. Est enim præcipere proprius imperii effectus. Quam ob causam non facile pastores Ecclesiæ hoc verbo uti debent, cum auditoribus suis agentes, ne imperium aliquod in illos sibi videan-

videantur arrogare, & in gregem qui divina sorte sibi contigit, dominari, id quod Petrus prohibet, 1 Petr. 5. 3; vel saltem ne videantur majorem quàm revera habeant authoritatem sibi in illos arrogare. Res tamen ipsa eis convenit eatenus quatenus mandata Domini Jesu atque Apostolorum ejus repetunt, & populo Christiano inculcant, ac severe injungunt. Quo pacto Timotheo qui Euangelista erat, non tantùm permittitur sed etiam præcipitur, ut aliis præcipiat ea quæ ad ipsorum pertineant officium. Vide 1 Timoth. 1. 3. & cap. IV. 11. cap. V. ℣. 7. Interea id discere ex hoc verbo quo hoc loco utitur Apostolus, possumus, primùm ne nos ipsi quoque præceptum hoc Apostoli parvifaciamus, quemadmodum ferè fieri solet. Plerique enim satis esse arbitrantur si ipsimet à vitiis sint immunes, etiamsi interea cum vitiosis, & sicut Apostolus eos appellat, inordinate ambulantibus conversentur. Deinde illud quoque discimus, iis qui alios efficaciter monere volunt, nonnunquam intendendam esse vocem, & ubi verentur ne minoris momenti res esse videatur quam ut observetur, severius esse agendum, & verbis ipsis ostendendum, non esse id quod præcipitur parvi pendendum. Alterum quod authoritatem præcepto conciliat, licet interim prioris verbi vim & severitatem quodammodo mitiget, est quod ait Apostolus se præcipere *in nomine Domini nostri Jesu Christi*, hoc est jussu vel authoritate Domini nostri Jesu Christi. Partim enim id agit Apostolus, ne uti diximus præceptum hoc contemnatur, partim ne nimium etiam sibi sumsisse videatur, quum verbo præcipiendi est usus, utrique rei Domini Jesu authoritate interposita occurrit ac medetur. Illi quia Domini Jesu Christi sacrosancta est, & esse sane merito debet apud omnes authoritas, ob summum quod in omnes habet imperium. Quare quicquid ipsius jussu atque authoritate ab ipsius legatis præcipitur, id summa cum veneratione est recipiendum, ac summa cum diligentia præstandum. Huic vero eatenus medetur, quatenus ostendit se non propria confisum authoritate, sed authoritate aliena, hoc est Domini sui atque ipsorum communis, qui sese Apostolum ac legatum constituisset, ista mandare ac præcipere: id quod eum merito & absque arrogantiæ nota facere potuisse, omnes ad quos scribit Apostolus facile cernebant.

Hic disseri aliquid potest de summo Domini Jesu in omnes imperio, ac potestate quam in Ecclesiam habeat, indeque ostendendi, quanti omnia ipsius mandata, sive ab ipso sive ab ipsius legatis nomine ejus proposita, fieri apud omnes debeant, tanti nempe ut ne latum quidem unguem audeamus ab illis discedere. Disseri etiam nonnihil potest de authoritate Apostolica in præscribendis Christianorum hominum officiis, deque ea quam alii iisdem in rebus habeant, ut Ecclesiæ pastores. Tantum nempe præcipere potuerunt Apostoli Ecclesiæ, quantum præcipere jussi essent, & quantum nominatim illis erat demandatum. Qua de causa Apostolus, cùm de virginibus & viduis & aliis quibusdam rebus similibus, non haberet præceptum Domini, non audebat etiam ipse præcipere, sed sententiam tantum suam dicere, licet interim eam contemni nolit, quandoquidem Spiritum Dei habeat, & sic salutare consilium hominibus dare possit, aperteque sententiam seu consilium suum à præceptis Domini discernit. Vide 1 Cor. 7. ℣. 6, 7, 10, 12, 25. & 40. Contra quàm illi faciunt hodie qui Apostolorum sese successores esse jactant.

Hanc modestiam servarunt etiam Apostoli Jerosolymis congregati præcipientes nonnulla per se ἀδιάφορα & ad Christianorum pietatem proprie non pertinentia: quanquam iis etiam interseruerunt aliquid præstitu omnino necessarium. Actor. 15. ℣. 29. Ubi ajunt fideles benefacturos si ista vitaverint quæ præcesserant. Quanquam interea præcipere ea poterant, quatenus ad ædificationem essent necessaria, licet per se necessaria non essent ea quæ ibi præscribuntur vitanda, præter scortationem, quam credibile est tum à quibusdam licitam, nimis licentiose, fuisse habitam, & inter adiaphora relatam, unde cum adiaphoris eam conjungunt Apostoli. Sed de his nunc differendi fusius non est locus.

Quod ad alios Ecclesiæ pastores attinet, quibus tanta quanta Apostolis authoritas non est, iis nil aliud convenit quàm Christi & Apostolorum præcepta repetere, & tantum injungere quantum vel in illis ipsis expressè præcipitur, vel ex illis pro circumstantiarum ratione recte colligi ac deduci potest: ita ut ii quibus præcipitur videre queant ea non ipsorum esse præcepta, sed Apostolorum, & ipsius adeò Christi.

Sed jam videamus ipsum officium Christianis hominibus hoc loco ab Apostolo præscriptum. Id autem est, ut vitent homines non ita ut decebat viventes. Ubi consideranda duo, primò quinam sint ii homines qui vitandi sunt: deinde quomodo vitandi. Quod ad prius attinet, illi primùm simpliciter describuntur, deinde descriptio ista ex parte declaratur. Vitare autem eos, est ab eorum commercio ac familiari cum iis congressu convictuque abstinere; ita ut nisi fortè gravis aliqua atque urgens causa te adegerit ut cum illo colloquaris, eumve accedas, vel ipsum monere ut in viam redire velit, ac ad frugem revocare, sit animus, id facere tibi sit religio, nec adduci te patiaris, ut cibum cum ipso capias. Qua de re vide quæ dicit Apostolus, 1 Cor. 5. 9. & 11. Quodtamen præceptum non obligat eos qui istiusmodi hominibus cæteroqui sunt ita obligati ut vitare eorum commercium salvo officio non possint: quales sunt liberi respectu parentum, conjuges, servi, ac subditi, respectu dominorum ac Magistratuum. Eos ergo obligat hoc præceptum omnes, inter quos nulla ejusmodi est obligatio. Describens autem Apostolus eos qui sunt vitandi, ita dicit, *ab omni fratre inordinate ambulante* quod postea aliqua ratione declarans, addit, *& non secundùm traditionem quam accepit à nobis*. In prioribus verbis primùm occurrit observandum nomen *fratris*. Neque enim dicit Apostolus, simpliciter subducere se debere Thessalonicenses ab omni homine qui inordinate ambulet, sed *ab omni fratre qui inordinate ambulet*. Quod non est frustra ab Apostolo factum: indicare enim voluit non esse necesse ut Christiani sese subducant à commercio etiam extraneorum qui non ita ut par erat vivant, sed tantùm ab eorum consortio qui cùm fratres appellarentur, non recto incederent talo. Qua de re videndum est quid Apostolus scripserit in priore ad Corinthios epistola, qui simile ipsius præceptum non rectè percipientes, opinati fuerant jubere Apostolum ut ab omnibus hominibus qui moribus essent corruptis sese subducerent, & eorum commercio abstinerent, quod tamen haudquaquam voluit Apostolus, qui ait se hoc restrinxisse ad eos qui fratres nominarentur, ita enim ait 1 Corinth. 5. vers. 9: *Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini cum scortatoribus, & non omnino cum scortatoribus mundi hujus, aut avaris, aut raptoribus aut idololatris: alioqui debetis* seu deberetis, *ex mundo exire. Nunc verò* (id est, Atqui) *scripsi vobis ne commisceremini si quis frater nominatus, sit scortator, aut avarus aut idololatra, aut convitiator, aut ebriosus, aut raptor; ut cum ejusmodi ne comedatis quidem. Quid enim ad me pertinet etiam extraneos judicare* &c. Quapropter hoc quoque loco apertè, ne quis errandi haberet causam ad fratres præceptum hoc suum restringit Apostolus, & eos demum hoc quo diximus pacto cæteris Christianis vitandos esse docet. Fratris autem nomine quivis hoc loco censendus est qui eandem nobiscum religionem profitetur, & communia habere Sacra creditur: quales olim erant omnes Christiani nominis homines, seu quotquot euangelii doctrinam receperant, nondum in tot tantasque sectas discerptâ Ecclesiâ, ut alii pro aliorum fratribus non haberentur, quemadmodum hodie accidit. Hinc infrà eum qui ob vitam non convenienter doctrinæ Christi institutâ à consortio fidelium fuerit exclusus, nihilominus vult admoneri *tanquam fratrem* ℣. 15 *Inordinate* autem *ambulare* est non vivere ad prescriptum

scriptum & normam honestatis ac pietatis Christianæ, seu ad præscriptum Christi & Apostolorum ejus. Unde 1 Thessal. cap. 5. ℣. 14, cùm præcipere vellet ut peccantes admonerent & corrigerent Thessalonicenses, loco peccantium posuit inordinatos, cùm scripsit *admonete inordinatos*. Idem autem est inordinatum esse, & ambulare seu vivere inordinate.

Sed ut diximus ipse Apostolus vocem *inordinatè* declarat, eaque de causa ita subjicit, *& non secundùm traditionem quam accepit à nobis*: Per traditionem intelligens doctrinam seu præceptum aliis propositum, sive voce, sive scripto. Tam latè enim superiore capite hujus epistolæ vocem traditionis extendit Apostolus, cùm ait, *Quapropter fratres state, & tenete traditiones quas edocti estis sive per sermonem sive per epistolam nostram.* Restringit autem traditionis nomen ad ea præcepta quæ ipsemet Thessalonicensibus proposuisset, cùm ait, *quam* scilicet traditionem, accepit à nobis. Vox autem ambulandi nihil aliud significat, quàm ut paulò antè innuimus, vivere, seu actiones vitæ instituere, sese gerere: & non propriè unius actus, sed consuetudinis verbum est. Quemadmodum etiam sumitur cùm dicitur, *ambulare secundùm carnem, ambulare secundùm spiritum, ambulare in luce, ambulare ut Christus ambulavit*, & similia. Quanquam ad eos etiam actus transferri potest, qui non secus atque habitus & consuetudo denominare hominem solent, & ferè habitus alicujus sunt interni indicia, aut saltem indicant, cum hominem qui actus istiusmodi committit habitu contrario non esse præditum, sed ad illum habitum cujus iste actus est proprius διάθεσιν (dispositionem) habere non exiguam. Id autem propterea est observandum, ne quis fortè putet, à quovis fratre qui vel semel labatur & alicubi impingat, aut secundùm etiam & tertiùm, esse omnino recedendum, & ab ejus abstinendum consortio. Inde enim facile consequi posset, universæ Ecclesiæ dissipatio, præsertim ex novitiis veritatis professoribus constitutæ, qui inveteratam peccandi consuetudinem nondum penitus deseruerunt: cessarentque monitiones & correctiones fraternæ inter eos qui adhuc in Ecclesia versantur. Hinc discimus primùm quantopere sit fugienda familiaritas hominis ejus qui cùm doctrinam Christi profiteatur, interea tamen ex ejus præscripto vitam suam non instituit. Etenim ea quoque commercia ac consuetudo quæ Christianis hominibus cum infidelibus permittitur, interdicta est cum eo qui inter Christianos seu fratres nostros ex Christi præscripto non vivat. Et tamen videmus alibi prohibere Apostolum, *Ne alienum trahamus jugum cum infidelibus*, 2 Cor. 6. 14, quibus in verbis arctior conjunctio ac familiaritas homini Christiano cum infideli non permittitur. Et nihilominus tamen Apostolus, ut ex 1 Cor. 5. 10, vidimus, permittit, ut cum infidelibus nos commisceamus, seu cum iis pro re nata versemur, & familiariter vivamus: quod non permittit homini Christiano respectu alterius Christiani, qui male interim vivat. Itaque non protinus eas ob causas licet adire fratrem inordinatè ambulantem, ob quas licet adire hominem extraneum & à veritate euangelica alienum. Ut graviter isti peccent qui hoc Apostoli præceptum negligunt, quod tamen fit in toto prope orbe Christiano. Cùm autem Apostolus dicit ab *omni* fratre inordinate ambulante, omnem prosopolepsiam omne personarum discrimen, quod jure impedire vel non queat vel non debeat effectum hujus præcepti, tollit, eandemque divitis & pauperis rationem hic esse docet. Imò interdum major est causa cur divitem vites, quàm cur pauperem: si vel majus ab illo contagionis periculum sit, vel pejus ob illius delicta audiat Ecclesia; sunt enim hæ inter alias causæ præcipuæ cur à consortio Christianorum non recte viventium sit abstinendum. Illud etiam jam monuimus, non protinus à quovis fratre qui peccet esse abstinendum, sed ab eo demum qui monitus resipiscere nolit, & consueverit non ita ut decet vivere: nisi forte unum aliquod ipsius factum ita sit enorme, ut ferri in Ecclesia nec debeat, nec ut id fiat expediat: propterea quòd vel nimis magnam veritati cœlesti notam inurat, vel ad alios corrumpendos plurimum valeat: qua in re interdum etiam communis fama, & plerorumque hominum judicium est consulendum. Quod verò *traditiones* hoc loco commemorat Apostolus, id non est ita accipiendum ac si hodieque extarent doctrinæ aliquæ ad salutem cognitu aut præstitu necessariæ, quæ literis nunquam fuerint consignatæ, sed tantum per manus aliis traditæ per alios, & sic ad nos transmissæ, quemadmodum Pontificii volunt. Nam primùm videmus Apostolum, etiam eas doctrinas ac præcepta vocare traditiones quas per literas docuisset Thessalonicenses. Deinde etiamsi per traditiones intelligeret quas oretenus tantum tradidisset Thessalonicensibus, non tamen inde sequeretur, eadem illa non esse vel ab hoc ipso Apostolo vel ab aliis scripta alibi vel ad alios. Traditiones enim hoc loco Apostolus appellat doctrinas suas respectu Thessalonicensium, quibus ab initio cùm præsens esset nonnisi oretenus præcepta Domini Jesu explicuerat; interim tamen fieri poterat ut eadem postea vel ad illos ipsos scribens literis consignaret atque inculcaret, vel ad alias scribens Ecclesias eadem scripto comprehenderet. Etiamsi autem descriptio eorum quos vitari vult Apostolus generalibus sit concepta verbis; tamen si sequentia spectes verba, comperies ea ad certum quoddam peccatorum genus hoc loco fere restringi nempe ad otium inutile atque ignaviam, quâ fiat ut quis nihil laborans alienum arrodat cibum. Rationem enim reddens Apostolus eorum quæ hactenus consideravimus, suam diligentiam commemorat in exercendis honestis laboribus, quod omnes meritò imitari debeant.

Et hæc de ipso præcepto. Sequuntur rationes, quæ duæ sunt. Prima ut vidimus ab exemplo Apostoli ducta: quam & proponit, & occupatione objectionis cujusdam illustrat. Prius fit vers. 7 & 8. ubi primum docet sese imitandum Thessalonicensibus esse. Deinde causam ejus rei reddit, ex ipsis factis depromptam quæ imitari mereatur. Prius est ibi, *Ipsi enim nostis quomodo oporteat imitari nos*. Primum ad illorum ipsorum cum quibus agit, judicium, provocat Apostolus, cùm ait, *Ipsi enim scitis*. Vim enim majorem habent ea argumenta quæ apud ipsum adversarium, vel eum qui docetur, sunt in confesso, & quibus ipsemet assentitur, quàm ea quæ is sponte sua non agnoscit. Unde discimus operam dandam esse, ut argumenta & rationes eas potissimum afferamus quæ sunt manifesta illi ipsi cum quo nobis res est. Nam utut aliàs essent firmissima si non essent clara notaque ei quem convincere volo, nihil effecero. Itaque non nostro ingenio ac captui, sed captui eorum cum quibus loquimur indulgere debemus. Quid enim prodest, si tu quidem rationibus tuis credas, is verò non credat quem velles in sententiam tuam pertrahere? Quum verò ait, *quomodo oporteat imitari nos*, vel indicat simpliciter quòd oporteat imitari nos, vel quanto cum studio ac diligentia oporteat imitari nos: hoc est quomodo vos debeatis vitam vestram ad nostram componere, idque agere ut nobis evadatis quàm simillimi. Neque enim imitari est alteri fieri omnino parem, sed similem. Unde etiam *Dei imitatores* fieri jubemur, Ephes. 5. 1. De his etiam ipsis Thessalonicensibus dicit Apostolus 1 epist. cap. 1. vers. 6. *Et vos imitatores nostri facti estis, & Domini.* Qua de re videantur quæ diximus in Ethicis. Ex his apparet, quanto studio debeamus considerare ac cognoscere facta Apostolorum, quum tanto studio etiam eos debeamus imitari: quomodo enim ejus imiteris facta, cujus vitam ignores? Deinde, hinc etiam perspicitur, hominem Christianum non in infimo pietatis gradu debere acquiescere, sed ad perfectionem semper ferri, idque perpetuo agere ut Christi ipsius Apostolis sit quam simillimus: id enim imitatio eorum postulat. At quanta eorum fuit sanctitas! quanta pietas? Et licet non de omnibus historiæ extent, sufficere tamen nobis potest hic Apostolus, qui & hic & alibi suum exemplum credentibus propo-

proponit initandum. Et ſane quicunque vult in re quapiam excellere, ei convenit illum ſibi proponere imitandum qui in ea re maximè excelluerit, & ut ipſi quàm ſimillimus evadat perpetuò conari. Quare idem in pietatis ac virtutis ſtudio faciendum eſt. Hinc etiam videmus quid ſentiendum ſit nobis de iis rebus de quibus non habemus aperta aliqua in Sacris Literis mandata, vel etiam earundem prohibitiones. Sæpe enim cùm dubitamus quid de iis nobis ſit ſtatuendum, aut quid potius agendum, Apoſtolorum exemplum nos inſtruere, & dubitationem nobis eximere poteſt. Ea enim de quibus dubitamus utrum Chriſtianis hominibus conveniant, vel minus, Apoſtolorum aut ipſius etiam Chriſti perſonæ accommodemus, & expendamus utrum eam deceant, nec ne: quodſi decere videamus, nulla eſt cauſa cur nos etiam non deceant: niſi fortè ipſorum præ nobis dignitas peculiaris, & officii authoritas, diſcrimen inter nos & ipſos in rebus hujuſmodi faciat. Quodſi non deceant, ab iis abſtinendum potius eſt nobis, qui ipſorum imitatores eſſe debemus: ſaltem vehementer nobis debent eſſe ſuſpecta, & tantò quidem magis quanto vehementius ab ipſorum perſonis abhorrent. Huc referri debent choreæ, luſus varii, ut alea, & ſi quæ ſunt ſimilia. Et hæ quidem doctrinæ capiendæ hinc ſunt omnibus: illa verò peculiariter ad eos ſpectat qui alios docent, ut non tantùm ea quæ recta atque honeſta ſunt, verbis doceant, ſed etiam factis, poſſintque ſuum aliis exemplum poſtmodum in memoriam revocare, & ſeſe illis proponere imitandos. Ita nempe vivere eos decet, ut ad ipſorum auditorum judicium ac teſtimonium provocare queant, tales nimirum ſe fuiſſe quos ii meritò debeant imitari, quemadmodum hoc loco facit Apoſtolus. Longum eſt iter, ut ait ille, per præcepta; breve & efficax per exempla: firmius credimus iis quæ videmus, quàm quæ tantùm audimus; Magis nos movet viſa virtutis pulchritudo, quàm audita tantum: & certius credo præſtari poſſe id quod præſtitum eſſe video, quàm quod tantùm rationibus docetur præſtari poſſe. Illud autem præſtat Doctoris exemplum: ut taceam, ipſi doctrinæ magnam conciliari à docentis virtute ac pietate authoritatem.

Sed jam videamus quomodo Apoſtolus ratione ex ipſiſmet factis depromta doceat ſe meritò imitandum Theſſalonicenſibus eſſe. Proponit autem id partim negative partim affirmative: hoc eſt partim oſtendendo ſe ab iis rebus fuiſſe immunem quæ reprehendi jure debeant, nedum ut ſint imitanda, partim exprimendo quid reipſa fecerit quod imitari Theſſalonicenſes meritò debeant. Prius tum generatim tum ſpeciatim præſtat. Generatim dum ait, *quòd non inordinati fuimus* vel in ordinate viximus, *in vobis*, id eſt inter vos. Quæ verba quomodo ſint capienda, ex ſuperioribus ſatis conſtat. De re ipſa vide 1 epiſt. ad Theſſal. cap. 2. & nominatim verſ. 10. Id tantùm inde diſcere debent, tum ii qui docent, ut ea in re Apoſtolum imitentur: tum ii qui docentur, ut & Apoſtolum & ſuos etiam doctores qui Apoſtolo ſunt ſimiles eadem in re ſequantur. Speciatim id facit Apoſtolus cùm ait, *Neque gratis panem comedimus à quopiam.* Ubi panis nomine omnia alimenta intelligi debent: imò per comeſtionem panis omnia quæ ad vitæ præſidium ac ſuſtentationem pertinent, etiam amictus. Id quod melius adhuc cognoſcitur ex membro oppoſito, ubi affirmate docet quid fecerit Theſſalonicenſibus meritò imitandum, ibi, *ſed in labore & moleſtia dies & noctes opus facientes*, ſcilicet comedimus panem, *ne quem veſtrûm gravaremus.* Quo loco non tantùm quid fecerit, ſed & quem in finem fecerit exponit Apoſtolus. Oſtendit enim primò ſe aſſidue laboraſſe, nec ſibi pepercisſe, eum in finem ne cuipiam ex fidelibus oneri eſſet, & ab aliquo res ad vitam ſuſtentandam neceſſarias petere & accipere cogeretur; ſed potiusut proprio labore vitam toleraret. Idem ſcribit etiam ſuperiore Epiſtola cap. 2. verſ. 9. Vide etiam Act. 20. 32. & ſeqq. Hanc laborum tolerantiam in Apoſtolo imitari debent omnes Chriſtiani: quanquam diverſi diverſimode. Omnes quidem laborare debent in victu honeſtè acquirendo, ſed ii qui alia honeſta ratione vitam tolerare nòn poſſunt quàm manuum labore, manus etiam operi debent admoliri, quemadmodum Apoſtolus fecit, & ita quidem ut noctes & dies quàm diligentiſſimè & quantum ejus fieri poteſt laborent: dummodo interea ea quæ ad regnum Dei & juſtitiam ejus pertinent non modò non negligant, ſed etiam primò & potiſſimum quærant. Neque verò quenquam ejus rei pudere debet, cujus non puduit Apoſtolum, civem Romanum, & genere nobilem. Quod autem opificii genus exercuerit, patet ex Act. 18. 3. Hoc idem præcepit Apoſtolus epiſtola ſuperiore cap. 4. verſ. 11. Nominatim autem hujuſmodi præceptum traditur iis qui aliquando ex rapto ut dicitur vixerunt, Epheſ. 14. 28. Ubi additur eos id quoque agere debere ut etiam homini egeno impertiri de ſuo queant. Apparet etiam hinc hominem liberaliter inſtitutum atque adeo quemvis Chriſtianum cavere debere ne cui ſit oneri, quod ipſum quoque curavit Apoſtolus. Itaque ſi quis doctoris fungi munere queat, nullo accepto ab auditoribus ſtipendio, id ut faciat, valde decet. Alioqui ſi vel munere iſto fungi prorſus nequeat ſi privato labore victum cogatur quærere, vel non ita commode queat omnes officii partes obire, ita ut neceſſe ſit eum non ſemel muneri ſuo deeſſe, ſatius eſt ut accipiat ab auditoribus ſtipendum, & aliquantulum oneris eis imponat, quàm ut ſaluti ipſorum deſit. Quantulum enim eſt, ut Apoſtoli verbis quodammodo utamur, quum aliis ſeras ſpiritualia, ab iis metere temporalia? 1 Cor. cap. 9. ℣ſ. 11; & quidem parce ac modeſte: qua de re nonnihil in ſequentibus, ad quæ nunc progredimur. In iis autem ut antea jam diximus, objectionem tacitam occupat ac diſſolvit. Poterat enim quiſpiam cogitare, ideo Apoſtolum labore manuum ſibimet victum acquiſiviſſe, quia ipſi non licuerit auditoribus eſſe oneri. Apoſtolus hanc cauſam removet, & aliam poſtea ſubſtituit, huc maxime pertinentem, id eſt eam quæ cogat alios ipſum hac in parte imitari. Amovet autem falſam cauſam, dum ait, *Non quòd non habeamus poteſtatem*, ſcilicet vos gravandi, ſeu res ad vitam ſuſtentandam neceſſarias a vobis exigere. Habuit ſane hanc poteſtatem Apoſtolus, ut copioſe demonſtrat 1 Cor. 9. ℣ſ. 6. & ſeqq. Cum quo conjungendi ſunt etiam illi loci, Matth. 10. 10. & 1 Tim. 5. 17, 18. Ubi hæc ratio affertur, quod dignus ſit operarius ſua mercede, quodque Deus ne bovi quidem trituranti voluerit os obligari, tantum abeſt ut Eccleſiæ Doctori velit denegari victum ex hoc ipſius labore. Vide etiam Gal. 6. 6. & ſeqq. Unde apparet non peccare eum Eccleſiæ doctorem aut paſtorem qui aliquid ab Eccleſia accipiat mercedis, modò id fiat non avare ac ſordide, nec cum ullius pauperioris oppreſſione, & ut nihil aliud quærat doctor, quàm ut ſine moleſtia ſe ſuoſque ſuſtentare queat, non ut ſumtuoſe ac luxurioſe vivat. Quanquam interea ut paulò ante jam monuimus libertate hac ſua uti non debet, ſi videat eam præbituram eſſe aliis ſcandalum, & aliorum ſaluti obfuturam. Quam ob cauſam Paulus ait, ſe Corinthi nihil accepiſſe, nec accipere velle, dicto 1 Cor. epiſt. cap. 9. ℣ſ. 12 & 18. Vide & Act. 20. 35, ubi oſtendit, infirmitati aliorum eſſe hoc pacto ſuccurrendum: præterquam quòd beatius ſit dare quàm accipere. Hinc autem apparet quàm non recte faciant ii qui nihil aliud quàm libertatem ſuam crepant, & cùm ob aliquod factum reprehenduntur, liberum illud ſibi ac licitum fuiſſe dictitant. Qui præterquam quòd illicita ſæpe pro licitis habeant, etiam in eo non raro peccant quod libertate ſua abutantur ad aliorum detrimentum, & alios intempeſtivo ejus uſu offendant, quo tempore ea quæ per ſe licita erant fiunt illicita. Non enim ſolùm rei ipſius, ſed & circumſtantiarum accurata eſt in actionibus habenda ratio: utpote quæ rem vel honeſtam vel turpem, licitam vel illicitam faciant, arguantque. Videmus hîc Apoſtolum libertate ac poteſtate ſua non fuiſſe uſum, idque non tam ſcandali evitandi cauſa, (id quod majorem ei impoſuiſſet neceſſitatem,

tatem, à libertate sua abstinendi) quàm ædificandi, & exemplo suo aliorum diligentiam excitandi causa, ut statim subjungit Apostolus. Postquam enim falsam laboris ac diligentiæ suæ causam amovisset, veram subjungit, dum inquit, *sed ut nos ipsos typum* seu formam, *demus vobis, ut nos imitemini.* Vidit nempe Apostolus esse non paucos in ea Ecclesia, qui otio indulgerent: huic eorum morbo, exemplo suo mederi, & pudorem eis incutere voluit: si quidem cùm ipse potuisset gratis adipisci res necessarias, noluit tamen id facere, ut necessitatem quandam imponeret laborandi, & victum comparandi, iis qui aliter vivere honeste non potuerunt, & quibus prorsus non licebat aliis esse oneri. Verisimile autem est, cùm Thessalonicenses essent nobiliores, & præcipuam Macedoniæ urbem incolerent, ad otium fuisse proniores, nec libenter manus operi fuisse admolitos. Hoc enim vitii libenter huic hominum generi solet agnasci. Hinc verò apparet Christianis hominibus, & præcipue doctoribus convenire, ut suscipiant interdum labores & negotia quibus supersedere per se potuissent, ut aliis sint exemplo, & sibi non necessaria agere, ut alios doceant necessaria, & suo eos qui contra faciant exemplo pudefaciant, nec ullum eis peccati prætextum atque obtentum ullo pacto præbeant: quemadmodum hîc Paulum fecisse vidimus. Patet etiam id quod superius jam vidimus, doctorem ac pastorem Ecclesiæ exemplar debere esse gregis, & vicissim auditores debere illos sequi atque imitari. Qua de re constat, & ex 1 Petr. 5. 3. & ex hoc nostro Apostolo, 1 Tim. 4. 12. & Tit. 2. 7, 8.

Hactenus primam vidimus rationem, sequitur altera, quæ est petita ab antegresso Apostoli præcepto, quod facit ut jam excusationem non mereantur qui contra fecerint, & cæteri Christiani meritò illorum vitent consortium. Id autem exprimit illis verbis, *Nam & cùm essemus apud vos, hoc præcepimus vobis, quòd si quis nolit laborare, neque edat.* Ubi verba illa *neque edat*, (cætera enim per se plana sunt) vel ita sunt accipienda, ne ei cibus suppeditetur, ut edere queat, quo pacto revera hoc erit præceptum; vel saltem, dignus est qui non edat, nec requirere debet ut sibi cibus suppeditetur; quod itidem vel præceptum revera est, vel id tacite in se complectitur. Ubi tamen si priore modo verba hæc accipiantur, non est intelligendum cibum non esse suppeditandum homini illi qui otiosus fuerat, cùm jam eò redactus est ut nunc etiamsi maxime velit, victum tamen amplius parare nequeat: contrarium enim præcipiet Apostolus infrà ℣. 13. ut suo loco videbimus: sed quòd si possit labore manuum victum acquirere, cibus ei non sit suppeditandus, ne hoc pacto desidia ipsius alatur ac foveatur, sed potiùs ut inopiâ ad laborandum adigatur. Et tum sane indignum est otiosis cibum suppeditare, cùm vix sufficere potest Ecclesia oneribus necessariis, & verè pauperes ac ope aliena indigentes sustentare. Cujus rei rationem haberi vult Apostolus in viduis ut legitur 1 Tim. 5. 16. ubi non vult onerari Ecclesiam, ut verè viduis sufficiat: idem multo magis hic observandum est ubi otiosi ventres id requirunt ut alantur. Unde apparet nihil in eo peccari si nonnullis Ecclesia cibum subducat, & vel nihil vel parum admodum eis suppeditet, quamvis pauperibus, propterea quòd ipsimet sua culpa hanc paupertatem sibimet ipsi accersant, ac suæ fortunæ ut dicitur sint fabri.

Hactenus rationes vidimus quibus Apostolus præceptum suum communivit, nunc tertio loco occasionem ejus tradendi aperit, dum ait, *Audimus enim aliquos ambulare in vobis inordinate nihil operantes, sed curiosè agentes*, seu aliud agentes. Dici solet vulgo, Ex malis moribus bonas nasci leges, id hoc loco accidit. Mali enim mores quorundam Thessalonicensium occasionem præbuerunt Apostolo hanc legem tradendi & inculcandi Thessalonicensibus. Explicat autem malos illos mores seu vitium quorundam hominum primò generatim, dum ait eos *inordinate ambulare*, quod quid sit, supra vidimus. Deinde speciatim, dum id explanans subjicit, eos *nihil agere, sed aliena agere.* Nam etiamsi aliena agere videatur esse aliquid agere, tamen id nihil est aliud quàm operose nihil agere: quanquam interdum ne operose quidem id fit; aliena enim agere perfunctorie facilè possumus. Indicat autem Apostolus id quod vetus dictum est, homines dum nihil agunt, male agere discunt. Nam quia mens nostra prorsus conquiescere non potest, inde fit ut si non agamus ea quæ fieri oportet, ea cogitemus ac moliamur quæ non oportet: ita ut ad vitiorum fugam vel inprimis pertineat otii fuga. Idem notavit Apostolus in viduis junioribus, de quibus ait 1 Tim. 5. 13. *simul autem etiam otiosæ, discunt circuire domos: non solùm autem otiosæ, verùm etiam garrulæ & curiosæ, loquentes ea quæ non oportet.* Ubi est vox περίεργοι, à qua est περιεργαζόμενοι, quo in loco nostro utitur Apostolus. Aliena autem agere, vel περιεργαζίδαι censendi sunt ii qui vel rebus sese immiscent atque ingerunt ad se nihil pertinentibus, vel ea agunt quæ nullam illis vel aliis utilitatem veram afferant. Et hujusmodi sunt illi qui dum otiantur hinc inde discurrentes aliorum famæ obtrectant, rumores varios spargunt: interdum tum apud hunc de illo tum apud illum de hoc loquuntur, & quidem ad gratiam, animos hominum inter sese irritant, odia atque immicitias serunt: nonnunquam etiam sese ministros præbent rerum aut turpium aut noxiarum. Referri huc etiam possunt illi qui rebus ludicris & nullum verum in vita usum habentibus, quæque animo dissoluto solent perfici, victum sibi quærunt. Ex his apparet homines etiam otiosos & nihil in vita utile agentes, inter homines inordinatè & non ex doctrinæ Christi præscripto viventes, numerandos esse, & ad eos pertinere Apostoli præcepta, qui cæteros Christianos ab ipsorum consortio jubet abstinere. Deinde etiam illud videmus quantopere sit fugiendum otium iis qui pie atque honeste vitam volunt traducere, cùm ut pauiò ante diximus, qui nihil agunt male agere discant.

Hactenus prima pars hujus loci, atque adeo primum Apostoli præceptum. Sequitur altera, in qua ipsis hominibus otiosis quid facere ipsis necesse sit præcipit; in illis verbis, *Iis autem qui sunt hujusmodi præcipimus, & hortamur* [eos] *per Dominum nostrum Jesum Christum, ut cum quiete operantes* vel laborantes, *suum panem comedant.* Ubi & modus præcipiendi & ipsum præceptum, seu officium hominibus hujusmodi præscriptum, potissimùm est considerandum. Nam primùm dicit se *præcipere*: de cujus verbi vi, initiò hujus loci diximus. Addit etiam se *adhortari*, ut rem magis inculcet, & quàm serio hæc inculcet, quamque diligenter hæc velit observari, ostendat. Addit præterea, *per Dominum nostrum Jesum Christum*, hoc est authoritate Domini nostri Jesu Christi interposita, seu ipsius jussu ac nomine: quemadmodum in priore præcepto proponendo loquutus fuerat, supra ℣. 6. Similem loquendi modum habemus superiore Epistola, cap. 4. ℣. 2, ubi ait, *Nostis enim quæ præcepta dederimus vobis per Dominum Jesum*: hoc est jussu & authoritate seu nomine Domini Jesu. Quid hinc observari possit aut debeat, dictum jam est ℣. 6. Ipsum officium in eo consistit dum ait, *ut cum quiete*, vel tranquillitate *operantes, suum panem comedant.* Quietem seu tranquillitatem istam opponit curiositati illi & nimiæ odiosæque diligentiæ, qua fit ut aliis molestiam facessant, & turbas nonnunquam excitent. Vocem *operantes* opponit illi otio quod expresserat ℣. 11. illis verbis, *nihil operantes*, seu laborantes. *Panem suum* opponit alieno. Panis autem comestionem tam latè extendit, quàm late extenderat suprà ℣. 8. Vult ergo Apostolus ut ab omni curiositate & inquietudine homines hujusmodi abstinentes, labore honesto victum sibi quærant, nec alienas sectentur mensas, seu aliis sint oneri: qua de re jam non semel dictum est. Sed quia tam prolixe hac de re agit Apostolus, nobis etiam grave non debet esse id diligenter inculcare ac repetere.

Id

Id in his verbis prope novum est, (nisi quatenus sub finem ℣. 11 aliquomodo videtur præceptum) *ut quietam ac tranquillam vitam degamus*, id est, ut ne vel in turbido libenter versemur, vel aliorum quietem turbemus, quàm diligentissime caveamus. Id autem facile præstabimus, si alienis negotiis absque necessitate nos non ingeramus. Quod tamen non ita latè extendendum est, ut putemus omittendas etiam esse monitiones & reprehensiones salutares quibus videmus aliorum salutem indigere: eas enim omittere nobis non licet, cùm ab ipso Deo nobis sint præceptæ: quia tamen fieri potest ut dum nostro officio ea in parte satisfacimus irritentur ii cum quibus nobis est negotium, ideo adhibenda est prudentia, ac dexteritas, & singularis mansuetudo ac modestia, ut non exasperare vulnus, sed medicinam ei adhibere voluisse, testemur, & quicquid secus acciderit, id nulla nostra sed aliena culpa contigisse appareat. Non sunt ergo tum audiendi homines, qui ne fortè aliorum incurrant iras aut odia, ad eorum peccata connivent, ea potissimùm ratione se excusantes, quia ad se id nihil pertineat quomodo alii vivant, satis esse si sibi ipsis caveant, tantum sibi otii non superesse aliena ut curent. Tum demum alienorum negotiorum cura est relinquenda, quum nostra opera aliis non est necessaria, vel etiam inutilis, nos autem interea utile aliquid in vita facere possumus, quemadmodum sanè semper possumus. Et hæc de secundo Apostoli præcepto, ac loci hujus membro.

Sequitur tertium loci istius membrum, in quo Apostolus triplex Thessalonicensibus ab eo quod hactenus culpavit vitio alienis, præceptum tradit: ℣. 13 & duobus seqq. Quorum trium præceptorum primum, & ultimum, cæterorum quæ vel antea tradita sunt vel postea tradentur severitatem mitigant, medium autem severitatem quandam docet in eos usurpandam, qui modò proposito præcepto non paruerint. Primum est ibi, *vos autem fratres ne defatigemini benefacientes.* Ubi nisi quis ita verba hæc accipere velit, ac si præcipiat Apostolus ut cùm cæteri Thessalonicenses honeste se hactenus gerant, atque adeo labore suo victum sibi quærant, ea in re porrò pergant, nec in hoc studio recte agendi delassentur; statuendum est ita verba hæc esse capienda, ut ad liberalitatis ac charitatis Christianæ constantiam Thessalonicenses hortetur, quam exercere debeant, non tantùm in alios, verum etiam si ita videant necesse esse, in eos qui aliquando otiosi fuerant, & seipsos in eas rerum angustias conjecerant. Videtur enim in istis verbis non tantùm ad proxime præcedentia respexisse, ubi jubet homines otiosos labore proprio victum parare, & suum panem comedere, sed etiam ad id quod huic consentaneum est vers. 10, ubi dixit Apostolus se præcepisse, *quod si quis laborare nolit, ne comederet*, in quibus verbis videtur prohibuisse liberalitatem in homines otiosos, & negasse iis suppeditandum esse victum: verùm quia in hac ipsa re aliquis tamen est modus, & nonnunquam miserendum est hominis, cùm jam eo redactus est ut etiamsi maxime velit non possit tamen victum sibi suisve parare; ideo severitatem orationis superioris aliquantum mitigans hæc verba addit, ne videatur omnem prorsus in hujusmodi homines liberalitatem prohibuisse, & à beneficentia Thessalonicenses abstererere voluisse. Etiamsi autem vox benefaciendi per se pateat latissime, & ad omne officii ac virtutis genus extendi queat; nihilominus tamen, tum in Græca tum in Latina lingua ad liberalitatem restringi sæpissime solet. Similis plane locus est Gal. 6. vers. 9, & 10. Ubi ait, *bonum autem facientes* seu benefacientes, *ne defatigemur: tempore enim proprio metemus non deficientes. Quapropter cùm tempus habemus operemur bonum adversus omnes: maximè autem adversus domesticos fidei.* Ubi de beneficentia seu liberalitate ac benignitate in alios exercenda sermonem esse, quivis per se videt. Eodem modo sumitur benefacere, & ditescere in bonis operibus. 1 Tim. 6. 18. Sic etiam fructus boni sumuntur, Jac. 3. 17. Quod verò monet Apostolus ne defatigentur benefacientes, seu benefaciendo, subindicat facile tædium aliquod subrepere iis qui aliis benefacere cœperunt, & initia liberalitatis sæpe fervere, postea paulatim frigescere: vel quòd avaritiam non penitus dedidicerint, vel quòd sibi metuere incipiant, decrescentibus per beneficentiam facultatibus, ne sibi aliquando desit unde commode vivant. Ex quibus verbis discimus, primùm indignitatem ipsorum hominum non debere nostram erga ipsos beneficentiam prorsus impedire; sed tantum aliquamdiu ad ipsorum emendationem ac correctionem restringere: maxime cùm eorum miseriam & calamitatem præsentem cernimus, & eo videmus devenisse, ut sibi jam consulere nequaquam possint. Magna nempe est charitatis Christianæ vis, quæ facit ut Deum imitemur qui indignis etiam benefacit. Prima ac potissima benefaciendi causa est aliena indigentia & calamitas, ea vel sola ad benefaciendum impellere Christianos, imò homines, & potest & debet. Secunda & accessoria magis est, eorum quibus benefaciendum est dignitas: quemadmodum etiam conjunctio quæ iis nobiscum intercedit. Secundò hinc discimus quanta sit liberalitatis dignitas, quum ea sibi peculiariter beneficentiæ nomen vindicet, quod aliàs generale est. Quanquam fatendum interim est, cùm benefacere de iis insignite dicitur qui in alios sunt benigni, vocem *boni* pro eo potissimùm sumi quod aliis afferat commodum & emolumentum: quanquam interea honestatem quoque non minus quàm cæteræ virtutes in se comprehendit. Itaque duplici ratione bene facit qui in alios benevolus est: nam tum eatenus bene facit quatenus honeste agit, tum eatenus quatenus aliis utilitatem affert. Ut taceam quantopere sibimet ipsis tales prosint, quum eo pacto sibi thesaurizent, ut ait Paulus 1 Tim. 6. 19, fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam. Denique hinc discimus cavendum esse inprimis, cùm in aliis virtutibus tum in beneficentia ne defatigemur, & à cœpto earum cursu desistamus. Multos virtutis & honestatis pulchritudo ad se allicit, sed postea deprehensa ejus asperitate quadam ac duritie, non pauci ab ea resiliunt. Difficillima est in quaque re præclara, constantia.

Sequitur secundum Apostoli præceptum, quod docet qua severitate uti debeant Christiani homines adversus illos qui non paruerint præceptis illius superius traditis, seu qui inordinate ambularint, & nominatim qui otio indulserint, nec de victu honeste sibi parando fuerint soliciti. Id autem facit ℣. 14, cùm ait, *Si quis autem non*, &c. Ubi tria sunt observanda. 1. adversus quosnam homines hac severitate sit utendum. 2. qua in re illa severitas consistat, seu quo pacto castigare ejusmodi homines cæteri debeant. 3. Denique quem in finem seu quorsum ista severitas sit adhibenda. Primum continetur istis verbis, *Si verò quis non obedit sermoni nostro per epistolam.* Verba *per epistolam* conjungimus non cum sequentibus ut quidam faciunt, sed potiùs cum præcedentibus, ut recentiores ac doctiores nonnulli interpretes censent. Præsertim quia non videtur satis commodus fore sensus si cum sequentibus verba ista conjungantur: qua de re paulò pòst. Vult ergo dicere Apostolus, si ea interpunctio admittatur quam nunc expressimus quæque nobis magis probatur; si quis suo sermoni seu præcepto de vitando otio aliisve peccatis, quod in epistola hac expresserat, obtemperare noluerit, sed desses atque otiosus esse perrexerit, aut quippiam aliud quod ipsum non decuisset fecerit, eum notandum esse. Quibus ex verbis discere possumus diligenter attendendum esse in Ecclesia, utrum omnes doctrinæ Christi & Apostolorum pareant nec ne: alias enim non facile eos correxeris, & ad frugem revocaveris. Sed nihil est cur his diutius immoremur. Qua in re autem severitas Christianorum erga eos qui non recte vixerint exercenda, consistat, exprimit Paulus illis verbis, *hunc notate, & ne commisceamini ei.* Ubi *notare*, videtur esse in aliquem animadvertere, & sententiam adversus

ſus illum ferre : quo pacto Cenſores notare quempiam ſolent. Videtur nempe velle Apoſtolus ut Eccleſia de hujuſmodi homine examen ac judicium inſtituat, & ſi delicti ſit convictus, ſententiam in illum ferat, ut pro tali ab omnibus agnoſcatur. Quibus verbis notatur publica Eccleſiæ iſtis temporibus diſciplina, quæ fiebat ut inſtitueretur examen morum: & qui peccaſſe deprehenſi eſſent, notarentur, & culpabiles ab omnibus agnoſcerentur. Quæ res hodie in univerſa prope Chriſti Eccleſia exolevit: magno cum gloriæ divinæ & ſalutis humanæ detrimento. Hujuſmodi autem inſtituendum eſſe judicium ac diſciplinam Eccleſiaſticam, non modò hic locus ſed etiam alii docent. Atque inter eos Matth. 18. ỷſ. 17. 1 Cor. cap. 5. ỷſ. 11. 2 Cor. cap. 2. ỷſ. 5, 6. Hac ſtante ſtat bonus Eccleſiæ ſtatus, cadente cadit. Verùm jam antea innuimus ab aliis verba hæc conjungi cum præcedentibus, *per epiſtolam*, quaſi mandarit Apoſtolus ut Theſſalonicenſes talium nomina ad Paulum deferrent, atque per epiſtolam ipſi ſignificarent. Id quod vix eſt probabile: Quid enim erat opus ambagibus? cum ii ipſi homines poſſent ejuſmodi hominem coërcere, & in ipſum pro dignitate facti animadvertere. Hoc primum eſt. Sequitur alterum ſeveritatis effectum in verbis, *& ne commiſceamini ipſi*, hoc eſt ne cum ipſo familiariter verſemini: qua de re ſuperius nonnihil dictum eſt. Eodem modo loquitur 1 Cor. cap. 5. ỷſ. 11. Itaque magis vitanda eſt familiaritas hominis Chriſtiani cum eo qui ex Chriſti præſcripto non vivat, quàm cum homine extraneo. Quam late autem id ſit extendendum videndum eſt ſup. verſ. 6. Hoc præceptum qui violant, diſciplinæ Eccleſiaſticæ nervos omnes ſolvunt, & rectum turbant ordinem, & nihil faciunt aliud quàm ut aliorum impediant emendationem, & ut ipſimet vitiorum contagione inficiantur in cauſa ſunt.

Sequitur finis hujus ſeveritatis, ac cenſuræ Eccleſiaſticæ, in illis verbis *ut pudeſiat*: nempe is qui inordinate vixerit, & præcepto Apoſtolico non paruerit. In hoc autem pudore continetur hujuſmodi hominis emendatio ac correctio. Quem enim rei alicujus pudet, eum veriſimile eſt ab ea deſiſtere vel deſtiturum: cur enim in eo perſeveret quod ſibi dedecus & ignominiam videat afferre, & cujus ipſum jam pœniteat. Sunt quidem & alii fines hujus cenſuræ ac caſtigationis Eccleſiaſticæ, nempe ne alii exemplo & familiari conſuetudine hominis hujuſmodi inficiantur, ideo ab eo arcendi ſunt cæteri omnes: quum videamus nulla re facilius alios aliis ſua vitia affricare quàm per colloquia & familiarem congreſſum. Præterea etiam ille finis ſpectari ſolet, ut gloria divina & veritas cæleſtis, & Eccleſiæ fama à malevolorum hominum obtrectationibus & criminationibus vindicetur, ne habeant quo honeſtum Chriſtianorum hominum nomen diffament & traducant, ſi videant ea inter ipſos committi quæ nequaquam deceant; Itaque malevolis ipſorum ſermonibus omnis anſa eſt præcidenda, ſecluſo ab Eccleſiæ conſortio, homine eo qui peccaverit. Cùm enim vident alii non ferri eos in Eccleſia qui peccent, non habent quod jure in ea deſiderent. Sed non tantùm hæ ſunt cauſæ hujuſmodi cenſuræ Eccleſiaſticæ: verùm etiam illius ipſius qui peccaverat emendatio in ea ſpectanda eſt. Unde apparet hoc excommunicationis ut vocant genus, de quo hîc loquitur Apoſtolus, etiamſi in eos vel tantùm vel potiſſimùm ſit extendendum qui habitum vitii alicujus contraxerint; non tamen in eos ſolùm qui ſint inſanabiles uſurpandum eſſe, ſed etiam in eos qui ad frugem adhuc queant revocari, & quibus pudor hac caſtigatione incuti poteſt, qui ipſos à peccato abducat. Videmus hinc etiam non tantùm licere hominibus Chriſtianis id dicere aut facere quod pudorem incutiat aliis, ſed etiam id ipſum interdum eos facere debere, & id quærere ut in ruborem dent alios: non quidem per ſe quaſi ipſo aliorum pudore delectentur, ſed ut eos hoc pacto emendent. Qua ratione Apoſtolus etiam reprehenſione ſua contriſtaverat Corinthios, ut emendarentur. Vide 2 Cor. cap. 7. verſ. 8, ubi teſtatur ſe ejus rei non pœnitere, cùm tam bene res ceſſerit. Sed de ipſo etiam pudore legimus in priore ad eoſdem Corinthios epiſtola cap. 6. ubi verſ. 5. ait, *ad pudorem vobis dico*, quod itidem fecit ut eos indignitate rei avocaret à litibus coram infidelibus inſtituendis. Vide etiam cap. 15. verſ. 34. Patet etiam hinc quàm diligenter cavendum ſit, ne quiſquam ex fidelibus audeat cum eo qui hac cenſura Eccleſiaſtica ſit notatus familiariter verſari, ne is unius illius conſortio contentus, non magni æſtimet, cæteros congreſſum ſuum ac convictum vitare: præſertim cùm ſæpe fiat ut quidam inter Chriſtianos alias quoque cum pauciſſimis arctiorem quandam amicitiam ac familiaritatem colant, ita ut niſi omnes ab eorum conſuetudine abſtraxeris, non magis eos à conſortio fidelium arceas quàm ſi id nunquam prohibuiſſes. Id ergo cùm accidit, fructus ille impeditur, qui hac cenſura quæritur.

Reliquum eſt ultimum præceptum ad eos Chriſtianos ſpectans qui ipſi rectè vitam ſuam inſtituunt, quod quidem prioris ſeveritatem aliquatenus mitigat, & in quo proponendo tacitæ cuidam objectioni occurrit Apoſtolus. Id autem continetur in illis verbis: *Et non ut inimicum cenſete, ſed admonete ut fratrem.* Potuiſſet enim quiſpiam cogitare, hominem ab Eccleſiæ conſortio ita excluſum, jam hominis à fide alieni, atque adeo quales plerique infideles eſſe ſolent, inimici loco ducendum eſſe, & pro tali eum habendum cum quo nulla amplius cæteris Chriſtianis intercedat conjunctio ac neceſſitudo, nec ullum ei præſtandum eſſe officium, quod fratribus proprie præſtari debeat ac ſoleat. Hoc ne crederetur, neve à fidelibus fieret, nunc cavet Apoſtolus, dum monet primùm ne pro inimico habeatur is qui cenſura hac eſt notatus. Inimici nomine complectens omnes eos qui ſunt à fide alieni, propterea quòd ii plerumque inimici ac hoſtes Chriſtianorum eſſe ſoleant. Quanquam interea fieri poteſt ut Apoſtolus ideo inimici potius fecerit mentionem quàm alieni vel extranei, quia qui à conſortio Chriſtianorum ita jubetur arceri ut minus cum ipſo liceat verſari ac familiariter colloqui quàm cum homine extraneo, is poteſt videri inter inimicos relegandus, & pejore loco quàm quivis alius extraneus habendus. Deinde monet, qua potiſſimum ratione debeat ab extraneis diſcerni, & meliore inter Chriſtianos loco eſſe debere, dum ait *ſed admonete* ſeu caſtigate, *tanquam fratrem.* Quia enim per veritatis agnitionem a prophano hominum vulgo ſeparatus & Chriſtianis eſt adjunctus, eſtque in illo adhuc aliquod pietatis ſemen reliquum, quod ſi foveatur fructum virtutis proferre poteſt, ideo eatenus adhuc pro fratre habendus eſt, fraternoque jure gaudet, & meliore quàm extraneus eſt loco; dandaque cæteris Chriſtianis eſt opera, ut crebris admonitionibus cum ſingulari manſuetudine & charitate conjunctis, ipſum ad virtutis ſtudium excitent, nec patiantur veritatis ſemen in ipſius pectore ſparſum ſuffocari; ſed potius illud rigent, excitent, foveant, ut fructus proferat, & ſic ipſemet Chriſtianis hominibus penitus concilietur, atque ad illorum conſortium denuo redeat. Benigna nempe eſt ac humana Chriſtiana religio: non fera, non atrox, non vindictæ cupida: ſed cupida ſalutis omnium etiam eorum quos caſtigare jubet. Vide quo pacto Paulus velit ſublevari hominem à pluribus reprehenſum ac caſtigatum, & delictum ei condonari, ne ob vehementiorem triſtitiam abſorbeatur, ac deſperet. 2 Cor. 2. 6, 7, 8. cum tamen videatur ibi ſermo eſſe de homine inceſto, de quo ſermo eſt 1 Cor. 5.

Ex his autem verbis patet non liberari penitus hos Chriſtianos labore ac moleſtia corrigendi eum quem à conſortio ſuo removerint: cùm eum nihilominus tanquam fratrem admonere jubeantur. Cum ſæpe fiat

ut

ut nonnulli ideo quærant ut quispiam qui sæpius peccaverit excludatur ab Ecclesia, ne ipsi toties eum monere cogantur; qui non tam hominem illum quàm seipsos spectant, & sæpe vindictam etiam quærunt: quod hic vehementer est cavendum. Deus & Christus nobis est hic imitandus, qui omnium salutem quærit, & summa utitur in nos longanimitate. Cui sit laus & honor in secula. Amen.

Habes hîc amice lector, Commentarii in priorem ad Timotheum S. Pauli Epistolum fragmenta, & emendationes quasdam, quæ in priori volumine desiderantur.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

SCopum Epistolæ hujus aperit Apostolus ipse sub finem capitis tertii ejusdem Epistolæ, vers. 14, 15. cùm ait, *Hæc tibi scribo, sperans ad te venire cito. Si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat in domo Dei versari.* Quocirca hoc quasi argumentum & summa hujus Epistolæ constitui poterit, quòd in ea Timotheum Ephesinæ tum temporis Ecclesiæ antistitem, seu mavis Ecclesiastæ munere illic fungentem, qui non solùm cæteris auditoribus, sed ipsis etiam sive urbis, sive aliis circumcirca Episcopis ac senioribus Episcopus & inspector ab Apostolo erat relictus, salutaribus monitis & præceptis instruit, quibus ille informatus, cùm sibi ipsi tum aliis, quà auditoribus quà Episcopis attenderet, hoc est, & seipsum & alios in officio retineret: quo ut ad finem capitis quarti ℣. 16 Apostolus ait, & semet ipsum servaret, & alios qui ipsum audirent. Cæterum Epistolæ hujus, eædem sunt, quæ & aliarum, partes generales. Quarum prima continet ea quæ Epistolæ ferè semper præmitti solent: ut sunt, subscriptio, seu mavis Autoris descriptio, & inscriptio, & salutatio. Secunda complectitur tractationem rerum ipsarum, in varia membra divisam, quæ ad duo hæc capita facile revocari possent, quòd in ea præscribat Timotheo, tum facienda, tum docenda, sive quid & ipse & alii quibus præerat, facere deberent; nisi essent ita mistim ab Apostolo posita, ut jam hujus generis aliquid jam illius proponat, nec ordine alias usitato, uno penitùs absoluto ad aliud tranieat, sed prout occasio huic vel illi præcepto inferendo se daret. Tertia Epilogus est, seu conclusio Epistolæ.

IN CAPUT I.

HUjus capitis duæ sunt partes. Nam primò præmittuntur illa quæ pro exordio epistolæ haberi possunt: videlicet, nomen ac descriptio ejus à quo missa epistola, quæ more nostro, nomen autoris epistolæ subjicientium non præmittentium, subscriptio est, tum inscriptio, seu descriptio ejus ad quem epistola sit missa, & denique salutatio, seu votum. Deinde incipit principalis Epistolæ tractatio, cujus cùm sint varia ut diximus membra, hic primum pertractat Apostolus, quo hortatur Timotheum, ut coërceat falsos quosdam doctores, qui legem cum euangelio imperitè misceant & confundant; cùm necessitatem hujus moniti exprimens, tum verò regulam illi proponens qua salutaris ac genuina Euangelii doctrina ab inutili aut aliena dignoscenda sit, simulque in quo legitimus legis usus consistat docens.

Vers. 1. *Paulus Apostolus.* Hoc versiculo continetur subscriptio & describitur is à quo conscripta est epistola. Is autem est Paulus, qui cùm ut aliàs sæpe, authoritati sibi doctrinæque suæ adstruendæ Apostolum se vocasset, quò illa evidentior esset, subjicit hujus muneris sui efficientes causas, cùm principalem tum mediam. Illa est, *secundùm ordinationem* seu *mandatum, Dei servatoris nostri.* Mandatum videlicet Dei Patris, qui separavit ipsum ab utero matris ejus, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret in ipso filium suum &c. ut ipsemet ait Gal. 1. Vocat autem illum *servatorem nostrum* quia ille est fons & origo, ex quo tanquam prima causa defluxit salus nostra: qua descriptione Dei Patris utitur etiam hac ipsa epistola cap. 2. vers. 3, & cap. 4. vers. 10, & Judæ vers. 25.

Et Domini Jesu Christi. Posterior causa efficiens media Apostolatus Pauli, Jesus Christus, quem hic verbis licet à Patris descriptione diversis, idem tamen aliqua ratione spirantibus, describit, cùm ait *spei nostræ.* Dicitur enim Christus spes nostra per metonymiam causæ efficientis, ea videlicet ratione, qua & *resurrectio & vita nostra* appellatur, Joh. xi. 25: cap. 14. 6. Col. 3. 4. Qua nimirum ille est causa ac fundamentum quoddam spei nostræ quam fovemus de gloriosa immortalitate obtinenda. Non planè absimili ratione Deus dicitur spes afflicti, hoc est is quo spes afflicti nititur, seu mavis in quo spem suam collocat afflictus, quo pacto foret metonymia subjecti.

Vers. 2. *Timotheo germano filio.* Hîc continetur inscriptio, & exprimitur is ad quem directa epistola: Timotheus videlicet Euangelista, Ephesi pro Episcopo quodam ab Apostolo in Macedoniam discedente relictus. Quem γνήσιον id est genuinum vocat filium, quia esset expressa effigies atque imago fidei ac pietatis Paulinæ, quem animo ac moribus non secus referret atque filii parentes suos externis corporis lineamentis & indole. Ideoque addit, *in fide*, rationem istius filiationis exprimens: quasi dicat; non quidem secundùm carnem à me genitus, sed secundùm spiritum, dum meâ operâ fuit ad fidem perductus, qua me æmulatur, & quodammodo exprimit. Fides hic ponitur cujus consequens est pietas & sanctimonia vitæ. Voluit hoc pacto Apostolus & commendare Timotheum, & tenerrimum quo in eum ferretur affectum exprimere, descriptione ætati etiam utriusque conveniente: cùm ille jam in ætatis esset flexu, hîc verò in ἀκμῇ ac vigore. Quem affectum sicut erga ipsum non semel expressit, & in hac epistola 1 Tim. cap. 1. ℣. 18, & in posteriori, 2 Tim. 1. 2. & cap. 2. 1. & 1 Cor. 4. 17. itemque Philip. 2. 22; sic etiam erga Titum, Tit. 1. ℣. 4. &c.

* * *

IN CAPUT VI.

CApitis hujus particulæ sunt sex. Prima servorum officia exprimit. Altera præmunit Timotheum adversus malos doctores, quorum mores & adjuncta describit. Tertia dehortatur Timotheum ab avaritia. Quarta commendat contrarias avaritiæ virtutes, eumque ad varia ipsius officia ducit. Quinta instruit de quibus divites speciatim moniturus esset. Sexta velut in fasciculum ea de quibus ipsum monuerat colligens, breviter id quod ipsius erat officii repetit, & epistolam concludit.

* * *

Hoc verò: *Devitans profanas vocum inanitates* id est doctrinas illas impostorum, quæ & nihil in se religiosi continent, mereque sunt mundanæ, & rerum sunt vacuæ, ac circa verborum tantum apices, aut his similes nugas & affanias occupatæ. Id quòd explicat, cùm addit, *& oppositiones illius falsò nominatæ scientiæ*, id est quæ scientiæ quidem aliquo prætextu velarentur, illiusque colorem mentirentur, nil tamen veræ scientiæ in se continerent, & solis rixis ac concertationibus sese ostentarent ac gloriarentur.

Vers. 21. *Quam quidam profitentes* &c. Ratio addita, cur ejusmodi doctrinas vitare debebat, ab effectu earum perniciosissimo sumta: de quo ut de his verbis vidimus suprà cap. 1. ℣. 6.

Gratia tecum. id est, adsit tibi favore & benevolentia sua Deus, vel Dominus Jesus. Epistolæ epilogus seu conclusio, omnibus Apostolicis epistolis usitata. *Amen* id est ita fiat.

Gratia tibi Domine Jesu.

COMMENTARIUS
IN
POSTERIOREM S. PAULI
AD
TIMOTHEUM EPISTOLAM.

ARGUMENTUM.

INstruit Timotheum Apostolus, quò muneri à se imposito respondere illudque rectè administrare posset. Inprimis autem & præcipue hortatur ad ea quæ ipsius personam & officium concernebant, viam quæ illi esset premenda ostendens. Deinde inculcat ea de quibus auditores suos commonefacere, & in quorum tum notitiam tum exequutionem eos introducere deberet. Denique quia nonnisi per arduam & confragosam persecutionum & afflictionum semitam ad illam justitiæ coronam pateat aditus, subinde interserit ejusmodi monita quibus illum ad constantiam & fortitudinem, in doctrina Christi tùm profitenda tum promovenda animaret ac excitaret. Et ad hæc tria quasi summa capita Epistola ipsa revocari potest: nisi quod illa ita inter se mista sunt, & sine usitato alias ordine, modò hoc modò illud positum, sæpeque alterum alterius occasione tantùm insertum est ab Apostolo: ut longe difficilius sit in ista quàm in superiori ordinis rationem ostendere, & in certas quasdam sese methodice subsequentes particulas illam dispescere. Cæterum quod in omnibus fieri assolet & in aliis etiam Apostoli observavimus Epistolis, idem hic quoque observandum est, tres quasi generalissimas hujus Epistolii partes constitui posse. Quarum prima subscriptionem ut vocant, inscriptionem, & salutationem seu votum contineat. Altera ea quæ ipsius sunt propria Epistolæ, quæque ad tria summa capita revocari supra diximus. Tertia denique sit Epilogus, seu conclusio Epistolæ.

IN CAPUT PRIMUM.

CApitis hujus duæ sunt partes. Quarum priori subscriptio, inscriptio & salutatio continetur. Posteriori postquam ea quæ ad conciliandum Timothei animum pertinebant præmisisset, ad ea quæ ipsius proprie erant officii & munus doctoratus respiciebant ipsum hortatur, subjungens narrationem nonnullorum quæ sibi in Asia contigissent.

Vers. 1. *Paulus Apostolus Jesu Christi.* Hoc versu continetur subscriptio ut vocant, seu describitur author Epistolæ. Is autem est Paulus, qui ut & alibi dictum est, ita solicite seipsum describit, ut obviam iret perversis malevolorum sermonibus, qui authoritatem ipsius elevabant, fidemque ipsius doctrinæ derogabant, quia fine legalium ceremoniarum observatione homines servari posse gentibus annunciabat, unde & desertor legis ab ipsis audiebat. Inde igitur nomini proprio adjungit dignitatis nomen, cùm se Jesu Christi Apostolum id est legatum vocat. Quod ipsum munus etiam illustrat, & causæ ipsius efficientis primariæ, & objecti in quo simul finis insinuetur commemoratione.

Per voluntatem Dei nempe Patris: ut ostendat non se istam legationem temere licet sibi non esset demandata arripuisse, sed eam ita volente Deo suscepisse, quod & in aliis exprimit Epistolis. In superiori autem dicit, *per mandatum* seu ordinationem. Voluntatis autem istius voce tum decretum de illo ab utero matris ejus factum, tum etiam actualis, ut ita dicam, muneris istius per Dominum Jesum injunctio intelligitur.

Secundùm promissionem. Vocula κατὰ vix est ut hoc loco vim suam retineat, nisi dicamus illam esse determinativam objecti muneris Paulini, ut simul in illo includatur finis. Quasi dicat; Qui ita jubente & volente Deo sum legatus Christi, quatenus hominibus vitam esse promissam (puta illam æternam) annunciare debeo: vel ut vitam illam esse promissam annunciem: aut simpliciter ut illam hominibus nomine Dei promittam. Ita Tit. 1. ỷ. 1. *Secundum fidem electorum Dei*; id est ut fidem eam quæ est electorum Dei annunciem.

Vitæ quæ in Christo Jesu. Id est quæ ut primitus ab ipso Christo hominibus nomine Dei promissa & oblata est, ita nonnisi per illum ipsis olim obventura est, ut qui nunc etiam vires hominibus ad illam apprehendendam inspiret. Neque enim voces istas *in Christo Jesu* propterea addidit ut quid vitæ nomine intellexerit explicaret, eamque vitæ huic temporariæ opponeret; sed ne quis arbitraretur vitam, cujus simplici nomine æternam intellexit, à Paulo extra Euangelium religionemque Christianam promitti, Paulumque adeò diversam à Christo rationem vitam æternam consequendi tradere. Id quod subolere nonnullis poterat ex eo quod monuimus superius, quia secus atque alii, aperto videlicet vertice contra legalium ceremoniarum observationes præliaretur. Dicit igitur se esse legatum Christi ex Dei voluntate constitutum, ad idem illud urgendum, eandemque vitæ promissionem annunciandam, quæ olim à Christo hominibus ut annunciata, ita danda etiam est.

Vers. 2. Timotheo dilecto filio. Inscriptio, de qua egimus superius. Filium, & quidem dilectum vocat ea qua in priori Epistola ratione, quia, ut inibi diximus, cum esset per fidem à Paulo genitus, viva & spirans imago fuit pietatis Paulinæ, eoque ut ipse dignus qui à tanto viro diligeretur, & ab ipso tenerrimè amaretur, ita ipsum vicissim redamans, eundem affectum & promereretur & augeret.

Gratia, misericordia. Ipsa salutatio iisdem verbis concepta quibus & in priori Epistola ex qua istorum explicatio peti poterit. Nisi quòd hic Deum simpliciter vocat Patrem, ibi autem cum additione Patrem nostrum. Quod notandum propter quosdam impostores Judaico spiritu laborantes, qui ne cogerentur agnoscere, Paulum in locis ejusmodi gratiam & pacem à Christo quoque optare, occasione additionis hujus ita verba interpretabantur quasi à Deo solo ista precaretur Apostolus, quem describeret quod esset Pater noster & Domini nostri Jesu Christi. Quod effugium perit in hoc quem præ manibus habemus, & ei similibus locis.

Vers. 3. *Gratiam habeo.* Incipit ipsa Epistola, & altera capitis pars. Cujus tria sunt membra. Primò enim benevolentiam sibi Timothei conciliat, aut potiùs quam habebat retinere studet, eoque viam sibi ad subsequentem adhortationem sternit. Deinde eum hortatur ad ea quæ ipsius erant muneris ac officii. Et denique quid ipsi tum boni tum mali in Asia contigerit, indicat: quod ipsius intererat scire, quia ex ipsius it forte auditorum censu erant de quibus illa refert. Benevolentiam autem Timothei provocat, vel potius fovere & augere studet, dum ardentissimi erga ipsum amoris sui locupletissima documenta exponit. Ex quibus præcipua duo in fronte collocat, hoc versiculo 3, indefinentem videlicet cùm gratiarum actionem pro ipso donisque quibus abunde fuit

instructus à Deo, tum precationem, ut illa ipsi Deus perpetua esse vellet. Quorum utrumque, cum tanta præsertim ut hîc prædicat contentione & assiduitate, non potest nisi ab animo alterius bonorum cupientissimo eoque amicissimo proficisci. *Gratiam habeo* nempe pro te iisque donis quæ in te benignissimus ille omnium nostrum Pater abunde contulit. Nam quod quidam ita hæc verba accipiunt quasi pro eo gratias agere se hîc dicat Apostolus, quòd assiduò ipsius mentionem faciat, particulam ὡς per *quòd* interpretantes, idque exundantia quadam amoris in Timotheum Paulini excusant, nimis coactum & duriusculum est. Sed neque illa Piscatoris conjectura usquequaque bona est, qui cum ex simili huic loco, Rom. 1. 8, 9, 10, subintelligendas esse voces περὶ σοῦ agnovisset, addendas etiam insuper censet ex illo loco voces istas, *Testis enim mihi Deus*, quasi dicat, gratiam habeo pro te: Testis enim mihi est Deus, cui servio à majoribus cum pura conscientia quod assiduam tui memoriam teneam, &c. Nimis enim multa subintelligi vult, nulla cogente necessitate. Nam quod ait, absque hoc supplemento non liquere unde pendeat conjunctio ὡς, is scrupulus ea ratione quam suprà innuimus eximitur, si illam idem valere dicamus atque *prout*, duoque hîc à Paulo benevolentiæ ipsius erga Timotheum argumenta exprimi dicamus, quorum posterius declaretur priori, ut mox explanabitur.

Cui servio. Adjungit hanc descriptionem Dei, non ad differentiam ejus de quo hic loquitur, ab alio aliquo qui Deus etiam sit, sed ut quo ipse erga Deum animo esset exprimens, insinuaret quo animo etiam Deum erga ipsum esse credi par esset, simulque precum apud illum suarum valorem, & propter eas benevolentiæ erga Timotheum suæ pondus tacite innueret. *Cui servio à majoribus* id est, quem colo & revereor, quasi hæreditario id à majoribus meis accipiens, qui etiam ipsi Deo servierunt. Serviendi vox latius hic sumitur, ut non eam tantùm cultus divini partem complectatur, quæ ipsum proprie Deum respiciat, sed omnia omnino pietatis à Deo præscriptæ officia. Facit videlicet multùm ad aliquem gratiosiorem coram oculis Dei reddendum, si nimirum iis prognatus sit majoribus à quibus velut hæreditario jure Deum piè pureque colendi rationem acceperit. Sed quod unumquemque in gratia Dei ponit, est si ipsi serviat *in pura conscientia*, quod de se hic affirmat Apostolus, quia videlicet nunquam per simulationem & tergiversationem aliquid contra interius conscientiæ dictamen designaverit, sed semper & in omnibus ejus ductum ac regimen sequutus sit. Multò autem illustrioribus verbis loquitur de seipso alibi.

Prout sine intermissione de te mentionem habeo. Subjungit aliud profusi erga Timotheum affectus sui documentum, quo simul illud superius quodammodo illustratur, dum ex hujus exuberantia illius amplitudo ostenditur: quod indicat conjunctio ὡς prout. Quasi dicat; Toties pro te Deo gratias ago quoties oro, id verò facio sine intermissione, nullæque preces abeunt in quibus non pro te gratias agam, prout sine intermissione de te mentionem habeo, non tantùm generaliter cùm pro omnibus preces ad Deum fundo, sed speciatim te, sive ore, sive mente exprimens, *in precibus meis*, videlicet orans ut Deus dona illa tibi conservet, imò adaugeat, omnique benedictionis genere te prosequatur. *Nocte ac die.* Id ad precum ipsarum assiduitatem indicandam additur, ut superius ad gratiarum actionis & precum pro ipso frequentiam. Posset enim aliquis sine intermissione alicujus meminisse in precibus, nihilominus tamen rarò, quia in precibus negligentior esset, rariusque eas ad Deum funderet. Est igitur hic extra amoris erga Timotheum fervorem, animi insuper à Deo semper pendentis, in Paulo ejusque in precibus pervigili cura locupletissimum documentum.

Vers. 4. *Desiderans te videre.* Tertium amoris erga Timotheum Paulini documentum, quo sibi animum ipsius pigneratur: desiderium videlicet ipsius videndi. Quod illustratur & causis impellentibus, & finali. Impellentium procataretica est ibi, *memor tuarum lacrymarum*, quibus videlicet ille genas suas cùm à Paulo distraheretur inundaverat, vel largius iis indulserat. Quod ut signum mutui erga Paulum amoris erat, ita non postremum animi erga Timotheum Paulini authoramentum. Finis exprimitur ibi, *ut gaudio implear*, ubi scilicet oculos animumque meum tam cari capitis conspectu recreavero, atque ita desiderii sitim restinxero.

Vers. 5. *Recordationem accipiens.* Id est ante oculos ponens. Causa impellens interior, ut cupiditatis Timotheum videndi, ita illius in precibus & gratiarum pro ipso actione assiduitatis, fides Timothei, quam illustrat à duplici adjuncto. Prius est *illius quæ in te est non simulatæ fidei*, id est sinceræ & nulla hypocrisi incrustatæ: quòd scilicet non solùm ex animo Christi religionem fuerit amplexus, sed etiam ei pro virili paruerit in omnibus. Ita enim late vox *fidei* hic videtur extendenda, ut non assensum tantùm sed & pietatem quæ ejus consequens est, in se complectatur. Posterius, *quæ habitavit prius in avia tua Loide, & matre tua Eunice.* Id est qua etiam avia & mater tua prædita fuit, ut quoties te intueor, toties expressam quandam virtutis & fidei ipsorum imaginem videre mihi videar. Gratior videlicet nescio quomodo solet esse illa virtus quam conspicimus in posteris majorum suorum orbitam anxio pede prementibus, & non tantùm corporis sed animi etiam probitatisque illorum ut ita dicam lineamenta referentibus. Possit autem quis suspicari, ideo hæc verba addita, ut ostenderet Apostolus unde conjecturam sumeret de fide Timothei, quia statim subjungat; *persuasus sum autem quod in te quoque.* Quasi dicat; Ardeo incredibili cupiditate videndi tui, quam excitant in me non solùm lacrymæ tuæ, quibus cùm à te discederem largius indulseras, ut dulcidimo conspectu & alloquio tuo recreari possim, sed etiam fides tua in Dominum Jesum, quam nulla hypocriseos & simulationis ærugine infectam, sed puram & candidam esse, idque animo tuo penitus insedisse quod præte fers, ex eo mihi persuadeo, quod sis iis prognatus majoribus apud quos fides ista veluti domicilium quoddam sibi fixisse videbatur.

Vers. 6. *Quam ob causam.* Alterum posterioris capitis partis membrum. In quo ex superioribus deducit adhortationem ad urgendum munus doctoratus quod in se sustinebat, in eoque si quid gravius ei propterea ingruisset, patientiam ac constantiam. Quasi dicat; Tanto igitur erga te amore cùm flagrem, tantasque ejus causas habeam, *suggero tibi*, continere me non possum quin illud tibi ante oculos ponam quod in rem maxime tuam est. *Excites donum Dei quod in te est.* Id est studium alios docendi facultatemque ad id strenue præstandum, quod hactenus in te relanguisse videtur, intende, in eoque gnaviter perge. *Donum* istud non aliud erat quàm ut & supra innuimus quod donum cognitionis alibi vocat Apostolus, Doctoribus & Euangelistis peculiare, per quod illi non solùm notitiam rerum cœlestium exactiorem consequebantur, sed etiam ad ea quæ mente ipsi conceperant aliis dextre explicanda habiles reddebantur. Potest autem doni nomine simul etiam id propter quod illud conferebatur, munus videlicet ipsum doctoratus & Euangelistæ intelligi. Quod quia excitare jubet Apostolus, suspicio est Timotheum vel difficultate, vel quod magis crediderim, verbaque posteriora innuere videntur, afflictionum illius nomine ingruentium metu, de illius studio remittere cœpisse, si non penitus ab illo supersedere cogitasse. Metaphora sumta est à scintilla cineribus sepulta quæ leni flatu excitatur ac flammam concipit; cui elegantissime comparatur donum illud Spiritus Sancti, qui igni etiam in S. L. assimilatur. Excitatur autem & velut augetur cum jugi & assidua meditatione ac in usum quoties res poscit revocatione: tum etiam ardentissimis precibus & oratione. Ex quo consequitur, quod & alibi diximus, non eam videlicet illorum donorum fuisse rationem ut otiosis & oscitantibus illis in quibus ipsa erant vim suam exserrerent; sed ut illa

exercere

exercere possent industriâ etiam & contentione illorum opus fuisse. Alias enim cur istud donum excitari juberet Apostolus?

Per impositionem manuum mearum. In priori epistola cap. 4. vers. 14 dixit, *cum impositione manuum presbyterii,* sed ibi ad ipsum potius munus respexit in quod à senatu illo Ecclesiastico fuit ordinatus: hic verò ad donum Spiritus sancti, quod ex ipsius Apostoli manuum impositione sequebatur. Diximus enim Paulum in ordinatione Timothei senatui Ecclesiastico cujus ipse velut princeps erat præivisse. Ita eadem plurium actio diversos peperit effectus, quorum unus, munus videlicet ipsum Apostolo cum presbyteris communis fuit, alter, donum videlicet Spiritûs sancti, illi proprius & peculiaris.

Vers. 7. *Non enim dedit nobis Deus.* Occurrit tacitæ Timothei cogitationi, ex consideratione periculorum cùm omnibus Christianis, tum vel maximè præconibus verbi divini impendentium proficiscenti: quæ ut remissiorem fortè ipsum in munere administrando reddiderat, ita porrò ab eo revocatura videbatur: simulque licèt indirectè adhortationem suam roborat. Quasi dicat; Nec est quod dum hæc à me audis animum tuum ea subeat cogitatio; Ut quid hoc in me donum augere studeam, quod potiùs deponere mallem, cùm tot tam acerba tamque gravia cervicibus prædicantium euangelium immineant, & sicut corpus umbra ita munus hoc omnia molestiarum & calamitatum genera, ipsaque adeò mors, eaque non rarò truculentissima consequatur. Spiritus enim is quem Deus cœlestem ipsius doctrinam amplectentibus, & præcipue illorum antesignanis ac coryphæis, qualem te in Ecclesia sua esse voluit, contulit & infudit, non est *Spiritus timiditatis,* non ejusmodi est Spiritus qui metum & formidinem in animis nostris operetur, eosque in quorum pectoribus hospitatur meticulosos reddat, & à professione doctrinæ Euangelicæ propter discriminis horrorem avocet. Similis loquutio Rom. 8. 15. *Sed roboris* scilicet Spiritus, id est, qui in nobis operatur fortitudinem, & inconcussum ac invictum animi robur, omniumque præsentissimorum etiam & gravissimorum periculorum contemtum. Vocem δυναμέως pro animi robore & fortitudine sumi habes exempla Ephes. cap. 3. 16. Colos. 1. ℣. 11. 2 Cor. 5. 7. & inprimis Esa. cap. XI. ℣. 2. ubi de Christo loquens, Spiritui roboris, consilii spiritum addit, quem hic spiritum prudentiæ mox vocat. *Et charitatis* videlicet spiritum, qui charitatem erga proximum in nobis operatur: quæ sicut in superiori vult epistola, est ex puro corde, & conscientia bona, fideque non ficta, minime est in ejus quem possedit animo otiosa, sed summis etiam pro salute proximi periculis objicere se adeò non dubitat, ut propriam etiam vitam persæpe vilem habeat, dummodo illi prosit. *Et prudentiæ* σωφρονισμοῦ vocem vetus interpres reddidit *sobrietatem* quidam frugalitatem, alii sanitatem animi vel moderationem: sed simplicius est, si, ut alibi quoque solet, per vocem prudentiæ explicetur, sitque idem Spiritus prudentiæ hoc loco quod Spiritus consilii in loco Esaiæ paulò ante laudato. Et sanè perquam appositè rei de qua agit Spiritum subjunxit prudentię. Nam ut Spiritus fortitudinis omnem ex animo timiditatem fugat, audaciamque ad subeunda atrocissima quæque ingenerat, neve illorum gravitati succumbas fulcit & adminiculatur: Spiritus verò charitatis ut illis propter proximi salutem objicere & exponere te velis efficit; ita Spiritus prudentiæ est quasi quidam rector & moderator omnium actionum, prospiciens ne quid temere & inconsultè facias, aut improvido aliquo zelo in discrimen te conjicias, sed suo quæque modo & ordine administres.

Vers. 8. *Ne igitur tepudeat.* Ex superiori assertione educit adhortationem ad constantiam in demandato sibi munere & patientiam in afflictionibus ob illud imminentibus. Elegantissime autem effecta utriusque Spiritûs subjicit: illius quidem quem fidelibus inesse negabat, ab ipso removendo, horum autem instillando & insinuando. Quasi dicat; Quod cum ita sit, id est, cùm Spiritus ille quo omnes doctrinam Euangelii amplexos afflavit Deus, non timorem aliquem in nobis pariat, sed animi fortitudinem, charitatem, & prudentiam, ne committas & tu ut sive propter metum, sive etiam ob extraneorum contemtum & vilipendium erubescas illud munus quod humeris tuis impositum est, id enim esset Spiritu timiditatis & imprudentiæ agi. *Testimonii Domini nostri* id est Euangelii, ejusque aliis annunciationis & promulgationis. Quod ita periphrastice describere quàm propriis verbis exprimere maluit, ut simul tacitè rationem adhortationi includeret. Testimonium enim Domini nostri dicitur Euangelium, vel quia testatur de eo qui est Dominus noster, nempe de Domino Jesu, vel quia is qui Dominus noster est, primus illud annunciavit atque promulgavit, neque ipsius illum puduit. Priori interpretationi favent ipsa Domini ad Apostolos verba Act. 1. ℣. 8. Posteriori id quod legimus apud ipsum Apostolum superiori Epistola, cap. 6. ℣. 13. Utrumque autem simul consistere & hic intelligi potest.

Neque (scilicet te pudeat) *mei.* Subjunxit hæc verba Apostolus excludendæ penitus omni tergiversationi, & illi etiam Timothei cogitationi, qua utut propter majestatem Domini Jesu, euangelium ipsum non erubesceret, Pauli tamen unici ejus inter gentes promulgatoris & tanti promotoris vincula intuendo, eo deduci facile poterat, ut cùm ipsa illius persona, tum verò illius monita apud ipsum vilescerent. Quasi dicat; sed nec illud te turbare, aut ab eo quod tibi tantopere injungo dimovere debet, quod me qui hoc Euangelium urgeo, ad quod prædicandum te quoque duco, propterea vinctum esse audis. Non sunt enim vincula hæc ejusmodi ob quæ aut ego ipse rubore suffundi, aut aliquem mei ob illa jure pudere debeat.

Qui sum vinctus ipsius nempe Christi, id est ejus causa. Nam non sum ob aliquod meum scelus aut culpam catenis oneratus, sed propter ipsum Dominum Jesum cujus negotium urgeo. Vocibus autem istis *erubescendi* quibus & alibi utitur Spiritus Sanctus, indicatur subesse aliquid illis rebus à quibus removentur, quod in ruborem aliquem ob illa dare posset, si aut summo jure agere velit, aut certe rem exteriori tantùm cortice intueatur. Prius in illis verbis locum habet, cùm de Christo asseritur, quòd non pudeat eum nos fratres suos vocare, posterius in aliis huic nostro similibus locis. Porrò de vinculis Pauli dictum alibi: ubi ostensum fuit alligatum fuisse catena dextra manu ad sinistram militis, qui illum comitabatur quoquo iret. Id enim ipsi concessum erat. Vide Actor. 28. ℣. 16.

Sed compatere afflictiones euangelio. Effectui Spiritus timiditatis à quo dehortatus fuerat, opponit effectum Spiritus roboris ad quem hortatur. Eleganti autem tropo afflictiones quas propter euangelium perferrent Christiani tribuit ipsi euangelio, quasi quod illi patiuntur ipsum pateretur: ut tantò promtior esset ad omnia mala perferenda. Fit enim nescio quo modo ut socii in calamitate dignitas ipsam calamitatem nobis faciat leviorem. Quasi dicat; cùm quicquid duri & asperi perferant illi qui nomen Christo dederunt, & inprimis qui aliis religionem ipsius commendare student, non alio nomine patiantur & perferant, quàm propter id quod urgent negotium, euangelium videlicet, adeo ut ipsum quodammodo euangelium in ipsorum persona pati & affligi videatur; ne recuses venire in societatem cum tanta re quę ipsum Deum habet authorem, simulque quasi cum illo quicquid evenerit duri & asperi patere ac invicto animi robore perfer.

Secundùm virtutem Dei. Verba hæc vel vocem συγκακοπάθησον *compatere* respiciunt, ut medium exprimat Apostolus, sive potiùs causam istius compassionis vel procreantem, vel certè adjuvantem, quasi dicat; compatere fretus potentia Dei, eumque redoleant sensum qui est 1 Timoth. 1 vers. 12, cùm gratias habeo se dicit ei qui ipsum robustum efficit nempe Christo. Vel respiciunt ad vocem *Euangelii,* ut ante vocu-

lam καλὰ subaudiatur vocula τῷ, quasi de ipso euangelio dicatur illud esse secundùm potentiam Dei, id est in eo maximè potentiam suam Deum exercuisse, ex hacque ejus præstantia & commendatione ratio tacita sumatur, cur illi compati, & simul cum illo persecutiones defugere non debeat. Atque huic sensui favere videtur & ipsa quam subjungit Apostolus descriptio Dei, ab iis operibus quæ ille in euangelio exercuit, & ex quibus commendationem & dignitatem suam euangelium sortitur.

Vers. 9. *Qui servavit nos.* Est descriptio Dei Patris, ad institutum Pauli maxime accommodata: rationem quippe exprimit potissimam quæ nos ad atrocissima quæq;propter euangelium intrepide subeunda excitare & impellere debet: cùm illustria ista nosque in veræ felicitatis apice collocantia opera Dei nonnisi in euangelio nobis referentur: nec quisquam contumeliis euangelii sese subtrahere possit, nisi illa quoque simul contemnat ac despiciat. Contemnere vero ista nequit nisi hominem penitus exuat, nullumque eorum gustum habeat ad quæ omnium vota & suspiria anhelant. Primo autem generali vocabulo utitur, cum ait, *qui servavit nos*, voce servandi intelligens ea omnia quæcunque sub Euangelio Deus in eum finem fecit ut nos ad se adduceret, atque ita nos de salute illa animarum nobis olim danda, dirisque teterrimæ servitutis compedibus quibus implicati tenebamur liberandis certos redderet. Deinde id quod generali voce expresserat, explicat specialiori, rationem ostendens qua nos servaverit, cum ait, *& vocavit*, id est, dum videlicet nobis illam æternam salutem per filium suum legatosque ipsius obtulit. Quasi dicat; qui nos in extrema miseria costitutos & in explicabilibus tristissimæ servitutis vinculis irretitos, amplissima felicitate cumulavit, & in lætissimam libertatem asseruit, adeoque pereuntibus vitam contulit, dum per dilectissimum unigenam suum legatosque ipsius, nos ad serviendum sibi liberaliter invitavit, & si mandatis ejus parere velimus, vitam illam æternam obtulit & promisit. Vocationis enim nomine in Sacris Literis oblatio salutis hominumque ad Deo parendum invitatio intelligitur. Quam nobis ulterius velut delineaturus, primò commendat, & qualisnam ea sit exprimit, cùm ait, *vocatione sancta*, id est, eximia, singulari, Deo digna, ab aliis omnibus separata; tum ratione eorum quæ nobis in Euangelio offeruntur, tum quia finis illius sanctus est. 1 Thess. 4. vers. 7. Possis autem suspicari, sanctam etiam hanc vocationem dici respectu Judæorum vocationis, quæ cum nonnisi vulgaria hominibus offerret, nec tam perfectam sanctitatem argueret, non ita commode sancta dici potuit. Deinde originem ejus & causam quæ Deum ad illam moverit indicat, idque, falsam de qua forte aliquis suspicari posset removendo, & veram aperiendo. Illud est, *non secundùm opera nostra*, quæ videlicet vocationem nostram antecesserint. Ita Tit. 3. vers. 5. Quod intelligendum generaliter de universo genere humano. Quod si verò etiam specialiter aliquando legatur Deum ad aliquem vocandum impulsum alicujus precibus & eleëmosynis, quod de Cornelio testantur Sacræ Literæ, id ita accipiendum, non quod illa meritoria ut vocant, & interna causa vocationis fuerint, quas hic excludit Apostolus, sed tantùm exterior cum qua optime cohæreat ista quam hic veram vocationis nostræ causam ponit Apostolus, gratia nempe Dei, imò illam aliquando præexigat.

Sed secundùm proprium propositum Exprimitur vera causa quæ Deum ad nos vocandos moverit; nempe propositum ejus, & gratia, id est decretum ejus gratiosum, ex gratia proficiscens, seu ut alibi loquitur, beneplacitum ipsius. Nam vox gratiæ fontem aperit ex quo decretum hoc ejus promanavit, ex sola videlicet, ut alibi loquitur, εὐδοκία. Porrò propositi hujusce divini, ut quidem illud à Paulo accipi solet, tres quasi quædam sunt partes. Prima est quatenus Deus constituit finem ad quem hominem perducturus esset, salutem videlicet, & propriè Paulo prædestinatio dicitur. Secunda, quatenus decrevit quo medio ad illum finem hominem ducturus esset, nempe per vocationem, & hoc proprie propositum dicitur. Tertia, quatenus illud quod antea concluserat ad effectum perduxit, & hoc vocatio atque electio in latiori significatione dici solet. Media significatio, ut innuimus, hujus est loci.

Datam nobis id est dari decretam ac constitutam. *In Christo Jesu*, per Christum Jesum ejusque doctrinam. *Ante tempora secularia* id est ante jacta mundi fundamenta. Tertiò œconomiam & quasi dispensationem istius gratiæ Dei nobis explicat, ut tantò magis eam nobis commendet, dignamque esse ostendat propter quam euangelio compatiamur: quòd videlicet non repente eam aut ipse Deus hominibus obtulerit, aut etiam Paulus quasi à se confictam temerè ursserit, sed quod jam inde ante constitutionem mundi ea sit fidelibus decreta & constituta. Est autem hìc duplex tropus animadvertendus. Unus in voce *data* quem jam aperuimus, alter in voce *gratiæ*, quæ duplicem hic necessario significationem subit. Nam ad vocem *propositi* relata, illam qualitatem quæ Deum ad decretum de nobis faciendum impulerit significat, ad vocem verò *data* nonnisi effectum ipsius significare potest, ut cuivis patet: neque enim illa ipsa proprie gratia nobis aut data est, aut dari potuit. Duplicis autem, vocis unius significationis, pro diversa ad priora & posteriora relatione, exempla notavimus supra 1 Tim. cap. 6. vers. 10.

Vers. 10. *Manifestatam autem nunc.* Explicat quomodo gratiosum illud Dei propositum olim de hominibus factum, ipsis innotuerit. Et primò quidem generaliter, dum exprimit eum per quem Deus homines ad se vocaverit, deque suo decreto illos certiores fecerit. Deinde specialius, cùm viam & rationem qua ille fuerat usus exprimit. Illud est, *per apparitionem* id est adventum, *Salvatoris nostri Jesu Christi.* Quod hoc loco exprimit, ut ostendat non nisi per ipsum & in ipso hanc gratiam nobis contingere posse, adeoque omnia mala illius religionis ergo perferenda esse. Hic servator noster appellatur, quia & primus nomine Dei salutem nobis annunciavit atque confirmavit, & nunc in se eam ostendit ac procurat, porroque eam daturus est. Hoc verò, *destruens quidem mortem* nempe æternam, quæ fuit ille tyrannus cujus teterrima servitute constricti tenebamur. Hanc destruxit ille, dum vires & aculeos omnes ei ademit, viamque qua ex illa eluctari possimus ostendit. *Illuminantis autem vitam*, nempe æternam, quippe ipse explicationis causa addit *& incorruptionem*, quæ illa felicitas est ad quam vocati sumus. Illuminasse autem eam dicitur, tanquam olim nobis incognitam, & in pectoris divini recessu latentem; quatenus videlicet eam revelavit, ac viam ad illam ducentem aperuit, & patere iter atque accessum ad illam hominibus, nomine Dei ostendit.

Per euangelium. Hæc est illa via & ratio per quam Christus, postquam apparuit, mortem quidem destruxit, vitam autem illuminavit, lætum videlicet illud nuncium, cum quo à Deo Patre suo ad homines missus fuit. In quo ille decretum de hominibus olim factum annunciavit, exuberantemque illam Dei gratiam, si à mortuis operibus cessare velint, ipsis obtulit, adeoque rationem ostendit, quomodo æternæ servitutis jugo erepti, in veram libertatem & gloriam asserere se possent. Atque hinc etiam patet illud quod superius monuimus, ad commendandum videlicet euangelium hanc descriptionem Dei positam esse, ut nimirum tantam ejus præstantiam cernens & undique quasi constrictus Timotheus, videret omnino compatiendum esse euangelio quod tanti nos boni compotes fecit.

Vers. 11

Vers. 11. *In quod positus sum ego.* Dicta confirmaturus, ad personam suam sensim delabitur, ut & eorum quæ de euangelii præstantia disseruit certitudinem ostendat, & exemplo suo Timotheum ad constantiam in afflictionibus hortetur. Vis argumenti in eo est, quod in id positus fuerit, puta, à Deo per Christum, id est, ad id esset vocatus, idque ei fuerit divinitus mandatum, ut eorum de quibus hactenus disseruit esset *prædicator* & annunciator, isque non unus e multis, sed *Apostolus*, id est, ipsius Dei & Christi legatus, quod illo priori præstantius est, & ad fidem rei de qua agit accommodatius. Potest sane aliquis rem aliquam cuipiam annunciare, licet ad illam annunciandam non fuerit peculiariter missus & destinatus: sed longe majorem fidem meruit is cujus id muneris & officii esse scimus. Jam quia illi quibus præerat Timotheus, gentiles erant, & verò licet certa essent omnia illa quæ de beneficio Dei hominibus per euangelium oblato disseruerat, quia tamen poterant suspicari, id ad se non pertinere, Paulumque utut Dei legatus esset, non ad se tamen à Deo esse missum, ideo subjungit, *Et magister gentium.* Quasi dicat; Hæc autem omnia quæ de euangelii cui te compati volo, præstantia dixi, non aliter se habere, vel id vobis fidem fecerit, quia ego Paulus ad idipsum sum à Deo constitutus & electus, ut hanc admirandam Dei gratiam hominibus nomine ipsius annunciem, & in ea gentes præcipue erudiam ac instruam.

Vers. 12. *Ob quam causam etiam hæc*, nempe vincula & probra ac contumelias patior. Quia dictorum certitudo sola Pauli fide nudaque ipsius idque de se ipso asseveratione nitebatur, quæ æque incerta videri poterant atque priora illa, ideo annectit rationem quæ & huic illius de se ipso asseverationi, & per illam iis quæ de gratia divina disseruerat fidem conciliat. Ut enim fidem dictorum elevat gloriosa de seipso prædicatio, ita eandem invitis etiam exprimit earum de se rerum constans asseveratio ob quas non modo nulla gloriæ aut commodi alicujus spes affulgeat, sed etiam gravissima quæque sibi propterea perferenda videat, nec tamen ullis probris & contumeliis, ullis vinculis, & sanguinis denique ipsius profusione ab ea dimoveri se patiatur: ab istis omnibus malis liber & immunis, fortè etiam & præstantiori conditione futurus, si silentium sibi imperaverit, & ab iis quæ tantum sibi malorum conciverint spargendis supersederit.

Sed non confundor, id est, minimè propterea aut me infelicem esse deputo, aut etiam prædicationem euangelii tanquam rei probrosæ defugio animoque concido. Hic jam exemplo suo animat Timotheum ad id quod hucusque rationibus persuadere voluerat, expresserat autem versu 8. Ubi eadem vox in ipsa adhortatione ponitur: quam etiam habemus Rom. cap. 1. vers. 16. *Scio enim cui credidi*, id est, notum enim & exploratum mihi probe est qualis quantusque sit quem in hoc negotio authorem sequutus sum, cui assensum meum commodavi, & in quo spem fiduciamque meam reposui. Causam subjungit patientiæ & invicti in afflictionibus animi, quem ut rubore suffundere, de statuque suo dejicere poterat illarum durities (unde etiam voce tali usus est quæ subindicat esse aliquid in euangelii prædicatione propter quod illam quis erubescere possit, nempe afflictiones) ita rursum erigebat, & in sua quasi sede reponebat inconcussumque & infractum reddebat dum author illius propter quam patiebatur doctrinæ considerabatur.

Et persuasus sum quia potens est. Quod generalius adeoque obscurius dixerat, explicat nunc dilucidius: vocem δυνατὸς potens, ita sumens, ut bonitatem etiam & ex ea promanantem voluntatem servandi complectatur. Neque enim ad ingenerandum imperterritum in afflictionibus animum sufficit de viribus & omnipotentia Dei persuasio nisi velle idem ipsum quod potest nostri causa facere perspectum habeamus. Vocis hujus eam quam diximus significationem habes Rom. 4. ℣. 21, & XI ℣. 23, & XIV. ℣. 4, qui omnes loci volunt Deum omnino id velle facere quod posse in illis asseritur.

Depositum meum id est, ut quidam volunt, vitam æternam: quam depositum Pauli, adeoque fidelium volunt dici quia eam à Deo sese obligante velut acceptam, apud eum rursus per spem & fidem deponant. Sed præterquam quod paulò durior est ista depositi de vita æterna interpretatio, nonnisi duriuscule etiam voci servandi aut custodiendi accommodari posse videtur. Ideo simplicior & verior est illorum interpretatio, qui depositum pro anima & spiritu accipiunt, quem apud Deum fideles deponunt quum morituri in manus Domini Spiritus suos commendant. Unde etiam voce eadem utitur Christus moriens Luc. cap. 23. ℣. 46. & Petrus 1 epist. cap. 4. vers. 19, sensus est: Ideo sub afflictionum pondere quo propter euangelii prædicationem premor, non fatisco, neque propter vincula illud hominibus annunciare erubesco, quia qualis quantusque sit is qui hoc muneris injecit humeris meis, quemque ego vocantem sequutus, omnes in eo spes opesque meas reposui, exploratum probe habeo, novique illum non solum posse, quia vires habeat immensas, sed etiam velle, quia bonitate præditus est inexplicali; Spiritum meum quem ego ipsi tanquam depositum committo, custodire & conservare, *in illum diem* nempe judicii ultimi, ut illum mihi iterum restituat, meque cum filio suo, cum quo nunc patior, æternæ illius felicitatis compotem faciat. Est autem hæc causa animositatis Pauli ita comparata, ut simul ipsum Timotheum contra pericula & calamitates ob euangelium impendentes armet, mediumque insinuet quo ille vires ad patientiam & audaciam ad munus suum intrepide obeundum colligere poterat.

Vers. 13. *Exemplar habe sanorum verborum.* Id est habeto velut brevem quandam synopsin & delineationem eorum quæ hominibus annunciaturus & in quibus illos instructurus es, ad quæ omnia verba tua quasi ad regulam & amussim revoces. Postquam ad animositatem in prædicando, & constantiam in patiendo hortatus esset Timotheum, de fundamento ipso super quo ista ædificanda essent admonet ipsum, nempe de conservatione puritatis doctrinæ euangelicæ, quò & ipse eam animo foveret doctrinam quæ nihil falsi ac perniciosi in se contineret, & aliis eam instillaret. Sanorum autem verborum nomine doctrina euangelica nullo commenti fuco adulterata intelligitur: quæ cur sana vocetur, diximus ad 1 Tim. cap. 6. vers. 3. *quæ à me audisti.* Quænam illa sint verba sana explicat, duplicemque quasi notam illorum ipse proponit. Quarum prior est, ut omnia dicta sua ad illa revocaret quæ à Paulo audiverat, omnia quæ ab illis dissiderent suspecta habens. Quæ quia sola Timothei memoriâ nitebantur, & verò facile evenire possit, ut non solùm ea quæ audivimus subtrahat nobis fugitiva oblivio, sed etiam ea nos audivisse imaginemur quæ nunquam audivimus, unde proclivis ad lapsum via; ideo subjungit aliam certiorem delineationem, & veluti cynosuram ac regulam ad cujus amussim exigi deberent omnes doctrinæ, cùm ait, *in fide & dilectione.* In priori epistola cap. 1. vers. 5, solam charitatem finem esse mandati divini dicit, fidem tanquam requisitum quoddam ejus ponens: sed nimirum hîc paulò distinctius loqui videtur, fidei nomine complectens ea quæ ad cultum numinis divini, dilectionis verò quæ ad officia proximo debita spectant. *Quæ in Christo Jesu.* Determinatio est vel utriusque, tam fidei quàm dilectionis, vel quod verius est solius dilectionis (cùm fides proprie nonnisi iis tribuatur qui normam Euangelii sequuntur) addita ad ostendendum eas tantùm doctrinas esse verè Euangelicas quæ ita dilectionem urgerent ut eam

Christus præcepit, quæque illius doctrinæ & religioni tanquam fundamento cuidam inniteretur; adeoque omnes illas pro minime salutaribus agnoscendas quæ licèt charitatem suadere viderentur, à doctrina tamen & religione Christi abducerent, aut certè illam absque hac insinuarent.

Vers. 14. *Bonum depositum custodi.* Præcipit diligentiam in conservatione puritatis doctrinæ Euangelicæ ad quam superius ipsum hortatus fuerat. Depositi autem nomine intelligit Euangelium, quia ipsi à Deo (quod de se priori Epistola asserit Apostolus) prædicandum, & tanquam pretiosissimus quidam thesaurus in hominum usus effundendus, concreditum erat. Quod etiam bonum vocat, ad insignem ejus præstantiam ostendendam, simulque causam indicandam cur tantò solicitius ipsi fuerit custodiendum. Custoditur autem depositum, si non modò totum non pereat, atque in usum aliquem extra mentem deponentis convertatur, neque aliud in ipsius locum substituatur, sed etiam ne quicquam de eo depereat, salvumque adeò atque inviolatum permaneat, & quasi sacrosanctum nullius manu artrectetur & inquinetur. Quæ omnia apprime sunt custodienda ei cui augustum illud doctrinæ euangelicæ depositum est concreditum. *Per spiritum sanctum* medium & adjutorem exprimit, cujus viribus velut subnixus doctrinam euangelii sartam tectam & sine ulla labe conservare posset. De quo ne diceret; illum autem unde indipiscar, subjungit, *inhabitantem in nobis* id est in me & te omnibusque adeò Christi fidelibus. Quasi dicat; Ne autem diligentia tua in hoc deposito asservando frustranea sit, præsto erit auxilium spiritus sancti, de quo dubitare non potes, cùm inhabitet cordibus omnium qui nomen suum Christo dederunt, præcipue verò eorum qui aliorum sunt velut duces & antesignani, qualis es tu atque ego.

Vers. 15. *Scis hoc quod aversati sunt me* id est deseruerint me, & erubuerint vincula mea. Tertium posterioris capitis partis membrum, quo narrat nonnulla tum bona tum mala quæ sibi evenerint à quibusdam doctrinam euangelicam professis, qui proculdubio ad ipsius Timothei curam pertinebant. Utraque eo fine, ne quia & multi erant & fortè etiam alicujus inter suos nominis, qui Paulum aversati fuerant, ipse animo concideret, illorumque exemplum suspectaret, sed potius Paulum ab ipsis derelictum, aliosque qui ipsum non erubuissent, respiceret, & ab iis exemplum caperet. Etsi dici possit, eò quoque id commemorare Paulum, ne illi Pauli desertores, more omnibus derelinquentibus & officii rationes negligentibus usitato, suam culpam aut extenuarent, & aliquo specioso velo obtegerent, aut etiam in ipsum Paulum ejus rei crimen conferrent, & sui purgandi causa apud alios traducerent. Sed prius verisimilius est: præsertim cùm nihil addat, sed simpliciter tantùm illorum factum exprimat, subjiciens id tam fervidis ad constantiam adhortationibus. *Omnes* puta, qui me præsente Romæ fuerunt. *Qui in Asia* voce Asiæ strictissimè sumta pro ea nimirum ejus parte in qua erat Ephesus, ut in Actis sæpe. *Quorum est Phygellus* inter quos præcipui, & quasi reliquorum capita sunt. Apparet hos & dignitate præ aliis eminuisse, ut illorum exemplum facilè reliqui sequi possent, & facem aliis ad aversandum Paulum præluxisse, adeoque longè insigniora cæteris documenta mentis à Paulo alienæ exhibuisse.

Vers. 16. *Det misericordiam Dominus.* Priori facto contrarium subjungit, singulariter illud commendans; cùm illud prius, ob notoriam ejus ac insignitam turpitudinem, simpliciter tantùm expressisset. Antequam autem exprimat hoc ipsum factum, primùm quantam laudem mereretur voto indicat, cùm misericordiam à Domino non ipsi tantùm qui illud fecerat, sed etiam omnibus illius domesticis comprecatur, deinde illud ab effectu illustrat. *Quia sæpe me refrigeravit*, id est meas afflictiones mitigavit, & frigidam ut ita dicam animo tot calamitatum æstu languenti affudit. Tertiò à remotione causæ quæ ab illo facto arcere poterat. *Et catenam meam non erubuit*, qua scilicet ego Romæ vinctus detineor. Cujus hanc fuisse rationem testantur historiæ, ut captivi quidem dextram militis verò ei additi sinistram illa haberet devinctam: catena verò longiuscula erat, quò simul uterque incedere posset, & hic vinculorum modus erat inter honestiores. Id ipsum causa fuit illius quam initiò indicavit refrigerationis & solatii.

Vers. 17. Denique ipsum factum exprimit, quod evidens illius ipsius quod solatii causam fuisse diximus, documentum erat. *Sed cùm Romam venisset, studiosius quæsivit me, & invenit.* Et sanè ut non vulgaris ansa videtur homini famæ & existimationi suæ consulenti non misceri cum eo qui notatus elogio turpitudinis videtur, signumque criminis secum circumfert; ita eximia virtus non refugere ab eo quem propter causam bonam durius tractari noris, neque ejus vincula erubescere cum quo animus tuus adamantino nexu copulatus esse deberet, præsertim si tibi se offerat, aut etiam sermo de illo te audiente incidat. Jam verò aliquem catenis oneratum, & publica opinione criminis nefandi reum, studiose insuper quærere, nec finem quærendi donec inveneris facere, sæpiusque eum convenire, & in publico velut orbis theatro quanti illum facias testari, imò velut invidiæ qua ipse flagrat aliquam in se partem derivare, id verò omnes vulgarium laudum titulos supergreditur, ultraque usitatæ virtutis mensuram assurgit: maxime si is fuerit ab omnibus eandem animo causam foventibus penitus derelictus, nihilque adeò ipsi exterius adsit quod ad eum homines illicere & invitare possit, nisi ipsius fortè vilipendii & infamiæ qua premitur, contagium.

Vers. 18. Ideoque iterum huic facto subjungit comprecationem ac votum. *Det illi Dominus invenire.* Voce Domini priore loco Christum intelligens, qui solet voce κύριος cum articulo posita sæpissime denotari: posteriore, Deum Patrem, qui voce eadem sine articulo præsertim ubi subjective ponitur exprimi solet. *In illa die* judicii videlicet ultimi. Comprecatur id Onesiphoro ut quemadmodum in maxima necessitate sua non deseruerat se, ita nec Deus illum tunc deserat, sed potius misericordiam ei suam conferat, cùm ea ipsi maxime opus erit, videlicet cùm veniet Christus unicuique reddere secundùm opera ipsius, & ut uno verbo dicam, ut ipsi vitam largiatur æternam. *Et quæcunque in Epheso.* Ut tanto magis illud factum exaggeret, dignumque ut laude ita & misericordia Domini ostendat, addit illud non fuisse ex temeritate ortum, & sine antegressa deliberatione ac consilio, ex anteactis ipsius erga fideles, id quod *ministrandi* verbum indicat, actionibus, quarum testem ipsum Timotheum citat.

IN CAP. II.

PErgit in instituta Timothei exhortatione ad munus doctoris & euangelistæ studiose implendum. Quod facit, tum ad ea quæ præcipere deberet aliis ipsum ducendo, tum etiam quæ prohibere & limine Ecclesiæ arcere deberet, indicando, & simul qualem se ipse quoad personam suam in isto munere præstare teneretur sensim instillando.

Vers. 1. *Tu igitur fili mi.* Prior capitis pars, ad ỳs. 14 porrecta. In qua instruit Timotheum in iis quæ aliis præcepturus esset, cujus iterum duo sunt membra. Nam primò quæ privatim quibusdam tradi, deinde quæ omnibus & singulis promiscue annunciari ab ipso vellet exponit. Prius membrum ad vers. 8 extenditur. In quo ita exhortationem ad ea quæ illum privatim quibusdam annunciare jubet instituit, ut non simpliciter & initio statim illam exprimat, sed & à fronte & à tergo quasi communiat, eaque media exprimat quibus ille instructus tanto ad eam implendam esset aptior & alacrior futurus. Ac primò hortatur ad fortitudinem animumque virilem capessendum, ut audeat, deinde ad tolerantiam in labore, ne sub onere concidat, neu tædium ipsi citò oboriatur. Illud est hoc versiculo, cujus hic est sensus, quasi dicat; Cùm igitur tanta

tanta sit tamque illustris & tam certis documentis nixa Euangelii præstantia ac dignitas, non est quod illorum exemplum sequare, qui mea vincula erubescentes, me aversati sunt, sed potiùs cùm me ipsum tum verò istum Onesiphorum tibi ante oculos pone. *Et corroborare* id est sume animum virilem & intrepidum, eumque in teipso magis ac magis confirma & auge. *In gratia* id est per gratiam, *quæ in Christo Jesu* quæ à Deo per Christum Jesum & oblata est, & procuratur, & tandem reipsa olim conferetur. Gratiam illam ineffabilem Dei, de cujus magnitudine capite superiori disseruit, pro causa efficiente roboris & fortitudinis animi ponit. Nisi quis voce *gratiæ* absolute posita euangelium intelligi malit, ut alibi solet: in quo tamen aliquem corroborari nonnisi duriuscule dici possit, cùm manifeste ad animi robur ac fortitudinem respiciat Apostolus, nec nisi ea ratione tandem explicari queat quam jam indicavimus.

Vers. 2. *Et quæ audisti à me*, Id est quod ad veritatem videlicet euangelicam, ejusque potissimum prædicationem & annunciationem. Est illud ipsum quod ab ipso aliis vult exponi. *In multis testibus* id est inter multos testes, multis audientibus qui auriti & oculati testes meorum tecum sermonum esse possunt. Δία pro *inter*, ut . . Explicat quæ sint illa quę vellet aliis ab illo proponi. *Hæc committe* id est trade illorum fidei tanquam depositum concede. *fidis hominibus.* Quibus illa vellet proponi exprimit, dum eos à duobus adjunctis describit, duo requirens in illis quibus hoc augustum lætissimi & ad omnium notitiam perferendi nuncii commissum credi deberet, quorum prius est *fidis* id est fide dignis, non qui propter anteactæ vitæ vanitatem non fuerint id meriti quominus illis fides adjungatur, & quò præcipue respexit Apostolus, qui fideliter ac sine ulla sive additione sive detractione, sincere puros putos, prout apud se velut depositi essent Apostolicos sermones, & ipsi conservaturi, & aliis indicaturi essent. Posterius est, *qui idonei erunt & alios docere*, si videlicet & ingenio ad ea quæ ipsis instillantur penitius cognoscenda valeant, & ad id quod ipsi comprehensum animo tenent aliis cum facilitate & perspicuitate quadam explicandum sint dextri. Quorum utroque adeò conspicui esse debent quibus provincia alios erudiendi incumbit; ut licet alioqui sint ficissimi, & de omnibus quæ scienda sunt sufficientissime instructi, si tamen sensa animi sui explicare commode nequeant, pro inhabilibus ad alios docendos censendi sint. Paucissimis ea interiorum mentis recessuum explicandorum dexteritas contigit, ut non solum omnia quæ animo comprehenderunt evolvere sed insuper etiam cum quadam decenti gratia, perspicuitate, & potentia id præstare queant, multosque reperias ita suis cogitationibus involutos, ut licèt profundissima rerum cognitione sint imbuti, balbutientibus tamen ubi ad orationem ventum fuerit quàm expedita lingua utentibus sint similiores.

Vers. 3. *Tu igitur malum patere*, id est afflictionum asperitatem & laborum tædia patienter devora ac concoque. Alterum medium quo instructus Timotheus, exhortationi vers. 2 expressæ tantò promtius obsequi posset. Constantia videlicet in patientia & labore. Ut enim animus virium fiducia subnixus audaciam ad munus euangelistæ implendum, ita periculis infractus & laboribus infatigabilis, constantiam ad idem illud strenuè ac sine interjunctione ingenerat. Jam verò ut prius illud medium quod in ipsa fronte & velut in principiis collocavit, ita & hoc posterius quo velut terga exhortationis suæ claudit, ex superioribus, ut indicat vocula *igitur* educit: cùm ut imperterritus, ita periculorum laborumque tolerans animus, nonnisi ab ejusdem ineffabilis gratiæ Dei jugi consideratione proveniat.

Sicut bonus miles Jesu Christi, tanquam is qui sacramento Christi rogatus nomen in ipsius militiam dedisti, illumque tanquam miles unicum cui stipendia merearis ducem, & imperatorem tuum agnoscis. Ratio ad patientiam constantiamque Timotheo persuadendam ab ipsius adjuncto sumta, professione videlicet & vitæ ratione, quod videlicet eo ipso cùm se ad discipulorum Christi numerum aggregaret, & multò magis cùm munus Euangelistæ susciperet (ad quod præcipue respicit Apostolus) se militem esse Christi, ab illiusque nutu & imperio pendere professus fuerit. Jam autem in milite cùm animus ad res aggrediendas promtus, tum in omnibus ærumnis & doloribus patienter ferendis indefessus requiritur, si præmium ab imperatore destinatum consequi, munerique & vocationi suæ respondere cupit; quorum utrumque in sequentibus pluribus illustrat Apostolus.

Vers. 4. *Nemo militans.* Occasione vocis militis quæ sint partes & præmia militantis explicat, quò & piorum officii ratione & præmii illud consequentis illicio ad patientiam constantiamque in laboribus & afflictionibus invitet Timotheum. Quasi dicat; Tu Christi miles es, quandoquidem ei penitus addictus & authoratus es. Scis autem militem in id unice incumbere ut ejus à quo stipendium accipit gratiam consequi possit, ideoque nemo militantium *implicatur vitæ negotiis* id est iis vacat occupationibus quæ licet aliàs utiles & conducibiles esse videantur, extra tamen officii ipsius rationem sunt, ad illudque impigre obeundum remoram facere possunt, sed omnibus ejusmodi qualiacunque tandem sint, negotiis posthabitis & omissis, in eo totus est *ut deligenti militi placeat*, illique industriam laboresque suos militares approbare possit. Itidem, vult dicere Apostolus, faciendum est tibi, ut quandoquidem sub Christi auspiciis militas, militiam autem illam professis indefessi labores exantlandi, & innumerabiles afflictiones ac calamitates perferendæ sunt, tu etiam & laboribus infatigatum, & in periculorum patientia constantem te Duci & Imperatori tuo probes, atque ita gratiam ipsius æternam consequare. Et hæc est prior Apostoli ratio, ab officio & partibus militantium sumta: etsi in illa quoque saltem ex consequenti posterior, quam à præmio diximus ductam, insinuetur. Gratiam enim & approbationem imperatoris in milite consequitur præmium.

Vers. 5. *Si autem & certet quis*, puta cursu, aut alio genere certaminis, quæ superiori epistola corporales exercitationes vocavit. Ab una metaphora transit ad alteram, in qua posterior Apostoli ratio continetur, & ut prius militi Timotheum æquiparans militum officio exposito ad constantiam & patientiam eum impellere voluit, ita eandem nunc ipsi persuadet, athletæ ipsum conferens, præmio legitime de certanti proposito. Similitudo partibus suis explicata est: quasi dicat; Et ut qui cursu, aut lucta, vel pugilatu certat, *non coronatur*, id est coronam, ex olea, vel pinu, aut apio, certantibus propositam non consequitur, *nisi legitime certaverit*, id est nisi omnes muneris sui rationes impleverit, talemque se in certamine præstiterit qualem esse oportet cui brabeum destinatum est: Ita nec tu qui Christi athleta es, & bonum illud fidei certamen (ut primæ Epistolæ cap. 6. ℣. 12 ait) certare debes, illam justitiæ coronam sperare potes, nisi legitimè certaveris, id est prout ille brabei depositor vult, animum tuum patientiæ laboribusque assuefeceris, & omnia afflictionum calamitatumque spicula tolerantiæ tuæ robore retuderis atque comminueris. Quare quod in illis efficit objecta oculis spes coronæ, corruptibilis, ut illam vocat 1 Cor. cap. 9, id in te efficiat animo tuo obversans illa incorruptibilis justitiæ corona.

Vers. 6. *Laborantem agricolam.* Tertia metaphora, eadem fini qua præcedens adducta, in qua Timotheum agricolæ comparat, ad muneris ipsius rationem propius accedendo, cùm illæ priores similitudines extra illud unicuique qui Christo nomen dederit accommodari possint. Dupliciter autem hic versiculus explicari solet. Primò ita quasi vellet dicere Apostolus, prius debere agricolam laborare, tum demum laboris fructum percipere. Quorum interpretandi ratio, cùm trajectionem vocis πρῶτον requirat, eaque nonnullis insolens videatur; ideo secundò ita ista verba accipiunt

piunt alii, quasi dicere vellet Apostolus, agricolam qui sedulo laboraverit, primùm & ante omnes alios fructus ex agro provenientes percipere. Verùm & hæc interpretatio suis difficultatibus non caret. Nam præterquam quòd non usquequaque simpliciter vera est, videtur præsupponere sensum à vero alienum, quasi scilicet alius præter agricolam jus ad fructus ex agro suo provenientes habeat. Nos lite partium in medio relicta, tantùm dicimus non omnino absurdum videri debere, si quis putet Apostolum consulto ejusmodi loquendi ratione usum, ut uterque sensuum dictorum illi subesse possit: ideoque etiam ipsum Timotheum admonet, ut etiam atque etiam videat & cum animo suo perpendat atq; intelligat quid dicatur.

Vers. 7. *Intellige quæ dico.* Id est, etiam atque etiam cogita & examina. Quia tribus similitudinibus adductis, protases tantum earum sine apodosibus expresserat, ideo adjicit hanc exhortatiunculam, ut sedulo consideret, quo fine ea à se adducta & prolata sint. *Intellige* pro considera: metonymia effecti. *Det enim tibi Dominus.* Votum per quandam correctionem, cum tacita insinuatione, futurum id quod ipsi vovet ac comprecatur.

Vers. 8. *Memor esto.* Posterius prioris partis membrum, in quo exponit illi quæ omnibus præcipere & inculcare debebat, ut apparet ex ỳ. 14. Præcipit autem revera duo, licet illa ita inter se jungat & devinciat, ut tanquam unum esse videantur, quin & verba ipsa ita concipit, ut non ad alios solùm, quid videlicet illis annunciaturus esset, sed ad ipsum etiam, quid ante oculos semper esset illi habendum, hac præceptione respexisse videatur Apostolus. Ut sensus sit; Memor esto, & quoad reipsum, ut id semper ante oculos habeas, eoque ad constantiam in officio tuo animeris, & quo ad alios, ut id ipsis identidem inculces, quò Christi castra sequuti ad illius obsequium sese componere velint. *Jesum Christum excitatum ex mortuis,* nempe à Deo. Est enim Jesu Christi à mortuis excitatio, eamque subsequuta à dextris Dei sessio, totius fidei salutisque nostræ spei caput ac fundamentum: nec fieri potest, ut quis illam pectori (cum antegressa passione) infixam habens, durissima quæque in gratiam Christi subire detrectet, aut etiam vitæ dissolutiori & omni omnino improbitati renunciare nolit. *Ex semine David.* Addit hæc verba ut ostendat Jesum à mortuis excitatum, illum regem fuisse qui olim Davidi promissus fuerat, ex ejusque lumbis prodiisse, licet minimè ex semine virili conceptus fuisset. Quod ab iis qui Jesum negabant esse illum à Deo promissum Messiam, in dubium fuisse vocatum, in ipsis Christianæ religionis incunabulis, verisimile est. Confirmat autem id authoritate sui testimonii, cùm ait, *secundùm euangelium meum,* id est prout ego & tibi & gentibus annunciavi. Euangelium suum vocat, quatenus ejus inter gentiles unicus promulgator & propagator fuit. Vide Gal. 2. ỳ. 2.

Vers. 9. *In quo.* Id est propter quod, nempe euangelium, ejusque veritatis confirmationem. Quia nudi testimonii authoritas ad rei tantæ comprobationem minus suffectura videbatur, ideo illam alio insuper tibicine fulcit, imo velut immotum ei fundamentum substernit, super quo quicquid ipse superædificaret inconcussum erat, fidemque omni exceptione majorem merebatur. Id autem erat afflictiones & vincula Pauli Apostoli, de quorum vi diximus superius. *Malum patior usque ad vincula,* ist est omnis generis contumelias, probra, afflictiones perfero, usque eo, ut res ad vincula devenerit, egoque propterea catena oneratus sim. *Quasi maleficus,* id est tanquam qui maleficiis & sceleribus meis id meruerim: cum tamen non aliud crimen mihi objici jure possit, quàm quod hoc Euangelium annunciem. Est enim vocula ὡς similitudinis, ut ajunt, non veritatis. Et verisimile est variis fuisse Paulum calumniis oneratum, quo aliquid speciose vinculis ipsius prætexi posset: qua etiam invidia omnes olim Christianos deflagrasse constat. Unde & Tacitus ipsam quidem religionem exsecrabilem superstitionem, Christianos verò per flagitia invisos, & novissima exempla meritos vocat.

Sed verbum Dei non est vinctum. Interim tamen verbum divinum est liberum, per multorum mentes & pectora diffunditur, qui illud certatim recipiunt. Ne quis vincula ista abrogere potius fidem Euangelio aut certe cursum ejus remorari cogitaret, occurrit his verbis Apostolus, ostendens illa cursum ejus adjuvare, nedum illi aliqua ratione officerent, verbumque divinum esse liberum licet ille præco ipsius ligatus sit.

Vers. 10. *Propter hoc omnia sustineo.* Amplius vincula sua illustrat, eorumque eximiam utilitatem ostendit, à fine eoque duplici: tum eo qui vocatur cui, *propter electos,* id est eos qui fidem Christi doctrinæ adjecerint, Deoque vocanti paruerint, propter quod electi, id est quasi è reliquorum numero ac censu exemti dicuntur; tum eo qui cujus gratia dicitur, *ut & ipsi* id est quemadmodum ego ita & ipsi alii electi salutem consequantur, vitam videlicet æternam. Consequi autem salutem ex vinculis Pauli poterant, quatenus in illis velut in speculo quodam certitudinem Euangelicæ doctrinæ perspicientes, & simul exemplum Pauli ante oculos positum habentes, augusta ejus majestate, & eximia quam proponit felicitate, ad illam & avide amplectendam & constanter in patientia retinendam illici & animari poterant, ex quibus demum per gratiam Dei salus promanat. Quam porrò describit & ab ejus primo inter homines promulgatore, *quæ in Christo Jesu,* id est cujus ut primus annunciator & procurator est Dominus Jesus, ita olim dator futurus est. Et ab excellentibus adjunctis, *cum gloria æterna,* ut indicaret videlicet gravia licet & acerba essent quæ propter illam paterentur, esse tamen tanti propter illam pati.

Vers. 11. *Fidelis sermo.* Id est verus, & nihil falsi admistum habens, dignusque cui omnes assensum præbeant. Hic alterum videtur contineri dogma quod vult omnibus à Timotheo inculcari, etsi ita priori annexum tanquam eorum quæ dicta sunt confirmatio quædam. Porrò verba ista ita sunt comparata, ut & antecedentia & sequentia respicere possint: nisi quod si cum sequentibus cohærerent, annectenda eis viderentur per particulam ὅτι, ut 1 Tim. 1. 15. Subjiciuntur igitur superioribus per Epiphonema, quod ita in sequentibus confirmatur, ut simul omnia quæ hucusque disseruit corroborentur, & quasi novum quoddam dogma Timotheo proponatur, quo ille adversus calamitates & afflictiones in obeundo munere Ecclesiastico perferendas armetur & muniatur. *Si enim commortui sumus* puta cum Christo, cujus à mortuis excitati memorem esse versiculo octavo jusserat, ad quem hic respicit. Id est si propter Christum ejusque nomen & gloriam, eamque omnino doctrinam quam ipse truculenta morte obsignavit, asperrimas molestias, gravissimas afflictiones, dirissimos cruciatus patienter & intrepide subeamus, vitamque adeò ipsam si res ita poscat cum truculentissima & detestabilissima morte commutare simus parati, atque ita quasi cum illo commoriamur. Præteritum pro præsenti, more Hebræis usitato; ideoque in sequentibus præsenti in futurum respiciente utitur. Jam simili huic loquendi formula dixit superius *compati euangelio. Et convivemus,* puta cum Christo, id est non secus atque ille omnium miseriarum & ipsius denique mortis jugo liberatus & ad vitam revocatus est, nos etiam dirissimæ mortis faucibus erepti vitæ restituemur, & simul cum illo vivemus.

Vers. 12. *Si toleramus,* Puta cum Christo. Nam id subaudiendum esse indicat oppositio. Id est si non secus atque ille animo masculo & præsenti omnes variarum calamitatum & acerbitatum assultus sustinuit & pertulit, nos etiam similiter propter illum faciamus. Expolitio & priorum illustratio: nisi quod vox sustinendi priori est generalior, & ad afflictiones potiùs respicit, illa verò magis est emphatica. *Et conregnabimus,* cum Christo videlicet. Id est, quemadmodum

dum ille à mortuis excitatus in solio Dei consedit ibique regnat, ita nos vitâ per illum recuperatâ in ipsius solio considebimus, simulque cum illo regnabimus. Voce hac vitæ illius augusta dignitas indicatur, simulque prior illa vox illustratur.

Si negaverimus puta Christum, idque vel ore, vel etiam factis: non solùm si palàm religionem illius abjuremus, & in castra adversariorum ipsius publice secedamus, sed etiam si ore illum pro Domino nostro agnoscentes provinciæ tamen ab illo nobis impositæ onus detrectemus, periculaque & afflictiones illius nomine subire recusantes, illis nos cum dedecore gloriæ divinæ subtrahamus, & denique vitâ nostrâ cum illius hostibus conspirantes, vel etiam illis aliquomodo applaudentes, minus nobis cum Domino convenire testemur. Expolitio à contrario, qua hujus præcepti necessitas etiam exaggeratur. *Et ille negabit nos.* Id est non agnoscet nos pro suis in adventu videlicet suo illo glorioso & terribili, hostiumque suorum numero aggregabit.

Vers. 13. *Si infidi sumus.* id est, si tesseram fidei fregerimus, nec in data semel ipsi fide ad mortem usque perstiterimus. Eandem rem exaggerat & amplificat, in nos omnem culpam derivans, à Deo verò & Christo penitus amoliens, si nos cœlesti gloriâ excidere contingat. Ut simul tacitæ cuidam cogitationi occurrat, ne quis propter similem in superioribus loquendi rationem colligeret, si nos infidi simus, Dominus etiam infidus erit. *Ille fidelis permanet.* Deus videlicet & Christus, id est, promissorum nihilominus tenax permanebit, nec quia nos in fide non permanserimus, ideo ille etiam mentem animumque suum mutare, aut decreta sua rescindere putandus erit. *Negare seipsum non potest.* Id est, Non potest enim eorum quæ semel pollicitus est oblivisci, & promissa sua revocare. Non enim id ad essentiam, sed potiùs ad voluntatem ipsius referendum est. Quasi dicat; Non potest enim non fidelis esse, & non meminisse eorum quæ semel pollicitus est. Contraria isti negationi esse videtur illa phrasis quam de se usurpat ipse Deus, *Ero qui ero.* Similis autem huic nostro loco, imò geminus ac germanus est ille Rom. 3. vers. 3, 4.

Vers. 14. *Hæc commone*, omnes videlicet qui tuæ fidei commissi & concrediti sunt. Conclusio prioris hujus capitis partis: in qua quanta cum diligentia & ardore id facere deberet ad quod ipsum hortatur, exprimit, cùm ait, *testificans coram Domino*, id est, velut in testimonium advocato Domino, nempe Christo, qui voce Domini, præsertim cum articulo fere semper intelligi solet sub Novo Fœdere: quò tanti testis majestate & velut præsentia perterriti, tanto religiosiores sint horum cultores & observatores. *Coram Domino* Hebraismus.

Non contendere verbis, vel de verbis. Utramque enim significationem vox λογομαχεῖν recipit, hanc tamen potiùs. Nisi nimiam verborum contentionem, & sine fine verbis disceptandi studium intelligas: quod tamen ab Apostoli instituto remotius est: qui, ut ex sequentibus liquidius apparebit, de ejusmodi concertationibus loquitur quæ de verbis inanibus & lana caprina, non autem rebus instituerentur, & præter sonum ac strepitum verborum, nihil magnæ rei aut boni succi revera in se continerent. Est alia capitis hujus pars, priori ita annexa, ut principium hujus versiculi quo conclusionem prioris partis contineri diximus, ad illam etiam commodissime referri possit, imò & debeat. In qua explicat ea quæ à limine Ecclesiæ arcere debebat, hortaturque ut illis vigilantissime obsistat. Sed ita ut subinde huic hortationi, ad finem usque capitis sese porrigenti, pro occasione alias interserat adhortationes, ad personam moresque ipsius immediate spectantes. *Ad nihil utile* subaudiendum *quod*, vel simile quid. Rationem reddit cur ejusmodi verborum rixas, Ecclesiæ finibus exterminare debebat, ab adjunctis simul & effectis. Adjunctum est, quòd sint steriles boni, nullaque ex iis prorsus utilitas redundare queat, puta quæ serviat ad ædificationem Dei, ut prioris Epistolæ capite primo dixit: nisi id quoque ad effecta referre malis. *ad subversionem audientium.* Id est ad eos qui aures illis suas commodant supplantandos, & de statu veritatis ac fidei dejiciendos. Metaphora. Subaudienda autem ante particulam ἐπὶ vocula *nisi*. Effectum exprimit ex istis logomachiis pullulantem, qui ostendat quantopere illas aditu Ecclesiæ arcere debebat Timotheus.

Vers. 15. *Stude teipsum probatum sistere Deo.* Id est; Ipse vero in id seriò incumbe atque diligenter elabora quò à Deo approbari merearis, ut si te sistere coram tribunali Dei debeas, vel quando tibi coram illo comparendum erit, rectè administratæ provinciæ fideique constantissimè servatè laudem reportare, adeoque gratiam & approbationem Dei consequi possis. Interserit hanc paræneſin inchoatæ doctrinæ, quo ipsum tantò magis præmuniat circumspectioremque reddat; ne per oscitantiam suam aut ipse ab istis quos hic cohibere jubet illaqueetur, aut etiam alios minus illis obsistendo illaqueari sinat. Non contentus autem verbis generalibus, ut quid sibi his vellet tanto meliùs enucleret, subjicit specialiora, quæ mentem ejus explicant planius. Primò cum ait, *operarium inconfusibilem*, id est ut sis ejusmodi vineæ Domini cultor, & tam industrius ac sedulus commissæ tibi provinciæ administrator, ne aut tui Dominum qui te ipsi præfecit pudeat, aut tu ubi tibi coram illo comparendum erit, conscientia non impleti muneris confundare, atque ita rubore suffusus non audeas oculos ad conspectum Domini tui attollere. Utroque enim modo vox hæc explicari potest. Sed posterior sensus ex priorum verborum collatione, hujus loci magis proprius esse videtur. Deinde quia & illud adhuc paulò generalius erat, addit, *rectè secantem verbum veritatis.* Id est, verbum Dei prudenter & ordine dispensantem, usibus videlicet audientium sese accommodando & inserviendo. Allusum quidam putant ad sacerdotes certo ritu victimas secantes, earumque partes cuique secundùm præscriptum reddentes. Sed simplicius est si ad demensi & quotidiani victus unicuique assignationem & distributionem referatur: cùm ipse Christus Pastores & seniores Ecclesiarum comparet servo quem constituerit Dominus super familiam suam, ut daret illis cibum in tempore Matth. 24. ℣. 45. Ut recte is secare dicatur verbum veritatis, qui & tantum ex isto cibo unicuique det quantum ipsi debetur, non verò minus, & id plane quod ipsi debetur, non verò aliud. Ita quæ omnibus sunt inculcanda, inculcabit omnibus, quæ paucis, paucis, qui egebunt instructione, erudiet, qui confirmatione, fulciet, qui consolatione, solabitur, qui correptione, castigabit, & breviter prout uniuscujusque status, conditio, locus, & tempus postulabit, ita eos hoc salutari pastu cibabit, & suum unicuique demensum ac diarium, sine fraude & circumscriptione assignabit. Verbum veritatis genitivus ut vocant speciei, id est verbum quod est veritas. Cujus nomine, & quidem cum articulo positæ, simpliciter intelligitur euangelium, quod καθ' ἐξοχὴν dicitur veritas: non tantum quia nihil et falsi admissum est, quomodo omnibus doctrinis humanis & ipsi Philosophiæ opponitur, aut etiam quia non umbras rerum, sed ipsas res complectitur, quomodo Legi; sed etiam quia res divinissimas in se complectitur, ut in ipsa etiam materia ejus sit ἐξοχή.

Vers. 16. Profanas autem vocum inanitates κενοφωνίας, vel novitates καινοφωνίας id est logomachias illas, quæ & profanæ sunt, quia nihil religiosi spirant, & inanitates vocum, quia ut antè diximus, nil aliud sunt nisi torrens concitatæ in rerum inopia verborum copiæ, adeò ut cùm restibilis sit ejusmodi aliarum ex aliis subinde succrescentium nugarum seges, voces etiam, sed quibus res non subsit in gratiam illarum fabricandæ sint. Postquam satis Timotheum superiori versiculo præmuniit & ad diligenter providendum ne istæ logomachiæ in arvum Ecclesiæ irreperent, arrexit, nunc plenius iterum in illas invehitur. Primò autem ipsam qua illis obsistere jubet hortationem repetit:

Deinde

Deinde illam rationibus roborat. Tertio id quod dixerat exemplis illustrat. Quarto id quod pro exemplo attulerat, refutat. Et denique causam aperit cur tam enormia scelera in Ecclesia reperiantur, simulque ex eo orituræ tacitæ cogitationi occurrit. *Cohibe* arce περίεσασο quasi circumsiste, ne in Ecclesiam furtim irrepant provide. *Ad majorem enim procedent impietatem* id est, non ea enim fini stabit malum istud, sed indies magis ac magis vires acquiret, ut in impiorum dogmatum portenta sensim delabatur & desinat. Ratio prior ab effectu, quem in sui cultoribus istæ logomachiæ producunt, & qui non contemnendas esse latentes hujus mali vires ostendit, ut ut nihil impium prima specie præ se ferant, quia tandem impietate terminentur. Non apparet autem de ipsisne logomachiis, an de istis qui illis occuparentur ista protulerit Apostolus. Hos tamen potius respexisse, cùm ratio loquendi, tum inferiora indicant.

Vers. 17. *Et sermo eorum ut gangræna pastum habebit.* Ratio posterior itidem ab effectu, sed quem exserant in iis quos nondum ista labes pervasit, idque per similitudinem istas vocum inanitates gangrænæ comparans: quòd sicut illa non conquiescit in illa corporis parte quam semel occupavit, sed paulatim longius serpit, novas subinde corporis partes comprehendens, easque quasi depascens, donec totum sensim corpus inficiat, & ubi se in ipsa ossa insinuavit conficiat & absumat; ita istius mali lues minime se eorum quos jam sui juris fecit finibus continet, sed vires suas explicans & diffundens alios atque alios subinde corripit, nec grassandi finem facit donec totam Ecclesiam depascatur & inficiat. Porrò notandum hic poni relativum pro antecedente ἀνῶν, quod & alibi observavimus.

Quorum est Hymenæus & Philetus. Id est, è quorum censu & numero sunt, vel inter quos sunt præcipui, Hymenæus & Philetus. Dicta exemplis confirmat, duos cæterorum quasi antesignanos & coryphæos nominans, qui ab iisdem carceribus progressi in impiissimarum opinionum scopulos impegerunt. Id quod ostendit primò generaliter.

Vers. 18. *Qui circa veritatem aberraverunt*, scilicet tanquam à scopo, ut diximus ad 1 Tim. 1. vs. 6, id est, qui euangelii, quod hic veritatem vocat, lineâ ac orbitâ exciderunt. Hujus autem erroris hoc exemplum producit, *dicentes resurrectionem* jam esse factam, ac proinde non esse aliam exspectandam. Qui error quàm sit pestifer, satis abunde liquet ex iis quæ de illo disserit Apostolus 1 Cor. 15, ostendens adeò resurrectione nostram salutem & felicitatem niti, ut hujus spe sublatâ, religioni etiam omnino renunciandum, neque Christo adhærescendum sit. Quare etiam hîc subjungit, *& subvertunt quorundam fidem*, dum videlicet resurrectionem jam esse factam asserentes, illam in qua cardo rei vertitur negant, quæque non caput solum & exordium, sed medium etiam sit, & pedes, omniaque adeò fidei speique nostræ. Apparet autem hinc, quod & alibi monuimus, multos olim ex gentilibus, qui nondum crapulam opinionum Philosophicarum penitus edormierant, Christianismum esse excellentissimam quandam Philosophorum sectam somniasse: ad quam postea cum augusta ipsius majestate, donorumque in ea regnantium amplitudine illecti accessissent, & inter Christi cultores nomen suum professi essent, omnia ad rationis suæ calculum atque captum revocare, fumisque adhuc veterum nugarum animo obversantibus, ad eorum amussim complura examinare voluisse: unde mox illi monstrosi & ridiculi errores pullularunt, de quibus veteris historiæ monimenta testantur. Atque utinam neque hodie tantas similium errorum in domo Dei reliquias cerneremus. Quare & quod ad resurrectionem attinet, cùm ea captum rationis nostræ superet, nec verò rationis lumine quomodo id fieri possit assequi possent, ut ex illorum rationibus, quas 1 Cor. cap. 15. vers. 35, indicat Apostolus; conspicitur, omnia Spiritus sancti de ea promissa ad spiritualem tantùm resurrectionem restrinxerunt, resurrectionemque jam factam fuisse asseruerunt, tum videlicet cùm veteri cultu abdicato novum auspicati sumus, & per eum peccatis mortui, ad vitam in sanctitate transigendam velut revocati sumus.

Vers. 19. *Solidum tamen fundamentum Dei stat.* Refutaturus hoc exitiosissimum dogma, contrarium ejus stabilit, futuramque omnino resurrectionem ostendit, idque sumtâ metaphorâ ab ædificiis, à qua postea transit ad metaphoram à sigillis. Quòd sicut quæ firmum & immotum habent fundamentum, ruinam non metuunt, neque labefactari super illud bene structa possunt, & sicut sigillum appressum certitudinis rei index ac nota est; ita immota est resurrectio nostra, nec ullis subrui machinis & cuniculis potest ista spes nostra, super quam tota religio Christiana fundatur, quæque ideo fundamentum Dei dicitur quia illam animis nostris Deus ingeneravit, cùm omnibus sui cultoribus vitam æternam repromisit, solidum quiddam est & immotum, neque in dubium ejus certitudo vocari potest: quia appensum habet hoc *sigillum, novit Dominus qui sint sui*, id est, approbat & diligit Deus eos qui in ipso spes opesque suas reposuerunt, quique fide vera ac vitæ suæ innocentia & sanctitate, ut pro suis ab ipso per ejus gratiam agnoscerentur obtinuerunt. Hanc vocis noscendi significationem habes Amos 3. vers. 2. Psal. 1. vers. ult. Matth. cap. 7. vers. 23. Rom. cap. 8. vers. 29 Est autem hoc argumentum simile illi quo Christus usus est contra Sadducæos in re eadem: ubi similiter ex eo quòd Deus se Deum nominat suorum servorum, non sit autem Deus mortuorum, colligit illos olim victuros; ita hîc Paulus idem ex tenerrimo amore quo Deus Optimus Maximus cultores sui prosequitur, colligit fieri non posse ut eos in terra derelinquat: quia paterno aliquem amore complecti, & miserum eum sinere, pugnant. Jam voce *Domini* Deum Patrem hîc intelligi, ex eo apparet, quia voci κύριος articulus non est additus. Possit verò quis suspicari non tam hîc transitum facere Apostolum ab una metaphora ad aliam, quàm in una potiùs persistendo, ad illud alludere quod vulgò fieri solet, quando fundamenta magno alicui ædificio jaciuntur, ut numismata & signa aliqua cum inscriptionibus conditoris, loci, temporis, & votis, fundamentis substernantur: ut tale sit sigillum hoc, *Novit Dominus qui sunt ejus.* Verùm hoc cogitandum aliis in medio relinquimus.

Et abscedat καὶ pro *itaque*, ut notavimus supra 1 Tim. 1. 12. Neque enim hæc vocula hoc loco est copulativa, quasi aliud sigillum priori annectat, ut quidam opinati sunt, cùm nec vis consequentiæ inde appareat, & præterea in futuro ista enunciatio elata sit. Sed potiùs est illativa, tanquam necessarium consequens, ex priori conclusione scaturiens. Quasi dicat; Cùm igitur tenerrimus in omnes suos omnipotentis Dei amor loquatur planeque clamitet, veros Dei fideles ex morte esse resurrecturos, *abscedat* itaque *ab injustitia* id est, valedicat omni impietati & vitæ impuritati, *quisquis nominat nomen Christi*, id est, quisquis ore suo illum pro Domino agnoscit, & qui doctrinam ejus pro vera & cœlesti est amplexus. Non enim de sola vocis istius usurpatione ipsum loqui, palam est ex eo quia etiam hostes Christi acerrimi, acerbissimo eum odio prosequentes id nomen nominare possunt & solent, sed in contumeliam. Non obscurè autem illos resurrectionis inficiatores injustitiæ notat.

Vers. 20. *Cæterum in magna domo.* Occurrit tacitæ cogitanioni, ex iis quæ hucusque de illarum doctrinarum fœditate disseruit, pullulanti. Poterat enim quis non injuriâ mirari, tam enormia scelera & tanta opinionum monstra locum inter eos qui purissimum Dei cultum profitentur reperire potuisse.

Causam

Causam igitur tanti mali aperit, simulque scandolo inde orituro obviat, aliter fieri non posse ostendens, sumta similitudine ab amplis heri locupletis ædibus. Quæ similitudo contracte ab Apostolo ponitur, cùm protasis tantùm ejus exprimatur, apodosis autem subintelligenda relinquatur. Si autem omnibus suis partibus explicetur, talis erit: Quemadmodum in vasta & opulenta divitis alicujus patrisfamilias domo, varia necesse est esse vasa, variis illius usibus destinata, & alia quidem aurea ac argentea, alia verò lignea & testacea, item alia honestis usibus dicata, alia inhonestis; Ita etiam in hac spatiosa omnium ditissimi heri domo, Ecclesia videlicet, necesse est esse, *non solum vasa aurea*, id est insignes & excellentissimos Dei cultores, aureo sanctimoniæ fulgore coruscantes, ut sunt Apostoli, Euangelistæ, doctores, *& argentea* id est, eos qui his proximi sunt, eximia vitæ integritate visendi; *sed & lignea & testacea*, id est qui nondum ex cœno vitiorum evaserunt, & cum illis adhuc luctantur, suntque inter postremæ notæ harum ædium vasa. *Et quædam quidem* puta inter ista posteriora (nam in prioribus quamdiu talia sunt non invenit locum ista distinctio) *in honorem* quorum usus est honestus, propter quem ipsa in precio & nunc sint, & maxime olim futura sint. Honoris enim nomine primariò intelligitur immarcescibilis illa piorum hæreditas, illeque honor quem collaturus est olim cœlestis pater familias omnibus quos mensæ suæ cœlesti adhibebit: etsi etiam non excludantur omnia alia hujus seculi dona, ex quibus fidelium dignitas & præstantia conspicitur. Non tam quippe ad illum honorem respicit qui ex illis illorumque recte factis ad Deum ipsum, quàm qui ad illos ipsos à Deo propter ipsorum pietatem redundat. Sicut in contrario cùm dicit, *quædam autem in dedecus*, non ejus hîc rationem habet quòd illi vivant ad dedecus religioni divinæ ipsique Deo cujus tamen se cultores profitentur; quàm ad illorum ipsorum contumeliam ac dedecus, in quod suismet actionibus justo Dei judicio incurrunt. Esse igitur in dedecus significat esse dedecoris & infamiæ plenum eaque coopertum: Dedecoris inquam illius & exitii æterni, destinati diabolo & angelis ejus: quamvis nec alia omnia hujus seculi mala & dedecora excludantur, quibus Deus impios aggravat & cœno pejus inquinat ac collutulat. Locus huic simillimus exstat Rom. cap. 9. ℣. 22 & 23. Nisi quòd ibi expresse destinatio ista & in honorem & in dedecus adscribatur ipsi Deo, hîc verò istud non exprimitur, & additur ut ex versu sequente apparebit, aliquid ex quo appareat, destinationem istam nec omnino absolutam & immutabilem esse, & omnino opera actionesque præexigere. Res nimirum ita habet. Ut præscivit Deus tam bonos quàm malos in Ecclesia sua futuros, ita & prædestinavit hos quidem ad dedecus, illos ad honorem. Sed quia præscientia ista habet fundamentum in re non omnino naturâ suâ immutabili, libertate videlicet arbitrii humani; ut ipsa ita etiam prædestinatio ex illa orta tacitam conditionem sibi adjunctam habuit, ex qua immutabilitas utriusque pendebat, si nimirum vim, ut ita dicam, quandam sibi homines adhibere, & Deo auxiliatrices manus subinde porrigenti obsequi vellent. Verùm quia id etiam ipsum libertate arbitrii humani nititur, iterum ut præscientiæ ita & prædestinationi isti ratio constare poterat. Unde sicut quosdam in genere ita neminem in specie vel ad hoc vel ad illud ut præscitum ita prædestinatum esse sequitur. Quod si quis hodie vel ad hoc vel ad illud in specie destinari dicatur, id & nonnisi antegressis actionibus his vel illis, & cum adjuncta tacita conditione fieri intelligendum, ex qua non omnino immutabilis esse ista destinatio colligitur: nisi si (quod in improbis justo Dei judicio evenire potest) ob antegressorum scelerum enormitatem simpliciter ad dedecus destinetur. Quæ autem superius diximus ea fidem à sequentibus Pauli verbis sumunt. Si enim ista destinatio omnino est immutabilis, si nullam additam habet tacitam conditionem, imò si non respicitur in illa ad antegressas actiones, quomodo emundare seipsum, imò quomodo evadere vas in honorem, in potestate nostra esse, innuere potuit Apostolus? Sed de his plenius alibi.

Vers. 21. *Si ergo quis.* Quia ex superiori discursu poterat nonnemo colligere actum jam esse de iis qui essent vasa in dedecus, & in tam misero ac luctuoso esse statu eos, ut ex illo eluctari nequaquam possint, subjungit hæc verba Apostolus, ostendens superesse viam his augustiis evadendi, simulque in unoquoque causam hujus aut illius status subesse insinuans, ut quisque sit post Dei gratiam suæ fortunæ faber. Via ista est, *si quis emundaverit seipsum ab istis*, doctrinarum videlicet profanarum & improbitatis sordibus: hæc enim reddunt aliquem vas in dedecus (etsi quò vox *istis* respiciat, non expressit Apostolus.) Quasi dicat; Neque verò animo statim concidere debent, si qui sunt ejusmodi ut de illis quòd sint vasa in dedecus affirmari possit, aut etiam alii existimare illos nunquam dedecoris istius vortices superaturos. Ut enim sese monstrosis dogmatibus & impietate vitæ his cassibus implicarunt, eamque personam volentes sibi induerunt, ita eandem abjicere possint, si perniciosis dogmatibus & impietati vitæ vale dicto, pristinas suas sordes abluerint, eoque tandem pervenire sategerint, ut sint *vas in honorem sanctificatum*, id est ad id ipsum quasi à Deo separatum, selectum, & è censu ac numero reliquorum exemtum, usibusque divinis penitus destinatum atque consecratum. *& accommodatum Domino* seu *hero*, id est quod utilitatem adferat suo patrifamilias. Quod etiam illustrat à causa, *ad omne opus bonum paratum.*

Vers. 22. *At juvenilia.* Superioris dissertationis occasione, ad personam ipsius Timothei convertitur, ostendens ipsi viam qua ille id effugere posset, ne esset vas in dedecus, & id consequi ut esset vas in honorem. Jubet autem illa quę in illud infortunium unumquemque præcipitare possunt, *fugere* id est aversari atque strenue devitare, nempe *juveniles cupiditates*, inprimis illas quæ sunt libidinis incentiva, & deinde honoris atque gloriæ sitim, quæ maxime in juvenili animo exæstuant, regnumque suum possident, adeo ut illis velut discordibus ventis actus in ea sæpe brevia & sirtes impingat, quibus sese explicare non facile possit.

In locum verò istorum jubet sectari illa per quæ quilibet eò pervenire potest ut sit vas in honorem. Respicit autem præcipue ad adjuncta & effecta illarum logomachiarum, his quæ ipsum sectari jubet contraria. *Justitiam* id est vitæ integritatem. Generalissimè enim vox ista hîc usurpatur ut omnem omnino pietatem complectatur. *Fidem* nempe in Dominum Jesum, sive ea pro solo assensu accipiatur, sive simul cum fiducia in illo collocata, quam subvertere illarum doctrinarum promotores dixerat superius versu 18. *Charitatem* erga proximum, quam superius cap. 1. ℣. 13, regulam esse indicavit, ad quam doctrinæ omnes sint exigendæ. *Pacem* id est concordiam, ac animorum conjunctionem, quæ charitatis effectus est, ab iis exsulans qui contentiosis illis vocum inanitatibus delectabantur. A quibus cùm inferius abhorrere jubeat Timotheum, talesque aversari, ideo determinat cum quibus illum pacem colere velit; *Cum iis qui invocant Dominum ex puro corde*, id est qui sunt sinceri Christi cultores. Per invocationem autem tanquam partem, totum nempe cultus Christo debitus intelligitur: quia ubi ista adest tanquam ejus præcipua pars, illum etiam adesse est necesse. Verùm quia non omnis qui invocat adeoque colit Christum, verus illius cultor est, & poterant illi etiam quos hic fugere jubet idem præ se ferre, ideo adjungit illa verba *ex puro corde*, id est, sincere, sine ulla hypocrisi, quorum animis & pectoribus nihil interius ab isto cultu alieni admistum est, propter quod illum exterius exhibeant, sed quorum pectus contemplatione bonitatis & potentiæ Dei atque Christi, ex iisque promanante amore & fiducia, fœtum hunc velut prolem ex se producit.

Vers. 23. *Stultas autem.* Hucusque hortatus fuerat ipsum

ipsum ut caveret ne doctrinæ illæ vanæ in Ecclesiam admitterentur, neque aures illis à quoquam fidelium commodari pateretur; hîc amplius quid præcipit, nempe ut & ipse fugiat ac vitet ejusmodi *quæstiones* sive problemata ab illis doctoribus erroneis proposita, sive omnes cum illis sermones & disceptationes quæ illius essent coloris quem hîc ante oculos positum habemus. Vocat autem eas *stultas* id est ratione carentes, eique prorsus contrarias, licet fortè illa vel maxime niti illiusque soboles esse suis parentibus viderentur. *Et ineruditas*, id est eruditionis prorsus vacuas, licet ab eruditione proficisci viderentur, illisque sibi isti placerent adeò ut veræ scientiæ apicem se contigisse arbitrarentur. Apparet autem Apostolum notare pseudophilosophicas sententias, quarum uberrimus proventus erat iis in locis quibus præerat Timotheus. Atque utinam nos etiam cætera sterilem avorum nostramque ætatem non hîc justo fœcundiorem vidissemus! Sane non est quod ad illius seculi Philosophorum somnia & deliramenta eamus, ut quibus hæc elogia tribuenda sint intelligamus. Reperies his haud meliora, non modio aut trimodio, sed horreo quod ajunt toto congesta, apud Magistros nostros &c. Cæterum argumentatur hîc Apostolus, ut integrum Syllogismum ponat. Conclusionem quidem in istis verbis quæ jam examinavimus. Assumtionem sequentibus, cùm ait; *sciens eas gignere pugnas* nempe verborum, id est rixas & jurgia. Vix enim aliter fieri potest quin primò ad aculeata dicteria ac scommata, indeque ad contentiones & jurgia deveniatur, ubi aliquis eruditionis opinione tumens, mordicus tuetur aliquid quod etsi falsum, aliquando autem & ridiculum est, speciem tamen eruditionis mentitur, & præsertim si eum habeat patronum qui tantùm de sua existimatione decessurum credit quantum ipse de clamore & contentione remiserit. Id verò etsi ubique cùm res est inter sciolos & saperdas locum habet; maxime tamen ubi de iis digladiantur quæ subtilitatis prætextu futilitatem suam velant: tum enim persæpe evenire necesse est ut ne seipsi quidem ne dum alter alterum intelligere possit.

Vers. 24. *Servum autem Domini non oportet pugnare*, id est contendere, rixari. Non solùm ne ipse jurgetur cum aliquo, aut dictis aculeatis aliquem perstringat, sed ne occasionem quidem ad ista subministret. In voce *servi* est emphasis: intelligit enim non quemvis Christianum, sed Ecclesiæ præeuntem, qui ob peculiarem rationem qua Christo obstrictus est servus Christi dicitur. Etsi enunciatio ista ad omnes etiam Christianos extendi non tantùm possit, sed & debeat, quia pastores & Doctores sunt typi gregis. Est hîc sententia propositionis: quam illustrat, vel potiùs probat, à contrariis servi Dei qualitatibus & adjunctis, cum quibus stultarum istarum quæstionum patronis minime convenit. *Placidum esse* id est lenem, mitem, carentem aculeis, nulla verborum asperitate & acrimonia eos cum quibus agit à se absterrentem, nedum contra se irritantem, sed potiùs suavitate compositæ & modestæ orationis omnes ad se invitantem, ipsoque orationis colore spem animi sibi optime cupientis unicuique facientem. Vocem hanc in eodem significatu usurpat de se Apostolus 1 Thess. 2. vers. 7. Addit autem, *erga omnes*, ne quis tum tantùm teneri placidum esse pastorem opinetur ubi ipsi cum placidis res est, licere autem in eos insurgere & verbis ipsos durioribus excipere, qui ipsi ore adversus illum infrunito fuerint. διδακτικὸν, id est non tam qui aptus & habilis, quàm qui pronus ad docendum sit, libenterque alios oblata occasione instruat & erudiat, ut diximus ad 1 Tim. 3. vers. 2. Hoc verò frustra requiras ab illarum quæstionum venditatoribus. *Tolerantem malos*. Ita rectius, quàm ut alii *tolerantem mala*, etsi hoc quoque in illo includatur. Vult videlicet ut patienter ferat omnia quæcunque homines mali mala ipsi intulerint, sive ore petulantiori ipsum proscindentes, sive aliquo damno, molestia, contumelia afficientes, ut talia omnia Christianè concoquat, neque illorum importunitate & malitia ad aliquod impatientiæ signum ostendendum moveatur. Et his limitibus tolerantia ista malorum circumscribenda, nec ulterius extendenda: ne quis putet illum malos in Ecclesia etiam pati & tolerare perpetuo debere. Contrarium enim hujus aperte laudat Christus in illo pastore Ephesino Apoc. cap. 2. vers. 2. Cui tamen inferius vers. 3, tolerantiam etiam proculdubio malorum tribuit. Verum in posteriori loco de priori tolerantia, in priori de posteriori loquitur.

Vers. 25. *Cum lenitate erudientem*, id est cum summa non verborum tantùm sed & animi placiditate ac modestia, ne aut insultare illis, aut se quidem efferre illos autem fastidire & despicere, sed tantum id ipsum quærere videatur, quo illi ad rectum veritatis callem illius colloquiis traducantur. ἀντιδιατιθεμένους, id est qui logomachiis illis & nugivendis quæstionibus fascinati sunt ab illo aversi, & velut contrario animo affecti, ut Piscator vertit. Etsi possis hac voce simpliciter intelligere eos qui contradicunt, quos ἀντιλέγοντας Tit. 1. vers. 9 vocat. Est velut explicatio superiorum, & in fasciculum quendam collectio, opposita illis vocum inanitatibus quæ neque erudiunt, & pro lenitate ac mansuetudine rabiosos clamores & infinita jurgia comites individuos habent. *num aliquando* μὴ ποτε pro εἴποτε ut Luc. 3. vers. 15. Finalem causam subjungit, proter quam enumeratis adjunctis conspicuum esse oportet eum qui Ecclesiæ gubernacula tenet, *det illis Deus pœnitentiam* id est ut ista morum Episcopi lenitate, secumque agendi facilitate invitati, seriò inducant animum Deo sibi gratiam porrigenti obsecundare, mentemque in melius mutare velint. Est loquendi modus, ut dicitur religiosus, quo primaria ejus quem intenderat effectûs causâ exprimitur, licet ad secundariam & instrumentalem inprimis respiciatur, Deoque in solidum id adscribitur, quod tamen non nisi voluntate hominum tanquam necessaria media causa interveniente provenit. Neque enim de simplici voluntate aut extraordinaria aliqua datione Dei loquitur, per quam innuatur Deum quos antea pœnitentiam agere noluerit, postea ut id faciant velle: (ut sensus sit, si quando Deus velit ut pœnitentiam agant) cùm id ordinaria voluntate semper velit Deus, ut indicat locus 2 Petr. 3. 9; sed de ejusmodi, quæ non Dei solum conatum sed efficaciam etiam includit, quæ ab humana voluntate pendet, adeoque de ipso eventu dandæque à Deo pœnitentiæ effectu. Lucem huic loco fænerari potest insignis ille Deut. 29. vers. 4, locus in quo cùm ab ipso capitis initio recensuisset stupenda illa miracula quæ in gratiam populi Deus fecerat, subjungit, *& non dedit vobis Jehova cor ad intelligendum, & oculos ad videndum atque aures ad audiendum, usque in præsentem diem*, id est, nec tamen vos à Deo hæc tanta beneficia promtissime vobis offerente grato animo accipere voluistis, ac licet vos tam variis & tam mirabilibus modis erudire, atque ad sui sincerum cultum pellicere conatus est, vos tamen & stupidi ac contumaces & increduli ad hunc usque diem perstitistis. Neque enim dedisse munus proprie alicui dici potest is cujus licet promtissime & ex animo illud offerentis gratia ab ipso spreta & repudiata est.

Ad agnitionem veritatis nempe euangelicæ eamque pleniorem & ut vulgò dici solet efficacem, id est quæ se in operibus bonis & innocentia vitæ exserit. Finem μετανοίας ad quem illa tendit exprimit Apostolus. Est enim propriè mentis in melius mutatio, ut ipsa verbi notio indicat. Hæc autem licet aliquam cognitionem veritatis euangelicæ præexigat, non tamen illam perfectam omnibusque numeris

numeris absolutam, ex qua perfectionem etiam suam acquirit ipsa pœnitentia: quæ non in animi tantùm sed vitæ etiam in melius mutatione sita est. Cum itaque vitæ in melius mutatio ipsaque adeò pietas ex plenissima veritatis euangelicæ cognitione oriatur, imò ipsius nomine non raro in sacris literis veniat; ideo ipsam μετανοίας tanquam finem quendam posuit Apostolus.

Vers. 26. *Et ad sobrietatem rediturí sint.* Repetendum ἀπὸ κοινοῦ, *si forte.* Expolitio. Illustrat à contrario quid per pœnitentiam in cognitionem veritatis intellexerit. Vox ἀνανήψωσιν non magis verti potest *resipiscant* ut habet vulgata versio, quàm *ad sobrietatem rediturí sint*, ut habent alii. Homines enim dissoluti & in vitiorum cœno sese voluntates sunt peccati temeto velut onusti, cujus crapulam tum edormiunt ubi illius illecebrarum vaporibus velut liberati, in odium Dei se incurrisse & à recti semita deviasse animadvertunt. Videtur autem hæc vox esse, ut vulgò dici solet, prægnans, eamque animi sobrietatem denotare, quam peccatorum nexu exsolutio & ab omni improbitate immunitas necessariò consequatur. Addit enim, in aliam metaphoram sed non adeo remotam transiens, *à diaboli laqueo* qui non alius est quàm durissima peccati varietatumque cupiditatum servitus. Ut autem hominibus ebriis & vino madidis cadere, quòd pedes officio suo probè fungi nequeant, atque ita in aliquam foveam se præcipitare, & laqueum aut plagam induere, in proclivi est; ita ex illis sese expedire & explicare, nonnisi sobriis datur. Cujus servitutis non solùm duritiem sed etiam occasionem ex qua illius potiti sint, expressisse videtur voce ἐζωγρημένοι, quasi dicat vivi capti id est scientes prudentes. Denique & finem ipsius indicavit, *ad ipsius voluntatem* nempe Diaboli: id est, ut immanissima cupiditatum & peccatorum servitute oppressi, ad ejus nutum & imperium omnes vitæ suæ rationes componerent, eaque quæ ipsi collibuissent patrarent & designarent. Nisi quis vocem ἐκείνου ad Deum remotius nominatum referat, ut Piscator facit, quem vide. Porrò est hîc elegantissima oppositio inter hunc & priorem versiculum. Opponit enim Diabolo Deum, laqueo ipsius pœnitentiam & resipiscentiam, voluntati agnitionem veritatis, transitum ad pœnitentiam, captivitati Diaboli Ex quo etiam consequitur, quemadmodum vivos capit Diabolus & in sua potestate detinet, id est ipsorummet vitio & culpa, ita Deum etiam malis dare pœnitentiam nonnisi volentibus, id est illos pœnitentiam tum demum verè & realiter agere, ubi ad studium voluntatemque Dei qui omnes ex æquo pœnitentiam agere vult, suos etiam conatus industriamque & laborem adjunxerint.

IN CAP. III.

PRædicit corruptionem morum quæ non ita multo post invasura erat Ecclesiam cujusque jam tum semina quædam apparerent. Deinde Timotheum adversus ea quæ prædixerat præmunit, & quomodo isti corruptioni sit obsistendum docet.

Vers. 1. *Hoc autem scito.* Prima capitis pars ad ℣. 10. Quasi dicat; Ne autem mireris, me tam anxie & solicite ad fugiendas ejusmodi futilitates te hortari, quasi non esset aut tibi aut cuiquam ab illis tantopere metuendum, illud insuper tibi notum facio, ex quo non temere id me, sed maxima necessitate cogente facere colligere potes. Hæc est hujus cum superiori capite connexio. Cæterum prædictionem quod attinet; Primò tempus quo implenda esset indicat. Deinde cùm in genere, tum etiam in specie depingit corruptionem qua Ecclesiam infectam iri prædicit. Tertiò exemplum istius corruptionis, Ecclesiam jam tum licet occulte invadentis subjicit. Et denique quartò quæ hujus exempli vis & quis exitus esset futurus aperit. Tempus est, *in novissimis diebus* non quidem absolute quoad mundi durationem; jubet enim hîc ut Timotheus istos aversetur, & cap. sequente obtestatur ut eandem ob causam tantò diligentius muneri suo insistat. Quæ duo, ut illius ætate si non omnino, magna saltem ex parte implendam fuisse istam prædictionem moneant, ita nullum locum haberent, si quæ hic prædicuntur ad illius ætatem nihil omnino pertinuissent. Erit igitur id intelligendum respective, quoad rationem prædicationis euangelii: cujus novissimi dies dicuntur illi quibus deficiente sacro Apostolorum choro, gubernacula tenebant Ecclesiæ illi qui in ipsorum locum successerant. Quorum tempore, ut ipsa prædicatio euangelii (utpote jam confirmati, & ad omnium notitiam perlati) proprie cessavit, ita conspiratio nefarii erroris, aperto, ut Hegesippus ait vertice, præliari & Ecclesiam turbare cœpit. Et hoc sensu S. Johannes qui reliquis Apostolis supervixit, tempus illud quo Epistolam suam exaravit, horam ultimam vocat 1 epist. cap. 2. vers. 18. Ita hora prima erit initium promulgationis euangelii ipsaque ut ita dicam incunabula ipsius. Media, progressus & per orbem terrarum Apostolorum operâ diffusio ac disseminatio. Ultima ista quam hic novissimorum, & epistola priori cap. 4, posteriorum temporum nomine designari diximus. *Instabunt tempora difficilia.* Id est, quibus haud facilè erit in medium consulere, viamque adeò ac rationem consiliorum rectorum tenere, nempe propter exundantem in Ecclesia perversorum hominum improbitatem; ut generalem istam phrasin explicat ipse Apostolus, cum rationem hujus dicti explicare volens, subjicit;

Vers 2. *Erunt enim homines seipsos amantes.* Specialis explicatio morum corruptionis quæ in Ecclesia esset exoritura, & magna sui parte jam tum ipsam populari incipiebat. In qua ita progreditur Apostolus, ut primò illud vitium nominet quod est quasi fons omnis morum corruptelæ, tum vitia ex eo scaturientia sibique adeo vicina recenseat. Etsi ad finem properans hunc postea ordinem non videatur servare: Nisi quis in fine versiculi quarti alio item fonte vitiorum agmen claussisse existimet ad quod illa referantur, inter quæ non ita ratio cohærentiæ apparere videtur. Sed nec illud prætereundum, non semper in ejusmodi coacervationibus ordinem attendi, & præsertim ubi ad finem properat oratio. Si cui tamen illud quod prius diximus allubescat, vox φίλαυτοι generalissima erit, in qua continebitur & scaturigo omnium vitiorum. φίλαυτοῦν enim nomine veniunt omnes qui sibi plus tribuunt in pecuniis, honoribus, & voluptatibus corporeis, ut ait Aristoteles, libro Ethic. 9. cap. 8. Et φιλαυτία est excessus in nobis ipsis adamandis, tum quoad ipsam vitam, ejusque conservationem, tum quoad ipsius splendorem. Ex priori ipsius vena profluunt φιλάργυροι *pecuniæ cupidi*, qui unicum vitæ commode traducendæ nervum existimantes esse pecuniam, non solùm accumulandarum opum siti inexhausta tenentur, sed etiam in earum dispensatione nimium sunt adstricti & sordidi. Ex posteriori ἀλαζόνες & ὑπερήφανοι, *gloriosi & superbi.* Quoniam illi nimia suarum laudum prædicatione modum excedunt, sive falsa sibi affingentes ut Terentianus ille Thraso, aut Plautinus Pyrgopolynices, sive vera quidem de se commemorantes, sed nec loco nec tempore conveniente, & sine fine plenoque ore talia declamantes. Isti, autem in cultu, gestu, incessu, & externis cæremoniis, quantopere sibi placeant seque æstiment ostendunt, licet alios infra se non despiciant, sed sibi aut ea quibus carent arrogant, aut si ipsis adsunt, majus tamen illis pretium quàm revera merentur ponunt, eoque nomine seipsos magnificiunt & suspiciunt.

Blasphemi, id est maledici, qui lingua sunt effreni, & ore virulento alios proscindere amant, sive illis mala quæque imprecantes, sive naturæ

eorum vitia contumeliose exprobrantes. Vitium ex eodem malorum fonte imò Oceano, ex nimia videlicet æstimatione sui profluens. Non facilè enim ad verba petulantia properabit, aut etiam proximum dente maledico rodet, cui cor modeste situm est, nec pestiferæ philautiæ litavit.

Superbiæ surculus est etiam *parentibus immorigeri*, eadem cum illa incunabula agnoscens. Neque enim aliunde provenit debitæ parentibus pietatis ac obsequii denegatio quàm ex præsumtione seu arrogantia, nimiaque de se persuasione. Hos recte sequuntur *ingrati*, etsi latius pateant accepti beneficii immemores iis qui debitum parentibus obsequium & reverentiam exuerunt. Tandem ἀνόσιοι, id est profani, prioribus longe deteriores, cum illis tamen cognatione quadam devincti: quia ut parentibus immorigeri debitam parentibus pro illorum inexhaustis in sui educatione susceptis curis pietatem, ingrati verò omnibus qui de ipsis sunt benemeriti animum memorem denegant; ita profani cultum & reverentiam illi qui omnes omnium charitates omnia beneficia, & denique potestatis ac dominii jura in nos complexus est, exhibere negligunt, nihil sacri ducentes, & ad id tantùm quod adest quodque præsens est animo affixi, nulla Dei religionisque cura tanguntur.

Vers. 3. Ἄστοργοι *Sine affectione*, id est qui carent naturali illa affectione (στόργας Græci vocant) qua unus ad alterum tenerius amandum propendet, ut parentes erga liberos, & vice versa: imò omnes vinculo sanguinis inter se copulati. Vitium superiori vicinum, in eoque cum priori conspirans, quòd utrumque id exuat ad quod occulta naturæ vi unusquisque nostrum trahitur, solo tantùm objecto ab illo discretum.

Ἀσπονδοι id est, implacabiles, propriè nescii fœderis, qui nunquam cum aliis in fœdera coëunt, nulla cum proximis ratione jungi atque sociari volunt. Ab ἀσυνθέτοις quos Rom. cap. 1. vers. 31, commemorat Apostolus, hoc distincti quòd illi fœdere quidem cum aliis coalescere possunt, sed citò & temere illud violant; isti autem nullas pacis & concordiæ seu conjunctionis leges agnoscunt, implacabilique ab aliis odio dissidentes, iras immortales gerunt. Superioribus jure annexi, quia omnes homines ad societatem mutuò inter se colendam deponendasque offensas ab ipsa quodammodo natura invitari videntur: ut qui nullo pacto & ratione cum altero convenire potest, μισάνθρωπος esse, hominemque quodammodo exuisse videatur. His jure optimo subjiciuntur *calumniatores*, id est, qui falsis criminibus famam alterius arrodunt, teterrima societatis humanæ pestis, ex animo sociari nescio pullulans.

Incontinentes, id est, qui in impurissimarum voluptatum cœno volutantur: cum intemperantibus fere iidem: Nisi quòd ut σωφροσύνην ad solam persæpe sobrietatem quæ appetitum bibendi coërcet, sacri scriptores restringunt, ita ἐγκράτειαν ad castitatem. Quare & hîc ἀκρατῶν nomine rectè intelligentur ii qui in venerem putrent, quique sese illicita libidine polluunt. Hîc jam ordinis ratio inter ista crimina cessat.

Immites, id est, duri, asperi, intractabiles, in omnibus suis negotiis & actionibus morosi, quandam morum feritatem præ se ferentes, & qui plumbeas adversus eos qui ipsos offenderunt iras gerunt, nec conquiescunt donec animum vindictæ cupidum expleant. *Bonos non amantes*, qui nullo bonorum hominum desiderio atque amore ducuntur, neque illos conspecta in ipsis virtus afficit, ut ob ipsam eos animo suo caros habeant.

Vers. 4. *Proditores* Ex proxime nominato vitio facile sequitur istud, cui obnoxii sunt tum ii qui bonos in casu necessitatis deserunt, nec eos operâ aut consilio juvant, tum inprimis ii qui illos in discrimen famæ, facultatum, imò & vitæ quandoque conjiciunt.

Præcipites id est, cùm in capiendis consiliis & actionibus omnibus temerarii, tum in iram cœco impetu proni: ab ἀνέμπτοις ita discreti quòd illi iram animo diu foveant, isti autem citissime exardescant, nullâ videlicet præviâ deliberatione & consilio.

Inflati. Id est, qui superbiæ typho turgidi alios præ se despiciunt: ab ὑπερήφανοις eo distantes quod istorum tumor interius lateat; illorum autem magis ut diximus exterius sese prodat: iste cum aliorum contemtu sit conjunctus, ille persæpe humilitatis specie & externorum officiorum ostentatione aliis imponat, eorumque honorem & observantiam mentiatur & præ se ferat.

Voluptatum amatores magis quàm amatores Dei. Paronomasia in vocibus φιλήδονοι & φιλόθεοι, sed cui res ipsa subest. Generalibus vocibus agmen hoc perditorum illius seculi morum claudere voluit, ut tanto magis depravationem illius temporis ob oculos poneret. Quasi dicat; in summa, tales erunt illorum temporum homines, qui de percolandis potiùs & deglutiendis cibis, corporeque suo voluptatibus variis titillando, quàm de Deo & religione sint soliciti, magisque sibi cordi habeant animo cupidatibus suis obsequi quam Dei gratiam ullo modo sibi conciliare. Possit autem quis dicere, ultimo loco hæc verba posita, tanquam alium fontem ex quo aliqua superius nominata vitia promanent quæ ad priorem non ita commode referri posse videntur.

Vers. 5. *Habentes formam pietatis*. id est, exterioribus nonnullis actionibus ut voce, gestu, ceremoniis & aliis levioribus pietatem significantibus officiis, cultum & honorem Dei præ se ferentes, & ipsius numen religionemque adeò maxime sibi cordi atque curæ esse ostentantes, & qui ut Ethnicus ille ait, imaginem tantùm & solam, ut sic dixerim, cutem virtutis effingunt, non autem illam in medullas immittunt. *Pietatis* vox strictius hîc videtur accipi, ut eam virtutis partem complectatur tantùm quæ Deum ipsum ejusque majestatem immediate concernit. Explicat enim hic illud quod antecedenti versu dixerat, ostendens non eos quidem voce sermoneque id testaturos ac palam declaraturos, in majori apud se pretio esse corporis voluptates quàm Deum, ejusque gratiam: (tales enim oppidò quàm pauci fuerunt; etsi ejusmodi etiam monstra reperiri utinam non audiremus aut non videremus ipsi;) quinimo exteriori specie adeò numinis reverentiam præ se laturos, oreque Deum subinde crepaturos, & variis ceremoniis se demerendæ ipsius gratiæ unicè devotos esse ostensuros, ut illos cum Deo tertia quaque die, quod vulgari proverbio dicitur, loqui credas, interim tamen *virtutem ejus* nempe pietatis, *abnegantes*, id est, id in quo cultus & reverentia majestatis divinæ revera sita est, ne attingentes quidem, & cùm Curios simulent, Bachanalia victuros, ventremque suum ac ejus fœdissimas, voluptates, re & effectu pro Deo habituros.

Et hos aversare. Vocula καὶ & posita est pro *igitur*, ut factum esse etiam superius monuimus, ad capitis secundi versum 19. Prædictioni subjungit jam adhortationem: à qua posset quis alteram hujus capitis partem inchoare: nisi quòd sequentia verba, quæ rationem hujus paræneseos continent, simul etiam ad ampliorem superioris morum depravatorum descriptionis illustrationem faciunt.

Vers. 6. *Ex his enim sunt*. Dicta comprobat exemplo. Quod occasione superioris adhortationis videtur adduxisse, ut tacitæ Timothei cogitationi occurreret, qua prædictionem quidem istam ut pote rei post suum obitum demum exorituræ, minus ad se pertinere, adhortationem verò circa illam prorsus supervacaneam esse poterat arbitrari. Quasi dicat;

cat; non enim est quod securior sis, ad teque minus quæ hucusque differui pertinere existimes, quia novissimis demum temporibus ista futura esse dixi. Jam enim malum istud præ foribus cubat, & cujus uberrimus olim provertus futurus est, ejus jam semina quædam in Ecclesia paulatim sese exserentia conspicimus. Ex eorum quippe numero ac seminio sunt & isti qui &c. Quorum hîc & modum agendi atque aios illaqueandi, & mores graphice depingit Apostolus, quo Timotheus iis perspectis, tanto facilius ab eorum artibus sibi & Ecclesiæ cavere posset. Ut autem in superioribus verbis magis de auditoribus videbatur loqui, & ea morum pravitate quæ passim in hominibus erat futura, ita hîc de ipsis doctoribus pravis & impostoribus. Artes autem illorum & modum agendi exprimit initio, dum ait, *qui irrepunt in domos*, id est qui sensim sese insinuant in notitiam & amorem hominum, aditusque ad eos & tempora captando, animos eorum fictæ quam præ se ferunt religionis ostentatione venantur, atque *captivas ducunt mulierculas*, id est, inprimis autem artem suam experiuntur circa mulierculas, tanquam eas quæ solent esse magis credulæ, & ad fallendum, ut incautiores, magis expositæ. Illis retia tendunt, illas orationis devotæ, & cultus religiosi, corporisque in observantiam numinis flexi ac compositi illicio in casses suas pertrahunt; quo faciliùs postea per illas viris imponere eosque illaqueare queant. Mulierculas autem istas, & quoad mores, & quoad intellectum describit. Illud facit hoc versu: istud sequenti. *Oneratas peccatis*, id est, & in hoc ipso arte utentes quòd non eas aggrediantur quæ vitæ integritate sunt conspicuæ, sed quæ sub peccatorum quibus sese implicarunt pondere gemunt, & conscientiæ tormina sentiunt, promittendo videlicet illis peccatorum remissionem liberaliter, & rationem ostendendo qua illis secure indulgeant, neu ullam ipsorum conscientiam habeant, aut pœnæ metu propter illa angantur. *Actas desideriis variis*, id est, quæ non solum olim vitiis deditæ fuerunt, sed nunc etiam variis cupiditatibus in animis earum regnantibus expositæ sunt, & quæ libenter sibi genioque suo indulgerent, atque ita vitam dissolutiorem cum gratiæ Euangelicæ spe conciliare vellent.

Vers. 7. *Semper discentes*, id est, quæ semper varia libenter scisciantur & exquirunt quasi rerum religiosarum cognitione ducantur; *& nunquam ad scientiam veritatis venire valentes*, id est, illud tamen quod maxime sciendum & tenendum est nunquam recte discere possunt, nempe veritatem Euangelicam.

Vers. 8. *Quemadmodum autem Jannes & Jambres.* Alii habent Mambres. Descendit ad descriptionem morum istorum seductorum, ut simul, quemadmodum monuimus superius, insinuet Timotheo rationes ob quas illos aversari & fugere debeat; ut vel hinc possit quis auspicari partem capitis aliam, qua præmoneri diximus Timotheum adversus corruptionem ab Apostolo prædictam. Initio autem istorum impudendiam notat, cùm eos comparat Janni & Mambri; quæ nomina Magorum fuerunt, ut notarunt alii, Mosi in Ægypto impudentissime resistentium, & miraculis cum Mose certare audentium. *Ita & hi resistunt veritati*, nempe euangelicæ, impudentissime adversus eos qui illius sunt præcones insurgentes. *Homines corrupti mentem*, id est, stolidi & mentis vitio laborantes: alterum illorum quod habuimus 1 epist. cap. 5. ℣. 5, *reprobi circa fidem.* In illo loco prioris ad Timotheum dixit, *privatorum veritate*, id est, qui circa fidem sunt rejectanei.

Vers. 9. *Sed non proficient ultra.* Id est, sed non diu illis artes suæ succedent, non diu in Ecclesiam Dei grassabuntur, neque adeò multos sui sectatores invenient, ut metuendum sit ne mali vis totum Ecclesiæ corpus occupet. Exitum denique ac successum illorum subjicit, & consolatur simul ac præmonet Timotheum. *Nam amentia eorum nota erit omnibus.* Nam artes illorum ab omnibus deprehendentur, illorumque stoliditas omnibus liquido apparebit. Causam adjicit cur illos ætatem non laturos dixerat. *Sicut & illorum facta est*, nempe illius Iannis, & Mambris, quibus ut in impudentia & amentia similes esse istos dixerat, ita successum eventumque rerum suarum cum illis eundem habituros pronunciat.

Vers. 10. *Tu autem.* Hinc jam aperte incipit alia capitis hujus pars, in qua diximus præmoneri Timotheum adversus illam corruptionem jam tum in Ecclesia pullulantem, & ipsius authores, ne videlicet ab illis seduceretur, sed potiùs illis sese opponens omni virium contentione, videret ne quid detrimenti res Christiana caperet: quemadmodum hoc capite sequenti apertius, hic verò per quandam ex illo priori consequentiam tractatur ab Apostolo. Præmunit autem eum & exemplo suo, & Sacrarum Literarum authoritate. Exemplum vers. 10 & 11 exprimitur. *Tu autem assequutus es*, id est, perspectam & accurate cognitam habes παρηκολούθηκας ut Luc. cap. 1. vers. 3. *meam doctrinam*, id est, ea omnia quæ ego hominibus nomine Dei & Christi annunciavi, doctrinam videlicet Euangelicam, à se inter Gentes disseminatam. *Institutionem*, id est, vitæ tenorem, omnesque actiones meas, quomodo me gesserim, & vitam meam traduxerim. *Propositum*, id est, quo fine & intentione ita omnes meas actiones, mea dicta & consilia dirigam & componam, quid hac & doctrina & vivendi ratione propositum mihi habeam. *Fidem*, firmissimum Euangelicæ doctrinæ assensum, vel potiùs inconcussam fiduciam in Deum, spemque in ejus potentia & bonitate altissimè defixam. *Longanimitatem*, id est, in tolerandis variis hominum moribus minime præcipitem animum, sed omnia sperantem, omnibus credentem, à nemine penitus aversam voluntatem, verùm omnibus sese accommodantem, propter eorum utilitatem spiritualem. *Dilectionem* quæ jam priori ardentior, cùm, etsi difficulter, possit tamen illa absque hac esse, præsertim si in summo gradu, ut par est, dilectio intelligatur, & μακροθυμία tantùm pro ea tolerantia accipiatur per quam fiat ne penitus ab aliquo aversi simus, animumque citò de illius sanitate despondeamus. *Patientiam* in rebus adversis videlicet, quæ sibi ob euangelium evenerant. Quæ quanta fuerit, ex afflictionum hîc enumeratis generibus, quorum & exempla hîc producit, vult intelligi.

Vers. 11. *Persequutiones* διωγμοῖς. Est autem διωγμὸς proprie cùm quis vel ejicitur aliquo loco & in exsilium pellitur, vel etiam crudelitatem hostium videns sponte se persequentium manibus subducit: quo sensu videtur usurpari Rom. 8. ℣. 35, & Matth. 13. ℣. 50.

Passiones afflictiones quas in corpore proprio perferret, ut sunt verbera, vincula, carcer. *qualia mihi facta sunt in Antiochia*, Pisidiæ videlicet, quæ vicina fuit *Iconio*, & *Lystris*, hîc commemoratis. Quorum omnium historiam habes, Act. 13, & 14. Exemplis dicta comprobat. Quæ afflictiones quia, ut ex historia sacra apparet, insignes erant, ideo repetit, *quales persequutiones sustinui*, id est, quàm ego dira & atrocia perpuli, quàm in extremum vitæ discrimen adductus fui. *& ex omnibus eripuit me Dominus*, id est, non tamen illis succubui, aut in ipsis perii, sed in omnibus præsentem Christi opem expertus sum, qui non passus est me supra id quod portare possem tentari, sed procuravit ex tentatione prosperum & exoptatum exitum. Subjungit id, ut soletur cùm Timotheum tum alios etiam, spe similis auxilii divini in afflictionibus, quę ipsis propter justitiam obvenire possent. Vide 2 Cor. 1. 3 & seqq.

Vers. 12. *Et omnes autem.* Quia poterat Timotheus aut mirari talia tanto Dei servo contigisse, aut minus ad se forte id pertinere arbitrari, obviam it utrique cogitationi his verbis Apostolus, eandem omnium Christianorum hac in parte sortem & conditionem esse dicens: quasi dicat; ne autem mireris talia mihi

evenisse, aut etiam tua id nihil interesse cogites: nemo enim ab eo quod ego in persona mea exhibui, potest esse exsors & immunis. *Omnes* intellige generaliter, non quod nullus omnino posset esse extra persecutionis periculum, sed quod ei plerique omnes subjaceant. Jam particula καὶ juncta cum δὲ, disjuncta copulat ac auget, ut Joh. 6. ℣. 51: paulò aliter 1 Joh. cap. 1. ℣. 3. *Qui pie vivere volunt*, id est qui piè vixerint, Hebraismus: non de solo videlicet conatu pie vivendi loquitur. *In Christo Jesu* id est secundùm doctrinam Christi. *Persequutionem patientur*, per multas enim angustias & afflictiones oportet ingredi regnum cœlorum.

Vers. 13. *Mali autem homines.* Suo exemplo opponit impios illos perversarum doctrinarum patronos & buccinatores, suisque moribus illorum mores. *Proficient in pejus*, in graviora quotidie scelera ruent, in extremamque improbitatem prolabentur. *Seducentes & seducti* alios in erroris ansam pertrahentes, sed nec ipsi plus sapientes, imò eundem errorem quem aliis suadent ipsi quoque errantes: cœci cœcorum duces.

Vers. 14. *Tu verò permane in iis quæ didicisti*, id est constanter in ea quam semel hausisti doctrina persevera, neque ab illa te à seductoribus istis dimoveri patiaris. Ex exemplo suo, quod priorem esse rationem diximus, qua præmonet Timotheum, ne seduci se patiatur, infert conclusionem, vimque hujus argumenti plenius exprimit; sed ita ut simul ei annectat aliud argumentum: ita ut verba ista & priora respiciant, & posteriora. Καὶ ἐπιστώθης. & quorum facta est tibi fides, quæ non solum prædicari tibi audivisti, sed etiam ad uberiorem eorum notitiam pervenisti, verissimaque & minime fucata esse deprehendisti. Alii vertunt *quæ credita sunt tibi*, id est quæ sunt velut in sinum tuæ notitiæ deposita, ut illa fideliter tuerere, & nihil ex iis deperderes. Priori interpretationi magis videtur favere vocis Græcæ notio, posteriori autem id quod statim sequitur. *Sciens à quo didiceris*, id est gnarus quo magistro & authore ad ejus doctrinæ notitiam perveneris, me videlicet, cujus perspectam probe habes non solum dicendi sed etiam vivendi rationem, ut supra dixerat. Vis argumenti tota est in his verbis, quorum pondus versic 10 & 11. satis superque ostendit Apostolus.

Vers. 15. *Et quia à puero*, id est jam inde à teneris unguiculis. Hyperbole. Infantiam posuit pro ea pueritiæ parte quæ cognitionis esset capax. Est alterum argumentum quo Timotheum munit adversus illos seductores, ab authoritate Sacrarum Literarum veteris Testamenti petitum. *Sacras literas*, veteris nempe testamenti. Erat quippe Timotheus matre Judæa natus, cujus ductu facile poterat ut in legibus patriis institui, ita ad Sacrarum Literarum lectionem accendi. *Quæ possunt te sapientem reddere ad salutem*, id est, quæ possunt te sufficientissime instruere & earum rerum scientia complere quæ ad salutem consequendam pertinent. *Per fidem quæ est in Christo Jesu*, si nimirum ad illas fidem quæ ut à Christo Jesu hominibus tanquam medium salutis adipiscendæ monstrata est, ita in illo est collocanda, adjunxeris, vel si ad illas principiis religionis Christianæ instructus accesseris. Rationem consequentiæ affert ab effectis, ex quibus ut commendatio ipsius scripturæ, ita vis argumenti Paulini pendet.

Vers. 16. *Omnis scriptura*, nempe de qua loquor. *Omnis* pro tota, id est quidlibet ex illius libris & instrumentis. Quod in genere de Scripturæ Sacræ effecto dixerat, id apertius explicat & comprobat, tum ab authore illius, tum ab enumeratione specialium ejus effectorum, qui sunt velut partes ex quibus ille superius expressus resultat. Ita autem hæc verba dispescenda esse, ut vox θεόπνευστος ad prædicatum pertineat, & non subjecti determinativa sit, indicat particula καὶ illam subsequens. *Divinitus inspirata* scilicet *est*, quia Dei Spiritu afflati illius authores monumenta sua ad posteritatem transmiserunt: non quod singulos verborum apices omniaque verba prorsus Spiritus Sanctus illis dictaret; sed quod perfectam eorum & numeris omnibus absolutam sententiam compleret: quod ipsi ab illo velut impulsi monumentis literarum consignarunt. Etsi quod ad Prophetas, & præsertim in rebus magni momenti attinet, linguas etiam ipsorum rexisse, & verba ipsa illis instillasse videatur: sed ita ut se ad aptitudinem & dispositionem temperamenti uniuscujusque accommodaret, idque dicendi genus unicuique inspiraret ad quod ille natura propenderet. Inde nimirum Esaiæ sublimior stylus, quàm verbi gratia Amosi. Quæ diversitas etiam in Sacris novi testamenti scriptoribus conspicitur.

Utilis ad doctrinam, qua generalis eorum quæ in religionis negotio scienda faciendaque sunt notitia continetur. *Ad redargutionem*, quæ inconvincendis hominum erroribus, & falsæ doctrinæ à vera, discretione, conspicitur. *Ad correctionem*, per quam hominum mores à recti tramite devii corrigantur & ad frugem reducantur. *Ad eruditionem quæ in justitia*, per quam ad uniuscujusque personam generales Doctrinæ quoad ea quæ unicuique facienda sunt applicantur. Justitiæ enim nomine, ut alias sæpe, omnium virtutum complexus ipsaque adeo pietas ac sanctimonia intelligitur.

Vers. 17. *Ut perfectus sit Dei homo*, id est, ut in suo perfectionis gradu consistat, *Dei homo*, id est qui habenas Ecclesiæ moderatur, servus Dei 1 Timoth. 6. vers. 11. *Ad omne opus bonum instructus*, docendorum faciendorumque uberrima notitia sit præditus. Quod per species recensuerat, iterum velut in fasciculum colligit, & aliis verbis eundem quem versu superiori expresserat Sacrarum Literarum effectum repetit. Jam quod de Doctore Ecclesiæ hîc asseritur, ad quosvis speciatim Christianos extendi debet. Si enim illi qui reliquis omnibus & rerum divinarum notitia & vitæ integritate præire debet, Sacræ Literæ ad eum salutari sapientia complendum, perfectumque & ad omne opus bonum instructum reddendum sufficiunt, quanto magis sufficient illis in quibus non adeò absoluta solet exigi sapientia.

Cap. IV.

Pergit in adhortatione ad munus doctoratus strenue obeundum, patientiamque ob ipsum in afflictionibus. Deinde subjicit privata quædam, tum ad se tum ad alios pertinentia, & denique epistolam concludit.

Vers. 1. *Testificor igitur.* Prima capitis pars ad ℣. 9. extensa, qua hortatur ad diligenter obeundas omnes muneris ipsius partes, patientiamque in afflictionibus. Quæ ut tanto tenacius ipsi hærerent, initio obtestatione pondus adhortationi conciliat, tum ipsam adhortationem ponit, & denique rationes illius subnectit. *Testificor igitur ego.* Quasi dicat; cum igitur ista quæ hucusque disserui ita se habeant; ego Paulus, Doctor & Pater in Christo tuus, obtestor te *coram Deo* Patre, *& Domino Jesu Christo* id est velut in conspectu illorum, illisque quasi testibus advocatis, te hortor & moneo, ne postea ignorantiæ excusationem prætendere possis, qui testes erunt mihi quod tibi hoc præceperim. Est enim obtestatio quasi testibus adhibitis gravissima alterius admonitio, ne ille velamen postea ab ignorantia, desidiæ suæ quærere possit. Deo autem simpliciter nominato, Dominum Jesum describit, ab opere ipsius omnium gloriosissimo, & suæ hortationi accommodatissimo, ostendens eundem fore judicem quem sui moniti testem ciebat. *Qui judicaturus est vivos & mortuos*, qui sententiam laturus est de vivis & mortuis omnibus, ac secundum opera ipsorum redditurus, iis quidem qui ipsi fideles fuerint vitam æternam, immorigeris autem & refractariis ignem inextinguibilem.

bilem. *Secundùm apparitionem ipsius*, id est in illo adventu suo, καὶ quippe tempus hoc loco significat, *& regnum ejus*, cum videlicet maxima ipsius regni majestas & amplitudo elucescet, cum quantus & quàm gloriosus potensque rex ille sit, liquidò omnibus apparebit. Regnare enim tum dicitur Deus cum majestatem & gloriam suam aliquo notabili facto conspiciendam præbet. Ut Apoc. 19. 6, regnasse dicitur Deus, quando ut suprà ℣. 1, exprimitur, virtus & gloria ipsius maxime enituit; & venisse dicitur Christus in regno suo Matth. 16. 38, quando se transformatum exhibuit Apostolis, quia videlicet tum, ut Petrus ait, acceperat à Deo patre honorem & gloriam, quandamque velut imaginem futuræ majestatis suæ in regno suo illis repræsentavit.

Vers. 2. *Prædica verbum*, id est, annuncia euangelium. Est ipsa adhortatio qua monet ipsum ut diligenter muneri suo incumbat. Videtur autem easdem muneris ipsius partes constituere, quas fructus esse sacrarum literarum superiori capite asseruerat. Ita hoc primum generale quasi erit cujus complexu reliqua coërceantur: nisi quis illud ad διδασκαλίαν tantùm referre malit. *Insta tempestive intempestive*, id est doce ac etiam mone captatis omnibus temporum articulis, sive videris aptum esse tempus accessumque & aditum facilem ad eum quem instruere vis, sive minus: si nimirum metus sit, ne frustra tempus exspectes, omnisque occasio tibi veram doctrinam spargendi peritura sit. Alias enim satius est molles aditus quærere, & tum cælestem alicui doctrinam instillare, cùm ille ipsi vacaturus, ad ipsamque avida aure combibendam aptior futurus videtur. Diligentiam in ipsa prædicatione & cœlestis doctrinæ propagatione videtur requirere. Sequitur enim illi affine, *argue* falsarum doctrinarum patronos cum suis figmentis convince, atque ita veritatem doctrinæ tuæ asserere; id antea vocavit ἔλεγχον. *Increpa* id est eos qui vitæ fuerint dissolutioris moribusque depravatis objurga, & ad frugem revoca: Id ἐπανόρθωσιν supra vocavit. *Exhortare* id est pietatis & sanctimoniæ amorem illis instilla, vocisque tuæ classico ad eam excita atque anima. *in omni longanimitate* id est non statim desinendo si forte quis non statim aut perceperit, aut etiam assensus fuerit sermonibus tuis, neque ab exhortatione desistendo, si fortè initio acrius restiterit, aut etiam in te acerbior fuerit, *& doctrinâ*, id est, omnia religionis capita aperiendo, eorumque explicationem cum admonitione ad virtutis stadium strenue decurrendum jungendo. Hæc est illa παιδεία ἐν δικαιοσύνῃ.

Vers. 3. *Erit enim tempus* id est, neque enim id tibi facere semper integrum erit, venietque tempus *cùm sanam doctrinam*, id est, doctrinam euangelicam à corruptione liberam, *non sustinebunt*, id est, aversabuntur. Quare nunc cum tempus est muneri tuo insta, quo huic malo occurrere possis, ne etiam citò Ecclesiam invadat, & ubi invaserit ne adeo multos sui sectatores inveniat. Cum enim istius mali fundamentum sit in voluntate humana, quæ per se libera est, non fuit ipsius prædictio adeò immutabilis, quia & tempus ipsius differri & ipsum mitigari posset. Est ratio à summa necessitate sumta, ob quam hortationis illius memor esse debeat. *Sed secundùm desideria sua sibi ipsis coacervabunt magistros*, id est, non erunt tunc quidem homines sine magistris & doctoribus, imò habebunt illos magno numero, verùm tales sibi deligent qui sint ad ipsorum gustum, qui cupiditatibus illorum blandiantur, & voluptatis ac deliciarum hujus mundi, non pietatis & afflictionum viâ ad vitæ futuræ gaudia ducant, atque ita ipsis placentia loquantur. Unde subjungit Apostolus, *prurientes auditum*, id est, qui & semper nova audire velint, & nonnisi iis accommodent aures quæ ipsorum animos titillent & subscalpenti voluptatis illecebra demulceant.

Vers. 4. *Et à veritate quidem* nempe euangelica, *auditum avertent*. Expolitio sive ἐπιμονὴ, qua clarius explicatur id quod versu superiori dixerat. *Fabulas* autem vocat ut supra vidimus omnes doctrinas quibus cum euangelica veritate minus convenit, quia & veri sunt steriles & anilibus puerilibusque nugis persimiles.

Vers. 5. *Tu verò* superiorem adhortationem repetit, sed auctam duabus virtutibus quæ velut individui solent esse comites doctoratus: quarum una est vigilantia. *Vigila in omnibus*, sis circumspectus, etiam atque etiam provide ne quà per tuam incuriam hostis latenter irrepat. Altera patientia, *mala patere*, id est, quicquid adversi propter nomen Domini evenerit masculo & inconcusso animi robore perfer. *Opus fac Euangelistæ*, id est negotio munerique tuo quod est Euangelistæ diligenter & naviter incumbe. Euangelistæ autem fuerunt adjutores & veluti cooperarii Apostolorum: quorum munus erat ut ab Apostolis relicti vel etiam Apostolis suo muneri intentis, illi quæ ad ordinem in Ecclesia bonum pertinebant ordinarent, & si quæ obscurius Apostoli protulerant illi explicatius enarrarent, & in erudiendo grege Domini elaborarent. *Ministerium tuum impletum reddito*. id est, in id seriò incumbe, ut munere tuo ita defungaris quò & tibi ipsi & aliis satisfacias, Deoque inprimis illud approbes. Est expolitio qua perfectio in Doctoratus munere significatur.

Vers. 6. *Ego enim*. Ratio adhortationis itidem à summa necessitate ducta, mortis videlicet Pauli vicinitate, ex qua totum istud quod Paulus sustinebat onus in humeros Timothei reclinaturum esset. Quasi dicat; Tanto autem magis id providere debes, quia ego *jam delibor*, id est morti vicinus sum, unde id quod ego obeo munus, jam tuis lacertis incumbet: quare nunc jam illi acrius insiste, & utraque quod ajunt manu illud capesse. σπένδομαι, vox à sacrificiis translata quibus libamina adjungebantur, mortem violentam per metonymiam adjuncti, eamque Deo longe gratissimam innuens. Ratio translationis ex locis huic geminis apparet, ut Philip. cap. 2. vers. 17, & Rom. 15. 16. *& tempus meæ migrationis instat*, verbis planioribus quod ante paulò obscurius dixerat explicat. Migrationis voce mortem describens, ut significaret mortem Christi fidelibus esse transitum quendam alio, nempe ad Christum, ut ait 2 Cor. 5. 6 & 8. Migrationis autem voce reddendam esse vocem ἀναλύσεως indicat locus Luc. cap. 12. vers. 36. Vide & Philipp. cap. 1. vers. 23.

Vers. 7. *Certamen bonum certavi*, id est stipendia meo imperatori cujus sacramento rogatus eram debita penitus absolvi, sive athletico quod mihi demandatum erat munere defunctus sum. Utriusque enim tam militiæ videlicet quam athleticæ notionem vox ἀγῶνα subire potest. Cujus nomine nil aliud quam fides nostra per Dominum Jesum in Deo firmissime defixa intelligitur, ut explicat Apostolus ipse, 1 Tim. 6. ℣. 12. Cujus πληροφορίαν ad extremum retinere volenti non luctandum tantùm sed etiam cruenta quandoque acie idque sine missione cum Satana, mundo, carne, decertandum. Subjungit autem ista & sequentis versus verba, sive ut rationem reddat cur tam augustis libationis videlicet & migrationis vocibus mortem suam descripserit, sive quod potius est, ut tacitæ Timothei aliorumque cogitationi occurrat, simulque ad sua vestigia premenda eos animet, à quibus facile absterreri poterant, miserrimum esse illum arbitrantes, ut cui asperrima quæque ob nomen Domini perpesso, ad extremum in vinculis tanquam scelerato latroni mors cruenta oppetenda esset, atque propterea instructio pietatis & patientiæ relanguescere. Felicem igitur imò & beatum nedum miserum eo nomine se prædicat Apostolus, quia videlicet mortem illàm utcunque dura & acerba futura sit, interminabilis summi gaudii possessio sequatur. Verùm quia id ipsum in dubium vocari poterat, ideo licet hoc primario intendisset, initio tamen illud expressit quod eam fiduciam illi ingeneraret, spemque illi futuræ cœlestis lætitiæ firmam faceret, id autem est fides ad extremum Domino Jesu servata, ut ipsa vox ostendit, quam addit. Sed prius rem eandem metaphoricis vocibus exprimere voluit, quòd eæ rem vividius exprimerent, & animo triumphi

spe gestienti aptioros essent. Quasi dicat; Neque vero est quod quisquam vestrum audita mortis meæ vicinitate, quam ex meo sermone violentam futuram conjicitis animo concidat, & sive me cui in tantis angustiis transacta vita tam luctuoso fine claudenda sit, miserum ac infelicem esse putet, sive ipse in stadio pietatis subsistat & interjungat. Tantum enim abest ut eo nomine miserum & infortunatum esse arbitrer, ut potius gestiam præ lætitia & seriò triumphem, quantoque migrationis meæ tempus vicinius est, tanto meam felicitatem propiorem, meque triumpho qui me manet, viciniorem esse compertum habeam. *Cursum consummavi*, id est, jam ad metam propositi mihi cursus perveni, quem indefesso spiritu totum peregi. Metaphora à cursoribus, rem eandem exprimens, quam plenius persequitur 1 Cor. 9. 24 & 26, item Philip. 3. 13, 14. Ad eandem alludit & Hebr. cap. 12. ỷ. 1, 2. *fidem servavi* id est, vel fidelis in omnibus Domino fui, tanquam dispensator Dei & minister Christi, 1 Cor. 4. 1, 2, vel fidem quam semel Domino dedi, spem meam in illo unice collocans, ad extremum illibatam & integram conservavi.

Vers. 8. *Reliquum.* Id est, Hoc igitur quod mearum erat partium cùm satis cumulate præstiterim, atque officii mei rationes impleverim, nil aliud restat, quàm ut cœlestis illius gloriæ particeps evadam; quæ est illud quod me nunc animo concidere non sinit, imo lætum & erectum esse jubet. Ea in tuto est, neculla ratione in dubium vocari potest. *Reposita* quippe *est mihi*, nempe à Deo Patre, id est destinata & assignata. Non solùm magnitudinem ipsius sed & certitudinem exprimit. Illud cùm eam vocat *justitiæ coronam* nempe coronam quæ est justitia, ut Jac. 1. vers. 12, *coronam vitæ*, & Apoc. 2. vers. 10, & 1 Pet. 5, vers. 4 *corona gloriæ*, pro corona quæ est vita & gloria. Genitivus speciei. Alludit autem ut jam innuimus ad athletas, & quia certamen se certasse asseveravit, ideo coronam se exspectare ait, victoribus athletis cursoribusve dari solitam: nisi quod illa fuit marcescibilis & peritura, ut ipse Apostolus 1 Cor. 9, vers. 25 eam vocat, ista vero quam sibi repositam dicit, sit æterna corruptibilis, ut ibidem appellat, nempe ipsa immortalis gloria. Quam *justitiæ* nomine appellat, quia tum vere patebit, nos pro justis à Domino habitos, tumque nos non secus atque si justi fuissemus tractatos ab illo fuisse, peccataque nostra omnia deleta esse, gloriari poterimus, cùm vinculis mortis æternæ liberati, ad vitæ in cœlis æternæ transigendæ libertatem fuerimus asserti. Hoc verò, cum & datorem illius nominat ac describit, & tempus quo sibi esset obventura exprimit. Et dator quidem exprimitur his verbis, *quam reddet mihi Dominus*, nempe Jesus, ille enim est qui redditurus est nomine Dei patris sui unicuique secundùm opera ejus, ut qui est judex vivorum & mortuorum ab illo constitutus. Itemque cum addit statim, *justus judex*; quorum etsi hoc solum magnam vim ad certitudinem præmii demonstrandam habeat, cum scio in illius manu esse repositum qui mihi illud promisit, eumque me habiturum judicem qui meæ causæ impensius favet; longe tamen majorem cum audio illum esse justum, ita verò justum qui nec per malitiam, nec per ignorantiam quidquam injusti committat, ut cui remotissima & intricatissima quæque aperta & manifesta sunt, quique ab omni cuiquam inferendæ injuriæ suspicione est remotissimus. A quorum utroque non sunt usquequaque tuti judices mundi hujus: multique licet non per malitiam & perversitatem, tamen per ignorantiam juris, quando ipsis imponitur, inferunt aliis injuriam. Tempus verò expressit his verbis, *in illa die* nempe extremi judicii, de quo habetur, Act. 17, *non solùm autem mihi.* Subjecit hæc verba, occurrens tacitæ aliorum cogitationi, ne quis putaret aliam sui esse rationem quàm Pauli, ac proinde nec mirum esse si ille tanti præmii tam liquida spe suffultus mortem exspectaret: sibi id animi non adfuturum, quia forte non eadem se præmii spes maneat. Quasi dicat; Quod autem de me dico, id non ita accipiendum est quasi ad me solum pertineat, nec cujusquam mecum commune esse possit. Eadem quippe est aliorum quæ & mei ratio, nec solum mihi est destinata ista justitiæ corona, sed omnibus etiam fidelibus. *Sed & omnibus diligentibus apparitionem ejus*, id est, qui fidem etiam ipsi non secus atque ego ad extremum servaverunt. Ii enim soli diligunt & exspectant anxie apparitionem Christi, id est adventum ejus ad extremum judicium. Effectum seu consequens ponit pro causa, seu antecedente. Unde Dominus signa extremi judicii prædicens, jubet suos attollere & erigere capita, & Paulus ad Rom. 8 ait, creaturam novam anxie exspectare revelationem filiorum Dei: quin & Johannes in Apocalypsi dicit sponsam & Spiritum dicere veni Domine: ut indubitata sit veri Christiani nota, anxia & spei plena exspectatio adventus Domini Jesu in judicium.

Vers. 9. *Stude venire ad me cito.* Altera capitis pars, in qua familiaria quædam tractat, eaque trium generum. Nam quædam præcipit quæ ab illo fieri velit: quædam quæ sibi evenerant indicat, & eorum occasione ipsum monet aut instruit, & denique salutationes varias subjungit. Ab illo fieri vult tria, quorum hoc unum est, ut quamprimum ad illum venire maturaret.

Vers. 10. *Demas me reliquit.* Rationem ejus quod versiculo præcedenti præceperat exprimit, quia videlicet alii ipsum reliquerint, alios ipse à se amandarit. Ac reliquisse se quidem dicit Demam istum quem ex epistola ad Philemonem apparet fuisse cooperarium Pauli & adjutorem in sacro ministerio. Causam etiam expressit, *diligens nunc seculum*, id est consortio meo præferens negotia mundi hujus, & prædicationi euangelii, rerum hujus mundi procurationem, & rei familiaris promotionem. Non enim ita dilexisse mundum hunc putandus est ut ab ipsa etiam religione Christiana prorsus deficeret, & ad pristinæ superstitionis sordes relaberetur, sed quia animum adjecerat ad rem struendam, cui in sacro opere vacare minime poterat, ideoque hoc potius omittere, quam occasiones rei amplificandæ amittere maluit. Hanc vocis hujus mundi significationem, ut res ad vitam hanc necessarias complectatur, habes 1 Cor. 7. vers. 31 seqq. Jacob. 2. vers. 5. 1 Joh. cap. 3. 17. Hoc tamen ingens crimen fuisse in eo qui se Deo penitus addixerat & consecraverat, apparet ex eo quod Apostolus ait 2 Tim. cap. 2. ỷ. 4. Cæterum rediisse Demam ad officium, verisimile est, si posterius eam quæ est ad Philemonem scripsit quàm hanc: ut quidem videtur, quia in ea Timothei tanquam sibi præsentis facit mentionem, Philemonem autem, à Dema tanquam suo cooperario salutat. Quanquam & hoc ipsi obstare videtur, quòd hic de morte sua tanquam jamjam instante disserat, ibi verò se sperare quod evasurus adhuc è vinculis esset asserat. Ut tandem quid certi hac in re statuendum sit, non planè liqueat. Commemorat autem Demam istum & epist. ad Col. 4. 14. *& abiit Thessalonicam*, ut ibi videlicet rem augeat, negotiaque sua tanto melius procuret.

* * *

1 *Tim.* 2. 4, *ad* 7.

POstquam Apostolus ab initio hujus Capitis ad monuisset fideles, ut preces ad Deum fundant pro omnibus hominibus, & pro beneficiis divinis ei gratias agant, utque fausta quæque atque inprimis salutem æternam omnibus exoptent: jam affert rationem istius admonitionis suæ, desumtam summâ benevolentiâ Dei & desiderio salutis humanæ, quod per Christum testatus est. Si enim Deus, quem imitari debemus, tanto flagrat salutis hominum studio, utique & nobis filiis ejus incumbit, ut hoc opus humanæ salutis votis ac studio omni promoveamus. Perpendenda igitur in his verbis Apostoli sunt duo.

1. Quomodò exprimat Dei desiderium ac studium ergà salutem hominum.
2. Quibus argumentis probet, tale ac tantum esse Dei studium.

Primum continetur vers. 4. Ubi tria occurrunt notanda.

da. 1. Quid boni Deus hominibus velit. 2. Quàm latè pateat ista Dei benevolentia. 3. Quomodò id Deus velit fieri. Quid Deus velit exprimens, duo nominat Apostolus: salutem & agnitionem veritatis. Quorum illud est bonum principale, hoc secundarium, & medium ad illud consequendum. Cùm dicit, Deus vult homines *servari*, de æternâ salute loquitur. Etsi enim Deus quoque velit, ut homines in his terris & in hâc vitâ conserventur, tamen rationes additæ monstrant, Apostolum hic de cœlesti ac immortali vitâ agere. Desiderat ergò Deus & finem, & media ad eum ducentia. Quasi dicat: Deus vult homines æternùm servari, ac propterea etiam cupit ut veritatem agnoscant. Sine hoc medio enim servari non possent. Salus duo in se complectitur. 1. Liberationem ex miserâ conditione. 2. Translationem in statum beatissimum, quo nihil melius atque sublimius excogitari aut optari potest. Cùm autem morte æternâ nihil sit horrendius, & vitæ æternæ gaudiis nihil sit beatius: significat Apostolus, Deum velle, ut homines eripiantur ex morte atque interitu sempiterno, & in cœlestia palatia transferantur, ac vitæ æternæ, omniumque gaudiorum divinorum compotes reddantur. Status iste cœlestis conjunctus est cum summâ gloriâ, cum summis delitiis. Videbimus enim ibi Deum sicut est: & divinæ ejus naturæ erimus participes. Nullius hominis lingua sufficiens est ad explicandas illius vitæ voluptates. Quia oculus non vidit, auris non audivit, & in mentem hominis non descendit, quid Deus paraverit diligentibus se. 1 Cor. 2. 9. Hoc igitur primum est, quod Deus desiderat, quod & nos omnibus optare atque precari debemus, & pro quo tenemur semper Deo agere gratias. Si pro omnibus donis ac bonis gratiæ Deo agendæ sunt, multò magis pro dono tam augusto, & excellenti. Hujus doni spes in terris est maximum omnium bonorum, quæ habemus in mundo. Dicamus ergò cum Apostolo Petro 1 Pet. 1. 3. *Benedictus sit Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundùm magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conservatam in cœlis propter nos.* Ad hanc autem hæreditatem ac salutem ut perveniamus mediis opus est. Itaque ostendit Apostolus, Deum velle, ut homines etiam medium salutis assequantur: id autem est *agnitio veritatis*. Per veritatem intelligitur Euangelium, seu doctrina Christi: ut ipse Apostolus explicat Eph. 1. 13. Ita & Cristus Joh. 1. ℣. 17. *Gratia & veritas per Christum facta est*; ubi per veritatem designat Euangelium quod opponit Legi. Jure autem Euangelium veritas vocatur, non tantùm quia in ea nihil est falsi; sed etiam quia est omni ex parte perfecta, sive præcepta spectes, sive promissa. Nulla doctrina quo ad perfectionem cum ea comparari potest. Lex quidem etiam nihil falsi continebat, & eo respectu etiam fuit veritas: sed ratione perfectionis solum Euangelium est veritas, & hoc respectu Euangelium Legi oppositum veritas appellatur. In lege umbræ fuerunt rerum futurarum. Sub Euangelio est ipsa veritas; omnium umbrarum ac figurarum impletio facta est. Hanc veritatem cupit Deus ut homines agnoscant. Non simpliciter vult, ut homines serventur, absque omni labore ac cura suâ, sed vult ut aliquid faciant, vult ut in Christum credant, ac per eum in Deum, ut fidem bonis operibus probent ac demonstrent, quæ sunt anima fidei. Nemo autem potest habere fidem, nisi habeat cognitionem veritatis de Deo, de ejus attributis, voluntate atque operibus, nec non de Christo ejusque doctrinâ. Deum cognoscere debemus per Christum, qui nobis perfectam Dei voluntatem revelavit, quid nimirum nobis promittat, & sub quâ conditione. Hæc omnia in ista veritate comprehenduntur. Qui hanc veritatem non novit, nescit medium adipiscendæ salutis. Cognitio verò ista non debet esse theoretica, sed practica: non tantum animo ac mente eam tenere, sed & factis atque effectu ipso eam demonstrare debemus. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine*, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est. Matth. 7. 21. Qui vult habere promissa, debet facere præcepta. Hinc 2 Petr. 3. ℣. 9 dicitur, Deum nolle, ut aliqui pereant, sed ut omnes ad pœnitentiam convertantur. Oportet ergo ut qui salvus fieri cupit, prius pœnitentiam agat, id est, mutet animum ac vitam suam in melius, ut animum à peccatis convertat ad pietatem, ut etiam reipsa peccata abjiciat, & faciat fructus dignos pœnitentiâ. Peccata extirpanda sunt per pœnitentiam. Pœnitentia autem acquiritur per agnitionem veritatis. *Qui dicit, se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & veritas in eo non est.* 1 Joh. 2. 4. Cognitio sine pietate est inanis tantum persuasio, & magis nocet, quàm prodest. *Melius enim erat non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem regredi à sancto præcepto sibi tradito. Talium conditio ultima facta est deterior priore; acciditque eis, quod vero proverbio dici solet: canis reversus est ad suum ipsius vomitum, & sus lota ad volutabrum cœni.* 2 Petr. 2. 20, 21, 22. Qui novit promissa Dei & credit eis, is seipsum purificat, sicut Deus purus ac sanctus est. Si hanc cognitionem veritatis ut habeamus, Deus desiderat, desideremus & nos: sed ita desideremus, ut eam omni studio ac diligentiâ quæramus. Non difficulter autem eam inveniemus, si probo simus animo. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, qui me misit*, ait Christus Joh. 7. 17. *Cognoscet de doctrinâ, utrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar.* Nos qui eam jam cognovimus, gaudeamus & amemus eam, dantes operam, ut in nobis sit efficax & bonorum operum fæcunda. *Qui benefacit, ex Deo est; qui malefacit, non vidit Deum*, id est, non cognovit. 3 Joh. vers. 11.

Quam late pateat divina voluntas, quâ vult homines servari, indicat Apostolus, cùm ait, eum velle *omnes* homines servari. Non Judæos tantum, non unam tantum nationem aliquam, sed omnes gentes ac nationes Deus cupit servari. *Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus illi est.* Act. 10. 34. *Non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus, neque fœmina, sed omnes sunt unus in Christo Jesu.* Gal. 3. 28. Olim David gloriabatur: *Non fecit sic ulli nationi, ut manifestaret ei judicia sua*, sicut manifestaverat populo Israëlitico. Psal. 147. 20. Christus etiam ad solos Judæos venerat, & Apostolis interdixit, initiò, ne irent in viam gentium. Sed posteà jussit eos ire in universum orbem, & Euangelium prædicare omni creaturæ: præcipuè autem Paulum constituit doctorem gentium. Præterea non habet nunc Deus rationem status ullius, non spectat vilitatem, non dignitatem, non paupertatem, non divitias, non sapientiam, non ruditatem, non denique respicit anteactæ vitæ mores. Invitat ad se omnes laborantes, & oneratos: omnibus requiem æternam ac salutem offert. Est quod gaudeamus & Deo gratias agamus. Nam si Deus sic agere perrexisset, ut cœpit, id est, si discrimen nationum nunc faceret, nos periissemus. Nunc Deus obduravit Judæos, Ethnicos ad mensam suam collocavit. *O altitudo divitiarum, & sapientiæ, & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & imperveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in secula. Amen.* Rom. XI. 33. Continetur autem his verbis Apostoli argumentum validum contrà æternam reprobationem & damnationem ad interitum sempiternum maximæ partis hominum: quam hodiè non pauci è Christianis urgent ac defendunt. Vult Deus ut pro omnibus hominibus oremus & gratias agamus, nemine excepto, ne inimicis quidem. Ratio est, quia vult omnes homines salvos fieri. Si homines damnavit permultos ad interitum ab æterno: utique non vult omnes homines servari. Et cui bono forent orationes pro reprobis & immutabili decreto damnatis?

Considerandum tandem, *quomodò* Deus homines omnes velit servari. Non vi irresistibili; non ita, ut humana malitia atque improbitas voluntatem Dei non possit immutare: sed vult ità, ut & homines velint, vult sub conditione, vult ut probitas & improbitas humana possit habere locum. Itaque offert salutem, ad eam invitat, juvat, media subministrat: sed in hominum potestate est ista media recipere vel rejicere. Proponit hominibus aquam & ignem; liberum est unicuique alterutrum eligere. Hinc dicit Dominus: *Quoties volui congregare vos, sicut congregat gallina pullos suos sub alas suas, & noluistis.* Matth. 23. 37. Pharisæis & legisperitis objicit, quòd *consilium Dei aspernati sint adversus semetipsos.* Luc. 7. 30. Apostolus Paulus similiter Judæis exprobrat, quòd *seipsos indignos judicaverint vitâ æternâ* Act. 13. 46. Voluit igitur Deus sincere, sed non ità voluit Judæos, & hodie vult omnes homines servari, sicut vult servare credentes in Christum eique obedientes: quod faciet ipse sine fidelium operâ; nempe excitabit eos à mortuis transferet eos in cœlum, immortalitate donabit, non accedente eorum ulla operâ Deus erit solus agens hâc in re; fideles merè passivè se habebunt. At non sic Deus vult homines ex infidelibus fideles facere & ex malis bonos. Oportet ut ipsi etiam voluntatem & operam ac laborem suum adhibeant. Satis est quod vires suggerere velit, si nostræ vires deficiant. Sed quando homines viribus uti nolunt, ipsi sibi obstacula multa objiciunt, se Deo excusant, tum non vult homines ejusmodi servari, sed decretum fert ejusmodi: *Nemo virorum istorum gustabit meam cænam* Luc. 14. 24. Propterea tot monita & adhortationes ad nos fiunt in scripturâ, ne nobis ipsis desimus. *Hodiè si audieritis vocem Domini, ne obdurate corda vestra.* Hebr. 3. 7. *Adhortamini vosmetipsos singulis diebus, quoad cognominatur hodie, ne quis obduretur ex vobis fallaciâ peccati.* Hebr. 3. 13. Cum habemus occasionem ad salutem, aperiamus corda nostra, non induremus, ne Deus ea justo judicio suo magis adhuc induret: quemadmodum solet facere hominibus contumacibus & voluntarie improbis. Nemo igitur seducat semetipsum hoc dicto Apostolico, quòd Deus velit omnes homines servari. Vult enim, & suo modo etiam non vult. Vult ab initio, homineque vocat, invitat, & omni illecebrarum genere trahit, sed frustrà tentatis omnibus mediis eos ad sanitatem revocandi, cum homines nolunt obedire, ipse quoque non vult eos servari, sed gaudet eorum pernicie, & iratus jurat, eos non ingressuros in requiem ipsius. Verum tunc non est quòd homines Deum accusent, cum ipsi in causa & culpâ sint.

Probat deinde Apostolus talem, ut descripsit hactenus, esse Dei voluntatem erga salutem hominum. Duobus autem id probat argumentis. Primum est: *Unus est Deus.* Unus non tantum eatenus, quòd non sint plures, sed etiam quod sit uniusmodi. Omnibus idem est tam Ethnicis quam Judæis, divitibus quam pauperibus: ut ait Apostolus Rom. 3. 29. *An Judæorum Deus solùm? annon etiam Gentium? Imò & Gentium. Siquidem Deus unus est, qui justificabit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* Omnes ergò homines æqualiter Deus cupit servari. Quis verò sit iste Deus, docet Apostolus 1 Cor. 8. 6. *Nobis unus est Deus, Pater ille, ex quo omnia, & nos in illum,* id est, ille est primus auctor religionis Christianæ, & ultimus finis, ad quem dirigitur fides nostra, ad quem omnis gloria redundat. A quo uno Deo ibidem Apostolus Christum manifestè distinguit, dum addit: *Et unu Dominus Jesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum,* id est, qui est media causa salutis nostræ, & per quem nos ad Deum accedimus, Deo servimus, eique sacrificia laudum offerimus. Ità Christus quoque se ipsum ab uno solo vero Deo distinxit apertè Joh. 17. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te* (Pater) *illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Similiter Apostolus facit Eph. 4. 5, 6. ubi postquamdixisset; *Unus Dominus,* nempe Christus, *una fides, unum baptisma;* mox addit: *Unus Deus & Pater omnium qui est super omnes & per omnia & in omnibus nobis.* Sed & hoc loco Apostolus evidentem distinctionem facit inter Deum & Christum, cùm post verba, *Unus est Deus,* subjungit: *Unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.* Quibus verbis continetur altera ratio seu argumentum, quo Apostolus superiorem thesin seu assertionem suam probat. Sicut unus est Deus, ità etiam unus est mediator Christus: quem describit ab officio & à naturâ. Ab officio, quòd sit Mediator Dei & hominum: à naturâ, quòd sit homo. Mediator vocatur, quia Fœdus sancivit inter Deum & homines. Ob eandem causam Moses vocatur Mediator Veteris Fœderis. Gal. 3. vers. 19. Non quòd Deum placaverit iratum: ut hodiè putant multi id circò Christum mediatorem dici; sed quòd fuerit hominibus interpres divinæ voluntatis. Ut autem Moses fuit Veteris, ità Christus est Novi Fœderis Mediator, quod est longè melius ac præstantius, quia in melioribus promissionibus sancitum est: Hebr. 8. 6. Ideò etiam ibidem dicitur Christus excellentius ministerium sortitus esse. Perfectissimam voluntatem Dei nobis Christus revelavit, & annuntiavit res in Deo absconditas à seculo. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Joh. 1. 18. Hæc mediatio potissimùm Prophetico Christi munere continetur: quanquam & nunc est Mediator, quatenùs est Pontifex noster misericors ac fidelis, quatenùs se medium interponit inter Deum & nos, iramque Dei à nobis avertit. Simul tamen est Rex noster cœlestis, in cujus manu sunt præmia & pœnæ. Cùm ergò Christus sit omnium hominum Mediator, à Deo constitutus, quicunque tandem sint illi homines, sequitur Deum omnium hominum salutem cupere, ac proindè pro omnium hominum salute orandum esse. *Homo Christus Jesus.* Hinc apparet, non habere Christum aliam naturam, quàm humanam. Quàm minùs honorificè & quàm contumeliose is de Rege loqueretur, qui eum respectu Ducatûs alicujus Ducem tantùm ac Principem vocaret, nullâ Regiæ dignitatis mentione factâ? Ità & Apostolus non sine præjudicio divinæ Christi gloriæ eum hominem tantùm simpliciter nominasset, si non homo solùm, sed & Deus summus esset: præsertim cùm vulgò statuatur, eum Mediatorem esse secundùm personam suam divinam. Est quidem Christus etiam Deus, sed non quoad naturam, verùm quoad officium: est enim Deus ideò, quòd sit ab illo uno Deo, uti olim Judices ac Reges sub Veteri Fœdere, sanctificatus, id est, Spiritu Sancto, atque adeo virtute & sapientia divina repletus, inque mundum missus Joh. 10. 35, 36. Si Regibus competit titulis Dei propter officium: multo magis Christo, cujus munus & officium est multo sublimius? qui est Rex Regum, & Dominus dominantium, cujus pedibus omnia subjecta sunt, præter eum qui ipsi subjecit omnia 1 Cor. 15. 27. Donavit illi Deus nomen, quod est supra omne nomen: Phil. 2. 9. Quod nomen nihil aliud est quam divinitas, seu divina potestas. Ergo Deus ipsi donavit divinitatem. Christus proinde est Deus, non à natura, sed ex dono Dei summi. Porro Apostolus posterius hoc argumentum de Christo amplificat, & confirmat. *Qui dedit semetipsum redemtionis pretiam pro omnibus.* Pro omnibus hominibus Christus æque est mortuus, ut omnibus hominibus causa salutis existeret. *Dedit seipsum,* scilicet in mortem, subiit ac suscepit in se mortem. Sic sumitur & alibi verbum *Dare* simpliciter positum, pro, dare in mortem. Vide Joh. 3. 16 & alibi. Homines hodie dicunt, Christum dedisse sanguinem Deo, & persolvisse illi pretium morte sua pro omnibus peccatis nostris. Atqui scriptura testatur, Deum ipsum dedisse Christum in mortem Joh. 3. 16. Rom. 8. 32. Ergo non ipse accepit pretium, qui dedit. Deus fuit prima causa dationis filii in mortem. Nihil hic factum est Dei causa, ut is placaretur, vel ut ei pretium aliquod solveretur. Cùm ergo Christus dicitur dedisse pretium redemtionis pro nobis, impropria est locutio, qua significatur, eum liberasse nos è servitute spirituali moriendo, non se-

cus

cus atque homines e captivitate liberantur, qui pretio redimuntur. *Pro omnibus*, non ſignificat loco omnium: quaſi ſcilicet id ipſum ſit paſſus, quod nos pati debueramus. Nuſquam id dicitur in Sacris Literis. Sed pro omnibus ſignificat propter omnes, omnium bono, propter omnium ſalutem. Ità quod Apoſtolus Rom. cap. 14. ỷſ. 15. dixerat, *pro quo Chriſtus mortuus eſt*, id alibi nempe 1 Cor. 8. 11. dicit: *propter quem Chriſtus mortuus eſt*. Ita quod ſemel dicitur Chriſtum pro peccatis noſtris mortuum, id alibi dicitur, propter peccata noſtra eſſe factum. Ex quo patet, non poſſe ex voce *redemtionis* vel *pretii* colligi talem ſatiſfactionem pro peccatis noſtris, qualem hodiè credunt Chriſtiani. Non habet hîc locum propriè dicta redemtio. Deus nos emit & redemit. Emtori autem aut redemtori nihil ſolet ſolvi. Chriſtus emit nos Deo. Apoc. 5. 9. Ei autem cui res emitur, non competit ſolutionis pretium. Sed pretium dandum eſt ei, qui captivos detinet. At hîc in noſtrâ redemtione fieri id non potuit. Res enim illæ, apud quas fuimus captivi, non ſunt perſonæ. Fuimus enim capti & mancipati peccato: venundati ſub peccatum: ut Apoſtolus in perſonâ ſua loquitur de homine nondum renato Rom. 7. 14. & de Achabo ſimile quid legitur 1 Reg. 21. 20. Fuimus mancipia mortis æternæ. Poteſt quidem dici, nos etiam ſatanæ fuiſſe captivos; ſed illi certum eſt, nullum pretium eſſe ſolutum: etſi Auguſtinus & Ambroſius, Diabolum accepiſſe ſanguinem Chriſti, auſi ſint dicere. Indignus enim fuit diabolus, ut ipſe ſanguinem Chriſti aut ullum pretium acciperet. Voce redemtionis amat ſcriptura uti in impropriâ ſignificatione. Ità dicitur Deus redemiſſe populum ſuum ex Ægypto Exod. 15. 13. & Moſes vocatur Redemtor Act. 7. 35. Quamvis nec Deus, nec Moſes ullum verum pretium ſolverit pro populo, ſed eos, quorum captivi erant Iſraëlitæ, perdiderit. Hoc modo & Chriſtus nos redimit, dum perdit hoſtes noſtros. Eſai. 43. 3. dicit Deus: *Dedi in redemtionem tui Ægyptum, Æthiopiam & Sebam pro te.* Quis non videt eſſe impropriam locutionem. Sic Luc. 21. 28, inquit Chriſtus: *Levate capita veſtra, quia appropinquat redemtio veſtra.* Et Apoſtolus: *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum, quo ſignati eſtis in diem redemtionis*, id eſt, reſurrectionis à mortuis, & perfectæ liberationis ab omni malo. Eph. 4. 30. Vide etiam Rom. cap. 8. ỷſ. 23. ubi mentio eſt *redemtionis corporis noſtri*, id eſt liberationis à corruptione ac morte. 1 Cor. 1. 30. Chriſtus dicitur *factus eſſe nobis redemtio*, quia nos liberabit ab interitu. Redemtionem Apoſtolus ipſe explicat, nihil aliud eſſe quàm *remiſſionem peccatorum* Eph. cap. 1. verſ. 7. Col. 1. 14. Si remiſſio eſt facta: ergò non opus erat pro nobis ſolvere; præſertim ubi remiſſio facta eſt *ſecundùm divitias gratiæ*, ut ait Apoſtolus. Per ſanguinem itaque Chriſti cum dicimur redemti, nihil aliud ſignificatur, quàm morte ac ſanguine Chriſti interveniente factum eſſe, ut liberaremur à morte ſempiternâ. Idque factum eſt primò eatenus, quòd morte Chriſti confirmatum & obſignatum ſit Novum Fœdus, in quo continetur promiſſio remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ. Atque ideò ſanguis Chriſti vocatur ſanguis Novi Teſtamenti ſeu Fœderis: ideò aſſimilatur effuſio ſanguis ejus aſperſioni illi ſanguinis, quo confirmatum fuit Vetus Fœdus; quod totum umbra duntaxat fuit ejus rei, quæ per mortem Chriſti effecta eſt. Chriſtus confirmando Fœdus ſanguine ſuo, dedit nobis jus ad remiſſionem peccatorum: Deus ſeipſum quodammodo obligavit, ut nos certos redderet de promiſſorum ſuorum infallibilitate. Hinc dicitur ſanguis Chriſti clamare, & quaſi in memoriam Deo revocare promiſſa ejus Heb. cap. 12. 24. Chriſtus annunciavit nobis voluntatem divinam de nobis ſervandis, & ſic fuit mediator: poſteà ut annunciationi ſuæ fidem faceret, fudit ſanguinem ſuum propterea, atque ità ipſa morte ſuâ teſtatus eſt de promiſſorum Dei veritate. Secundò Chriſtus eatenus nos liberavit morte ſuâ à morte æterna, quia Chriſtus mortuus eſt, ut nos redimeret, id eſt, liberaret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum: Tit. 2. 14, ut nos liberaret è vana converſatione 1 Petr. 1. 18, è præſenti ſeculo malo: Gal. 1. 4. Hoc autem factum eſt, dum ſpem certam promiſſorum in animis noſtris excitavit Chriſtus, morte ſua promiſſiones obſignans. Qui habet autem hanc ſpem ſanctificat ſeipſum 1 Joh. 3. 3. Deinde dum Chriſtus hâc conditione mortuus eſt, ut peccatis mortui vivamus juſtitiæ 1 Petr. 2. 24. *Si in luce ambulamus*, &c. 1 Joh. 1. 7. Præterea dum mors Chriſti eſt teſtimonium & argumentum ſummi amoris erga nos Dei & Chriſti: quamobrem & nos vicissim eos amare debemus, id eſt, mandata eorum ſervare. Denique dum in morte ſuâ nobis Chriſtus exemplum perfectiſſimarum virtutum reliquit, ut dilectionis, patientiæ, humilitatis, &c. ut ſequamur veſtigia ejus.

Tertia Chriſtus nos liberavit per mortem ſuam eatenus, quod fuſo ſanguine ſuo adeptus ſit poteſtatem omnem in cœlo & in terra, quâ nos aliquando e faucibus mortis & inferni eripiet. *In hoc Chriſtus & mortuus eſt & reſurrexit*, &c. Rom. 14. 9. Vide quoque Eſai. 53. 2. Non tantum autem Rex factus eſt Chriſtus & poteſtatem adeptus per mortem, ſed etiam per eandem factus eſt miſericors ac fidelis Pontifex, ut ipſe paſſus & tentatus in omnibus, potens ſit & iis qui tentantur auxiliari. Hebr. 2. 17, 18. Hiſce tribus modis, quos explicavimus, Chriſtus dedit ſeipſum redemptionis pretium pro nobis.

Illuſtrat, quod modo dixerat, Apoſtolus, oſtendens etiam ad Ethnicos ſpectare ſalutem & mortem Chriſti: *Quod fuit teſtimonium temporibus propriis.* Non ipſe Chriſtus pro omnibus in redemtionem datus fuit teſtimonium, ſed actio iſta, quòd ſeipſum dederit redemptionem pro omnibus, teſtimonium ſeu argumentum fuit divinæ benevolentiæ, quâ omnium hominum etiam Ethnicorum ſalutem deſiderat. *Temporibus propriis*, id eſt, certis & quibus hoc teſtimonium competebat, atque à Deo deſtinatum erat. Intelligit hîc tempora illa, quæ conſecuta ſunt exaltationem Chriſti. Tunc enim intellectum eſt, omnibus hominibus promiſcue patefactum eſſe oſtium ſalutis. Mors Chriſti fuit teſtimonium & pignus, quod Deus velit omnes homines ſervari. Si enim filio ſuo non pepercit propter nos, quomodo non etiam omnia cum illo donabit nobis? Rom. 8. 32. Vide etiam Rom. 5. 6, 10. Facilius eſt ſalutem dare hominibus, quàm Filium unigenitum dare in mortem. Hoc erat cum ignominiâ Dei & Chriſti conjunctum, illud cum utriuſque æternâ gloriâ. Dicamus ergo cum Johanne Apoc. cap. 1. 5. *Ei qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos Reges & ſacerdotes Deo & Patri ſuo, gloria & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.*

In Hebr. 10. *verſ.* 26, *ad* 32.

IN his verbis, docet autor divinus, quam miſera, quamque infœlix conditio ſit Apoſtatarum, hoc eſt eorum qui Chriſtianam religionem, quam fuerant amplexi contemnunt atque deſerunt. Quo loco, tria ſunt conſideranda. 1. Quomodo autor divinus deſcribat Apoſtaſian, ſeu deſertionem ac contemtum Chriſtianæ religionis. 2. Quomodo deſcribat, miſeram illam atque infœlicem conditionem apoſtatarum. 3. Quomodo eandem demonſtret ac comprobet. Primum eſt ibi *Voluntarie enim peccantibus nobis poſt acceptam cognationem veritatis.* Ubi primò vox peccandi κατ' ἐξοχὴν ſumitur, pro peccato omnium maximo quod eſt Non credere in Chriſtum, de quo vide Joh. 16. 9. 2. Verum, quia quis poteſt, duplici ratione Non credere in Chriſtum, vel quia illius ſanctiſſimam doctrinam & religionem nunquam fuerit amplexus. Vel quia poſtquam eandem amplexus fuerat, repudiarit atque abjecerit, quod poſterius peccatum, propriè apoſtaſia dicitur, ideoque autor, ad hoc peccatum propius clariuſque deſignandum addidit, *Poſt acceptam cognitionem veritatis.* Per veritatem ut notum eſt doctrinam euangelicam intelligens, ut Joh. 1. 17. & alibi ſæpe, in Sac. Liter. N. F. idque patet ex oppoſitione: opponitur enim veritati

Lex,

Lex, verſ. 28, 29. Cauſæ appellationis etiam notæ ſunt. Ideo vero hoc addit autor divinus; partim quia ii ad quos ſcribebat, Chriſtianam religionem jam erant amplexi, nec amplius monendi, ut eam recipierent, ſed ne receptam abjicerent, partim quia tam infœlix conditio eorum, qui euangelium nondum ſunt amplexi, eſſe non videtur, atque illorum eſt, qui receptam deſeruerunt, licet illorum quoque ſit miſerrima. Nam quod de conditione illorum ait Petrus, qui pietatem quam amplexi fuerant deſerunt, poſteriorem illorum ſtatum, eſſe deteriorem priori, & ſatius fuiſſe, eos viam juſtitiæ non cognoviſſe, quam poſtquam cognoverant, receſſiſſe à ſanctiſſimo mandato ſibi tradito 2 Pet. 2; Id etiam huc rectiſſimè accommodatur: qua de re nonnihil dicemus infra explicatius. 3. Sed quia poteſt quis, à Chriſtiana religione præſertim, ad breve tempus deficere, vel ex quadam infirmitate, haudquaquam tamen excuſabili, vel etiam ex quadam judicii imbecillitate, ac præcipiti lapſu, itidem non excuſando, vel denique ultro, ſponte ac voluntariè, ubi nec fragilitas, nec incogitantia judiciique imbecillitas revera, locum habet ullum; ſed ſummus ſanctiſſimæ religionis cernitur contemtus, & obſtinata animi malitia; hunc poſtremum modum, qui in iſtis Hebræis, ſi Chriſtum deſeruiſſent, locum fuiſſet habiturus, deſignare voluit, divinus autor, voce, *voluntarie*. Voluntarie autem is peccare cenſendus eſt, qui ſciens prudens, à religione Chriſtiana, quam probe cognoverat, vel nulla, vel non magna vi adhibita reſilit, vel cum aliam ob cauſam antea reſiliiſſet, tum cum ad eam ſe recipere potuiſſet ac debuiſſet, ſuo arbitrio ac voluntate non redit; qua in re, ſumma cernitur malitia & maximus ſanctiſſimæ religionis, ipſiuſque Dei ac Chriſti contemtus. Ex imbecillitate verò aliqua is videtur Chriſtianam religionem deſerere, qui violentia tormentorum ac cruciatuum abreptus, aut terrore ingenti perculſus ac perturbatus, eam abnegaret, cujus rei tamen ipſum mox pœniteret; qua in re, tantus Chriſtianæ religionis contemtus non eſt, quantus ibi cernitur, cum quis id ſponte ac ultrò facit, ac tamdiu, quamdiu imbecillitati ea in re, locus eſſe poteſt, non videtur eo inſtatu verſari homo ejuſmodi, ut reſipiſcere nequeat & ſic veniam delicti ſui impetrare. Quanquam interim, illud quoque certum eſt, eum hominem, niſi ſe recolligat quamprimum, & majori hac in re conſtantia utatur, omniaque Chriſti cauſa ferenda, ferat, atque ad extremum uſque ſpiritum ſuſtineat, in æternum perituum. Qua de re, vide Matth. 10. 21, 22, 28, 32, 38, 39 & cap. 16. à ℣ſ. 24 ad 27. Joh. 12. 24, 25. Reponendus enim eſt inter timidos illos, quorum pars eſt in ſtagno ardente igni & ſulphure Apoc. 21. 8. Quodſi etiam tum cum malorum violentia ceſſavit & animus à metu ſeſe poteſt recolligere, nihilominus in iſta apoſtaſia perſeverat, jam iis etiam annumerandus eſt, de quibus divinus auctor, hoc loco diſſerit; hoc eſt cenſendus eſt ſponte peccare, poſt acceptam notitiam veritatis, nulluſque illi ex vi fœderis datur ad Chriſtum receptus. Idem ſtatuendum videtur de iis, qui aliquibus ratiunculis ac ſophiſmatis decepti, & præcipiti quodam lapſu, aut temeritate abrepti, veritatem abnegarint. Nam ſi poſtea, ubi meditandi ſpacium habuerint, & re accuratius perpenſa errorem agnoverint, licet illis ad Chriſtum redire, & ſic peccati ſui veniam conſequi, non enim eodem modo errorem punit Deus, & malitiam contumaciamque præfractam; licet haud facile fieri poſſe videatur, ut quis ſola judicii imbecillitate, à Chriſtiana religione deficiat, præſertim ſi eam probe cognoverit, quod propterea addo, quia ſi quis eam leviter attigerit tantum, aut multis erroribus conſpurcatam cognoverit, quemadmodum ea hodie ubivis terrarum traditur, non eſſet mirandum, ſi quis putans errores doctrinæ Chriſti aſſutos, eſſe ipſiſſimam Chriſti doctrinam, eam propterea abjiceret, judicii quadam imbecillitate. Quanquam & illud veriſimile eſt, niſi aliud peccatum, aut ipſius hominis negligentia, quæ in re tanti momenti, veniam haud meretur accedat, non permiſſuram Dominum Jeſu benignitatem, ut cuiquam judicii imbecillitas, ſit fraudi, & vel non conceſſurum, ut ſanctiſſimam hanc religionem falſam eſſe arbitretur, vel eum facile in viam reducturum & erroris cauſam oſtenſurum. Dictis, illud addi poteſt, etſi hæc divini auctoris verba, proprie ad eos pertineant, qui Chriſtianam religionem prorſus abjiciunt ac damnant, poſſe quoque ad eos tamen non incommode extendi, qui cum Chriſtum alias profiteantur, ita tamen peccant, ut licet probe ſciant peccatum iſtud à Chriſto prohibitum, & ſi in eo hæſerint, vi N. F. vitam æternam ſeſe haud adepturos, id tamen ſuſque deque habeant, nec ab eo recedere cogitent. Ea enim res magnum Chriſtianæ religionis contemtum, ac N. F. & apertam in Deum ac Chriſtum impietatem ac hoſtilitatem ſpirat. Simili ratione id accipi poteſt, quod de abrogatione legis poſtea dicitur. Hactenus prima loci pars. Sequitur altera. In qua, miſera & infelix apoſtatarum conditio exprimitur, quæ continetur illis ℣ſ. 26, 27, verbis. *Non amplius*, &c. uſque ad verbum *adverſarios*. Duobus autem modis infelicitatem iſtam exprimit. Primò oſtendit, nullum apoſtatis reliquum eſſe modum, præſertim ordinarium, atq; in fœdere divino comprehenſum, quo divina ſupplicia effugiant. 2. Oſtendit quam grave atque acerbum ſupplicium, illis ſit metuendum. Prius facit ibi non *amplius pro peccatis relinquitur hoſtia* &c. Id eſt nullum exſtat ſacrificium ad peccata apoſtatarum delenda, eorumque reatum ac pœnam auferendam comparatum. Verba enim *Pro peccatis* ſignificare ad tollenda peccata, eorumq; reatum ac pœnam auferendam, tum alias notum eſt, tum oppoſitio docet. Sequitur enim *ſed terribilis exſpectatio*. Cauſa verò, cur ita loquutus fuerit divinus autor, hæc eſt, quia quemadmodum Deus ſub Vet. Fœd. certis quibuſdam ſacrificiis intervenientibus, ſolebat peccata ea, quorum remiſſio vi fœderis dabatur, condonare, ita hodiè quoque omnia peccata, quæ vi N. F. condonantur, vi ſacrificii Chriſti expiantur. Quare, cum divinus autor, ſignificare vellet, Apoſtatas ex vi fœderis remiſſionem peccatorum non conſequi, dixit, Non amplius relinqui pro peccatis hoſtiam, quaſi dicat: Nullus amplius reliquus eſt modus ordinarius, atque in F. N. comprehenſus, qui poſſit peccatum hoc apoſtaſiæ expiare, & ejus condonationem impetrare. Sacrificium Chriſti, quo omnia peccata, quibus in N. F. propoſita eſt remiſſio expiantur, non amplius illis prodeſt, quemadmodum profuerat antea, ad expiationem peccatorum, ante veritatis agnitionem admiſſorum, aliorumque lapſuum, in quos poſtmodum inciderant. Interim tamen non negat divinus autor, poſſe fieri, ut extraordinarie, ac præter vim F. N. talibus hominibus peccatorum contingat remiſſio. Verum, quam dubium illud ſit, vel exinde patet, quòd Deus divitias gratiæ ſuæ, N. F. incluſit, & per viſcera miſericordiæ ſuæ, remiſſionem peccatorum nobis obtulit. Quodſi apoſtatæ viſcera miſericordiæ divinę, & divitię gratiæ ejus non ſufficiunt, ad obtinendam peccatorum remiſſionem, quomodo aliquid amplius ſperare poteſt? Ei ne Deum majorem exhibiturum miſericordiam quiſpiam audebit aſſerere, qui per ſummam malitiam, Deum ipſum repudiaſſe, ac contemſiſſe cenſendus eſt, eumque mendacii arguiſſe? ut patet ex hujus epiſtolæ cap. 3. 12. & 12. 25. 1 Joh. 5. 10. Quamquam hoc loco *adverſarius* ſeu *hoſtis* nempe Dei ac Chriſti, καθ' ἐξοχὴν appellatur. Intelligendum autem eſt hoc loco, cum dicitur, Non relinqui amplius pro peccatis hoſtiam, non hoc revera velle divinum autorem, iſtiuſmodi apoſtatas, ſi ad Deum iterum fuerint converſi, atque in Chriſtum crediderint, non reperturos peccatorum remiſſionem: Hoc enim repugnat F. N. conditionibus ac promiſſis, cum in eo omnibus pœnitentibus ac in Chriſtum credentibus, peccatorum remiſſio offeratur, nec ullum exſtat exemplum, ubi Deus aliquem qui vere reſipuerit, præſertim ſub N. Fœd. à ſe repulerit, eumque in gratiam non receperit; Sed hoc vult divinus autor, Non exſtare ullam rationem in fœdere divino cum hominibus facto comprehenſam, qua iſtiuſmodi homines, qui petu-

petulanter à Christo desciverint, possint ac debeant, ad frugem, melioremque mentem revocari, & sic veram peccatorum suorum remissionem adipisci; sed potiùs Deum, eo ipso punire hujusmodi apostatas, salvo suo fœdere, ne possint amplius (ut cap. 6 in re simili loquitur hic divinus autor) renovari ad pœnitentiam, eosque hoc pacto, ad gravissimam pœnam reservare. Fieri quidem potest, ut dolore aliquo facti sui tangantur, ex terrore divinorum suppliciorum orto, sed ut vere resipiscant, id est animum ac vitam mutent, fieri non potest. Neque enim resipiscentia, sine aliqua gratiæ divinæ spe, quam hujusmodi hominibus eripit Deus existit. Dolor ille, quia ex desperatione quadam oritur, iis ad resipiscentiam non prodest, sed ut de tristitia mundi ait Paulus 2 Cor. 7, mortem operatur, estque illi similis, quem in Juda exstitisse legimus. Nam cum Deus adeò sit misericors, ut nullum verè resipiscentem à se rejiciat, idque ipsum, ut paulò ante monuimus sub N. F. promiserit, ideo si quem prorsus nolit in gratiam recipere, ei solet aditum ad resipiscentiam præcludere, eumque indurare, atque excæcare, cujus rei inter alia, habemus testimonium, in verbis Esaiæ, quæ repetuntur Matt. cap. 13, 14, 15. *Auditu audietis, & nequaquam intellexeritis* vel *intelligetis, & videntes videbitis, & nequaquam conspexeritis*, vel *conspicietis. Incrassatum est enim, &c.* Quem verò in finem, ita cum eis egit Deus, hoc exprimit propheta, dum addit. *Ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos*, quasi nimirum omnino futurum fuisset, ut Deus eos sanaret, si fuissent ad ipsum conversi, itaque ne id fieret, conversionis viam, justo suo judicio, illis præclusit.

Quodsi Deus alicui resipiscentiæ locum relinquat, imò occasionem ipsi & auxilium ad eam rem præbeat, eo ipso censeri debet, initium quoddam remissionis peccatorum ejusmodi homini dandæ fecisse; & tum porrò istiusmodi homo, vi Fœderis Novi, ac per sacrificium Christi, expiari à peccato suo censendus est, ac veniam scelerum suorum obtinere. Nam tùm ad N. F. is pertinet. Sacrificii enim vis, non in eo videtur consistere, ut hominem ad resipiscentiam perducat; sed ut resipiscenti, ac in Christum jam credenti, remissionis peccatorum adipiscendæ sit causa.

Respondendum est Sacrificium Christi, eam quoque vim habere, ut à peccatis revocet homines, eorum conscientias repurget à mortuis operibus, ad serviendum Deo viventi, ut dicitur supra cap. 9. ℣. 14, & hoc ipso cap. 10, ab initio, ubi ostendit divinus autor sacrificia legalia hac vi caruisse, ac proinde sacrificio Christi quod hanc vim habeat, adeoque illis sit longè perfectius, cedere debuisse. Nam cum sacrificiorum sit expiare peccata, eorumque reatum, ac pœnam auferre, hoc verò nemini contingat, nisi resipiscat; contra verò omnibus qui resipiscunt contingat, illud demum sacrificium, perfectè expiat peccata, quod non modò postquam homines resipuerunt, reatum aufert, sed etiam ipsa peccata tollit, & resipiscentiam efficit; præsertim, cum tanta sit Dei misericordia, & fœdus tam gratiosum, ut nemini resipiscenti, denegari jam possit remissio, idque unum tantum requiratur revera, ad eam obtinendam, ut homines ipsi resipiscant.

Adde, quòd hoc ipsum, cum alicui datur spacium & occasio, ad resipiscentiam, non tantum via sit ad remissionem peccatorum obtinendam, sed etiam initium & pars quædam ipsius remissionis. Si enim illum Deus pro meritis punire vellet, præcluderet ei aditum ad id, unde perfecta peccatorum remissio, ex vi fœderis, consequitur, eumque prout merebatur, excæcaret, & induraret, ut modo dictum. Patet id, quod de vi sacrificii Christi in expiandis peccatis diximus, vel ex mortis Christi, quæ illius sacrificii, quoddam initium est, vi & efficacia, quanquam vim ac robur, ex iis quæ eam sunt consequuta, maximè verò ex Christi exaltatione, quæ sacrificii nomine potissimum comprehenditur, accipit. Confirmat enim mors Christi, divina promissa, eorumque spem nobis inserit firmam, quam qui habet, purificat seipsum, sicut & Deus purus est, 1 Joh. 3.

Accedit, quòd oblatio Christi, non eatenus nos tantum à peccando retrahit quatenus promissa divina nobis confirmat, sed etiam quatenus per suam oblationem, id est in cœlos ingressum, & coram vultu Dei apparitionem, Dominus Jesus tantam est adeptus pietatem, ut curam omnium eorum, qui ad novum fœdus quoquo modo pertinent suscipere, & eos qui sunt animo probo, atque ita ipsius oves, ad suum ovile, tamquam bonus pastor adducere, eos porrò, cura sua fovere, omniamque ad veram resipiscentiam pertinentia, iis suppeditare queat, quem in finem illi tanta est à Deo concessa potestas. Atque hæc ipsius cura, quam de nostra salute coram Deo in cœlis degens suscipit, ipsius oblatione latius extensa, comprehenditur. Est enim oblatio Christi exequutio quædam eorum, quæ in N. F. continentur. Fœdus autem novum, non tantum eam vim habet, ut resipiscentibus veniam concedat, sed hoc ipsum quoque efficit, ut homines resipiscant, cum ut hic divinus auctor supra cap. 8, & hoc ipso cap. 10. ℣. 15, 16 ait, hoc sit fœdus novum, quod Deus det leges suas, in corda nostra, & in mentibus nostris scribat, mentibus inquam eorum, qui animi sunt probi, nec veritatem oblatam contemnunt, ac repudiant, vel acceptam, ultrò abjiciunt. Et propter hanc sacrificii Christi cum fœdere novo conjunctionem ac nexum, auctor hic divinus, à sacrificio Christi, his duobus capit. 8 & 10, ad fœdus novum transit, & vicissim ab hoc ad illud, vel à sacerdotio, ad mediatoris officium; vel contra. Quia nimirum illud, hujus est exequutio, ac perfectio quædam. Quare, si cui ex N. F. vi, pateat via ad resipiscentiam, ei sacrificium Christi prodest, vel prodesse potest. Si non patet, nec sacrificium Christi illi prodest, nec Dominus Jesus, illius curam suscipit, ut eum ad resipiscentiam vocet, sed potiùs ex Dei voluntate tamquam severus judex cum eo agit, eumque tamquam hostem suum punit, ac scabellum pedum suorum ponit. Vide supra ℣. 13. Luc. 19. 27, quem confer eum ℣℣. 12, 14. Qua de re, mox plura.

Ut igitur ad rem redeamus, Rectissimè divinus auctor, cum docere vellet, hujusmodi hominem, qui sponte Christum deserit, non amplius posse renovari ad resipiscentiam vi Novi Fœderis, nec ullum restare modum à Deo propositum, quo possit hoc scelus suum expiare, & veniam adipisci, ait non amplius relinqui pro peccatis hostiam. Sub lege, cum non restaret pro peccato hostia aliqua, jam vi Fœderis, remissionem adipisci non poterat, ut David, qua de re vide Psal. 51. Sed necesse erat extraordinarie id expiari. Sic sub N. F. cum sacrificium Christi, alicui ad expiationem peccati sui, non prodest, vi fœderis expiari non potest. Et longè difficilius est, extra fœdus hodie impetrare remissionem peccatorum, quàm olim. Quia olim, fœdus erat rigidum, & nonnunquam æquitas aliqua videbatur postulare, ut illius severitas relaxaretur. At quia in N. F. summa Dei benignitas continetur, & omnia quæ ad pietatem pertinent, abunde nobis data sunt, non facile potest quis fœderis, jam perse æquitatis plenissimi relaxationem sperare. Relaxatio enim ac mitigatio, ibi demum locum habere solet, ubi est aliqua se veritas. At novum fœdus, gratia est, & dicitur, Joh. 1. 17, & Rom. 6. Ex dictis patet jam, quanta sit infœlicitas eorum, qui Christum agnitum ac receptum, petulanter repudiant, quod nimirum novum fœdus ac Christi sacrificium, quo homines sanctificari & expiari, remissionemque scelerum suorum adipisci solent, jam ad illos non pertineat, eorumque Christus, non misericors sacerdos, sed severissimus judex sit constitutus. Deterior ergo est longe illorum conditio, quamsi veritatem non fuissent amplexi. *Bonus est sal* inquit Dominus Jesus (id est, bonum ac præclarum est, esse meum discipulum) *at si sal infatuatus fuerit* (id est, si vim suam amiserit, quod fit si pietatem ac multo magis, si ipsam quoque

quoque veritatem agnitam abjicias) *quonam ipſe condietur?* (id eſt qua ratione vim ſuam priorem recipiet? qua ratione hujuſmodi homo, denuo meus verus diſcipulus evadet) *neque ad terram, neque ad ſterquilinum, utilis eſt, foras ipſum ejiciunt* & ut eſt Matt. 5, conculcatur ab hominibus. Nulli amplius uſui eſt, deſertor Chriſtianæ religionis ac pietatis, tantum ad judicia divina, quibus conteratur ac perdatur, reſervatur. Ubi notanda verba, *Quonam ipſe* (ſal) *condietur:* quæ verba, id quod modò diximus, de Apoſtatarum infœlicitate, apertè confirmant, nimirum eos ad priſtinum ſtatum reverti, ac diſcipulos Chriſti, denuo fieri non poſſe. Unde Dominus Jeſus ibidem apud Lucam monet, ut ſi quis velit ipſius fieri diſcipulus, prius tamen rationes ſubducat, tantumne habeat animi ac virium, ut poſſit ad extremum uſque perdurare. Idem indicavit Joh. 15. 6. *Siquis non manſerit in me.* Nam cum Deus ejuſque nomine Dominus Jeſus, fruſtra inſumſerit laborem, in eo ad veritatem perducendo, ſiquidem eam agnitam, impropè repudiarit, non amplius laborem hac in parte, circa ipſum ſuſcipit, quemadmodum ſi quis agrum aliquem diu fruſtra ſe coluiſſe cernit, ab eo colendo porrò definit, eumque exſecratur. Qua ſimilitudine utitur hic divinus autor ſupra cap. 6, 7, 8, in re ſimili. Apparet ergo, poſteriorem hujuſmodi hominem conditionem, longe eſſe deteriorem priori, & ſatius futurum fuiſſe, ſi veritatem nunquam agnoviſſent. Nam ſic ad eam tamen pateret aditus iis, & cura Domini Jeſu, ejuſque oblatio, ad eos pertineret. Omnes enim homines animi probi, ſunt Domino Jeſu, à Deo traditi, ejuſque curæ commiſſi, ut ipſemet apud Joh. non uno in loco docet, & eorum neminem ad ſe venientem, ejicit foras cap. 6. ℣. 37, imò ipſe, ut antea monuimus, oves ſuas, quas ipſi commiſit pater, hinc inde diſperſas, voce ſua colligit, & in ovile ſuum congregat, cap. 10, & in illis oblatio Chriſti, vim ſuam exerere incipit, quia incipiunt jam ipſius, & ſic Dei populus eſſe Act. 18. 18. At Chriſtus eſt conſtitutus ſacerdos, ad expianda peccata populi, intellige ſui, ac divini. Quanto autem illi magis, populus Dei ac Chriſti evadunt, tanto plenius eorum peccata expiantur, omniaque illis ſubminiſtrantur à Chriſto, ad plenam remiſſionem peccatorum pertinentia. Verum enimvero, hoc ipſum quoque eſt cautè accipiendum, quod dicitur, deteriorem eſſe apoſtatarum conditionem poſteriorem priori, & ſatius futurum fuiſſe, ſi veritatem nunquam agnoviſſent. Nam fieri nonnunquam poteſt, ut æquè magna ſit improbitas in eo, qui oblatam veritatem reſpuit, & in eo, qui acceptam abjicit, atque adeo uterque eadem pœna ſit dignus. Nam ſi quis habeat, pleniſſimam agnoſcendæ viritatis occaſionem, eaque illi clarè, ac ſine errore proponatur, apertis documentis demonſtretur, ac præterea vel non multa, vel non magna ſint obſtacula, quominus eam recipiat, ſpatium ac tempus cogitandi detur, & lenitas Dei ac Chriſti diu expectet, ut eam recipiat, ſummæ improbitatis, ac obſtinatæ malitiæ eſt, eam non recipere, imò iſtiuſmodi homo pro eo cenſendus eſt, qui eam agnoverit, ſed abijecerit. Fieri enim non poteſt, quin ratio, ſive mens, quæ veritatem maximè amat, eum convicerit, & ſic veritati fuerit aſſenſa, niſi quatenus obſtitit improbitas. Et ad hoc pertinet illa Chriſti parabola Luc. x 1, de ſpiritu malo, ab homine egreſſo, ſed ipſius incuria, ad eum unà cum aliis ſeptem deterioribus, reverſo, cujus poſterior conditio priori fiat deterior. Ea enim parabola, reſpectu Judaicæ gentis, atque imprimis phariſæorum fuit prolata, qui occaſionem ampliſſimam habuerunt è Satanæ poteſtate ſe vindicandi, veritate Euangelii recepta; imò ſi Dei & Chriſti conſilium, & ſuſceptam circa illos operam reſpicias, jam fuerunt ab ejus vi liberati; ſed quia veritatem oblatam repudiarunt, & ſpiritum divinum blaſphemarunt, deterior fuit eorum poſterior conditio, priori; & quia in malitia ſua perſeverarunt, tandem fuerunt prorſus excæcati, indurati, atque à Deo magna ex parte rejecti, pœnaſque ſuæ pervicaciæ dederunt graviſſimas. Sunt enim hi verè inter Chriſti hoſtes, qui nolunt, ut is ſupra ſeſe habeat imperium. Qua de re, loco ſupra allegato, Luc. 19. Quapropter eatenus intelligendum eſt, eorum eſſe conditionem, qui veritatem nondum agnoverunt, meliorem, quatenus hi occaſionem, vel nullam, vel exiguam habuerunt, eam amplectendi, poſſunt eam adhuc poſtea occaſione oblata amplecti; deinde quatenus Deus, paulò diutius ſolet eorum reſipiſcentiam exſpectare; Quod partim eam ob cauſam facit, quia cum difficile ſit admodum religionem Chriſtianam amplecti, æquitate quadam utitur, nec ſtatim eum repudiat, qui rem difficillimam, non ſtatim præſtat. Omnia præclara ſunt difficillima (proindeque & conſtantia eſt difficillima) unde qui cæpit, dimidium facti dicitur habere, & omne principium grave eſſe vulgo perhibetur. At religio Chriſtiana, res eſt, omnium præclariſſima, & ſic difficillima. Difficillimum igitur ejus principium. Requiritur enim ad id, ut fias diſcipulus Chriſti, ut rationes tecum ſubducas, antequam hanc turrim ædificare incipias, ut omnibus rebus tuis valedicas, & chariſſimos parentes, fratres, ſorores, uxorem, liberos, pro Chriſto oderis, tuamque ipſius animam. Breviter, Te ipſum ab neges, ac crucem tollas, veluti ad ſupplicium jam iturus, & ſic ſequaris Chriſtum. Deinde quia fere ſit, ut ii, qui Chriſtianam religionem nondum ſunt amplexi, non ita bene eam habeant cognitam, nec ſuavitatem ejus adeò guſtarint, unde non mirum, ſi tanto ejus deſiderio non teneantur, Utrumque jam ceſſat in iis, qui veritatem divinam jam ſunt amplexi. Nam primùm ii, jam glaciem primam fregerunt, majoraque indies ſubſidia, ad pietatem pertinentia, ſperare poterant, ac indies res ipſis facta fuiſſet facilior. Deinde, illi jam guſtarunt iſtud bonum Dei verbum, ut auctor hic loquitur cap. 6, & virtutes futuri ſeculi, &c. Itaque tanto majori lactis hujus ſinceri deſiderio debebant teneri, & Dominum quem guſtarunt, quam ſuavis eſſet, amare. Sed ut diximus, ſi eò progreſſa fuerit eorum improbitas, qui ad vocem Dei corda ſua obdurant, donec præterierit iſtud hodie quo ingreſſus in requiem Dei patet, jam ii excæcantur peccati fallacia, jam de iis juravit Dominus, quòd non ſint ingreſſuri in requiem ſuam. Et hic ſane locus Pſalmi, Hodie, ſi vocem ejus audieritis, ne obduretis corda veſtra, ad utroſque ex mente auctoris, eſt accommodandus, tum ad eos, qui veritatem oblatam repudiant, tum ad eos, qui acceptam abjiciunt. Sed de his plus ſatis.

Sequitur alter modus, quo tam in fœlicem hujuſmodi apoſtatarum ſtatum exprimit, dum oſtendit quam grave illis ſit metuendum ſupplicium. *Sed terribilis quædam*, &c. Tria hic imprimis conſideranda ſunt, quæ infœlicitatem iſtiuſmodi hominum, ob oculos ponunt. 1. Metus pœnæ graviſſimus, vel id unde metus ille, verè debet proficiſci. 2. Ipſa pœna. 3. Deſcriptio iſtorum apoſtatarum, ex qua cuilibet patet, cur iſtiuſmodi pœna meritò hominibus hujuſmodi, ſit metuenda. Primum eſt: *Terribilis quædam exſpectatio judicii.* Exſpectationis vox catachriſtice hic ſumitur. Nam aliàs exſpectamus rem bonam, vel ſaltem, non malam. At hoc loco in re mala uſurpatur & pro metu ſumitur. Deinde, non tam de ipſo actu exſpectandi, vel metuendi videtur uſurpari, quam de cauſa metus, per metonymiam effecti; id eſt pro obligatione ad pœnam, ſeu pro ſtatu ejuſmodi, quo in pœna homini ſemper ſit metuenda: quaſi dicat; Iſtiuſmodi hominem, certò manet pœna, eique imminet, itaque nihil certius iſtiuſmodi homo exſpectare debet, quam ſupplicium. Cur autem ita videatur hæc vox accipienda hoc loco, cauſa eſt, quia interdum fieri poteſt, ut is qui Chriſtum deſerit, optimè ſecum agi putet, & nihil minus, quàm divinum ſupplicium exſpectet, præſertim ad tempus. Quanquam veriſimile eſt, in pleriſque niſi excæcati ſint prorſus & mens illis non erepta, ſecus fieri. Conſcientia enim proculdubio, illos tandem redarguit, & metus divinæ iræ terret, ſucceditque deſperatio & dolor, qualem in Juda fuiſſe diximus, non ad reſipiſcentiam

tiam sed ad pœnam. Tropus similis, quanquam in re bona, est in eadem exspectandi voce, supra hoc cap. ỳ. 13. Improprie enim dicitur Christus exspectare id, quod ipse facturus est. Cur autem ita de eo loquatur scriptura, non est nunc explicandi tempus. Addit *terribilis*, quia terrorem incutiendi vim habet maximam, ac sæpe etiam reipsa incutit, tum ob gravitatem, tum ob cerritudinem supplicii: Additur vox *quædam*. Quæ si propter vocem exspectationis fuit adiita, improprietatem in illa quandam arguit, ut Jac. 1. 18, *primitiæ quædam*: si propter vocem *terribilis* singularem quendam terrorem, videtur indicare. Hactenus, de metu supplicii. Ipsum supplicium describitur duobus modis. Primo, voce *judicii* id est damnationis seu supplicii, qua ratione vox hæc, sæpe usurpatur, præsertim cum de suppliciis iis est sermo quæ ad hominem perdendum sunt comparata, nec gratiæ locum relinquunt. Potest autem hoc accipi non tantum de judicio ultimo, sed etiam de temporariis, atque adeò pro serie quadam pœnarum divinarum. 2. In verbis *Et ignis fervor, qui devoraturus est* hujusmodi apostatas. *Ignis* ille non tantùm de igne propriè sic dicto potest accipi, de igni inquam illo æterno & inextinguibili, quo Deus olim puniturus est impios, qui paratus dicitur diabolo & angelis ejus, & quo Petrus ait cœlum & terram conflagraturam in die judicii & perditionis impiorum hominum verum etiam pro aliis gravioribus suppliciorum divinorum generibus, quæ tum ingentem afferunt homini cruciatum, tum ad eundem omnino perdendum sunt comparata. Nam inter alia suppliciorum genera, quæ miris modis hominem excruciant, eumque facillimè perdunt, ignis est, ac prope principem locum obtinet. Unde Deus iratus ac punire volens infra cap. 12, dicitur ignis consumens. Addit autem hoc loco divinus autor vocem *fervoris* ad nomen *ignis*, ut suppliciorum divinorum, quæ apostatis imminent, summam ostendat violentiam. Nonnunquam ignis aliquid corripit sed lente & miti quodam calore id de paficitur paulatim, vel ejusmodi est, ut exstingui non magno negotio possit; sed nonnunquam etiam celerrimè exsurgit, vicina omnia, momento citius comprehendit, & magna cum violentia absumit. Hujusmodi supplicium apostatas manet, quod illis haudquaquam parcet, celerrimè eos comprehendet, nec desinet, donec planè perdiderit, quod indicavit apertius divinus autor, dum subjicit. *Qui* (fervor ignis) *devoraturus est adversarios*. Nonnunquam ignis aliquid corripit, sed exstinguitur, & res incensa, flammæ hoc modo eripitur. Hic contra accidet. Nam ut Christus ait, Ignis illorum non exstinguetur, obstare nemo poterit, quominus Dei ac Christi hostes, prorsus consumat. Tertio, illos ipsos homines, quos supplicium istud divinum manet, denotat voce adversariorum: intelligit autem adversarios, seu hostes Dei & Christi, quos ille aliquando scabellum pedum suorum ponet, ac perdet, in quorum numero imprimis sunt Apostatæ; ex qua descriptione, facile est colligere, quantopere illis divina supplicia, & imprimis æternus ille ignis sit metuendus, cum Dei illius summi & Christi, ejus, sint hostes, quibus David quoque gravissimis verbis minatur Ps. 2 Jam verò cum in omnes hostes graviter animadverti solet, tum imprimis in desertores, qui ex amicis inimici sunt facti, atque hostes, & sua sponte planè, in adversariorum castra transierunt. Tales autem sunt apostatæ, respectu Dei ac Christi.

Hactenus secunda loci nostri pars. Sequitur tertia, in qua divinus auctor, id quod dixerat de infelicitate Apostatarum comprobat, quod præstat in reliquis verbis omnibus. Comprobat autem partim ratione, partim autoritate, sive divinis testimoniis. Ratione demonstrat ỳ. 21 & 29. Testimoniis ỳ. 30, 31. Quod ad rationem attinet, in ea tria sunt observanda 1. Unde ducatur. 2. Quid ex ea concludatur. 3. Quomodo fulciatur, & robur ejus ostendatur, seu ut in scholis loquuntur, quæ sit consequentiæ ratio. Primum illis continetur: *Qui abrogarit* vel *contemserit legem Mosis, absque misericordia in duorum aut trium testimonio moritur*. Ductum est, ut quilibet videt argumentum, ab ea severitate, qua Deus sub lege utebatur, in ejus contemtores. Quatuor autem in his verbis sunt observanda. 1. Quale fuerit peccatum illud, quod Deus tum temporis adeò severè voluerit puniri. 2. Quæ fuerit istius peccati pœna. 3. Quanta in ea exigenda adhibita fuerit severitas. 4. Quanta nihilominus æquitas. Primum explicatur verbis *Qui abrogarit seu contemserit legem Mosis*. Vox quæ reddita est abrogatio, vel contemtus, utramque hanc significationem in S.L. habet, priorem in hac epistola cap. 7. 18. Posteriorem inter alia loca 1 Thess. 4. 8. Quodsi priori modo velis sumere, non planè propriè, ea fuerit accipienda. Non enim in alicujus privati hominis potestate erat, legem abrogare, id est efficere, ne illa quemquam amplius obstringat (id enim proprie vox illa significat) sed in ipsius potestate erat, eam contemnere, repudiare, atque adeo etiam apud alios in contemtum adducere. Non satis autem constat, an de abrogatione, seu contemtu universæ legis, quæ apostasia seu defectio propriè dicitur, quam Paulum docere olim, à Judæis credebatur, Act. 2. 21; An verò de contemtu unius alicujus, aut alterius legis tantum, hoc loco sit sermo. Non alienum videtur a scopo autoris, utrumque legis contemtam accipere, magis tamen priorem, cum & verba ipsa, ei sensui magis faveant, & in eo consentiant interpretes doctissimi, hic de iis esse sermonem, qui à Christiana religione deficiunt, quam qui unam tantum, aut alteram legem per contemtum violant. Hujusmodi apostasia erat, cum quis e Judæis atheismum, aut gentilismum amplectebatur, aut alia ratione ostendebat, nullam apud se legis Mosaicæ esse autoritatem. Quo loco observandum est, fieri potuisse, ut apostasia ista, unam aliquam legem a Mose latam potissimùm peteret, sed talem, qua convulsa universæ legis autoritas prorsus corrueret; qualis erat illa, de uno tantum Deo habendo ac colendo, Deut. 17. 2, quam si quis violasset, & alieno alicui Deo serviisset, jam à lege jure defecisse censebatur. De hujusmodi loquitur Moses Deut. 17, initio facto à ỳ. 2 ubi ita legitur: *Cum inventus fuerit in medio tui, &c. vir sive mulier, qui fecerit malum in oculis Domini Dei tui, ita ut transgrediantur fœdus ejus* (hic apostasia illa notatur) *iveritque & coluerit Deos alios, & adoraverit eos, & solem vel lunam, vel quemcunque exercitum cœlorum, quod non præcepi, illudque indicatum tibi fuerit, & audieris & inquisieris, & verum ac certum repereris, factam esse istam abominationem in Israël, educes virum hujusmodi, aut mulierem etiam, & obrues eos lapidibus, ita ut moriantur. In ore duorum aut trium testium interficiatur, qui moriturus est, &c. exterminabisque malum* (id est mali autorem) *è medio tui*. Vide etiam Deut. 13, ubi de iis sermo, qui ad defectionem à Deo, alios sollicitarent, qui sine misericordia jubentur interfici. Ipsa autoris nostri verba, cum his collata, præsertim de duobus aut tribus testibus, ac severitate, in mortis pœna exigenda, satis indicant, ad hujusmodi peccatum, atque adeò ad hanc ipsam Dei constitutionem, eum hoc in loco respexisse. Quodsi quis tamen latius extendere voluerit, hæc autoris divini verba poterit includere nomine abrogationis legis, quodvis peccatum elato brachio, seu per superbiam, ac contemtum legis, atque adeò etiam divinæ majestatis, unde legis pendebat autoritas, commissum. Qui enim eo modo, unam aliquam violabat legem, omnium jure censebatur reus. Nam qui cæteras tulerat, istam quoque tulerat, ita ut eadem esset illius ac cæterarum autoritas. Quare, qui illam spernit, cæteras eadem opera sprevisse, vel facile etiam si res ferat, spreturus videtur. Quam in sententiam disserit nonnulla Jac. 2. 10, 11. Pro hujusmodi autem peccatis censebantur, primò omnia facinora gravia atque enormia, in decalogo prohibita. Nam præter id, quod jam expressimus, de aliorum Deorum cultu in eo casu, erat idololatria quævis, quæ possit admitti Deo interim vero non prorsus deserto; blasphemia, violatio sabbati (quod peccatum ideò tam grave videbatur, quia Sabbata, signum erant fœderis, quod Deus cum populo pepigerat, qua de causa, etiam decalogo principi legis parti,

præceptum de iis observandis insertum est, unde qui Sabbata negligebat, Dei fœdus videbatur sprevisse) parricidium, homicidium quodvis spontaneum, adulterium, plagium, falsum testimonium in crimine capitali, & alia quæ ipsa natura refugit, quorum aliqua commemorantur Deut.27, inter execrationes quæ pronunciari debuerunt in monte Hebal. Deinde huc pertinebat, contemtus legum, de expiationibus latarum, maximè illius solennis de qua Levit.16, & cap.23 ejusdem libri ℣.27, & sequent. qua omnia peccata per ignorantiam, aut humanam aliquam fragilitatem admissa, si quæ fortè aliis sacrificiis non fuissent expiata, tollebantur, & maculæ impuritatesque carnales eluebantur, quam qui negligebat, is contemtor legis divinæ poterat censeri, utpote qui non curasset expiari ea, quæ adversus Dei legem, forte ignorans commisisset, aut quam pro immunditia aliqua, lex declarasset, cum expiandi proposita ac præcepta esset ratio facillima. Sunt & alia nonnulla ad ceremonias pertinentia, quæ nullam sub lege habebant expiationem, ut pollutio quædam templi, rerumque sanctarum, quia Dei majestatem propius videbantur attingere, & contemtum aliquem divini numinis arguere. Deus enim suam ac legis autoritatem, etiam in rebus non magni, si earum natura spectetur, momenti, sartam tectam volebat, ideoque sui numinis, ac legis suæ contemtum, nonnisi mortis pœna, volebat expiari, quo pertinent imprimis illa Dei verba Num. 15. 30, 31. *Anima illa, quæ commiserit elata manu, sive ex indigenis, sive ex peregrinis, Jehovam afficit isto probro omnino exscindetur anima illa, è medio populi sui, quia verbum Jehovæ sprevit, & mandatum ejus irritum fecit. Omnino exscindetur anima illa. Iniquitas ejus in ea est.* De hujusmodi transgressionibus loquutus est autor noster supra cap. 2. ℣. 2. Cætera delicta, per incogitantiam, aut fragilitatem hominibus usitatam admissa, sacrificiis certis expiabantur, ut tum ex lege constat, tum ex hoc nostro autore, qui pontificem legalem, pro ignorantiis obtulisse ait cap. 5 & 9: unde interdum in lege dicitur, Expiabit eum sacerdos, & remittetur ei, quia error est. Vide hoc eodem loco Num. 15. 25, qua de re Socin. part. 2, de Ser. cap. 12. Legis ergo Mosaicæ, licet terrenæ, licet in multis imperfectæ, licet æterni boni promissione destitutæ, licèt aliquando desituræ, contemtus, tam graviter à Deo puniebatur, quid de contemtu euangelii dicemus? quæ doctrina prorsus, & omnibus numeris absoluta, æternæ fœlicitatis promisso nobilitata, & in æternum duratura est.

Observari autem hoc loco potest, non tam graviter offendere Deum peccatum ipsum, quam contemtum verbi majestatis divinæ qui peccato est adjunctus. Unde grave peccatum, per incogitantiam admissum, nonnunquam facilius à Deo condonatur, quam leve, sed cum contemtu quodam præcepti alicujus divini admissum. Quanquam nonnulla peccata sunt, quæ à contemtu divini numinis, sejungi nequeunt, quæ gravissimè etiam ulcisci Deus solet.

Hactenus prima particula horum verborum quæ peccatum ipsum exprimit. Sequitur altera, in qua pœna istius peccati exprimitur, continetur id voce *moritur* per quam mors violenta, quæ ab hominibus delinquenti possit infligi, est intelligenda patet id verbis partim ex Deut. partim ex Num. paulò ante adductis, patet etiam ex ipsius nostri autoris verbis, dum ait id fieri debuisse *in ore duorum aut trium testium.* Nam si de morte æterna sermo esset, quid opus fuisset, duorum aut trium testimonio. Ea nimirum à Deo ipso, & ipsius nomine à Christo infligitur. Huic verò, humano testimonio, non est opus. Omnia vindex Dei ac Christi cernit oculus, eaque etiam videt, quæ sub aspectum nostrum non cadunt; notitiamque nostram penitus effugiunt. Quodsi mors æterna consequebatur, ea non pro pœna, sed pro naturali quodam mortis violentæ, aut alterius cujusvis consequente, debebat haberi, quod tamen per divinam benignitatem adhuc tolli potest. Pœnæ enim sub lege constitutæ, præsertim si literalem verborum sensum sequaris, nonnisi temporariæ erant, quemadmodum & obedientiæ præmia, in eadem proposita. Quapropter facile fieri potest, ut Deus eum, quem lex ob unum aliquod delictum, capitis supplicio affecit, ex mortis æternæ vinculis eximat, si aliàs fidem habuerit. Poterat nimirum is, qui Sabbatum v. g. semel violasset, ut ille, qui lignorum aliquid eo die collegerat, aut etiam qui adulterium semel commisisset, vel homicidium, ut David, eamque ob causam, mortis pœnam incurrisset, Deo antea pro viribus paruisse, & multos alios, qui eam pœnam non subiissent, pietate ac religione vicisse, quem non est verisimile, in æternum periturum, cum videamus, Deum semper ex fide, homines justificasse, licèt id non semper hominibus revelarit. Ex dictis autem, illud etiam patet, cum de remissione peccatorum sub V. Fœd. concessa, sermo est, de remissione tantum pœnarum temporalium, esse sermonem. Sub. N. Fœd. æternæ potissimùm pœnæ condonatio, intelligenda est. Ut enim pietatis præmium, æternum est, ita etiam impietatis pœna, quam remissio tollit. Non est autem prætermittendum, quod divinus autor dicit, in præsenti *moritur* causa est, vel quòd id tum temporis adhuc fieri soleret, urgentibus Mosaicæ legis autoritatem Judæis, vel quod *Moritur* accepit, pro mori debet. Nam verba simpliciter, atque in modum assertionis elata, nonnunquam id significant, quod fieri debet, ut Mat. 2. Ubi Christus nascitur, id est Nasci debet. Tertiò, Severitas in illa pœna exigenda exprimitur illic *sine misericordia.* Nulla enim doloris, aut resipiscentiæ habebatur ratio. Nullus expiandi peccati restabat modus, ex vi fœderis. Omnino istiusmodi homo tollendus erat. Et Deut. 13 mandatur, ut si te vel frater germanus, vel filius, vel filia, vel uxor, vel amicus, quem ut animam tuam diligas, ad aliorum deorum cultum sollicitarit, ne parcat ei oculus tuus nec misereris, sed omnino occidas; manus tua prima sit in eo, ut eum interficias, tum manus totius populi, &c. Vide ibidem alia, de urbe exscindenda, in qua scelus ejusmodi fuerit repertum. Quodsi judices aut populus officium facere negligerent, ipse Deus faciem suam contra ejusmodi hominem ponebat, eumque ut dignus erat, plectebat, quemadmodum se in lege profitebatur facturum. Quodsi tamen pœna alicui remittebatur, id extra ordinem, & præter fœderis rationem, singulari aliqua Dei gratia contingebat. Unde interdum apostasiæ, id est cultus aliorum Deorum condonatio populo, per prophetas fuit oblata à Deo, ex singulari ipsius benignitate, imprimis tum, cum vel universus populus, vel major ejus pars, illo peccato se contaminasset, ne populum universum, aut magnam illius partem, cogeretur perdere. Deo nimirum qui supra legem est, legem relaxare pro arbitrio licebat, judicibus ac populo sub lege constituto, non licebat.

Ex his autem patet, Misericordiam, non esse proprietatem in Deo naturaliter ac propriè residentem. Nam quædam sunt actiones Dei, in quibus nulla utitur misericordia, sed ejus contrario, nimirum ira & severitate. At à naturalibus Dei proprietatibus & perpetuo in ipso residentibus nulla ejus actio recedere potest, & quando earum objectum exstat, necessario exeruntur, & nunquam earum contrarium potest in Deo existere. Quartò, Æquitas est in eo *in duorum aut trium testimonio.* Noluit Deus, tam severum supplicium permitti, vel solius magistratus, vel privati cujusquam libidini, ne etiam innocentes, qui invidiæ malorum, plerumque sunt obnoxii, hoc modo facilè oppimerentur, sed voluit, Testibus, minimum duobus, aut tribus convinci reum, & ea quidem lege, ut in falsos testes, jure talionis animadverteretur, ut quam pœnam alteri intentassent, eam ipsi perferrent. Vidimus id supra præceptum, Deut. 17, ubi de apostasia agitur, & alibi, ubi de peccatis ac criminibus in genere, Deut 19. 15 & seq. *Ne surgat testis unus contra aliquem, in quacunque iniquitate, in quocunque peccato, & in quocunque scelere, in quo peccatum fuerit, sed in ore duorum testium, aut in ore trium, stabit accusatio,* & postea, de pœna falsi testis, loquitur, quam ita vult exigi, ne parcat istiusmodi homini,

homini, oculus magiſtratus. Eadem lex etiam à Chriſto, eccleſiæ, fratris in fratrem delictum vindicaturæ, eſt conſtituta, Matt. 18. Ea ſe uſurum profitetur Paulus 2 Cor. 13. 1. Unde apparet, legem hanc eſſe æquiſſimam, cum nihil niſi æquiſſimum à Chriſto ſit Eccleſiæ præſcriptum, & ab Apoſtolis uſurpatum. Ex eo autem patet, occulta crimina, olim ſub lege, per tormenta exquiri non ſolita, ſed teſtibus vel argumentis aperiſſimis, fuiſſe in apertum producta. Quo iniquiores ſunt hodie Chriſtiani, qui, ne ſcilicet innocentem puniant, eum prius crudeliſſimis tormentis, quæ ipſa morte nonnunquam ſunt acerbiora ſubjiciunt, ut rem explorent. Nonne id ipſum quod fugiunt, faciunt? Nolunt innocentem punire. At ne id faciant, graviſſimè jam puniunt, ne quidquam de eo dicamus, tormentorum vim, non ſemper veritatem, ſed ſæpe mendacia expreſſiſſe, & multos maluiſſe mori, quam ea ſubire. At lex Moſaica, ſeveriſſima fuit. Cur ergo Chriſtiani, ſunt non dico ſeveriores, ſed planè crudeles, qui manſuetiſſimi eſſe deberent, & quibus charitas, omnibus aliis rebus, debebat eſſe antiquior? Sequitur alterum, in hac ratiocinatione autoris divini. Supplicio dignus cenſebitur qui filium Dei conculcarit. Illorum ipſorum ad quos ſcribit, judicium appellat, tamquam in re admodum manifeſta, dum ait; *Quanto putatis deteriore.* Deterius, id eſt acerbius & gravius ſupplicium ei debet imminere, qui Chriſtum repudiarit, quam qui Moſen. 1. Quia huic mors tantum violenta infligebatur, illi mors æterna. Quis autem neſcit, hanc illa, longe eſſe graviorem? Violenta mors, etiam ob delictum aliquod inflicta, non neceſſario mortem æternam, ſecum trahit, ut ſupra docuimus, ſi Dei voluntatem reſpicias, licèt naturæ vi, omnino ſecum eſſet tractura, nec prorſus hominem excludit ab æterna felicitate, contra quam in æterna accidit. Adde quòd etiamſi tandem is, qui mortem violentam ſuſtinuit vi legis, etiam in morte æterna maneret, tamen id pro illius pœna, non eſſet habendum, ſed pro naturali quodam mortis violentæ conſequente. Nam ei demum mors æterna pœna eſt, cui licuiſſet eam effugere, & cui ad vitam æternam, ac beatam immortalitatem patebat aditus. Hæc nimirum demum ſumma pœna eſt, cui licuiſſet eam effugere, à ſumma fælicitate, quæ tibi oblata fuerat, & ad quam pervenire potuiſſes, in æternum excludi. Deinde, ideo etiam gravior deſertori Chriſtianæ religionis imminet pœna, quam legis; quia antequam ultima illa pœna infligatur, aliæ quæ mortis violentæ acerbitatem ſuperant ei imponuntur. Nam omnis ei ſpes gratiæ divinæ, quam antea habuerat, adimitur, reditus ad priſtinum ſtatum negatur, quod inter acerbiſſima Dei ſupplicia, numerandum eſt, conſcientiæ vermis, qui vel mille mortes ſuperat, ejus animum ſubinde rodit, ac lancinat, imminetque terror perpetuus divinorum ſuppliciorum, cum aliqua tempeſtas, aut periculum ingruit, omnia illi infeſta videntur, nihil ſecurum, reſtant multi corporis dolores, omne damnorum, luctuum, contumeliæ, tormentorum, mortis denique acerbiſſimæ genus. Quot ſunt ſuppliciorum divinorum genera, quæ in eundem hominem poſſunt effundi, tot ei ſunt metuenda, qui Chriſtum deſerit. At mors violenta, brevi momento peracta, longe levior erat his ſuppliciis, præſertim ſimul junctis. Non ait autem ſimpliciter divinus autor, ejuſmodi apoſtatam, gravius ſupplicium laturum, ſed dignum judicatum iri, acerbiori ſupplicio, ſimul cogitandum relinquens, eum etiam reipſa iſtam pœnam ſubiturum. Nam in antecedente, intelligitur conſequens. Si quis dignus judicetur, præſertim peculiari, ac perfecta quadam ratione, ut hoc loco accidit, aliquo ſupplicio, quid facilius cogitatu, quam eundem, etiam iſtud ſupplicium ſubiturum. Dignus enim cenſebitur iſtiuſmodi ſupplicio, non eo modo, quo omnes qui peccant ſupplicio digni judicantur. Etiam ii qui in ignorantia divinæ voluntatis verſantes, peccant, aut ii qui olim ſemel in legem deliquerant, elato brachio, ſine miſericordia, etiam factum dolentes, ad ſupplicium rapiebantur (nam cum punirentur ex divino mandato, neceſſe eſt illos, ea pœna dignos fuiſſe judicatos) ſed ita, ut tum decreta divina in N. F. propoſita, tum rei ipſius æquitas, videantur pœnam iſtiuſmodi hominis poſtulare. Et hæc videtur eſſe cauſa, cur divinus auctor maluerit dicere, iſtiuſmodi hominem, graviori ſupplicio, dignum judicatum, quam ſimpliciter, eum acerbiorem pœnam laturum, ut ſimul hujus rei æquitatem indicaret, & oſtenderet, iſtiuſmodi hominem pœnam hanc planè commeritum, quod non expreſſiſſet, ſi ſimpliciter diximſſet, eum acerbiorem luiturum pœnam. Nam non protinus qui pœnam luit, etiam juſte luit, eo præſertim modo, quo hic intelligendum eſt. Quare ſi divinus autor, hoc poſteriori modo loquutus fuiſſet, æquitatem pœnæ, non expreſſiſſet. Certum quidem eſt, Deum nonniſi juſte unumquemque punire; ſed aliud eſt juſtè aliquid fieri, aliud indicari etiam verbis id juſtè fieri. Quòd ſi quis velit ideo etiam divinum auctorem, hoc pacto quo loquutus eſt loqui maluiſſe, quòd non plane ſit impoſſibile, unum aut alterum, ex iſtiuſmodi hominibus propter certam aliquam cauſam, tam gravi ſupplicio eximi, etiamſi eo dignus cenſeatur (nam cum de pœna agitur, poteſt quis ea dignus cenſeri, & interea tamen, niſi quid obſtet aliud, reipſa non puniri, ſed remiſſionem peccati, ſeu delicti impetrare, & quidem ſalva juſtitia) licèt id ex vi fœderis novi non fiat, non admodum repugnaverim. Alias in Sacris Literis dignum aliqua re cenſeri, præſertim cum de re bona, ſeu præmio aliquo ſermo eſt, ſolet non tantum ſignificare, ſtatutum iri de aliquo, eum jure quodam, præſertim ex promiſſo divino, poſſe id repetere, ſed etiam eum omnino id conſequuturum, quo dignus cenſeatur, ut Luc. 21. 36. 2 Theſſ. 1. 5.

Sequitur tertium in hac Apoſtolica argumentatione conſiderandum. Nimirum quomodo rationem ſuam, ex ſeveritate ſub lege uſitata ductam fulciat; ſeu quæ ratio ſit conſequentiæ in argumento. Poſſet nimirum aliquis quærere, Quomodo ex eo, quòd Deus tam graviter tranſgreſſores aut deſertores legis punivit, conſequitur longe graviori ſupplicio Chriſtianæ religionis deſertores, dignos judicatum iri? Hoc oſtendit Apoſtolus, in illis verbis: Qui filium Dei conculcarit, & ſanguinem fœderis, per quem fuerat ſanctificatus communem duxerit, & ſpiritum gratiæ contumelia affecerit. In quibus verbis, gravitatem ſceleris, quod ii admittunt, qui à Chriſto deficiunt explicat, atque adeò oſtendit hos apoſtatas dignos eſſe longe graviori pœna, quam fuerint deſertores, aut tranſgreſſores legis Moſaicæ. Quo nimirum gravius eſt ſcelus aliquod, tanto majori ac graviori dignum eſt ſupplicio. Tria autem affert ad gravitatem hujus impietatis oſtendendam; quæ omnia eo redeunt, ut oſtendat Apoſtatam, res ſanctiſſimas, per quas ad notitiam veritatis, & divinæ gratiæ in ea comprehenſæ pervenerat, atque ad fœliliſſimum quendam ſtatum perductus fuerat ſumma afficere ignominia. Itaque in ſingulis iſtis tribus particulis duo conſideranda ſunt. 1. Præſtantia rerum quam apoſtata contumelia afficit. 2. Facti ipſius indignitas; ſeu ignominia, qua Apoſtata ipſam afficit. Primum, quòd ejuſmodi homo, *filium Dei conculcet*; ubi ut jam diximus, & dignitas perſonæ & indignitas facti, ſeu contumelia iſtius perſonæ ſpectanda eſt. Dignitas, dum ait *Filium Dei*; quaſi dicat, non Moſen, quo ſe legis ſectatores jactant. Huic nimirum hic imprimis, opponitur hoc loco filius Dei, ut ex verſu præcedenti apparet; non alium aliquem prophetam, legis interpretem contemnit, ac contumelia afficit, imò etiam, non ex angelis aliquem, quorum opera, lex fuit Moſi tradita Act. 7. Gal. 3 & ſup. Hebr. 2, ſed eum, qui ſecundum Deum, primum authoritatis ac poteſtatis obtinet locum, eſtque ipſi Deo, omnium chariſſimus contemnit, ac contumelia afficit. Quo loco explicandum eſt, quid ſit eſſe filium Dei; nimirum illum ſingularem, qui hoc nomine ſimpliciter poſito, hic & alibi intelligitur, & quantam id in ſe dignitatem, divinitatemque contineat, idque partim ſimpliciter atq; per ſe, partim comparatè, ut facit

hic divinus autor, quem cap. 1, primum prophetis in genere, per quos Deus olim cum patribus loquutus eſt, partim angelis, per quos lexerat tradita Moſi, opponit, quo pertinet etiam particula cap. 2, ab initio. Sed cap. 3. Moſi imprimis eum longiſſimè præfert, tamquam filium ſervo ac famulo, tamquam eum qui domui præſit, Illi, qui eidem inſervit, quæ comparatio huc imprimis ſpectat. Simili modo ait Chriſtus Joh. 3, vel ipſe Johannes, dum oſtendit cauſam, cur is jam judicatus ſeu condemnatus ſit, qui in filium Dei non credit; quia inquit non credidit, in nomen unigeniti filii Dei. Quaſi dicat; Non prophetam aliquem vulgarem, non aliquem ex Dei ſervis, ſed unigenitum ac chariſſimum Dei filium, quem talem eſſe, multis documentis conſtabat, vel conſtare cuivis poterat, repudiavit ac rejecit. Contumelia autem ac contemtus, tanto gravior eſt, quanto major dignior ac præſtantior eſt is, qui contumelia afficitur.

Facti indignitas, ipſaque contumelia, exprimitur verbo *conculcaverit*. Vix cogitari poteſt major contumelia, quam eſt ea, ſi quem pedibus conculces. Ea enim pedibus calcamus, quæ pro rebus viliſſimis habemus. Quanta ergo rei indignitas, quanta contumelia, ſi chariſſimum Dei filium conculces pedibus, eum qui honore ſummo poſt Deum, eſt digniſſimus, indigniſſimis modis tractes, ac ſumma quæ ferè cogitari poteſt contumelia afficias. Ipſam Dei pupillam tangit, qui unctos ejus tangit. Quid dicendum eſt de eo, qui non vulgarem aliquem Dei unctum, ſed filium Dei unicum & chariſſimum, & illum Chriſtum, ſeu unctum Dei, perfectiſſima ratione ſic dictum, non tangit, ſed conculcat? Annon ipſum Deum, ejus patrem, contumelia ſumma dicitur affeciſſe? Qua ratione, cum Chriſtus confixus fuit ipſe Deus cenſetur confixus, & verba de Deo apud prophetam elata, ad hanc rem accommodantur, videbunt in quem pupugerunt. Supra cap. 6, in re ſimili dixerat autor, quòd ii qui poſt veritatem agnitam relabuntur, ſibimet ipſis crucifigant filium Dei, & publica infamia afficiant, quod huc quoque recte accommodatur. Ideò autem tanti ſceleris immanitas, jure tribuitur, Chriſtianæ religionis deſertori, atque hoſti; quia cum is ſanctiſſimam doctrina cujus annunciator atque autor Chriſtus exſtitit, falſam atque erroneam dicit (qua enim ratione aliàs eam deſerere, aut abnegare cenſendus eſſet) eo ipſo, non modò Chriſtum, filium illum Dei ſingularem, atque unigenitum eſſe negat, ſed ne vulgarem quidem Dei filium eſſe ſtatuit, ac clamat. Siquidem ejus nomen tamquam ſeductoris, ac falſi prophetæ, traducit, eumque hoc ſuo facto, digniſſimum judicat, qui tanquam impoſtor, divino nomine, per ſummum ſcelus ad falſam religionem populo perſuadendam abuſus, cruci fuerit affixus, itaque quantum in ſe eſt, *illum denuo cruci affigit, eumque pedibus conculcat*; ſiquidem de Chriſto affirmat, ob quod Chriſtus, ſi id verum eſſet, foret crucis ſupplicio digniſſimus, digniſſimuſque qui pedibus conculcaretur. Metitur ergo Spiritus ſanctus gravitatem ſceleris, non ex eventu, ſed vi ipſius facti, quemadmodum etiam dicitur aliquos Deum irridere, aut Dominum provocare, non quod id reipſa faciant, ſeu effectu ipſo, ſed quòd vis factorum, quæ reprehendit Apoſtolus, ſit ejuſmodi. Eodem modo, dicuntur aliqui, mutare gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudine imaginis hominis corruptibilis, aut veritatem in mendacio, vel mendacium. Vis facti eſt hujuſmodi, non effectus. Hoc primum eſt, quod ad gravitatem hujus ſceleris oſtendendam pertinet. Alterum eſt, quòd hujuſmodi Apoſtata ſanguinem fœderis, per quem fuerit ſanctificatus, communem duxerit. Ubi iterum, tum rei, quæ ignominioſe ab apoſtata tractatur, præſtantia, tum facti indignitas, eſt conſideranda. Res ipſa eſt ſanguis Chriſti, id eſt mors ipſius cruenta, licet Chriſtum ipſum non nomines, ſed ex reipſa, & deſcriptione addita, ſatis intelligitur. Præſtantia ejus ſanguinis, primùm eo exprimitur; quod ſanguis fœderis dicitur; fœderis inquam novi & æterni Matth. 26. 28, infra Hebr. 13. 20. Quia nimirum Deus ſanguine uſus eſt, ad fœdus hoc cum hominibus ſtabiliendum, ac ſanciendum, id eſt ad promiſſa ſua in eo propoſita confirmanda, & pignus quoddam eorum nobis dandum; atque adeò (quod ex priori conſequitur) ad homines impellendos, ut fœdus illud amplecti, & conditiones in eo ſibi impoſitas exſequi velint, ac denique ad promiſſiones, hominibus conditiones iſtas præſtantibus, reipſa exhibendas; quanquam primæ cauſæ reſpectu, ex qua ob fœderis rationem, ſecunda tertiaque conſequitur, potiſſimum ſanguis fœderis, dici videtur, eaque ratione confertur cum ſanguine antiqui fœderis, id eſt ſanguine ejus animalis, quo fœdus antiquum fuit ſancitum, apertè quidem ſup. cap. 9. 18, & ſeq. quæ confer cum præcedentibus. Obſcurius paulò infra cap. 12. ỳ. 24. 1 Pet. 1. 2, quæ omnia confer cum Exod. 24. Qua verò ratione ſanguis Chriſti, novum fœdus confirmarit, aliunde petatur.

Sequitur ut videamus, alterum modum, quo ſanguinis hujus præſtantiam exprimit. 1. Auctor, quod quidem à priori, tamquam effectus à ſua cauſa pendet, eſtque comprehenſus in illis verbis. *Per quem fuerat ſanctificatus*, nimirum antea cum Chriſtianam religionem amplecteretur. Sanctificatio conſiſtit in quadam emendatione, ac repurgatione ab impuritate, præſertim ſpirituali, & ad conſcientiam pertinente; quin etiam in ſeparatione quadam à rebus vulgaribus ac prophanis, & conſecratione rei vel perſonæ, in uſus divinos. Hoc loco licet vocem quam latiſſimè extendere, ita tamen, ut ſanctificatio hæc ad animum hominis ac conſcientiam, non ad carnem quemadmodum ſub lege accidebat, referatur. Nam ut autor hic divinus ſupra dixit cap. 9. Si ſanguis taurorum & hircorum & cinis juvencæ, aſpergens inquinatos, ſanctificat ad carnis puritatem, quanto magis ſanguis Chriſti qui per ſpiritum æternum ſeipſum obtulit inculpatum Deo, purgabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo vivo? Sed tamen etiamſi hoc ſanctificationis vocabulo, omnis emundatio, quæ ad conſcientiam animumque pertinet, intelligi poſſit, maxime tamen intelligenda eſt hac voce expiatio peccatorum, ſeu liberatio ab eorum reatu ac pœna, quatenus quidem eam in hac vita adipiſci poſſimus. Includitur tamen, etiam emundatio ab ipſa peccatorum labe, atque adeò ſeparatio noſtri, à prophano hominum vulgo, quæ fit per veritatis agnitionem ac profeſſionem pietatis; ſed eatenus potiſſimum, quatenus hæc emundatio & ſanctificatio, ad purgationem noſtri à reatu peccatorum refertur, atque ad eam via quædam eſt, & medium ejuſmodi, quod remiſſio peccatorum ex decreto Dei neceſſario conſequitur. Hujuſmodi repurgatio, quæ tum in repurgatione peccatorum, tum in emundatione noſtri, ab ipſis eorundem ſordibus conſiſtit intelligitur, ac ſanguini Chriſti adſcribitur, in verbis paulò ante adductis cap. 9. 14. Qua de re vide Socinum de Serv. part. 2. cap. 14. pag. 146, 147. Cur autem hoc modo ſanctificationis vocabulum putemus accipiendum, cauſa eſt, quod ut diximus, effectus hic ſanguinis Chriſti ex eo pendet, quod idem ſit, ſanguis fœderis. Quare, ſanctificatio ea eſt intelligenda, quam ſanguis Chriſti, homini mortali præſtat eatenus, quatenus fœderis ſanguis eſt; & is etiam ſanctificationis modus imprimis accipiendus eſt, qui congruit ei rationi, ob quam ſanguis Chriſti, potiſſimum ſanguis fœderis dicitur. Diximus autem, eum ideò potiſſimum dici ſanguinem fœderis, quia id confirmet ac ſanciat, & promiſſorum in eo contentorum, veluti pignus quoddam ſit; unde, cum tanta ſit promiſſorum iſtorum dignitas, ut nemo ea contemnere queat, conſequitur, ut nos etiam ad fœdus illud amplectendum & conditiones, ejus præſtandas adducat; qua in re ſi perſeveremus, ejuſdem ſanguinis Chriſti vi, ac fœderis in eo confirmati, plenam peccatorum remiſſionem, reipſa adipiſcimur. His vero in rebus conſiſtit ea ſanctificatio, quam hic intelligi diximus. Hoc divinus auctor vult dicere; Hominem iſtum, qui à Chriſto tam turpiter deficit, antea ſanguinis Chriſti vi, ad amplectendum divinum fœdus,

fœdus, ac promissiones in eo comprehensas, fuisse adductum, eaque re, à vulgo hominum prophano separatum, ac Deo viventi, ejusq; servitio consecratum fuisse, quo in statu si perseveraſſet, ejusdem sanguinis Christi vi, à pœnis poccatorum non modò tutus, sed & securus fuisset, atque adeò etiam fuit, quamdiu in fœdere isto perseveravit. Tutum dico reipsa quia nullum divinum judicium ipsi imminebat, obstante nimirum divino promisso, in fœdere comprehenso, & sanguine Christi, quo tamquam sigillo, hoc Dei diploma confirmabatur; qua ratione meliora dicitur clamare, quam sanguis Abel, quia non ut ille vindictam ab eo flagitat; sed potius, ut is promissionis sua memor, remissionem peccatorum nobis largiatur, ad quam confirmandam ex ipsius voluntate, fuit fusus. Itaque pignoris cujusdam instar est, quo Deus ad eam si in fœdere perseveremus præstandam, obstringitur. Adde, quòd Christus, per sanguinem suum tantam adeptus est potestatem, ut remissionem illam, ipsemet nobis præstare possit, effectusque est misericors ac fidus pontifex in iis, quæ apud Deum, ad expianda peccata populi, sup. cap. 2. Securum dico fuisse, quod ad animum ipsius attinet, quia eodem Christi sanguine freto, nunquam illi metuenda fuit peccati pœna. Breviter, spe certa, jam obtinebat peccatorum remissionem; re ipsa etiam aliquo pacto fruebatur, quatenus ea in hanc vitam cadit, eratque in eum statum, vi sanguinis Christi traductus, ut eam planè ac perfecte alioquin, si in eo perduraſſet, fuisset adepturus. Hic ergo est præstantissimus, ac omnium maximus sanguinis Christi effectus, ex quo apparet, eum sanctissimum esse, atque ab omnibus haberi debere, non vero nullo pacto prophanum esse censendum, qui enim aliàs tam divinũ potuisset præstare effectum?

Sequitur ut postea quam istius sanguinis præstantiam vidimus, videamus etiam indignitatem sceleris, quod in eum ab apostata admittitur. Ea vero explicatur illis verbis qui sanguinem istum *communem duxerit*. Commune opponitur sancto, & significat rem profanam ac vulgarem, vel etiam impuram, quæ duo ferè concurrunt. Sic, communibus manibus edere, est illotis ac impuris manibus id facere. Sic supra cap. 9. 13. ubi Latine est Inquinatos in Græco est vox, ab eo deducta nomine, quod commune significat, ita ut reddere possis communes factos, eique opponitur sanctificatio, ac puritas. Vide & Act. 21. 28. Hoc ergo vult dicere, divinus autor; Hominem ejusmodi, qui Christianam religionem, atque adeò fœdus illud novum deserit, & mendacii falsitatisque arguit, sanguinem Christi, quo fœdus illud fuit confirmatum, quoq; ipse fuerat, à profano hominum vulgo per veritatis notitiam separatus, peccatis eorumque pœnis repurgatus, pro sancto minimè habere, sed pro vulgari ac profano, qui ad tam sanctum usum, à Deo minimè fuerit adhibitus, imò pro planè impuro: siquidem is fuerit, sanguis impostoris, & in eum finem ab ipso profusus, ut falsæ doctrinæ auctoritatem aliquam conciliaret, qua nulla potest major esse illius sanguinis contumelia. Estque hic elegans quędam contrariorum commutatio; Sed quæ magnam apostatarum arguit impietatem. Sanguis fœderis ipsos sanctificarat, & ex profanis, sanctos ac puros effecerat, ipsi contra sanguine hunc, profanum atque impurum judicant, atque adeò quantum in se est, polluunt. Hæc de secundo, quo gravitatem atque impietatem apostasiæ, divinus autor ostendit.

Sequitur tertium, quod in illis verbis continetur. *Et spiritum gratiæ contumelia affecerit*, dignitas rei, in quam injuria fertur est, quòd sit spiritus gratiæ, per spiritum hunc divinus auctor intelligit, eam Dei virtutem & efficaciam, quam Deus ad confirmandum euangelium, ac demonstrandam novi fœderis veritatem adhibuit, unde à Johanne 1 epist. 5, inter testes divinos numeratur, & hoc ei elogium peculiariter tribuitur, quod sit illa veritas, quia ejus testimonium de Domino Jesu, ejusque euangelio adeò sit manifestum, tamque apertæ veritatis, ut is ipsa veritas censeri debeat, licet alias etiam aqua, id est vitæ ac doctrinæ Christi puritas, quæ hoc ad Hebr. loco tacite tantum in voce filii Dei commemoratur, & sanguis (id est mors cruenta Christi) qui hic aperte est expressus, & fœderis sanguis appellatur, magnam vim habeant, ad euangelii veritatem demonstrandam, & sanguis is aliqua ex parte, ob specialem suam cum promissis fœderis conjunctionem, in iis confirmandis, majorem etiam vim habeat, quam spiritus; sed tamen si evidentiam, quæ aliquomodo hominum sensus perstringit respicias, habet spiritus ille divinus aliquid præ sanguine, & sanguinis vim etiam fulcit. Hinc autor ille divinus supra cap. 2, cum de confirmatione euangelii & salutis æternæ in eo comprehensæ ageret, solius divini spiritus, & effectuum ejus miraculosorum meminit, dum ait, Quomodo nos effugiemus (quominus scilicet puniamur) si tantam neglexerimus salutem; quæ cum incæpisset annunciari per Dominum, ab iis qui audierant, in nos confirmata fuit, attestante Deo, cum signis & miraculis, tum virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus, secundum suam voluntatem. Ubi, tum Spiritus sancti distributionum facit mentionem, ea proculdubio intelligens dona, quæ euangelicæ doctrinæ auditoribus quoque, cum eam essent amplexi distribuebantur; qua de re non semel in actis legimus; imprimis verò 1 Cor. 12 & 14. tum signorum miraculorum ac virtutum, quæ spiritus etiam divini sunt effecta, ut ex multis Sac. Lit. locis perspicitur, & per eos imprimis exerebantur, qui doctrinam euangelicam annunciabant. Quodsi velis huc etiam referre effecta istius spiritus, quæ Deus in ipso Christo excitando, & ad dexteram suam collocando exeruit. (Ut patet Rom. 14. 1 Petr. 3. 18, quæ confer cum 2 Cor. 13. 4.) multò major istius spiritus præstantia, & ad confirmandum euangelium vis apparebit. Qua de re vide Socin. in 1 Joh. 5, ubi de spiritus testimonio. Vocat autem hunc spiritum, divinus autor, spiritum gratiæ, ad illius vim ac præstantiam tanto magis illustrandam. Duplici autem id modo videtur accipi posse. Sic Piscator Joh. 1. 17. 1 Petr. 5. 12. 1. ut vox gratiæ, denotet objectum circa quod versetur, quasi dicat; Quod de gratia nempe Dei, in euangelio revelata testatur. Vel si mavis, de ipsa doctrina euangelii, quæ gratia dicitur, quod gratiam Dei omnium maximam, nobis offerat, atque annunciet; Eodem pacto accipi potest 1 Joh. 4. *Spiritus erroris*, & *spiritus veritatis*, id est spiritus, qui errorem aut veritatem docet, inspirat, atque urget, ut sit genitivus objecti, nisi malis ab effectu dici spiritum erroneum vel veracem: res eodem recidit. Sic spiritus Christi apud Petrum 1 epist. 1. 10, pro spiritu qui de Christo testatur, & totus ut ita dixerim Christum spirat, si ejus præcipuam intentionem spectes, sumitur. Isto, quo diximus modo, si hoc loco accipiantur verba *spiritus gratiæ* elegans erit sensus; nimirum istiusmodi hominem qui euangelium, quod ipsa gratia esse videtur, ob promissa benignissima ac longe maxima, in eo comprehensa, respuit, spiritum illum divinum, qui de gratia ista apertissimum præbet testimonium, summa afficere contumelia: quæ describtio hujus spiritus est, ad rem de qua agimus accommodatissima. Sed potest tamen fortasse, alius quoque sensus esse verbi gratiæ spiritui adjunctii ut nimirum sumatur adjective, quasi dicat, Sp. gratiosum, seu ex singulari Dei gratia donatum. Est enim singularissimum ac præstantissimum Dei donum, & excepta vita æterna quæ mortali homini nondum datur, nullum est eo majus. Quæ describtio, itidem satis accommodata ad rem de qua agitur, censenda est, præsertim si statuatur, divinum autorem pro concesso sumere, istiusmodi hominem, qui veritatem euangelii, tam turpiter deserit, ipsum quoque cum euangelium esset amplexus, Spir. S. fuisse participem quemadmodum in re simili, videtur ponere suprà cap. 6. 4. Hoc enim pacto, evidentissime apparet istius hominis scelus, qui eam doctrinam repudiasset, ex cujus auditu, ut Paulus loquitur Gal. 3, spiritum, tam præstans Dei donum, ex singulari ipsius benignitate profectum, accepisset, quod in ipsius animo, apertissimum divinitatis ac veritatis doctrinæ istius perhiberet testimonium, adeò ut non sine summa impietate, & quadam

dam in Deum hoſtilitate, poſſet ejus teſtimonium ſpernere, & doctrinam eo confirmatam repudiare. Verùm tutius eſſe videtur Spiritus vocem latiſſimè accipere, pro univerſa Dei virtute, qua Deus euangelium, ſeu ſermonem gratiæ ſuæ, ut in Sac. Lit. appellatur confirmarat, ſive is in ipſo Chriſto, ſive in Apoſtolis, aliiſque euangelii præconibus, ſive in ipſis ejus auditoribus, ac profeſſoribus, fuerit conſpectus, & ſtatuere, Gratiæ ſpiritum dici, quia de ea apertum tulerit teſtimonium, ſive exterius, ſive interius in illius animo, qui veritatem euangelicam fuerat amplexus.

Hactenus rei dignitas ac præſtantia; ſequitur indignitas ſceleris, qui in eam admittitur ab apoſtatis, qui exprimitur verbo *contumelia affecerit* verbum Græcum, admodum eſt prægnans, & ſignificat injuriam cum contumelia conjunctam, ex deſtinata voluntate profectam, ac cum aliqua animi voluptate, ac delectatione, alteri illatam. Hæc verò contumelia in eo conſiſtit, quòd Spiritus ille, qui ipſa veritas eſt, mendacii ac impoſturæ, ab iſtiuſmodi homine, qui Chriſtianam religionem abjicit, arguitur, atque adeò accuſatur, & diabolo, qui mendacii parens eſt adſcribitur, cum tamen ſit diviniſſimus, divinitatemque ſuam, apertè unicuique oſtendat. Nam ut dictum eſt, ſpiritus ille de gratia euangelica, quam iſtiuſmodi homo, tamquam falſam abjicit, apertiſſimum præbet teſtimonium. Quodſi euangelium illud falſum eſſet, mendax foret ille ſpiritus, atque erroneus, qui ejus veritatem, tantopere urget. Committunt ergo apoſtatæ peccatum ejuſmodi, quod blaſphemia Spiritus, ſeu in Spiritum ſanctum, nec in hoc, nec in futuro ſeculo remittitur, contra quam in aliis omnibus delictis accidit. Unde Dominus Jeſus Luc. 12, cum ℣. 9, dixiſſet: *Qui abnegaverit me coram hominibus abnegabitur coram angelis Dei*, ſubjungit ſtatim ℣. 10. *Et omnis qui dixerit verbum, vel ſermonem, contra filium hominis, remittetur ei; ſed ei qui contra Spiritum ſanctum blaſphemaverit, non remittetur.* Quia nimirum iſta abnegatio filii Dei, à blaſphemia Spiritus ſancti ſejuncta eſſe non poteſt, imò illius ſpecies quædam eſt. Siquidem is, qui Chriſtum abnegat, ſciens prudens, doctrinam illius, Spiritus ſancti teſtimonio confirmatam ob quod ipſe quoque eam fuerat amplexus, falſitatis arguit. Alia quidem nonnunquam dici poſſunt in filium hominis, quæ majeſtatem ipſius lædunt, præſertim ab eo, qui veritatem doctrinæ ejus non agnovit, qualia eorum erant dicta, qui ipſum olim vini potorem ac comedonem, contumelioſe nominabant, quæ ſine blaſphemia vera Spiritus fieri poſſunt; ſed abnegatio Chriſti, non poteſt. Nam hæc propius petit ipſum divinum Spiritum, doctrinæ Domini Jeſu, teſtimonium perhibente, ac propterea à ſciente veritatem ejus doctrinæ, proficiſcitur, quæ demum proprie dicta blaſphemia eſt, licet etiam ignorans poſſit quiſpiam dici blaſphemare, ut Paulus; ſed minus propriè. Itaque ita videtur velle dicere Chriſtus, non tantum is qui me abnegaverit, tantam incurret pœnam, ſed omnes etiam reliqui, qui blaſphemaverint Spiritum ſanctum, tam gravem incurrunt pœnam, ut illis remiſſio nulla ſit ſperanda. Vel particula & ſumi poteſt pro nam ut apud Hebræos ſæpe accidit, qui particula & pro variis conjunctionibus utuntur. Exempla hujus ſignificationis habes, ſi conſulas Hebræum textum Gen. 41. 21. Et aſpectus. Exod. 2. 10. Et dixit, id eſt, dixit enim 1 Reg. 18. 4. Et fuit, & alibi non ſemel in Vet. Teſt. In novo, notavit Beza Joh. 2. 13. Et erat prope, id eſt, Nam: & cap. 3. 13. Rom. 1. 23. 1 Joh. 1. 2, & cap. 3. 4. Quare ſenſus erit, Nam omnis qui dixerit.

Ex his autem patet veritas eorum, quæ antea de gravitate ſupplicii, quod apoſtatas manet, dicta ſunt. Nimirum illis, nullam amplius reſtare pro peccatis hoſtiam, ſed terribilem quandam exſpectationem judicii, ſiquidem ipſe Chriſtus teſtatur, hujus generis peccata, remiſſionem non habere, & quidem ut eſt, apud Matthæum, neque in hoc, neque in futuro ſeculo; ſeu ut eſt apud Marcum in æternum. Hos enim tanquam hoſtes ſuos, ut eos hic vocat divinus autor, ac perduelles, à gratia ſua repellit Deus, nec eorum curam ut reſipiſcant amplius ſuſcipit, ſi quidem id quod in Deo eſt diviniſſimum, & ex quo ejus potentiam ac majeſtatem apertiſſimè licet cognoſcere, nimirum ejus Spiritum blaſphemant, ac contumelia afficiunt. His adjunge illa etiam, quæ hic præceſſerunt, nimirum eos filium Dei, quo nihil eſt Deo conjunctius, quo nihil divinius Deus humano generi dedit, qui in ipſius olim forma fuit, & nunc multò magis divinæ majeſtatis imaginem in ſe exhibet, cum in dextra throni ejus collocatus, omne ab eo judicium accepit; Hunc inquam eos pedibus conculcare, atque indigniſſimis modis ei inſultare, eos ſanguinem fœderis novi, quo ipſi profani atque impuri, à ſcelerum ſordibus, eorumque reatu fuerant purgati, ac ſancti effecti, pro vulgari, profano, atque adeò impuro habere. Quid majus hujuſmodi ſcelere atque impietate fingi poteſt? Nonne jure in hoſtium ac perduellium numero haberi debent, & tamquam ii, qui in ipſam Dei majeſtatem involarunt, graviſſime ac ſine ulla miſericordia puniri merentur?

Hactenus prius argumentum vidimus, quo divinus autor demonſtrat, quam grave ſupplicium maneat eos, qui à Chriſtiana religione deficiunt. Sequitur alterum, quod à teſtimoniis divinis imprimis eſt petitum, in quibus Deus profitetur ſemetipſum pœnam ac vindictam, de hoſtibus populi ſui ſumturum, quod majori jure ad pœnas, quas Deus de iis qui à populo ſuo electo, ſub N. Fœd. deficiunt, deque ſuis ac filii ſui hoſtibus, ac perduellibus, ſumturus ſit refertur. Hoc vero argumentum, continetur verſ. 30, 31. in quo tria ſunt conſideranda. 1. Quomodo teſtimoniis iſtis autoritatem conciliet, & ejus, qui illa eſt effatus, potentiam, atque in dictis conſtantiam, animis legentium aliquomodo ſubjiciat. 2. Ipſa illa teſtimonia divina, quæ ad rem ſuam citat, divinus autor. 3. Epiphonema, ſeu concluſio brevis, qua Divinus autor, ſupplicii divini magnitudinem illuſtrat, ut tanto magis Hebræos, ab apoſtaſia deterreat. Primum eſt ibi. *Novimus enim eum qui dixit*, quaſi dicat; Ego atque vos una mecum, partim ex lege, cujus olim auditores ſectatoreſque fuimus, partim ex doctrina euangelica docti, probe ſcimus, qualis quantaſque ſit is qui dixit mihi &c. Is vero eſt Deus ille ſummus. Vult autem duo in Deo ad hoc negotium de quo agitur pertinentia conſiderari, Potentiam ac conſtantiam ſeu veritatem. Potentiam, propterea, ut cogitent, neminem eſſe, qui ejus manus quæ longæ ſunt, & quemcunque in locum pertingunt, effugere; neminem qui ſontem ex ejus manibus eripere, atque extorquere poſſit, ac præterea poſſe Deum, longe majores ac graviores pœnas alicui infligere, quam homines poſſint, per quos olim Deus ſolebat exigere pœnas defectionis à lege Moſis, mortem nempe violentam. Conſtantiam autem ſeu veritatem, ideo, ne putent Deum fruſtra fuiſſe iſta comminatum. Nam non eſt Deus ejuſmodi, quem dictorum ac decretorum ſuorum pœniteat. Decretum eſt Deo punire eos qui à Chriſto deficiunt, eſtque id decretum, tum natura ſua æquiſſimum, ac rectitudini admodum conſentaneum, ut ſatis eſt oſtenſum ex gravitate hujus ſceleris, & juramentum quoddam Dei interceſſit, quo ad pœnam ejuſmodi obligantur ii, qui gratiam ſub N. Fœd. revelatam repudiant, ne in regnum Dei ingrediantur, quæ pœna, etiamſi alia abſint, eſt omnium graviſſima; qua de re hîc autor ſupra cap. 3. & 4. At juramentum, eſt ſignum immutabilis Dei voluntatis ſup. cap. 6. 17, 18, nec ſalva rectitudine poteſt violari. Quam ad rem pertinet etiam id, quod dicitur eo in loco, unde divinus hic autor, teſtimonia ſua hîc deſumſit, nimirum Deut. 32. *Ego occido & rurſus vivifico; ego vulnus infligo, & ego medeor, nec eſt qui ex manibus meis eripere poſſit, cum elevavero manum meam in cœlum, & dixero, Vivo ego in æternum, cum exactuero fulgorem gladii mei, tum manus mea apprehen-*

prehendet judicium, rependamque ultionem hoſtibus meis, ſimulque odientibus me rependam. Intelligendum tamen eſt, Etiamſi definitum ac immutabile Dei decretum interceſſerit, quo apoſtatæ quamdiu tales ſunt, ad pœnam obligantur, non tamen proinde certum eſſe, tale quoque decretum, id eſt definitum ac prorſus immutabile exſtare, de iis ita puniendis, ne reſipiſcere ullo pacto queant. Generatim id fieri, æquitate id ſuadente, certum eſſe debet, & eatenus, hanc quoque pœnam immutabilem eſſe, ſtatuendum videtur, ſed non in univerſum, ac ſine ulla prorſus exceptione, præſertim ſi alicujus apoſtaſia, non adeo longe ab incogitantia, aut imbecillitate abſit, ut æquitati non videatur eſſe præcluſa via. Ubi autem æquitas aliqua locum habet, ibi niſi aperte conſtet immutabile prorſus decretum interceſſiſſe; non licet nobis adeo audacter aſſerere, contrarium prorſus eſſe impoſſibile; licet illud quoque hîc addi poſſit, ſine precum alienarum ope, ac piorum interpellatione, vix ulli apoſtatæ reditum ad reſipiſcentiam aperiri, etiamſi tandem hîc æquitatem aliquam, locum habere velimus. Ut autem tota hæc res melius intelligatur, conſiderandum eſt, Eſſe quædam Dei decreta, vel effata, minas continentia, quæ Deus nonnunquam ſalva ſua juſtitia mutat, nimirum cum homines facti pœnitet, aut metu divinæ iræ percelluntur, ut inter alia apparet ex comminatione Achabo, per Eliam denunciata, & Ninivitis per Jonam, cujus pœnituiſſe Deum dicitur Jonæ 3 ad finem. Vide etiam Hier. 18. *Repente loquar*, & Ezech. 33. 14 & alibi. Alia eſt ratio promiſſionum divinorum. Nam dum aliquid promittitur, eo ipſo acquiritur jus alteri, quod ab eo auferri ſine injuria non poteſt. Omne promiſſum cadit in debitam, recte ajunt vulgo. Itaque etiamſi promittere eſt liberum, tamen liberum non eſt promiſſa frangere; ſed in comminationibus aliter accidit, ubi non de alieno jure agitur, ſed de jure ipſius Dei de quo remittere, niſi quid aliud obſtet poteſt, quantum vult, nec illi fit ea in re injuria. Non enim alicui adimitur bonum, quod ei debebatur, ſed malum, quo dignus erat, aufertur, vel non infligitur. Sed ſi tamen delinquentes tales ſint, ut ipſa rectitudo omnino ſuadeat, eos eſſe puniendos, idque vel ex rei ipſius natura, ſeu ipſa ſceleris gravitate inſpecta, ut accidit in iis, qui Dei majeſtatem aperte ac conſtanter violant, & ipſius perduelles eſſe perſeverant; vel ob decretum definitum, non pendens ab aliqua conditione, quod de iis puniendis exſtet; quale illud eſſe videtur de quo egimus, nimirum de apoſtatis, ſaltem generatim ita puniendis, ne ad reſipiſcentiam poſſint redire; Comminationes ejuſmodi, quatenus plane definitæ ſunt, non mutantur à Deo. Hactenus vidimus, quomodo auctoritatem quandam conciliat teſtimoniis adducendis, Divinus ſcriptor.

Sequitur alterum, id eſt, ipſa teſtimonia, divinaque effata, de pœnis, quas Deus ipſe hoſtibus ſuis ac ſuorum, ſit inflicturus. Sunt autem duo licet ex eodem ſcripturæ loco deſumta, nimirum ex Deut. 32. Prius exſtat verſ. 35. Poſterius verſ. 36. exemtis verbis intermediis. Prius eſt, *Mihi ultio, ego rependam dicit Dominus.* Verbis prioribus non tantum ſignificatur jus ad puniendum, vel potentia ac robur, ſed & decretum ac voluntas, quaſi dicat; Ad me pertinet punire. Ego eam rem mihi reſervavi, atque ad me ipſum pertinere volui. Unde addit, *Ego rependam*, id eſt, Ego vindicabo ſcelera hoſtium populi mei, qui effectus eſt ejus, quod in verbis prioribus eſt expreſſum. Dum vero ſubjungit *Ait Dominus*, autoritatem orationi huic conciliat, quia eam protulerit Dominus ſeu Jehova. (hoc enim Dei nomen à Græcis, voce κύριος, reddi ſolere, notum eſt) qui nomen hoc à conſtantia voluntatis imprimis eſt adeptus, atque adeò à certitudine eorum, quæ ſe facturum dixit, quanquam potiſſimùm in promiſſis. Trahi quidem id nomen poteſt etiam ad conſtantiam ac perennitatem eſſentiæ, ſed ad voluntatem magis proprie pertinet, ut patet ex Exod. 3 & 6. Eſt ergo in hoc teſtimonio emphaſis maxima, in vocibus *Mihi* & *Ego*: opponuntur enim eæ voces hominibus, ac ſignificant pœnæ genus, non humanum ſed prorſus divinum; ſive quod non ab hominibus infligitur ſed à Deo, & ut Paulus de re ſimili loquitur, de cœlo revelatur ſuper hominum impietatem Rom. 1. 18. Pœna illa, quæ deſertoribus legis infligebatur per magiſtratum, humana erat, atque uſitata. Pœna apoſtatarum divina erit, ac minime vulgaris. Licet enim Deus & hominum operâ nonnunquam utatur in pœnis de apoſtatis ſumendis, tamen maximam partem, ſeu id quod graviſſimum in illo ſupplicio eſt, mortem nimirum æternam, & à ſuprema fœlicitate depulſionem, ipſemet per filium ſuum, quem judicem conſtituit divinum, & tanta, quantam ipſe exerturus eſſet, ea in re inſtruxit potentia, exigit, ac præterea pœnas, quas per homines exigit, ita gubernat, ut à divina manu pondus accipiant, ſentiaturque Deum eſſe qui puniat. Non parum enim refert, à qua manu ictus veniat. Novit Deus, quo tempore, quave ratione punire hominem, quam graviſſimè licet per homines poſſit. Etſi autem olim quoque ſub lege, Deus hæc verba protulerit, de Judæorum hoſtibus, tamen quemadmodum ea omnia quæ ſub lege fiebant, umbræ quædam erant eorum quæ ſub euangelio, ita & illa pœna hujus. Quemadmodum gravius eſt ſcelus, deficere à populo Dei ſanctiſſimo, ſub N. Fœd. quàm ab illo antiquo, qui hujus figura tantum erat. Gravius item filium Dei conculcare, quàm Moſen; gravius ſanguinem fœderis novi, quam veteris; gravius ſpiritum gratiæ, quam ſpiritum ſervitutis ac timoris, contumeliâ afficere; ita & pœna ſceleris iſtius gravior eſt, quam hujus.

Ex his autem verbis patet, Deum ſibi vindictam defectionis ab euangelio reſervaſſe, nec ordinarie hominibus mandaſſe. Sub. V. Fœdere ubi terrena erant omnia, & lex tota, ad diſciplinam quandam politicam, in qua divinus aliquis cultus, à terrena fœlicitate non abhorrens vigeret, ac vi retineretur, erat compoſita; Deus per magiſtratum pœnas ſolebat ordinarie exigere. Nunc cum divina ſint omnia, per ſeipſum. Nullo prætextu excuſant ſe ii, qui hæreticos quos ipſi pro talibus ſæpius immerito habent, occidunt, & magiſtratui id politico, à Deo mandatum aſſerunt, nullo ſcripturæ dicto. Producunt ex lege præceptum de apoſtatis e medio per magiſtratum tollendis. At ex hoc loco ſatis apparet, aliam hac in parte novi; aliam antiqui fœderis eſſe rationem. Adde, quòd alius ſit hæreticus, alius apoſtata; hic religionem Chriſtianam prorſus abjicit, ille eam adhuc profitetur, licet in uno alterove capite ejus, ad ſalutem neceſſario, erret. Quare, non protinus ea, quæ de apoſtatis dicta ſunt, ad hæreticos ſunt protrahenda. Neque verò divinam ſapientiam videtur decuiſſe, ut pœnam hæreticis infligendam commendaret magiſtratibus. Nam cum religio Chriſtiana ita ſit comparata, ut potentibus ſecundum carnem, non arrideat, 1 Cor. 1. Jacob 2. ſi pure annuncietur; contra verò pauperes hujuſmundi, elegerit Deus, ut ſint divites in fide, & hæredes illius regni: quia nimirum religio hæc, ſtatui ac moribus pauperum melius congruit, cum ea jubeat mundum, & ea quæ in mundo ſunt non diligere, ſed ſpernere, ac præterea crucem tollere, & ad omnis generis calamitates contumelias, tormenta, temetipſum ſemper parare, quæ homines potentes, vix ac ne vix quidem à ſe impetrant; hinc non facilè accidit, ut magiſtratus, qui inter homines ſecundum carnem ſunt potentiſſimi, eam amplectantur, vel ſaltem ut puram ac ſinceram amplectantur, ſed multis erroribus permixtam, idque in rebus ad pietatem vitæ ſpectantibus, quod nihil aliud eſt, quam hæreſes eos facilius amplecti, ſi Chriſtiani fiant, quàm ſinceram doctrinam. Quia tamen nihilominus illis ſua doctrina videtur eſſe optima, veriſſimaque, illa verò quæ contrarium docet, eſtque pietati convenientior hæretica, hinc accidit, ut ſi perſuaſi ſint Hæreticos eſſe puniendos, atque è medio tollendos, vi hu-

jus ſententiæ ſuæ adigantur, ad eos qui puriorem doctrinam amplectuntur, veroſque à Deo Chriſtianos perſequendos ac tollendos. Quare hoc præceptum divinum, nihil aliud effeciſſet, quam ut magiſtratus, plerumque ac fere ſemper, veros Chriſtianos vexarent, atque occiderent; rariſſime verò Chriſtiani veri, hæreticos tollerent, cum ut dictum eſt, ii plerumque & minus potentes, & numero pauciores, ac præterea mitiores, atque à vi, cæde, ſanguineque alieniores eſſe ſoleant. At ſi Deus hoc præceptum dediſſet, proculdubio ideo dediſſet, ut hac ratione hæretici, ipſæque adeo hereſes, tollerentur, Chriſtiana verò religio, fines ſuos indies latius protenderet, cujus contrarium tamen accidiſſet, natura religionis Chriſtianæ, inſpectis hominum plerorumque moribus, ita ferente. Non ſolet Deus illis exequutionem ſuorum mandatorum præſertim in tanta re, tamque gravi, committere, quæ & ad vitam hominum, & ad infinitorum ſalutem æternam pertinet, quos ea in re plerumque erraturos perſpicit. Alia eſt, aliorum ſcelerum ratio, quæ dignoſci à quovis facillime poſſunt, ratione ipſa ac communi ſenſu hac in re præeunte, & uſu ipſo quemvis docente, qualia ſunt, homicidia, adulteria, furta, falſa teſtimonia, & ſi quæ ſunt ſimilia, quæ in iis quoque Rebuſpub. quæ vel nullam, vel exiguam veri Dei cognitionem habuerunt, aut habent, legibus fuerunt prohibita, & ad huc caventur puniumturque, & quidem ab iis nonnunquam, qui iiſdem vitiis laborant. Nam turpitudo eorum manifeſta, facit, ut ea in aliis damnent, licet ipſi ob affectum aliquem, ob lucrum, voluptatem, honoremque vanum, ea admittunt, neque hîc judicii eſt imbecillitas, ſed defectus probitatis.

Ex iis etiam quæ diximus, patet, rectiſſime hæc verba à Paulo adduci Rom. 12. ad oſtendendum non debere nos malum pro malo reddere, nec hoſtes noſtros ulciſci, ſi quidem Deus in his verbis ſibi vindictam hoſtium populi ſui vindicat, ſibique reſervat, non verò hominibus permittit, multo minus certis aliquibus hominibus perpetuo mandat.

Hactenus prius teſtimonium, ſequitur aliterum, quod exprimit autor Divinus dum ait, *& rurſum Dominus judicabit populum ſuum.* Emphaſis iterum maxima, vel ſaltem magna eſt, in voce Dominus, cujus vim jam vidimus, quaſi dicat; Non homines ſed ipſe Jehova, Deus ille ſummus, ac in decretis ſuis exequendis conſtantiſſimus judicabit ſuum populum, atque adeo ſuo, ut ita loquar more, ac ratione ſuæ majeſtati ac potentiæ convenienti hoſtes ſuos populique ſui ulciſcetur. Non eodem autem modo accipiuntur ab interpretibus verba iſta, *Judicabit populum ſuum*, adeoque nec eodem modo, ad ſcopum autoris accommodantur, ſed potiſſimum tribus. Simpliciſſimus, & loco, unde teſtimonium hoc depromtum eſt convenientiſſimus eſſe videtur ſenſus, quem Vatablus vidit & notavit, ut vox *Judicabit* ſumatur pro vindicabit, quaſi dicat; Dominus ulciſcetur populum ſuum de inimicis ſuis, ſeu de hoſtibus populi ſui pœnas ſumet. Nam dum quis hoſtem alicujus plectit, alterum illum cujus is hoſtis eſt, vindicare dicitur, atque adeo ex quodam Hebraiſmo Judicare.

Neque eſt, quod quis dicat hunc ſenſum, ad auctoris propoſitum nihil facere, cum hic non de hoſtibus populi divini, ſed de deſertoribus Chriſtianæ religionis, adeoque de Dei ac Chriſti ipſius hoſtibus, eorumque pœna, ſit ſermo. Reſponderi enim poteſt. Primò, Fieri vix poſſe, nec facile contingere, ut quis Dei ac Chriſti hoſtis ſit, præſertim κατ' ἐξοχὴν, ut hoc loco contingit, nec tamen idem quoque populi Dei ac Chriſti interea fiat hoſtis, propter ſummam quæ eſt inter populum hunc & Deum Chriſtumque conjunctionem. Ita enim fieri ſolet, ut qui regis alicujus hoſtis eſt, ſubditorum quoque ejus, ſumma fide regem colentium, eique obſequentium, ſit hoſtis, & ubi poteſt iis noceat. Hinc Chriſtus Joh. 15, cum non pauca dixiſſet de odio mundi, adverſus ſuos diſcipulos, addit verſ. 24. *Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia non noverunt eum, qui me miſit*, hoc eſt non approbant, non diligunt. Non norunt autem, id eſt non diligunt, approbantque Deum ii imprimis, qui Chriſtum deſerunt & conculcant. & cap. 16. Veniet hora, ut omnis qui vos occiderit, putet ſe cultum præſtare Deo, hoc verò facient vobis, quia non norunt patrem, neque me; id eſt ut ſupra cap. 15, 24 dixerat, oderunt & me & patrem, & 1 Joh. 3. Ideo mundus non novit nos, quia non novit eum, id eſt Deum & patrem noſtrum. Adde, quod apoſtatæ ſeu deſertores, hoc habere ſoleant proprium, ac ferè perpetuum, ut oderint eos ac vexent, quos deſeruere. Unde vulgare ortum eſt proverbium; Omnis apoſtata, eſt perſequutor ſui ordinis. Solent enim ii; qui aliquos deſeruere eo imprimis fidem facere, ſe ſincero animo id feciſſe, dum eos à quibus deſciverunt perſequuntur, præſertim cum improbus eſt animus, ut in omnibus apoſtatis accidit, de quibus divinus autor loquitur. Deinde reſponderi poteſt, etiamſi tandem is, qui Chriſtianam religionem, populumque adeo Dei deſeruit, non ſit hoſtili in Chriſtianos animo, vere tamen eum hoſtibus populi Dei annumerari, ad quos tranſfugit. Tranſfuga, etiam ſi hoſtili non ſit animo, adverſus eos à quibus deſcivit, tamen hoſtibus annumeratur, & eadem, imò plerumque majori pœna afficitur. Denique etiamſi concedatur nullo pacto dici poſſe, Apoſtatas eſſe hoſtes populi divini, jure tamen optimo, verba illa Dei apud Moſen, ad apoſtatas poſſent accommodari. Nam non tantum par ſcelus eſt, ſed etiam majus, eſſe ipſius Dei ac Chriſti apertiſſimum hoſtem, idque ſcientem ac prudentem, quam eſſe hoſtem ipſius populi divini, ac Chriſtiani primò ac per ſe, Dei verò ac Chriſti, nonniſi conſequenter. Nam qui majeſtatem Dei ac Chriſti recta petit, in eamque involat, deterior eſt eo, qui mediatè tantum & per alienum ut ita dicam latus, præſertim ſi ipſum Deum ſe eo pacto petere ignoret, Dei ac Chriſti populum hoſtiliter aggreditur, ideo tam grave eſt ſcelus, quia hac ratione Deus ac Chriſtus vehementer lęduntur. Quod ſi ergo quis Chriſtum ipſum conculcet, & hoſtili animo in eum feratur, & ſic ipſam majeſtatem Dei contemnat, cum Deus ac Chriſtus ita ſint conjuncti, ut ſint unum, & filius lædi non poſſit, quin pater, cujus illum eſſe filium chariſſimum apertis patet argumentis, lædatur, ac graviſſimè offendatur, quid inquam de hujus impietate eſt ſtatuendum? Quod ſi illius ſcelus, tanti æſtimat Deus, ut non humana aliqua pœna expiari debeat, ſed dignum ſit ſua ipſius animadverſione ac pœna, certè non modò pariter, ſed etiam multo magis credendum eſt, hujus, id eſt apoſtatæ ſcelus, dignum illi viſum iri, in quod ipſe ultricem ſtringat gladium & vindices admoveat flammas, manuque ſua correptum ſontem ad ſupplicium trahat, ac diverſis cruciatibus ſubjiciat. Hic primus eſt, verborum iſtorum ſenſus.

Alter ſenſus eſt, ut vox Judicabit ſumatur proprie, pro ſententiam feret Deus, de populo ſuo, eamque exſequetur, his tribuet præmia, illis pœnas irrogabit. Hoc enim judiciis proprie eſt. Jam ſi Dominus hoc facturus eſt, certe imprimis deſertoribus & apoſtatis, qui pœna ſunt digniſſimi, inter eos qui populus Dei, vel ſunt, vel fuerunt, pœnas meritas infliget. Populus Dei in hoc ſenſu, ſumetur, pro omnibus iis qui Dei cognitionem habent, & ejus nomen, vel ad huc profitetur, vel profeſſi ſunt. Poſſunt enim etiam hi, qui reipſa populus Dei eſſe deſierunt, populi Dei nomen, ea ratione adhuc ſortiri, quia fuerunt. Sic ſervi Chriſti ii dicuntur, qui videntur eſſe deſiiſſe Apoc. 2. verſ. 20. Relinquuntur ſæpe nomina rebus amiſſis. Sic cœcus dicitur, qui eſſe deſierat Joh. 9. 17. Poſſet etiam admiſſa hac vocum Populi Dei ſignificatione, vox Judicabit, ſumi ſtrictius pro Puniet, quæ pars eſt tantum judicii, proprie ſic dicti, vel alterum effectorum ejus genus; & tum ſubaudiendum foret, Deum judicaturum populum ſuum, ſi nimirum non ita ſe gerat, ac decet; peſſimè autem ſe gerunt apoſtatæ. Dicitur autem populum ſuum judicaturus, peculiari quadam ratione, quia hi cum divinæ voluntatis

notitiam

notitiam habeant, judicio verè ſunt obnoxii atque ad pœnam optimo jure obſtringuntur, cum quid adverſus Dei voluntatem delinquunt. Ubi non eſt lex, ibi non eſt tranſgreſſio. At ubi lex eſt, ibi vires acquirit peccatum. Potentia enim peccati lex. Hinc ſervus qui voluntatem Domini novit nec facit, multis plagis mulctabitur; qui non novit, paucis. Qui novit facere bonum & non facit, peccatum ei eſt, id eſt peccati reus eſt. Jac. 4. ult. Vide etiam Joh. 9, verſ. ult. & 15, 22, 24. Conſid. Rom. 1, ỷſ. ult. & cap. 2, 12. ubi ii qui ſine lege peccarunt, ſimpliciter dicuntur perituri, ſed qui in lege peccarunt, per legem dicuntur judicandi ſeu damnandi. Unde apparet, quanta religione ac timore nominis divini, eos oporteat uti, qui divinæ veritatis notitiam habent, præſertim plenam ac ſingularem. Qui verò propiores ſunt fœlicitati ſi pareant, tanto propiores ſunt ſupplicio, ſi non obtemperent: Quo propiores deo tanto propiores interitui, niſi cum timore ac tremore, ſalutem ſuam operentur, vel ut hic divinus autor infra cap. 12 loquitur, niſi ſerviant deo, cum pudore ac metu, quia Deus noſter eſt ignis conſumens, nempe cum irritatus exardeſcit. Ignis autem tanto facilius quemque corripit, quo ſibi eſt propior.

Tertius iſtorum verborum ſenſus eſt quem Beza tradit: *Dominus judicabit* id eſt reget ac gubernabit populum ſuum. Nam judicare, pro Regere, Hebraica conſuetudine, non ſemel in Sacris Literis dicitur. Ad gubernationem autem iſtam pertinet, tum bonos præmiis afficere, tum ſontes ac imprimis tranſfugas & populi divini deſertores, punire. Hæc de altero teſtimonio.

Sequitur Epiphonema, in quo autor Divinus gravitatem ſuppliciorum divinorum exaggerat, vel potiùs exprimit tantum; id verò continetur, in illis verbis *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis* &c. Incidere in manus Dei viventis, id eſt incurrere in ipſius Dei manus. Ab ipſo ad ſupplicium deſtinari, imò corripi, conſtringi, atque ad pœnam rapi, quemadmodum dicuntur maleſici ac ſontes, in manus regis, aut principis, aut hoſtium incidere, cum ab illis comprehenduntur, ita ut jam vindictam de illis ſumere præceptum ſit, atque adeò jam ſupplicio deſtinentur. Deſcribit autem Deum, addita voce *viventis*, ut ejus vim, efficaciam ac robur, animo lectoris ſubjiciat, atque eo pacto cogitandum relinquat, ſupplicia ipſius, haudquaquam ſpernenda eſſe. Vivens autem cum dicitur Deus, non tantum ſignificatur ſimpliciter eum vitam habere, ſed habere κατ' ἐξοχὴν, quemadmodum alia multa, quæ de Deo & quidem ſolo dicuntur ſunt accipienda, ut qui ſolus habeat immortalitatem, ſolus ſit potens, ſolus ſapiens, ſolus bonus. Nimirum eum habere vitam illam à ſeipſo, & quidem perpetuo, & ſi quid uſpiam ſit vitæ, ac roboris, id ab ipſo manaſſe ac manare. Eodem modo cætera quoque ſoli Deo, per excellentiam adſcribuntur, ſunt intelligenda. Diximus autem vitæ nomine, cum de Deo dicitur, hoc præſertim loco, etiam vires ipſius, ſeu vim & efficaciam, debere intelligi, quia aliàs hæc deſcribtio Dei parum ad rem de qua agitur, id eſt ad pœnarum inflictionem videretur pertinere. Eleganter autem, vitæ nomine iſta quoque intelliguntur. Nam ea quæ vitam habent, vim quoque aliquam & efficaciam, & ſic motum operationemque habere ſolent; unde viva, pro efficacibus, ac motum operationemque habentibus, mortua pro invalidis & inefficacibus ſumi ſolent. Sic ſupra hic autor dixerat cap. 4, Vivum eſſe ſermonem Dei & efficacem; & ſic panis vivus Joh. cap. 6 dicitur. Quanquam ea voce peculiaris efficacia intelligenda eſt, & vivus ſumitur pro vivificante, ſeu vitam largiente. Viva aqua, quæ vivificat, apud eundem cap. 4. & 7. & ea quæ naturalem ſuam vim retinet, qualis ea eſt, quæ origini ſuæ eſt propior. *Viva oracula* Actor. 7. *Vivus lapis* 1 Pet. 2. Contra. Fides mortua, quæ veram ſuam vim & efficaciam, non habet, aut perdidit. Dicitur ergo Deus vivens, tum ob vitam, tum ob robur, vires & efficaciam vitæ conjunctam, quæ à ſeipſo perpetuò habet, & omnibus aliis ſufficit ac ſuppeditat. Ex quo apparet, non languidè eum puniturum eos, quos corripiat, nec quemquam ſe ex ipſius manibus extricaturum, quem ſemel corripuerit, aut corripere voluerit, non fore pœnas eas ſimiles pœnis, ab hominibus inflictis, aut infligendis, qui cum mortales ſint, ſupplicia quæ animo moliebantur, morte pręventi ſæpe non poſſunt exequi; vel viribus deſtituti, coguntur omittere, aut minora quam vellent, infligere. Nonnunquam è manibus elabuntur, aut extorquentur vi illi, quos ſuppliciis deſtinarant. Nihil tale in Deum illum viventem cadit. Et vita & robur illi perpetuò ſuppetit. Nemo ſibi impunitatem pollicei i poteſt, qui in ejus inciderit manus. Ait *autem Horrendum* eſſe, ſeu rem terribilem admodum *incidere in manus Dei viventis*, duplicem potiſſimum ob cauſam, quam & hic & ſupra jam attigimus, quæ ex ipſius divina potentia imprimis pendet, cum ipſe aliquem corripit, nec jam amplius humana, ſed ſua pœna, id eſt ſibi conveniente, dignum judicat, graviſſimo eum mactare ſupplicio, facile eſt colligere, quo major eſt Deus, ac potentior homine, tanto graviora eſſe ſtatuendum eſt ſupplicia Dei ipſiuſque majeſtati convenientia, quam humana, obſervata tamen æquitate ac juſtitia, quam Deus ubique ſervat, nec in pœnis irrogandis unquam deſerit. Neque enim prorſus, pro virium ſuarum ratione, ſed etiam pro juſtitiæ ſuæ modo, quæ ex merito ac gravitate ſceleris pendet, punit Deus. Solet autem Deus cum quis cum recta petit, & ipſius majeſtatem lædit, pœnam ſe ſuaque majeſtate dignam adhibere. Altera cauſa eſt, Quia ex Dei manibus, nemo vel ſeipſum, vel alium aliquem poteſt eripere. Poteſt quidem homo, reſipiſcentia, precibus, humilitate Spiritus, & cordis contritione, eleemoſynis, jejuniis, pœnas divinas effugere, ac redimere, ſed nec hoc eſt Eripi ex Dei manibus, ſed exorari, & præterea hæc omnia, juſto Dei judicio eripiuntur apoſtatis, qui hoc ipſo puniuntur, quod pœnam effugiendi, omnis illis præcludatur via. Nulla, ut dixit divinus autor, relinquitur pro peccatis victima. Reſtant aliorum deprecationes, ſed eæ in delicto ejuſmodi ſaltem plerumque invalidæ cenſeri debent, & dubii admodum roboris. Nam preces, quas efficaces fore ſpes eſt, debent eſſe comparatæ ſecundum Dei voluntatem. At ſi voluntatem Dei, nobis de hoc negotio revelatam conſideres, ea precibus hujuſmodi adverſatur. Siquidem apertiſſime Dominus Jeſus teſtatur, hujuſmodi peccatum, in æternum remiſſum non iri, cum omnia cætera peccata remittantur. Sapienter Divinus Johannes, cum loquitur de eo qui ad mortem peccat (quo nomine hi quoque jure comprehenduntur, de quibus hic divinus autor loquitur) id eſt qui ea ratione peccat, ut hoc peccatum illi omnino non tantum poſſit, ſed etiam vi comminationum divinarum, ſub N. Fœd. propoſitarum, debeat afferre mortem, non jubet, ut pro illo quiſquam oret. Non prohibet quidem prorſus ne ores, ſed nec jubet, imò ita loquitur ut videatur ſatis indicare, vix pro illo eſſe orandum, cum nulla ſit ſpes, nos exauditum iri. Quorſum enim ores, niſi ſpes ſit aliqua, ut tuas preces, ſaltem non contrarias decretis divinis, fore arbitreris. Itaque ne decere quidem adeo videtur pro iſtius modi homine orare; præſertim ſi apertè conſtet, eum malitia ſua prorſus excœcatum eſſe, iſque diutius in ſua impietate perſeveret, ſingularemque pertinaciam in eo liceat deprehendere. In initiis, cum res videtur adhuc aliquo modo integra, nec ad ſummum jam pervenit, vel hominis malitia, vel Dei judicium, plus licere, docemur exemplo Pauli pro Judæis jam magna ex parte rejectis, ex cœcatis, atque induratis, orantis Rom. 10. 1. & ſalutem ipſorum curantis cap. 2. 14, Sed cum malitia hominum, & ſic judicium quoque divinum longius progreſſum eſt, ac robur videtur acquiſiviſſe, vix videtur decere, pro hoſtibus Dei orare, ne cum ipſo Deo, pugnare velle videamur; præſertim cum tam apertum exiſtet decretum Dei, aut comminatio, hujuſmodi peccatum remiſſum

miſſum non iri. Hic autem non immeritò quæſierit aliquis, cur divinus hic autor dixerit, Horrendum eſſe in manus Dei incidere, & quidem ita, ut non obſcurè indicet, gravius ac horribilius eſſe, in manus Dei viventis incidere, quam in manus hominum, cum David contra olim videatur judicaſſe, 2 Sam. 24. 14. 1 Par. 21. ℣ſ. 12, & ſatius duxiſſe, in manus Dei incidere, quam in manus hominum. Nam cum tria illi propoſita eſſent pœnarum genera; fames ſeptennalis, bellum ac fuga coram hoſte trimeſtris, peſtis triduana; quarum prima & ultima, divinæ erant ſeu ab ipſo Deo infligendę; quamquam prima etiam variis hominum injuriis poterat facere obnoxios, Media vero humana; David eam maluit eligere, quæ ab ipſo tantum Deo infligeretur, idque his verbis, Incidamus obſecro in manum Domini, quia multæ miſerationes ejus, & in manus hominis ne incidam. Itaque peſtis eſt poſtea immiſſa populo. Hoc ſane non fruſtra David ita ſenſit, nec ſpe ſua, quam de miſericordia Dei conceperat, eſt fruſtratus. Nam pro tribus diebus, unius tantum diei peſtem immiſit populo, ut conſtat ex verſ. 15, 16, 18, 27. Dicendum videtur; Non dixiſſe Davidem, ſemper aut quovis modo incidere in manus Domini, ſatius eſſe, quam in manus hominum, (nec ſanè id verè dici poteſt, ut ſupra abunde demonſtratum eſt; ubi docuimus poſſe ac ſolere Deum ipſum, præſertim ſub novo fœdere graviores pœnas exigere, quam homines infligant) ſed verba ejus referenda eſſe ad illa pœnarum genera, quę ipſi tum proponebantur, & ad ea quæ ejuſdem ſunt generis. Ea vero temporaria erant omnia, nec ad ipſum prorſus perdendum, ſed potius caſtigandum pertinebant, ita ut miſericordiæ divinę, magnus relinqueretur locus. Quo tempore ſatius longe videretur, in manus Dominum incidere, qui ut benignus pater, modum in caſtigando ſervare novit, quemque facile pœnitet mali, quemadmodum ſanè eo tempore pœnituit, ut legimus verſ. 16. quàm incidere in manus hominum, qui vindictæ cupiditate incenſi, nullum crudelitati modum ſciunt ponere. Sed divinus autor, ad ſingularem quendam modum minimeque vulgarem, incidendi in manus Dei viventis, eſt loquutus, ad quem nec reſpexit David, nec ullo pacto verba ipſius ad eum pertrahi poſſunt, aut debent: nimirum ad eum modum, quum alicujus ſcelus non pœnam aliquam humanam atque uſitatam videtur poſtulare, ſed talem quam nemo niſi Deus poſſit infligere, ſitque divinæ ipſius potentiæ ac majeſtati conveniens, qualis eſt imprimis æterna, quæ non ad hominem caſtigandum, ut illæ Davidis, ſed ad eum penitus perdendum, comparata eſt. Hoc pacto in manus Dei incidere, non tantùm non levius cenſeri debet quàm incidere in manus hominis, ſed, ut ratio unumquemque docet, nihil ea re poteſt excogitari gravius ac terribilius. Quod ſi quis nolit agnoſcere, ei ſtatuendum eſt, vel Deum minus poſſe in homine puniendo quam homines, vel eum ſemper minori pœna velle eſſe contentum, etiam in extreme contumacibus, ac impiis, quàm ſint pœnæ quas homines hominibus infligant: quorum utrumque eſt abſurdum. Addi poteſt, ſi verba Authoris ſimpliciter conſiderentur, non habita ratione comparationis taciræ, quæ in illis latet, dici poſſe, nullam eſſe inter illa & Davidis verba contrarietatem, etiamſi utrobique de iiſdem pœnis eſſet ſermo. Poteſt enim aliquid horrendum eſſe, & tamen aliquid aliud eo eſſe horribilius: dantur enim inter horrenda gradus. Verum de hoc ſatis. Nos operam demus, ne in manus Dei viventis incidamus, ſed aliquando in amplexus ac ſinum patris noſtri benigniſſimum recipiamur, in quo ſuaviſſime in omnem ævorum perennitatem conquieſcamus. Amen, Amen, Amen.

Hebr. 10. *verſ.* 23, 24, 25.

Teneamus confeſſionem, &c.

ADhortatur divinus ſcriptor Hebræos ad ſolennem religionis Chriſtianæ cultum. Nam & confeſſionem illis ſpei ſuæ inculcat, & mutuam obſervationem, ſuique aggregationem: & ſuam hanc admonitionem rationibus breviter ita munit, ut nemo illi refragari debeat. Nos verò iſta ordine tractabimus, ductum Authoris ſequuti. Et 1. quidem agemus de confeſſione, 2. de obſervatione mutua. 3. de aggregatione fidelium.

Confeſſio fit & publice & privatim, ab interrogatis, & non interrogatis, verbis, & factis. Nam ut Deum factis abnegare poſſumus, Tit. 1. 16, ita & factis confiteri. Credendum verò eſt, de omnibus confitendi modis ſcriptorem hunc loqui, eoſque à nobis exigere: ſic tamen ut prudentiæ Chriſtianæ ſit locus, quæ perſonarum cum quibus nobis res eſt, locique & temporis diſcrimine actiones noſtras variat. Cur verò non contentus interno animi noſtri cultu, externam quoque noſtram profeſſionem & confeſſionem Deus à nobis exigat, hæc eſt cauſa, quòd externa iſta profeſſio, ac confeſſio ad honorem ejus plurimùm conferat. Internum enim cultum noſtrum, alii homines qui cordium cognitores non ſunt, intelligere atque æſtimare nequeunt: externum poſſunt. Hinc in lingua Hebræa, confiteri Deo, idem eſt quod Deum laudare. Hunc ergo honorem, nemo Deo, nemo Domino Jeſu invidere debet, qui illum ſibi præſtitum tam ſplendide compenſaturi ſunt. *Ore*, inquit Paulus Rom. 10. 10, *fit confeſſio ad ſalutem.* Vide & ℣ſ. 9. Et Dominus Jeſus dixit, Matth. 10. 32. *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui eſt in cœlis.* Notanda eſt autem Emphaſis in phraſi, *Teneamus* ſive *retineamus.* Sic & ſup. loquitur, cap. 4. 14. Eodem pertinet, quum additur, *indeclinabilem* ſive *non vacillantem* confeſſionem retinendam eſſe. Nimirum ſignificatur multa ſæpe pericula confeſſoribus creari, inf. ℣ſ. 32, quod noſtra tempora ſatis docuerunt: quibus labefactari poſſunt homines inſtabiles. Sed nobis contra obnitendum. Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito. Habet hîc humana caro multas excuſationes, multoſque prætextus; ſed *Deum nemo fallet, quod ſeminaverit homo id & metet.* Poſſem hîc allegare exempla multorum Judæorum, qui conſtanter Deum confeſſi, in maximas calamitates inciderunt: Sidrachum, Meſachum, & Abednego, ipſum Daniëlem, alioſque. Sed ſufficiat nobis, Apoſtolus & ſummus ſacerdos confeſſionis noſtræ, Jeſus Chriſtus, ut vocatur Hebr. 3. 1. qui ſub Pontio Pilato bonam illam confeſſionem confeſſus eſt, 1 Tim. 6. 13. ut diſcipulos & Apoſtolos illius taceam, Paulum inprimis. Cæterum confeſſionem hanc divinus ſcriptor appellat *ſpei*, inquiens, *confeſſionem ſpei.* Non ſine cauſa eſt quòd ſpem potiùs quàm fidem nominavit. Nimirum eo ipſo perſuadere magis confeſſionem nobis voluit. Spes enim ad bonum aliquid futurum tendit, quod ad ſeſe pertinere, quiſnam confiteri nolit? Fides quamvis & ipſa futurum illud bonum reſpicit, tamen non tam in ipſum bonum, quàm in boni datorem tendit: ac præterea, ad præterita quoque reflectitur, & præſentia comprehendit. Simili prudentiâ Petrus dixit, 1 epiſt. cap. 3. 15. *Eſtote parati ſemper ad reſpondendum cuilibet petenti rationem ejus ſpei quæ in vobis eſt.* Cæterum illud bonum in quod ſpes Chriſtianorum tendit, varium quidem & multiplex eſt, prout multa & in hac & in futura vita Deus illis promiſit; (*pietas enim promiſſionem & hujus & futuræ vitæ habet* 1 Tim. 4. 8.) Interea tamen non eſt dubitandum, quin ad futuræ vitæ felicitatem, tanquam illorum omnium quæ ſperamus præſtantiſſimum, præcipue ſcriptor noſter reſpiciat. Sed ne quis poſſet obtendere, ſpes hominum ſæpe fallere, eoque ſtultum eſſe hujus ſpei cauſa periculis ſeſe objicere; divinus ſcriptor certitudinem *ſpei* noſtræ in ſequentibus deducit, atque ita valida ratione ſuam admonitionem ſuffulcit, inquiens, *Fidelis eſt qui promiſit.* Homines multa ſæpe ſperant, de quibus nullum habent promiſſum, imò etiam contra recuſationem eorum in quorum manu ſua bona vident, ſæpe obnituntur: ſic eos ſpe ſua falli, quid mirum eſt? Alii promiſſis quidem innituntur, ſed ſæpe fit, ut promiſſores quod promiſerant, præſtare aut non poſſint, propter impotentiam, aut nolint, propter infidelitatem. Hîc oſten-

oſtenditur & eſſe qui promiſerit quod ſperamus, & eum quod promiſit præſtare velle, quum ſit fidelis. Quod poſſit, id reticetur, quia de eo minus poterat eſſe dubium. Per promiſſorem enim hunc, vel Chriſtus, vel potius Deus ipſe intelligitur: cujus potentiam ignorare Hebræi homines non potuerunt, tot maximis operibus conteſtatam. At dubitare poterant, an eam curam Deus ſuorum gerat, eiſque bonum illud quod ſperarent præſtari vellet. In quam dubitationem adducere eos poterat, quòd tot calamitatibus propter Chriſtianiſmum ſubjecti, deſerti à Deo videri poterant. Sic enim miſeri plerumque judicamus. Unde & ſervator ipſe dixit, *Deus meus, Deus meus, cur me dereliquiſti?* Non quòd ipſe ſeſe verè à Deo deſertum exiſtimaret, ſed quòd eum in ſtatum eſſet redactus in quo derelictus a Deo videbatur. Huic autem dubitationi Scriptor noſter opponit promiſſoris fidelitatem. Ad hanc fidelitatem ſive Dei ſive Chriſti alibi quoque remittimur. 1 Cor. cap. 1. ℣. 9. *Fidelis eſt Deus, per quem vocati eſtis ad communionem filii ſui Jeſu Chriſti.* 1 Theſ. cap. 5. verſ. 24. *Fidelis eſt ille qui vos vocavit, qui & faciet illud.* 2 Tim 2. verſ. 13. *Si nos infidi ſumus, ipſe* Chriſtus, *fidelis manet, abnegare ſemet ipſum nequit.* Huic ergo tam firmo fundamento quum poſſimus inniti, concipiamus utique ſpem certam futurorum bonorum, non ſecus ac ſi ipſimet jam ea teneamus. confer. 1 Corinth. cap. XI. verſ. 1. Sed hanc ſpem ne habeamus occultam, verùm libere coram mundo profiteamur, quicquid etiam eo nomine malorum nobis obtingere poſſit. *Adhuc enim puſillum, quantumcunque is qui venturus eſt veniet, neque tardabit.* Inf. verſ. 37.

Hactenus prima admonitio, ad confeſſionem ſpei noſtræ. Sequitur altera: *& obſervemus alii alios.* Cujus finis eſt ut nos amemus, *ad charitatem, & bona opera.* Hæc obſervatio & ad mores, & ad fortunas referri poteſt. Nam ut à poſteriori prius incipiam, debent utique Chriſtiani alii aliorum fortunas reſpicere, ita ut ſi quis in egeſtate, aut alia quaqunque calamitate conſtitutus ſit, alii ei conſilio ſive auxilio adſint, eumque expediant: idque eo ſtudio ut alius alium provocet ad charitatem erga afflictum exercendam, atque ei ſubveniendum piis arque benignis operibus. Hanc ad rem & inferiùs nos hortatur is ſcriptor, cap. XIII. verſ. 16. *Beneficentiæ & communicationis ne obliviſcamini: talibus enim victimis delectatur Deus.* Et Rom. cap. XII. verſ. 13. *uſibus ſanctorum communicantes.* Eſt autem hæc obſervatio eo magis neceſſaria, quòd quidam in ſuis malis ita ſæpe ſint verecundi, ut opem aliorum implorare non audeant, quibus ultro occurrendum eſt obvia benignitate. Obſervetur hîc ſimilitudo membrorum ejuſdem corporis, ipſis Sacris Literis uſitata, quorum quodlibet ſponte ad alterius opem advolat. Rom. XII. verſ. 4. 1 Corinth. XII. verſ. 24 &c. Poteſt deinde & ad mores hæc obſervatio pertinere, & eos quidem vel bonos vel malos. Nam ſi boni ſint aliorum mores, ita illi ſunt obſervandi, ut eorum reſpectu incitemur ad charitatem erga eos, & ad opera bona exemplo eorum patranda. Debet enim æmulatio & ſancta quædam invidia inter Chriſtianos verſari, ut alius alium vincere pietate cogitet. *Affectate dona potiora* 1 Cor. 12. 31. Mali verò aliorum mores actioneſve obſervari debent, non ut eis obtrectemus, aut convitiemur, ſed ut eos corrigamus. Magnus eſt hac in parte defectus in pleriſque Chriſtianorum cœtibus, è quibus mutua ejuſmodi obſervatio omniſque diſciplina ſublata eſt. Quum ea tamen non hîc modò ſed & alibi nobis ſeriò ſit præcepta. Matth. 18. 15, inquit Servator, *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & argue eum inter te, & ipſum ſolum. Si te audierit lucratus es fratrem tuum* &c. Gal. 6. 1. *Fratres, ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos ſpirituales corrigite talem, in ſpiritu lenitatis,* &c. Vulgò metuunt ne hac ratione diffidium & odium excitetur: at ſcriptor noſter vult id tendere *ad acuendam charitatem, atque bona opera.* Et certè quid magis charitatem in nobis accendere; bonaque opera promovere poteſt, quàm ſi alter alterius emendationi invigilemus, & mutuò nos in officio contineamus? Sumus enim amore noſtri plerumque in rebus noſtris cœci, & vitia noſtra non ita animadvertimus tanquam in anteriori, ſed tanquam in poſteriori & à tergo pendente mantica, poſita. Quàm facilè autem in tanto malorum morum contagio etiam ſanctis alioqui hominibus defectus aliquis obrepere poteſt? Quàm verò utile, ſi ſtatim adſint viri boni & prudentes, qui & defectus nobis noſtros oſtendant, & ad eoſdem excutiendos hortentur? Si gratiam iis habemus, qui nobis ab itinere fortè aberrantibus rectam viam ultro oſtendunt; quanto magis iis obſtricti ſumus, qui nos à recta virtutis via deflectentes ad officium revocant? Quin & cautius vitam inſtituimus, quum ſcimus aliorum nos cenſuræ obnoxios, & alacrius bonis operibus incumbimus, quum ſcimus nunquam nobis teſtes & approbatores virtutis noſtræ deeſſe. Hoc ergo ne negligamus alter alteri præſtare officii. Neque nos turbet, quòd quidam curioſitatem hanc vocent: dummodo id non diſpliceat ei qui dixit, *Ne ſua quiſque ſpectate, ſed unuſquiſque etiam quæ ſunt aliorum.* Hoc modò caveamus, ne videamur odio aliorum vitiis eorum eſſe intenti: ſed ex amore, nec cum acerbitate ſermonis, ſed ut ait Apoſtolus, *lenitatis cum ſpiritu* reprehendamus. Contra, illi quoque qui reprehenduntur, ne ſint ſuſpicaces, nec in deteriorem partem rapiant aliorum reprehenſiones, etiamſi tandem falſas: ſed cogitent, ex bono ſuique ſtudioſo animo eas proficiſci. Poteſt quidem objici, habere unumquemque quod agat in ſeipſo, eoque non poſſe in aliis obſervandis occupari. Sed reſponderi poteſt, obſervationem aliorum non obſtare obſervationi noſtri ipſorum: quin contrà hæc potiùs per illam promovetur. Fit enim interdum, ut quæ ipſi in nobis non animadverteramus, ea nobis in aliis innoteſcant, in quibus pro mendis agnoſcimus ad quæ in nobis ipſis amore noſtri connivebamus: aut etiam per alios, quòd noſtræ reprehenſionis libertate excitati vicem nobis reddant. Eſt verò & hoc notandum, quòd ſingulis in Eccleſia hanc obſervandi curam imponat divinus ſcriptor, non ſolis Antiſtitibus, quos vulgò ſuarum animarum curatores appellare ſolent: quanquam quod omnibus convenit, his multo magis. Unde 2 Tim. 4. 2. *Prædica ſermonem, inſta, tempeſtive intempeſtive, argue, objurga, cum omni patientia, & doctrina.* Tit 1. 13. *Redargue eos acriter, ut ſani ſint in fide.* Et ad presbyteros Epheſinos, *Attendite ad vos ipſos & totum gregem,* Act. cap. 20. ℣. 28.

Sed jam ad tertium. *Non deſerentes* &c. Et hîc primò animadvertendum, quid facere non debeamus, deinde quid faciendum, denique ratio cur ita ſit agendum. Quid non agendum; *Non deſerentes aggregationem noſtri mutuam.* Quam adhortationem ne quis ſupervacuam exiſtimet, exemplum contra agentium allegat; *ſicut mos eſt quibuſdam.* Fieri poteſt quòd hi quum Hebræi eſſent, offenſi fuerint quod videbant Gentibus quoque ad Eccleſiam Chriſti aditum dari, nec eos tamen ad ceremonias Legis cogi, quas Hebræis hiſce valde cordi fuiſſe ex tota hac epiſtola apparet. Quantum enim ea res alios quoque Judæos ad Chriſtianiſmum converſos offenderit, apparet ex Act. XI. 2, 3. XV. 2. XXI. 20. De non converſis ſatis id patet Act. cap. 22. ℣. 21, 22. Apparet quoque ex hac ipſa epiſtola, & ex hoc ipſo quidem capite, ℣. 32. & ſeqq. iſtos Hebræos ob euangelii profeſſionem variis calamitatibus obnoxios fuiſſe: itaque fieri poteſt ut earum effugiendarum cauſa congregationem Chriſtianorum deſeruerint. Quid enim afflictiones hîc poſſint, docet egregie ſervator Matt. 13. 31, in parabola. Exempla noſtro ævo nimis ſunt obvia. Quin & fieri potuit, ut illa ipſa obſervatio mutua, de qua ſuperiore verſiculo dictum, & cum qua in Græco hic verſiculus modo loquendi cohæret, non ſatis eis grata fuerit. Nam ſive obſerva-

tionem

tionem illam ad fortunam referamus, poterat divitibus moleſtum eſſe quòd aliorum indigentiæ ipſorum bona patere debebant: ſive ad mores, poterant alii hanc moleſtiam alios monendi atque caſtigandi ſubterfugere; aliis etiam ipſa ab aliis cenſura moleſta eſſe poterat. Quid hodie hîc fiat, notum eſt. Sed quæcunque illis ſeſe ſubducendi cauſa fuerit, vetat divinus Author ne aggregationem mutuam deteramus. Cauſa verò cur Eccleſiam deſerere non debeamus, triplex allegari poteſt. Prima ad Deum, ſecunda ad nos, tertia ad alios reſpicit. Nam & Dei honor eſt major, ſi illum non ſoli in angulo aliquo, ſed cum aliis in congregatione multorum colamus. Et nos ipſi in cœtu aliorum rectius ædificari poſſumus, partim ſermone, ſive publicè ad omnes, ſive privatim ad nos directo, partim exemplis. Denique aliis hoc debemus, ut eos & ſermone & exemplo noſtro, atque inprimis illa obſervatione de qua verſu antecedente, ædificemus. Cui ergo Dei honos, ſuaque ipſius ſalus, aliorumque ædificatio cordi eſt, is ſeſe à cœtu fidelium ſubducere non debet.

Jam quid agendum? *ſed adhortantes* ſubintellige alii alios. Exponuntur hæc verba præcedentibus. Significatur hiſce una ex illis tribus cauſis quas paulò antè diximus, cur populus Chriſtianus coire debeat: quam præ cæteris memorat, quia ſuperiori verſiculo ſubſervit. Non dubium eſt quin adhortatio iſta ad virtutem & pietatem colendam inſtituta eſſe debeat. Sunt autem hujuſmodi adhortationes in populo Chriſtiano admodum neceſſariæ. Facile enim torpemus ſine illis, aut etiam relabimur ad priſtinos mores, affectibus nos noſtris intus, & tot occaſionibus extus, invitantibus. Notandum verò quòd non uni alicui, v. g. concionatori, ſed in genere omnibus hanc adhortandi provinciam imponit. Credibile autem eſt ſcriptorem reſpexiſſe ad morem primitivæ Eccleſiæ, in qua non unus tantùm verba faciebat, ſed plures, idque per vices: ut apparet 1 Cor. 14. 26 &c. Et optandum ſanè eſſet vigere ea ſpiritûs dona in pluribus, ut idem mos etiam nunc in Eccleſia poſſit conſervari. Interea ſervandum eſt omnibus hoc divini ſcriptoris præceptum: & ſi ſinguli concionari aut non poſſumus aut nolumus, alios tamen pro re nata adhortari ad pietatem & publice & privatim debemus. Nemo enim talentum ſibi à Domino concreditum ſub terra defodere debet, nemo lumen ſuum ſub modio abſcondere. Matth. 25. 35. 5. 15. Sunt Chriſtiani fermento ſimiles, qui & alios fermentare debent. Simile Apoſtoli præceptum. 1 Theſ. 5. 11. &c. & ſup. Heb. cap. 3. verſ. 13.

Ratio adjuncta, *idque eo magis quòd videtis illum diem appropinquare.* Videtur tempus aliquod deſignare quo judicium grave imminet illis qui officium in Chriſtianiſmo non fecerint. Id quod & ſeq. verſ. 27. indicat; & verſ. 29, 30, 31. Scimus autem ſolenne ad hoc tempus eſſe diem adventus Domini in mundi hujus fine. *Deus conſtituit diem in qua judicaturus eſt mundum in juſtitia*, &c. Act. 17. 37. vide & 2 Pet. 3. 10. & 2 Theſſ. cap. 1. ℣. 6. &c. Nec obſtat quod dicitur jam tum eum diem appropinquaſſe, idque Hebræos illius ævi vidiſſe. Quum enim ſapiente Dei conſilio occultus ſit ille dies, etiam angelis, in cœlo, Marc. cap. 13. 32, etiam ipſimet Domino Jeſu, quamdiu in terris verſatus fuit; quid mirum eſt illum huic Scriptori, atque aliis illius temporis propinquum viſum fuiſſe? Hinc nimirum eſt, quod Apoſtolus Paulus ita interdum de ſe atque aliis ſui temporis loquitur, quaſi poſſent & ipſi tempore adventûs Domini ſupereſſe. 1 Theſ. 4. verſ. 17. 1 Cor. 15. 52. Pro judiciis quibus hanc propinquitatem colligerent, haberi poterant nonnulla à Domino Jeſu deſignata indicia, quæ quanquam die illo jamjam adventante inſigniora futura ſint, tamen & aliis temporibus aliquomo videntur. Deinde utut à ſcripta hac epiſtola ſeſqui mille anni jam interceſſerint, id tamen tempus non tollit propinquitatem, ſi collatio cum univerſo tempore à mundi exordio inſtituatur. *Unus dies apud Dominum ut mille anni, & viciſſim.* 2 Pet. 3. 8. Præterea & hoc obſervandum, non dici hîc illum diem propinquum, ſed appropinquantem: quod dicere potuiſſet hic ſcriptor etiamſi ſciviſſet eum nondum eſſe propinquum. Interea nobis cogitandum venit, quanto jam ille dies nunc ſit propinquior, & quanto nos ſtudio præparare debeamus, ut in illo poſſimus conſiſtere. Nolim autem diſſimulare, poſſe etiam hîc in allegandа propinquitate reſpectum eſſe ad diem illum deſolatæ Jeroſolymæ, totiuſque politiæ Judaicæ ſublatæ. Id enim & ad Hebræos illos præcipue pertinebat, &, ut eventus docuit, temporibus illis vicinum fuit. Non minimum autem argumentum hinc peti poterat, ad perſuadendum Hebræis ut cum aliis ad Chriſtianæ religionis cultum coirent. Nobis ſimilia judicia Dei ob oculos verſantur.

Intellexiſtis triplicem Authoris admonitionem, ad confeſſionem ſpei, ad obſervationem, atque ad aggregationem mutuam. Ex iis quæ dicta ſunt, ipſimet jam veſtra ſponte colligere poteſtis, quàm recte à nobis fiat, quòd hunc in locum ſacrorum cauſa convenerimus: idque nobis in poſterum quoque curæ habendum. Quum enim confeſſio non tantum ſingulatim, ſed etiam junctim cum aliis, nec tantum privatim ſed etiam publice edenda ſit; id autem in Eccleſiis aliis nobis non liceat; utique recte factum eſt quòd ipſimet inter nos coierimus, ad edendam atque conteſtandam coram omnibus ejus ſpei confeſſionem quæ in nobis eſt. Deinde & obſervatio iſta mutua, qui fieri poteſt, niſi alicubi inter nos conveniamus, ubi colloquium ſuper iis quæ obſervavimus, inſtituamus? Denique expreſſe jubemur, & aggregare nos, & mutuò nos adhortari: quod ubi alioquin nobis nunc liceat non video. Ab omnibus enim aliis Eccleſiis excludimur, & in pleriſque non viget illud inſtitutum cujus potiſſimùm cauſa noſter ſcriptor hic Chriſtianos convenire jubet. Non eſt ergo hæc noſtra ſeceſſio habenda pro ſchiſmate: quum omne ſchiſma ſit voluntarium: Nos autem neceſſitate coacti ſeceſſionem faciamus. Interim proteſtamur, nos hac noſtra ſeceſſione alias Eccleſias non damnare, aut ita ab illis ſecedere ut qui novam aliquam ſectam condamus: ſed hoc tantùm agimus, ut & ipſi Deo cultum exhibeamus debitum, & ipſimet nos in iis quæ ad ſalutem noſtram pertinent eo modo quem cenſemus optimum exerceamus. In hoc ſancto inſtituto ut nobis Deus benedicat, ille jam orandus nobis venit. Amen.

Hebr. 12. verſ. 22. ad finem.

IN his verbis id agit divinus ſcriptor, ut Hebræos ad quos ſcribit permoveat ad conſtantiam in Chriſtiana religione, & pietatem ex ejus præſcripto colendam. Præſtat autem id duobus modis, quibus prope perpetuo ſacri ſcriptores uti ſolent. Hoc eſt partim rationibus ſeu argumentis, partim monitionibus, hoc eſt & dehortationibus, & adhortationibus, quibus partim quid fugiendum, partim quid ſequendum ſit exprimit. Duas autem hac partes, quemadmodum alibi quoque fit in Sacris Literis, miſcet divinus autor. Etenim à ratione exorſus, mediis & monitionibus, rationem aliam interjicit, ac denique eaſdem ratione claudit. Ita ut dehortationes & adhortationes argumentis undique, atque ut ita dixerim, tum a fronte, tum à tergo communiat. Quod ſi velis rationes illas, in brevem quandam ſummam colligere, omnes ad duo poſſunt referri capita. Aliæ enim alliciunt, aliæ terrent. Illæ præſtantiam nobis proponunt ſtatus ac conditionis noſtræ, atque adeo fœlicitatis tum ejus cujus jam ſumus facti participes, tum ejus quam adhuc exſpectamus, atque adeò monent, ne tanta fœlicitate, culpa noſtra, nos ipſos privemus, ſed potius, quod adepti ſumus, firmiter retineamus, ad id verò, quod adhuc reliquum eſt, vera pietate in Deum contendamus, ac graſſemur. Hæc verò ſuppliciorum metum nobis incutiunt, infligendorum illis, qui divinam gratiam ſibi oblatam, aut jam exhibitam aſpernari, vel eam irreverenter habere audeant.

Alia

ALIA LOCI HUJUS DIVISIO.

TOtum autem illud præstat partim dehortando, partim hortando, quanquam nec dehortatio, nec hortatio simplex est, sed rationibus utrinque communita. Nam primum rationibus adductis dehortatur ab obstinatione animi aut contumacia adversus euangelium, quæ cernitur in iis, qui vel auditum cognitumve repudiant, vel ei alioqui non obediunt. Deinde itidem rationibus allatis, hortatur ad retinendam firmiter euangelii doctrinam & pietatem in Deum, quam ea postulat. Rationes autem, quibus tum dehortationem, tum adhortationem suam communit hic autor, ad duo referri possunt capita, & utrinque sibi mutuo respondent. Primum enim collocat, eas, quæ alliciunt, quæque præstantiam conditionis illius, ad quam vocati sumus, nobis ante oculos ponunt, tum interjecta vel dehortatione, vel exhortatione, eas collocat quæ terrent, ac divinorum suppliciorum metum iis qui secus fecerint proponunt. Sed jam ad ipsa divini autoris verba accedamus eorumque sequamur filum.

Primum ergo rationem proponit autor, & dehortationi quam subjuncturus est, instar validi fundamenti substernit, ductam à singulari præstantia conditionis illius, in quam translati fuerant Hebræi isti, quibus hæc epistola est scripta, cum euangelium Christi receperunt, quamque adeò adipiscuntur omnes, quicunque Euangelium recipiunt, ac Christo suum dant nomen. Ea verò conditionis nostræ præstantia explicatur enumeratione ac descriptione earum rerum ac personarum, ad quarum communionem admissi fuerant olim Hebræi, ad quos institutus est hic sermo, & admittuntur omnes, qui Christianæ religioni sese consecrant. Ea verò enumeratio ac descriptio, constat allusione quadam perpetua, ad ea, quæ in promulgatione legis Mosaicæ olim contigerunt, & conditionem admodum duram populi Israëlitici, cui lex illa ferebatur, de qua superioribus quatuor versiculis egerat divinus scriptor. In qua tamen allusione, non tantùm spectanda est similitudo sive rerum sive personarum, quæ in utroque comparationis membro occurrunt; sed etiam, idque multò magis, dissimilitudo, & harum præ illis præstantia, vel saltem arctior cum illis conjunctio, quam olim fuerit, in legis promulgatione. Et primò quidem divinus hic scriptor communionem cum rebus aut personis enumerandis, quam adepti essent Hebræi illi Christiani, uno verbo exprimit. Deinde res personasque ipsas, quarum participes facti, vel ad quarum communionem & amicitiam quandam admissi fuerant. Communionem illam exprimit illo verbo.

Accessistis quo alludit ad accessum Israëlitarum ad radices montis Sina, cum lex inibi promulgaretur, cujus facta fuit mentio supra vers. 18, ubi ait, *Non enim accessistis palpabili monti* &c. Accessus autem ille, quemadmodum jam innuimus, paulo aliter cum ad res refertur, aliter cum ad personas intelligendus est. Cum ad res, significat communionem, seu participationem rerum istarum, cum ad personas, conjunctionem cum illis, atque amicitiam, atque adeo communionem fœlicitatis, qua vel fruuntur, vel fruituræ sunt personæ illæ, vel etiam quam promittunt, quod ob Christum mediatorem N. F. qui inter personas ultimo loco commemoratur, addimus. Accessus autem ille, olim quidem in populo Israëlitico, officii potius erat, quam fœlicitatis, & præceptus potius, quam permissus. At in nobis fœlicitatis potius est, quam officii, & permissus, vel magis vel saltem æquè, ac præceptus. Præceptus est eatenus, quatenus nonnisi religionem Christianam amplectendo, ad rerum ac personarum enumeratarum communionem pervenire licet; amplecti autem eam religionem omnes jubemur, cæteroqui nil nisi fœlicitatem ac benignitatem accessus hic continet, atque adeò admissio potius est, quam accessus. Hoc ergo loco, partim explicanda est divina benignitas, qui aditum hunc ad res tam præclaras, atque adeo ad seipsum nobis patefecerit, quæ tamen plenè explicari non potest, nisi sequentia etiam considerentur, ideoque breviter tantum hoc loco perstringenda est; partim monendi omnes, ut postquam aditus hic nobis à Deo patefactus est, adire etiam velint. Sed jam veniendum est ad consideationem rerum ac personarum, ad quarum communionem admissi sunt Christiani, in quarum enumeratione, non admodum requirendus est ordo, quem ob id ipsum neglexisse videtur magna ex parte autor, quod in eo parum aut nihil esset situm. Primo tamen locum fœlicitatis nostræ commemorat, ut tanto elegantius accessum Christianorum opponat accessui Judæorum. Nam cum hi accesserint ad montem palpabilem, hoc est Sina, illos dicit accessisse *ad Sion montem.* Qua in re duplex est oppositio, quarum utraque ostendit, meliorem esse nostram, quam Judæorum cum legem acciperent, conditionem. Nam monti Sina, qui situs erat in deserto, loco aspero atque horrido, opponit Sionem montem, qui situs erat in terra Chananæa, populo Israëlitico promissa, eratque adeo celeberrimus, & maxime illustris, in tota illa regione locus, ut facile appareat, longè melius esse ad hunc accedere, quam ad illum. Deinde, quod multò est majus, per Sionem montem, intelligit hic divinus autor montem quendam spiritualem, quem Sion mons terrestris, olim adumbrabat. Opponit enim eum monti palpabili, seu ei, qui manibus posset contrectari. Unde colligi potest, spiritualem quendam montem, qui manibus contrectari haud potest, hic intelligi. Sed jam porrò videndum est, quidnam illud sit, quod per montem illum Sionem intelligitur. Neque enim id usquequaque liquet, præsertim quia non satis apparet, utrum divinus auctor per montem Sion idem intellexerit, quod postea per civitatem Dei viventis, nempe Hierusalem cœlestem, quemadmodum quidem plerique interpretes videntur sentire; an verò aliquid diversi. Neutra sane sententia quidquam habet absurdi, sed tamen posterior, quæ duo ita distinguit, videtur probabilior, & proprietas verborum, quatenus quidem ea in mystico sensu habet locum, ei favet. Nam aliud Sion mons est, aliud urbs seu civitas ad eam sita. Nec frustra sanè auctor hic, addidisse videtur Sioni nomen montis, ac postea Jerusalem adjuncturus, eam appellasse urbem, seu civitatem, ut ita vocibus ipsis distingueret, atque ostenderet, quemadmodum olim alius fuerit mons Sion, alia urbs Hierosolymitana, ad eum montem sita, ita etiam hic aliud à se intelligi per montem Sion, aliud per urbem, seu civitatem Dei viventis, quæ est Hierusalem. Adde, quod hac ratione, elegantius opponetur Sion Sinæ, tamquam mons monti. Quapropter videndum nunc est, quid per Sionem, a civitate Dei viventis distinctum, intelligi queat. Nam quid per eum sit intelligendum, si idem sit, quod civitas illa Dei viventis, postea intelligetur, ubi consideraverimus, quid per civitatem istam indicare voluerit divinus auctor. Omnia autem diligenter circumspicientibus, nihil apparet, quod per Sionem, ab Hierosolyma cœlesti distinctum, intelligi queat, præter cœlum ipsum: idque duplicem ob causam hoc pacto describitur, partim, quia maximè est sublimè, ita ut per montem præaltum repræsentari queat, partim quia in monte Sionis, olim fuit regia Davidis, aliorumque regum Judæ; quin etiam tempore Davidis, arca fœderis ibi fuit sita, & tabernaculum, ibidem fuit fixum: ubi autem arca erat, ibi Deus ipse censebatur habitare, inter Cherubinos nempe; unde Deus dicebatur habitare in Sion, aut mittere auxilium de Sion, quia nimirum ibi, peculiari ratione præsens, preces exaudire, & auxilium hinc inde dimittere censebatur; in cujusmodi locis, Sion pro ipso cœlo, à quibusdam interpretibus, sumi solet. Qui tamen sensus, non literalis est, sed mysticus, qui hic nobis spectandus est. Quare, ut de hac posteriori causa, quæ potior est priori (prior enim,

omnibus montibus eſt communis) aliquid dicamus, ideo cœlum reſpondet Sioni, quia ibi ſedes eſt regis noſtri cœleſtis, nempe Chriſti, qui ſedet ſuper throno Davidis patris ſui, & regnat ſuper populo Jacob, hoc eſt, Eccleſiæ cum ſummo imperio præſidet, eodemque in loco, reſidet etiam ipſe Deus, indeque auxilium mittit, ibi illius eſt tabernaculum. Acceſſus autem ad cœlum, nunc quidem animo ac ſpe, olim reipſa montem hunc conſcenſuri. Qua ex re, quanta appareat Chriſtianorum fœlicitas, lingua exprimi non poteſt, tamque longe id ſuperat captum noſtrum, quanto ſublimius eſt cœlum, hac terra: interea id inculcandum eſt, quod Paulus monet ut ea quæ ſurſum ſunt quæramus ac ſapiamus, ubi Chriſtus eſt, in dextera Dei ſedens. Verumtamen, ſi quis propiorem ſimilitudinem hic quærat, & acceſſum ejuſmodi ad cœlum, qui aliquanto magis reſpondeat acceſſui populi Judaici, ad montem Sina, eum in finem divinitus præcepto atque inſtituto, ut vocem Dei loquentis ibi audiret, & legem inde acciperet, dici poteſt Chriſtianos homines, ad montem hunc Sionem, hoc eſt cœlum acceſſiſſe, quatenus Deum ex ipſo cœlo, euangelium ſuum, & ut ita dicam legem novam promulgantem audiverunt, ſiquidem infra ỳ. 25, de hac promulgatione euangelii loquens divinus autor ait, Deum ex cœlo oracula edere; itaque monet, ne nos eum, qui de cœlo loquitur, vel oracula ſua promit averſemur, opponens eum Deo, ſuper terra loquenti, ſeu oracula & præcepta ſua promulganti. Quodſi admittatur, alludere videtur divinus autor, ad illud Eſai. cap. 2. verſ. 2, 3, ubi ait: Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini, in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & confluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, venite, aſcendemus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis ejus; quia de Sion exibit lex, & verbum Domini, de Jeruſalem. Licet enim hæc verba, poſſunt accipi, de terreſtri etiam Sione, & Hieruſalem, unde primum promulgari cœpit euangelium, tamen ad Sionem & Hieruſalem cœleſtem, accommodari per allegoriam, non ineleganter poſſunt. Sed jam ulterius eſt progrediendum, & conſiderandum, quid per civitatem Dei viventis, ſeu Hieruſalem cœleſtem intelligendum ſit, unde ſimul intelligetur, quid de Sione monte ſit intelligendum, ſi ſtatuatur, eum cum hac civitate Dei viventis, eundem eſſe. Quod licèt, ut ſupra vidimus, durius ſit, & verbis ipſis, minus ſit conſentaneum, tamen ferri aliqua ratione poteſt, propterea, quod in ipſis etiam Sacris Literis, Sion nonnunquam capiatur pro Hieroſolyma, per Meton. ſubjecti pro adjuncto. Si quidem pars quædam urbis, in monte Sion, fuit poſita. Intelligenda igitur videtur, per civitatem hanc Dei viventis, ſeu Hieroſolymam cœleſtem, eccleſia, ſeu mavis Reſpublica ac politia populi divini, eaque tum in terris adhuc degens, tum in cœlos, unde originem ducit, aliquando tranſferenda. Nam ſi dicas, eam intelligi propterea hic non poſſe, quod hi, ad quos hæc epiſtola fuit ſcripta, dicantur ad eam acceſſiſſe, cum tamen illi ipſi eccleſiam conſtituerent. Animadvertendum eſt, eccleſiam ſolere in Sacris Literis conſiderari, inſtar loci alicujus, & ab iis qui in Eccleſia ſunt, præſertim à ſingulis ſeparatim ſumtis, diſtingui, utpote qui in ea verſentur, aut ad illam acceſſerint, idque propterea, quia ordo & forma illius eccleſiæ, à ſubjecto ſuo ſeu materia, hoc eſt ab ipſis perſonis, quæ eccleſiam illam conſtituunt abſtrahi, & inſtar civitatis, vel urbis alicujus conſiderari poteſt. Et hoc ſanè pacto ſumitur nova illa Hieruſalem ſeu civitas à Deo deſcendens in Apoc. 21, & 22. Nam quòd per eam Eccleſia ſeu Reſpub. populi divini fit intelligenda vel ex eo ſatis apparet, quod ea appelletur ſponſa, agni uxor Apocal. 19. 7, 9, 10, quod conferatur cum ſequenti. Hæc enim, nulla eſt alia præter Eccleſiam. Quodſi quis putet intelligi poſſe ipſum cœlum, is vel ex eo refutabitur, quod civitas illa dicatur deſcendere è cœlo à Deo, ibidem, & hoc etiam loco, quem præ manibus habemus, non obſcurè indicatur, ipſum cœlum, per hanc urbem, non eſſe intelligendum, quod Hieruſalem cœleſtis appelletur. Aliud enim eſt id, quod cœleſte eſt, aliud ipſum cœlum; quamquam haud negaverimus poſſe etiam ipſum cœlum, præmiſſa aliqua appellatione alia cœleſte dici, ut ſi habitaculum cœleſte dixeris; ſed probabilius tamen eſt id, quod cœleſte dicitur, à cœlo ipſo diſtingui. Adde, quòd hac ratione, facilius erit diſtinguere hanc civitatem à Sione monte, quod faciendum eſſe, probabilibus rationibus ſupra docuimus, & elegantior erit alluſio ad Sionem montem & Hieroſolymam illi ſubjectam, vel adjectam.

Sed jam, hoc ita poſito, videndum eſt, cur Eccleſia, *civitas Dei viventis, & Hieruſalem cœleſtis* appelletur. Nemo non videt, alluſionem hic eſſe, ad urbem Hieroſolymitanam terreſtrem, quæ itidem urbs Dei viventis fuit appellata, ut videre eſt Pſal. 46, cui adde Matth. cap. 5. ỳ. 35, ubi dicitur, urbs magni regis; nempe Dei. Urbs autem ſumi poteſt, vel pro ſtructura ædificiorum ac murorum, quam urbis nomine interdum ſolemus ſignificare, vel potius pro Repub. ordine ac communione, hominum, eum locum ſeu urbem incolentium. Eccleſia autem ideo urbs appellari poteſt, quod ſit quædam etiam Reſpub. & communitas multorum, eodem jure, iiſdemque privilegiis, ac commodis utentium, & convenienti quodam ordine, inter ſe conjunctorum, qui ordo facit, ut & ſtructuræ urbis alicujus, eleganter reſpondere queat, & multò magis ipſi Reipub. ſeu ſocietati hominum, eandem urbem incolentium. *Dei viventis* autem *civitas* olim dicebatur Hieroſolyma, quia hanc urbem ſibi peculiariter delegerat Deus, in qua, ut S. L. loquuntur nomen ſuum poneret, in qua perpetuo, id eſt, quamdiu legalis cultus duraturus eſſet, habitaret, tabernaculo ſuo terreſtri, ibi collocato, in quo peculiari quadam ratione Deus præſens aderat, unde etiam, eo in loco publicis ac ſolennibus ſacrificiis, ac ceremoniis coli volebat, eamque conſtituerat metropolin, & caput univerſæ Reipub. Iſraëliticæ, ac primariam etiam ſedem fœlicitatis, populo illi promiſſæ; qua de re paulò poſt, plura. Jam verò multò magis Eccleſia civitas eſt, Dei viventis, quandoquidem in ea ſola Deus præſens adeſt, hic quidem favore ac gratia ſua ſingulari, aliquando verò, ubi hæc Reſpub. in cœlum tranſferetur, ipſemet præſens ei aderit, vel potiùs nos illi conjungemur, in ea ſola, Deus ritè celebratur, in ea fœlicitatis veræ ac ſolidæ ſedes eſt. Non multum diverſo ſenſu, appellatur etiam templum Dei viventis 1 Corinth. 3. ỳ. 16. 2 Corinth. 6. ỳ. 16. Epheſ. 2. ỳ. 21. Deum autem viventem, opponere ſolet S. S. idolis mortuis, vel potiùs inanimis, ac prorſus omni vita carentibus, adeoque vita ac facultate juvandi, vitam, aut ſalutem concedendi, deſtitutis. Deus autem verus ac ſummus, non modò vitam habet, eamque ſempiternam, omnique tum principio, tum fine carentem, ſed etiam ipſe, omnibus vitæ fons eſt atque autor, & cum ipſe vitam à nemine habeat, eam omnibus aliis largitur, ita ut nulla uſpiam ſit vita, ſive temporaria, ſive æterna, quæ ab ipſo tota non proficiſcatur.

Appellat eam porrò D. auctor *Hieruſalem cœleſtem*, quemadmodum etiam facit in Apoc. loco ſuperius dicto, & ad Galat. cap. 4. ỳ. 26, quæ verba per appoſitionem ſuperioribus ſunt addita, ut explicetur, quænam ſit illa urbs, vel civitas Dei viventis, ideo conjunctio nulla eſt interjecta. Significat autem *Hieruſalem*, Viſionem pacis, vel civitatem pacis, hoc eſt fœlicitatis, quietis ac tranquillitatis. Ita enim pacis nomine, apud

Hebræos

Hebræos creberrimè intelligi folere, nemo eft qui ignoret. Jam verò ecclefia, quemadmodum jam monuimus, fedes eft ac civitas fœlicitatis, quietis ac tranquillitatis perfectæ ac folidæ, feu locus, in quo omnes, quotquot in eo verfantur, pacem ac beatitatem vident, hoc eft fentiunt & experiuntur. Addit autem vocem *cœleftis*, ut à terreftri Hierofolyma, ad quam Judæi quoque, qui legem acceperant, tandem pervenerunt diftinguat, quo pacto, dicto paulò ante loco Hierofolymam fupernam opponit eidem Hierofolymæ, quæ tunc exftabat. Dicitur autem cœleftis Ecclefia, partim quia ex cœlo originem ducit, partim verò, idque multò magis, quia non terrena eft, non materialis, aut carnalis, aut mundana quædam civitas, fed fpiritualis, divina, atque ut ita dicam, cœlo ipfo digna, utpote, cujus vinculum cœlefte divinum fit, ac fpirituale, jura cœleftia, privilegia etiam cœleftia. Non enim ad hujus vitæ commoditatem colligitur ecclefia, quemadmodum omnes urbes terreftres, quæ ideo colliguntur, ac conftruuntur, ut in majore hominum copia, major etiam fit rerum ad ufus communes neceffariarum copia, utque fefe tanto facilius, adverfus hoftes atque injurias externas, defendere queant. Sed non id fpectat Ecclefia Chrifti, præferim per fe; fed potiùs, ut eodem Spiritu Deum laudent omnes, alii aliis ad pietatem vitæ, fint fubfidio, & communibus viribus hoftes fpirituales debellent, atque à fe arceant. *Cœleftis* denique dicitur, quia & nunc cœlo deftinata, & in eo aliquando reipfa collocanda eft. De hac autem civitate, videnda funt etiam loca, apud eundem hunc autorem cap. XI. ℣. 10, 16. Quanquam iis locis, de Repub. ea, quæ in cœlis parata eft fidelibus, fi myfticum fenfum fpectes, quem divinus hic autor folum ibi refpicere videtur, fermo eft, non verò de Ecclefia, quæ in terris verfetur. Quodfi literalem etiam quendam illis verbis fubeffe fenfum putaveris, Hierofolyma terreftris erit intelligenda. De magnificentia autem ac fplendore ejus urbis, adeoque felicitate eorum, qui ejus funt cives atque incolæ, vide ultimo Apocalypfeos caput, ubi ejus imago quædam, nobis depicta eft.

Hinc doctrinæ excerpi poffunt iftæ. 1. Cum Ecclefia dicatur urbs, feu civitas, indicatur conjunctionem debere effe, ac focietatem, inter Ecclefiæ membra, non verò quemquam fidelium, fibi tantum vivere. Præterea, in ea etiam, certum ordinem effe, certis eam legibus gubernari. Præterea, cum urbs dicatur Dei viventis, præftantia Ecclefiæ fumma apparet, & ejus ut ita dicam incolarum, fumma fœlicitas. Qua enim in urbe, Deus habitat, idque favore ac gratia fua, ea non poteft non effe beatiffima, & omnium bonorum divinorum copia redundare. Sed fimul etiam inde perfpici poteft, eam debere effe fanctiffimam, ejufque incolas, vera pietate effe debere exornatos, tamquam Dei cives, & in ejus oculis, femper verfantes, eique proximos; quin etiam, Deum feverè vindicaturum in eos, qui civitatem hanc turbare, vaftare, aut demoliri, five vi, five fraude, five fcandalis, aut diffidiis audeat. Quo pacto Paulus minatur etiam iis, qui templum Dei violare ac corrumpere, non vereantur. Deus enim ille, qui illi præfidet, vivens eft ac validus, longè diffimilis idolis, ac inanimis fimulachris, falfifque gentium diis. Ampliùs, Cum urbs ea fit, fedes pacis ac fœlicitatis, inde etiam beatitudo eorum, qui eam incolunt, perfpici poteft. Sed præterea etiam, pacem & concordiam in ea regnare convenit, & in cœlis quidem, ea fponte fua futura eft, cum autem adhuc in terris fita eft, ut pax ea vigeat, omnibus ejus civibus, eft curandum. Denique cum ea fit cœleftis, cœleftem civium ejus vitam effe oportet, cœleftefque fpes ac curas, qua de re fupra, cum de Sione ageremus. Sequitur etiam, terreftrem ac mundanum fplendorem in ea urbe, non effe requirendum, nec ex eo æftimari eam ulla ratione poffe. Sed hæ doctrinæ poffunt fortaffe commodius, fingularum vocum explicationi fubjici, ut ita cognitioni rerum, exhortationes fubinde interfpergantur, & oratio hoc pacto, veluti animetur, & non tantum mens auditoris detineatur, fed etiam affectus & religio in eo excitetur.

Sequuntur nunc, apud auctorem D. perfonæ, ad quarum conjunctionem, & amicitiam, admiffi olim fuerunt, & nunc admittuntur Chriftiani. Sunt autem eæ, omnium quæ ufpiam funt excellentiffimæ, atque præftantiffimæ. Partim enim commemorantur perfonæ divinæ, hoc eft Deus & Chriftus, partim angelicæ, partim denique humanæ, hoc eft, homines pii ac fideles, iique partim vivi, partim vita defuncti; eorumque Spiritus. Quanquam non eo quo nunc nos fecimus ordine, eæ proponuntur à divino auctore. Illud autem obfervatione dignum eft, ab auctore hoc, cum perfonas omnes cœleftes ac terreftres, commemoraret divinus auctor, nullam inter eas factam effe mentionem Spiritus Sancti, qui tamen vel imprimis fuiffet commemorandus, fi perfona effet divina. Certè multò magis, quam perfonæ angelicæ, aut humanæ; fed non in hoc tantum loco, ejus mentio prætermittitur, verum etiam in aliis non paucis, in quibus ejus mentio, omnino fuiffet facienda, fi ut creditur, perfona effet divina, & quidem patri & filio, per omnia æqualis. Qualia funt Mathæi XI. 27. Marc. 13. 32. Joh. 17. 3. Apoc. 5. 13: quibus adde falutationes Apoftolicas, ubi gratia & pax à Deo Patre, & à Chrifto flagitatur. 1 Theff. 3. ℣. 11. 1 Tim. 5. 21, & Apoc. 3. 5, ubi angelorum fit mentio, cum multò magis deberet fieri, Spiritus fancti, fi vera effet vulgaris de eo fententia. Adde etiam illa 1 Tim. 6. 13, & 2 Tim. 4. 1. Ephef. 5. 5. Coloff. 2. 2. 2 Theff. 1. 12.

Sed ad verba autoris revertamur, qui inter perfonas, primo loco collocat angelos, dum ait. *Et myriadibus angelorum.* Non exprimit numerum myriadum, ut intelligi poffint myriades quam plurimæ, atque adeò illud, quod eft apud Danielem cap. 7. verf. 10, ubi ait, Deo miniftraffe millia millium, & decies millies centena millia adftitiffe ei, hoc eft mille milliones. Nam alias myrias una, continet dena millia. Sumitur nempe numerus definitus, fed is ingens, pro numero indefinito, & noftri refpectu, innumerabili. Ideo autem tantam angelorum commemorat multitudinem, ut tanto anguftiorem & admirabiliorem hunc cæleftem exercitum effe cognofcamus, tantoque magis gaudeamus, nos, tot fanctiffimorum ac beatiffimorum Spirituum focios effe effectos. Quod, qua ratione fiat, mox videbimus.

Interea, illud animadvertendum eft, videri hunc divinum auctorem, alludere etiam in his verbis ad ea quæ olim in monte Sina contigerunt. Nam etiam ibi angeli quam plurimi, præfentes adfuerunt, unà cum angelo illo, qui Dei perfonam fingulari quadam ratione, tum fuftinebat, & in quo nomen fuum Deus (ut ipfe loquitur) pofuerat, atque in hunc fenfum ait David Pfal. 68. Currus Dei viginti millia, millia angelorum, Dominus inter eos (ficut in) Sinai in fanctitate, vel ut vulgata habet fimpliciter, Dominus in eis in Sinai, in fancto. Quo fpectat etiam illud quod Stephanus afferit, Judæos accepiffe legem ad, id eft, per difpofitiones angelorum Actor. cap. 7. verf. 58, & Paulus, Legem effe ordinatam per angelos, Gal. 3. Unde etiam Judæi, legem fuam extollebant eamque euangelio Chrifti præferebant, quod ea per angelos effet Mofi tradita, qua de caufa, hic divinus auctor, cap. 1, & initio fecundi neceffe habuit oftendere, excellentiam Chrifti, per quem euangelium eft revelatum, præ

angelis, ut inde pateret, magis eſſe attendendum euangelio, quam olim legi. Quamquam hoc, quem tractamus loco, divinus auctor, angelos non tam videtur conſiderare, tamquam promulgatores alicujus doctrinæ, quam ut eos, qui promulgationi aſſiſtant, & ad quos populus doctrinam primum accipiens, quodammodo acceſſerit. Verùm etiamſi inter populum Iſraëliticum & Chriſtianum, hac in re, aliqua interceſſerit ſimilitudo, magna tamen iterum in ea ipſa eſt diſſimilitudo. Nam omnes angelorum myriadas in monte Sina adfuiſſe, haudquaquam eſt credibile, ideoque non ad omnes acceſſerunt Iſraëlitæ, Chriſtiani verò ad omnes. Deinde ita Iſraëlitæ ad angelos acceſſerunt, ut tamen eorum aditu prohiberentur, & ne propius accederent, tum ſeveritate euicti, tum ipſa terribili rerum ſpecie arcerentur. At nunc Chriſtianus populus, ita acceſſit ad myriadas angelorum, ut cum illis arctiſſimè ſit conjunctus & in eorum ſocietatem cooptatus, ac veluti receptus; id verò duplici potiſſimum ratione. Primò, quia pax per Chriſtum eſt conſtituta inter cœleſtia & terreſtria, hoc eſt angelos & homines, & fœdus quoddam ſanguine ipſius ſancitum, ita ut angeli, qui antea ab hominibus, ob eorum ſcelera averſi fuerant, poſtea, conſpecto Dei patris, ac principis ſui in eos amore, quem morte filii ſui pro ipſis impenſi, fuerat conteſtatus, eoſdem poſtea, Dei ſui exemplum ſequuti, amare cœperint, maximè, poſtquam dux ſalutis noſtræ, ejuſdem nobiſcum naturæ particeps, ipſorum angelorum caput, ac Dominus, eſt effectus; ex quo ipſo, neceſſe fuit, ut nos quoque, qui eidem capiti, tamquam membra adhæreſimus, pro ſuis agnoſceret. Quare nunc angelorum quodammodo effecti ſumus ſocii, ipſique noſtri evaſerunt amici; & qui olim inſtar Deorum cum hominibus agerent, ſeque ab illis adorari paterentur, ii nunc conſervi ſanctorum piorumque, ſe profiteri non erubeſcunt, & cultum adorationemque ab illis ſibi exhiberi nolunt. Qua de re nota ſunt illa Apocal. 19, 10 & cap. 22. ℣. 9. Qua de re videatur Ribera, ad iſta loca. Deinde ea quoque ratione ad angelos acceſſimus, quòd ſpes nobis facta eſt, ejuſdem cum illis beatitatis, gloriæ, atque immortalitatis; unde etiam Chriſtus ait, Eos qui reſurrecturi ſunt, fore ſimiles, vel æquales angelis Dei cœleſtibus Matth. cap. 22. verſ. 30, & Luc. cap. 20. verſ. 36. Sed hæc conjunctio noſtra cum angelis, tum demum verè ac perfectè apparebit, in adventu Domini Jeſu cum angelis gloriæ ac potentiæ ipſius. Hinc primum æſtimanda eſt iterum noſtra fœlicitas, præſertim conſiderato eo, quod poſteriori loco diximus; quamquam etiam id, non in poſtrema fœlicitatis parte ponendum eſt, quod priori loco eſt explicatum; nempe amicitiam inter nos & angelos conſtitutam eſſe. Nam ſi vel regum aliorumve potentum, vel hominum, virtute aut ſapientia clarorum, aut aliorum, qui nobis utiles eſſe queant, amicitia gaudemus, cur non multo magis angelorum, quia potentes ſunt, atque adeò dii in Sacris Literis appellantur, & Dei filii & ſancti, & ſapientes, & immortales ac beati, quique ſolent ad nos juvandos mitti, & puſillis etiam inter fideles adjungi, quemadmodum apparet ex cap. 1, hujus epiſtolæ. Matth. cap. 18. ℣. 10, quibus adjungi etiam poteſt locus Pſal. 34. Hinc etiam tanto majorem ſpem concipere poſſumus, fore ut ab illis juvemur, quandoquidem amici noſtri & conſervi effecti ſunt. Sed præterea, cum ad tam ſanctorum Spirituum ſocietatem, eandemque cum illis beatitatem ſumus admiſſi, par eſt omnino, ut ſanctitate quoque illis evadamus ſimiles, & eodem quo illi modo Deum, laudemus, colamus, eique ſerviamus, nec committamus ut noſtra culpa, tam ſanctæ amicitiæ vinculum rumpatur.

Conſideranda etiam eſt hoc loco, majeſtas Dei & Chriſti, cujus miniſtrorum ac ſatellitum, ad ejus juſſa ſemper paratorum, tot ſunt myriades, quam non eſſe poſtremam eminentiæ divinæ partem, vel illud indicat, quod toties in Veteri Fœdere hanc ob cauſam, dicatur, Dominus exercituum, cum ea in re, faſtigium potentiæ, & imperii illius, ob quod Deus appellatur, conſiſtat, indeque non obſcure colligitur, Deum promtum eſſe, auxilium hominibus ferre, cui tot, tam fortes, tamque agiles miniſtri, ſemper ſint ad manum; quod idem ad Chriſtum, nunc eſt tranſferendum, qui etiam nunc eorum utitur miniſterio, ad juvandos fideles ſuos, ſupra cap. 1. verſ. ultimo; & olim cum ad judicium venturus eſt, illis in re omnium maxima, eſt uſurus, nempe ut colligant fideles, atque in aërem attollant, & ruinæ orbis eximant. Qua de re, vide inter alia. Matt. 13.

Refutanda hic etiam eſt prophanorum hominum impia vox, qui niſi ipſi ipſorumque ſimiles, in cœlum admittantur, cœlum vacuum, deſertumque fore dictitant, ſed hæc nota ſunt.

Verſ. 23. Pergit auctor divinus, & ab angelis progreditur ad homines, coſque omnium præſtantiſſimos, ac diviniſſimos, inter quos, eos priori loco commemorat, qui tunc magna ex parte, in vivis erant, cum ait, Illos ad quos ſcribit, *acceſſiſſe ad panegyrin*, ſeu conventum ſolennem, *& Eccleſiam primogenitorum, in cœlis deſcriptorum*, per quos licet alii quidam, intelligant patriarchas alioſque pios, qui ſub V. Fœdere vixerant, tamen id haud conſentaneum eſt, cum ii potiùs intelligendi ſint, ſub eorum nomine, ad quorum Spiritus, eoſdem Chriſtianos, paulò poſt dixit acceſſiſſe divinus autor. Ibi enim complectitur mortuos, qui antea Deo confiſi fuerant, ac paruerant, ut poſtea videbimus. Qua re per hos primogenitos, alios intelligi patet. Adde, quòd vox primogenitorum, præſertim cum collatio fit, cum iis, qui ſub Novo Fœdere vixerunt, illis qui ſub V. Fœdere vixerunt, haud conveniat. Nam ſub N. demum Fœdere, homines, revera effecti ſunt Dei filii: Primogeniti autem illi ſunt, qui inter filios, nempe Dei, primi ſunt ac præcipui. Quare longè rectius, eos hic intellexeris, qui ſub Novo Fœdere primi fuerunt, tum tempore, tum etiam dignitate, ac prærogativa, inter cæteros Chriſtianos, ac Dei filios, quales cenſendi ſunt *apoſtoli*, & prophetæ, nempe N. Fœd. euangeliſtæ, paſtores ac doctores, & cæteri, qui primitias Spiritus, ut loquitur Paulus, acceperunt, & in primitiva Eccleſia, præ cæteris omnibus, divinorum donorum copia, muneris dignitate, ac pietate eminuerunt; quorum quidem magnus fuit eo tempore numerus; cum fundamenta Eccleſiæ jacerentur; & initia euangelii, reddenda eſſent inſigniora. Nam non paucos aliquos, v. g. ſolos apoſtolos, eſſe intelligendos, illud docet, quod eorum πανηγύρις quædam, hoc loco, conſtituatur, πανηγύρεις autem ſunt, ſolennes ac celebres, magnæ alicujus multitudinis, ſeu ut vox ipſa ſonat, univerſorum conventus, quemadmodum notum eſt.

Dicit autem divinus auctor, eos eſſe in cœlis deſcriptos, quod nihil aliud ſignificat, quam eos à Deo cœleſtibus ſedibus, eſſe deſtinatos. Quod enim ait in cœlis eos deſcriptos, id non tantum ſignificat, à Deo, vel apud Deum eſſe deſcriptos, qui in cœlis ſit, ſed etiam, eos ibi, tamquam cives recenſitos, ac deſcriptos eſſe. Quomodo etiam Dominus ait, apud Lucam cap. 10. ℣. 20, diſcipulorum ſuorum nomina, eſſe conſcripta in cœlis; cui explicationi, hoc quidem loco, vehementer favet vox ἀπογεγραμμένα, quæ non ſimplicem ſcriptionem, ſed recenſionem, ſeu cenſum civium, ſignificare ſolet. Quo pacto uſurpatur apud Lucam cap. 2, ubi de cenſu, ſub Auguſto facto, ſermo eſt verſ. 1, 2, 3, 5. In aliis locis, ubi aſſeritur, aliquos eſſe ſcriptos, in libro vitæ, aut non ſcriptos, ſimplex eſt

vox

vox γραμμα. Quare hic sermo esse videtur, de recensione primogenitorum, tamquam cœlestium civium, qua in re, quorsum alludatur, postea videbimus. Nunc illud tantùm adjicere libet, si quis nolit hanc significationem vocis ἀπογεγραμμένων admittere, censeatque hunc locum similem esse illis, ubi simpliciter dicuntur esse aliqui scripti in cœlis, aut in libro vitæ, necesse esse, ut hic aliquid subaudiatur; nempe illud ipsum, quod nunc diximus, eos in libro vitæ fuisse descriptos. Nemini enim dubium est, quin id voluerit dicere divinus auctor eos de quibus est sermo, ad cœlestem fœlicitatem fuisse destinatos, adeoque idem voluisse exprimere, quod alibi scriptura solet exprimere per scriptionem in libro vitæ. Quare hocipsum, nempe *in libro vitæ* descriptionem hanc esse factam, subaudiendum hic erit, si priorem explicandi rationem admittere nolis. Nam cæteroqui posset quis scribi in cœlis, nempe à Deo, idque in bonam partem accepta hac phrasi, nec tamen protinus vitæ cœlesti destinari. Nam per se, nihil aliud hæc phrasis significat, quam Deum, alicujus ita esse memorem, & præmium ei aliquod destinare, non secus acsi libro, vel pugillaribus aliquibus, ejus nomen haberet descriptum, ducta ab hominibus diligentioribus similitudine, qui quorum meminisse volunt, eorum nomina in codicillos, aut pugillares referre solent, ne fortè excidant: quemadmodum olim Mordochæi fides erga regem, fuit in acta regia relata, quibus perlectis, rex ad eum remunerandum fuit excitatus. Et his quidem vocibus, summam dignitatem eorum, quos intelligit divinus auctor, expressit, ut inde etiam, eorum, qui ad illos accederent, dignitas ac fœlicitas sit tanto magis conspicua. Eorum autem multitudinem, ac simul etiam conjunctionem inter sese, duabus vocibus expressit; quarum altera est πανηγύρις, cujus vocis vis, jam antea est explicata. Altera vero Ecclesia, hoc est concio, quæ hoc in loco idem significat, quod πανηγύρις. Utraque enim vox, multitudinem & frequentiam haud vulgarem; maxime prior, significat; sed multitudinem in unum locum, sive propriè, sive etiam improprie collectam. Quæ omnia, ut tanto rectius intelligentur, & elegantia verborum, divini autoris, tanto magis pateat, considerandum est, quorsum hic respiciat, atque alludat. Nullum autem esse potest dubium, quin respexerit, ad illam panegyrin, seu congregationem populi Israëlitici, ad montem Sina, quæ peculiari quadam ratione seu καθ' ἐξοχὴν, Ecclesia in Sacris Literis appellatur, cujus rei exemplum habemus Actor. 7. ℣. 38, ubi ait Stephanus: Hic scilicet Moses est, qui fuit in Ecclesia, in deserto, cum angelo, qui loquutus est illi, in monte Sina, & patribus nostris. De qua congregatione, vide Exod. 19, & Deut. 4. 10, ubi Græci V. T. interpretes habent τῇ ἡμέρᾳ τῆς ἐκκλησίας, id est Die, solennis illius concionis, seu panegyrici conventus, populi Israëlitici. Etiamsi verò primogeniti illi, de quibus hic est sermo, nunquam ut credibile est, in unum locum omnes convenerint, quemadmodum olim populus Israëliticus, nihilominus tamen, utut corporibus dissiti, animo ac Spiritu, fuerunt inter se conjuncti, ita ut unam quandam panegyrin & Ecclesiam constituerent. Nec mirum videri debet, eam vocem, quæ ad carnalem populum relata corporis conjunctionem significet, ad spiritualem Dei populum translatam, spiritualem conjunctionem significare. Quod verò attinet ad nomen primogenitorum, dubitari potest, utrum divinus autor, ad typum aliquem in V. T. respexerit. Est enim quod suadeat, est etiam, quod dissuadeat. Suadet illud, quòd in cæteris, videamus divinum autorem allusisse, ad umbras legales, & non frustra is videatur usus esse, insolita aliàs descriptione fidelium Christi primariorum, dum eos primogenitos appellavit. Unde suspicari licet, eum concinnitati allusionis, aliquid hic indulsisse. Et sanè habemus aliquid de primogenitis in V. Fœd. quod ad eos de quibus sermo est, non malè quadrat. Etenim ex eo tempore ex quo Deus Ægypti universa primogenita, per angelum suum delevit, primogenita Israëlitarum autem conservavit, omnia eorum primogenita, sibi consecrari voluit, quemadmodum legimus Exod. 13, & Num. 3, ac postea cum in deserto esset populus, voluit; præter censum totius populi, peculiariter etiam institui censum, omnium primogenitorum. Eorum autem postea loco, voluit sibi consecrari, & in usum suum addici Levitas, quos rebus sacris operari, & cultui suo, voluit inservire; quorum præcipui sacerdotes erant, cæteri sacerdotibus proximi, inter quos certi iterum gradus erant, & singuli aliquam habebant circa sacra functionem. Qua de re legatur dicto loco cap. 3, Num. vers. 12, & seq. 40 & seq. His ergo primogenitis Israëlitarum vel Levitis, qui in eorum locum fuerunt repositi, & in usus divinos consecrati, non male respondent præcipui inter Christianos, qui sacris imprimis operabantur, & Deo penitus erant consecrati. Quo accedit, quòd illi primogeniti fuerint, ut loco dicto legimus, recensiti, & numerus eorum certus, in libros relatus. Hic verò ad censum à divino autore respici, supra diximus; quamquam aliàs hæc ratio postrema, nihil prohibet, quominus ad universum Israëlitarum populum, cujus census tum temporis fuit actus, respici queat. Et illa quidem sunt, quæ allusionem hanc suadent. Sed ne quid diffiteamur, illud non satis ei favet, quòd hic respiciatur ad panegyrin istam, totius populi Israëlitici, non verò ad conventum aliquem, primogenitorum tantum. Nec sanè, cum populus ad montem Sinai accederet, separati erant primogeniti, à reliqui populi Israëlitici turba; cum census populi, secundo demum anno fuerit factus, ex quo egressi fuerant ex Ægypto. Lex verò fuit lata, aliquot septimanis post egressum. Quare, nisi quis dicere velit, in hac allusione ac similitudine, iterum esse dissimilitudinem non exiguam; non poterit sustineri, alludi hic, ab autore, ad primogenitos filiorum Israël. Et quamquam nos hic, nihil certi affirmare audemus; dici tamen non absurdè potest, id voluisse divinum autorem: Accessistis vos ad panegyrin, non quidem promiscuæ plebis, qualis fuit olim ad radices montis Sina, sed filiorum Dei primogenitorum, ac præstantissimorum, quorum typum gesserunt primogeniti Israëlitarum à Deo peculiariter selecti, & ipsi consecrati, eorumque census, non in terris factus est, in librosque aliquos ab homine, nominaque ipsorum conjecta, sed Deus ipse in cœlis, eorum nomina in librum vitæ retulit, eorumque censum quendam egit. Quo pacto autem Hebræi isti, ad hanc panegyrin accesserint, statim in doctrinarum explicatione dicemus.

Quæ ex his verbis doctrinæ excerpi queant, facile patet. Nam primum satis patet id, quod divinus autor imprimis spectavit. Quanta sit dignitas, quantaque fœlicitas eorum, qui ad divinissimos, qui umquam fuerunt homines, si Christum excipias, accesserunt, & cum iis fuerunt conjuncti, tum quòd unam cum illis Ecclesiam constituant, eorumque fratres, ex eodem patre cœlesti, geniti sint, ejusdemque cum illis gloriæ, aliquando futuri sint participes; quo pertinet, locus ille insignis Pauli 2 Tim. 4. 8. Inde porrò consequitur, nos etiam, moribus ac sanctitate, iis debere esse similes.

Præterea, hic aliquid differi potest, de conjunctione fidelium, quam inter se colere debeant, ob nomen panegyris & Ecclesiæ, tum de modo, quo homines pii, ad supremam fœlicitatem destinentur, ob particulam istam in cœlis descriptorum; ubi & vera sententia explicari, & falsa refutari potest.

Antequam verò, divinus autor à præcipuis divini hominis cultoribus, qui ſub Novo Fœdere exſtiterunt, ad eos tranſeat, qui fuerunt ſub veteri, eorumque ſpiritus, Deum ipſum interjicit medium, & hos ab illis, hoc pacto diſpeſcit, cujus ordinis, aliam quoque rationem, ſi modò ejus certa conſtat ratio, poſtea videbimus.

Ita autem de Deo loquitur, divinus hic ſcriptor. *Et* ſcilicet acceſſiſtis, *ad judicem Deum, omnium*, quo loco, non ſatis conſtat, utrum eo modo ordinanda & conſtruenda ſint verba, quo apud ipſum autorem collocata ſunt, an verò tranſpoſitio quædam ſit verborum. Etenim, ſi prout poſita ſunt, ab autore verba ea, conſtruas, vox judicis, erit inſtar ſubjecti, de qua per appoſitionem dicitur, quod ſit Deus omnium. Sed longe probabilius eſt, tranſpoſita eſſe verba, atque adeò ita ordinanda; Acceſſiſtis ad Deum judicem omnium. Veriſimilius enim eſt, autorem divinum voluiſſe, cum ſubjectum ipſum, quod Deus eſt, nomine aliquo denotare vellet, conſueto Dei vocabulo, uti voluiſſe, quam nomine judicis, quod nunquam ſimpliciter poſitum, pro Deo uſurpari crediderim. Adde, quòd niſi tranſpoſitio hæc admittatur, vix ullus eſſe poſſit, horum verborum ſenſus, quam, eos acceſſiſſe ad Deum tamquam judicem, ſeu eum, qui pro ipſorum factis, ſit laturus ſententiam, ac mercedem redditurus. Hæc enim, cum vox judicis abſolute ponitur, ejus vis eſſe ſolet. At hæc ſententia, loco huic, non videtur quadrare, partim quod plus videatur terroris habere, quam favoris aut lætitiæ, cum tamen cætera, quæ hic commemorat divinus autor, merum Dei ſpirent favorem, tum quod Hebræi iſti, nondum videantur acceſſiſſe ad Deum tamquam ad judicem, quod ſenſus tamen ille poſtulat, cum hic reſpiciat, ad acceſſum illum, qui ſit tum temporis, quo veritatem euangelii quiſpiam eſt amplexus. Quare, ſatius eſt ſtatuere, tranſpoſita fuiſſe à divino autore verba, eaque ita conſtruenda, ac ſi dixiſſet, Et ad Deum, judicem omnium. Et de voce quidem Dei, nihil eſt opus hic diſſerere, ſed illud conſiderandum reſtat, cur Deum hic judicem, & judicem quidem omnium appellarit. Poteſt autem vox judicis, duplici ratione ſumi, vel propriè, vel impropriè. Propriè quid ſignificet, notum eſt omnibus. Impropriè ſignificat eum, qui gubernat ac regit, propterea, quòd ejus inter alia officium, idque unum ex præcipuis eſt, judicare; hoc eſt ſententiam de aliorum factis ac negotiis, tum ferre, tum exequi, unde judices dicebantur olim rectores populi Judaici, ab una eaque præcipua officii ſui parte; & hac ratione veriſimile eſt, accepiſſe hoc verbum Abrahamum, cum dixit de Deo, illum eſſe judicem univerſæ terræ, qui locus, huc imprimis pertinet. Eo modo intelligunt verbum hoc judicandi, viri quidam docti Pſal. 110. verſ. 6. ubi de Chriſto dicitur, quòd judicabit in nationibus, hoc eſt, Potenter regnabit, ſeu judicium ac potentiam inter illos exercebit. Et Zachar. 3. verſ. 7. ubi ita angelus Dei nomine, dixit ad Jeſum, ſeu Joſuam. Si in viis meis ambulaveris, judicabis domum meam; id eſt, fungeris officio, ſummi ſacerdotis, & ſic in templo, quod eſt domus mea, gubernabis. Hic ſenſus, ſi hoc loco admittatur, id cenſebitur dicere voluiſſe divinus autor. Acceſſiſtis ad Deum, qui ſummus eſt omnium hominum rector ac monarcha, cum quo amicitiam qui contrahit, & ad eum accedit, ejus beatiſſima eſt conditio. Quid enim ei deeſſe poteſt, qui tantum monarcham ſibi habet propitium ac faventem, quid illo fœlicius, qui eam quam ipſe Deus habet vitam, aliquando eſt adepturus. Voce autem *Omnium* hoc loco, quemadmodum jam indicavimus, homines ſunt intelligendi. Cum autem dicit *Omnes*, excludi vult diſcrimen imprimis populorum, quaſi dicat; Non tantum, veſter eſt moderator ac rector, ſed etiam omnium aliorum populorum, atque hominum, quæ deſcriptio, licèt ſemper Deo convenerit, tamen imprimis ſub Novo Fœdere, ubi Deus, maximo documento oſtendit, ſe rectorem eſſe omnium, dum præcepta ſua, ſuamque voluntatem, omnibus omnino hominibus patefecit, & ut ſibi parere vellent, multis modis impulit, quod ſub lege non fecerat. Itaque hic quoque alluſio eſſe poteſt ad id, quod olim tempore Moſis, atque adeò univerſi antiqui fœderis factum. In qua, tum ſimilitudo, tum diſſimilitudo quædam apparet. Nam & Judæi, olim ad Deum acceſſerunt, legem ab ipſo accepturi, & cum eo fœdus pacturi; ſed acceſſerant tamquam ad judicem ac gubernatorem unius populi, non verò univerſorum; ſiquidem ipſis ſolis, tum legem ferebat, non jubens interim ac curans, ut ea ad alios etiam populos propagaretur; ex quo ipſo etiam ſatis patuit, legem illam, non eſſe uſquequaque perfectam, aliàs enim cur non potius omnibus populis fuiſſet revelata. Quapropter, tacite divinus autor, præfert hac in parte, conditionem Chriſtianorum, conditioni Judæorum veterum, & euangelicam doctrinam ac religionem legi. Non abſimilis foret ſenſus, ſi ordinem verborum ſimpliciter ſequutus legas, Deum omnium, niſi quod vox Dei, hoc modo conſtructa, magis videatur ſignificare, Dei in omnes benevolum affectum, ac benignitatem, quaſi dicat, acceſſiſtis ad illum judicem, qui omnium peræque, Deus eſt, in omnes peræque benignus ac munificus; quo pacto etiam Paulus dicit, unum eſſe Deum, tum Judæorum, tum gentium Rom. 3. circa finem. Quo ipſo vult oſtendere, juſtificationis aſſequendæ rationem, non tantum ad Judæos, ſed ad omnes populos promiſcue pertinere debere; cui ſimilis alter locus, apud eundem Apoſtolum 1 Tim. 2. 5.

Sed jam tempus eſt, ut videamus, quæ ſit futura, verborum divini autoris vis, ſi vox Judicis proprie ſumatur; ea verò hæc eſſe videtur: Acceſſiſtis ad Deum, amicitiamque cum illo, ut ita dicam injiſtis. Quid verò eo vobis poſſet contingere optatius. Is enim cum ſit judex omnium hominum, idque non tantum vivorum ſed etiam mortuorum, quod nunc demum revera ac perſpicuè per euangelium revelatum eſt, non poteſtis non ab eo abſolui, ſi in hac cum ipſo amicitia ac fœdere, permanſeritis. Magnum reo perfugium eſt, in favore judicis, præſertim ſi is ſit ſimul liberrimus, ac ſi de ipſius revera jure agatur, de quo remittere illi liceat, quantum velit; unde Paulus ita diſſerit Rom. 8. *Quis accuſabit electos Dei?* quaſi dicat: Quis id audebit facere, cum apertum ſit, neminem quidquam profecturum. Addit enim, Deus eſt, qui juſtificat. Quaſi dicat, Deus, qui ſupremus eſt, judex, is electos à reatu omni abſoluit. Diximus autem, omnium nomine, non tantum viventes homines debere intelligi, verum etiam mortuos, quod & rationi per ſe eſt admodum conſentaneum. Siquidem, diſcrimen piorum & impiorum omnium, in hac vita, nonniſi ex parte apparet; imò, ferè melior impiorum, quam piorum videtur eſſe conditio, adeò ut neceſſe ſit aliquod reſtare, etiam poſt mortem, Dei judicium; & per euangelium, inter cujus rudimenta, judicium æternum à divino autore collocatur ſuprà cap. 6. 2, manifeſte demum fuit declaratum. Huic autem poſtremæ interpretationi, videntur favere ſequentia, ut poſtea intelligetur.

Ad doctrinas quod attinet, quæ ex his verbis deduci queant. Primum quanta hinc pateat Chriſtianorum fœlicitas, in ipſa eorum explicatione dictum eſt. Deinde, hinc Dei imperium ac majeſtas ſumma patet, qui Deus eſt ac judex omnium tum vivorum, tum mortuorum; unde porrò perſpicitur, quanta cum reverentia ipſum adire, eique ſervire oporteat. Præterea ex eo, quod judicium ſit exerciturus etiam poſt mortem; tum ſpem concipere debemus cœleſtis præmii, ſi ipſi paruerimus, tum metum ſupplicii, ſi contumaces fuerimus.

Subjungit porrò autor, Hebræos illos, Acceſſiſſe etiam *ad Spiritus juſtorum conſumatorum*, idque quantum ſuſpicari licet hac occaſione, quòd Deum judicem omnium, hoc eſt & viventium & mortuorum vocaſſet. Nam ſi Deus etiam mortuos judicabit, & dignum ipſorum factis præmium eis reddet, conſequens eſt, ut illi,

illi, qui antehac etiam vitam cum pietate finierunt, præmium aliquando à justo hoc judice accipiant, atque adeo etiam Christiani cum illis conjungantur. Quare, quia illi eandem fœlicitatem cum illis exspectant, & ejusdem quodammodo censendi sunt esse sortis ac conditionis, meritò ad illos eorumque Spiritus, accessisse dicuntur. Sed paulò propius, verba autoris consideremus. Vocat eos, de quibus loquitur justos, nomine scilicet generali, quod illis quoque jure tribuitur, qui ante Christum, piè vixerunt. Quo pacto supra cap. XI, idem auctor Abelem, quem primo inter fideles loco collocarat, justum appellat ℣.4. At paulò ante, cum de iis loqui vellet, qui sub N. Fœd. vixerunt, præsertim si spectes ea, quæ Deus illis manifeste revelavit. Justi autem dicuntur ille qui vel ab ineunte ætate, ad finem usque vitæ, pro viribus Deo paruerunt, & nec peccati alicujus habitum contraxerunt, nec forte enorme quippiam in Deum admiserunt; vel saltem, etiamsi in peccato aliquo hæserint, se'e tamen postea emendarunt, & exutis pristinis moribus, eam vitæ rationem inierunt, quæ divinæ voluntati, quatenus eam, vel per naturam, vel per revelationem aliquam habuerunt cognitam, conveniret, ac pristinorum suorum delictorum, aut enormium quorundam factorum ac lapsuum, pietatis cursui intervenientium, veniam à Deo sunt consequuti, & pro justis à Deo habiti. Eo modo Lot dicitur etiam justus, 2 Pet.2, & Zacharias atque Elisabet, & Josephus & Simeon, & alii similes, Luc.1.Mat.1. Dicit autem eos esse consummatos, seu perfectos redditos; vel quòd pietatis cursum jam absoluerint; vel quia immortalitati, perfecta jam ratione sint destinati. Nam utroque modo, vox perfectionis usurpatur in S. L. qua de re dictum est Phil. 3. 12. Utraque significatio, loco satis apta est, sed aptior tamen posterior. Hac enim ratione exprimetur etiam fœlicitas eorum, de quibus est sermo, atque adeò etiam eorum, qui ad illos accesserint, & in eundem quodammodo statum fuerint translati: accedit, quod hic auctor, libenter hanc vocem usurpet de immortalitate, quemadmodum à nobis explicatum est dicto loco. Verum enim verò intelligi non potest immortalitas, quam actu ac reipsa habeant; siquidem eo sensu dictum est supra sub finem cap. præcedentis, illos nondum retulisse promissionem, hoc est beatitatem, seu immortalitatem nobis promissam, Deo aliquid melius pro nobis providente, ne sine nobis consummarentur. Nondum ergo actu ipso, eos fuisse consummatos, seu immortales effectos, indicat divinus auctor. Quare si nihilominus immortalitas, consummationis voce, hoc loco est intelligenda, necesse est eam non de actu, sed de jure immortalitatem consequendi, seu destinatione ad immortalitatem accipere, & de destinatione quidem ejusmodi quæ jam prorsus sit immutabilis, nec sub conditione aliqua incerta adhuc pendeat; sed quæ jam sit absoluta, ut pote, quæ conditionem jam præstitam ponat. Dicit autem divinus autor Hebræos illos accessisse, non ad ipsos illos justos consummatos, sed ad eorum Spiritus, ut indicet, Eos tum temporis, non amplius fuisse in vivis, & nihil eorum exstitisse, præter Spiritus. Est enim vox hæc Spiritus, apta admodum ad significandum, eos qui mortui sunt, cum Spiritus ut jam indicavimus solus post mortem superfit; & ut Salomon loquitur, ad Deum redeat, redieritque: quemadmodum vox animæ libentius usurpatur de hominibus vivis, propterea quòd anima ea demum revera sit, quæ corpus animat, & vitam ei præbet; unde etiam creberrime pro ipsa vita ponitur, nonnunquam etiam pro Spiritu vitali, qui per corpus diffusus illud vivificat ac vegetat; unde in Sacris Literis legimus, Dominum Jesum ac Stephanum, Spiritus suos commendasse, illum quidem Deo, hunc verò Christo. Quamquam eadem significatione Petrus ait, Eos qui patiuntur secundum voluntem Dei, debere Deo commendare animas suas, qui locus in Sacris Literis, dici potest, esse sine exemplo, quatenus de morituris est sermo. Sic etiam dicitur, Dominum Jesum, emisisse Spiritum, cum moreretur. Huc potest etiam referri jure locus ille 1 Cor. 5.5. Nam indicare videtur Paulus eum hominem adeò affligi debere à Satana, ob tam enorme flagitium, ut tandem etiam moriatur, sed nihilominus tamen ipsius Spiritus, si interea temporis, dum ad mortem paulatim duceretur resipuerit, in ultimo die servetur, id est glorioso corpore, gaudiis cœlestibus perfruatur. Nec refert, quod eventus, non responderit. Potuit enim postea, severitas decreti illius, interveniente singulari quadam pœnitentiæ significatione ac dolore, mitigari ac relaxari, quemadmodum quidem factum esse patet, si in posteriore epist. cap. 2, de eodem homine est sermo. Sed ad locum nostrum revertamur. Quando accesserint Hebræi isti, ad Spiritus hosce sanctorum consummatorum, jam satis est explicatum. Eatenus enim accesserant, quatenus in eundem statum quodammodo fuerunt translati, iisque annumerati, quia ad eandem fœlicitatem, quæ justos illos viros manebat, erant per euangelium vocati, eique postquam id amplexi fuerant, destinati, quanquam ea conditione si perseverarent in fide Jesu Christi, & istorum de quibus sermo est justitiam, in ea, usque ad finem vitæ perseverantiam, imitarentur. Breviter: Nulla alia in re accessus ille ad Spiritus istos consistit, quam quòd, ut hunc auctorem divinum loquentem audivimus, Deus de nobis, vel pro nobis providerit, ne justi illi viri, sine nobis consummarentur, seu immortales evaderent. Hæc autem particula, nihil videtur habere, quod ei in accessu Israelitarum ad montem Sinai respondeat. Cum enim terrena tantùm, ibi proponerentur promissa, iis qui accedebant, non poterant dici accessisse ad Spiritus eorum, qui rebus humanis exemti, immortalitatem tantum exspectarent.

Hic primum, iterum excitandi sunt homines Christiani, ad considerationem fœlicitatis suæ, quæ illis cum præstantissimis omnium seculorum viris futura est communis. Deinde, Hominem posse esse justum. Denique disputari potest, de statu eorum, qui cum pietate mortui sunt eorumque spiritibus, utrum nunc fœlicitate fruantur, necne.

Potest autem his potissimum argumentis ostendi, mortuos, seu eorum Spiritus, actu ipso, gaudiis cœlestibus, non potiri. 1. Quia Paulus 1 Cor. 15. 32. Satis apertè docet, Si mortui non resurgunt, valituram illam vocem impiorum hominum *edamus, bibamus, cras enim morimur*, & nullum fore fructum, suorum periculorum & afflictionum, quas sustinuerat ℣. 30, & seq. & nos fore miserrimos omnium hominum ℣. 19. At si Spiritus piorum hominum, etiam ante resurrectionem perfrueretur gaudiis cælestibus, causa esset maxima, imò talis, qua nulla major, cur à voluptatibus illis abstinere, & pietatem duram atque asperam sequi, omniaque mala, Christi causa perpeti debeamus, nec miserrimi omnium hominum, sed potius fœlicissimi censendi simus, cum gaudio illo Spiritus, nil possit fingi majus, neque optatius.

Eodem pertinet 2, quod Paulus, ideo omnia se pro nihilo reputare, eorumque jacturam pati, & Christi etiam morti conformari optat Phil. 3, ut ad resurrectionem mortuorum perveniat. At si Spiritus nostri, atque adeò nos ipsi cœlestibus divinisque gaudiis, absque resurrectione perfrui possumus, nil erat, cur ejus causa, rerum suarum jacturam faceret, & mortem suscipere vellet, tam diram, atque ignominiosam, quam fuerat mors Christi.

Et sane, quod tertiæ rationis loco esse potest, planè nulla potest excogitari causa justa, cur resurrectio sit expetenda, aut nobis à Deo fuerit promissa, si Spiritus noster, potest & Deum per se videre, & gaudiis cœlestibus potiri, atque in æternum hoc pacto, cum Deo & Christo, & sanctis angelis versari. Nam in gaudio ipso ac lætitia, beatitudo nostra, revera consistit. At gaudium istud, corporis accessu, non augebitur, si Spiritus ipse per se, gaudere potest, & divinissimis voluptatibus perfrui. Gaudium enim omne per se, in Spiritu residet, non in corpore, quod tamen

men medium quoddam est ad voluptatem in spiritu excitandam. At si spiritus perse, illa percipere potest, absque isto medio, quorsum illi additur corpus; imo, corpus impediet potiùs, illam functionem spiritus. Quo enim est liberior, tanto actionibus suis incumbere poterit expeditius ac constantius, si agere, & munere aliquo fungi perse potest: quod magis adhuc urgendum est adversus eos, qui putant, hæc carnea & ossea corpora, spiritibus nostris adjunctum iri, quæ sanè nonnisi inutilia forent spirituum nostrorum onera. Quid? An putas beatiores fore angelos, si iis corpora ejusmodi agglutinarentur, quam nunc sunt sine iis, quandoquidem spiritus nostri, corpore penitus soluti, angelicæ substantiæ creduntur similes: quod tamen, quatenus ea similitudo, ad rem præsentem spectat, falsum est.

Præterea 4, cum Dominus Jesus Matth. 22. & Luc. cap. 20. ex eo concludit Abrahamum, Isaacum & Iacobum resurrecturum, quia Deus post eorum mortem, eorum se Deum appellaverit, hac usus ratione, quia Deus non sit Deus mortuorum, sed viventium. Constat, de mortuis non posse dici, eos actu vivere, aut etiam eorum spiritus, qui proprie & accurate loquendo, nec mori nec vivere dici possunt. Nam alioqui planè everteretur Domini Jesu argumentum. Potuisset enim dici Deum nulla habita ratione resurrectionis sequuturæ, potuisse se vocare, Deum Abrahami, Isaaci en Iacobi, tamquam viventium, quia illorum spiritus, qui soli revera vivere queant, nunc actu apud Deum vivant, & Deum benefactorem suum esse perfecta ratione experiantur. At Dominus Iesus resurrectionem ipsorum, hac ratione ostendere volebat, & debebat. Ubi id insignite animadvertendum est, quod jam aliquando innuimus, in eo revera sitam esse vim argumenti Domini Iesu, quod cum Deus, vocat se Deum Abrahami, Isaaci, & Iacobi, id velit dicere, se esse singularem ipsorum fautorem ac benefactorem, quæ hujus phraseos frequens in Sacris Literis vis est. Benefactorem autem mortui alicujus, quamdiu is est mortuus, neminem esse posse, quod tamen falsissimum foret, si spiritus humani, per se, atque actu ipso, post mortem viverent, & gaudiis cœlestibus perfrui possent. Hoc enim pacto Deus perfecta ratione benefactor, atque adeò etiam Deus foret, eorum hominum, quorum spiritus ad cœlestia gaudia admissi sunt, ac proinde Abrahami etiam, Isaaci & Iacobi fuisset jam olim Deus, ex quo fuissent mortui, ita ut ad veritatem dicti illius divini, nulla sit opus resurrectione, quod tamen Dominus Jesus ponit, ac tanquam firmamentum suæ rationis, pro concesso sumit. Quare, cum Dominum Jesus subjungit, omnes Deo vivere, non vult dicere, eos vivere actu, ac reipsa; sed vitæ, à Deo, qui id efficere possit, destinatos esse, unde is jure se appellare posset, illorum Deum; atque hanc ipsam ob causam, non dixit simpliciter, illos vivere, quod tamen dicere poterat, ac debebat, si illorum spiritus revera vixissent, sed vivere Deo, eo, quo nunc est explicatum modo.

Denique 5. Si pietatis præmium, tam perfectum, tam divinum, atque omni cogitatione majus, ante resurrectionem hominibus contingeret, cur Sac. Lit. ad pietatem nos excitaturæ dicerent, pietatis præmium verum in resurrectione nobis datum iri, ut cum Christus dicit ad Pharisæum illum, Rependetur tibi in resurrectione justorum: & Paulus, tum de se, tum de aliis, qui diligunt adventum Christi, sibi atque illis datum iri coronam justitiæ, in die illa, hoc est, die judicii: Et Petrus Senioribus fideliter functis officio suo, promittit immarcescibilem coronam gloriæ, tum, ubi apparuerit princeps pastorum, qui idem etiam ait, salutem paratam esse revelari, in tempore ultimo cap. 1. ut alia similia, hic omittam. Nam longè majorem vim habiturum esset præmium illud in nobis, si statim post mortem, nobis daretur, & dandum esse diceretur. Plurimum enim valet, tum præmii magnitudo, tum dandi celeritas; unde vulgo, Qui cito dat, bis dat. Quare, dixisset potius, Dominus Iesus, Statim tibi, rependetur post mortem, spiritu tuo in cœlos recepto, & sic in cæteris, si vera esset vulgaris sententia. Certe id & creditu fuisset facilius, cum etiam inter ethnicos, similis quædam viguerit opinio, de animabus, quæ post mortem, vel gaudiis perfruantur, vel cruciatus sustineant, & ad virtutem pietatemque excitandam efficacius.

Amplius 6. Cum Dominus Jesus Lazarum à mortuis excitavit, Petrus Tabitham, viduam piam, Jalii Apostoli proculdubio etiam alios, cum iis hæc fuerit à Domino data potestas, certè nullo eos affecissent beneficio, sed potiùs eos, ad summam miseriam retraxissent, spiritibus eorum è cœlis revocatis, ubi æternis & summis gaudiis fuissent perfruituri. Jam illi perfuncti fuerant vitæ miseriis, ac cruciatibus, mortem antecedentibus. Jam, si vulgari illi sententiæ credimus, conspectu divino, ac cœlesti consortio perfruebantur, certe invidiæ fuisset, eos in hanc vitam revocare, ubi denuo & calamitatibus & morti subjicerentur. Certe, si ullum est maleficium, hoc est, privare aliquem summis voluptatibus, & efficere, ut cogatur commutare fœlicitatem summam, cum miseria, & præterea subeat pereundi periculum. At illi, beneficium præstiterunt, hominibus à se excitatis, non maleficium.

Sequeretur etiam 7, nobis esse properandum ad mortem, & stulte nunc facturum aliquem, qui ea ratione Deum roget, ne mori sese patiatur, quia mortui non sint laudaturi Deum, quemadmodum David orat, quem illi in eodem beatorum numero collocant. Nam & falsa esset illa ratio, quia spiritus illi beati, longe magis laudarent Deum, non secus atque angeli, quam viventes, & præposterа esset, ac stulta illa petitio, quæ maxima nos voluptate prohiberet. Neque enim (ne quis hoc forte objiciat) purgatorii alicujus, à Davide habita fuit ratio, sed mortis simpliciter, unde interdum dicit, Pulverem non laudaturum Deum, eodem sensu, quia nimirum homines, cum in pulverem rediguntur, id præstare nequeant; quo ipso ponit, corpore in pulverem redacto, functiones hominis, nullas esse, quamdiu nimirum alio corpore, non induuntur, cujus David, nullam habuit in istiusmodi locis rationem.

Claudat tandem 8, rationum agmen, locus jam bis à nobis commemoratus sup. cap. 2, sub finem, ubi ait divinus auctor, justos sub Vet. Fœd. homines promissionem nondum esse adeptos, Deumque id providisse, ne sine nobis perficiantur.

Progreditur divinus autor ulterius, & personam eam commemorat, quæ ad hoc negotium vel imprimis pertinet, cum inquit: *Et* scilicet accessistis *ad Fœd. Novi mediatorem Jesum*, quibus verbis alludit ad Mosen, antiqui Fœd. mediatorem, qui ad montem Sina, inter Deum & homines, veluti medius intervenit, & Dei fuit in lege ferenda, ac fœdere illo pangendo interpres, atque internuncius, quemadmodum constat ex Deut. 5. 5. Levit. 26. ad finem. Gal. 3. 19, quibus adde Hebr. 8. 6, ex quo idem non obscure colligi potest. Huic ergo respondet Christus, qui Dei fuit interpres ac internuncius ad Novum Fœd. quod in melioribus promissis sancitum est, quam vetus, nobiscum feriendum Hanc enim esse vim, vocis mediatoris, satis perspicuè ostendit Socinus par. 1. de Ser. cap. 7, & Antigrot. cap. 8. Quare mediator, mediatori, fœdus fœderi, novum nempe veteri, hic opponitur. Quantum autem præstet Novum Fœd. veteri, aliunde notum est, & explicuit hic autor, imprimis cap. 8, verbis Hierem. eam in rem adductis, ex quo patet, quanto præstantior sit Christus, ratione officii hujus, quam Moses. Quanto enim excellentius est fœdus, tanto excellentior etiam mediator. Excellentia autem fœderis imprimis spectatur in promissis, quæ etiam hic auctor imprimis commemorat. Officium hoc Christi, nihil aliud est, quam officium propheticum, eo tantum differunt hæ appellationes, quod prophetæ nomen sit generalius, mediatoris specialius. Nam mediator omnis Dei & hominum (de hujusmodi enim mediatore loquitur) est propheta, sed non

non contra. Non enim omnis propheta, ad fœdus pangendum mittitur, quemadmodum apparet in omnibus prophetis Vet. Fœd. Mose solo excepto. Mediator autem non quivis est propheta; aut voluntatis divinæ interpres ad homines missus; sed is demum, qui ad fœdus percutiendum, atque à Deo stabilem inter Deum & homines concordiam constituendam mittitur, qualis præter Mosen & Christum, est nullus. Solet quidem Christus, ea etiam ratione mediator dici, quatenus etiam nunc, veluti medius inter Deum & homines intervenit, & pontifex noster est, apud Deum pro hominibus intercedens; sed id non est ex usu Sacrarum Literarum, & huic loco, ubi apponitur fœderis mentio, non est accommodatum, quemadmodum etiam ex sequentibus verbis apparebit. Accessio autem ad hunc mediatorem, in eo consistit, quod quis ex ipsius ore, fœderis istius conditiones, ac promissa audiat, atque amplectatur, eaque ratione ab eo fœderi ascribatur; quo pacto etiam Israëlitæ ad Mosen accesserunt, fœderis antiqui promissiones ac leges promulgantem, ac Dei nomine sancientem. Possis etiam illud adjungere, quod Christiani homines, in ipsa fœlicitatis ratione, cum ipso Christo, Novi Fœd. mediatore conjungantur, & quemadmodum ab eo primum fœlicitatis æternæ promissum acceperunt, ita eadem ex ipsius exemplo primum didicerunt, & ad se quoque pertinere deprehenderunt, tamque præstanti fœderi sunt adscribti, tum quod in fœlicitate, non cum Mose, qui fœlicitatem quam promisit non adiit, sed cum Christo, qui beatitatem, quam aliis Dei nomine pollicitus est, ipse primus fuit adeptus, conjungitur. Hæc illustrari possunt amplius, oppositione Vet. & Novi Fœderis.

Concludi etiam ex hoc loco potest, Christum non esse Deum illum summum, cum ejus sit mediator, & ad homines internuncius, nec suo, sed alieno nomine fœdus pepigerit, cui rei illustrandæ servit imprimis locus 1 Tim. 2. 5. Refutari etiam potest hoc loco, error eorum, qui Christum mediatorem ideo dictum putant, quòd Deum nobis placavit, qua de re vide Socinum dicto supra loco.

Deduci etiam hinc potest illud, cum Novum nunc fœdus sit inter nos & Deum constitutum, vetus eo ipso fuisse abrogatum, ut docet nic idem auctor sup. cap. 8. ℣. ult. adeoque instituta Vet. Fœd. non amplius nos obligare, nisi eatenus quatenus approbantur, ac denuo veluti sanciuntur in Novo. Sanciuntur autem ea demum, quæ ad mores pertinent, & ex natura rei, ad pietatem spectant, cætera omnia pro antiquatis habenda sunt. Eodem modo, nec comminationes legales nos obligant, quæ cum N. Fœd. ejusque summa æquitate ac benignitate, non possunt consistere.

Tandem divinus auctor subjicit rem cum persona, quam ultimo loco commemorat, adeo conjunctam, ut ad illius declarationem tantum pertinere videatur, dum addit: *Et* scilicet accessistis, *ad sanguinem aspersionis meliora loquentem quam Abel.* Ex quo loco (ut intransitu hoc indicemus) patet, posse eleganter res personis adjungi, & res quidem, personis conjunctissimas, ac per quas illæ quidpiam operentur, quemadmodum est hic sanguis conjunctus Christo. Quare mirum non est, spiritum sanctum licet persona non sit, Deo ac Christo conjungi, cum sit virtus ipsius, per quam ea operatur quæ ad salutem nostram spectant. Per sanguinem autem hunc, significari Christi sanguinem, nemo est qui dubitet. Vocatur autem *sanguis aspersionis*, quia per ipsum fiat aspersio, seu, eo conspergantur quodammodo homines, ad Christum mediatorem N. Fœd. accedentes, eaque ratione N. Fœd. adscribantur, quod quo pacto fiat, paulo post, quantum opus erit, declarabimus.

Dicitur ergo *sanguis aspersionis*, per Hebraismum. Quasi dicat: Sanguinem aspergentem, vel quo quis conspergitur. Alluditur autem in his verbis, ad sanguinem illum fœderis antiqui, quo Moses conspersit populum Israëliticum, ad radicem montis Sinai stantem, eumque hac ratione fœderi isti, quod tunc pangebat adscribsit, & ostendit, tum demum ratum habiturum id, quod eis promisisset, ipsos verò vicissim obstrictos fore, conditionibus fœderis illius servandis. Qua de re, vide Exod. 24. 8. & apud hunc ipsum autorem sup. cap. 9. 18. & seq. ubi prolixe totam hanc ceremoniam explicat divinus scriptor. Ad eandem aspersionem, allusisse videtur Petrus 1 epist. 1. 2. ubi ait nos electos, ad obedientiam & ad aspersionem sanguinis Jesu Christi, quamquam fieri potest, ut ad alias aspersiones legales, seu ad sanguinem quarundam victimarum, quo peccatores ac contaminati sub lege, aspergebantur, & expiabantur, alluserit. Aspersio autem hæc sanguinis Christi, tum reipsa fit, cum homines ex fusione sanguinis Christi, seu morte ipsius cruenta, & illorum quæ eam sunt consequuta, veritatem promissorum N. Fœd. perspiciunt, eaque ratione ad fœdus illud amplectendum & conditiones ejus servandas, adducuntur, quod quo pacto fiat, est a nobis explicatum initio Antigrot. Quanquam in loco Petri, si ad aspersionem hanc allusisse censendus est, per aspersionem illam sanguinis Christi, non tam id fuerit intelligendum, quod ad hominum officium pertinet, quam quod ad illorum fœlicitatem ex N. Fœd. pactione pendentem, hoc est jus remissionis peccatorum, quod ii adipiscuntur, qui fœdus hoc cum Deo ineunt, atque adeò ipsa peccatorum remissio, quam consequuntur ii, qui Deo ex præscribto illius fœderis obediunt. Duo enim videtur exprimere velle Apostolus, quorum alterum ad nostrum spectet officium, alterum ad fœlicitatem in N. Fœd. promissam, illud obedientiæ nomine complectitur, hoc aspersionis sanguinis Christi. Verum divinus autor, hoc non contentus, addit quidpiam ad commendationem hujus sanguinis, mirum in modum pertinens, ut ita ostendat, quanta sit eorum fœlicitas, qui ad hunc sanguinem accedunt, & eo veluti conspergunturt, dum ait:

Meliora loquentem præ Abel. Ubi videmus auctorem hunc, ab una allusione ac similitudine transiisse ad aliam, sed ita, ut priorem non prorsus deseruerit. Nam cum vellet dicere sanguinem hunc Christi, quo conspergamur, & quo N. Fœdus fuerit à Deo sancitum, de longe melioribus Dei promissis, nos certos reddere, quam sanguis ille, quo Moses conspersit olim populum Israëliticum, & antiquum fœdus sanxit, ait eum meliora loqui, quam Abel, tacitè interim id adimens sanguini illi V. Test. quod meliora loquatur, quam Abel. Quid autem illud sit, quod Abel, hoc est ipsius sanguis ut Gen. 4, legimus, olim fuit loquutus, ex ipsa historia satis patet. Clamavit enim ad Deum, ut vindicare vellet in Cainum, fratricidam, tam grande scelus. Hoc est, effusio illa sanguinis Abelis Deum ad vindictam de Caino fratricida sumendam exstimulabat & provocabat, non secus acsi sanguis ipse effusus, è terra ad Deum clamaret, & Cainum accusando, ultionem postularet. Hoc sanguine vix quidquam melius & hominibus utilius jucundiusque clamavit sanguis ille Vet. Fœd. quandoquidem idem sanguis Israëlitas omnes perpetuo ad legi parendum obstringebat, atque adeò ob quamvis ejus, transgressionem, pœnæ atque exsecrationi subjiciebat, adeò ut cum nemo legem servarit, sanguis ille vindictam videatur clamasse, atque adeò adversus omnes postulasse. At verò sanguis Christi, quo benignissimæ Dei promissiones in Novo Fœd. comprehensæ, & sub æquissimis conditionibus nobis oblatæ, fuerunt sancitæ atque confirmatæ, atque imprimis remissio peccatorum omnium, etiam gravissimorum, quemadmodum paulo ante diximus, censendus est ad Deum perpetuo clamare, ut promissorum suorum memor, quorum confirmandorum causa eum fundi ipsemet voluit, nobis qui in Christum credimus, atque à Deo etiam ipsis Christi parricidis, peccata condonare velit. Etenim obligant Deum, tum ipsæ promissiones, tum ea, quæ illarum confirmandarum ac sanciendarum causa fieri voluit, inter quæ præcipuum est mors Christi cruenta, qua propter hæc Deum quodammodo obligat ad promissiones illas præstandas.

Qua

Qua de re videatur Antigrot. cap. 1. Meliora ergo, hoc eſt nobis jucundiora, ſuaviora atque utiliora loquitur ſanguis Chriſti, quam Abel, illiuſve ſanguis. Ex quo tamen non eſt colligendum, quaſi etiam ſanguis Abelis, aliquid boni, hoc eſt, jucundi, atque commodi fuerit loquutus nempe aliis, ſeu Caino (vindicta enim in hoc genere non eſt) ſed potius ut in hujuſmodi comparationibus, non ſemel fieri ſolet, contrarium de Abelis ſanguine eſt ſtatuendum; quomodo loquitur etiam Petrus 1 epiſt. cap. 3. 17: *Melius eſt, ut benefacientes patiamur, quam malè facientes.* Atqui iſtud haudquaquam bonum eſt, ob male facta pati, ipſi præſertim patienti; maximè, ſi ut hic intelligitur, ejus correctio non ſpectetur, & extremum fortè de eo ſumatur ſupplicium. Hinc inſignis iterum patet Chriſtianorum hominum fœlicitas, pro quibus ſanguis Chriſti ad Deum clamat, atque ut ita dicam intercedit, atque à ſuppliciis divinis liberat. Et licet Deus, decreto ſuo ſatis impellatur ad id quod decrevit, nobis præſtandum, ipſius tamen promiſſiones, ac Chriſti ſanguis, qui id quod Deus decrevit, nobis aperte ante oculos ponit, ſecuros nos reddit, à divinorum ſuppliciorum metu.

Ex hoc etiam loco colligi poteſt, concedi aliqua ratione poſſe, Deum ad remiſſionem peccatorum actu ipſo nobis dandam, à morte Chriſti cruenta moveri; Qua de re videantur ea, quæ ſcripſimus in Antigr. c. 1. 8 & 10. Sed deinde, etiam illud hic notari poteſt, Nemini prodeſſe, hunc ſanguinis Chriſti clamorem, niſi ei qui illo fuerit conſperſus, quod qua ratione fiat, paulo ante indicavimus.

Denique hinc diſci poteſt, proſopopœian non eſſe in Sac. Lit. infrequentem, qua rebus, quæ perſonæ non ſunt, perſonarum tamen tribuuntur propria. Siquidem hoc loco, ſermo, ſeu loquutio, tum ſanguini Chriſti tribuitur, tum Abelis, nempe poſt mortem. Qua de re, vide etiam Hebr. XI. 4. Sic, quamquam paulo alia ratione, tribuitur ſermo Sacræ Scripturæ, legi, aliiſque rebus, clamor etiam tribuitur, ei ſimilis, qui ſanguini Abelis, animabus eorum, qui fuerunt occiſi, propter Dei ſermonem Apoc. 6. 10 qui locus ex hoc noſtro intelligi poteſt. Non mirum ergo, ſi ſpiritui etiam ſancto, per proſopopœiam interdum tribuitur, quod loquatur.

Hactenus vidimus primam rationem, qua divinus auctor, eos ad quos ſcribit, ad conſtantiam in Chriſtiana religione, voluit compellere. Sequitur nunc, ut ipſam adhortationem, vel potius dehortationem, qua monet, ne Chriſtianam religionem repudiare audeant, videamus. Ea verò continetur illis verbis: *Videte ne recuſetis illum qui loquitur.* Videte inquit, hoc eſt cavete, quo verbo ideo utitur, ne fortè rem hanc parvi pendant, & pro levi delicto habeant recuſationem ejuſmodi; hoc eſt religionis Chriſtianæ deſertionem. Per loquentem autem, quis hoc loco ſit intelligendus, dubitari poteſt, quanquam apud nos res dubia eſſe nequit; ſed quia in proximè præcedentibus mentio facta eſt loquentis Chriſti ſanguinis, ideo plerique interpretes aliarum eccleſiarum intelligunt Chriſtum, non animadvertentes, ſanguini loquutionem, vel ſermonem illum fuiſſe tributum, idque per proſopopœian: hic verò ſermonem eſſe de eo, qui vel per ſe, vel per alium oracula propriè fundat, non vero per proſopopœian aliquam loqui dicatur, quemadmodum ſequentia ſatis oſtendunt; ex quibus intelligitur, Deum hic intelligi, qui è cœlis nobiſcum loquatur & qui olim cum lex ferretur, terram commovit, nunc verò promiſit, ſe non tantum terram, ſed etiam cœlum commoturum, quem nullum eſſe præter Deum, ſatis conſtat. Chriſtum verò non debere intelligi, ex eo ſatis conſtat, quòd is nec olim in lege ferenda, terram commoverit, neque ejus opera, ad eam rem intervenerit, ut tum ex reipſa ſatis intelligitur, tam imprimis, ex epiſtolæ Hebr. cap. 2. ubi euangelium eatenus legi præfertur, quod hæc per angelos, illud per Chriſtum, qui Dominus nunc & caput angelorum eſt, fuerit traditum; quo pertinent etiam alia loca, in quibus aſſeritur Deum per angelos, miniſterio Moſis interveniente, legem tuliſſe. Adde, quod hoc loco Chriſtus, non obſcure confertur cum Moſe. Vet. Fœd. mediatore, & populum conſpergente, non verò cum angelo, Dei perſonam ſuſtinente, & populum alloquente, qui idem terram tum temporis commovit, cum in montem deſcenderet; quod quia Dei potentia ac juſſu fecit, ideo Deo hæc actio jure attribuitur; interea tamen non negamus, tacite Chriſtum nomine loquentis, eſſe comprehendendum, utpote per quem ſeu in quo, ut divinus hic autor loquitur, Deus nobis ultimis his temporibus eſt loquutus, ac cujus vox, ipſius Dei vox fuit. Deus enim non fuit ipſe cum hominibus loquutus, iiſque voluntatem ſuam in euangelio comprehenſam revelavit; ſed filium ſuum, qui omnia nobis enarravit, audiri juſſit, quem qui audivit, audivit illum, qui ipſum miſit. *Recuſare* autem *loquentem*, eſt nolle amplius attendere ſermoni, nempe euangelico, ab eoque aures, animumque avertere, quod quidem duplici ratione fit; vel cum quis nunquam audivit vel audire voluit; vel cum quis amplius audire deſinit, ſeu amplius audire non vult, quod poſterius hic locum habet. Hebræi nimirum hi hactenus quidem attenderant divino ſermoni, nempe euangelico, ſed verendum erat, ne in poſterum audire abnuerent. Videtur autem autor divinus alludere ad recuſationem Iſraëlitarum, qui cum adeò terribili voce Deus, ejuſque angelus, eos è monte alloqueretur, omniaque illis metum incuterent, rogarunt Moſen, ne ipſoſmet Deus alloqueretur amplius, ſed ut Moſes, verba Dei accepta, poſtmodum ad ie referret, quod expreſſit ſuprà divinus autor ỷſ. 19, ubi ait eos qui audierant vocem illam verborum recuſaſſe (eſt nimirum hic verbum παραιτήσασθαι, quo etiam hoc loco, utitur divinus ſcribtor) ne amplius ſibi fieret ſermo, hoc eſt, ne Deus ſeſe alloqui pergeret, quamquam recuſationis illius alia fuit ratio, quam hujus, & illam quidem approbavit Deus, cum nec quidquam haberet in ſeſe abſurdi, & tota ex terrore proficiſceretur. Ab hac verò, graviter dehortatur divinus autor, cum abſurdi plena ſit, nec ex terrore, cum vox illa divina, ſit omnium ſuaviſſima, proficiſcatur, ſed ex malitia, ac divinæ gratiæ contemtu; quanquam præterea fieri poteſt, ut divinus autor, non tantum reſpexerit, ad iſtam recuſationi quam diximus, ſed etiam ad eam, quæ poſtea fuit conſequuta; quamquam in illa prima quodammodo adumbrabatur, & veluti præludio quodam ſubſequutura ſignificabatur; nempe, quod eam Dei vocem audire, hoc eſt, ei obtemperare recuſarint, quam ob cauſam, divinam incurrerunt pœnam. Sed in hoc negotio noſtro, non tantum ſcelus eſt, obtemperare nolle, ſed etiam, nolle amplius aures arrigere, ad tam ſuavem Dei vocem, quod fit, cum quis euangelium ſpernit, & jam alio cogitat.

Quænam hinc petendæ doctrinæ, unicuique ſatis patet. Excurri hic poteſt, ad auditionem verbi divini commendandam, & oſtendi, quantopere peccetur ab iis, qui vel penitus avertunt ab eo aures, vel ut hic divinus autor loquitur ſupra cap. 5. 11, ſegnes fiunt auribus, aut ut propheta, auribus graviter audiunt, & quibus manna hæc cæleſtis, eſt faſtidio. Urgendum etiam eſt verbum illud, *Vedete* quod quam vim habeat, ſupra dictum eſt. Plerique enim, parvi æſtimant, contemtum verbi divini, & hoc ægrotantis ſtomachi faſtidium eſt. Ita propoſita dehortatione, ſubjunguntur duæ rationes, quibus ea fulciatur. Prima eſt ducta ab effectu perniciosiſſimo, ſeu pœna graviſſima, quæ ſit conſequutura eos, qui ſecus fecerint, quam hactenus docuit, divinus autor. Primo ergo, id quod minus eſt, hoc eſt, exemplum populi Iſraëlitici, ob violatam ac contemtam legem puniti ponitur; tum ſubjungitur, [Si quis velit paulò accuratius de his verbis agere, poterit iſta tria ordine conſideranda proponere. 1. Quiſnam intelligatur, per eum qui in terris oracula edidit. 2. Quidnam ſit eundem recuſare, & denique quid ſit non effugere.] id quod majus eſt, hoc eſt comminatio pœnæ, nobis metuendæ, ſi euan-

euangelium repudiaverimus, aut violaverimus. Illud fit, in iſtis verbis. Si nimirum illi non effugerunt, qui recuſarunt eum, qui oracula in terra edebat; quorum verborum idem eſt ſenſus, qui illorum cap. 2, ejuſdem epiſtolæ ỳſ. 2. ubi ait divinus autor: Si enim ſermo ille per angelos pronunciatus factus eſt firmus, & omnis tranſgreſſio atque inobedientia accepit juſtam mercedis retributionem &c. Et illorum cap. 10. 28. Qui repudiaverit legem Moſis, ſine miſericordia in duobus aut tribus teſtibus, moritur. Quamquam eſt nonnulla inter hæc & illa verba, diſcrepantia. Hæc enim de Apoſtaſia à lege leguntur, illa de quavis tranſgreſſione legis, elato brachio facta. Hoc, capitis 12 loco, nil prohibet, quominus utrumque ſignificetur, quamquam alias ſcopus poſtulare videtur, ut de priore, verba hæc, accipiamus. Videtur enim Apoſtaſian à lege, conferre cum apoſtaſia ab euangelio. Præterea, is magis proprie dicetur recuſare loquentem & oracula edentem, qui ne audire quidem vult, amplius, ejuſque ſermonem penitus repudiat, quam qui tantum aliquid contra ejus mandata, licèt fortè grave flagitium admittit. Utitur autem hic divinus autor, eodem verbo παραιτήσασθαι, in deſcribendo hoc peccato, quo ante fuerat uſus, cum hiſtoriam latæ legis exponeret, & dicere vellet, populum noluiſſe, ut Deus ſeſe amplius alloqueretur verſ. 19. quemadmodum jam antea innuimus, non quod illud ipſum factum Iſraëlitarum fuerit hac pœna, quam ob recuſationem, vel repudiationem illam, populo inflictam fuiſſe, hic indicat, dignum, ſed quod huic repuditationi fuerit ſimile, & ejus veluti quoddam præludium, atque imago, licet non eadem ſit meriti ut ita dicam, in utroque facto, ratio, quemadmodum ſuperius expoſuimus.

Sed hoc loco, illud imprimis conſiderandum eſt, quis intelligatur per *eum, qui ſuper terra, oracula edidit.* Interpretes quidam intelligunt Moſen, ſed male, partim quia vox χρηματίζεσθαι ſeu oracula edere, non ſoleat uſurpari de prophetis; ſed vel de Deo, vel de angelis, Dei nomine loquentibus Matth. 2. verſ. 12. Rom. 10. verſ. 4. Deinde, quod ſatis manifeſte hic reſpiciatur ad angelum, qui è monte, populum alloquebatur, ſeu mavis ipſum Deum cujus perſonam ſuſtinebat, quem audire amplius noluerant Iſraëlitæ, non verò ad Moſen, quem illi non repudiarant, imò potius rogabant, ut ipſe Deum adiret, & poſtea mandata ipſius ad ſe deferret. Denique eſt plane veriſimile, eum hoc loco appellari χρηματίζοντα ἐπὶ τῆς γῆς, cujus vox tum temporis terram concuſſit ỳſ. 26. Hic verò Deus ipſe fuit, vel angelus, Dei perſonam geſtans, cujus actiones, Deo, cujus nomine ac voluntate omnia faciebat, adſcribuntur. Neque eſt, quòd quiſquam dicat, autorem hunc, omnino duas diverſas perſonas deſcribere, quarum altera, olim ſuper terra, vel in terra, oracula ediderit: altera nunc è cœlo. Non enim duas diverſas perſonas, ſed ejuſdem potius perſonæ, diverſam agendi, & oracula edendi rationem modumque deſcribit. Quaſi dicat ſi illi non effugerunt, nempe pœnam ac ſupplicium, qui repudiarunt Deum ſuper terra oracula edentem, atque adeo humilia & terrena quodammodo loquentem, quanto magis graviuſque nos puniemur, qui Deum non ſuper terra, ſed ex ipſis cœlis nobis loquentem, ac cœleſtia nobis oracula fundentem, fuerimus averſati; quo pacto etiam poſſis dicere; Si eorum Apoſtolorum magna eſt dignitas, quos Chriſtus in terris adhuc mortalis verſans, elegit, quanto major ejus quem jam immortalis ex ipſo cœlo, ad hoc munus vocavit.

Cum ergo jam ſit conſtitutum, quiſnam ſit intelligendus per eum, qui oracula ſuper terra ediderit, nunc porrò videndum eſt, cur dicatur oracula ſuper terra edidiſſe. Si verborum proprietatem reſpicias, nil aliud videtur ſignificari, quam locus actionis, verum non eſt dubium, quin aliquid amplius voluerit ſignificare divinus autor, quod oſtenderet, legem euangelio, quod è cœlis ipſis fuerit proditum longiſſimè cedere, & præſtantia ſuperari. Quia tamen haud videtur negari poſſe, ad locum etiam, in quo fuerint edita hæc oracula, reſpici, cum id verba aperte præ ſe ferant, utrumque his verbis comprehendi, concludere licet; nempe, tum locum, in quo lex fuerit edita à Deo, tum ejuſdem ſi cum euangelii cœleſtis ſublimitate conferatur, humilitas, terrenum quid ſapiens ac ſpirans, ita ut illud quidem primo & aperte verbis autoris ſignificetur, hoc verò tacite, tamquam prioris conſequens quoddam. Etenim eam ob cauſam in terris, Deus legem illam videtur tuliſſe, quia ipſa quoque terrena erat, atque ad cœleſtia haud pertingebat. Euangelium verò e cœlo, quia ipſum quoque totum cœleſte, ac ſublime eſt.

Sed dicet aliquis; Ipſum quoque euangelium, in terra promulgatum eſt, non verò ex ipſis cœlis, à Deo pronunciatum: adeo ut hac in parte, nulla poſſit conſtitui inter legem & euangelium differentia, imò cum angelus Dei nomine loquens, montis faſtigium, tamquam locum quendam altiorem, cœloque propiorem, de induſtria occupaverit, è quo legem pronunciaret, cujuſmodi nil factum eſt à Chriſto, videtur lex potius è cœlo pronunciata, euangelium in terris.

Reſpondemus Angelum illum, qui legem è monte Sinai promulgavit, non ſecus fuiſſe loquutum, ac ſi ipſemet Deus ſummus eſſet, qui pro ſua auctoritate legem illam ferret, & eo quoque pacto, de angelo illo loquitur Moſes, nec eum tanquam legatum, diſtinguit à legante; ſed ipſius legantis nomen ei tribuit, cujus etiam majeſtatem, tum verbis tum factis referebat. Itaque videbatur Deus ipſe de cœlis in terram ſeſe demiſiſſe. Qua re ſignificabatur; Deum, non cœleſtia tum temporis cum hominibus loqui, ſed terrena, & quodammodo humana. At euangelium promulgaturus aliter egit, aut agi voluit Deus. Etenim ipſe, ita promulgavit doctrinam hanc, ut conſtaret ipſum non in terras deſcendiſſe, ſed in cœlis reſidentem, miſiſſe legatum, qui ipſius nomine, doctrinam hanc promulgaret, qui quidem ita egit, loquutuſque eſt, ut ſeſe manifeſte à Deo, qui ſe miſiſſet, atque è cœlis ablegaſſet, verbis factiſque diſtingueret, & externa ipſius ſpecies, ipſaque natura, apertiſſimè id etiam docebat, nec ea circum illum refulgebat majeſtas oculis expoſita, ut olim circa angelum, quæ efficere poſſet, ut crederetur, eſſe ipſemet Deus ſummus, licet alias operibus diviniſſimis, ſatis oſtenderet, ſe non vulgarem, ſed eximium eſſe Dei legatum, atque ut Paulus ait, in forma Dei eſſet. Itaque, Deus è cœlis, non modo reipſa promulgavit, ſed etiam promulgaſſe viſus eſt euangelium, ut oſtenderet, ſe non ad terras, ſeſe nunc demittere, & humana terrenaque loqui, ſed cœleſtia, & ſublimi ſua majeſtate digna.

Reſtat ut conſideremus, quid ſit, quod dicit autor, Eos qui recuſaverint oracula ſuper terram edentem, *non effugiſſe*, id verò non eſt obſcurum nihil enim vult aliud, quam eos pœnam, non effugiſſe; ſed ſupplicium illis fuiſſe à Deo inflictum, quemadmodum jam ſupra monuimus, cum attulimus loca ſimilia ex cap. 2. & 10, hujus epiſtolæ. Ideo autem dicit eos non effugiſſe, pro eo quod dicere poterat, eos ſupplicium luiſſe, quia credi poterat, eos fuiſſe evaſuros, vel quoſdam etiam evaſiſſe pœnam. Ex his jam ſatis patet, quomodo intelligenda ſint, verba illa, in quibus eſt argumentationis hujus concluſio, ſeu comminatio pœnæ illis propoſitæ, qui Chriſti euangelium deſerunt, quæ quidem ſunt illa: *Multo magis nos* ſcilicet non effugiemus, qui illum, qui è cœlis ſcilicet oracula edit averſemur. Potuiſſet etiam illa loqui, & quidem ex conſuetudine ſermonis Latini clarius, multo minus nos ſcilicet effugiemus, ita ut non ſit opus repetere particulam negativam ἀπὸ κοινοῦ, una cum verbo effugiendi. Poteſt enim eadem argumentatio etiam cenſeri eſſe, à majori ad minus, hoc eſt, ab eo quod magis eſt probabile, ad id quod minus eſt credibile. Credibilius enim eſt, eos evitare pœnam, qui recuſant audire illum, qui in terris, terrenaque loquitur, quam illum qui è cœlis ac cœleſtia. *Averſari*, hoc loco, reſpondet verbo ſuperiori recuſare, & nihil aliud videtur ſignificare, quam ſeſe ab aliquo avertere, vel aures ab aliquo

aliquo avertere. Non multo alia ratione uſurpat hoc verbum 2 Tim. 1. 15, ubi ait: *Omnes qui in Aſia, me ſunt averſati*, quod non videtur intelligendum, quaſi odio illum fuerint perſequuti, ſed potius, quod cum ante viſi eſſent ipſi favere, aut etiam reipſa faviſſent, ipſum deſeruerint, quippe quod eos puderet Pauli, propter vincula: unde doctiores interpretes non reddunt verbum iſtud averſari, ſed avertere ſe, nempe à Paulo. Quod ſi quis tamen malit hoc loco, vocem ἀποστρεφόμενοι reddere per averſari, hoc eſt, abhorrere ab aliquo, id ei per nos licet.

Quænam hinc ſint eruendæ doctrinæ, vix opus eſt dicere. Patent enim per ſe: differendum enim hic eſt de ſumma ac plane cœleſti euangelii præſtantia, præ lege, cœleſti inquam. Quia quantum cœlum abeſt à terra, tantum videtur euangelium à lege, ſi hiſtoricum ac literalem ejus ſenſum reſpicias, differre; maxime quia illud cœleſtem promittit fœlicitatem, hæc terreſtrem; unde etiam illud præcepta præſcribit cœleſti fœlicitati conſentanea, & quatenus per rei naturam fieri poteſt, analoga. Hæc etiam terrena quodammodo & humana, atque ad civilem quandam ſocietatem accommodata. Inde exaggeranda eſt eorum improbitas, qui euangelium Chriſti deſerunt, ac denique, quæ quantæque pœnæ maneant hujuſmodi deſertores. Quot autem ſint earum genera, alias notum eſt, & hoc loco explicare, prolixum foret.

Hactenus primam rationem vidimus, qua dehortationem ſuam firmavit divinus autor. Sequitur altera, priori quodammodo affinis, in qua tacitæ cuidam objectioni occurrens, majorem euangelio, quam lex olim habuerit auctoritatem conciliat, & eo pacto, maximum ſupplicii metum incutit iis, qui euangelio deſerto, ad legem tranſierint, ſimul tamen rationem iſtam explicans, ſeu verba prophetica, quibus ea continetur, aliquo modo declarans, viam ſibi ſternit ad rationem adhortationis ſubſequuturæ, à præſtantia fœlicitatis nobis oblatæ petitam. Quare hæc tria nobis hic ordine erunt conſideranda 1. Quæ ſit objectio illa, cui occurrat Divinus autor, ſeu quidnam ſit illud, quod legi magnam potuerit conciliare autoritatem, & eos qui illam deſerere vellent, terrere, aut ſi forte jam deſeruiſſent, ad eandem revocare. 2. Quid huic objectioni reſpondeat, atque ex adverſo opponat; ſeu quidnam ſit illud, quod majorem adhuc euangelio auctoritatem conciliare poſſit, aut debeat, majoremque terrorem incutere illius, quam legis deſertoribus. Tertio denique. Quomodo reſponſionem hanc ſuam, propheticis verbis conceptam declarans & longius deducens, ſequentibus viam ſternat; ſeu ad fœlicitatis in euangelio nobis propoſitæ excellentiam demonſtrandam, gradum ſibi muniat. Primum eſt ibi *cujus vox terram commovit tunc* hoc eſt, cum legem ferret, & ſuper terra oracula ederet; qua de re ſcriptum eſt nonnihil Exod. 19, ubi dicitur totum montem Sinai vehementer contremuiſſe, vel ut Hebraicum verbum ſonat, expaviſſe, eo tamen ſenſu, quo dictum eſt. Quia enim ii homines qui expaveſcunt, contremiſcere ſolent, ideo mons cum tremuit, viſus fuit expaveſcere. Hoc autem ideo Dei voluntate ac virtute factum eſt, ut ipſe quoque populus, ad montis illius radices ſtans, & tremorem illum, non tantum oculis videns, verum etiam in terra cui inſiſtebat ſentiens (fieri nimirum non poteſt, quin monte tremente terra quoque contigua tremeret) contremiſceret atque expaveſceret ad vocem Dei loquentis, eamque magna cum veneratione exciperet, crederetque graviſſima ſe incurſurum ſupplicia, ſi vocem hanc Dei ullo pacto aſpernaretur, Deumque id haudquaquam impune laturum eſſe. Hoc ergo Judæos facile retinere poterat, ne legis diſciplinam deſererent, ad euangeliumque tranſirent; quin etiam Hebræos iſtos, qui id jam fecerant, ab euangelio ad legem revocare. Quapropter huic nodo, fortiorem adhuc cuneum reperit divinus autor, & terrorem opponit terrori, majorem minori, majoremque Dei virtutem ſub euangelio exertum iri docet, quam olim exeruerit in lege ferenda, adeò ut longe magis nunc ſit metuenda euangelii deſertoribus pœna, quam olim legis deſertoribus. Id verò in iis verbis:

Nunc verò promiſit dicens. Adhuc ſemel ego concutio, non tantum terram, ſed etiam cœlum; quæ verba exſtant Agg. 2. 7, 22; quamquam poſteriori loco non habentur verba illa *adhuc ſemel*, & in priori addita ſunt poſt illud *adhuc ſemel* hæ voculæ *puſillum ipſum*. Ita enim habetur ibi. *Sic dixit Dominus exercituum. Adhuc unum* (id eſt ſemel) *puſillum ipſum*; id eſt non multum ad id reſtat temporis, & ego tremere facio cœlos & terram, & mare & aridam. Sequutus eſt autor hic divinus Græcam Vet. Teſt. interpretationem, tum temporis paſſim inter Judæos receptam. Ea vero, non exprimit verba illa puſillum ipſum; ſed tantum ſimpliciter, ut hic habemus, habet ἔτι ἅπαξ, quanquam non deſunt viri Hebraicæ linguæ periti, qui verba illa ita interpretantur, ac ſi dictum eſſet: Adhuc unum exiguum; id eſt adhuc parum temporis reſtat, cum ego commovebo &c. Sed quia etiam illam interpretationem Hebraica verba permittunt, quam Græci interpretes olim fuerunt ſequuti, ideo divinus hic autor, ne videretur verba Sacroſancta depravare, ſi aliter ea citaſſet, quam vulgo ex Græca tranſlatione citabantur, ac præterea verſio hujuſmodi, aliquid in ſe egregium continebat, quod ipſe poſtmodum hinc eruit, ideò hanc potius, quam aliam quampiam interpretationem ſequi maluit. Et licet ipſum non fugeret, adhuc aliquid in Hebræo exſtare, quod in hac Græca tranſlatione non continetur, nempe verba iſta *Puſillum ipſum*, tamen partim, quia id ad propoſitum ipſius non pertinebat, partim verò propter cauſam jam dictam, ne videretur ſcilicet Sacræ Scripturæ dicta depravare, ſi quid Græcorum verſioni adderet, ea omiſit. Quod verba illa prophetæ, concutio, ſeu tremere facio cœlum & terram ita proponit, additis comparationis imparium notis, ac ſi dixiſſet, non ſolum terram ſed etiam cœlum, in eo unicuique conſtare poterat, nil prorſus addi ſenſui prophetico. Res enim eadem in verbis prophetæ, & vulgari Græca interpretatione continetur. Maluit tamen ita loqui, quemadmodum loquutus eſt, ut tanto elegantior eſſet oppoſitio, vel ſi mavis comparatio, inter id quod olim fecit Deus, cum legem ferret, & inter id, quod nunc ſe facturum pollicitus eſt: Cum enim dixiſſet, Dei vocem olim commoviſſe terram, recte ſubjicit., eundem Deum, nunc, non tantum terram ut olim fecerat commoturum, ſed etiam quod olim non fecerat, cœlum. Antequam vero de ſenſu horum verborum ex propheta citatorum aliquid dicamus plenius, non eſt negligenda particula *nunc* in verbis illis. *Nunc autem promiſit*, quæ opponuntur voci *tunc* in ſuperioribus poſitæ. Significat autem vocula hæc nunc, tempus euangelii ſeu novi fœderis, late hoc nomine extenſo, ita ut complectatur omne id tempus, quod ab initio hujus fœderis, ad ejus uſque finem, hoc eſt, uſque ad reſurrectionis noſtræ tempus extenditur; quo pacto ſumitur hæc vocula, inter alia, 1 Cor. 13, ỷſ. ultimo; imo etiam duobus precedentibus, quanquam in illis eſt particula ἄρτι, quæ eandem ibi vim continet. Non eſt intelligendum tempus, quo Deus, hæc promiſſionis verba protulerit, licet id verba prima fronte præ ſe ferant; ſed tempus ad quod verba promiſſionis reſpiciant, ſeu tempus quo res promiſſa ſit exhibenda, quaſi dixiſſet, hoc verò tempore commoturum ſe promiſit Deus, non tantum terram, ſed etiam cœlum, ut ita rem, quæ ſub euangelio fieri debeat, opponat ei, quæ ſub lege, vel in ejus promulgatione fuerat facta. Nam alioqui promiſſio hæc facta fuit ſub lege, aliquot ante euangelium promulgatum ſeculis: & parum ſanè retuliſſet, ſi id tantum voluiſſet dicere divinus autor, ſub euangelio, hoc Deum promiſiſſe, niſi etiam ſub euangelio,

gelio, id præſtandum dixiſſet. Neque enim hoc pacto oſtendiſſet, quod tamen eum voluiſſe oſtendere, nemo non videt, majorem hac in parte euangelii, ſeu Novi Fœd. quam legis eſſe præſtantiam, quod ibi Deus, terram tantum commoverit, hoc verò tempore promiſerit, etiam cœlum ſe commoturum. Majus enim eſt reipſa commovere terram, quam promittere tantum, ſe commoturem non ſolum terram ſed etiam cœlum. Nec enim promiſſio hujuſmodi potentiæ eſt, quemadmodum illud factum. Atque haud ſcio, an D. autor, voluerit hac particula nobis quodammodo exprimere vim vocularum, quas à Græcis interpretibus omiſſas diximus; nempe *puſillum ipſum.* Id enim jure potuit D. autor dicere, Deum, id nunc ſeſe facturum, eſſe pollicitum, quia dixerit parum adhuc temporis reſtare. Nam etſi ſatis longum videatur interceſſiſſe, atque adhuc interceſſurum tempus, inter promiſſionem hanc, & ejus exhibitionem, tamen ſi myſticum, ac reconditum verborum ſenſum ſpectemus, quem quidem ſpectavit D. autor, pro exiguo admodum tempore habendum eſt, quidquid ad mundi finem uſque fluit.

Atque ut jam ad ipſam verborum propheticorum explicationem accedamus, duplex eorum eſt ſenſus. Alter literalis ſeu hiſtoricus ut vocant, alter myſticus, quem hic ſpectavit autor, qui verborum proprietati longe magis eſt conſentaneus, quam ille, imo is ſolus ei conſentaneus eſt, cum alter ille, quem literalem ſolemus appellare, prorſus ſit allegoricus. Nam quod ad priorem illum ſenſum attinet, ſignificatur illis verbis, inſignis quædam rerum mutatio, & tanta omnium populorum commotio, ut cœlum ac terra videantur tremere, & ut Latini etiam ſolent loqui univerſus orbis concuti. Etenim de ejuſmodi re, loquitur propheta, quæ adventum Chriſti eum, qui jam præteriit, antecedere debuerit. Additur enim apud prophetam: *Et movebo omnes gentes* (hæc nempe eſt illa commotio cœli, terræ, maris & aridæ) *& veniet deſideratus omnibus gentibus* (hoc eſt Chriſtus) *& implebo domum iſtam* (nempe templum ſecundum poſt reditum è ſervitute Babylonica conſtructum) *gloriâ, dicit Dominus exercituum.* Quod ad poſteriorem ſenſum attinet, quem divinus autor, hoc loco ſpectavit, id ſibi volunt hæc verba, Deum aliquando reipſa concuſſurum cœlum, & aliquando etiam terram, ita ut è cœlo, etiam ſtellæ ſint caſuræ, ac denique cœlum ipſum ac terra peritura, quemadmodum in ſequentibus, in quibus verba hæc ſua explicat, indicabit. Ea de re vide Matt. 24. 29, & Luc. 21, 26.

Sed jam ipſum D. autorem verba hæc quodammodo explicantem, atque illuſtrantem audiamus. Ita autem inquit; *Iſtud verò adhuc ſemel, ſignificat eorum quæ concutiuntur tranſpoſitionem, utpote factorum, ut maneant ea, quæ non concutiuntur:* in quibus tria facit autor. 1. Vim explicat ſub voculis *adhuc ſemel* quoquodammodo latentem, atque oſtendit, cujuſmodi illa cœli ac terræ commotio ſit futura. 2. Quænam hujus rei cauſa; & denique, à contrario rem illuſtrat. Quod ad 1. attinet, ita inquit; *Iſtud verò adhuc ſemel, ſignificat eorum quæ concutiuntur tranſpoſitionem.* Ubi meritò quæri poteſt; Utrum autor divinus, verba illa tantum explicet, an verò ex iis, id quod aſſerit, concludat, ſeu utrum ſenſum hunc, ex illis ipſis vocabulis exprimat, an verò aliunde ſibi revelatum iis inferat. Illud ſuadere videtur, quod auctor dicat, *Iſtud adhuc ſemel* hoc ſignificare, Hoc verò, quod non appareat, quomodo ex iſtiuſmodi particula, id colligi queat, aut quomodo etiam in ea, id omnino ſignificatum fuerit. Nobis media ſententia inter has duas, vel potius ex utraque quodammodo conflata placet; nempe ut partim ex vi iſtarum vocularum id aſſerat autor, partim tamquam aliunde notum addat, & loco inſerat. Nam niſi aliunde conſtaret, rem ita ſe habere, ex his ſolis verbis, neceſſario colligi haud poſſet, imò vix, etiam conjectura aliqua deprehendi. Sed cum jam aliunde id conſtet, haud difficulter conjici poteſt, eo Deum in his verbis reſpexiſſe, cum dixit *adhuc ſemel.* Nam ſi poſt illam commotionem cœlum ac terra, diutius adhuc durare deberet, quæ cauſa eſſet, cur ſemel tantum Deus, ea ſe commoturum ac concuſſurum diceret, ſive ea aliquando penitus vellet tollere, ſive in æternum conſiſtere. Nam ſi tollere vellet, eo ipſo etiam vellet concutere. Si verò ea in æternum eſſent conſtitura, qui fieri poſſet, ut in æterno tempore, non contingeret illud, quod antehac contigerat; nempe ut ea concuterentur aliquando. Quare poſtquam res hæc fuit divinitus revelata, & aliunde nobis innotuit, non obſcurè ex his voculis colligi poteſt, Deum eo tempore, quo ſe adhuc ſemel, concuſſurum dicit cœlum & terram, velle illa tranſferre, hoc eſt delere, unde conſequitur, ea poſtmodum, non amplius commotum iri. Et hoc pacto, jure potuit dicere, divinus autor, *Iſtud adhuc ſemel*, ſignificare rerum iſtarum tranſpoſitionem ſeu tranſlationem. Cum verò ait, *Ea quæ concutiuntur.* Præſenti utitur pro futuro, hoc eſt pro iis, quæ concutienda ſunt, ut τῶν σαλευομένων poſitum ſit pro τῶν σαλευθησομένων, quæ enallage temporum etiam alibi occurrit, atque inter alia 1 Cor. 1. 18, & 2 Corinth. 2. 15. Quo utroque loco οἱ σωζόμενοι ponuntur, quemadmodum etiam fit Luc. 13. 23, & οἱ ἀπολλυμένοι, pro ἀπολλυμένοις, id eſt perituris, ſeu iis qui perire ob malitiam debent. Vox verò tranſpoſitionis (Græcè μετάθεσις) ſeu tranſlationis, hoc loco ſignificat amotionem, atque è medio ut ita dicam ſublationem, hoc eſt interitum & abolitionem. Quia enim ea, quæ proprie tranſponuntur ſeu tranſferuntur, deſinunt eſſe in eo loco, ubi antea fuerunt, ideo etiam ea quæ tolluntur penitus ſeu abolentur, tranſponi, ſeu tranſferri dicuntur, quia deſinant eſſe ibi, ubi antea fuerant. Non multo diſſimilis eſt Latinorum loquendi ratio, cum res aliqua dicitur tolli, vel etiam è medio tolli. Quæ enim proprie loquendo tolluntur, aut tolluntur e medio, ea non ſimpliciter eſſe deſinunt, ſed tantum deſinunt eſſe, ubi fuerunt antea. Simili ratione uſurpat hic autor, vocabulum hoc tranſponendi ſeu tranſferendi cap. 7. 12, ubi ait. Tranſlato enim ſacerdotio, ex neceſſitate etiam legis tranſlatio ſit, hoc eſt legis abrogatio & exſtinctio quædam. Nam in priori horum verborum membro, poſſis forte proprietatem verbi aliquando ſervare. Videtur autem hæc verbi ſignificatio orta eſſe, ex Hebræorum conſuetudine, ubi verbum *Hehæbir* hoc eſt fecit tranſire ſeu tranſtulit & tranſpoſuit, idem ſignificat, quod abſtulit, quando uſurpatur in iſtis locis, Fac tranſire à me opprobrium. Vel, tranſire fecit peccatum, hoc eſt abſtulit. Quo etiam modo Chriſtus rogavit, ut tranſiret, vel tranſferretur à ſe calix, vel poculum. De hac loquendi ratione, vide Antigrot. cap. 5. partic. 14. Ac ne à re, de qua hic agimus longius diſcedamus, huic ſimili ratione dicitur, cœlum & terram præterituram Luc. 21, cui loco adde Mat. 5. 18. Luc. 16. 17. Quod autem verbum hoc tranſpoſitionis, ſeu tranſlationis, non poſſit propriè accipi, ſatis unicuique liquet. Aliàs enim ſignificaret D. autor. Deum cœlum & terram, alium in locum tranſlaturum, quod vanum eſſe, nemo non videt, ac præterea Sac. Lit. ſatis apertè indicant, qualis ſit futura hæc tranſlatio, atque imprimis Petrus 2 Epiſt. cap. 3, qui oſtendit cœlum ac terram, omniaque elementa, igni conſumtum iri. Quo tamen ipſo loco, ſimili utitur verbo cum ait. Cœlos cum impetu tranſituros: & in verbis Pſal. 102, ab hoc auctore noſtro citatis ſupra cap. 1 dicitur, cœlos perituros. Adde quod hæc tranſpoſitio eorum quæ commovendæ ſunt, opponitur permanſioni eorum, quæ non commovebuntur. Unde apparet, tranſlationem iſtam pro corruptione & conſumtione earum rerum poni, quandoquidem permanſio illa, nil ſignificat aliud, quam durationem exiſtentiæ rerum iſtarum, quæ non commovebuntur. Quare tranſlatio illa

ſignificat res eas, quæ commovebuntur, non permanſuras, nec amplius duraturas. Denique ratio quam autor ſubjungit, cur res illæ aliquando concutiendæ, ſint tranſferendæ, quia nimirum ſint factæ, idem ſuadet. Neque enim inde quòd res illæ factæ ſint, intelligi ulla probabili ratione poteſt, eas in alium locum tranſferendas eſſe, ſed eas, quemadmodum aliquando factæ ſunt, ita aliquando corruptum iri, & ut aliquando non fuerunt, ita porrò, non amplius futuras eſſe. Ex quibus jam facile patet, quanto illuſtrius ſit hoc Dei factum eo, quod in lege ferenda apparuit, patet & longè magis eſſe metuendum iis, qui euangelium deſeruerint, ſive non paruerint, quam iis qui legem Moſaicam ſpreverint. Illa enim commotio exiguæ partis terræ, ſeu unius montis, terrorem quidem incutiebat, ſed pœnam non inferebat: verum è longinquo tantum oſtentabat. At hæc commotio, de qua in his prophetæ verbis loquitur Deus, pœnam ipſam contumacibus, impiiſque hominibus afferet, & omnem effugiendi locum, modumque eripiet. Quis enim interitum effugiet, univerſo hoc noſtro domicilio pereunte, niſi quem Deus ea dignabitur gratia, ut ruinæ eum ſubtrahat, & in novas ſedes, de quibus poſtea audiemus, ante tranſferat.

Hoc etiam loco refutari poteſt illorum ſententia, qui putant cœlum & terram, non conflagratura, aut peritura, ſed in meliorem potiùs ſtatum tranſlatam iri. Diſſeri autem hoc loco poteſt, de ſumma Dei potentia, quæ ut in rebus his omnibus conſtruendis ac creandis fuit conſpicua, ita etiam in illis deſtruendis; quanquam hoc per ſe minoris videtur operæ, quam prius, ſimul etiam cerni poteſt, potentia Jeſu Chriſti, per quem Deus id efficiet, ut apparet ex loco illo Heb. 1, ſupra à nobis citato.

Sequitur ut videamus alterum, in hac explicatione D. autoris comprehenſum; id verò eſt ratio, ſeu cauſa quædam, cur ea quæ aliquando ſunt concutienda, etiam debeant tranſferri, atque e medio tolli. Ea verò continetur in illis verbis, *utpote factorum*. Quæ verba, difficultate ſua non carent; unde factum, ut doctiſſimi quique interpretes, per ea quæ concutienda ſint, ac tranſferenda, intelligant inſtrumenta ſervientia ceremoniis legalibus, atque adeò ipſas ceremonias legales. Unde verba hæc *Ut pote factorum*, ita explicant, utpote effectorum manibus hominum ex caducis materiis, quaſi dixiſſet ὡς χειροποιήτων hoc eſt, utpote manufactorum, quo pacto autor hic appellat tabernaculum illud vetus ſuprà cap. 9. verſ. 11, 24. Qui id tamen interim non animadvertunt, autorem hunc, per ea quæ commoventur intellexiſſe cœlum & terram; quod licèt ipſi explicent de angelis & hominibus, tamen ut mittam explicationem iſtam conſiſtere non poſſe, idem nihilominus illis obſtat. Quo enim pacto oſtendent, non tantum homines, ſed etiam angelos, tranſlatum, hoc eſt abolitum iri, idque ideò, quia ſunt facti, ac præterea nulla eſt inter hæc & illa cohærentia. Homines & angeli commovebuntur. Ergo inſtrumenta illa ceremoniarum illarum legalium abolebuntur. Quapropter, à proprietate verborum antecedentium, nihil diſcedentes, aliam inibimus rationem, nodum hunc expediendi. Id verò fiet, ſi mediam ingreſſi viam, nec nimis latè extenderimus, verbum *factorum*, nec nimis, ut alii fecerunt, reſtringemus. Etenim, ſi nimis latè extenderis, comprehendes etiam res incorruptibiles à Deo productas; quæ tamen eorum numero, quæ abolebuntur, comprehendi nequeunt. Cur verò ita reſtringi, ut alii volunt, non debeat, cauſas jam vidimus. Eſt autem ratio iſta, quam nobis ineundam diximus, quodammodo duplex, licèt eodem ferè redeat. Prima eſt, ut illa demum facta dicantur, quorum materia aliquando rudis, formam ſubſtantialem, quam nunc habet adepta eſt, formam inquam materialem, ut vocant, ſeu à materia inſeparabilem. Eſt enim vox hæc faciendi propria artificum, qui ex rudi aliqua materia, opus efformant ac producunt, quod proinde etiam deformari, ac corrumpi denuo poteſt, ſeu priſtinam formam amittere. Quare cum Deus quoque res omnes, quas oculis cernimus, tamquam opifex quidam, ex rudi atque informi materia, quemadmodum ſcriptum eſt ſupra verſ. 32 effinxerit, ac formaverit, eæ natura ſua corruptibiles ſunt & formam priſtinam amittere, ac in primum fere ſtatum relabi queunt. At quæ incorruptibilia ſunt à Deo producta, ea non videntur producta ex materia rudi atque informi, nec producenda, ſed ex materia jam in ſeſe perfecta, & qualitatibus iis jam prædita, quæ ex ejus parte requiruntur ad ſubſtantiam, quæ ex ea componi debet conſtituendam, ita ut nihil aliud reſtet, quam ut ei detur forma quædam ſeparabilis, ac ſpiritualis, quæque adeò ipſamet, ſubſtantia quædam eſt incorruptibilis, ſed nondum completa, & ad operationem, quam Deus per eam quærit ex ſeſe ſufficiens. Ex cujus cum materia conjunctione, ſubſtantia divina admodum, & natura ſua incorruptibilis oritur, ita tamen incorruptibilis, ut ſi ſupremus rerum omnium architectus, qui eam compoſuit vellet, diſſolvere poſſet. Eſt enim hoc divinæ potentiæ, ut nihil non deſtruere poſſit, quod putuit conſtruere, & eminentiæ ſupra omnia, ut ipſe ſolus ſit neceſſario, cætera tamdiu, quamdiu ipſe voluit. Quanquam voluntatem ſuam ita obſtringere libere poteſt, ut aliqua velit eſſe perpetua, nec ſalva fide ac juſtitia, quæ in ipſo eſt naturalis, ac immutabilis, ea deſtruere queat, licet aliàs vires in ipſo ad deſtruendum ſint ſufficientes, id quod de hominibus Chriſtianis, à Deo ad vitam æternam electis ac deſtinatis dici debet, idemque de angelis bonis, rectè ſtatuitur; interim tamen ea, quæ hoc modo à Deo deſtrui poſſent, meritò dicuntur, natura ſua incorruptibilia; partim, quòd naturâ ſuâ ad interitum & corruptionem nullo modo vergant, atque inclinent, quemadmodum res ſublunares, quas etiamſi externæ cauſæ non corrumperent, tamen cum ex contrariis conſtent, & quidem inæqualiter inter ſeſe contemperatis, ipſamet paulatim ſeſe labefactant, & conſumunt, partim verò, quòd nil ſit extra ſupremum rerum omnium autorem, quod ea deſtruere queat. At omnia, quæ oculus noſter videt, ignis aliquando conſumet. Et hæc quidem prior eſt reſponſio, ſeu explicatio difficultatis ante propoſitæ. Altera, quam priori non multum diſſimilem eſſe diximus eſt, ut ea dicantur facta, quæ ex materia variabili, & ad originem ſuam ſemper vergente, producta ſunt, adeo ut invita quodammodo & reluctante earum materia, in eo ſtatu, in quem per creationem perducta ſunt, conſerventur, formamque ſuam retineant, qualia ſunt, maximè ſublunaria; ſed nec cœleſtia corpora, quæ oculis cernimus, longè ab illis abſunt. Quare non mirum eſt, ea aliquando deſtrui. Poteſt enim huc quodammodo accommodari iſtud vulgatum. Nullum violentum, diuturnum. At quamdiu res, ex hujuſmodi materia conſtantes in ſuo ſtatu conſervantur, vis quædam adhibetur materiæ; quare eæ res diuturnæ, vel ſaltem æternæ eſſe non poſſunt, ſeu, mirum non eſt, eas aliquando à Deo, qui illas produxit, deſtrui. Hoc autem ad res incorruptibiles à Deo productas, accommodari nequit, ſiquidem hæ non conſtant ex hujuſmodi materia, quæ ad priſtinum ſuum ſtatum propendeat, & totius compoſiti corruptionem quodammodo appetat.

Hoc loco diſſeri poteſt, de fragilitate rerum omnium à Deo productarum, maximè ſublunarium, quarum nos pars potiſſima ſumus, earumque rerum, quæ in noſtra ſunt poteſtate, & quibus vita noſtra nititur, ut ita diſcamus ea omnia contemnere, & relictis fluxis & caducis, æterna ac ſtabilia quæramus, ad quæ nos ſtatim hic perducit autor, dum id quod dixerat à contrario illuſtrat, dum addit. Ut maneant

maneant ea, quæ non commoventur. Particula *ut* hoc loco, non finem revera significat (quid enim ad permansionem seu perpetuam durationem eorum, quæ non commoventur facit, quod ea quæ commoventur, amoveantur ac destruantur) sed eventum, seu ut loquuntur consequentiam, quasi dicat; ita hæc destruentur, ut sola postmodum restent ea, quæ non concutiuntur. Qua ratione dicere possis, ædificium ruinosum fuisse destructum, ut fundamentum, quod solidum & firmum erat maneret, ubi non finis sed eventus, seu, quid consequutum fuerit indicatur. Manere autem hoc loco, est durare, ac porrò persistere atque adeò perpetuò ac æternum, ut res ipsa satis indicat. Cum verò dicit, ea quæ non concutiuntur, præsens, ut ante quoque factum fuerat, positum est pro futuro; quasi dicat, Non concutienda, videntur que impotentiam naturalem ad concutiendum, verba hæc significare, perinde ac si dixisset, ea qua concuti non possunt, aut non poterunt: cur autem non possint, ex iis aliquando constare potest, quæ hactenus de eorum contrariis diximus. Quia nimirum illa facta sint, hæc verò non facta, ea nempe ratione, quam explicuimus; quanquam aliqua inter ea esse, quæ nullo planè modo sint facta, nec negare ausimus, nec asseverare. Quæ nam verò illa sint in specie, quæ ab autore verbis his generatim includuntur, id non est difficile conjicere; sed quia ea de re, in sequentibus, quorum fundamentum quoddam hic ponit autor, nobis erit dicendum, ideo ad illa statim transibimus, ut jam prælibemus fœlicitatem istam, ad quam nos paulatim D. autor, adducit, & cujus dulcedine nos allicit, ad præstandum hominum Christianorum officium. Nil nempe fœlicitati nostræ oberit, mundum hunc universum destrui, & habitaculum hoc nostrum removeri, restabit nihilominus nobis locus, in quo perenni fœlicitate perfrui nobis licebit. Manebunt enim aliæ, quæ concuti non possunt sedes, ad quas nos Deus transferet. Atque hic eo planè modo, videtur agere, D. autor, quo divus Petrus, qui cum in tertio post. epist. suæ cap. satis fusè disseruisset, de horribili, totius hujus mundi interitu, ne nos ad desperationem aliquam adigeret, ita cogitantes: Quo verò nos tum temporis, vertemus, ubi nos posthac mansuri sumus, domo hac nostra penitus destructa; hanc subjicit consolationem, & alias nobis sedes commonstrat: Novos autem cœlos inquiens & terram novam secundum promissum ipsius exspectamus in quibus justitia habitat. Quare jam animo sedes istas lustremus, ad sequentia autoris verba consideranda transeuntes, in quibus, ut supra jam monuimus, partim rationes exponit, quibus ad officium nostrum faciendum adducamur, partim id ipsum, quod officii nostri sit explicat, & cum duas, ut itidem jam monuimus rationes proponat, eam quæ spe præmii nos allicit, adhortationi seu officii nostri præscriptioni præmittit. Eam verò, quæ metu pœnæ terret, postponit. Priorem, illis verbis complectitur. Quapropter regnum quod concuti non potest accipientes. Quæ verba cum sint conjuncta cum verbo *habeamus*, seu *teneamus*, possunt ipsa quoque per modum exhortationis prolata censeri, quasi dictum fuisset; Quare regnum quod concuti non potest, accipiamus (hoc est fide firma complectamur, eique veluti manum injiciamus) & teneamus gratiam: & hæc quidem prima pars est officii nostri, quæ simul tamen causam continet, cur cæteras quæ subjunguntur officii nostri partes, exequi debeamus. Sed deinde, hoc quoque modo accipi possunt, acsi dictum esset; Quapropter cum regnum quod concuti non potest, nobis oblatum sit, atque adeo nos illud recipiamus, vel si ita mavis, accepturi simus, ut præsens positum, sit pro futuro, teneamus gratiam. Si prior explicatio retineatur, quæ sanè neutiquam absurda censeri debet, animadverti hic potest. §. scripturam, etiam ad id recipiendum, quod ad nostrum bonum propriè pertinet, quodque sponte nostra, ac summo cum gaudio amplecti deberemus, hortari, propterea, quod nonnulli in eo amplectendo, sint segniores, vel quia bonum illud, tanti, quanti fieri debet, non æstimant, idque propterea, quia id non perpendunt, neque considerant, atque à labore, qui in eo adipiscendo cernitur abhorrent, vel fidem rei promissæ non habent. Quod si posterior sensus admittatur, tum vel consequens ponitur pro antecedente, aut etiam illud in sese includit; hoc est, ita accipitur, ac si dictum esset; Cum regnum hujusmodi, nobis sit à Deo oblatum, idque nos jam spe ac fide, quodammodo apprehenderimus, vel præsens pro futuro sumitur, quemadmodum paulò antè explicuimus. Per regnum autem istud, tum locus fœlicitatis nostræ futuræ, tum ipsa fœlicitas, qua ibi perfruituri simus, videtur intelligenda. Hæc, quia id nomen regni, ejusque in Sacris Literis usus requirere videtur, ac præterea, ista revera est, quam nos accipimus, vel accepturi sumus. Ille, tum quia rectius illi videtur convenire epitheton ἀσαλευτῶ, quod regno adjungitur (nam de rebus corporeis, recte videtur dici, quod vel concuti, vel non concuti queant; de statu verò & conditione rei, vel minus eleganter, vel saltem improprie, tum quia id aliquando videtur postulare oppositio quæ est inter res concutiendas & abolendas, quæ sunt cœlum, terra & ea quæ in illis continentur, & inter eas, quæ non sunt concutiendæ. Et sanè regni nomen identidem etiam locum significat, in quo quis regnat, vel saltem, eum in se complectitur, ut si dicam; In toto Poloniæ regno, hoc aut illud fieri, vel non fieri. Cur autem regni nomen, in hoc negotio usurpet cum aliis, hic D. scriptor, notum est, nempe quia tum locus, tum status ille, verè regius, hoc est sublimis admodum est, & beatitate solida circumfluit. Regnum enim, pro statu fœlicissimo in terris, habere solemus, in quo omnia sint, quæ homines expetere, ac magno labore, quærere solent, honor, voluptas, opes. Quapropter, terrena ad cœlestia transferentes, cum statum illum fœlicissimum exprimere volumus, regnum appellamus: sed in re nota, morari nil opus est. Rem ipsam potiùs intueamur, quæ non perinde nota est, imò cujus minor pars est id quidquid animo concipimus. Hanc nec oculus vidit, nec audivit auris, nec in cor hominis ascendit. Sed hæc quisque pro suo judicio amplificabit, & auditoribus commendabit. Cur autem dicat autor, regnum hoc concuti non posse, aut concussum non iri, ex superioribus satis constat, hoc nempe, nec locum illum fœlicitatis, nec fœlicitatem ipsam, ullo pacto labefactatum, multò minus sublatum iri; sed & hanc & illum stabilem, immotumque mansurum, ubi comparatio instituenda est, inter regna terrena, quæ & nunc multis modis concutiuntur, bellis ac tumultibus, ac variis calamitatibus, quibus etiam reges de solio deturbantur, & omnia aliquando, cum totus orbis concutietur, abolebuntur. Unum hoc regnum, quod nos adipiscemur, quodque ab æterno possedit Deus, & à multis jam seculis Christus, inconcussum est, eritque semper. Hinc inferenda adhortatio, ad regni hujus possessionem acquirendam. Quodsi regni causa, nihil non faciendum putant homines, quod facili momento concuti posse, ipsimet vident, quid hujus regni causa faciendum esse putabimus?

Sequitur nunc adhortatio, seu officii nostri præscriptio, cujus duæ constituuntur partes. Prior est, constantia in religione Christiana. Altera est, vera in Deum pietas ac religio quæ omnis generis bona opera, vel in se includit, vel secum trahit. Prior continetur in his verbis *teneamus gratiam.* Nam quod alii putant id velle dicere autorem *grati simus*, id non admodum probatur, maximè quia sequitur, per quam serviamus acceptè Deo, cum pudore & metu, id quod gratiarum actioni, parum convenit. Et licet tandem *per* velis accipere pro *cum*, quod tamen

vix hic faciendum eſt, tamen ne ſic quidem ſatis concinna videbitur autoris oratio. Interim tamen dignum eſt id homine Chriſtiano, ut Deo perpetuo agat gratias, pro tanto in ſe immerentem collato beneficio, eamque ad rem, nos non ſemel hortantur Sacræ Literæ, atque imprimis Paulus Col. cap. 1. verſ. 12. & cap. 3. 15, 17. Qua in re, ſuo nobis exemplo etiam præit, tum alibi, tum imprimis, in prima parte cap. 1. initio facto à ℣. 3. Nam cum Deo nihil aliud reddere queamus, ſaltem id quod poſſumus, reddere debemus, nempe gratiarum actionem & laudem, quod ſacrificium Deo eſt admodum gratum, ut apparet, tum aliunde, tum imprimis ex Pſal. 50, tum ex ipſo autore cap. 13. verſ. 15. Sed verior horum verborum ſenſus, is eſſe videtur, quem ſupra, interpretatione noſtra non ſemel expreſſimus, quæ eſt, *Teneamus gratiam* ubi per *gratiam* intelligenda videtur, vel ipſa Dei benignitas, in religione Chriſtiana declarata, ac nobis oblata; vel quod magis nobis probatur, ipſa Chriſti religio divinæ benignitatis ac clementiæ pleniſſima, ut ita eam legi, quæ Dei ſeveritatem nobis propoſuit, opponat, adeoque Hebræis illis cogitandum relinquat, annon longe ſit ſatiùs, hanc religionem tam benignam tenere, quam ad legem Moſaicam, adeò duram ac ſeveram redire. Hoc pacto Joh. cap. 1, euangelicæ hiſtoriæ, gratiam & veritatem legi opponens, ait eam per Chriſtum eſſe factam, & gratiam nobis eſſe datam, pro gratia. Paulus quoque gratiam legi opponit Rom. 6. Sed inſignis præ aliis locus eſt 1 Pet. 5. 12 ubi ait ſe teſtari, hanc eſſe veram gratiam Dei, in qua, vel ut eſt in Græco in quam illi ad quos ſcribit, ſteterint, hoc eſt hanc eſſe veram illam, ac divinæ benignitatis pleniſſimam religionem, quam iſti fuerint amplexi, & hactenus conſtanter retinuerint. Nec alienum à vero videtur, eandem quoque, nomine gratiæ intelligi, in ejuſdem Apoſtoli poſteriore epiſtola, ſub ipſum finem, ubi ait creſcite in gratia & cognitione domini noſtri, & ſervatoris Jeſu Chriſti: Qua ipſa religionis hujus deſcriptione, cauſam complectitur magnam, cur eam retinere, & conſtanter ei adhærere omnes velit. Quis enim divinam gratiam, arctè complectendam, ac retinendam non putet? Verbum autem tenendi quam vim habeat, & per ſe patet, & jam non ſemel à nobis indicatum eſt. Atque hoc loco differendum eſt aliquid, de conſtantia in Chriſtiana religione, ad quam omnium malorum tolerantia, neceſſaria eſt, ad eamque auditores ſunt adhortandi. Quod ad alteram officii noſtri partem attinet, ea continetur in illis verbis: Per quam, ſcilicet gratiam, ſerviamus acceptè Deo, cum pudore & metu. Ubi duo imprimis conſideranda ſunt; tum quid facere jubeamur, tum quo pacto. Illud eſt, cum jubemur ſervire Deo, in Græco eſt verbum λατρεύωμεν, quod ſervitutem quidem quamvis ſimpliciter ſignificare poteſt, atque adeò totum id, quod Deo ex ipſius præſcripto debemus, complecti; ſed tamen uſus Sac. Lit. hoc verbum ad ea peculiariter accommodavit, quæ ad cultum ac honorem divini nominis præcipuè ſpectant, unde etiam tum demum ad reliquas pietatis noſtræ partes tranſfertur, cum eæ inſtar victimæ cujuſdam Deo oblatæ conſiderantur, ut ſit Rom. 12, ab initio qua de re, videatur in ethicis. Nec quidquam prohibet, quominus ſtrictè hic verbum iſtud accipias, ut ita λατρεία hæc opponatur cultui legali ſeu ceremoniali, & ſic oſtendatur, etiamſi quis deſerat cultum iſtum legalem ſeu Moſaicum, non tamen ſimpliciter à cultu divino, ejuſque ſervitio diſcedere. Ubi monendi ſunt auditores, ne ſibi in religione Chriſtiana, abſolutam quandam libertatem polliceantur, ſed Deo ſe debere ſervire, ac cultum exhibere meminerint; ubi poteſt vox hæc ſerviendi, latius extendi, ad omnia miniſteria, quæ Deo ſunt à nobis præſtanda, & oſtendi, nos quanti quanti ſumus, Dei ſervos ac mancipia eſſe, tum creationis, tum redemtionis jure; de quo poſteriore, vide in eralia 1 Cor. 6, verſ. ult. & cap. 7. verſ. 23, ubi tamen Chriſti fit mentio, cujus ſervi ſimus. Is enim cum Deo hac in parte unum eſt. Et ut hoc quoque nunc addamus, cum hoc loco vult divinus autor, ut Deo ſerviamus, Chriſtum haudquaquam excludit, ſed potiùs includit, quandoquidem nonniſi per eum, Deo debemus offerre victimam laudis perpetuo, ut infra idem monet & Petrus 1 Ep. cap. 2. ℣. 5, & alibi S. L. pluribus in locis, ubi in nomine Chriſti, Deo gratias agere jubemur, qua de re, quantum opus erit, diſſeri poterit ad populum. Deus autem ideò ſolus nominatur, quia huic primò cultus debetur, iſque eſt ultimus honoris, quem Chriſto etiam exhibemus, finis ac ſcopus: quod quia notum eſt, ideo ei non immoramur. Quod ad modum attinet ſeu rationem, qua Deo ſervire debeamus, is non uno modo exprimitur. Primum in iſtis voculis, *Per quam* ſcilicet *gratiam*, ſerviamus. Quod licet ita accipi poſſit, ac ſi dictum eſſet, Quam tenentes, ſerviamus Deo, tamen probabilius eſt, ut ita accipiantur, ac ſi dictum eſſet; Ex cujus præſcripto, ſeu ſecundum quam, Deo ſerviamus, & prope eodem modo illud ſumitur, quod ante adduximus ex eodem autore infra cap. 13, ubi jubemur per Chriſtum Deo laudes ſemper offerre; hoc eſt ex Chriſti præſcripto, ſeu tamquam ipſius diſcipuli, atque adeo per Chriſti, tamquam ſacerdotis noſtri manus, victimam hanc Deo afferamus. Quod idem de loco Petri, & aliis quibuſdam ad quos reſpeximus, ſtatui poteſt, licèt interea, pars aliqua iſtius laudis, imò laus univerſa, ſed alio quodammodo, ad Chriſtum redundare debeat.

Monemur his verbis, non quemvis cultum, hodie Deo gratum eſſe, ſed eum demum, qui per Chriſtum exhibetur Deo, atque ex ejus præſcripto.

Alter modus ſerviendi Deo, ſeu mavis, altera modi deſcriptio eſt in voce *accepte* Græcè εὐαρέστως. Quaſi dicat; beneplacenter: quæ vox duplici ratione, cum iis quæ præceſſerunt conjungi poteſt; vel ita, ut novum quendam modum complectatur, ſeu novam qualitatem ſervitii Deo præſtandi, diverſam ab ea, quam proximè expendimus, vel ut ejus tantum conſequens quoddam tantummodo contineat, non ſecus, ac ſi per quandam appoſitionem, fuiſſet verbis illis *per quam* adjecta, quaſi dicat; D. autor; Cultum exhibeamus Deo ſecundum religionis Chriſtianæ præſcriptum, quæ res vehementer Deo placebit; ſeu, Quodſi fecerimus, tum demum gratum erit Deo ſervitium ac cultus hic noſter, ipſi exhibitus. Et hic quidem ſenſus, haudquaquam mihi diſplicet, propterea, quòd hoc pacto, cultus divinus, euangelicæ doctrinæ conformis, tacite præfertur legali, ita quidem ut ille ſolus revera, Deo placere dicatur, hic non item. Id quod eò pertinet, ut Hebræi iſti, ad quos ſcribitur, tantò conſtantiùs euangelicam doctrinam, & cultum divinum in ea præſcriptum retineant, ad legalem verò illum redire nunquam cogitent. Cur enim relicto eo Dei cultu, qui ipſi eſt gratiſſimus, ad eum redire velis, qui ipſi haud placet, imò ne olim quidem per ſe placuit, quemadmodum non pauca, etiam V. Fœd. dicta teſtantur. Videatur interalia Pſal. 50. Eſai. 1. Hic ſenſus ſi retineatur, doctrina inde depromi poteſt, de cultu ſpirituali, qui ceremoniali longè ſit anteferendus, tum etiam exhortatio ad ejuſdem ſtudium, quandoquidem Deo admodum ſit gratus, cui placere, ſumma eſt hominis fœlicitas, ſeu fœlicitatis cauſa. Verum ſi priorem ſenſum malis ſequi, & arbitrari, novum quendam & à priori diverſum ſervitii Deo præſtandi modum hic exprimi, perinde accipienda fuerint autoris verba, ac ſi dixiſſet; Quam, ſcilicet gratiam, ſeu religionem Chriſtianam tenentes, ita ſerviamus Deo, ut ei officium hoc noſtrum ac cultus placeat, vel, ita ſecundum euangelicæ doctrinæ præſcriptum Deo ſerviamus, quemadmodum Deo gratum & acceptum eſt. Itaque minus jam continebitur in vocibus illis *per quam*, ſcilicet gratiam; quam in hac voce εὐαρέστως. Illæ enim ſimpliciter tantum ſignificabunt ſervitium Deo præſtitum, ſecundum euan-

euangelii præfcriptum, feu ab eo, qui euangelium profiteatur, five interea ufquequaque & exacte præfcriptum illius fequatur, five minus. Hæc verò, perfectionem ejus rei includat, quæ in eo confiftit, ut quis quantum in ipfo eft, & omni ex parte id faciat, quod Deus in Euangelio præfcripfit, & fibi ab hominibus exhiberi voluit; quod fi fiat, tum demum in ejus fervitio penitus acquiefcit Deus, & eo delectatur. Multi enim funt, qui ita Deo ferviunt, licèt euangelicam doctrinam fequantur, ut interea, vel unum, vel plura eorum omittant, quæ Deus in eo præfcripfit, adeò ut haudquaquam dici poffit, eos εὐαρέστως feu acceptè Deo fervire. Unde, quænam adhortatio peti poffit, unicuique patet, omnes nempe pietatis partes obfervandæ funt, cum qui unum omittit, univerfæ operæ, perdat precium, ac, quod quidem ad falutem æternam attinet, perinde fit, ac fi Deo non fervivifset. Quid autem ftultius, quàm cum fere omnia præftiteris, uno ferè neglecto efficere, ut nil præftitiffe videare.

Denique, modus iftius fervitii Deo præftandi, exprimitur in illis verbis, *Cum pudore & metu*, ubi tamen fimul, media duo continentur, quorum ope id poffimus confequi, ut ferviamus Deo εὐαρέστως, adeò ut hæc propemodum, vocis illius tantummodo explicandæ caufa, videantur addita: quafi dictum effet, nempe cum pudore & metu. Vel, id quod confequemini, fi cum pudore & metu, Deo fervieritis. Videtur autem vox pudoris, pro reverentia, quam in divino cultu adhibere debeamus pofita, nihilque videtur fignificare aliud, quam ut ita in divinis oculis verfemur, & muneris noftri partes, ab ipfo nobis demandati exequamur, ne vel minima in re, ipfum offendamus, eive difpliceamus, & ut ita dicam, exiftimationem noftram, apud ipfum, quacunque ratione delibemus, aliqua turpitudinis nota, in nobis apparente. Hoc enim pudoris eft ingenium, cavere, ne quid aliorum oculis in te appareat turpe, atque occultandum, atque inde animis aliorum obverfetur id, quod tu, vel nefciri, vel tegi omnino velles. Quapropter effice, ut quam cautiffimè in aliorum, quos optimè de te perfuafos effe velis, & à quibus contemni nolis oculis, te geras; & quidquid turpe eft, quidquid indecorum, quam potes maxime, vites. Hoc fi quis ad divina referat, nil id erit aliud, quam reverentia fumma, divini numinis. Et fane, quid magis decet, hominem coram Deo verfantem, atque imprimis tum, cum in cultu ipfius, eft occupatus, (quanquam in eo femper effe debemus) quam ut eum fummopere revereatur, & nil vel facere, vel cogitare etiam audeat turpe & indecorum. Quodfi homines reveremur, & peccare in eorum oculis erubefcimus, cavemufque quam diligentiffimè, ne exiftimationem apud illos noftram lædamus, & ne quidquam in nobis appareat indecori, cur non Deum potius ejufque fanctiffimos oculos revereamur, qui mediis etiam cogitationibus intereft, in cujus gratia ac benevolentia erga nos, omnis noftra fita eft beatitas. Quod ad metum feu timorem attinet, is pudori vicinus eft, fed ad pœnas proprie fpectat. Pudor tenerior eft, metus vehementior; fed hic, à gravioribus potiffimum delictis homines arcet; ille, etiam à levioribus. Et fi inter hos affectus comparatio fit inftituenda, melioris eft, pudore duci potiùs, quam metu; fed poteft uterque affectus conjungi, imò nihil eft quod vetet, utramque vocem pro eadem re accipere. Cur autem cum metu, coram Deo verfari debeamus, ex fequentibus fatis patebit, ad quæ, antequam accedamus, hoc addere libet, quod etiam in his duobus requifitis, nempe pudore & metu, quæ in cultu divino fint à nobis adhibenda, videatur allufiffe divinus autor, ad cultum illum legalem, in quo eadem etiam aliquando requirebantur, atque imprimis à facerdotibus, qui ad Deum, ut fcriptura loquitur accedere, & facrificia illi offerre debebant. Id enim illi facere debebant cum pudore, ac reverentia fingulari, metuque divini numinis. Etenim fi quid turpiter, aut parum verecunde in miniftterio fuo, atque adeò in oculis ipfius Dei admiffiffent, verendum illis erat, ne morte id luere cogerentur. Et de pudore quidem confervando, eo potiffimum tempore, cum ad aram effent acceffuri facerdotes, monitum exftat, Exod. cap. 20 & 28, utrobique circa finem capitis. In quorum locorum pofteriori, comminatio additur, fore ut fi facerdotes contra egerint, iniquitatis rei moriantur. Requirebat enim Deus tum ab omnibus fingularem majeftatis fuæ reverentiam, tum verò maximè in facerdotibus, præfertim tum, cum ut diximus ad ipfum accederent, miniftraturi, atque in confpectu ipfius verfarentur. Unde legimus Levit. 10, poftquam filii duo Aaronis, ignem alienum, feu prohibitum in aram intulifient, Domino facrificaturi, eamque ob caufam egreffus ignis à Domino, eos devoraffet, ita ut morerentur, dixiffe Mofen ad Aaronem; Hoc eft, quod loquutus eft Dominus, fanctificabor in iis, qui appropinquant mihi, hoc eft, in facerdotibus ad me accedentibus, fanctum me & venerandum exhibebo, feu oftendam, quam fancte, quantaque cum reverentia ego coli debeam, ad quam rem, tantò credibilius eft auctorem refpexiffe, quod poftea, ejufdem Mofis verba, quæ exftant Deut. 4. ℣. 24, citans hanc rationem afferat, cur tanto cum pudore ac metu, Deo fit ferviendum, feu cultus exhibendus, quia is fit ignis confumens. Alludens aliquomodo ad hanc confumtionem filiorum Aaron, qui ideo quod incautius in cultu divino fefe geffiffent, igne à Domino egreffo fuerint confumti, quanquam nihil eft neceffe, ut Mofes etiam ad hanc hiftoriam refpexerit. Mofis autem verba hæc funt: Dominus Deus tuus, ignis confumens eft, Deus æmulator. Affert autem hoc propterea, ut moneat Ifraëlitas, caveant fibi, ne quando obliviscantur pacti, cum Deo initi, & faciant fibi fculptam fimilitudinem eorum quæ fieri Dominus prohibuit. Ratio autem hæc eft. Quia Deus id ferre non poterit, fed ira accenfus, inftar magni alicujus ignis, te confumet ac perdet. Divinus hic autor, perfonam hoc loco mutat. Nam loco ejus quod ibi eft Deus tuus, ipfe habet, Deus noftter, qua in re, hæc vis eft, ut fignificet, hunc effe illum, qui à nobis fit colendus, tum folus, tum ea ratione, qua ipfe præceperit, quanquam etiam hoc intelligi poteft, quòd is fit fummus noftter benefactor, qui fuam potentiam ac poteftatem, ad utilitatem noftram veram convertat. His autem modis, folet dici, Deum, effe Deum alicujus. Quod autem dicitur ignis confumens, id explicatur apud Mofen, cum dicitur, Deus æmulator, id eft qui ferre non poteft rivalem, & indignetur, cultum alii cuipiam præter fe exhiberi, atque adeò puniat ac perdat eos, qui id facere audeant. Non ergo dicitur ignis confumens, quòd actu femper fit talis, fed quod, fi caufa illi detur, hoc eft, fi irritetur, talis effe foleat. Allufit autem fortaffis Mofes, eò, quòd Deus legem ferens, in igne apparuerit, & ex eo fuerit populum alloquutus, non modò majeftatem fuam oftenfurus, verum etiam feveritatem, atque adeò terrorem, populo incuffurus. Quam autem varia, quamque gravia foleant effe fupplicia divina, imprimis adverfus defertores, aliàs explicatum eft. Vide inter alia Heb. cap. 10. verf. 27, ubi etiam commemoratur fervor, feu æmulatio ignis, qui confumturus fit adverfarios, nempe Dei, per quos apoftatæ ibi intelliguntur, quem locum peculiari analyfi illuftravimus. Quæ hinc doctrinæ peti poffint, ita notum eft, ut nihil fit opus, id à nobis explicari.

In Iacob. 1. verſ. 1, ad 5.

EPiſtola iſta Jacobi complectitur in ſe monita pietatis varia & apprime utilia. Scripta enim eſt ad Judæos, qui ſuſceperant Euangelium, ſed ut ex ipſa Epiſtola liquet, minus conſentaneam Euangelio vitam inſtituebant, contenti notitia divinæ voluntatis, negligentes autem officiorum ſuorum, libertate quoque ſua Chriſtiana abutentes, eamque in licentiam vertentes. In verbis prælectis ſpectandus eſt 1. Aditus ad monita. 2. Primum hujus Epiſtolæ monitum. In aditu conſideranda 1. ſubſcriptio ſeu nomen Auctoris. 2. Inſcriptio, ſeu deſcriptio eorum, ad quos exarata eſt Epiſtola. 3. Votum ſeu ſalutatio.

Jacobus Dei ac Domini Jeſu Chriſti ſervus. Non uſque quaque convenit inter ſcriptores, quinam fuerit hic Iacobus. Duo enim fuere Apoſtoli hoc nomine dicti: quorum alter fuit Iacobus Alphæi, alter Iacobus Zebedæi filius. Quidam exiſtimant, præter hos duos fuiſſe tertium, qui fuerit Epiſcopus Hieroſolymitanus; quanquam alii ſentiant, Epiſcopum hunc Hieroſolymitanum fuiſſe Jacobum Alphæi filium, ſeu Jacobum minorem. Ideò autem Jacobo Zebedæi non adſcribunt hanc Epiſtolam, quia is ferme in ipſis primordiis naſcentis Eccleſiæ occiſus fuit ab Herode. Sed quicquid ſit, ſive Auctor hujus Epiſtolæ Apoſtolus fuerit, ſive Epiſcopus Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, parum refert. Magnus tamen & divinus vir fuit. Sunt qui hinc colligant, eum non fuiſſe Apoſtolum, quod ſibi nomen Apoſtoli non præſcribat: ſed cum ſe appellat ſervum Dei & Domini Ieſu Chriſti, perinde id accipi poteſt, quam ſi ſe Apoſtolum vocaſſet; cum Apoſtoli fuerint præſtantiſſimi ſervi Chriſti. Qui negant, Jacobum hunc fuiſſe Apoſtolum, ſtatuunt tamen eum proximum fuiſſe Apoſtolis. Fuerunt enim præter Apoſtolos plurimi alii inſignes viri à Chriſto adhuc in terris verſante miſſi ad prædicandum Euangelium, è quorum numero hunc Epiſcopum putant fuiſſe præcipuum. In eo itaque cum ſe *ſervum Dei & Domini Jeſu* vocat, aut Apoſtolatus ejus aut Epiſcopatus includitur.

Ad quos ſcripta ſit Epiſtola, inſcriptio indicat: *Duodecim tribubus diſperſis.* In terra Judæa tunc tantum erant duæ tribus Judæ & Benjaminis, reliquæ non redierant in Judæam, & ex his duabus non omnes reverſi ſunt. Ad diſperſos etiam Judæos ſcribit Petrus 1 Epiſt. 1. 1. Ad eoſdem eiſque ſimiles dirigit hanc Epiſtolam ſuam Jacobus. Non ſcribit autem ad eos, quos perſecutio ob nomen Chriſti ubique diſperſerat ac disjecerat, ut quidam exiſtimant: ſed tamen ſcribit ad Chriſtianos ac fideles, quia & ſe ſervum Chriſti vocat, & illos fratres ſuos verſ. 2.

Votum ac ſalutationem abſolvit uno verbo more Græcorum: χαίρειν, id eſt, gaudere, vel bene agere ac valere, ſubintellige, optat aut precatur. Iſta ſalutatione potiſſimum bona valetudo optatur: & hanc fas nobis eſt hodie quoque populo Dei à Deo precari. Etſi enim Apoſtoli gratiam & pacem plerumque precentur fidelibus, quibus verbis ſpiritualia dona potiſſimum intelligunt: tamen non inſolens eſt etiam Apoſtolis ſanitatem corporis precari. Vide Actor. 15. 29. 3 Joh. 2. Quod ſi quis tamen potius voce hac à Jacobo *gaudium* in genere optari ſtatuat, per me quidem licet; & tum verbo hoc omnia quæ tam quoad Spiritum quam quoad corpus læta ſunt, comprehendentur.

Jam ſequitur ipſum monitum: *Summo gaudio ducite, fratres mei, quoties in tentationes varias incideritis.* Adhortatur ad patientiam afflictionum propter Chriſtum. Ubi 1. Vult, ut cum gaudio patiantur fideles, quicquid obvenerit. 2. Ut patientia eorum ſit perfecta & conſtans. Poſtea & media acquirendæ patientiæ monſtrabit: ſed in hoc noſtro prælecto textu duæ tantum illæ partes modo dictæ continentur.

Quoad primam partem, monet eos, & monitionem ſuam confirmat. *Summo gaudio ducite.* Proprie ex Græco ſonant verba: Omne gaudium ducite. Omne, id eſt, ſummum & maximum gaudium eſſe reputate. Ita Paulus Apoſtolus quoque ait: *In omni oratione* Eph. cap. 6. ℣. 18. ubi non intelligit varios modos orationum, ſed vult orationem eſſe perfectam & coram Deo efficacem. Pro magno gaudio ducendas eſſe afflictiones propter Dominum Ieſum, etiam ipſe Dominus docuit Matth. 5. 12. & Petrus 1 Epiſt. 4. 13. *In tentationes.* Id eſt, afflictiones propter Chriſtum & juſtitiam; quæ ita vocantur, partim propterea quod tunc Satanas tentet nos & quærat ſubvertere atque à fide aut pietate abducere; partim quod nos Deus tentet, ſed alio fine, ut nimirum exploret fidem noſtram, uti ſubjungit ſtatim: *ſcientes, explorationem fidei veſtræ efficere patientiam.* Cum dicitur Deus tentare homines, non eſt id eodem ſumendum ſenſu, quo diabolus dicitur eoſdem tentare, quod ſcilicet cupiat eos ad peccatum inducere ac ſolicitare. Sed intelligendum eſt Deum occaſionem tantum ad peccandum aperire, id verò hoc fine, ut homo fidei ac virtutis ſuæ edere queat ſpecimen, utque à Deo non deſciſcat, etiamſi poſſit. Talem ergo occaſionem ſi habeamus, gaudere debemus, eamque nobis in materiam virtutis convertere.

Ratio monitum confirmans eſt: *ſcientes, explorationem fidei* &c. Ratio hæc ſumta eſt ab utili. Oſtendit enim, quod afflictiones, quæ explorant fidem noſtram efficiant patientiam: quæ ſane magna utilitas eſt. Videtur Jacobus hic contrarium dicere Paulo, qui Rom. cap. 5. verſ. 4. ait; *patientiam operari probationem.* Sed non ſunt iſta ſibi contraria. Aliter enim ſumitur apud Jacobum vox *explorationis*, & aliter apud Paulum vox probationis. Vox explorationis ſumitur à Jacobo, pro afflictione, per quam fides noſtra in apricum producitur. Probatio autem ab Apoſtolo Paulo ponitur pro effectu afflictionis. Poſt toleratas enim à nobis afflictiones, & Deus videt noſtram conſtantiam & probatam fidem noſtram, & nos ipſi videmus, quantum in fide profecerimus. Hinc dicitur fides efficere patientiam. Qui enim habet fiduciam in Deo repoſitam, illa eum patientem reddet. Nam etſi habeat occaſionem abjiciendi fidem, tamen eam non rejiciet, & ſic fiet patiens. Fidens promiſſis Dei erit ipſi obediens, omniaque perferet non coactus, ſed ſponte ad id adductus per fidem. Indè naſcitur probatio, ut homo ſit jam probatus & coram Deo & apud ſeipſum. Ex quo tandem oritur ſpes. Non enim jam ſic ſecum ratiocinari poteſt homo: ſi habuero fidem, ſervabor; ſed hoc modo: Quandoquidem habeo fidem, prout oſtendi afflictiones ſuſtinendo, & ipſe jam expertus ſum, certò ſervabor. Non addit hic Jacobus alias utilitates afflictionum, ſicut Paulus præcipuam hanc utilitatem earum exprimit 2 Cor. 4. 17, quòd pariant excellentis gloriæ æternum pondus. Sed & Jacobus eandem utilitatem paulò infrà commemorat ℣. 12. *Beatus vir, qui ſuſtinet tentationem, quoniam cùm fuerit probatus, accipiet coronam vitæ, quam promiſit Dominus diligentibus ſe.* Magna igitur eſt cauſa gaudendi, & ut Chriſtus ait, exultandi. Fieri quidem non poteſt, ut nos afflictiones iſtæ initiò non contriſtent ac conturbent. Caro enim ſumus & ſanguis. Sed tamen modò quis credat promiſſis Dei, rationis ductum ſequens, cum gaudio etiam mortem ſubibit, nedum minora mala. Firmemus animum ad ſuſcipiendas Chriſti cauſâ omnis generis afflictiones. Ne putemus, nos felices eſſe, quia non patimur. Benè quidem nobis conſultum eſt ſecundùm ſpiritum, quia nondum ſumus parati, nondum armati ſumus univerſa armaturâ Dei, ut interea hæc arma nobis comparemus; & in veritate corroboremur: ſed major foret felicitas ſi parati eſſemus & pateremur propter nomen Domini. Patientiam autem noſtram exerceamus & exploremus nunc in afflictionibus, quæ non propter Chriſtum nobis accidunt, quandò nimirum vel verbis, vel facto aliquo, ex aliâ quàm religionis cauſâ lædimur. Si enim hoc ferre nequeamus, multo minùs ferremus, ſi quid Chriſti cauſâ contingeret.

Porrò admonet Jacobus ad conſtantiam in patientia verſ. 4: *Patientia autem opus perfectum habeat, ut ſitis perfecti*

perfecti & integri, in nullo deficientes. Vult ut reipſa appareat nos eſſe patientes, ut non incipiamus tantum pati, ſed etiam, uſque ad finem perduremus. Magna eſt imperfectio, poſtquam bene cæperis deſinere, & à veritate deficere. Qui perſeveraverit ad finem, ſalvus erit Matth. 24. 13. Præterea vult, ne quid mali admiſceatur patientiæ. Fit enim aliquando, ut quis ſit adeo veritatis amans, ut quidvis potiùs ſuſtinere malit, quam eam abnegare; ſed interim in illis afflictionibus impatienter ſe gerit & non Chriſtianè. Etiam hiſtoriæ teſtantur, quoſdam in perſecutionibus conſtitutos acriter inſectatos eſſe ſuos adverſarios, eis maledixiſſe, ac dira imprecatos eſſe, minas & convitia ingeſſiſſe. At hic Chriſti exemplum imitandum eſt, qui paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplar, ut ſequamur ipſius veſtigia, qui convitiis affectus, non viciſſim convitiatus eſt, cum malis afficeretur, non minabatur. 1 Petr. 2. 21, 23. Qui ut ovis ad mactationem ductus eſt, & ut agnus coram tonſore ſuo mutus, ita non aperuit os ſuum Actor. 8. 32. Etiam hoc pertinet ad perfectionem patientiæ, quo etiam reſpicere videtur Jacobus, ut ſciamus, cur & quam ob cauſam patiamur, ut veritatem recte teneamus, & tueri queamus. Patientia noſtra cum gloria Dei debet eſſe conjuncta: itaque dare debemus operam, ut ſciamus rationem reddere noſtræ fidei, ita ut alii ædificentur. Aliqui interdum ſibi malum accerſunt ea defendendo, quæ non erant defendenda. Sciendum eſt, quomodo unicuique prudenter & competenter reſpondendum ſit, maxime autem magiſtratui. Ideo Petrus monet 1 Pet. 3. 15. ut unicuique reſpondeamus *cum manſuetudine & timore.* Neminem debemus irritare, nemini dare anſam, ut nos juſte malo afficiat. Vult enim Deus, ut manifeſte pateat, populum ejus innocenter pati. Caute de veritate loquendum eſt; qui incaute loquitur, videtur blaſphemare. Vult Jacobus, ne ullus ſit in patientia defectus. Chriſtianus enim ad perfectionem omnem aſpirare debet, & eo pervenire poteſt, ne quid ei deſit. Patientia cum ſit virtus eximia, requirit etiam perfectionem. Dum ergo tempus nobis ſuppetit, enitamur, ut in ſcientia & prudentia proficiamus, & nos in patientia exerceamus, ut cum ad rem ventum fuerit, ut afflictiones ferendæ ſint Chriſti cauſa, id quam convenientiſſime facere poſſimus. Nam hic multi peccant, dum ad finem non perſeverant, bona initia malo fine corrumpentes: & cum re non poſſint, verbis ſemet ulciſcuntur. Alii ſunt re conciliari neſcii, & plumbeas iras ad mortem uſque gerunt. Caveamus hæc vitia, & memores ſimus illius moniti Apoſtolici: 1 Pet. 4. 19. *Qui malis afficiuntur ex voluntate Dei, tanquam fideli conditori commendent animas ſuas, benefaciendo:* id eſt, nihil mali perpetrando, ob quod puniantur, ſed potiùs ita ſe gerendo, ut par eſt, atque inprimis, ut juxtà Chriſti præſcriptum etiam eo ipſo tempore quo patiuntur, benedicant maledicentibus ſibi, benefaciant iis qui oderunt ipſos, orentque pro iis qui ipſis infeſti ſunt, & perſequuntur eos. Matth. 5. 44. Deus hæc in ſcribat omnium noſtrum cordibus. Amen.

* * *

Primò, Quomodo, facillimam iſtam ſapientiam aſſequendi rationem præſcribat. 2. Quomodo etiam eam rationem commendet, ſimulque nos ad eam arripiendam tacite ſtimulet, ac urgeat. Prius continetur in verbis, *Si quis veſtrum.* Quibus in verbis & cauſam impellentem, ad viam hanc tantò avidius capeſſendam exprimit, & unde ac quo pacto eam aſſequi debeamus docet. Cauſa impellens eſt ſapientiæ defectus, de quo ita, *ſi quis veſtrum.* Ubi imprimis, quid ſit iſta, de qua loquitur ſapientia, videndum eſt; unde facilè patebit, quid per defectum ejus intelligat autor divinus. Sapientia, quam quidem S. Literæ N. Fœd. hoc nomine dignari ſolent, nihil aliud eſt, quam ea mentis virtus, qua myſteria ad religionem pertinentia, atque imprimis ea, quæ ad ſalutem ſint neceſſaria comprehendimus. Quemadmodum enim quævis recte conſtituta Reſpub. mundana, ſuis olim conſtabat, & nunc etiam conſtat legibus, quibus & præmia & pœnæ ſolent adjici; ita etiam noſtra Reſpub. Chriſtiana, quam cœleſtem vocat Apoſtolus, habet certas leges, quarum ſummus nomotheta, eſt ipſe Deus; habet præmia diviniſſima, earum obſervantibus propoſita, habet & pœnas tranſgreſſoribus conſtitutas, licet illa magis, quam has inculcet. Ea verò omnia Deus per filium ſuum, toti mundo revelavit. Erat nimirum antea hominibus prorſus incognita, & niſi eam nobis ſervator noſter patefeciſſet, nulla ratione cognoviſſemus, naturæ nimirum noſtræ conditionem, multis modis ſupergredientia, ideoque pro ſummis myſteriis jure haberi poſſunt, quæ qui habet cognita, ſapiens meritò cenſetur, & quo melius, quoque perfectius, tanto ſapientior. Unde etiam Chriſtus, propter revelatam nobis Dei voluntatem, factus nobis à Deo ſapientia in Sacris Literis dicitur. Et hæc quidem ſapientia à Jacobo hic intelligitur, ſed non ſola, verum juncta cum quadam prudentiæ parte, id quod ex circumſtantiis loci patet. Loquutus eſt enim proximè præcedentibus verbis de patientia, ad quam illos ad quos ſcribit hortatur, oſtendens eam eſſe aptiſſimum medium, ad ſalutis opus, quod erant aggreſſi perficiendum, & omnibus numeris abſolvendum. Sed quia dicere quis poſſet, hic quoque ſapientia opus eſſe, quomodo ſe quis in tentationibus & periculis juſtitiæ cauſa ſubeundis gerere debeat, propterea jam ejus quoque aſſequendæ rationem præſcribit. Quod quilibet jam videt, quomodo limites prudentiæ ingrediatur; quæ nihil aliud eſt, quàm noſſe quam optimè, tum ſibi tum aliis conſulere, in aſſequendo bono, quod tibi propoſueris; quia tamen nemo cuiquam rectum conſilium ſuppeditare poteſt, quin idem notitiam rerum ad aſſequendum ſummum bonum pertinentium habeat, ſapientia cum prudentia ita connexa eſt, ut hæc ſine illius ope conſiſtere non poſſit. Hinc jam ſatis patet, quid ſit ſapientia deſtitui. Nihil nimirum eſt id aliud, quam ignorare, aut quantum patientia conferat, ad aſſequendam, totius vitæ noſtræ Chriſtianæ ſupremam fœlicitatem, aut quomodo tuas actiones in periculis & afflictionibus Chriſti cauſa ſubeundis, moderari debeas, ne tanto bono excidas, quod tibi propoſitum animadvertis; cujus rei ignoratio, quam ſit noxia, ex adverſo autem ejus notitia quam utilis, quam neceſſaria, quivis videt: quare nulla præmiſſa ejus ampliori commendatione, jam ad hujus ſapientiæ comparandæ medium conſiderandum, veniamus. Id in verbis iſtis, *poſtulet à Domino*, exprimit Apoſtolus. Quia ſapientia hæc, naturam longe ſuperat, ideo eam precibus vult à Deo efflagitari, quanquam interim, haudquaquam ſtudium uniuſcujuſque in ea, ex diligenti verbi divini meditatione comparanda excludit, ſed tantum, ſi quid ſtudio ac labore noſtro conſequi nondum potuerimus, id ut cœlitus ſuppleatur, petendum eſſe monet. Oratio ergo, ſeu precatio eſt, qua id, quod viribus noſtris perfici non poteſt compleatur, ſed ea non quævis, verum eo quo S. L. docent modo, ad Deum fuſa. Certæ nimirum conditiones nobis in iis proponuntur, quæ in precibus, ſint adhibendæ. Prima eſt, quam hic ſtatim ipſe autor ſubjungit, ut petamus in fide, ſeu cum fide, hoc eſt ut ferè omnes, ea verba capere ſolent, cum firma quadam perſuaſione de Dei potentia & benignitate, ob quam futurum ſit, ut vel omnino id impetres, quod petis, vel ſaltem tum, ſi id tibi ſit utile, aut aliis aliquibus Dei conſiliis & decretis non repugnet; de quali fide loquitur Chriſtus apud Matth. cap. 21. ℣. 21, 22, ubi cum dixiſſet diſcipulis, *Si habueritis fidem*, &c. poſtea addit. *Et omnia quæcunque*, &c. hoc eſt: ſi credideritis vos id obtenturos, ut ex verbis iiſdem à Marco deſcriptis apertius patet, quæ ſunt cap. 2. 24, ubi ita ea efferuntur, *Omnia quæ orantes petitis*, &c. Alia precum conditio eſt, ut eæ ſint fervidæ, id quod ſignificavit idem autor cap. 5, dum dicit, Multum valere: hoc eſt cum quadam virium

atque animi contentione, & quodammodo laborioſe peractam, quod fit, cum animus in eo eſt totus, ut Deum exoret, & vehemens eſt rei quæ petitur, deſiderium. Tertia precum conditio, Conſtantia. Quanquam vero ea duplici ratione conſiderari poſſit, vel nimirum cernitur in eadem re, quam à Deo velimus impetrare, vel licèt res ſint diverſæ, quas precamur, tamen in iſta precatione adhibetur conſtantia, atque aſſiduitas, conſtantiæ nomine comprehenſa; tamen prior illa, huc maximè pertinet, qualis ea eſt, quæ nobis exprimitur à Domino Jeſu, in exemplo viduæ pertinacis, impium iſtum judicem urgentis, donec id impetraret, quod vellet, ut legimus Luc. 18. Quanquam alias poſterior quoque adhibenda eſt omnibus ſecundum Apoſtoli ſententiam 1 Theſſ. 5, ubi monet, ut ſine intermiſſione precemur. Atque hæc de informatione precum ipſarum ſufficiant. Nihil nunc de eo dico, quid petendum ſit. Id nimirum quod ad rem præſentem pertinet, ſatis eſt à Jacobo hic expreſſum. Sapientiam nimirum hic petendam monet. Nihil etiam de eo dico, qualis ille eſſe debeat, qui aliquid impetrare velit. Satis nimirum manifeſtum eſt, neminem niſi probum & juſtum ſpem certam habere, ſe impetraturum, quod petit. Peccatores nimirum à Deo, non exaudiri, ſed facientes voluntatem ipſius, etiam ille cœcus abortu, notum ſibi habuit, ac perſpectum. Quare habeamus nobis preces, quæ ſunt optima quæque à Deo impetrandi, ſingulare medium, quam commendatiſſimas, conditionum iſtarum non immemores, quæ ad exorandum eum, omnino requiruntur. Ad quod faciendum, quia nos invitat in his verbis, ipſe divinus ſcriptor, ideò jam porro ſequentia ejuſdem verba examinemus, in quibus ſingularis ab eo precum commendatio continetur, dum inquit: *Petat à Deo, dante omnibus ſimpliciter.* Commendat autem duplici potiſſimum ratione. Primum cum docet nos in vanum non laborare, ſed preces noſtras ſuum finem aſſequi; idque exprimit, tum indeſcriptione Dei, cum inquit Dante omnibus, tum ſub finem, ſatis lucide, & dabitur ei. Prioribus illis, ingentem Dei liberalitatem exprimit, dum inquit eum dare omnibus. Qualitas iſta, eſt ſolius Dei propria. Atque ut hic de Deo dicitur illum omnibus dare ſimpliciter, ita 1 Tim. 6. 17, dicitur, dare aut largiri omnia ad fruendum & quidem copioſe, in quo etiam nemo Deo æquiparari poteſt. Homines quidem Deum etiam in eo aliqua ratione referunt, ſed quam paucis, aut qualia dare poſſunt? ille eſt, qui omnibus benefacit, fons tamen liberalitatis ejus nunquam areſcit nunquam exſiccatur. Deinde à modo dandi ſingulari, quem & proponit & à contrario illuſtrat. Proponit, dum inquit dat ſimpliciter, contrario exornat, inquiens & non exprobrat; quaſi dicat divinus autor, Non eſt Deus ſimilis mortalium hominum, qui ſunt valde difficiles ac tardi ad dandum. Vel ubi dederint, plerumque beneficia ſua exprobrant, quo ipſo mire confundunt, & in ruborem dant accipientes. Sed ſummus ille univerſi architectus, facilem ſe humanos præbet in uſus nec cuiquam beneficia ſua exprobrat, imò in eos qui ſunt grati, ſubinde plura ac majora congerit ac cumulat. Quare tanto jam nobis ſint commendatiores preces, per quas nobis ad Deum tam munificum, tam benignum, aditus patet, à quo ſapientia & præſtantiſſima quæque bona ſine ullo metu ruboris, conſequi poſſumus, ei pro hoc tanto beneficio, gratias agamus. Cui nunc etiam ut pro aliis infinitis, ita pro hoc etiam peculiariter, ſit laus & gloria in perpetua ſecula. Amen.

Iacob. 1. verſ. 5, ad 9.

MOnitum ſuum de patientia ſuperius traditum continuans Jacobus, monſtrat his verbis modum, quo ad perfectam patientiam pervenire queamus. Occurritque hic quodammodo tacitæ objectioni. Poſſet enim aliquis dicere: Quid ego faciam in afflictionibus conſtitutus? requiritur ad eas ferendas patientia, & quidem perfecta, requiritur ſingularis ſapientia & prudentia, qua ego ſum deſtitutus. Quò me ergo vertam? Reſpondet Jacobus: *Si cui veſtrum deeſt ſapientia, petat à Deo, qui dat eam omnibus ſimpliciter, & non exprobrat: & dabitur ei.* Oſtendit quid faciendum ſit homini afflictiones patienti, nempe orandum. Hic eſt modus perveniendi ad patientiam perfectam & ſapientiam.

1. Hunc modum Jacobus proponit. 2. Eundem confirmat ab effectu. 3. Quomodo orandum ſit, ſeu quales debeant eſſe preces, docet.

Sapientia in omni vita & actionibus Chriſtiani hominis eſt neceſſaria, ſed maxime in afflictionibus, ut noris ſi ſervare circumſtantias, & verbis moderari. *Si quis in ſermone non impingit, hic perfectus eſt vir, qui poſſit freno moderari etiam totum corpus.* Jac. 3. 2. Potiſſimum cum ſuperioribus & in eminentia conſtitutis, ſed & cum omnibus hominibus, caute agendum eſt. Sapientiam hanc comparare jubet Jacobus precibus. Etſi enim Chriſtianus debeat etiam ſapientiam acquirere per exercitium, legendo, meditando, audiendo verbum Dei, per obſervationem exemplorum, per colloquia cum peritis. Sed hæc media ſunt ſecundaria. Primarium eſt, quod hic tradit Jacobus, ut oremus. Sine hoc enim priora nihil valent. Hoc verò ſine illis etiam aliquando ſolum omnia poteſt præſtare: ut videmus factum in Apoſtolis, quibus promiſſa fuit ſapientia & os, cui reſiſtere non poſſent adverſarii, idque citra ipſorum laborem, non tamen ſine precibus. Illi debebant eſſe fundamentum: itaque debebant eſſe omni ex parte ſapientes. Verum dictum illis eſt: *Cum tradent vos, ne ſitis ſoliciti, quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis illa hora, quod loquamini. Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri eſt, qui loquitur in vobis.* Matth. 10. 19, 20. Hodie autem labore noſtro & diligentia opus eſt. Dat tamen & nunc Chriſtus fidelibus ſuis, quando neceſſe eſt, ſpiritum ſuum, ut prudenter & animoſe loqui ſciant, ac unicuique prout decet reſpondere; etiam idiotis & indoctis ſæpe largitur eum, dum modo diſcant veritatem & in ea ſe exerceant, dum tempus eſt. Non dabit enim Dominus ei, qui pacis tempore occaſiones diſcendi negligit. Qui tempore opportuno rerum divinarum cognitionem colligit ac conquirit, ei Deus per ſpiritum ſuum ea quæ didicit, revocabit in memoriam, & addet etiam plura, quam didicit. Qui eſt ſedulus verbi Dei auditor, experietur, quod aliquando talia ipſi in mentem venient, de quibus alias non cogitaſſet. Sed ſtudio noſtro non poteſt comparari perfecta ſapientia: à Deo illa petenda eſt. Facit autem ſpem obtinendæ ſapientiæ, cum ait: *Et dabitur ei.* Idque confirmat deſcribens Dei bonitatem: *Qui dat omnibus ſimpliciter,* &c. Simpliciter, id eſt, liberaliter. Alii ſic exponunt, quod det omnibus ſimpliciter, id eſt, nemine excepto, non faciens delectum inter homines, non reſpiciens, an quis ſit pauper, abjectus, & vilis conditionis. Sed melius videtur eſſe, ut ſimplicitas hic pro liberalitate ſumatur: ut & alibi in Sacris Literis accipitur. Fit enim plerumque, ut homines parci & avari, cum eſt occaſio dandi, diſtractum gerant animum: vident quidem dandi neceſſitatem, & ratio eos ad dandum ſtimulat, ſed rurſus eos retrahit avaritia, dum cogitant, ſibi deceſſurum, quicquid aliis dederint. At qui dat ita, ut ſui reſpectum non habeat, ſimplex eſt. Ita ſimplicem eſſe, eſt vere liberalem eſſe. Hinc Apoſtolus monet Rom. 12. Qui diſtribuit, faciat id in *ſimplicitate.* Et 2 Cor. 8. 2. laudat Macedonicas Eccleſias, quod profunda eorum paupertas exundaverit in divitias ſimplicitatis eorum, id eſt, liberalitatis. Quo major fuit eorum paupertas, eo major fuit eorum liberalitas.

Et non exprobrat. Exprobrationem opponit ſimplicitati. Qui enim illiberales ſunt, & ad dandum difficiles, ſolent data ſemel, commemorare ſæpius cum acerbitate, & exprobrare accipientibus, etiam ſine cauſa ingratitudinem objicere: aut ſi in minima re delinquant, protinus beneficia ſua crepant & illis inculcant. Deus multo aliter facit. Beneficia beneficiis cumulat

mulat ſine diſcrimine, ne ingratis quidem ea denegans.

Subjicit poſtea doctrinam de eo, quales debeant eſſe preces. *Petat autem in fide*, id eſt, cum fide. Ubi conſiderandum 1. quid per fidem hic intelligatur, & quid ſit orare cum fide. 2. Cur cum fide orandum ſit. Fides quæ cum oratione conjuncta eſſe debet, dupliciter poteſt intelligi: quanquam alter ab altero non multum eſt diverſus. Primò ita, ut qui orat, ſit certus, Deum & poſſe & velle id facere, quod petit. Certitudo tamen iſta non eodem modo ſe in omnibus habere debet. De Omnipotentia Dei nulla ratione dubitandum eſt. Si de ea dubitas, quid oras? Voluntatis Dei alia eſt ratio. De eo quidem etiam, quod Deus promiſit, neutiquam dubitare licet. Sed tamen cum promiſſa iſta non ſint facta niſi piis, quod ſciebat etiam ille cæcus ab ipſa nativitate Joh. 9. 31. Vide etiam 1 Joh. 3. 21, poteſt hic locum interdum habere dubitatio, non de bonitate aut veracitate Dei, ſed de eo dubitare poſſum, an ſim dignus exauditione, an talis ſim, qualem me eſſe oportet, an ad me pertineant promiſſiones divinæ. Qui ſe talem eſſe ſentit, is fidere ac credere poteſt, ſe certò exauditum iri. De ejuſmodi dubitatione hîc non loquitur Jacobus, cum quis de ſua pietate dubitat. Cum enim illa proficiſcatur ex animo humili ac modeſto, interdum etiam ex infirmitate judicii, quod quis ſe indignum beneficii judicet, Deus eo non offenditur: modò ne quis de Deo dubitet. Poſtea ſi quis oret aliquid, quod à Deo promiſſum non eſt, hîc etiam merito dubitari poteſt, an Deus id velit facere. Propterea & Chriſtus cum quadam dubitatione oravit: ſed non quod ego volo, fiat, ſed quod tu vis Pater. De tali quoque dubitatione Jacobus non agit. Nam & Chriſtus dubitavit quodammodo, & tamen exauditus eſt. Sed loquitur Jacobus de dubitatione, illa, quâ aliquid detrahitur vel omnipotentiæ, vel ſapientiæ, vel bonitati, vel fidelitati ſeu veracitati divinæ. Talis dubitatio eſt vehementer reprehendenda. Qui ſic dubitat, eſt vir duplicis animi. At illa dubitatio, qua quis de ſe & de rebus non promiſſis à Deo dubitat, reprehenſionem non meretur. Habet Deus ſuas rationes & cauſas, cur non ſemper ea largiri velit, quæ petimus. Petimus interdum ſanitatem, rerum noſtrarum proſperum ſtatum; Deus tamen denegat, quia videt nobis eſſe melius, ut ſanitate corporis vel proſperitate careamus. Pater non dat cultrum petenti filio ſuo tenello. Habet etiam Deus decreta ſua, quibus non vult quicquam facere contrarium. Ita Samuëli dixit: Noli orare pro Saule, quia eum rejeci. Ita Deus dixit ad Jeremiam: *Etiamſi ſtaret Moſes & Samuël coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Jerem. 15. 1. Ita & Paulus ab initio cum ſpes eſſet aliqua converſionis, oravit pro Iſraële ac ſalute ejus; ſed quod effectum optatum non ſit ſortita oratio ejus, ſine dubio id culpa Judæorum factum eſt. Poteſt aliquis etiam ſpiritualia bona non ſemper impetrare: ut ſi quis hodiè dari ſibi poſtulet Spiritus ſancti miraculoſa dona atque effecta. Decreta enim Dei non ferunt, ut nunc talibus documentis veritatem confirmet, qualibus nunc non eſt opus. In ejuſmodi igitur rebus poteſt locum habere dubitatio, dum modo non ſit cum imminutione Dei gloriæ vel attributorum ejus conjuncta. Imo qui in ejuſmodi rebus Deo confidit, de ſe autem diffidit, ſapientiam Deo tribuit, eumque debito honore afficit. Hanc fiduciam in Deum ſemper nos habere oportet, quia ſemper nobis orandum eſt. Argumenta quibus fiducia noſtra erigatur & nitatur, ex verbo Dei petenda ſunt. Conſiderandum, Deum poſſe nos juvare etiam in extremis poſitos, eum ſcire noſtras neceſſitates, & intelligere noſtra vota ac deſideria. Conſideranda etiam Dei benignitas ac fides in promiſſis. Danda quoque opera, ne de pietate noſtra dubitemus, ſi faciamus quod noſtri eſt officii. Alioqui ſi ſumus impii, merito dubitamus, utrum impetraturi ſimus: imò credere ac certi eſſe debemus, Deum non facturum voluntatem noſtram, quia nos quoque ejus voluntatem non facimus. *Deus facit voluntatem timentium ſe, & orationem eorum exaudit.* Pſal. 145. 19. Si fiducia adſit in Deum, omnia obtinebimus, quæ ipſe nobis promiſit, multa quoque quæ non promiſit. Multum enim in talibus poteſt oratio juſti efficax, inquit Jacobus, loquens de oratione pro ægrotis. Denique non agit hic Jacobus de fide infirma aut parva, ſed tantum de mala dubitatione. Poteſt eſſe parva fides, & tamen eſſe vera. Si habeatis fidem ſicut granum ſinapis, &c. Matth. 17. 20. Etiam debilis fides, dummodo non dividat cor, non illico eſt mala, aut nulla. Altera ſignificatio vocis *Fidei* eſt, ut accipiatur pro certa perſuaſione de veritate religionis Chriſtianæ. Qui enim patitur & orat ſapientiam à Deo, debet de religione Chriſtianâ non dubitare, animumque ſuum ita obfirmare, ut doctrinæ Chriſti adhæreat, & ne morte quidem truculentiſſima ſe ab ea dimoveri patiatur. Sed fortaſſis Jacobus magis ad priorem *fidei* ſignificationem in verbis hiſce ſuis reſpexit.

Rationem deinde affert, cur tali cum fide conjuncta debeat eſſe oratio: quia niſi adſit fides, oratio non exaudietur. Hoc iterum probat: quia homo dubitans ac fide carens eſt inconſtans, ſimilis fluctibus marinis, qui huc illuc jactantur; Secundo, quia talis eſt duplex animo, δίψυχος. Nam qui dubitat de promiſſis Dei, vel de bonitate ejus, is animum modo huc, modo illuc vertit, & modo credit, modo non credit: Non adhæret Deo firmiter, ſed nunc ad mundi, nunc ad Dei partes ſe inclinat. Claudicat modo in hanc, modo in illam partem. *Inconſtans eſt in omnibus viis ſuis*, id eſt, in omni vita ſua, in omnibus actionibus ſuis, ad religionem ac pietatem ſpectantibus, vel etiam in genere, in omnibus rebus etiam extra religionem. Qui enim in religione inconſtans eſt, etiam in aliis rebus non eſt conſtans. Homines oderunt inconſtantes, quanto magis Deus? Si quis ergo talis eſt in precibus, non inveniet gratiam in oculis Dei. Diſcamus fidere Deo. In religione ſimus bene radicati; ne de ea vel minimum dubitemus. Ne ſimus ſimiles ſemini, quod cecidit, in loca petroſa, ubi non habet altitudinem terræ, ideoque etiam profunde radices agere non poteſt, & quamvis cito exoriatur, tamen fervente ſole exuritur & exareſcit. Applicemus animum ad percipienda Chriſtianæ fidei documenta: neve hac in parte tempori aut labori parcamus. Ne occupemur circa ea, quæ mundo placent, Deo diſplicent. Deo cor noſtrum totum conſecremus. Diligamus eum ex toto corde noſtro, & ex tota anima. Ne dividamus cor noſtrum inter Deum & mundum. Nemo poteſt duobus Dominis ſervire. Nemo poteſt oculos ad cœlum habere obverſos, ac ſublatos, & ſimul ad terram demiſſos. In omni actione noſtra ad Deum reſpiciamus, ut ipſi placeamus, & ab eo ſalutis æternæ aliquando compotes reddamur. Quod faxit per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Amen.

Iacob. 1. verſ. 9, ad 12.

TAmetſi Jacobus in hac ſua Epiſtola non adeo accurate ſervet ordinem in tradendis præceptis ac monitis: poteſt tamen monitum ejus, quod hiſce prælectis verbis continetur, cum antecedentibus ita connecti. Monuerat ſuperius fideles, ut animo forti ſuſtineant afflictiones, quibus cum ut plurimum egeni ac tenuioris ſortis homines ſint obnoxii, ita tamen ut nec ditiores ſint ab iis immunes, utrumque hunc ſtatum tam pauperum quam divitum monendum ſibi duxit, ut hac ſua humiliatione glorientur, id eſt, ut eam æquiſſimo ferant animo. Monitum hoc Jacobi eſt mundanis hominibus paradoxon ſeu opinioni ac ſententiæ carnalium hominum adverſum. 1. Monet humiles ac pauperes. 2. Divites. Ad pauperes ſpectant hæc verba: *Glorietur autem frater humilis in ſublimitate ſua.* Qui humiles ſeu viles ſunt, non habent quo glorientur, quia nullam habent dignitatem & præſtantiam. At qui frater eſt, etſi humilis atque abjectus ſecundum carnem, habet tamen quo glorietur: quia in

in ſublimem dignitatem evectus eſt à Deo per Chriſtum. Deus elegit ignobilia mundi & contemta, & ea quæ non ſunt 1 Cor. 1. 28. Elegit pauperes hujus mundi, divites in fide, & hæredes regni ſui Jac. 2. 5. Qui autem eſt hæres regni Dei, habet utique quo glorietur. Nulla enim præſtantia, nulla dignitas hac major poteſt hominibus contingere. Alibi nobis Spiritus ſanctus gloriari prohibet, ſed tamen commendat nobis gloriationem in Domino. Et hæc gloriatio potiſſimum competit humilibus & comtemtis in mundo Chriſtianis. Nam ſic ait Apoſtolus: *Videte vocationem veſtram, fratres, quod non multi ſint ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles. Verum quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut pudefaciat ſapientes: & quæ infirma ſunt mundi elegit Deus ut pudefaciat valida*, &c. *ne glorietur caro ulla in conſpectu ejus*, id eſt, ne homines ſuis ornamentis carnalibus glorientur, quod nimirum ſint ſapientes, nobiles ac potentes, quodque adeò aliquid ipſis inſit, quamobrem eos Deus elegerit. Ne igitur illi criſtas erigerent, & pauperes vilioriſque conditionis homiues contemnerent, propterea Deus elegit pauperes, talemque viam ad vitam æternam hominibus propoſuit, quam facilius ingrediuntur pauperes, quam divites, & magni in mundo, qui plerumque alta ſpirant, mundum hunc ejuſque voluptates ac ſplendorem amant. Addit vero Apoſtolus: *Sed ex eo*, id eſt, ex Deo *vos eſtis in Chriſto Jeſu; qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemtio*; id eſt, Deus per Chriſtum vos fecit ſapientes, ac juſtos, id eſt, ita Deus vobiſcum vult agere tanquam cum juſtis ac prorſus innocentibus; fecit vos ſanctos, & olim vos redimet ſeu liberabit à morte & omni mali genere. Hoc autem quo fine factum eſt? *Ut, ſicut ſcriptum eſt, qui gloriatur, in Domino glorietur.* 1 Cor. cap. 1 verſ. 26, ad finem. Licet igitur gloriari, ſed ita ut Deo omnia adſcribamus, Deo debitam laudem tribuamus. Ita Hebr. cap. 3. verſ. 6. monemur, *ut fiduciam & gloriationem ſpei uſque ad finem firmam retineamus*, ut nimirum habentes ſpem cœleſtium bonorum, gloriemur idcircò, quod jus ad ea habeamus, quod ad ea pertineamus. Gaudium iſtud & gloriatio in Domino efficit, ut Deo agamus gratias, eumque meritis laudibus ſemper evehamus. Apoſtolus ait Rom. cap. 5. verſ. 2. *Gloriamur in ſpe gloriæ Dei, & non hoc ſolum, ſed etiam gloriamur in afflictionibus: & in Deo ipſo, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem reconciliationem accepimus.* ℣. 11. Jam Deum ipſum habemus, quem qui habet, omnia habet. Lætemur ergo omnes, & maxime humiles & egeni, qui non habent aliam gloriandi cauſam. Ne judicemus de rebus ſecundum carnem; ne efferamur animo, quod ſimus aliis in rebus hujus mundi præſtantiores. Ante omnia ſpectemus in hominibus pietatem, rerum divinarum ſcientiam. Nemo talem deſpiciat ac floccipendat, qui ex Deo natus eſt, imo quacunque ratione poteſt tali inſerviat. Gloriemur omnes, nos eſſe ex Dei gratiâ Reges cœleſtes. Conſideremus magnitudinem & certitudinem hæreditatis glorioſæ in cœlis nobis repoſitæ. Tranſit porro Jacobus ad divites, quos monet, ut magnifaciant ſuam conditionem in quam per fidem in Jeſum Chriſtum redacti ſunt. Hoc monitum 1. Proponit. 2. Confirmat. Proponit his verbis: *Dives autem glorietur in humilitate ſua.* Dives opponitur humili: divites enim tantum ſunt in pretio in mundo, & ſine divitiis nemo eſt præſtans. Pauper ubique jacet, ac ſpernitur: ideoque meritò humiles ac viles ſumuntur pro pauperibus. Etſi quis ſit ſplendido genere ortus, ſi careat nummis, pro nihilo habetur. Vult ergo Jacobus, ut dives glorietur in humilitate ſua. Quod videtur eſſe ſibi contrarium: nam præſtantia opponitur humilitati, ex humilitate autem gloriari, videtur eſſe abſurdum. Sed ut in ſuperiori membro, ita & hic pulchre omnia congruunt. Divites ſolent gloriari rebus terrenis: Jacobus aliam viam monſtrat eis, quam inſiſtere debeant; quæ ſtultitia eſt hominibus mundo deditis, qui nihil niſi terram ſpirant. Cum ergo quod hic docet, Jacobus non ſit conjunctum cum quæſtu & emolumentis eorum carnalibus, ad quæ omnes cogitationes eorum directæ ſunt, ut in mundo ſummis perfruantur delitiis; propterea hoc pro ſtultitia reputant. Itaque hic Jacobus proponit particulam illius ſapientiæ, veræ, quæ ſtultitia eſt mundo. 1 Cor. cap. 1. ℣. 18, 23, 24. Loquitur autem Jacobus de humilitate divitum tali, quam nos docet doctrina Chriſti, quamque in ſe ſuſcipere tenentur omnes divites in Eccleſia. De Chriſtianis enim hæc verba intelligenda eſſe, res ipſa docet, & appellatio fratris. Itaque hominibus illuſtribus ac opulentis adimit ſpiritum elatum, & faſtum, quo ſe aliquid majus eſſe cæteris hominibus putant: vultque ut ſe humilient, ac ſubmittant, ut ſint ſimiles hominibus pauperibus & abjectis, ut non amplius deſiderent quam ad vitam ſuſtentandam neceſſarium eſt, ne ambiant honores, ſplendores hujus mundi, ac voluptates, ne imitentur exemplum illius divitis, ante cujus fores derelictus ab omnibus jacebat Lazarus. Hoc eſt quod præſcribit Euangelium divitibus; ut exuant ſuperbiam, quam modeſtiſſime de ſe ſentiant, ut divitias ſuas in beneficentiam convertant, etiam vendentes bona ſua, ſi ita neceſſitas poſtulet, dentque eleemoſynam, ne quenquam in Eccleſia etiam egentiſſimum dum modo ſit pius, ſuperciliose deſpiciant, ſed potius humilibus ſe attemperent Rom. cap. 12. 16. ut ſuſcipiant pauperem fratrem tanquam fratrem, cum eo colloqui ac familiariter agere non dedignentur. Coæquavit omnes doctrina Chriſti & divites & pauperes. Hos extulit, illos depreſſit ac humiliavit: in iſta humilitate nihilominus eſt magna ſublimitas; & debent divites eadem ſublimitate gloriari, quâ & pauperes, ſed Jacobus ejus nunc non meminit, & de eo non loquitur, quia vult nos docere rem, quæ diſplicet mundo. Ideò, inquit, debent gloriari, quod ſint humiles facti, quia per hanc humilitatem evadent glorioſi. Divites ni ſe humilient, peribunt; quodſi ſe humiliaverint, ad ſublime faſtigium dignitatis promovebuntur. Qui habet divitias & dignitates ſecundum carnem, ne glorietur iis, ſed eo glorietur, quod propter doctrinam Chriſti ſit minus ſplendidus, minus honoratus apud homines, quod gratiam hominum Chriſti cauſa amiſerit. Nihil autem revera amittet: quia dignitas ſpiritualis major eſt carnali. Deinde rebus carnalibus hujus mundi bene uti diſcet, quibus hodie omnes divites vulgo abutuntur.

Confirmat monitum ſuum addita ratione, quæ ducitur à damno & incommodo: *Quia ſicut flos herbæ tranſibit*, ſcilicet dives. Similitudine utitur. Flos eſt res pulchra, ſed non diu durans & caduca. Et hanc ſimilitudinem poſtea latius explicat: *Exortus enim eſt ſol cum ardore, & exaruit herba*, &c. Dives niſi ſe reformari per doctrinam Chriſti & ad humilitatem redigi patiatur, tanquam flos interibit. Divites Chriſtiani non debent ea via incedere, quam vulgo omnes divites mundani calcant ac terunt. Habent enim illi peculiares vias ſuas; inſolenter ſe gerunt, ambitioſi ſunt, pleni oſtentationis ac vanæ gloriæ, voluptates ſectantur, ac impatientes ſunt. Quicunque hac via incedunt, peribunt in æternum cum mundo & hominibus mundanis. E contrario ſi ſe dives ſubmittat & fiat humilis, poteſt conſequi illam ſublimitatem, quæ humilibus deſtinata eſt, quia & ipſe humilis factus eſt. Qui mordicus retinens eſt ſublimitatis mundanæ, perdet eam, & ſimul æternam ac cœleſtem, quam aſſequi poterat. Qui de mundana ſublimitate ſe demittit, nec ipſam in totum amittet, & ſempiternæ fiet ſublimitatis compos. *Exortus eſt enim ſol cum ardore, & exaruit herba, & flos ejus decidit*, &c. Quaſi dicat, Quemadmodum cum exoritur ſolis æſtus, exareſcit herbæ flos ac decidit, ita etiam agetur cum divitibus,

tibus, qui divitiis ſuis nolunt ex præſcripto Chriſti uti. Nam & caſus ſunt innumeri, qui poſſunt divitem ſpoliare divitiis; & multo magis, ſi accedant judicia Dei, & tandem mors, omnia interire neceſſe eſt. Hinc Petrus in eandem ſententiam, quam hîc Jacobus expreſſit, loquitur 1 Petr. 1.24: *Omnis caro ſicut fœnum, & omnis gloria hominis ſicut flos fœni; exaruit fœnum, & flos ejus decidit.* Homo omnis levi ex caſu poteſt interire, & quicquid in mundo habet eximii ac pretioſi, id eſt ſimile flori herbæ, ut ſapientia carnalis, opes, iiſque ſimilia, quæ una cum homine pereunt; interdum verò etiam adhuc ante mortem, vivo homini auferuntur. Divites igitur ne glorientur iſtis rebus terrenis ac perituris, ſed glorientur ſua humilitate, ac proinde ſint humiles, non ſtatu ac conditione, ſed animo atque in actionibus ſuis. Coronas ſuas debent homines illuſtres in cordibus ſuis ſubjicere pedibus Chriſti, ut ab eo coronam vitæ æternæ obtineant. Ratio ipſa dictat, non eſſe res iſtas mundanas amandas, niſi forte ratio ſit corrupta vel occæcata cupiditatibus carnis. At rationi illuſtratæ notitia veritatis ac doctrinæ Chriſti terrena omnia ſordent, & vileſcunt præ æternis ac inæſtimabilibus bonis futuræ vitæ. Ne fidamus igitur divitiis neque noſtris, neque alienis. Memores ſimus illius moniti Davidici: *Nolite confidere principibus, nec fiduciam habere in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. Exibit ſpiritus eorum, & revertetur in terram ſuam; die eodem peribunt cogitationes eorum* Pſal. 146. 3. Faxit Deus, ut non ſpectemus ea quæ cernuntur, ſed ea quæ non cernuntur: nam quæ cernuntur temporaria ſunt; at quæ non cernuntur, æterna 2 Cor. 4. ult. Amen.

Iacob. 1. verſ. 25.

SUperius deſcripſerat Jacobus ingens damnum, quod ſubeunt ii, qui verbum Dei audiunt & non ſtudent id executioni mandare; oſtendens, eos ſeducere ſeipſos, dum exiſtimant ſe placituros Deo ejuſque gratiam ac favorem conſecuturos, quia verbum ejus audiunt, & interim non obtinebunt, quod ſperant, ideò quòd non faciant voluntatem Dei: non faciant autem propterea quod poſtquam audierint, obliviſcantur. Cum quis faciem ſuam videt in ſpeculo, non poteſt illa imprimi memoriæ ejus tam fideliter, quam ſi alterius vultum intueatur abſque ſpeculo. Ita & auditorum iſtorum, non facientium voluntatem Dei, memoriæ non infigitur altè verbum Dei; ſi quid adhæreat, parvum id eſt admodum, & non diu manet, ſed excidit; adeoque illi ad cognitionem illam non perveniunt, quam conſequitur ſalus. Videntur ſibi aliquid ſcire, cum revera nihil ſciant. Jam ex adverſo oſtendit Jacobus utilitatem eorum, qui verbum Dei ita audiunt, ut etiam id faciant; docetque quid facere debeat is, qui velit conſequi optatam felicitatem ex auditione verbi Dei. Ubi tria conſideranda. 1. Quomodo audiendum & conſiderandum ſit verbum Dei. 2. Quid auditioni verbi Dei debeamus adjungere. 3. Quæ utilitas ex eo fluat.

Primum exprimitur his verbis. *Qui verò introſpexerit in perfectam legem libertatis.* Quandoquidem ſupra auditorem verbi Dei comparaverat cum homine ſeſe contemplante in ſpeculo, continuat hanc ſimilitudinem, inque ea perſiſtit, eum qui cum fructu audit verbum Dei aſſimilans homini in ſpeculum diligenter inſpicienti. Dicitque illum loco ſpeculi introſpicere in perfectam legem libertatis. Lex libertatis eſt Euangelium: quod vocatur Lex, quia nobis aliquid mandat ac præcipit. Qui velit inſpicere libros Novi Teſtamenti, inveniet eos eſſe plenos præceptorum variorum; nonnulla quoque inveniet in Veteri Teſtamento ad mores ſpectantia, præcepta, etſi brevius poſita. Legis proprium eſt mandare ac præcipere. Multa ſunt in Novo Fœdere nova præcepta tradita, quæ ſunt addita ad præcepta Moſis; prout cuivis patet ex Matth. 5, & aliis locis. Paulus Apoſtolus quoque Euangelium appellat legem Gal. 6.2, ubi mandatum de charitate vocat *legem Chriſti.* Et Jac. 2.12 dicitur: *ſic loquimini, & ſic facite, ut per legem libertatis judicandi.* Quæ verba de lege Moſaica intelligi nequeunt, ſed de Euangelio. Non enim judicabimur ſecundum Moſis legem. Male ſane ageretur nobiſcum, ſi nos Deus juxta Moſis legem judicare vellet. Scriptum enim in ea eſt: *Maledictus omnis, qui non cuncta, quæ ſcripta ſunt in Lege fecerit.* At nos non fecimus cuncta. Indicat autem Jacobus diſcrimen, quod eſt inter Legem Moſis & legem Euangelii: & quidem duplex. Primò cum Euangelium vocat *perfectam legem.* Differt valde Euangelium perfectione a lege Moſis. Multa enim Chriſtus addidit, ut eſſet perfectior noſtra ſanctitas in terris. Fuit quidem & Moſaica lex ſuo modo perfecta; Sed quia ibi erant bona terreſtria promiſſa, Deus pro juſtitia & æquitate ſua minus etiam perfecta præcepta præſcripſit: Nunc cum promiſſa ſint perfectiſſima, merito etiam præcepta perfectiora data ſunt. Ne quis autem voce *legis* terreatur, & rigorem aliquem ac ſeveritatem præceptorumque difficultatem ſub Euangelio pertimeſcat, qualis ſub Moſis lege fuerat, addit alterum diſcrimen Jacobus, appellans Euangelium perfectam legem *libertatis*, indicans, non tanquam ſervos ac mancipia nos eſſe tractandos ſub Euangelio *Non accepiſtis*, inquit Paulus Apoſtolus, *ſpiritum ſervitutis iterum in timorem, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater* Rom. 8. 15. Etſi igitur perfecta ſit lex Euangelii, quia perfecta continet præcepta, ita ut nulla virtus omiſſa ſit; perfectum quoque exemplar Chriſti nobis ſit propoſitum, ad quod quam proximè cebemus accedere, tamen lex noſtra eſt lex libertatis. Quæ libertas duabus in rebus conſiſtit, quemadmodum etiam ſub Veteri Fœdere ſervitus in duabus rebus ſita erat. Primò quia Euangelium liberavit nos à maledictione, ac porro à timore mortis. Illic vi Fœderis ſi quis grave delictum commiſiſſet, puta idololatriam, homicidium, adulterium, &c. protinus excidebat Fœdere, maledictus erat, nec poterat juſtificari, omnis ejus pietas præterita nihil ipſi proderat, nihilque erat reliquum, quam ut eſſet perpetuo in timore mortis, tanquam mancipium aliquod. At nunc Deus præterita peccata nobis omnia ſub Euangelio condonat, ut propter ea nobis non ſit metuenda maledictio, & mors æterna; & quamvis obedientiam a nobis poſtulet, non tam exactam tamen requirit, & omnibus numeris abſolutam; vult acquieſcere, ſi faciamus quantum poſſumus; poſſumus autem multa, Deo auxiliante, qui etiam auxilium ſuum nobis diſerte promiſit. Poſſumus igitur nullo teneri habitu peccati, poſſumus ſecundum carnem non ambulare, ſed ſecundum ſpiritum vivere, poſſumus ea non admittere, quæ pugnant cum fide in Deum & cum timore ac reverentia ejus. Non habet nunc caro noſtra tantum roboris ac virium, ut poſſit ſpiritum noſtrum vincere, dum modo animus ſit probus & omni malitia ac perverſitate vacuus. De hac libertate vide Gal 5. 13. Secundo libertatis lex eſt Euangelium, quia non ſumus amplius ſubjecti jugo infinitarum ceremoniarum. Plura erant mandata Moſaica quam ſexcenta, eorumque maximam & potiſſimam partem conſtituebant partim ceremonialia, partim forenſia & ad politiam Judaicam ſpectantia. Moralia præcepta, quæ ad virtutem ducebant, pauciſſima erant. Sola igitur moralia tantum nobis nunc ſunt obſervanda; illa reliqua duo genera præceptorum ad nos nihil pertinent. Fuerunt illa grave jugum, quod nec ipſi, nec patres eorum ferre poterant, ut inquit Apoſtolus Act. 15. 10. Semper erant in metu, &, ſi quid minimi admiſerant ex ignorantia vel fragilitate, ſtatim opus erat ſacrificiis. Præterea magna fuit ſervitus, id facere, quod naturalis ratio non jubet, cujuſque æquitatem non perſpicit animus. Licuit quidem Deo talia præſcribere; non enim illa erant per ſe inhoneſta aut turpia. Uſus eſt Deus ſerili poteſtate ſua talia præcipiendo. At nunc præcepta talia ſuſtulit Chriſtus, ea ſolum præſcribens, quæ homines liberos decent, & cum ratione ſunt conſentanea,

nea. Deus, & Chriſtus, & Angeli ſunt liberrima agentia, ultro faciunt ea quæ decora ſunt: tali libertate & nos Deus ſub Novo Fœdere vult gaudere, non tamen licentia. Magnum enim eſt inter libertatem & licentiam diſcrimen atque intervallum. Sapientiſſime & juſtiſſime Deus hac in parte egit nobiſcum. Perfecta dedit promiſſa, perfecta quoque præcepta; ſed interim habet etiam infirmitatis liberorum ſuorum rationem: vult ut non ſervili animo ipſi ſerviamus, ſed filiali, ſponte non coacte, non inviti, ſed alacriter & cum gaudio, non tam formidine pœnæ, quam amore Patris noſtri cœleſtis, & ſpe gratiæ atque amoris ejus. In hanc legem libertatis nobis inſpiciendum eſt, conſideranda perfectio præceptorum, conſideranda & ſapientia Dei & benignitas in promiſſis. Non eſt quod de difficultate præceptorum Chriſti conqueramur. Sumus homines liberi, ſed non debemus libertatem quaſi velamen malitiæ habere. Utrumque attendamus, & legem hic eſſe, & libertatem. Legem timeamus & à malo abſterreamur: libertate nos ſolemur, quando labimur ex infirmitate. Hactenus fuit pars prima.

In altera parte oſtendit Jacobus, quid auditioni verbi Dei debeamus adjungere. *Et permanſerit.* Permanſionem hanc opponit Jacobus illi inſpectioni in ſpeculum, qua quis contemplatus eſt quidem ſe ipſum, ſed mox abiit: de quo ſupra ℣. 24. Hic verò dicit de bono auditore verbi Dei, quod is introſpiciat, quaſi pronus atque inclinato corpore, & poſtea non abit, ſed permanet, quaſi ante ſpeculum. Semper gerit legem ante oculos, id eſt, ſemper ejus memor eſt, ne quid contra eam faciat. Quæ videntur in ſpeculo, ſimulac remotum fuerit ſpeculum, evaneſcunt. At quæ ſemper in oculis habemus, ea animo imprimuntur ac tenaciter adhæreſcunt. Ita igitur & nos audire debemus verbum Dei, non tanquam in tranſcurſu, non obiter ac perfunctorie, ſed attente, & efficaciter, ne id animis noſtris unquam excidat.

Tertia pars, ubi utilitas verorum ac proborum auditorum verbi divini explicatur, ſic habet: *Hic non auditor obliviosus exiſtens, ſed factor operis, beatus in opere ſuo erit.* Æquitatem rei videns talis auditor, ſtudet verbum Dei ad effectum perducere. Hoc & nobis faciendum eſt; ut quæ nunc ſunt verba, ea poſtea fiant opera, ubi hinc abierimus. *Beatus erit*, non propterea, quod audivit, quia & prior audivit, ſed quod audiens fecerit. Itaque *in opere ſuo* beatus erit, ſignificat propter opus ſuum, ſuppoſita tamen gratia divina, quæ eſt cauſa beatitudinis. Etiam per opera noſtra debemus ſervari, ac beati evadere, quæ ſcilicet nituntur fide ac fiducia in Deum. Opera cum fide non pugnant. Jac. 2. 14, uſque ad finem. Interdum fides ſola ponitur, tanquam cauſa bonorum operum. *In Chriſto Jeſu nihil valet, niſi fides per charitatem efficax* Gal. 5. 6. NB. efficax, ergo non mortua eſſe debet, non ſine bonis operibus. Aliquando effectum fidei ponitur opera, inque eis fides includitur, ut hic, & 1 Cor. 7. ℣. 19. Ita etiam cum dicitur, Deum redditurum unicuique ſecundum opera Rom. 2. 6, & pietatem ad omnia eſſe utilem 1 Tim. 4. 8, & ſine ſanctimonia neminem viſurum eſſe Dominum: Hebr. 12. 14, in pietate & ſanctimonia fides continetur, quia hac eſt illius fons, & hanc potiſſimum Deus reſpicit. Ita etiam dicit Apoſtolus: Qui talia faciunt, non poſſidebunt regnum Dei. Fructus autem ſpiritus ſunt, charitas, gaudium, &c. adverſus iſta nulla eſt lex. Gal. 5. 21, & ſeqq. Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Sin ſpiritu opera carnis mortificaveritis, vivetis. Rom. 8. 13. Nimirum ubi eſt pietas ac bona opera, ibi etiam eſt fides: ubi non eſt pietas nec fides vera eſſe poteſt, ſed tantum eſt fides diabolica, ad ſalutem inutilis. Jac. 2. 19. Ne decipiamus igitur nos ipſos. Non ſatis eſt noſſe voluntatem Dei, & multa verba de Deo facere: ad judicium majus hoc tantum prodeſt. *Qui ſcit bene facere & non facit, peccatum ei eſt.* Jac. 4. ult. Introſpiciamus ergo in legem libertatis: non in legem ſolam defigamus oculos, neque in ſolam libertatem, ſed in utramque. *Vos in libertatem vocati eſtis, fratres, modo ne libertatem detis occaſionem carni.* Gal. 5. 13. Deus quidem bonus eſt, ſed ſimul quoque ſapiens; cum impuris vivere non vult. Quis ex hominibus honeſtis fœtidam & immundam ſuem admitteret in ſuum conclave? & creditis, Deum admiſſurum in cœleſtia palatia ſua hominem pollutum ac inquinatum cœno peccatorum. Coram Deo turpior & fœdior eſt homo peccatis deditus, quam ſus uto maculata. Magno æſtimat Deus ſuum palatium. Nec mirum: quia eſt excellentius, quam ſi palatium aliquod ex mero auro in terris exſtrueretur. Ajunt quidam, poſſe quidem fidem cum operibus conjungi, ſed opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem. Sed qui ſic credit, quomodo erit pius? Hæc eſt vera fides, credere, quod opera ſint neceſſaria: ex tali fide ſequetur pietas. Et quid magis poteſt neceſſitatem operum ad ſalutem oſtendere, quam quod abſque iis ſalus nequeat contingere? Sine ſanctimonia enim nemo videbit Dominum. Heb. 12. 14. Ad hanc faxit Deus, ut perveniamus, & per eam ad ſalutem. Amen.

Iacob. 1. verſ. 26.

IN ſuperioribus Jacobus monuit, ut non auditores tantum, ſed & factores verbi divini ſimus: porro addit cautionem, ne quis ſe factorem verbi putet, cum non ſit; ſeu, genus quoddam auditorum producit in medium, qui non ſunt factores verbi, quamque in peſſimo ſtatu verſentur, oſtendit. In ſequentibus etiam docet, quænam ſit vera religio, quæ omnia, quæ ad faciendam voluntatem Dei pertinent, in ſe complectatur. Sed nos nunc tantum agemus de ℣. 26. in quo continetur cautio de iis qui ſe factores verbi putant, cum non ſint. Ubi conſiderandum 1. Ad quos hæc cautela potiſſimum ſpectet. 2. Quidnam ſit iſtud, quod cavere maxime debeant. 3. Damnum, quod incurrent, niſi caverint.

Primum quos ſibi velit inprimis cavere exprimit: *Si quis videtur religioſus eſſe inter vos.* Religioſus eſt, qui Deum reveretur, eum libenter colit, & quæ ad gloriam ac cultum ejus ſpectant, facit. Hæc eſt pietas ſtricte ſumta, quæ officia ad Deum directe ſpectantia complectitur. Officia enim Chriſtianorum trifariam dividuntur. Alia ſpectant ad Deum, & ſita ſunt in religioſo cultu Dei. Alia ad proximum noſtrum, & ſita ſunt in juſtitia & dilectione proximi. Alia denique ad nos ipſos, & ſita ſunt in modeſtia ac temperantia. Hæc tria officiorum genera videtur Apoſtolus expreſſiſſe Tit. 2. 12, monens, *ut ſobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſeculo.* Ubi per ſobrietatem intelligit virtutem, quæ nos ipſos reſpicit, & modum in uſu voluptatum corporis præſcribit: juſtitia habet reſpectum ad proximum, jubetque reddere unicuique quod ſuum eſt, ac ſimul charitatem comprehendit, quæ etiam de noſtro aliis largiri jubet: pietas tandem Deum cultumque ejus reſpicit. Non loquitur autem Jacobus hic de iis, qui ſunt verè religioſi, ſed ait. *Si quis videtur ſibi eſſe religioſus.* Nam vere religioſi ac pii, neque Deum, neque hominum quenquam lædunt: itaque ad eos hoc monitum Jacobi minus pertinet. Sed illi qui ſpeciem tantum religionis ac pietatis in ſe habent, hoc monito maxime indigent. Eos ergo admonet, qui ſibi opinione pietatis blandiuntur & imponunt. Opinio vero iſta oportet, ut aliquam habeat originem. Oritur proinde ex initiis nonnullis pietatis, vel ex aliqua ejus ſpecie. Qui enim nulla ex parte pius eſt, vel religioſus, is ſibi talis eſſe videri non poteſt. Sed cum quis libenter frequentat, ſacros cœtus, aures præbet verbo Dei, orat devote ac ſubmiſſe in publico, is præbet ſpeciem religioſitatis, & ex parte etiam facit quod pium eſt: itaque mirum non eſt eum ſibi pium ac religioſum videri. At is interim ſi negligat alia pietatis officia, miſere ſeipſum decipit, una manu ædificans & altera mox idem diruens. Hoc ipſum igitur & nos obſervemus. Audire verbum Dei eſt via ad felicitatem: eſt optima pars, quam qui ſibi cum Maria elegerit,

rit, non auferetur ab eo Luc. 10. ult. Officium quoque noſtrum eſt laudare Deum, idque nunquam eſt omittendum. Hoc enim aliis omnibus officiis noſtris præſtat, quia directe fertur in Deum, tametſi alia officia poſſint eſſe majora ac difficiliora; ut cum quis dura & adverſa patitur, vel abſtinet à rebus illicitis propter Deum. Sed caveamus, ne contenti ſimus hâc pietatis parte, ut religioſi ſimus in conventu fidelium, vel ut extra eum aliquid boni loquamur, & oremus. In aliis quoque omnibus rebus Deum revereamur: ne de nobis dici poſſit, quod olim de Judæis dictum eſt: *Appropinquat mihi populus hic ore ſuo, & labiis me honorat, cor autem eorum longe abeſt à me. Fruſtra proinde colunt me.* Eſai. 29. 13. Matth. 15. 8.

Quid illud ſit, quod hîc potiſſimum caveri vult Jacobus, & à quo fideles dehortatur, exprimit: *Non refrenans linguam ſuam.* Unum vitium nominat, quod familiare eſt iis, qui alioqui verbo Dei delectantur: quanquam & alia in eis multa eſſe poſſint. Sed plerumque tamen homines iſti cultui divino dediti, cavent ſibi à turpibus & flagitioſis factis: at linguæ intemperantiâ peccare minoris ducunt. Alios enim carpere ac ſugillare amant; ſi quem admoneant, nimia verborum aſperitate utuntur, & delinquentes in eo, in quo ipſi non delinquunt, protinus damnant & atrum calculum in eos ferunt. Videntur que ſibi tum inprimis eſſe religioſi, & zelo quodam pietatis duci; cùm interim zelus iſte ſit amarus, quem Jacobus infrà cap. 3. verſ. 14, acriter reprehendit: *Si zelum amarum habetis & contentionem in corde veſtro, ne gloriamini, neque mentimini adverſus veritatem. Non eſt iſta ſapientia ſuperne deſcendens; ſed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus eſt & contentio, ibi eſt inquietudo, & omne opus pravum.* Ubi etiam docet, quam pacifica, & quam manſueta ſit vera ſapientia. Oportet igitur, ut qui volunt non videri tantum, ſed eſſe quoque reipſa pii ac religioſi, ſeipſos bene excutiant, ne in alienis vitiis lynces ſint, in ſuis talpæ, ne dum aliorum peccata acriter perſtringunt, ipſi in peccatis ſuis ſibi blandiantur. Meminiſſe debent moniti illius Apoſtolici: *Fratres ſi etiam præoccupatus homo fuerit in aliquo delicto, vos ſpirituales corrigite talem in ſpiritu lenitatis; conſiderans teipſum, ne & tu tenteris. Alii aliorum onera portate, & ſic implete legem Chriſti.* Gal. cap. 6. 1. Qui ſibi videntur eſſe religioſi, delinquentes etiam ex fragilitate, ferre nolunt, ſed ad vivum omnia reſecant. At qui vere pius eſt, tolerat tales, miſeretur eorum, non ad deſperationem adigit, ſed erigit ac ſolatur, atque ita oneris eorum partem portat, metuens ſibi, ne ipſe eodem vel ſimili morbo corripiatur, tantoque diligentius ſibi cavet, memor ſuæ imbecillitatis. Qui ſpecie tantum pii ſunt, exiſtimant ſe eſſe perfectos, obliviſcuntur ſe eſſe homines & lapſibus æque obnoxios, ac ſunt alii. Verum revera pii, norunt ſe eſſe homines & humani à ſe nihil alienum ducunt. *Charitas omnia tegit, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* 1 Cor. 13. 7. Poſſunt autem etiam alia eſſe linguæ vitia, tam Deum, quam proximum lædentia. Poteſt quis intemperantia linguæ adverſus Deum peccare, quando Deum blaſphemat, aut talia de Deo loquitur, quæ ipſius bonitati, ſapientiæ ac perfectioni adverſantur: ut cum quis dicit, ſe cum tentatur, à Deo tentari. Quod dictum impium Jacobus ipſe ſuprà graviter redarguit ac profligavit ℣ſ. 13, & ſeqq. Linguâ etiam peccatur adverſus Deum, quando quis nomine ejus ſanctiſſimo abutitur, vel in rebus falſis jurans, vel ſine neceſſitate etiam in veris. Adverſus proximum autem varie linguâ delinquitur. Huc enim ſpectant calumniæ, convitia, mendacia, contentiones, obtrectationes, obſcæni ſermones, & alia permulta. Mundus iniquitatis ineſt linguæ, & quaſi Ilias malorum, ſi eam non refrenes. Cæterum hic ea potiſſimum linguæ vitia intelligenda ſunt, quæ committere ſolent, qui ſemipii ſunt, non plane impii ac irreligioſi.

Poſtea Jacobus oſtendit, quo damno afficietur is, qui linguam ſuam freno non coërcet: *Sed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio.* Seducit ſeipſum, quia putat ſe pium eſſe, cum non ſit; ſe Deum religioſe colendo ei gratum & acceptum eſſe, cum propter linguæ intemperantiam non ſit. Vana eſt ejus religio, quia nullum præmium, ſaltem perfectum, quod eſt vita æterna, reportabit à Deo pro ſua religioſitate, quod fuerit diligens verbi Dei auditor; quod crimina in aliis odio ſummo ſit proſecutus, quod ſedulus in laudando & orando Deo fuerit. Videamus & nos, ne nos ipſos decipiamus: ne imitemur Phariſæos, qui propter initia quædam pietatis nimis multum ſibi tribuebant. Ita Deum colamus, ut etiam ea omnia vitemus, quæ ipſi diſplicent. Nullus inter præcepta ejus delectus faciendus eſt, ſed omnia ſunt obſervanda. Forte alicui poſſet exiguum peccatum videri, *non refrenare linguam:* Sed hic videmus doceri à Jacobo, illud tam grave eſſe, ut omnem religionem ac pietatem hominis irritam & inanem reddat. Non ſunt ea quæ loquimur, parvi pendenda. *Ex ſermonibus tuis*, inquit Chriſtus, *juſtificaberis, & ex ſermonibus tuis condemnaberis.* Matth. 12. Et Jacobus infrà cap. 2. 12. monet: *Ita loquimini & ita facite, ut per legem libertatis judicandi.* Actum eſſet de nobis, ſi Deus vellet imputare nobis ea omnia, quæ verbis peccamus: ſed non imputabit, dummodo habitum male loquendo non contrahamus, neque ex malitia peccemus. *Qui vult vitam diligere, & videre dies bonos, cohibeat linguam ſuam à malo, & labia ſua, ne loquantur dolum. Declinet à malo, & faciat bonum; quærat pacem, & perſequatur eam. Nam oculi Domini ſunt intenti in juſtos, & aures ejus ad preces eorum; vultus verò Domini adverſum eos, qui faciunt mala.* 1 Petr. cap. 3. verſ. 10, 11, 12. Largiatur nobis Deus gratiam ſuam, ut & linguam & omnia membra corporis noſtri poſſimus exhibere & facere non arma injuſtitiæ peccato, ſed arma ſeu inſtrumenta juſtitiæ Deo, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. *Amen.*

1 Petri. 3. verſ. 18, uſque ad finem Capit.

Argumentum & Partitio Loci.

IN his verbis duo continentur Primo commendatur ſingularis, patientia & longanimitas Domini Jeſu deinde explicatur ratio evadendi divina judicia quæ immorigeros manent.

Primum caput continetur ℣ſ. 18, 19, 20. Cujus iterum ſunt Duo membra 1. enim commendatur ejus patientia, quam exercuit adhuc mortalis ſeu ante reſurrectionem & glorificationem ſuam 2. laudatur illa ejus Patientia, & longanimitas, quam exercuit immortalis effectus. Prius fit in poſtrema parte ℣ſic. 18. *Mortificatus quidem carne, ſpiritu autem vivificatus.* Ubi iterum duo afferuntur ad illam rationem illuſtrandam: primum quid paſſus ſit Chriſtus, ſeu qua in re patientiam illam oſtenderit; ſecundum quid per eam ſit conſequutus, ſeu quis patientiæ illius fructus fuerit. Prius in iſtis verbis *Mortificatus quidem carne*, poſterius ibi; *Vivificatus autem ſpiritu:* quorum verborum ſenſus hic eſt, Chriſtum licet propter infirmitatem carnis necatus fuerit, divina tamen vi ac potentia, ad immortalem vitam poſtmodum eſſe reſtitutum. Patet hoc ex loco Parallelo 2 Cor. 13. 4, quem huic noſtro reſpondere alii quoque animadverterunt; *Etiamſi crucifixus fuerit ex infirmitate, ſed vivit ex potentia Dei.* Beza totum hunc locum (nempe Petri) quaſi exproſſo ita explicat Paulus, 2 Cor. 13. ℣ſ. 4, his verbis, ἐσταυρώθη ἐξ ἀσθενείας, ἀλλὰ ζῇ ἐκ δυνάμεως θεοῦ. Hæc ille, licet per ſpiritum divinum, intelligat Chriſti naturam. Ex eodem autem loco patet, Primò carnem non tam ſignificare corpus, ipſum paſſionis ſubjectum, quam imbecillitatem illius. [De qua re vide Eſa. 3. 1, 3. XL. 6. 1 Tim. 3. 16, ubi itidem eſt oppoſitio, inter carnem & ſpiritum,

tum, quemlocum confer cum 2 Cor. 4. 7. Item Hebr. cap. 2. 14. 5. 7. ℣ſ. 16 & 28, inter ſe collatis.] Quæ fuit cauſſa quædam efficiens, licet ſecundaria, iſtius mortificationis, & ita ſpiritui ſeu potentiæ Divinæ quæ vivificationis cauſſa efficiens fuit, tanto elegantius potuit opponi. Secundo nihil in eo abſurdi eſſe, quod per carnem caro quidem Chriſti intelligatur, per ſpiritum autem, Dei ſpiritus; cum Paulus dicto loco 2 Cor. 13, infirmitati ipſius Chriſti, ex qua fuerit crucifixus, opponat virtutem non ipſius Chriſti ſed Dei, quem à Chriſto manifeſte diſtinguit. Similis quædam oppoſitio eſt in loco ante citato 2 Cor. 4. 7, quanquam hic idem ſpiritus, Chriſti quoque ſpiritus ab eo præſertim tempore evaſit, ex quo illius vi eſt vivificatus; qua de re paulò poſt. Notandum etiam de voce vivificatus, eam non tantum ſignificare Chriſtum in vitam fuiſſe revocatum, quod factum eſt tertia, poſtquam mortuus fuerat die, ſed etiam quod immortalem vitam fuerit adeptus, quod ſignificatur hoc verbo Joh. 5. 21. Rom. 8. 2, & voce *Reviviſcere* Rom. 14. 9, ubi de ipſo Chriſto ſermo. Verum etiam hoc ex collatione cum loco 2 Cor. 13 patere poteſt, non tantum vitam ipſam immortalem nudè conſideratam intelligi, ſed etiam virtutem illius omniaque cum ea eſſe conjuncta, quæ immortalis exſerat. Nam Paulus iſtis verbis; *Licet crucifixus ſit ex infirmitate, tamen vivit ex potentiâ Dei*, probare vult vel declarare illud, Chriſtum erga Corinthios non eſſe infirmum, ſed potentem eſſe in ipſos, vel in ipſis magnam virtutem exercere: hoc verò non ſatis rectè illuſtraſſet, ſi tantum vitam Chriſti immortalem, quam ex Divinâ potentiâ habeat, commemoraſſet, & non etiam vim quandam efficiendi Divina & admiranda fuiſſet complexus *Vitæ* nomine; quæ vox aut quæ illi ſunt junctæ alias etiam aptæ ſunt ad ſignificandum aliquid, quod agendi & operandi vim habeat; imo quia re ipſa agat & exerceat aliud; quod cuivis S. literas legenti fiet manifeſtum. Vide inter alia Hebr. cap. 4. verſ. 12. quanquam hoc etiam vocibus *ex potentia Dei* apud Paulum, aut voce *ſpiritu* apud Petrum contineri poteſt: quaſi dicat Paulus, nunc vivit immortalem vitam, tantaque operatur, quibus ſeſe vivere oſtendit, ex divina potentia, cujus factus eſt particeps, ut antea fuerat imbecillitatis: ſic Petrus; Vivificatus, atque adeo potens effectus ſpiritu divino, cujus factus eſt particeps, quique ejus veluti proprius evaſit.

Sequitur Secundum Primi capitis membrum, in quo oſtendit Apoſtolus, quanta uſus ſit Chriſtus patientia & longanimitate, poſtquam immortalis jam evaſiſſet. Id vero continetur ℣ſ. 19 & 20, ubi conſideranda hæc Quatuor. 1. Quomodo Apoſtolus exprimat tempus ac modum, quo Dominus Jeſus uſus eſt iſta lenitate 2. Quomodo deſcribat eos, erga quos ea lenitate eſt uſus 3. Qua in re illa lenitas ſeu benignitas Chriſti conſiſtat, ſeu mavis, oſtenſa fuerit. 4. Quomodo Apoſtolus hanc rem exemplo è Veteri Teſtamento petito, illuſtret.

Primum eſt ibi *in quo* (ſpiritu) *profectus prædicavit*. Vocem profectus licet etiam ad Tertium membrum referre. Quid per illum ſpiritum intelligatur dictum eſt, nempe Divina Potentia, qua ex mortuis reſuſcitatus & immortalis factus eſt, quaque ipſa virtute à Deo fuit donatus, ita ut ejus propria quodammodo evaſerit, in eoque habitet, cujus vi omnia nunc quæ ad ſalutem humanam pertinent moderatur ac gubernat: ob quam cauſſam etiam hoc loco Petrus, eam carni Chriſti in qua fuit mortificatus, opponit, & Paulus l. d. infirmitati Chriſti, tanquam quippiam in ipſo Chriſto exiſtens; non quòd jam tum cum mortuus eſſet ac nondum à Deo vivificatus, in ipſo exſtiterit, ſed quod tum cum vivificaretur, hoc eſt, ex mortuis reſuſcitatus immortalis evaderet, ita in eo vim ſuam exſeruerit ut in eum tranſfunderetur inque eo habitare inciperet, quod ſignificavit etiam Paulus Rom. 1. 4, cum ait Chriſtum, *qui factus fuerat ex ſemine David ſecundum carnem* (id eſt, ſi humanum ac carnalem ipſius ortum, ad quem vulgo reſpicimus, & ex quo quemque cenſemus, ſpectes) conſtitutum eſſe Dei Filium in potentia ſeu potentem. Secundum Spiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum. Verbis *ſecundum ſpiritu* non tantum cauſſam efficientem exprimens, quæ extrinſecus exiſtens, eum Filium Dei adeò potentem effecerit, cum à mortuis eſſet reſuſcitatus: quo enim ſpiritu ipſe fuit ſuſcitatus, eo fuit à Deo tum temporis donatus ac ſanctificatus, & à cæteris creaturis ſejunctus, Deoque evaſit ſimilis potentia ac virtute, ita ut ipſe quoque alios reſuſcitare ac Dei filios conſtituere potuerit, adeoque etiam cætera efficere, quæ ad eum finem referuntur [ſunt forte hi ſeptem illi Dei & Chriſti ſpiritus, per quos Chriſtus Eccleſiam ſuam gubernat, confer Apoc. cap. 1. verſ. 4. III. 1. 5. 6.] In hoc ergo ſpiritu dicitur Chriſtus veniſſe & prædicaſſe, id eſt, vel cum hoc ſpiritu, vel per hunc ſpiritum; nam utrumque patitur vocula *in* per Hebraiſmum, cujus exempla crebra in Sacris Literis & Novo Teſtamento. Si priori modo ſumas ſignificabitur Chriſtum hoc tum feciſſe cum à mortuis reſuſcitatus ac immortalis factus Divinaque potentia donatus eſſet; quod pertinet ad oſtendendam ſummam Chriſti lenitatem, ac manſuetudinem, & patientiæ ipſius, quam nobis imitandam proponit Apoſtolus, perfectionem: quod non tantum juſtus pro injuſtis paſſus tum cum adhuc caro eſſet & infirmitate circumdatus: ſed quod tum etiam, cum virtute divina vivificatus eſſet, eaque donatus tam potens evaſiſſet, ut poſſet pro meritis parricidas ſuos pœnis digniſſimis ulciſci; tamen id haudquaquam fecerit, ſed potius ultro eos per legatos ſuos veluti adierit, & gratiam illis ſuam liberationemque, ab omnibus pœnis obtulerit. Exemplo, ut nos quoque non modo cum infirmi ſumus, patienter injurias feramus, verum & eam adepti vel potentiam ac vires, vel occaſionem, ut poſſimus nos vindicare, ulciſci tamen injurias noſtras ne audeamus; ſed potius inimicorum noſtrorum ſaluti ſtudeamus, idque agamus ut exitio eripiantur. Si accipias pro per eum ſpiritum; ſignificabitur Chriſtum non quidem ipſum, ſeu, ut loquimur, in perſona ſua eos adiiſſe & iis prædicaſſe, ſed virtute ſua id feciſſe, dum nimirum legatos ſuos Apoſtolos virtute exalto induit, ſapientia ac miraculoſa virtute inſtruxit, eoſque ad homines refractarios miſit. Nam, quod dicitur, *profectus*, vel ut interdum ſumitur vox Græca, *veniens*, non ita accipienda eſt, ac ſi Chriſtus ipſe, ſeu (ut loquuntur) in propria perſona veniſſet; ſed quòd per Apoſtolos ſeu Legatos ſuos venerit, qui ipſius perſonam ſuſtinebant, quemadmodum olim Deus in Chriſto venit: confer Malach. cap. 3. verſ. 1. & Matth. cap. XI. verſ. 10. Marci cap. 1. verſ. 2. 3. Talis loquendi modus Epheſ. cap. 2. verſ. 17, ubi etiam agitur de re huc pertinente, quatenus ſermo eſt de Euangelio Judæis poſt Chriſti exaltationem annunciato, ubi ait, *Et veniens annunciavit pacem*; ipſe enim per ſe ipſum non annunciavit pacem iis, qui ſunt longè, hoc eſt, Ethnicis, ſed per Apoſtolos; quare dicitur veniſſe in Legatis ſuis. Sed inprimis huc pertinet locus Act. cap. 3. verſ. ult. *Vobis (Judæis) primum Deus reſuſcitato filio ſuo, miſit eum benedicentem vobis, ſi quiſque converſus fuerit ab improbitatibus veſtris*. Ubi dicitur Deus Chriſtum poſt reſuſcitationem primum miſiſſe Judæis, idque ita ut illis benediceret ſi reverterentur à ſuis peccatis: Non quòd eum ipſum miſerit, ſed quod ipſius nomine pœnitentiam & remiſſionem peccatorum offerri juſſerit: non ſecus ac ſi ipſum Chriſtum miſiſſet. Eſt autem in hac voce *profectus* vel veniens vis aliqua, quæ pertinet ad oſtendendam ſummam Chriſti manſuetudinem, nimirum quod non expectarit, donec hoſtes ſui ad ſe converſi gratiam ſuam ambirent & priores quærerent, ſed quod ipſe ſeſe veluti demiſerit, eos ultro adierit, iis gratiam ſuam prior obtulerit, id quod ſummæ eſt in tanto principe ac rege clementiæ: quod adhuc magis patebit, ſi conſideraverimus, quales iſti fuerint, quos

quos adiit. [Ex quibus patet, hanc vocem poſſe omnino ad tertium membrum referri, nempe ad explicationem illius benignitatis Chriſti, quam hoſtibus ſuis exhibuit.] Hoc poteſt etiam ſupra dici. Ex his autem patet non eſſe hic ſermonem de re, quam Chriſtus fecerit antequam à mortuis reſuſcitaretur (ut Pontificii contendunt) nec de deſcenſu ipſius ad inferos, quod factum eſſe putant iſto triduo, quo fuit ſepultus, ſed de re quæ facta fuerit ab eo tempore, quo ſpiritu illo fuerat præditus, quo fuit vivificatus. Patet etiam divina Chriſti potentia & imperium, quod ſpiritus divini vi exercet, per quem ad homines venit, iiſque præſens adeſt. Quodſi dura cui hæc videatur vocis *profectus* explicatio, quanquam revera elegans ac concinna cenſeri debet, poteſt ita eam accipere, ac ſi diXiſſet, *Profectus in cœlum* ut infra ỷſ. 22, ſeu ad Patrem; qua ratione tempus tantum deſcribitur, quo hæc Chriſti lenitas fuit exſerta, & voces *in quo ſpiritu*, magis cum voce *prædicavit* cohærerent; quam cum voce *profectus*; quanquam idem fieri poteſt priori explicatione retenta.

Secundum membrum, hoc eſt, deſcriptio eorum, quibus exhibita eſt iſta Chriſti longanimitas & clementia, eſt ibi: *Etiam iis qui in carcere ſpiritibus, qui aliquando immorigeri fuerant.* Particula *etiam* licet poſſit jungi cum voce *abiens* vel *prædicavit*, quaſi dicat iſto ſpiritu non tantum vivificatum fuiſſe Chriſtum, ſed etiam ejus vi abiiſſe, ac prædicaſſe ſpiritibus iſtis: tamen recte videtur connecti cum proxime ſequentibus, hoc eſt, *iis in carcere ſpiritibus*, quaſi dicat, non iis tantum prædicavit qui pœnam non videntur tantopere commeriti, ſed his etiam ſpiritibus judicio divino digniſſimis: quod pertinet ad exaggerandam hanc Chriſti benignitatem: Quod verò eos deſcribit voce ſpirituum, id duplici ratione poteſt accipi, primo, ut vox ea ſumatur ſimpliciter pro hominibus, quemadmodum ỷſic. ſequenti animæ ponuntur pro hominibus, pars nimirum pro toto, qua de re infra plus. Sed deinde etiam ſumi id poteſt pro hominibus tum, cum hæc Petrus ſcriberet, *mortuis*, per anticipationem ſive prolepſin. Solemus enim res ſæpe nominare non quales tum fuerint cum id fieret de quo ſermo eſt, ſed quales tum ſunt cum nos loquimur. Sic ait Noëmi ad nurus ſuas Ruth. 1. 9. Dominus vobiſcum faciat miſericordiam, quemadmodum vos cum mortuis, (hoc eſt, filiis meis qui nunc ſunt mortui) & mecum feciſtis. Sic etiam hoc loco tribuitur his ſpiritibus quòd aliquando fuerint immorigeri, quemadmodum omnes interpretes accipiunt, & accipere coguntur: non de Spiritibus poſtquam corpore exuti fuiſſent, ſed de ipſis hominibus, quorum fuerunt ſpiritus, cum viverent. Uſurpant autem Sac. Lit. ſpirituum vocem libenter, cum de mortuis aut morituris loquuntur, animæ cum de vivis. Animæ nomine vel vita ipſa ſolet denominari vel facultas, ex qua actiones ad animalem hanc vitam pertinentes erumpunt: rarò pro ſpiritu, qui poſt mortem manet ſuperſtes, & propter hanc cauſam, cum de mortuis aut morituris ſermo eſt, crebro ſpiritus vox uſurpatur, inter alia vide Hebr. 12. 23: ſic ſpiritum ſuum Chriſtus Deo, Stephanus Chriſto commendavit. Sic apud Salomonem, ſpiritus redit ad illum qui dedit eum. Spiritibus ergo hoc eſt, hominibus majorem partem (nam quod de majori parte verum eſt, id indefinite aut generatim de omnibus dicitur) tum temporis mortuis prædicavit. Qua deſcriptione videtur ideò uſus, ut eos ſpeciatim indicaret, qui Chriſti mortis, de qua paulò ante loquutus fuerat, auctores fuerunt. Valde enim credibile eſt, non parum temporis inter ſcriptionem hujus Epiſtolæ & mortem Chriſti interceſſiſſe. Cum appareat hanc Epiſtolam ſcriptam eſſe tum, cum jam multis in regionibus, ut ex capite 1. liquet, Euangelium obtinuiſſet, adeò ut multi aut etiam plerique eorum, qui mortis Chriſti veri fuerant auctores eſſent mortui, quos ipſos videtur voluiſſe deſignare Petrus, ut tanto clarius oſtenderet quanta fuerit clementia Chriſti, qui non tantum ejuſdem nationis hominibus, aut etiam poſteris parricidarum ſuorum ſed his etiam ipſis gratiam ſuam annunciari juſſerit; quod fecit inprimis per hunc ipſum Apoſtolum Petrum ut apparet ex Actor. 2. 23. III. 13, 14, 15, 17 & ſeq. 26. IV. 10. VIII. 30, &c.

Hoc adhuc addi poſſe videtur, poſſe etiam priorem ſignificationem vocis *ſpiritus* hic retineri, ut nimirum *ſpiritus* ſimpliciter ſumatur pro hominibus, quemadmodum vox anima, non habita ratione ejus, quòd tum, cum Petrus hæc ſcriberet, reipſa fuerint mortui. Potuit verò vel ideò *ſpiritus* voce, hîc uti Petrus, quòd prædicatio hæc Chriſti ad ſpiritum & mentes iſtorum hominum revera pertineret (quod videtur Socinus voluiſſe indicare, in hujus loci paraphraſi) quemadmodum etiam inprimis ratione ſpiritus in carcere quodam tum detinebantur, vel quod tum cum Dominus Jeſus illis prædicaret, mortuis eſſent ſimiles, ſeu ſpiritualiter mortui: qua ratione dicitur de hominibus hujuſmodi, eos eſſe in monumentis, ut Joh. 5, ſic etiam de iis, qui in miſera ſunt conditione poſiti loquitur Sanctus ſpiritus tanquam de mortuis; ut de iis qui in captivitate Babylonis apud Ezechiëlem cap. 37, & Daniel 12, quod in pulvere dormiant. Potuit ergo hic Petrus voce *Spiritus* alludere ad vocem *mortuos*, cum alias voce Animarum fuiſſet uſurus; utpote in hac ſignificatione Synecdochica in Sacris Literis frequentiſſima. Iſtud denique addi poteſt in multis imo correctioribus vulgatæ editionis codicibus pro *ſpiritibus* legi *Spiritu*; ſic in Bibliis Vatabli legitur; notata tamen in margine diverſa lectione, ut notat Lucas Brugenſis in variis ſuis lectionibus Biblicis; ut ſignificentur ii, qui quoad ſpiritum fuerint in carcere, ſeu in quadam captivitate, quæ animum concerneret.

Secundo, eoſdem erga quos tanta lenitate Chriſtus uſus eſt, deſcribens ait; *Qui in carcere*, hic ſubaudiri poteſt erant vel ſunt. (quanquam prius videtur magis probandum) Hic carcerem accipiunt Pontificii, pro neſcio quo, Limbo, in quo Patrum ſeu Patriarcharum animæ fuerint concluſæ: ſed Spiritus ſanctus teſtatur ſpiritum redire ad Deum, & ipſi alias contendunt ſanctos ſtatim poſt mortem in cœlum abire, alios purgatorio expiatos eodem migrare. Sed præterea nulla ratione oſtendent, locum eſſe aliquem, qui carcer dici mereatur, in quo piorum ſint animæ poſt mortem. Quod ſi accipere id velint (ut quidem nonnunquam videntur, cum locum hunc ad deſcenſum Chriſti in infernum & ad expugnationem clauſtrorum infernalium accommodant) de inferno, id eſt, ut illi accipiunt de loco, ubi impiorum animæ cruciantur; itidem erroris convincentur, cum ipſi fateantur ex iſto ſuo inferno non eſſe redemptionem; at hi Spiritus, qui ibi fuerunt, ex hoc carcere redimi potuerunt; cur enim alias illis prædicaſſet Chriſtus: Deinde infernus ille Pontificius non tam carcer dici meretur quam ultimi ſupplicii locus: Denique in iſto Pontificio inferno non fuerunt animæ Patrum, de quibus, licet falſo, loqui hîc credunt Apoſtolum Pontificii.

Reſtat ut noſtram ſententiam explicemus: Ea verò eſt, quòd iſti homines quibus Chriſtus benignitatem iſtam exhibuit, vel, ut Socinus, malitiæ & ignorantiæ vi, quodam quaſi carcere, tanquam iræ Dei captivi detinerentur, vel extrema ſupplicia fuerint meriti, eamque ob cauſſam morti jam a Deo deſtinati, & veluti in carcerem quendam conjecti, ex quo deinde ad ſupplicium raperentur ſeu educerentur. Subeſt enim ſimilitudo quædam his verbis, Magiſtratus enim maleficos, quos ſuppliciis deſtinat, in carcerem prius ſolet conjicere & ibi vinctos detinere, donec commodum videatur eos inde ad ſupplicium rapere. Eadem metaphora vel ſimilitudine utitur Petrus 2 Epiſt. 2. 4, ubi de Angelis, qui peccaverunt, ait, quod eos Deus catenis caliginis in tartarum (quaſi carcerem quendam ſubterraneum, ut ſolet accidere iis, qui gravia ſcelera perpetrarunt) detruſos tradiderit ad damnationem ſervandos: quanquam in eo eſt differentia inter hunc carcerem ſpirituum illorum, & inter vincula hæc & carcerem Dæmonum, quod hi immutabili prorſus decreto Dei ſint ſupplicio deſtinati; iſti vero homines deſti-

nati quidem, ſed ſub pœnitentiæ conditione, ut olim mundus cui diluvium minatus erat Deus, quo exemplo mox utitur Petrus; & Ninivitæ (poteſt enim etiam is qui in carcerem eſt conjectus & ſupplicio deſtinatus, imò etiam is cui ſententia mortis jam eſt deſtinata, poſtea vel gratia principis vel ob preces alicujus pro ipſo, liberari à ſupplicio) & propter hanc cauſſam etiam Chriſtus illis prædicavit, ut nimirum ſi reſipiſcerent eximerentur ex hoc carcere & libertati reſtituerentur, eſſentque à ſuppliciis divinis immunes. Talis, ut antea indicavimus, eſt Judaicus ille populus qui Chriſtum Euangelium annunciantem repudiavit & occidit; cui Dominus Jeſus non ſemel exitium & excidium urbis extremamque vaſtationem & ablationem ab illis Agri Dei minatus eſt, ita tamen ut daret pœnitentiæ locum: qua de re poſtea. Ex quo apparet lenitas, ſumma ut Dei ita etiam Chriſti, de quo hîc expreſſe eſt ſermo, qui etiam iis gratiam ſuam offert, qui extrema ſunt ſupplicia meriti, & eorum reſipiſcentiam expectat.

Quodſi verò malis ſubaudire vocem *ſunt*, quaſi dicat Petrus: qui jam ſunt *in carcere*; tum hæc verba accipienda ſunt, de immutabili prorſus decreto de iis ſupplicium ſumendi, ut de Dæmonibus modo diximus: ii enim qui mortui ſunt nec reſipuerunt, judicio reſervantur. Nam licet multi eorum vix effugerint pœnam, tamen partim de illis etiam ſupplicium ſumptum eſt, cum in illorum popularibus ac poſteris de ipſis fuit ſumpta pœna; partim extremo interitui aſſervantur, & quod illorum ſimilibus contingit, idem de illis fiet judicium. Ita enim de hac materia deque ipſo Judæorum exitio loqui ſolent Sa. Lit. Ex quo patet ſeveritas Dei in extreme contumaces. Tandem enim omnis ſpes gratiæ intercipitur immorigeris & tantum reſtat terribilis expectatio judicii, catenisque conſtringuntur iſtiuſmodi homines, & ſupplicio aſſervantur.

Tertiò ait: *Qui aliquando inobedientes fuerant* vel *fuerunt*. Iſtud *aliquando* accipiendum videtur de tempore quo Chriſtus ipſe iis Euangelium prædicavit: inobedientes autem fuerunt adeò, ut non tantum ejus doctrinam non reciperent, ſed etiam eundem occiderent: quare meriti ſunt, ut veluti in carcere quodam ad divina ſupplicia aſſervarentur. Quodſi placet etiam de tempore quod ſequutum eſt, accipere (quod tum fieri poterit commodius, ſi legas, qui ſunt in carcere) adhuc aucta eſt illorum improbitas vide Rom. 10. 16, 21 & 1 Theſ. 2. 15, 16. Ex his autem verbis apparet quantopere fallantur Pontificii, qui hoc referunt ad ſpiritus Patrum iſtorum piorum, qui olim vixerunt, eorumque ex neſcio quo limbo liberationem; cum Petrus expreſſe loquatur de ſpiritibus immorigeris & contumacibus.

Sequitur Tertium membrum, nimirum qua in re iſta, Chriſti clementia & longanimitas conſiſtat; *Prædicavit* vel ſi id etiam huc velis referre *veniens* vel *profectus prædicavit*. De voce *veniens*, quanta ejus vis ſit, quod ad illuſtrandam Chriſti benignitatem pertinet, jam antea dictum eſt. Voce prædicationis id nos intelligere par eſt, quod hac voce in Sacris Literis Novi Fœderis plerumque ſolet ſignificari; nimirum, prædicationem Euangelii, prædicationem remiſſionis peccatorum ſub conditione pœnitentiæ; qua de re vide Lucæ 24. 47. Quomodo autem id factum fuerit abunde teſtantur acta Apoſtolorum; ex quibus nos ſupra loca nonnulla adduximus. Quod vero Pontificii hîc intelligunt, quaſi Chriſtus iſtis Patribus in limbo neſcio quo conclusis, dixerit ecce ego adſum, quem exſpectaveratis; præterquam quòd jam oſtendimus, de ſpiritibus iſtorum Patrum nullo modo loqui Apoſtolum, ſed impiorum; nec ullo loco Scripturæ oſtendunt tale aliquid illis ſpiritibus dixiſſe Chriſtum, nec id ſimplici Prædicationis nomine intelligi poſſe oſtenditur: ac præterea, cum Spiritus redeat ad Deum, quid opus eſt Chriſtum ſpiritibus ibi prædicare. Adde quod ſpiritus illi poſt mortem non intelligunt, nec ita vivunt, ut illis aliquid prædicari queat. Nam ſi viverent, enervaretur argumentum Chriſti Matth. 22, & Lucæ cap. 20, qui ex eo quòd Deus ſe vocavit Deum Abrahami Iſaaci & Jacobi, non ſit autem Deus mortuorum ſed vivorum, concluſit eos omnino reſuſcitari, atque adeò in vitam revocari oportere. Si enim jam ſunt vivi illorum Spiritus, ita ut audire prædicantem & intelligere poſſint, quid opus eſt reſurrectione ad hoc, ut Deus illorum Deus dici poſſit? nam etiam non poſita reſurrectione Deus, quatenus eorum Deus eſt, vivorum Deus erit, non mortuorum. Deinde quorſum illis prædicaretur? Deus enim ideò ſolet curare ut hominibus prædicetur, ut ſi illi credant ac reſipiſcant, virtutis ſuæ edant ſpecimina: At illi, ſi credere poſſunt (ponamus enim) ſi Chriſtus illis in carcere illo prædicavit, non potuerunt non credere propter rei certitudinem & evidentiam: quod virtutis ibi opus?

Sequitur Quartum membrum; hoc eſt, amplificatio (quemadmodum) *cum ſemel expectaret*. Nemini mirum videri debet ſuppleri vocem comparationis. Nam hujuſmodi voces non ſemel ſubaudiuntur in Sac. Literis. Et hæc ipſa quidem particula ſubauditur 2 Pet. 3. 4. *Nam ex quo &c. omnia ita permanent* ſicut *ab initio creationis*: nam quominus ſimpliciter accipias obſtant verba præcedentia, *ex quo Patris*. Sic Pſa. XI. 1. *Quomodo dicitis, animæ meæ Fuge, in montes* (ſicut) *Avis*, ubi Græci interpretes ſuppleverunt particulam *ὡς*, quæ hic etiam ſubauditur. Nam ſi hoc referas ad eoſdem de quibus antea ſermo, quid hæc ad ſcopum Apoſtoli? qui vult commendare Chriſti lenitatem, & patientiam adverſus illos qui ipſum morti tradiderant, ut nobis quoque eandem commendet? quid verò hoc ad illum mundum antiquum, qui de Chriſto ne audivit quidem, nedum ut patientia adverſus illos opus fuerit uti Chriſto. Deinde cur his potiſſimum diceretur Chriſtus hîc prædicaſſe poſt mortem (nam ita hoc foret accipiendum, ſi hoc ad illos ſpiritus eſſet referendum) hominibus tam improbis, tam extreme contumacibus, cum eos Deus per tantum temporis ſpatium ad pœnitentiam vivos jam vocaſſet, cum antea tales eſſent, ut Deum pœniteret, quòd homines creaſſet? Cur non potius aliis aliquibus minus improbis & contumacibus Chriſtus prædicaret, quos Deus non exſpectata illorum reſipiſcentia ſuſtulit? Ac præterea ne ipſi quidem Pontificii volunt his eſſe prædicatum Euangelium, ſed Patribus. Eſt ergo comparatio qua Petrus, tum Chriſti erga ſuos parricidas lenitatem ac longanimitatem, tum illorum contumaciam illuſtrat & oſtendit, non mirum videri debere Chriſtum tam parum apud illos profeciſſe; cum idem olim acciderit. Ad amplificandam quidem Chriſti lenitatem, hoc modo referuntur hæc verba: Quemadmodum Deus olim ſumma lenitate uſus eſt erga mundum adeò ſceleratum, ut eum pœniteret, quod creaſſet homines; cum illis dedit ſat longum pœnitentiæ ſpatium, nimirum 120 Annorum, & juſſit Arcam ædificare in judicii futuri ſuper contumaces argumentum, ſolatium autem & auxilium reſipiſcentium, quod tamen paucis profuit: ita Chriſtus non minori nunc uſus eſt lenitate, cum hominibus tam contumacibus gratiam adhuc obtulit; cum velut in carcere concluſi ad judicia divina aſſervarentur, tum eos adiit, & ad reſipiſcentiam vocavit. Vel ſi malis hoc ad exaggerandam iſtorum contumaciam dictum; hoc modo fuerint hæc verba accipienda quaſi dicat: Quemadmodum olim cum Deus delere vellet genus humanum propter ſcelera, certum tamen illis reſipiſcentiæ tempus præfigeret, & longanimitate ſingulari uteretur, atque in certum ſignum futuri Diluvii arcam juberet ædificare, quâ poſſent ſalvi evadere ii qui reſipiſcerent; & tamen generatim omnes manſerunt contumaces, & octo tantum animæ fuerunt ſervatæ in arca, aquis eam ſubvehentibus ac ferentibus: ita etiam iſti homines, cum illis Deus per Chriſtum ſcelerum remiſſionem offerret, & ad reſipiſcentiam omnes revocaret, licet ſupplicii divini indicia certa exſtarent, contra autem, ea evadendi ſpes certa oſtenderetur; generatim tamen omnes contumaces fuerunt, eamque divinam gratiam ſpreverunt, pauciq; omnino divina ſupplicia evaſerunt. Cum dicit *ſemel*, duplici ratione id poteſt accipi. 1. Ut opponatur hoc factum Dei huic facto Chriſti, atq; adeò ipſius Dei per ipſum q.d. Ibi Deus id

id ſemel fecit; nunc Chriſtus iterum. 2. vel ſignificat, Deum ſemel uſum lenitate iſta, quia determinavit certum tempus, quouſque vellet uti miſericordia, quo elapſo jam noluerit repetere lenitatem ſuam, eamque ulterius producere. *Cum appararetur Arca* poteſt hoc fortaſſe intelligi de toto tempore illo, quo Dei longanimitas exſpectavit, ſed crediderim probabilius eſſe intra iſtud temporis ſpatium id factum: paratam quidem Arcam paulò longiori tempore veriſimile eſt, & forte poſtquam parata eſſet, aliquamdiu ſtetiſſe in ſignum futuri Diluvii. Verba *per aquam*, alii putant tantum ſignificare, in media aqua ſeu per medias aquas, ita ut undique aqua eſſet infra arcam & deſuper deplueret: tali ratione accipitur particula *per aquam* infra 2 Epiſt. cap. 3. 5. Nam Græci διὰ ſumunt pro μετὰ ut notat Beza ad 2 Tim. 22. Sed rectius accipitur pro cauſa media, nempe, quod ipſa etiam aqua fuerit aliquod hujus ſalutis vel liberationis à ſuffocatione adjumentum; quia nimirum Arcam ſuſtulit ac ſuſtinuit: vide notas in Bibl. Vat. Hoc verò ideò probabilius eſt, quod poſtea hæc res, quod nimirum per aquam ſervatæ ſint iſtæ paucæ animæ, comparatur cum baptiſmo, tanquam antitypo qui nos ſervet & à judiciis divinis liberet, adeoque eſt cauſa inſtrumentalis ſalutis noſtræ.

Secundum caput eſt ỷſ. 21, 22. Ubi duo conſideranda 1. quæ ſit iſta ſalus, de qua Petrus loquitur & ejus conſequendæ rationem exponit, quæ res facilis eſt. Hic nota vocem ſalutis ſignificare ſemper liberationem aliquam vel è malo vel ſaltem è periculo. 2. quæ ſit via iſta. De hac vero via ita agit. Primo illam comparatione illuſtrat; Secundo eam exprimit & explicat: Tertio oſtendit unde ea proficiſcatur, vel unde ea tantam vim habeat, ut poſſit nos ſervare.

Primum eſt ibi. *Cujus* (rei) *antitypon*, per id cujus antitypus eſt Baptiſma, intelligit Apoſtolus id, quod præſtitit aqua in allevatione arcæ, adeoque in conſervatione iſtarum animarum, quæ erant in arca: hujus enim rei antitypus eſt baptiſmus. Antitypon qui alibi ſumitur pro typo, ut Hebr. 9. 24, Apoſtolus hic vocat corpus figuræ ſeu typo reſpondens, & veluti è regione oppoſitum, ſeu rem eam, quæ figura illa fuerit adumbrata. Ex quo ipſo jam facile intelligitur, per baptiſma, hoc loco, non externam illam ceremoniam, quæ aqua elementari peragitur, intelligi; ſed quippiam ſpirituale, quod corporis habeat rationem, & iſti figuræ opponi meritò poſſit: nam ceremonia iſta externa, ipſa figura eſt & adumbratio rei ſpiritualis, ut explicat Paulus Rom. 6, nec plus in ſe habet veritatis, quam olim illa allevatio Arcæ & ſuſtentatio per aquam: imò hæc quia non adumbravit illam liberationem è diluvio, ſed reipſa, divina ope accedente eam tribuit, plus videtur habuiſſe in ſe veritatis, quam hæc externa cerimonia.

Reſpondere autem baptiſmus noſter dicitur ei rei, quæ per aquam facta, & cum ea ſimilitudinem aliquam habere; non tantum quia hic baptiſmus fit per aquam quandam ſpiritualem in verbo Epheſ. 5, quemadmodum iſthic aqua intervenit ad allevationem Arcæ, qua ſervatæ ſunt animæ; ſed etiam quia hic baptiſmus ſalutem tribuit animabus noſtris, ſecundum divinam gratiam, quemadmodum id quod olim aqua præſtabat, cauſa quædam fuit media, quæ divina accedente ope, animas iſtas ſervavit. Rectè autem poteſt baptiſmus ei quod olim factum, opponi tanquam veritas figuræ, corpus umbræ: Nam hoc longe præſtantius eſt, quam id quod olim factum eſt. Baptiſmus enim noſter ſpiritualis eſt, & ad animum pertingit, eſtque res vere divina: allevatio iſta per aquam facta, res externa & ad corpus pertinens, & per ſe conſiderata, res naturalis fuit ac terrena: præterea illa ſalutem præſtitit corporis ſeu ad hanc vitam pertinentem ac temporariam; Hæc ſalutem præſtat animæ æternam.

Secundum. Sed videamus, quomodo tum exprimat, tum explicet iſtam rationem adipiſcendi ſalutem Apoſtolus.

Exprimit voce *baptiſmi* impropria, ut tanto commodius poſſit eam opponere ei, quod per aquam olim eſt factum, & hoc iſtius facere antitypon. Intelligit autem baptiſmum, ut mox videbimus, ſpiritualem quo animi abluuntur ſordes ſeu peccata; ſive illa in corde tantum lateant, ſive etiam externo actu ſe prodant, & corpus ea ratione polluant: nam hac ratione dici poteſt, hunc *baptiſmum eſſe ablutionem ſordium ac pollutionum corporis* ſed ſpiritualium vide 2 Cor. 7. 1. & Hebr. 10. 22. Sed audiamus ipſum Apoſtolum ſua verba explicantem.

In explicatione autem iſta duo præſtat. 1. docet, quid non ſit iſte baptiſmus 2. quid ſit.

Prius continetur ibi · *Non depoſitio ſordium carnis.* Res eſt facilis: quo magis reprehendendi ſunt illi, qui cum baptiſmum in Sacris Literis hinc inde nominari audiunt, & quidem tanquam rem ad ſalutem noſtram pertinentem, etiamſi nullum additum ſit indicium baptiſmi aquæ, qui externus eſt, & ſordes corporis abluit: tamen hunc protinus intelligunt. Cur non potius Spiritum ſanctum vel ſpiritualem baptiſmum quem Petrus nobis explicat, & ſalutem nobis per Dei gratiam præſtare aſſerit intelligunt, & tutius ac minore cum erroris, atque adeò ſalutis ſuæ periculo? Vel etiam cur Spiritus baptiſmum, ſi res alias ferat, non intelligunt potius; cum hic baptiſmus Chriſti ſit proprius, & aquæ baptiſmo, quo Johannes diſcipulos ſuos initiare ſolitus eſt, opponatur? Vel cur non intelligunt baptiſmum doctrinæ, cum & hujus mentio fiat in Sacris Literis, iſque ſit ad ſalutem neceſſarius? Vel denique, ſi aquæ baptiſmus omnino alicubi videatur intelligendus, videaturque de re ejuſmodi ſermo eſſe, quæ ad ſalutem ſit neceſſaria, cur non potiſſimum profeſſionem iſtam apertam nominis Chriſti & receptionem doctrinæ ipſius, quæ iſto baptiſmo peragitur, eſtque ad ſalutem per ſe conſiderata neceſſaria, intelligunt?

Poſterius præſtat his verbis: *Sed interrogatio bonæ conſcientiæ in Deum* ſeu *erga Deum.* Sat obſcure videtur Apoſtolus explicaſſe, quid ſit iſte baptiſmus, qui nos ſervet: ſed ſi conferamus hanc explicationem partim cum voce ea, quam explicat Apoſtolus, partim cum membro explicationis oppoſito, hoc eſt, cum eo quod Apoſtolus dixerat, non eſſe hunc baptiſmum ablutionem ſordium corporis; res melius intelligetur. Vox quam explicat eſt baptiſmus ſeu immerſio quædam ablutionis faciendæ cauſſa, ſeu mavis ablutio quædam. De ablutione ergo ſeu repurgatione quadam ſermo eſt. Sed quia addit Apoſtolus, hujus rei explicandi cauſſa non intelligi à ſe repurgationem ſordium carnis; facile intelligitur eum, cum addit *ſed bonæ conſcientiæ interrogatio* hoc velle dicere; Sed ablutio ſeu repurgatio ac depoſitio ſordium animi. De qua ablutione vide Epheſ. 5. Tit. 3. Hebr. 10. 22. Hoc ergo conſiderandum reſtat ut rem ipſam videamus; cur hanc repurgationem ſordium animi hoc modo deſcripſerit, & quænam iſtorum verborum propria vis ſit. Videtur ergo Apoſtolus conſequens poſuiſſe pro antecedente, ſeu effectum pro cauſſa. Interrogatio enim illa bonæ conſcientiæ erga Deum, ex ablutione illa ad faſtigium ſuum (illud nimirum ad quod neceſſarium eſt homini ſuæ ſalutis amanti pervenire) perducta efflorescit. Itaque cum ad eam perventum eſt, homo id habet quod ex ipſius parte ad ſalutem conſequendam, & ad effugienda divina judicia eſt neceſſarium. Hoc ut rectius intelligatur, conſideremus primum quid ſit bona illa conſcientia, tum quid ſit illa interrogatio in Deum bonæ iſtius conſcientiæ. Conſcientia tum in communi ſermone, tum in Sac. Literis, non tantum ſignificat memoriam factorum noſtrorum, ſed etiam idque multo magis, judicium de factis noſtris, quatenus ea vel honeſta ſunt vel inhoneſta; laude præmio ve digna, aut vituperatione atque pœna: ex quo judicio vel ſpes vel metus, lætitia vel triſtitia conſequitur, quæ omnia interdum conſcientiæ nomine comprehendimus, hoc eſt, tum judicii illius antecedentia tum conſequentia. Nam conſcientia

revera in judicio iſto, hoc eſt in approbatione & improbatione factorum noſtrorum conſiſtit: eam antecedit memoria in præteritis (nam & in præſentibus conſcientia habet locum, in futuris eatenus quatenus ea jam omnino agitamus) conſequuntur lætitia, ſi bona; triſtitia, ſi mala; itemque ſpes ac metus, præſertim in illis qui Deum ejuſque voluntatem de compenſandis hominum factis norunt. Ex his facile eſt intelligere, quid ſit bona conſcientia, quam Johannes 1 epiſt. 3, deſcribit breviter, ſi cor noſtrum nos non condemnet, (quod quid ſit poteſt fuſius explicari) jam quod attinet ad iſtam interrogationem bonæ conſcientiæ in Deum, ea nihil videtur eſſe aliud, quam id quod Johannes quoque ſubjungit tanquam effectum, bonæ conſcientiæ, nempe parrheſia, quam habemus erga Deum, quæ ſignificat quandam fiduciam adverſus Deum, eamque tantam, ut libere & audacter ſine ullo repulſæ metu audeamus omnia, quæ promiſit piis, bona ab eo poſtulare, nec ab eo pudefacti diſcedamus. Ac ſanè verba quoque aliquomodo ſunt vicina. Parrheſia enim illa ad Deum & veluti audacia quædam Deum alloquendi vicina eſt interrogationi ad Deum, de qua hic Petrus. Atque ut tandem rem expediamus, talis fiducia animi erga Deum ſignificatur, ut illum audeas ſtipulari & verbis veluti conceptis obſtringere ad præſtanda tibi promiſſa ſua, reſurrectione, & exaltatione Chriſti confirmata, itaque eum interrogare; Jam ne mihi, Deus dabis vitam illam quam iis promiſiſti, qui reſipiſcerent, & qui tibi puro corde ſervirent, & quæ reſuſcitato & exaltato tuo filio nobis demonſtraſti? Ecce peccatis nuncium remiſi: ecce animum ab omnibus ſordibus repurgavi: quid reſtat, quam ut mihi id præſtes, quod promiſiſti? Quare interrogatio ad Deum, eſt interrogatio, qua utimur illum veluti alloquentes. Videtur autem modus loquendi petitus, ex conſuetudine antiqua ſtipulandi, ubi certis verbis ac interrogationibus alter alterum obligabat, ad aliquid ſibi præſtandum: vel ex Hebræa loquendi conſuetudine, ut vult Beza, qui ita ſcribit: ἐπερώτημα vocat τὴν ἔνδειξιν ſive αἴτησιν, poſtulationem & interpellationem, quæ ab Hebræis *Scheela* dicitur. Additur autem εἰς θεὸν apud Deum ex ratione conſtructionis apud Hebræos uſitatæ. Sic enim dicunt *Schaal be Elohim* id eſt, poſtulavit apud Deum, pro, poſtulavit à Deo, ſive quæſivit ex Deo. Hoc ergo vult Petrus dicere (ut breviter rem totam repetamus.) Hic baptiſmus nos ſervat, cum nos ita repurgamus animum ab omnibus ſordibus, ut cor noſtrum conſcientiaque noſtra nos haudquaquam condemnet, ſed potius hanc ipſam inſpiret fiduciam, ut ad Deum libere atque audacter, audeamus accedere, & promiſſorum ipſius fidem implorare, eorumque impletionem flagitare. Hæc enim eſt ſpes illa, quæ non confundit, ut ait Apoſtolus Rom. cap. 5, de ea ſpe loquens, quæ ex probatione noſtri naſcitur. Eſt enim duplex ſpes noſtra, altera generalis, quæ antecedit officium atque adeò approbationem noſtram, de qua loquitur Petrus cap. 1. ỷſ. 13, & quæ requiritur ad nos ad pietatem excitandos, ut patet ex Joh. 3. 3, *qui habet hanc ſpem in eo*, &c. Sed hæc eſt generalis, & quod ad me attinet, à futura conditione pendens, eſtque talis: Deus omnibus reſipiſcentibus vitam æternam certo dabit, atque adeò & mihi, ſi reſipuero. Altera ſpes perfectior, quæ ſequitur probationem noſtram, hæc eſt: Deus mihi dabit vitam æternam, quia jam reſipui, & talis ſum qualem eſſe me voluit: & hæc non confundit. De tali ſpe ac fiducia exindeque nata alloquendi Dei ut ita dicam, audacia, loquitur Petrus. Unde apparet, quouſque hîc Chriſtianus in ablutione animi ſpirituali progredi debeat, ſi ſalutem certò velit conſequi: Et hoc ipſum docere voluit Apoſtolus, ac propterea loco ablutionis ſordium animi, repoſuit hanc bonæ conſcientiæ interrogationem erga Deum. Ab hac explicatione, quod ad rem ipſam attinet, non videtur diſcedere Socinus, & auctor annot. in Bibl. Vatabli, qui ἐπερώτημα volunt eſſe teſtimonium ac reſponſum quoddam bonæ conſcientiæ erga Deum, ut antecedens ponatur pro conſequente hoc eſt, interrogatio pro Reſponſo; quod etiam vult Caſtellio ſed alio forte ſenſu. Sic Socinus de aquæ baptiſmo. Fit, ut animi ſordibus ablutis atque depoſitis, bonæ conſcientiæ noſtræ erga Deum teſtimonium in nobis ipſis ferri ſentiamus. Ubi ut apparet, voces in Deum cum voce conſcientiæ non cum voce interrogationis conjungit; ut in eo fit ſenſu quem explicuimus.

Reſtant adhuc (præter alias) duæ explicationes 1. ut ſignificet ſtipulationem quandam, qua utimur erga Deum, cum veluti cum eo paciſcimur & eum ſtipulamur, ut nobis velit promiſſam illam vitam largiri, ſi animum à ſordibus abluamus, & bonam conſcientiam præſtemus: quod poteſt dici eſſe bonæ conſcientiæ cauſſa, cum eam comprehendat, & eam ex ſe pariat, & hæc ſtipulatio quia eſt cauſſa ablutionis ſordium animi apte reſpondet baptiſmo. 2. Altera explicatio, ut ſignificetur exploratio conſcientiæ noſtræ aſſidua, conſcientiæ, inquam, bona coram Deo, quâ fiat, ut ab omni labe animus repurgetur.

Sequitur Tertium, hoc eſt, unde proficiſcatur hæc ſalutis ratio, vel etiam, unde & qua ratione vim ea habeat, nos ſervandi. *Per reſurrectionem Jeſu Chriſti.* Duplici ratione poſſunt, ut jam innuimus, connecti hæc verba præcedentibus 1. ut nectantur cum verbo ſervandi, quaſi dicat; Baptiſmus hic ſervandi vim habet, quia reſurrectio & exaltatio Chriſti interceſſit, qua ſe Deus primo veluti pignore dato obſtrinxit ad ſalutem nobis dandam. Deinde cum Deus Chriſtum ad tantam ſublimitatem evexerit, ut is ſit in dextra Dei, ſubjectis ipſi Angelis, Deus certe id jam fecit, unde ſalus noſtra, ſi modo repurgati fuerimus à ſordibus animi, neceſſario conſequatur, adeò ut eam jam quodammodo nobis præſtitiſſe cenſeri debeat. Eſt autem ſalus noſtra poſita in manibus ejus, qui non erubeſcit nos fratres ſuos appellare, &c. Atque hæc poterunt latius diduci. Et hæc eſt veluti Arca qua ſubvehimur per aquam ſeu baptiſmum ſpiritualem, atque adeò enatamus ex omnibus divinis judiciis ipſaque morte æterna. 2. Sed & poſſunt hæc verba conjungi cum voce baptiſmi (ſi cætera quæ ſequuntur, legas in parentheſi) vel cum explicatione ejus, hoc eſt, interrogatione bonæ conſcientiæ. Si cum voce baptiſmi immediate conjungas, ſimplex erit ſenſus: ſi cum explicatione ejus ſeu interrogatione bonæ conſcientiæ, propemodum duplex. Si cum baptiſmi voce; ſenſus erit nos iſtam ablutionem conſequi per reſurrectionem Domini Jeſu Chriſti ejuſque exaltationem; quia hæc ſpem certam in Deo poſitam ſalutis æternæ immortalitatiſque nobis ingenerat: qua de re eleganter Petrus in hac eadem epiſt. cap. 1. ỷſ. 1 & 21; quæ loca afferenda. At qui habet hanc ſpem in Deo, purificat ſeipſum ſicut ille purus eſt. 1 Joh. 3. & 2 Corinth. cap. 7. 1, Si verò connectas cum interrogatione conſcientiæ in Deum, duplex quodammodo eſt ſenſus. Alter is quem modo diximus, unde habeamus iſtam bonam conſcientiam; ſeu unde fiat, ut conſcientia noſtra repurgetur, & cor noſtrum, nos non condemnet; nimirum quia ſpem ex reſurrectione Chriſti concipiamus vitæ æternæ, unde liberatio à peccatis ac bona conſcientia naſcitur.

Alter ſenſus eſt, ut ſignificetur his verbis unde fiat ut nos cum bonam habemus conſcientiam audeamus ita Deum interrogare de noſtra ſalute eamque ab illo poſtulare. Quaſi dicat; At qua fiduciâ nos ita interrogamus & flagitamus Deum? quid hanc ſpem noſtram ita erigit, & animos iſtos nobis facit? Reſurrectio Domini Jeſu Chriſti: hac nitimur, hæc facit ut audeamus cum tanta fiducia promiſſorum ejus fidem implorare, cùm eorum tam certum ac evidens dederit pignus. Largitur enim reſurrectio Chriſti duplicem iſtam ſpem, de qua antè diximus, & illam generalem, quæ antecedit noſtrum officium, & eam quæ ſequitur. Sicut & mors Chriſti ſpem remiſſionis peccatorum; nam & antequam pareamus Deo, ſpem hanc præſtat, & poſtea. De poſteriore loquitur Joh. 1 Epiſt. cap. 1. *Si in Luce*, &c.

Reſur-

Resurrectio Domini Jesu poterit hic duplici modo sumi. 1. Latè, pro omnibus iis, quæ eam consequuta, adeò ut ea quæ subjiciuntur à Petro ad explicationem & amplificationem ejus pertineant simul ad ostendendum, quomodo perfecta ea sit, & quanta in se contineat. Sed 2 fortasse rectiùs hic accipitur magis stricte, ac proprie nempe per revocationem ad vitam eamque immortalem. Qua ratione videtur accipi supra cap. 1. ℣. 21, ubi præter resuscitationem gloriæ ejus meminit. Sed evidenter ità sumitur Rom. 14. 9, ubi imperium ejus divinum pro fine resuscitationis & vivificationis ejus ponitur. Maximè autem huc pertinet locus Rom. 8. 34, ubi agit & de certitudine salutis electorum, ubi quædam habet Paulus cum Petro communia, quædam peculiaria; ut & Petrus hîc sua. Videatur locus & explicetur gradatio. Ex eodem autem loco etiam explicetur, cur mortis hic non sit facta mentio: nimirum, quia resurrectio ejusque consequentia plus faciunt ad salutem nostram ejusque spem nobis parandam; & mors, ideò maxime (licet non solùm) huc faciat, quia ista eam sunt consequuta. Cætera hic non explico, tanquam alias nostris nota & familiaria. Hoc tamen addo, cum facit mentionem Angelorum, possunt intelligi & boni & mali, sed maximè boni: deinde per potestates & virtutes intelliguntur, illi, qui inter hos eminent, ne quis putet, tantum vulgares Angelos Christo subjectos; sed etiam principes eorum, de quibus pluribus verbis Paulus Eph. 1. ℣. 21. Coloss. 1. 16. & xi. 16. Omnium ministerio Christus pro arbitrio utitur, omnes ei parent, omnium ille caput est. Possunt autem per *potestates & virtutes* iidem Angelorum principes intelligi, propter diversas qualitates ad eundem tamen finem pertinentes; possunt etiam diversi intelligi. Si iidem, intelligentur Angeli præcipui seu Archangeli, qui velut sunt duces quidam cœterorum. Ut malorum Angelorum unus dux est, qui dicitur Diabolus, cujus cœteri dicuntur Angeli atque emissarii, quorum opera ille utitur: ita etiam in bonis Angelis ordo est & dignitatum gradus; non quòd illi suis veluti legionariis militibus absolutè imperent, sed ex mandato Dei, & nunc Christi, illi cœtera disponunt, & vel mandata regis sui ad illos deferunt, vel per illos exsequuntur. Dicuntur ergò potestates propter quandam imperii vel gubernationis speciem, quam habent in cæteros Angelos, sed limitatam & restrictam, & superiori subjectam, non ἀνυπόστατον. Virtutes propter robur & vires adjunctas, quibus possent imperata exsequi & & cæteris veluti præesse. Quodsi malis diversos intelligi, tum per *potestates* ii eorum intelligendi tantùm, qui veluti sunt duces, qui regi Christo parent, & propter quandam imperii particulam ità dicuntur. *Virtutes* autem sunt alii, qui magno robore pollent, & ad res arduas ac magnas exsequendas à Deo ac Christo adhibentur. Vult ergo Petrus significare divinum Christi imperium ejusque magnitudinem, cùm ei Spiritus omnium potentissimi ac robustissimi, quibus Deo excepto nihil majus est, pareant: atque inde ostendere, spei nostræ certitudinem, cum ea sit potestas ejus, cui omnia parent, cujus imperio cùm hi potentissimi Spiritus subsint, nihil est quod resistere possit; imò qui horum etiam spirituum operâ suos olim congregabit ad se, & ex incendio illo, quod mundum manet (quemadmodum olim diluvio) ereptos in aërem transferet, indeque in cœleste palatium: à malorum verò Spirituum vi, (quos aliquin delebit) & nunc imperio suo coërcet, hic quidem custodit, aliquando autem plenissimè vindicabit.

De verbis Christi Johan. 3. 7, 8. Verborum istorum Christi hunc arbitror simplicem esse sensum: Non tibi mirum absurdumve videatur quod dixi, denuò nos debere nasci, etiamsi qua ratione id fieri queat, non videas. Ecce ventus passim spirat, tuque ipsius sonum auribus clarissimè percipis, ita ut de re dubitare nequaquam possis; nec tamen scis unde omninò proficiscatur, aut quorsum tendat. Quemadmodum (intelligitur) res certa est de vento, nec de illo dubitas, quamvis originem & locum in quem tendat, ignores; ita etiam se res habet, cum quovis, qui ex Deo generatur, seu cum generatione ex Spiritu, de qua tibi dixi. Res nempe, certa est, & de qua haudquaquam dubitare debeas, etiamsi rationem ac modum, quo id fiat, non accipias.

* * *

Ad locum Jeremiæ 23. ℣. 5, 6, in quo arbitraris nomen Jehovæ Christo tribui, unde consequatur eum esse Deum illum unum: Responsionem habes in libro contra Wujekum, Classe 4. Argum. 2. Quod verò tu ajis, *De Christo prophetam loqui monstrare subjectum, quod sit Germen Davidis, quòd appelletur rex benè regnaturus, quod dicatur ille Jehova, qui & nostra est justitiâ, quorum nullum de Israëlici dici possit.* Non enim advertis primum, à te pro concesso sumi subjectum enunciationis ejus, quæ continetur in posteriori vers. 6 parte, esse Germen illud Davidicum, de quo versu 5 dictum fuerat, quod sit futurus, rex benè regnaturus, &c. Atqui initio vers. 6 novum interjicitur subjectum, nempe Juda & Israël, ad quod tanquam propiùs, rectè referri queunt, atque adeò debent, postrema illa ejusdem versic. verba, de quibus est controversia. Consentaneum enim est, prædicatum quodvis ad propius potiùs subjectum referri, quàm ad remotius, nisi forte gravis obstet ratio, quæ an hic sit aliqua, partim ex d. l. contr. Wujekum animadvertere, poteris, partim mox videbimus. Itaque dum tu duo diversa prædicata, inter quæ novum subjectum interponitur, conjungis, & ad unum subjectum refers, in compositionis, ut dixi, fallaciam incurris. Deinde illud te unà cum aliis decipit, quòd verba ista postrema ℣. 6 ita resolvenda statuis, ac si dictum esset, eum de quo sermo est, vocatum iri Jehovam, qui nostra est justitia: quod quia in Judam & Israëlem non cadat, arbitratus es, id de germine Davidis esse intelligendum. Atqui, ut alia quædam hic mittam, tùm ex loco simillimo apud eundem Propheram, ubi eadem verba secundum Hæbraïcam veritatem, quam nonnulli interpretes fideliter expresserunt, manifestè ad Hierosolymam referuntur; tum ex aliis similibus Scripturæ locis, quorum aliquos in d. l. contra Wujekum habes annotatos, videre potes; nihil esse, quòd cogat isto modo verba Prophetæ resolvere: imò esse quod dissuadeat. Est enim animadvertendum, verba hæc, *Jehova justitia nostra*, conjunctim sumenda esse, & instar unius nominis, quod materiale nonnulli vocant, habenda, quod etiam de ea re efferri possit, quæ Jehova simpliciter haudquaquam appellari possit: quodsi verò nomen hoc resolvere velis in voces illas ex quibus componitur, non per appositionem verba *Justitia nostra* cum nomine *Jehova* conjungenda fuerint, ut tu aliique omnes faciunt, sed integra ex nomine hoc enunciatio constituenda, subaudita vocula *est*. Hoc pacto, Jehova est justitia nostra. Quare nec subjectum aliquod aliunde fuerit assumendum, de quo tum vox Jehova tum Justitia nostra prædicetur; si quidem ipsa Jehovæ vox subjecti locum obtineat. Exemplis, quid velim, intelligetur melius: si quis vexillum hodie aliquod, cujus inscriptio sit, Deus fortitudo mea, dicat, hoc eodem nomine vocari, aut id re ipsa ita vocet (ut si dicat, vexillum istud Deus fortitudo mea esse ab hostibus captum, aut aciem præcessisse) non significabit, vexillum istud esse Deum, qui sit fortitudo ipsius, sed totum hoc complexum, quod integram sententiam seu enunciationem in se continet (nempe Deus est fortitudo mea) pro nomine illius, vexilli usurpabit. Solent nempe Symbola istiusmodi, integram sententiam breviter enunciantia, quæ quis libenter vel de se vel de alia aliqua re aut personâ usurpat, migrare in nomen aliquod istius sive rei sive personæ, de qua usurpantur, aut quæ eorum quæ inibi dicuntur, monumentum aliquod exhibeat: cujus rei vel in Germanicâ nostra lingua exempla licet reperire. Sed ne intra profana tantùm consistamus, aut aliunde potiùs quàm ex

Scripturâ linguaque sancta petamus exempla, deprehendes idem in nominibus Hebraicis, quæ in Sacris Literis leguntur; Inspice tantum interpretationem nominum istorum, quæ ad calcem Latinæ Bibliorum Versionis adjici solet, aut ab aliis peculiari libello, atque adeo fusius est pertractata. Inprimis autem ea vide Nomina, quæ ab El incipiunt, quam vocem Deum significare nosti. Sic Elcana significat Deus Zelotes, Elias Deus Dominus, sive Jehova: Elimelech Deus meus Rex. In quibus omnibus subauditur vocula *est*. Elnathan Deus dedit, quod integram sententiam seu enunciationem manifeste continet. Quare si voces illas ex quibus nomina hæc constant, dirimere à se invicem velis, non debes nomen Dei aut Domini seu Jehovæ enunciare de homine illo, de quo nomen ex hac voce compositum efferebatur; sed eo debet intelligi unus ille Deus, de quo dicitur, quod sit Zelotes aut Dominus (vel contra de Domino, quod sit Deus) vel Rex, vel quod dederit eam nempe personam, aut rem quæ subauditur. Sic nomen *Immanuel*, quod ut notum est, significat *Nobiscum Deus*, ab hominibus Christianis pro nomine proprio usurpatur (hinc Immanuel Chrysoloras, Immanuel Tremellius; Imperatores etiam quidam Constantinopolitani & Reges Lusitaniæ hoc nomine fuerunt appellati) non quod quisquam eorum (sit Deus ille qui nobiscum esse dicitur, sed quod voces istæ in unum nomen coaluerint, continentes in se vim integræ orationis, nempe *Deus est nobiscum*, seu nobis propitius adest. Exemplum etiam habes luculentum Genes. 22. 14. Et vocavit Abraham nomen loci illius (ubi immolare voluit filium) *Jehova videbit*, ubi nemo non videt, non Jehovam fuisse appellatum locum istum, sed totam hanc enunciationem pro uno nomine sumptam, loco isti fuisse instar appellationis propriæ attributam. Sic Exodi 17. 15. Et ædificavit Moses altare, & vocavit nomen ejus, Jehova vexillum meum scil. est, & Judic. 6. 24. Et ædificavit ibi Gedeon altare Domino, & vocavit illud Jehova pax (ita enim est in Hebræo) hoc est pacis est auctor: quanquam etsi legere velis Jehovæ pax, ut nonnulli faciunt, subaudietur itidem vocula est, ut sensus sit, Domini seu Jehovæ est pax, hoc est, ab ipso proficiscitur pax seu salus ac felicitas. Vide versic. præced. Sic Ezech. 48. 35. Et nomen urbis [erit] ex eo die Jehova illic scil. est. Mitto alia quædam ad hujus rei illustrationem pertinentia; qualia sunt nomina integram interrogationem continentia, ut Michaël quod significat, quis sicut Deus? & illa quæ ex eventu sequuturo desumuntur, & orationem continent imperativo modo elatam: quale istud Esa. 8. 3, ubi jubetur propheta vocare filium suum, *Accelera spolium detrahere, festina prædari*: quæ Hebraice paucioribus Syllabis longeque rotundius efferuntur, ut nemo mirari debeat, plura verba integram orationem complectentia, pro uno quopiam nomine in dicto Jeremiæ loco, pro Judæ & Israëlis nomine sumi, licet enunciationis illius subjectum de eo efferri ac prædicari per se nequeat. Illud autem ex allatis à me exemplis observari velim, rebus illis, quibus aliquid contingit novi, aut ut contingat, optamus, itemque locis, in quibus quippiam evenit insolitum, quin etiam rebus ac personis, per quas id contingit, signis denique sive antecedentibus sive consequentibus rerumve inusitatarum monumentis, nomina hujusmodi indi solere composita, eventum illum aut ejus votum significantia. Quare ut ad locum nostrum dicta commodemus, quia eo tempore quo Germen istud Davidicum esset ex oriturum, & benè regnaturum in terra Judaica & Israëlitica, ipsaque adeò urbe Hierosolymitana quæ gentis caput erat, Deus justificaturus esset populum suum, & ablatis, ex mera sua benignitate, illius peccatis, eum tanquam justum at insontem tractaturus; ideò populus ille, cui tanta felicitas contingeret, vocandus erat *Jehova justitia nostra*; nempe ex oratione, quam ipse populus de felicitate hac sibi gratulans, & ejus gloriam uni Deo adscribens, frequenter in ore esset habiturus, & instar proverbii ac Symboli cujuspiam usurpaturus, vel saltem usurpare deberet. Hæc enim per mimesin, ex ipsius populi personâ dicuntur, & ejus professionem de divina erga se benignitate continent. Similiter intelligendum est de Hierosolyma, hoc est, de populo Hierosolymitano cap. 33, ejusdem prophetiæ. Neque verò necesse est ut statuamus, hoc ipso nomine postea populum aut vulgo urbem fuisse appellatum, præsertim ab aliis extra populum istum existentibus. Sed satis est caussam sufficientem datam fuisse hominibus ita loquendi & nomen hoc usurpandi: quemadmodum nec Hierosolyma vulgo dicta est Jehova illic, quomodo nominanda apud Ezechielem dicitur: nec ut est apud Esaiam civitas justi, urbs fidelis, nec de Christo vulgo usurpata, & ne nunc quidem usurpantur ea nomina, quibus insigniendus dicitur Esaiæ 7. 9, nec illud ipsum quod hoc loco extat, quodque vultis de Christo intelligendum. Ex dictis illud etiam apparet, etiamsi tandem de Christo hæc intelligerentur, non tamen inde sequuturum Christum seu germen istud Davidicum esse ipsum Jehovam, non magis sanè quam Hierusalem, vel Juda & Israël. Id tantùm significaretur, Germen illud Davidicum caussam fore mediam ejus rei, quæ nomine isto *Jehova justitia nostra* [est] exprimitur. Hoc est Jehovam per ipsum justificaturum populum suum, ut proinde ipsi hoc est germini illi, ex tanto beneficio à Deo per ipsum in populum collato, jure potuerit hoc nomen imponi. Quo pacto etiam Immanuel debuit appellari hoc est nobiscum Deus, non quia ipsemet is esset Deus, qui sit nobiscum futurus, sed quia per eum & cum eo Deus esset, nobis adfuturus, seque nobis propitium ac maximè benignum exhibiturus. Quia verò hujusmodi nomina ex eventu, ut vidimus, solent imponi, quod de hac appellatione, qua de agimus, ex eo ipso, quem citasti, loco constat; ex eo facile est intelligere, ea non desumi solere ex re, quæ cuipiam naturaliter ac necessariò insit; quod tamen hoc loco fieret, si germen illud Davidicum diceretur Jehova; quia nimirum essentiam ipsius Jehovæ in se haberet. Quin etiam illud inde non obscurè colligitur, verba illa potius ita esse resolvenda, ut totam enunciationem contineant, quam ut per appositionem tantum elata intelligantur. Illo enim modo eventus quidam certus, nempe quod Jehova populum suum justificet, primò ac potissimum significatur: hoc vero modo, non principaliter sed veluti accessorie tantum; principaliter enim significaretur, eum esse Jehovam, id quod personæ contineret commendationem, non vero eventum exprimeret: id vero quod additur, justitia nostra, prioris tantum illustrandi caussa adhiberetur.

Quod attinet ad Spiritus sancti, ut ajis, personalitatem, quam conaris ostendere: nullum est dubium, quin de eo Spiritu loquaris, qui in ipso Deo ejusve essentia naturaliter residet, non vero de quodam ejus effectu hoc est de virtute atque efficacia ab eo in homines manante, quam Spiritus sancti nomine in Sacris Literis creberrime appellari, omnes videntur agnoscere. Cum ergo primum argumentaris à requisitis personæ, quę omnia Sp. S. vis competere, & eorum primum facis esse substantiam: Vel substantiam sumis pro re substantiali atque ad substantiam constituendam pertinente: quo pacto differentias substantiarum, essentiales, substantias appellant, ut rationem v. gr. hominis, vel eam accipis pro subjecto quodam, hoc est, pro ne ejusmodi quæ per se ac separatim subsistat, aut subsistere apta sit. Si priori modo, concedimus Spiritum illum, qui in Deo naturaliter inest, substantiam esse. Sed id te nihil in hac caussa juvat, ut ex seqq. apparebit. Personam enim necesse est substantiam esse, ut subjectum (subjecti nomen absolute accipio, nulla habita ratione accidentium, quæ ei insunt: quo pacto etiam ex eorum sententia, qui nullum planè in Deo agnoscunt accidens, Deum subjectum diceres) quod per se subsistere aptum sit vel potius actu ipso subsistat. Quanquam enim Tu id fortasse in ultimo requisito, quod est, esse ens completum:

tum, complexus es: tamen quia hic primus ferè latet error, ex ambiguitate vocis substantiæ natus, ideò hic statim detegendus fuit. Unde jam intelligis, si posteriori modo substantiæ nomen accipias, à nobis negari idque jure, Spiritum sanctum esse substantiam; est enim in alio naturaliter, nempe in Deo ejusque substantia, nec ab ea separatim ullo pacto consistere potest. Ex quo jam statim etiam apparet, quid de altero requisito, nimirum quòd sit substantia prima, sentiendum sit. Id enim nulla alia ratione concedi potest, quàm quatenus intelligitur, Spiritum S. esse rem quandam substantialem, singularem atque individuam, non genus aut speciem: quo pacto etiam diceres hanc rationem Petri aut Pauli v. gr. esse substantiam primam. Patet etiam aliquomodo, quid de tertio sit statuendum; nempe quod Spiritus S. sit rationalis. Neque enim Spiritus S. rationalis est, ut quod, sed ut quo (utor usitata scholarum distinctione) qua ratione ipsam quoque rationem seu intellectum rationalem diceres, non quod ipsamet proprie ratiocinetur aut ratiocinandi atque intelligendi vim habeat: sed quod homo ratione atque intellectu ratiocinetur atque intelligat, aut intelligere possit. Respondet enim Spiritus sanctus, de quo sermo est, facultati ac potentiæ, non subjecto facultatem habenti atque utenti. Usitatissimum autem est ut facultati actiones tribuantur, quæ propriè conveniunt subjecto facultatem illam habenti. Sic intellectus dicitur aliquid percipere aut cognoscere; Mens judicare ac discernere: Voluntas velle (ut 1 Petr. 3. ℣. 17) aut decernere quippiam: Anima hominis tristari, gaudere, &c. cum tamen hæc omnia compotito proprie conveniant, seu homini animam habenti, ut docent Philosophi. Hoc autem, quo diximus, modo, aut simili quopiam, qui personæ non sit proprius (ut de eo simul loquamur spiritu, qui à Deo manat, & in homines effunditur; estque spiritus in ipso Deo naturaliter residentis effectus quidam, ei per analogiam respondens, deque actionibus quæ illi in S. L. attribuuntur) vel ex eo, quem primum adduxisti, loco 1 Cor. 2, discere licet. Nam vers. 11, in quo confirmatio quædam vel illustratio continetur ejus, quod vers. 10 à te citato dictum fuerat, ait Apostolus; quis enim novit hominum, quæ sunt hominis; nisi Spiritus hominis qui in ipso est: ita etiam ea quæ sunt Dei, nemo novit nisi Spiritus Dei. Neque enim spiritus hominis ipse cognoscit aut novit quippiam propriè, sed eo cognoscit aut novit quippiam homo, quo pacto Marcus de Christo loquitur 2. vers. 8. Quare similiter de Spiritu Dei statuere licet, vel saltem nihil aliud vi illius comparationis concludere atque in præcedentibus asserere voluit Apostolus, quàm Spiritu Dei cognosci, ea de quibus sermo est. Quanquam ea ipsa quoque verba, quæ adducis vers. 10, satis ostendunt, Spiritui Divino hic non propriè, sed metonymice cognitionem tribui. Dicitur enim ibi *Spiritus* (nimirum Dei) *omnia scrutatur, etiam profunditates Dei*, hoc est consilia & decreta ipsius maxime arcana, & in ipso veluti profundo abdita ac retrusa. Nam si de illo Spiritu loquaris, qui in ipso inest naturaliter, is nequaquam scrutatur atque explorat ea, quæ in Deo latent abdita. Sed is ipse est, in quo ea primò insunt, & abdita latent: quemadmodum profunda (ut ita Apostoli sermonem imiter) hominis, hoc est abdita ejus consilia, in Spiritu ac mente ipsius latent, nec Spiritus illius ea dicitur scrutari, sed scire ac tenere. Necesse enim est diversum esse id, quod scrutatur, ab eo in quo id primò latet, quod scrutari quispiam dicitur: præterquam quòd verba illa, *etiam profunditates Dei*, satis indicant, quo pacto Spiritus Dei hoc loco consideretur. Quodsi de illo Dei spiritu sermonem esse velis, qui à naturali, de quo hactenus egimus, Dei spiritu manat & hominibus communicatur, originis autem ac fontis sui naturam quodammodo retinet, & quæ in eo latent, humanis mentibus imprimit, seu, ut ea cognoscant, efficit: quemvis videre arbitror, eum proprie loquendo, haudquaquam scrutari aut cognoscere, quum persona non sit, cujus id est proprium. Neque enim est, quod quis dicat, eum esse tertium illam, quæ creditur, divinitatis personam. Quandoquidem effectus quidam est Spiritus in Deo naturaliter residentis. Hic autem Divinitatis persona atque adeo Deus summus esse nequit; cum hic prorsus sit ἀνάλογος, nec ab ulla caussa dependeat: adde, quòd tertia illa, quæ statuitur, Divinitatis persona, essentiam Divinam, nunquam egreditur; ille autem, quem diximus, Spiritus egreditur. Animadvertunt improprietatem hanc in verbis Apostoli, quidam Sac. Lit. interpretes, licet aliquin acerrimi ejus, quam tueris, sententiæ defensores. Beza enim vult ideò dici Spiritum scrutari profunda Dei, quia per illum doceamur etiam abditissima, sicut Rom. 8. vers. 26, dicitur postulare, quod nos ad postulandum impellat. Quanquam vero postea addit, si Spiritum hoc loco malimus non pro ipso Spiririti sancto, sed pro ipsius vi & afflatu accipere, simpliciter hoc esse accipiendum. Non video tamen, quomodo metonymiam queat effugere. Quandoquidem ille Spiritus sancti afflatus, quemadmodum paulò ante ostendimus, proprie scrutari aut cognoscere non potest, sed tantùm efficere, ut ii, in quibus existit, scrutentur ac cognoscant. Plura quidem dici possent, ad intelligentiam loci hujus pertinentia; sed ne & Epistolæ modum & munus respondentis nimis excedam, ad secundum transeo ex Testimoniis tuis, quibus probare conatus es Spiritum sanctum esse rationalem: id verò exstat 1 Corinth. cap. 12. Versiculum tu non annotasti: arbitror autem te potissimum respexisse ad vers. 11, qui ab aliis quoque inprimis urgeri solet, ubi dicitur, quod Spiritus ille distribuat privatim cuilibet prout vult. Hujusmodi enim actio rationem & intellectum in eo Spiritu omninò videtur præsupponere. Quæ ratio si firma est, multæ res aliæ, quæ personæ nequaquam sunt, rationales atque adeo personæ erunt. Nam ex iis singulis, quæ charitati tribuuntur cap. sequent. ejusdem Epistolæ, liceret concludere, eam esse rationalem: cùm unum quodque eorum rationem præsupponat in eo, cui proprie tribuuntur; atque illa inprimis, *Charitas non cogitat malum* (id quod tacitam contrarii affirmationem continet, & cogitandi facultatem omnino postulat) *omnia credit, omnia sperat*. Scriptura dicitur prævidisse Deum ex fide gentes justificaturum Galat. 3. 8. Sermo Christi dicitur judicaturus eum, qui verba ejus non recipit Johan. 12. 48. Atqui hæc non minùs rationem atque intellectum requirunt, quàm id, quod Spiritui sancto loco à te citato tribuitur. Ac ne aliunde petamus exempla, habes in hoc eodem cap. 1 Cor. 12. 25. Ubi de membris corporis humani, quod postea versic. 27 & seqq. ad membra Mystici corporis Christi accommodatur, asseritur, alia pro aliis curam gerere, quæ omnia figurate dici nemo ignorat. Ac de ipso Dei Spiritu figuratam ejusmodi loquutionem habes, eo, quem Beza superius citaverat, loco Rom. cap. 8, ubi emphatice admodum ipse Spiritus dicitur interpellare pro nobis suspiriis inenarrabilibus, additurque eum, qui scrutatur corda, scire, quis sit sensus Spiritus (hoc est quid Spiritus spectet ac desideret) quòd secundum Deum interpellet pro sanctis. Ubi si spectes verba, videbitur ipsemet Dei Spiritus, qui ibi tum à Deo, apud quem interpellat, quique ejus sensum intelligit, tum à Sanctis, pro quibus interpellat, distinguitur, propriè Deum orare, ad eum suspirare, & aliquid ab eo desiderare: quæ actiones non sunt nisi rei rationalis: & tamen res ipsa unumquemque monet, id de Spiritu S. proprie dici non posse. Nam si Spiritum sanctum pro persona divina velis accipere, quo pacto dici potest, eum orare aut pro aliquo interpellare, nempe apud Deum; cum ponatur eum esse ipsummet Deum, ex se ipso dona omnibus distribuentem? quomodo dici potest, eum suspirare? Deum ipsius sensum intelligere? Si vero pro effectu illius

illius Spiritus, seu afflatu divino sumas, cum is persona nequaquam sit, quomodo ei has actiones propriè tribues? quanquam etiamsi persona esset, non protinus ei propriè tribui possent. Quare restat, ut quemadmodum supra Bezam dicentem audivimus, metonymice id de Spiritu Sancti dictum intelligamus, quia enim is in hominibus ea efficiat, quæ illi hic tribuuntur, & tùm cum homines Christiani afflictionum & periculorum magnitudine perturbati, nesciunt quid, quove pacto orare debeant, illis id suggerat, & suspiria in illorum cordibus excitet, quæ licet verbis exprimi nequeant, à Deo tamen qui corda scrutatur, intelliguntur, & voluntati ipsius consentanea esse agnoscuntur. Quare cum hæc actio à Spiritu divino tanquam caussa præcipua oriatur, ideo Spiritui S. tribuitur. Hæc cum alibi agnoscantur, cur non agnoscuntur in locis similibus, atque adeò in eo, de quo agimus, 1 Cor. 12: qui eo tantùm à priori differt, quòd in illo actio hominis, in hoc verò actio Dei propria Spiritui tribuitur. Est enim Spiritus divinus partim in ipso Deo, partim in hominibus, quibus donari dicitur, & quidem partim dependentiæ ratione, partim etiam ratione analogiæ, idem. Quemadmodum ergo, quatenus in hominibus est, actiones hominum ei tribuuntur, quæ illius virtute & efficacia peraguntur: ita etiam, quatenus in Deo est, Dei actiones ei adscribuntur, quæ ipsius vi perficiuntur. Et hoc quidem 1 Cor. 12, loco, facilius id quod dixi, agnosci poterat, nisi præconcepta obstaret opinio, quam in aliis quibusdam locis à nobis adductis. Nam c. 1. Rom. 8 preces, quæ Spiritui Sancto adscribuntur, satis apertè sanctis, quibus eæ tamen proprie conveniunt, adimuntur: & Joh. 12. 47, 48, judicium illud, quod sermoni Christi tribuitur, Christo ipsi, cui tamen id propriè competit, certam ob caussam (nempe quia ipse prima damnationis illius caussa non esset) adimitur. At in loco nostro, ea donorum distributio, quæ Spiritui S. tribuitur, haudquaquam adimitur ei, cui propriè competit, nempe Deo, cujus is est Spiritus, imò potius paulò superius aperte satis adscribitur, dum ita inquit Apostolus: & divisiones operationum seu facultatum sunt, (loquitur autem de facultatibus seu donis illis spiritualibus, quæ Spiritum inferius ait distribuere) sed idem est Deus qui operatur illa omnia in omnibus: cum quo consentit præter alia locus Hebr. 2. ℣. 4. Simul attestante Deo signis, &c. & Spiritus Sancti distributionibus secundum suam voluntatem. Neque enim hoc loco Spiritus sanctus (quod fortasse quispiam non satis locum considerans arbitrari posset) spectatur, tanquam distributor, sed tanquam donum (quod cœteroquin expressum non foret) distributum à Deo, Euangelicæ doctrinæ ea ratione attestante. Dicit autem eum id fecisse secundum suam voluntatem, quod ad Corinth. Spiritui ipsi tribuitur: quia aliud donum spirituale huic, aliud alii, & rursus, alia mensura huic alia alteri dederit: quod alibi Christo, qui acceptum à Patre spiritum ipsius nomine effudit, quique ea ratione muneribus diversis in Ecclesiâ obeundis diversos præfecit (hoc autem est unius illius Domini, hoc eodem loco 1 Cor. 12. 5) adscribitur. Confer inter se 1 Cor. 12. 28 & seqq. & Ephes. 4. ℣. 7, 8, 11. Quia verò id vi Spiritus divini factum est, ideò id Spiritui ipsi metonymicè tribuitur. Vide adhuc nonnulla de hoc loco, præsertim quod ad superiora verba attinet, in anti Wujeko pag. 489, & contra Eutropium locis in catalogo notatis.

Sed jam tempus est, ut tertium locum videamus, qui extat Actor. 13. 2. Dixit Spiritus S. separate mihi Barnabam & Saulum ad opus ad quod eos vocavi. Ubi vel ex eo probas, Spiritum Sanctum esse rationalem quia dixerit, simpliciter, vel quia ista, quæ vidimus, dixerit: vel ex utroque. Prior ratio nulla est, nisi etiam concludere velis legem aut Scripturam esse ratione præditam, atque adeò personam, quia non semel loqui aut dicere quippiam in Sacris Literis legitur. Eodem modo oraculum dicit Rom. XI. 4. Adhortatio differit Hebr. 12. 5, sanguis Christi loquitur ibid. ℣. 24. Vox Abelis clamat ad Deum Genes. 4. ℣. 10. Cœli enarrant gloriam Dei & opus manuum ejus annunciat firmamentum, dies diei eructat verbum, &c. Ps. 19 & alia similia. Quid usitatius, quam quod vulgo dicimus, res ipsa loquitur? Quod ad posteriorem rationem attinet, nec illa robur aliquod habet. Alioquin enim similiter concludere liceret, oraculum esse ratione præditum, esse personam, esse ipsum denique Deum, siquidem id loco paulò antè citato Rom. XI. 4 dixisse legitur, reliqui seu reservavi mihi septem millia virorum, &c. quis enim alius eos sibi reservaverat præter Deum? Eodem modo cum dicitur loco itidem paulò antè allegato Hebr. 12. 5. Exhortationem nobiscum tanquam cum filiis disserere: fili mi, ne contemnas, &c. an protinus concludes, exhortationem habere filios, seu nos instar filiorum amare & alloqui? Atque ut propiore utamur exemplo, & ei de quo agimus, viciniore: Cum ad finem singularum Epistolarum Domini Jesu ad Ecclesias Asiaticas mittendarum Apoc. cap. 2 & 3 legis: qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis: num inde concludes, ea quæ in illis Epistolis dicuntur, ex Spiritus illius divini persona dici: seu ad eum tanquam ad personam aliquam vere referenda esse? Annon liquet, omnia illa ex persona Christi dici, & eum solum esse, qui ibi loquatur? Inspice tantùm inscriptiones. Quid ergò dices? Spiritum hunc ipsum Christum esse? haudquaquam: sed respondebis arbitror, quemadmodum ea, quæ oraculum dixisse legitur, non ad oraculum ipsum propriè referenda sint, sed ad illum, qui illud edidit, aut edi suasit; quemadmodum item ea, quæ exhortatio disserere legitur, non ad ipsam exhortationem revera, sed ad exhortantem sint referenda: ita etiam, quæ Spiritus ibi dixisse Ecclesiis scribitur, ad eum referenda esse, cujus is fuerit Spiritus, quique per eum Ecclesiis fuerit loquutus, nempe Christum. Tribui autem illa oraculo, quia ista per oraculum fuerint prolata: exhortationi, quia per modum exhortationis: Spiritui, quia per Spiritum seu Spiritualem afflatum ac revelationem ea fuerint revelata, ac velut pronunciata. Hoc idem ergo responsum tibi puta ad illum, Actor. 13, locum, ac rationem posteriorem inde petitam. Verba nempe illa: Separate mihi, &c. referenda esse ad eum, ex cujus persona Spiritus sanctus loquutus censetur, & à quo is fuit viris divinis inspiratus. Is verò est Deus ac Christus. Hunc enim Paulum ejusque collegas ad munus Euangelii gentibus prædicandi delegisse ac misisse, adeò notum est, ut lumen in meridie accendere velle viderer, si id probare conarer. Tribuitur autem hæc oratio Spiritui sancto: quia ejus instinctu atque afflatu prolata fuerit: quemadmodum eandem ob caussam, omnia alia Prophetarum dicta Spiritui sancto tribuuntur, licet ea ex aliena persona fuerint prolata, nec Spiritus sanctus tanquam persona aliqua, ea fuerit proloquutus. Sic infra 20. ℣. 23 dicit Paulus; *Spiritus sanctus per* [singulas] *civitates testatur dicens, quod vincula*, &c. nempe quia Prophetæ per Spiritum S. seu afflatu divino impulsi, id dicerent ac testarentur: ut quodammodo declaratur infra 21. ℣. 4 ubi dicitur, discipulos quosdam Paulo dixisse per Spiritum, ne ascenderet Hierosolymam, hoc est (ut explicant viri docti, idem de Spiritu sancto vobiscum sentientes) divina Spiritus revelatione. Vide etiam ea quæ de Agabo leguntur eod. cap. ℣. 11. Simili ergo ratione Spiritus S. illa quæ Act. 13 legimus, dixisse censendus est: quia nimirum Prophetis, qui Antiochiæ tum temporis fuisse ℣. 1, non frustra dicuntur, Deus ea per Spiritum sanctum revelavit, ac per illos aliis annunciari voluit. Repentino enim ut verisimile est, afflatu correpti Prophetæ illi ista pronunciarunt, nisi malis alia quadam ratione vocem quampiam, quæ ista pronunciaret, extitisse. Quanquam verò plura adhuc ad hujus rei declarationem addi possent, tamen modum mihi aliquem ponendum censeo. Id unum tantum addo, quod ad plura loca Scripturæ accommodari queat. Si omnino velis Tertiam quandam Divinitatis

vinitatis Personam à Patre & Filio distinctam, ista protulisse: quæro, unde constare potuerit, illam ipsam Personam, non verò Primam aut Secundam verba hujusmodi pronunciasse? An forte dixit; Ego Spiritus hoc pronuncio? Haudquaquam. Necesse ergo fuisset, effectum aliquem aut signum extitisse, quod id ostenderet? At quale id esse potuit, quod non Patri aut Filio, aut utrique posset accommodari? An non satis apparet, Divinos viros non id voluisse exprimere, quænam persona Divina id dixerit; sed eo, tanquam re manifesta inter Christianos, posito (norunt enim omnes neminem nisi Deum per Christum, seu Christum Dei nomine istud facere: cum Deus Pater sit ille ex quo omnia, Christus is per quem omnia) indicare tantum velle, quo pacto ea Deus & Christus pronunciarit, & unde constare potuerit, Deum ita revera velle ac præcipere, ut ita hominibus his auctoritas sua constaret. Id autem breviter simul & empliaticè significarunt, cum dixerunt, Spiritum Sanctum ita locutum; si ea admittatur explicatio, quam nos attulimus, nimirum, quòd ea viri divini, cœlesti affectu correpti pronunciarint. Sic Apostoli, cum constare vellent præcepta sua, non sua revera, sed à Deo Christoque sibi inspirata esse. Actor. 15. 28 dixerunt, *Visum est Spiritui Sancto & Nobis*, hoc est, ut viri docti explicant vestrarum partium, nobis ex Spiritus S. instinctu; cum alias nulla causa esset, cur non potius dicerent; Deo aut Christo id visum est & nobis. Nec minus Dei aut Christi censenda fuissent illa præcepta, quam Spiritus Sancti: etiamsi vestra sententia foret admittenda: sed de hoc loco plus satis.

Ex dictis intelligi etiam potest quartus locus, quem citare proculdubio voluisti, 2 Sam. 23 (tu habes 33) ℣. 2, ubi ita ait David: Spiritus Domini loquutus est per me, & sermo ejus per linguam meam. Nihil enim id aliud est, quàm si dixisset; Ego Spiritus Divini impulsu loquutus sum; eo linguam meam regente atque impellente prophetias ac psalmos edidi. Nam quod postea additur: Dixit Deus Israël mihi &c. in quo nonnulli præsidium aliquod caussæ suæ collocant, probare inde volentes, Spiritum sanctum esse Deum Israëlis, quò tu tamen, vix videris respexisse, cùm ideò tantùm locum hunc attuleris, ut ostenderes Spiritum sanctum esse rationalem: hoc, inquam, aliud est Davidis elogium, non verò prioris tantùm repetitio. Aliud enim est Divinum Spiritum per Davidem loquutum esse, nempe aliis: aliud verò, Deum ipsimet Davidi loquutum. Quare ex horum verborum collatione inter se, haudquaquam colligi potest Spiritum Domini esse ipsum Deum Israëlis: quod per se ipsum quoque absurdum censeri debet. Deinde etiamsi sensus utrorumque verborum, si rem ipsam spectes, idem foret, non tamen protinùs sequeretur, Spiritum sanctum esse illum Deum Israëlis, qui postea nominatur: sed tantum Deum Israëlis per Spiritum suum vel Davidi vel per Davidem aliis loquutum esse, & Spiritum illum Deo hac in re fuisse subordinatum, ita ut ejus sermo, pro ipsius Dei sermone sit habendus. Nam si ita, ut isti faciunt, concludere liceret, probari etiam posset, Spiritum sanctum esse Deum Patrem: Deus Pater loquutus est per Davidem (Actor. 4. confer versic. 25 cùm 27) Spiritus sanctus loquutus est per Davidem. Ergo Spiritus sanctus est Deus Pater: vitium hujus argumentationis quis non videt? Hæc de Tertio Personæ requisito à te constituto.

Quartum Personæ requisitum facis esse ens completum, ens autem completum à Scholasticis, quorum hic terminus est proprius, id dicitur, quod non est in alio, nec tanquam pars, nec tanquam proprietas vel accidens aliquod: estque adeò ultimum subjectum, quod de nullo alio dicitur sed de ipso omnia: quod alio nomine suppositum vocant. At Spiritus sanctus in potiorem significationem acceptus in Deo est ejusve substantiâ. Cumque ex vestra sententia nec pars sit substantiæ Divinæ, nec proprietas, ut nos volumus; quid aliud vobis erit, quam accidens? Quomodo ergo ens completum? Sed probas tu eum esse ens completum: quia, inquis, est alius à Patre & Filio. Joh. 15. (fortasse scribere voluisti cap. 14 cum in hoc solo legatur vox alius de Spiritu S. usurpata.) Atqui 1. non dicitur ibi Spiritum S. esse alium à Patre, quod tamen hoc loco, ubi probandum est, Spiritum sanctum esse ens completum, hoc est separatim ab aliis rebus omnibus subsistere, non verò inesse in alio quopiam, potissimùm ostendendum erat, ei præsertim qui contra nostram sententiam esset disputaturus. Quandoquidem nos censemus (id quod per se quoque unicuique probabile videri debet) Spiritum sanctum, qui Dei Spiritus ac virtus dicitur, in Deo, qui Pater est, residere, & ejus proprietatem quandam esse. Distinguitur quidem ibi Spiritus Sanctus à Patre satis manifestè: sed tamen alius ab eo, qua in re tu præsidium caussæ tuæ collocas, non dicitur, sed tantùm alius à Christo, idque non simpliciter, sed paracletus. Se enim paracletum etiam tacitè vocat, quia discipulis suis, quamdiu illis præsens adfuerat, singulari fuerit solatio, cujus abitu jam instante, quia vehementer contristabantur, veriti, ne gaudio, quod ex ipso hactenus cœperant, penitus sibi esset in posterum carendum, ideò suo loco ac vice alium illis paracletum, seu consolatorem pollicetur; revera autem id illis pollicetur, seipsum alia in posterum ratione ipsos consolaturum, quàm hactenus fecisset. Quasi dicat; Nolite tristari abitu meo, nec arbitrari defuturum vobis, post discessum meum Consolatorem, rogabo enim Patrem, ut alium vobis consolatorem meo loco mittat: hoc est ego ipse alio in posterum modo vos consolabor, non ore ut hactenus, sed spiritu, quem à Patre acceptum vobis mittam, vos alloquens non corpore sed virtute Divinâ, quam in vos effundam, vobis præsens. At cur Spiritum S. alium à Patre paracletum vocaret, nulla erat caussa. Sed deinde mirum est, non animadverti in hoc sermone Christi, qui infra ipsemet 16. 25, eundem adhuc persequens, ait, se in paræmiis hæc loqui, & tempus istud opponit illi quo jam apertè discipulis de Patre, seu rebus ad Patrem spectantibus, sit annunciaturus; non animadverti inquam, usitatissimam alioqui Sacris Literis prosopopœiam, qua fit ut Spiritus sanctus cum Christo tanquam Dei legato & discipulorum, suorum, ut dixi, consolatore comparatus, inque ipsius locum veluti successurus, ipse quoque tanquam Dei legatus, ac discipulorum Christi consolator consideretur. Animadverterunt enim viri docti, & quivis tùm in sacris tum in profanis auctoribus observare per se facilè potest, comparationes parere figuras multas solere: comparationem autem rei cum persona, prosopopœiam libenter parere. Hoc pacto Christus loco superius citato Joh. 12 sermonem suum secum ipso comparans, & sibi quodammodo opponens, eum tanquam judicem quendam considerat, & de eo non secus ac de persona quapiam loquitur. Nam cum dixisset: si quis audierit verba mea & non crediderit, ego non judico ipsum, &c. subjicit: qui spernit me, & non recipit verba mea habet eum qui ipsum judicet. Sermo quem loquutus sum, is judicabit eum in extremo die. Etenim verba illa, habet eum qui ipsum judicet, omninò de persona aliqua loqui videntur. Neque enim ideò masculino genere est usus, quia λόγος seu sermo esset masculini generis, cum eo nomine nondum fuisset usus, nec ad id in constructione posset respicere, sed quia sui ipsius, qui persona erat, loco Sermonem illum tanquam judicem quendam constituere vellet, eique incredulorum hominum damnationem adscribere; ideò adhuc generatim, & indistinctè de eo agens, tanquam de persona judicaturâ loquitur, potuissetque Christus non minùs, quàm infra, ubi de Spiritu sancto agit, addere vocem alium hoc pacto: Ego non judicabo illum, sed alius erit qui ipsum judicabit, nempe sermo ille quem ego loquutus sum. Quis enim negarit Christum rectè & eleganter ita loqui potuisse? Nec tamen quisquam adeò fuisset imprudens, qui colligere inde voluisset, Sermonem illum esse ens completum, esse Personam aliquam à Christo distinctam.

Et ne nunc commemorem eum loquendi modum seu exemplum à Socino contra Eutropium allatum, huic sanè rei aptissimum: Annon David qui Psal. 119. 24. præcepta Divina vocat viros consilii sui (hoc est consiliarios suos) ut Hebræa veritas habet, quam Lutherus cum receptioribus quibusdam interpretibus expressit, ita potuisset cuipiam, consiliarios ipsius laudanti dicere; Ego verò habeo alios adhuc eosque longè sapientiores consiliarios, Divina nempe præcepta. Illi me consiliis salutaribus semper instruunt. Hoc pacto posset quis Libros, vivis eos præceptoribus opponens, appellare eos, alios ab istis Magistros. Plura adhuc exempla afferri possent, sed iis contentus nunc ero. Cuperem te hac occasione inspicere commentarium sanè perquam doctum Cornelii Jansenii Profes. olim Lovaniensis in Salomonis Proverbia cap. 8, ubi caussam reddit cur per prosopopœiam ibi de sapientia loquatur Salomon, eamque tanquam mulierem, quandam introducat, omnes homines ad se invitantem, ut inde agnoscas, unde in prosopopœias hujusmodi Sacri scriptores delabantur. Et quia forte liber non est ad manum, initium verborum viri illius adscribam. Quoniam, inquit, jam introduxerat Salomon, (nim. cap. 7) mulierem procacem, invitantem, ad se juvenes sermone blando & petulanti: è regione ejus convenienter jam introducit sapientiam velut alteram, mulierem, invitantem ad se homines sermone, qui meritò efficacior esse deberet, &c. Inferius autem dicit. Per prosopopœiam de Sapientia sic in genere comprehensa (nim. Divina & humana) loquitur, ei tribuens nunc ea, quæ in hominibus operatur, nunc ea, quæ cum Deo & ipsa divinitate operatur, quasi persona aliqua esset, & res à Deo & hominibus distincta, &c. Eadem prosopopœia jam cœpta fuerat 7. ỷ. 4, ubi pulchra quædam idem auctor habet, ex quo loco posses itidem loquendi modum eruere, ei similem, de quo agimus. Nam si quis juveni cuipiam formam ac pulchritudinem fœminæ alicujus laudare vellet, eumque in amorem illius pellicere, dicere is ex Salomonis præcepto posset: Ego verò aliam habeo amicam, illa, quam tu laudas, longè pulchriorem, Sapientiam inquam, hæc Soror mea est, hæc cognata, hæc sponsa mea. Sed exemplorum satis. Ad illud redeo, quod antea dixeram: vehementer me mirari, hanc prosopopœiam ab iis non fuisse animadversam, qui quocunque se vertant, figuram in hoc sermone Christi, & quidem ex prosopopœia manantem agnoscere, & miserè se torquere coguntur. Nam cum infra cap. 16. 13. Christus in eadem orationis forma persistens, de Spiritu illo paracleto dicat: *Non loquetur à semetipso sed quæcunque audierit, loquetur* & vers. 14. *Ex meo accipiet & annunciabit vobis*, quod repetit vers. 15; quo pacto hæc ad tertiam illam Divinitatis personam, hoc est ad ipsum Deum altissimum, cujus est ex se ipso omnia scire, & à nemine quicquam accipere, accommodari queant? Annon manifestum est, ideò hæc de Spiritu sancto dici, quia ei persona fuerit imposita Legati à Deo ad homines mittendi, & in locum ac munus Christi veluti successuri, ut quæ discipuli ex Christi ore nondum satis didicissent, ea ipsis plenè patefaceret? neque sanè commodior ei persona hic imponi poterat. Quia verò legatus, si verax esse velit, & munere suo fideliter perfungi, non à se excogitata, sed à mandante audita aliis annunciare debet: ideò Christus, ut Spiritum hunc veracem esse & indubitatæ fidei doceret, ac nil nisi quòd Deus eos de sua voluntate scire vellet, ipsis patefacturum significaret, ideò dixit eum quæ audierit loquuturum, non vero loquuturum à semetipso. Sed ne videretur solius Patris & non ipsius quoque Christi dicta ac mandata patefacturus, aliamque adeo ab ipsius religione doctrinam traditurus, addit, eum de suo sumpturum ac discipulis annunciaturum: si quidem omnia quæ Pater habet, ipse quoque habeat, ut pote cui Pater omnia, ut alibi legimus, tradidit. Vides elegantissimam simul ac sapientissimam Christi, ut ipse dicta sua appellat, παροιμίαν, quam postea reipsa satis explicuit, ubi tempus advenit, quo jam perspicuè de Patre, rebusque ad eum spectantibus (inter quas sanè est ipsius spiritus) erat discipulis annunciaturus, quod tùm fieri cœpit, cum hunc ipsum Spiritum in illos effudit. Annon enim eatenùs illa omnia fuerunt impleta, quatenus dono illo spirituali ac cœlesti virtute induti Apostoli, divina mysteria ad Christianam religionem spectantia plenè cognoverunt, res futuras sciverunt & prædixerunt, ac denique ex spe futuræ felicitatis & Divini erga se amoris sensu summam ceperunt consolationem, ac lætitiam, cum hæreditatis suæ arrham, qua obsignabantur in diem redemptionis, in pectoribus suis gestarent? Nihil certè horum Spiritus sanctus ita, ut persona solet, peragere postea visus ac deprehensus est: quam ergo meliorem horum verborum interpretationem quærimus?

Ex his jam aliquomodo patet Responsio ad secundum Argumentum, quo probare niteris Spiritum sanctum esse personam, ex Notis Grammaticis petitum: quarum primam facis vocem *alius* Joh. 14; (tu iterum habes 15) secundam, generis variationem. Per hanc enim (inquis) Scripturæ usitatum est personas designare, ità verò, quando præcedit in Græco textu nomen substantivum Neutrius generis, & subjungitur pro nomen Masculini generis, ut Genes. 3. 15. σπέρμα αὐτῶ. Matt. 28. 19. πάντα ἔθνη. Similiter Galat. 3. 16 & alibi. At talis variatio generum interdum fit, quando S. Scriptura de Spiritu sancto loquitur Joh. 14. Pater dabit vobis τὸ πνεῦμα ἐκεῖνο. Joh. 15 τὸ πνεῦμα ὅ. At enim si Scriptura per Prosopopæiam de Spiritu sancto loquitur, quid mirum si ea sermonis ratione, de ipso verba faciens utitur, qua uti solet tunc, cum de personis propriè sermo est. Si quidem Prosopopœia hoc est personæ fictio in eo ipso consistit, ut de eo, quod Persona non est, ita loquamur ut de persona. Sunt ergo notæ illæ Grammaticæ, prosopopœiæ illius pars quædam, vel, si ita mavis, ejus consequens, nec magis negari potest, eas posse usurpari de re, quæ persona non sit, quam posse nos de eadem per prosopopœiam loqui. Ac præterea, quod ad primam notam à te constitutam attinet, non usurpatur uspiam vox alius de Spiritu sancto absolute, id quod, nisi figura aliqua subsit, personæ solet esse indicium: sed conjuncta cum voce paracletus, à qua divelli non debet, adeoque vox ista *alius* per se vim, non habet personam significandi; sed eatenus tantum habere videtur, quatenus vox Paracletus cui adjungitur, eam videatur significare. Nam cæteroqui dicere quoque possis, ἄλλος λόγος, ἄλλος ψαλμός, ἄλλος θεμελιός, & alia infinita, quæ tamen nequaquam personam significant. Atqui ex voce Paracleti id concludi non posse, Socinus jam docuit, & ex iis quæ supra diximus, intelligi potest; atque inprimis si exempla spectes, ex eo Psalmi loco, ubi David præcepta Dei consiliarios suos vocat, vel, quod apertius etiam personam videtur exprimere, vivos consilii sui. Quanquam & ille Salomonis locus, si præjudicium absit, satis manifestus est, ubi sapientia, soror, sponsa, amica, appellatur, suasque puellas habere & emittere dicitur. Nam qui ad Christum priora illa accommodant, non animadvertunt eum nusquam instar mulieris in S. L. introduci, nec cum sorore, sed cum Fratre primogenito; non cum sponsa sed cum sponso comparari, nec respectu quorumvis, sed Christianorum tantum. Quod ad alterum indicium attinet, præter id quod generatim responsum est, animadvertendum est, jure negari posse, eam, quam tu ponis, mutationem generis de Spiritu S. usurpatam esse. Nam quando pronomen ἐκεῖνο de Spiritu S. usurpatur, vel nulla alia vox, ad quam referri debeat, proximè præcesserat, sed ad ea, respicitur, quæ aliquantò antè dicta fuerant, atque adeò, ut statim dicemus, ad vocem παράκλητος. quod fit Joh. 16. 13, vel expressè præcesserat vox ista παράκλητος. aut ejus loco eadem vox ἐκεῖνο. & quidem tanquam subjectum principale, seu principalis descriptio subjecti, unde fit, ut licet postea per appositionem, ad

ad rem magis declarandum, addatur τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, vel τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, tanen pronomen relativum, non cum hoc propiore, utpote accessorio, conveniat ratione generis; sed cun remotiori tanquam cum subjecto seu antecedente, ut diximus, principali. Vide cap. 14. 26. XV. 26. XVI. 14, quam loquendi rationem haud sanè inusitatan, nos superius imitati sumus cum de loco Psal. 119 geremus, & exinde exemplum formaremus ei loquendi rationi simile, qua Christus hic utitur; quod nemo, ut arbitror, reprehenderit. Quod verò etiam scribisti cap. 15, scriptum esse, τὸ πνεῦμα ὁ: quasi nimirum articulus mascurini generis præpositivus vocem πνεῦμαῖ⊙ sequeretur, in eo memoriæ lapsus est. Nam ℣. 26, qui solus est in eo cap. locus, ad quem respicere potuisti, articulus præpositionis ὅν masculino genere sequitur proximè vocem παράκλητ⊙, & post vocem πνεῦμαῖ⊙ ponitur articulus postpositibus ὅ neutrius generis, quod etiam fit cap. 14. 26. Mirum autem est, si propterea hæc generis mutatio accidit, quia Spiritus S. persona sit, quæ ratio ubique locum haberet, atque ibi inprimis, ubi proprietas sermonis alias maximè servatur, nec paræmia aliqua cernitur, eam tamen variationem, cum de Spiritu S. sermo est, nonnisi in hoc uno sermone Christi, tribus his capp. comprehenso, in quo parœmiis, ut diximus, se usum ipse testatur, deprehendi: cum tamen ea toties occurrat in voce ἔθν⊙. quæ exstat in duobus locis à te citatis Mat. 28, ex quo tu tantum vocem πᾶσα commemoras, & Gal. 3, idque non tantum apud unum Sacrum Scriptorem, sed apud varios. Annon inde apparet, non eam ob caussam id factum, quia Spiritus S. persona sit, sed quia, cum Dominus Jesus parœmiis uti vellet & non apertè sed figuratè atque allegoricè loqui, prosopopœiam à se semel cœptam, usque ad orationis finem persequi, eidemque sermonis figuræ pressius insistere voluit, quæ caussa cum alibi locum non habeat, ideò variatio illa generis in eadem re alibi non deprehenditur. At in voce ἔθν⊙ passim, atque ibi vel inprimis, ubi nulla prosopopœiæ suspicio, ea variatio accidit; propterea quod ea dictio personarum certarum multitudinem significet, quæ caussa ubique locum habet; licet ea interim non cogat, ut semper effectus hic, nempe generis mutatio, sequatur, sed suadeat tantùm ut id sæpius fiat. Istud obiter notandum arbitror de loco Genes. 3. 15, à te adducto, istam mutationem generis, non tam ideò ibi factam videri, quod per vocem σπέρμα persona intelligatur (alioqui enim debuisset potius plurale masculinum usurpari, ut in voce ἔθν⊙ contingit. Si quidem vox seminis, ibi est nomen collectivum, & progeniem significat, quemadmodum ex opposito serpentis semen liquet) quin quod pronomen relativum Hebr. *Hu* & nomen *zara* id est semen, ad quod refertur, masculini sit generis. Accidit enim interdum interpretibus, ut linguæ illius, ex qua aliquid transferunt, vestigia ita sequantur, ut idem genus in altera lingua retineant, quod in illa repererint, unde transferunt: Similiter & casum; quod utrumque Veteri Latino Bibliorum interpreti non semel contigit. Quanquam aliam rationem affert Vatablus postquam enim dixisset, 70 verterunt *ipse* Christum intelligentes, addit: aut αὐτὸς non refert σπέρμα, sed τὸν σπορὸν, quod sit ejusdem, cum dictione σπέρμα significationis, idque Hebraico more. Sed hac de re non multum tecum contenderim: cum eo etiam, quod vis, concesso, satis ad rationem tuam fuerit à me responsum.

Illud non puto prætereundum, quod tamen addis: Ea argumenta quæ ex ratione sumuntur, pro nihilo te habere, in hoc arduo negotio. Et si Scriptura tibi diceret, quæ rationi impossibilia vel contraria videntur, te crediturum. In quo mihi videris tua ipsius vineta cædere. Nam unde quæso principale tuum argumentum, quo probare niteris, Spiritum S. esse personam, depromptum est? Unde ista attributa personæ? Substantia, substantia prima, rationalis, ens completum. Annon ex ratione, atque adeò ex media Philosophia? Unde colligitis in divina essentia esse personas? an quia id Scriptura apertè dicat? haudquaquam: sed quia ex iis quæ Scriptura de Deo, Christo & Spiritu S. dicit, definitione, ut arbitramini, personæ adjuti, ita colligitis, atque ita altera saltem ratiocinationis vestræ propositio, personæ nimirum definitio, aut quippiam simile, ex ratione est. Deinde ipse argumentandi ac concludendi modus, quem tum in hoc, tum in aliis omnibus religionis mysteriis adhibetis, unde nisi ex ratione est? Quodsi argumenta ex ratione sumpta, in arduis hujusmodi negotiis pro nihilo apud te habentur, unde scis, etiam argumentandi modum in hujusmodi rebus te non fallere? Ubinam in Sacris Scriptum est, quod libet esse aut non esse; de qualibet re veram esse affirmationem aut negationem, quibus principiis omnis omnino disputatio ac veritatis assertio nititur. Annon manifesto tu aliique omnes facto ipso ostenditis, tale esse rationis lumen, ut non possit non cum veritate, & quæ hoc nomen maxime meretur, doctrinâ Christi consentire, ut ut eam per se invenire & cognoscere non potuerit? certe Deus in iis omnibus, quæ nobis in verbo suo revelavit, rationis lumen rectumque judicium, & communem, ut vocant, sensum præsupponit, sine quo nihil eorum, quæ in S.L. continentur, intelligere possumus, præsertim ubi figurati occurrunt loquendi modi, aut res per consequentiam aliquam ex S.L. est deducenda. Nisi ita se res haberet, cogeremur absurdissima quæque statuere, & contradictoria etiam admittere, atque, ut alia quam plurima prætereamus, Deo corpoream tribuere figuram, membraque non hominum tantum sed & brutorum; cum ea illi in S. L. sexcenties, idque apertissimis verbis tribuantur, expressè verò nusquam adimantur: ita ut nonnisi per argumentationem, cujus altera saltem propositio ex ratione petitur, contrarium demonstrari possit. Quodsi argumentatio ea firma esse potest in negotiis maximè arduis, cujus altera propositio ex ratione est; cur non etiam si utraque? Cur quæso non creditis cum pontificiis, panem Eucharisticum esse corpus Christi? poculum esse sanguinem ipsum Christi, aut ipsum N. Test. quod nemo credit? An fortè alicubi S. L. dicunt, panem non esse corpus Christi? aut poculum non esse sanguinem vel testamentum? an apertiora sunt testimonia, quibus vos Trinitatem personarum divinarum probatis, quàm illa institutionis verba, quibus Pontificii nituntur? Annon ideò ab illa Pontificiorum sententia recedis, quia res ipsa statim appareat absurda? quid verò absurditatem illam deprehendit ac monstrat, præter rationem? Annon vestri etiam in isto negotio illo utuntur argumento contrà Pontificios asserentes panis substantiam abesse, remanere tantum accidentia; quòd accidentia non possint consistere sine suo subjecto, eaque de caussa nec de subjecto in subjectum transire. Quanquam dum tu ita, ut vidimus, loqueris, tacitè pro concesso sumis, contrarium ejus, quod nostri argumentis à ratione ductis convellere soleant, in S.L. dici, & sic ipsa nos S. L. dicta oppugnare, non verò ex illis potissimùm earumque apertissimis testimoniis argumentari. Vestri potiùs hoc nomine sunt accusandi, quòd tam aperta S. L. verba simpliciter non admittant, Nobis unus est Deus Pater ille ex quo omnia, & nos in illum &c. 1 Cor. 8. Unus est Deus, unus etiam mediator Dei & hominum, homo Jesus Christus 1 Tim. 2. Unus Deus & Pater omnium Eph. 4. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te (Pater) illum solum verum Deum, & quem misisti, Jesum Christum Joh. 17. Quid his locis apertius? cur non saltem aliqua æquè aperta verba hic opponunt, & contentione facta (quod quidem rationis fiet lumine) statuatur, utra eligi debeat sententia? Cur non ostendunt similiter alicubi scriptum, Deus est trinus in personis? cùm toties sit scriptum, Deum esse unum: cumque hoc sine illo credere ad salutem nequaquam putetis sufficere? Cur non ostendunt similiter scriptum, Christum aut Spiritum S. esse illum unum Deum, aut solum esse Deum illum verum, quemadmodum de Patre scriptum, de quo minor esse poterat dubitatio.

Cur publicè fiant Copulæ Matrimoniales?

QUia vinculo conjugii nullum est arctius? Nam ut una tantum uxore contentum esse oportet hominem Christianum, & cum ea perpetuò vivere; ideò verisimile est antiquitatem Christianam, non satis habuisse initia istius conjugii fieri simplici & privato utriusque conjugis promisso; sed etiam insuper evidens hujus rei, idque publicum & solenne & multiplex extare voluit testimonium: quale est hoc, quod quotidie inter Christianos celebrari videmus. Recte itaque faciunt ii, qui jure in differenti quæ ad honestatem & politiam conservandam pertinet, & ab hominibus prudentibus antiquitus inventa est, id observant, quod maxima pars Christianorum, inter quos degunt, observat. Nempe publica promissio & quasi votum: Dextræ porrectio: Annulorum & Munusculorum donatio.

Præterea quantumvis satis interdum habeant S. L. si præcipiant viro, ut amet uxorem suam, perinde ac se ipsum: Uxori verò, ut virum vel metuat vel eidem obediat. (Nam in re manifesta simplex oratio sufficit: & pietatis studiosos sic monuisse est eis prolixa oratione rem persuasisse.) Tamen quia tempora mutantur, mutantur autem in deterius, & cùm illis etiam homines, consultum est publico commodo, si omnia, quæ ad eum, quem debet uxori vir, amorem spectant quasi enumerentur; & vicissim ea etiam, quæ ad eam, quam viro debet uxor, obedientiam pertinent, recenseantur. Ad Amorem autem quem vir uxori suæ debet, pertinere videtur omnium primum ut salutis illius quantum ejus per eum fieri potest, sit studiosus vel saltem nulla in re eidem obsit aut noceat. Deinde ut honorem eidem exhibeat. Quia non tantum viro subdita sit, sed etiam ita subdita, ut simul omnium socia & proxima à Rege Viro. Et non habet hæc conjugalis conjunctio aliquid sibi simile inter omnes quæ sunt in hoc mundo conjunctiones. Honor autem ità exhibetur; si non tractetur, ut alius qui nobis simpliciter subditus est: sed semper ratio ejus habeatur, quod sit socia & nobiscum una caro. Hujus rei contrarium est sævire in uxores; quod nominatim prohibitum est, ne faciant viri Christiani. Tum ut castitati ita studeat, ne thalamus conjugalis unquam polluatur: ut omnium quæ habet vir, bonorum participem uxorem faciat, eamque nulla in re adversa deserat.

Ad obedientiam quam uxor viro debet, pertinet primum generaliter, ut in omnibus quæcunque Christi Euangelio non contraveniunt, absolute illi parere, & ex illius arbitrio vivere velit. Cum quo pugnat, Auctoritatem in Maritum quoquomodo sibi sumere 1 Tim. 2. Deinde ut & Mentis & Corporis Castitatem sacrosancte viro servet 1 Petr. 3. 2. Tum ut eundem vereatur & revereatur. Ephes. 5. ℣. ult. Tandem ut pariter nulla in re adversa virum deserat.

Interrogandi sunt itaque utrique coram Deo ipso & Jesu Christo, coram ipsis Angelis & facie omnium, qui adsunt, hominum Christianorum & honestorum (qui testes sint futuri eorum quæ ibi fiant.) An alter alteri sponte sua & ex animo hæc promittat & spondeat.

Tum addendum: Est igitur hujus rei præter hæc omnia, quæ sunt maxima; hæc etiam externa Dextræ porrectionis & Annulorum donationis ceremonia vel consuetudo: ultimum testimonium. Conclusio sit Oratio.

* * *

Responsio ad M. Cornelii Marci argumenta, quibus probare nititur, Christum esse Deum illum unum, & Spiritum sanctum esse personam.

POstquam Literas tuas vidi, vir Reverende juxtà ac doctissime, quem ego patris loco semper tum propter alias animi dotes, tum inprimis propter singularem illam modestiam & mores ad religionem ac pietatem compositos dilexi, & adhuc, licet in negotio religionis dissentientem, diligo, dici vix potest quantopere fuerim gravisus. Ex iis enim deprehendi, & salvum te esse, & referre illumtuum erga me affectum, & (quod longè majoris æstimo) in pietatis amore viritatisque divinæ studio, laudquaquam refrixisse. Quæ res effecit, ut & Deo tum pro tua incolumitate, tum pro egregio hoc erga ipsum animo gratias agerem, &, quod antehac quoque feceram, ut ea bona tibi vellet esse propria, vota conciperem. De ea quoque felicitate multum tibi gratulor, quod eum nactus sis collegam, cum quo de rebus divinis tutò colloqui, & in sententias de religione vulgo receptas liberius inquirere possis, quod nodie apud paucos licet; plærisque non tam illam religionem, quam veram esse cognoverint, sed quæ illis nascendi sorte obtigerit, importuno quodam zelo vel amantibus vel amorem ejus ostentantibus. Faxit Deus, ut ea animi moderatio apud omnes tandem obtineat: quod si fiat, spes me tenet fore, ut veritatis jubar, quod hactenus opinionum variarum nube tegitur, omnium oculis illucescat, & suo splendore tenebrarum opera fugat ac dispellat. Vestrum est, quos Deus hanc moderationem animi docuit, eandem aliis, qua potestis, ratione, instillare, & veritatis ac pietatis iter, quod ingressi estis, strenuè persequi; rati felices vos fore, si aliis quoque ad eandem rationem ineundam auctores, extiteritis: & tanto quidem magis, quanto pauciores in ea re laborant, & quanto plura vel obstacula vel pericula vobis objiciuntur. Eluctundum enim est, per angustum illum pietatis tramitem ad supremæ felicitatis fastigium, & ad gloriæ coronam non otiosis certantiam spectatoribus sed victoribus propositam.

Ne responsio mea epistolæ modum nimium excedat, in plerorumque argumentorum tuorum, præsertim de Christo allatorum, solutione ad eos nostrorum libros te remittam, quorum tibi copiam esse novi, additis iis, quæ præterea ad rationes tuas convellendas, vel rem clarius explicandam pertinere videbuntur. Ad locum igitur Jerem. 23. 5, 6, responsionem habes in libro contra Wujekum, &c. &c.

* * *

1 *Petr.* 4. *vers.* 1.

IN his verbis adhortatur nos Petrus ad pietatem Christianis hominibus dignam. Ita autem hortatur, ut partim pietatem illam describat, atque explicet, partim rationes afferat cur eam sequi debeamus, partim denique impedimentum quoddam quod hominibus Christianis ad pietatem aspirantibus objici solet amoliatur. Quanquam non eo ordine quo nunc nos usi sumus ea proponit Apostolus. Nam primam partem cum secunda ita miscet, ut à ratione quæ ad pietatem nos impellere debeat exorsus, eidem pietatis descriptionem aliqua ex parte tum intexat, tum aliam rationem subjungat quæ pietatem illam nobis persuadere debeat. Etenim cum Apostolus duas vellet constituere pietatis partes, alteram internam seu in animo consistentem, alteram externam atque in factis ipsis sitam; ita rationem primam huic partitioni accommodat, ut primam argumenti sui partem priori pietatis membro accommodet, ac præmittat, alteram verò alteri. Quapropter primo videbimus primam rationis Apostolicæ partem ac veluti fundamentum, tum descriptionem primi pietatis membri quod alterius quoddam veluti membrum est, tum secundam rationis Apostolicæ partem priori aliquomodo innixam, ac denique alteram pietatis partem ex priori proficiscentem.

Quod ergo ad primum attinet, id continetur illis in verbis, *Christo ergo passo pro nobis carne.* Argumentum, ut patet, ductum est ex Christi morte pro nobis suscepta, cujus in superiori capite facta fuerat mentio ℣. 18. Unde reliqua postea quæ ibidem subjunguntur fluxerunt.

fluxerunt. Ad superiora enim Apostolum respicere, satis indicat particula *igitur*, qua hic utitur Apostolus. *Pati* ergo *carne* hoc loco idem est atque mortificari seu occidi carne; quo loquendi modo usus est dicto loco Apostolus: adeoque vox passionis in perfecta significatione, caro autem, ut notum est, pro corpore sumitur. Maluit autem illa voce quàm hac uti Apostolus, ut id quod de Christo dictum fuerat, per similitudinem ad carnis nostræ seu appetitus mortem quandam tacitè transferret, eaque in re nos Christo similes esse debere ostenderet, ut postea videbimus. Non dicit autem Apostolus simpliciter Christum esse passum, sed addit, *pro nobis*. Quas voces alii ita accipiunt quasi dictum esset loco nostri, quod ita rursus explicant, ut velint Christum pro omnibus nostris peccatis demeritis nostris æquales pependisse pœnas. Id quod vel ex hoc ipso loco, ne aliunde rationes advocemus, refellitur. Etenim Petrus ex morte Christi pro nobis suscepta concludit nos quoque mori debere, & peccatis vale dicto, Dei voluntati in reliquum vitæ tempus obtemperare. At si illa esset istorum verborum sententia, quam volunt alii, nihil hic nostra pietate esset opus: ac tantum abest ut id quod Petrus colligit inde queat deduci, ut contrarium multo facilius inde concludi queat. Quare alia, & pietati & scopo consilioque Apostoli vers. 2, magis consentanea nobis quærenda est interpretatio. Eam verò nobis suppeditat Paulus: qui quod ad Rom. 14. 15, dixerat, *pro quo Christus mortuus est*, id 1 Cor. 8. 11, in eadem materia versans ita effert, *propter quem Christus mortuus est*. Quare *pro nobis* idem est quod *propter nos*. Propter nos autem ille perfectissima ratione moritur, qui salutis nostræ causa moritur, ut nos à morte liberati vitam adipiscamur eamque æternam. Quo vero pacto id factum fuerit à Christo, id explicatum habes ab initio Anti Grotii. Quomodo autem ex morte Christi pro nobis suscepta sequatur, ad eam vitæ pietatem quam commendat Apostolus adspirandum esse, partim ibidem explicatum habes, partim paulò post dicemus, ubi videbimus quid ex hac ratione colligat Apostolus. Nunc antequam alto abeamus, diligenter nobis expendenda est summa Christi erga nos charitas, propter quos mortem eamque tam diram atque infamem adiit: ac ipsius etiam Dei erga nos charitas, ex cujus voluntate ea fuit à Christo pro nobis suscepta. Quæ res fiduciam erga ipsum nostram excitare, nosque ad laudes ei perpetuo pro tanto beneficio dicendas, eumque vicissim ardentissime amandum exstimulare debet. Amor verò iste erga Deum & Christum in observatione mandatorum ejus consistit. Joh. cap. 14. ℣. 21, 23. 1 Joh. 5. 3. Præterea cum res ipsa monstret, mortem Christi nobis de ea non ritè cogitantibus pietatem quam nobis persuadere vult Apostolus haudquaquam inserere, neminerimus diligenti meditatione mortis Christi fructum participare, ac ut Christus Johan. 6 loquitur, carnem ipsius comedere & sanguinem bibere. Hac enim demum ratione pietatem in nobis mors Christi gignet. Neque verò cogitemus, mortem à Christo ideo susceptam, ut nos eam tantum peractam esse credamus; sed ut inde ad officium nostrum, quemadmodum Petrus hic facit, nosmet excitemus.

Hac prioris rationis parte exposita, infert Apostolus admonitionem, qua primam pietatis partem in animo consistentem nobis commendat, dum ait, *Etiam vos eadem cogitatione armemini*. Id est id animo penitus infigite, & firmiter apud vos decernite, vos quoque carne passuros, seu mortem quandam carnis subituros. Vult enim Apostolus nos mortem meditari morti Christi similem, quanquam diversi generis, quæ eodem tamen nomine, eademve loquendi formula exprimi potest, sed diversa ratione sumta. Utrobique enim passio seu mors carnis est: sed illa quam Christus sustinuit mors est corporis proprie, hæc autem appetitus seu carnalium affectuum. Vult autem Apostolus armari nos hac cogitatione ad mundi varias illecebras, & firmari aut decreto sanciri id quod nos facere jubet.

Hinc discimus primò veram pietatem ab animo esse ordiendam: & plurimum, imò propè dixerim post Dei gratiam totum in eo situm esse, ut velis piè vivere. Recte huc accommodari potest illud vetus, Animus hominis quicquid sibi imperat obtinet: Præsertim quum volentibus & laborantibus auxilium divinum nunquam desit, si ardentibus precibus id implorent. Quandoquidem Deus promisit se facturum quicquid secundum ejus voluntatem petierimus. Quid autem magis est secundum ejus voluntatem, quam ut peccatis mortui ipsi vivamus? Rom. 6. ℣. 11. Sed deinde animadvertendum est, non quodvis animi decretum ad pietatem sufficere, sed firmum ac penitus animo infixum. Qua de causa Petrus armandi verbo est usus. Denique rem esse duram ac molestiæ plenam appetitum subigere, & carnales coërcere affectus: quandoquidem ea morti in Sacris Literis comparatur, & morti quidem violentæ, qualem Christus subiit. Unde alibi jubemur crucifigere carnem cum concupiscentiis. Gal. 5, & Coloss. 3, mortificare membra nostra quæ sunt supra terram. Hic autem, antequam ulterius progrediamur, considerandum est quo pacto hoc quod modò consideravimus ex morte Christi pro nobis suscepta concludat Apostolus; alias deductionis hujus rationes exposuimus alibi. Apostoli deductio eo videtur niti, quòd Christiani homines etiam ratione vitæ ac morum, quo nomine affectus quoque nunc complectimur, Christi morti conformari debeant. Id quod vel in baptismate olim profiteri solebant, immersione in aquam, & quadam sepulturæ, quæ mortis est consequens, imagine. Quam rationem explicat Paulus Rom. 6, ubi eadem quæ hic Petrus, sed fusius persequitur.

Hæc de priori pietatis parte. Ad posteriorem accessurus, rationem quemadmodum supra diximus iterum præmittit, sed rationi priori innixam. Ea verò continetur in istis verbis, *quia qui passus est in carne cessavit à peccatis*. Quanquam non diffitemur, hanc rationem posse etiam ut quidam vulgò censent, & verba prima fronte videntur postulare, haberi pro confirmatione præcedentium. Quasi dicat Apostolus; ideo debetis eadem cogitatione armari, ut nimirum pati velitis in carne, quia hoc pacto eum consequemini fructum, ut à peccatis cessetis. Siquidem quisquis in carne passus est, à peccatis cessavit. Magna autem felicitas est, à peccatis esse immunem: hæc enim sunt quæ conscientiam inquietam reddunt, hæc quæ divinis suppliciis nos objiciunt, hæc quæ spem salutis adimunt. Verùm si rem penitius consideres, apparebit hæc verba propemodum in parenthesi esse legenda, & sequentia cum superioribus cohærere, ac veluti consequentiæ rationem reddere. Quasi dicat Apostolus; vos quoque eadem cogitatione, nimirum ut in carne pati velitis, armemini; & quandoquidem quisquis passus est in carne cessavit à peccatis, vos reliquum vitæ tempus non ex hominum cupiditatibus transigatis, sed peccatis jam vale dicto, Deo ejusque voluntati totum hoc tempus consecretis. Causa autem cur ita censeamus hæc inter alias est, quia verba versiculi 2 quæ omnino cum superioribus cohærent, non bene cohærent cum proxime præcedentibus, de quibus nunc agimus. Etenim ea loquuntur etiam de illis qui verè ac propriè sunt mortui, atque adeò etiam de Christo, peccatorum nomine impropriè accepto. Estque in illis generalis oratio, qualis est apud Paulum dicto jam ante loco Rom. 6. vers. 7, ubi ait; *qui enim mortuus est, justificatus est à peccato*, id est à jure ac imperio peccati est liberatus. Jam verò ad illos qui proprie mortui sunt, ac multò minus ad Christum accommodari possunt verba hujus vers. 2, *ut non amplius hominum cupiditatibus, sed voluntati Dei reliquum in carne tempus vivatis*. Ne de ratione sequenti ℣. 3 comprehensa, quæ idem comprobat, quicquam hic dicamus. Quod si hanc interpretationem sequi velis, nostra versio Polonica aliquantulum est mutanda, idque si Græcismum retinere velis, una tantùm literâ mutatâ. Nec quisquam hic moveri debet quòd nos tum numerum tum personam verbi

mutemus: siquidem infinitivus Græcus nec personam neque numerum habet, itaque pro ratione nunc hanc nunc illam personam itemque numerum recipit. Sed nunc tempus est ut rem ipsam consideremus, & summam verborum expendamus. Diximus jam verba hæc generalem continere sententiam, quæ tum ad illos qui proprie loquendo in carne sunt passi, hoc est mortui, adeoque ad Christum, peccati nomine improprie sumto, pertineant, tum ad eos qui impropriè loquendo in carne sunt passi seu mortui, id est ad eos qui appetitum, ejusque motus seu affectus compresserunt, & vim eis quam habebant ademerunt. Nam primò, certum est, eum qui verè sit mortuus à peccato jam cessasse, cùm nihil amplius jam agere, & sic nec peccare queat. Quod ad Christum attinet; ille eatenus à peccatis cessavit, impropriè dictis, quatenus ab afflictionibus ipsaque morte qualem peccatores sustinere merentur ac solent, jam porrò liberatus est. Quo pacto Paulus quoque eo quem huic simillimum esse diximus loco, nos admoniturus ut moriamur peccatis, & quidem semel, ita ut ad ea nunquam revertamur, eodem utitur exemplo, atque ait vers. 9 & seqq. *Christus excitatus ex mortuis non amplius moritur, mors ei non amplius dominatur; quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel*, id est semel peccato seu morte atque afflictionibus peccatum consequi solitis, defunctus, atque ab iis porrò liberatus est; *quod autem vivit, vivit Deo. Ita & vos reputate vos ipsos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro.* Quod denique attinet ad eos qui improprie passi vel mortui sunt, carne, hoc est, appetitum suum edomuerunt, illi quoque à peccatis cessarunt. Omnia enim peccata ab affectibus & internis animi motibus oriuntur: quemadmodum Christus docet Matth. 15, ubi ait ℣. 18 & seqq. *Quæ egrediuntur ex ore, ex corde egrediuntur, & illa communem*, hoc est pollutum *reddunt hominem. Nam ex corde egrediuntur cogitationes malæ.* Quapropter in id incumbendum est Christiano homini atque id conanti ut à peccatis sit immunis, ut appetitum & affectus suos primò coërceat, iisque vim adferat. Ita enim fiet ut sponte sua peccata cessent, & voluntati locum relinquant. Agnoscitur etiam hinc posse hominem cessare à peccatis, quod nonnulli constanter vel potius pertinaciter pernegant. Est autem ut locus satis ostendit, non de cogitatione hic sermo, sed de effectu, siquidem hic cogitationis illius de qua superius fuit sermo effectus explicatur.

Sed jam tempus est ut ad alteram pietatis Christianæ partem quæ in opere ipso consistit accedamus. Ea verò est explicata ℣. 2. Ejus autem, ut alibi sæpe fit, duo constituuntur membra: alterum est peccata pristina vitare, alterum, id quod rectum est ac Dei voluntati consentaneum facere. Ait enim primò, *ut non amplius cupiditatibus hominum*, nempe reliquum in carne tempus vivatis. Cùm ait, non amplius id faciant, indicat eos antea id fecisse. Tales enim omnes generatim fuerunt Christiani, antequam Christiani fierent: sed alia debet esse vitæ ratio post veritatem agnitam, alia ante acta: quod suprà Petrus indicavit cap. 1. ℣. 14, & seqq. Cupiditates hominum Petrus opponit Dei voluntati, & sic quoque vitam secundùm illas traductam, vitæ ex Dei voluntate actæ: Homines intelligens carnales, quales quidem sunt plerique: eaque de causa Apostolus simpliciter loquitur, eisque non ut Deo voluntatem tribuit, sed cupiditates, propterea quòd ex affectu vivant, non ex voluntate, quam ratio gubernat ac sapientia. Hinc monemur ut diligenter caveamus quicquid hominibus vehementer placet, & iis quidem maximè qui à Deo longius absunt. Alia hominum esse solet cupiditas, alia Dei voluntas: quod huic placet, illis plerumque displicet, & contra. Audire Apostoli dictum atque attendere ii inprimis debent qui hominum hujus mundi favorem nimis amant, iisque unice placere satagunt, & sæpe conscientiam illis suam gratificantur. Insidiosa est hominum amicitia, & magno sæpe emitur impendio, ipsius nempe salutis. Quare valeant illæ excutiunculæ, quibusdam nimis familiares, Gratificandum fuit amico, indulgendum est & aliis. Sed his jam missis, vel potiùs animo penitus jam infixis, aliam pietatis partem in opere consistentem consideremus, quæ est, *ut Dei voluntati reliquum vitæ tempus transigamus*, id est quicquid superest vitæ hujus caducæ, id Deo consecremus, & illius nutui in omnibus nos attemperemus. Quæ res quia facilis est intellectu, & quæ inde peti debeant doctrinæ omnibus est perspicuum, ideo ei non immorabimur.

Explicatis pietatis partibus, & prima ratione qua nos ad eam hortatur Apostolus visa, nunc ad alteram rationem accedendum est, qua ad eandem nos excitat Apostolus. Quam quidem jam innuit verbis præcedentibus, dum *reliquum vitæ tempus* commemoravit: sed eam latius deducit, dum ita subjicit: *Sufficit enim nobis præcedens*, &c. ubi ex eo quòd tantum jam temporis in peccatis variis contriverimus, colligit jam tandem Deo esse vivendum, & reliquum ei vitæ tempus impendendum. Præteritæ autem vitæ improbitatem tum generatim explanat, tum speciatim, enumeratis certis peccatorum generibus, in quibus hactenus vixissent ii ad quos scribit. Primum facit in verbis prioribus, dum ait; *Sufficit enim nobis per præcedens vitæ tempus voluntatem gentium patrasse.* Loquitur autem Apostolus accommodate ad vulgi sententiam, quod credit aliquid esse in peccato boni: quasi dicat; si putatis suave esse peccare, & aliquid ei rei ideo impendendum esse temporis, cogitate, jam satis ei esse datum; sufficiat tempus illud satis longum quod peccando contrivistis. Cùm si rem suo pondere examines, dicendum fuisset, atque ita proculdubio fuisset dicturus Apostolus; Dolendum vehementer est tantum temporis vos dedisse gentium cupiditatibus, & illorum voluntati tamdiu fuisse obsequutos. Quanquam Petrus per communicationem quandam non *vos* dicit, sed *nos*, se quodammodo includens, ad asperitatem orationis emolliendam. Hoc autem loco gentes reponit pro hominibus, propterea quod his indulgendo potissimum peccassent ii ad quos scripsit Petrus, utpote inter quos vixerant, & à quibus plurimum labis traxerant, utpote corruptissimis. Scripsit enim Petrus ad Judæos origine, sed Christianos factos, per varias gentes quas ab initio enumerat cap. 1 dispersos. Cogitandum nempe unicuique est, quantum temporis, vel aliud vel male agendo perdiderit, eaque cogitatione veluti calcaribus quibusdam incitandus est animus ad reliquum temporis, tanquam naufragas tabulas, colligendum, & quicquid adhuc reliquum est vitæ tanto majori cum pietate transigendum. Quotus verò quisque est qui non plurimum tempus & quidem florentissimam ætatem dicaverit suis cupiditatibus & hominum studiis. Rectè hic usurpaveris illud quanquam Ethnicum, Magnam vitæ partem elabi male agentibus, majorem nihil agentibus, totam aliud agentibus. Cogitandum ergo nobis est illud Pauli, tempus in posterum esse contractum, punctum esse quod vivimus, & puncto nos minus Deo dare, qui immensum illud beatissimi ævi sibi parentibus destinavit.

Hactenus in genere vitæ pristinæ improbitatem descripsit Petrus; sequuntur vitia specialia in quibus hæserunt ii ad quos scripsit Apostolus. Ea verò sunt duplicis generis, partim ad voluptates corporis belluinas quibus vulgo indulgent homines, spectant, partim ad honoris divini violationem. Voluptates porrò illæ sunt duplices: Aliæ sunt eæ quas honeste nominare non licet, aliæ in cibo & potu potissimùm versantur. Prioris generis vitia enumerat duo, alterum externum & in factis consistens, alterum internum seu in animo situm. Illud exprimitur in voce *lasciviarum*, hoc est libidinum & impurarum voluptatum, quo nomine omnes comprehendit voluptates venereas, quæ sunt extra legitimum ac verecundum matrimonium: quarum variæ quidem species enu-

enumerantur in Sacris Literis, quia vulgo tum nimis erant notæ ac plerisque familiares; sed quas optandum esset perpetuis obrui tenebris, & à piis omnibus ignorari. Ad illas autem evitandas, id sat est quod diximus. Qui enim scit nil aliud licere quàm quod legitimi ac verecundi matrimonii cancellis est circumscriptum, is reliquas omnes hujus generis voluptates qualescunque tandem sint evitandas esse sciet, & si volet, certabit. Hoc vero quod in animo diximus consistere, exprimitur voce *cupiditatum*; quæ licet sua natura latius pateat, hoc tamen loco ad earum voluptatum de quibus hic agitur desideria restringenda est: quemadmodum etiam fit Coloss. 3. ℣. 5, in voce *cupiditatis malæ*: quanquam & aliæ sint malæ, ut nimia honorum aut opum cupiditas. Est autem cupiditas hæc non pro primo appetitus motu & ad rem turpem inclinatione cui voluntas non assentiatur intelligenda; sed de ea quam voluntas vel decreto suo approbet, utut tandem ad effectum non perducatur, vel in animo foveat eaque sese oblectet atque titillet, utut decretum de ea perficienda non accesserit: id quod ad alias quoque cupiditates turpes transferendum est. Primus ille appetitus motus qui nonnunquam nolentibus obrepit & subito excutitur, quanquam mali quidam est fomes, peccatum tamen nondum est, sed virtutis exercendæ materia: quanquam danda est opera ut animus aliis honestis curis aut meditationibus distentus ab illis quam minimum sollicitetur. Quam ad rem temperantia victus, divinarum rerum tractatio, & precum assiduitas plurimum valet.

Quod ad alterum vitiorum genus attinet, in voluptatibus corporis occupatorum, tria enumerat Apostolus, quorum primum & ultimum cernitur in potu, medium etiam in cibo aliisque rebus cum hoc voluptatum genere conjunctis. Primum grave admodum est ac crassum: tertium paulo subtilius & viris cæteroquin honestis familiare. Primum est expressum nomine *vinolentiarum*, quo intelligit vini bibendi libidinem, quæ cerebrum turbat, & rationem ad tempus excutit. Quanquam cum vino jungenda sunt omnia reliqua potus genera quæ singularem inebriandi & cerebrum mutandi vim habent. Ex specie enim nobiliori totum genus est intelligendum. De altero quod in potu nominatim cernitur, postea docebimus. Prius enim id quod his interjecit Petrus, quodque tum in cibo tum in potu versatur considerandum est: illud verò *comessationum* nomine significatur ab Apostolo. Sunt autem comessationes convivia, non illa in quibus ad necessitatem editur, jucundis ac honestis admistis sermonibus, qualia etiam inter Christianos esse possunt, & nonnunquam etiam necesse est; sed in quibus omnia ad voluptatem corporis referuntur, idque tantum agitur, ut edatur ac bibatur quantum gulæ placet: luditur præterea, saltatur, aut alia fiunt similia, quibus se homines carnales oblectare solent, quanquam ita ut etiamsi fortè saltatio absit, nihilominus tamen comessatio sit. Quod ad alterum eorum vitiorum attinet quæ in potu tantum cernuntur, id exprimitur voce *potationum*: quod quia Apostolus à vinolentiis interjecto comessationum nomine disjunxit, diversum id à priori licèt aliàs cognato vitium esse apparet. Cùm verò vinolentia eam ut diximus significet ebrietatem quæ rationem turbat, & mentem ad tempus eripit, potationis nomen quod lenius est, ejusmodi vitium significare apparet quod minus sit priori turpe, hoc est potationem ejusmodi quæ etsi mentem non eripiat, modum tamen justum qui in potu observandus est supergrediatur. Modus autem ille est, ut ad valetudinem ac necessitatem potum adtemperes, non ad voluptatem, quæ expleta jam naturæ necessitate quæratur. Atque hoc illud est quod dicere solent, quempiam plusculum adbibisse. Quanquam verò is qui hoc vitio laborat, aut peccatum hoc aliquando, admittit, non ita sese obruat poculis, ut neque mens, neque lingua, neque pes, officio suo fungi valeat; fieri tamen non potest quin animus illius tum temporis gravetur, & etiamsi sese attollere velit ad rerum graviorum cogitationem ac meditationem, ad eam tamen rem sit ineptior: nisi fortè longa bibendi consuetudine id fuerit assecutus, ut multum etiam vini ferre queat. Quibus tamen quicunque est moribus, cum temulento ferè ingenio esse necesse est: adeo ut simpliciter dici queat, hoc vitium semper, ut Dominus Jesus loquitur, cor gravare. Solent autem hoc vitio laborare ii qui voluptatibus carnalibus sunt dediti: quales quidem sunt plerique omnes qui divinam veritatem ignorant, honestiores tamen videri volunt, atque ex parte etiam sunt. Vinolentia enim illa, sua turpidine viros honestiores à se absterret: hæc autem potatio hilaritatis & suavitatis specie se commendat. Sed quo ea est insidiosior, & quo facilior est in eam lapsus, tanto est ab ea cavendum diligentius: præsertim cum ob causam jam dictam tot repererit ubique sectatores tum defensores. Quid, inquiunt, obest, aliquantulum sese exhilarare, & genio nonnihil indulgere? Exigit id humanitas erga alios, maxime hospites. Ita nempe virtutis nomen prætexitur vitio: sed velum hoc ei detrahit Petrus, & proprium ei reddit nomen atque ordinem, dum potationes constituit partem vitæ ejus quæ gentium voluntati sit consentanea, divinæ vero adversa.

Ultimo loco commemorat Petrus illud peccati genus quod Dei honorem apertè lædit, dum commemorat *nefarias idololatrias*. Duo nempe sunt peccatorum genera ad quæ homines inprimis sunt procliviores, & quæ in illis maxime vigent qui divinæ voluntatis notitiâ carent, ac fere impune inter illos perpetrantur. Ea nimirum quæ ad voluptates corporis pertinent, & Idololatria: quemadmodum experientia nimis (proh dolor!) apertè docuit, hodieque docet. Est autem Idololatria vitium ejusmodi quo fit ut quis colat id quod divinam potestatem non habet: quanquam propriè simulacrorum imaginum que cultus est. Qua de re satis prolixe egimus in Ethicis, ex quibus ea quæ hic dici possent petantur. Vocat autem idololatrias illas *nefarias*, non tantùm quod per se grande scelus sit honorem numini debitum ad res alias ac nominatim ad simulacra transferre, verùm etiam ideo, quòd Deus tam severe eo peccato interdixisset Judæis, quales hi fuerant ad quos scripsit Petrus. Mirum autem cuipiam videri posset, Petrum hoc scelus tribuere Judæis, cum videatur ea natio ab eo ferè tempore ex quo è captivitate Babylonica rediit, ab hoc peccato fuisse immunis: nisi fortè sub Antiochi persequutione, quæ tunc non adeò diu duravit. Verumtamen quia Petrus hoc Judæis crimen impingit, dubium non est quin ejus peccati rei fuerint non pauci hinc inde Judæi, per extraneas rationes habitantes; idque sane est verisimile. Nam etsi Judæi in sua regione, hoc est in ipsa Judæa, idololatriam nec exercerent nec ferrent, est tamen plusquam credibile eos Judæos qui in medio idololatrarum habitabant, exemplo eorum, & partim metu, partim etiam quorundam amore inductos fuisse, ut idololatriam nonnunquam saltem committerent, atque inter alia epulis idololatricis interessent, & sic ejus sceleris participes fierent. Adde quod verisimile est Magistratus in quibusdam locis vim illis intentasse, eosque metu suppliciorum atque injuriarum ad impia sacra adigere voluisse. Judæos autem ut pacem redimerent, illis sæpe fuisse gratificatos. Quo accedit quod eo jam tempore nimis magnus soleret haberi honos Principum Romanorum seu Cæsarum statuis, quem provinciarum præsides quo quisque vellet esse Principi gratior, tanto magis urgebant. Quare fieri vix potuit ut Judæi ubique tam forti essent animo ut non aliquid facerent religioni suæ ac præceptis divinis adversum.

Vidimus hactenus duas priores hujus loci partes, sequitur tertia, in qua Apostolus objectionem

quandam occupat, seu, quod perinde est, impedimentum quoddam pietatis hactenus à se præscriptæ removet. Primo ergo videndum est quomodo impedimentum istud ab Apostolo exprimatur, deinde illud removeatur. Prius fit ℣. 4, dum ait, *In quo peregrinantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ profusionem, blasphemantes.* Ex quibus apparet illud obstaculum solere objici illis, qui cum antea aliorum hominum cupiditatibus fuissent obsequuti, & una cum iis variis peccatis atque sceleribus indulsissent, postea ab iis eorumque consuetudine sese abstrahant, & à pristinis sceleribus recedentes, virtuti ac pietati reliquam vitam consecrent; quòd eorum cum quibus antea impietati incubuerant primò admirationem excitent, tum indignationem linguarum & convitia in sese concitent. Solent enim homines ii qui vitia jam adamarunt, illis vehementius irasci qui scelerum, ut ita dicam, societatem antea secum coluerant, si pietati se postea dedant, quam iis qui semper pie vixerant. Quod ad verba attinet, verbum *peregrinari* hoc loco idem est quod admirari quippiam tanquam rem novam: quomodo infra vers. 12. Apostolus eandem vocem usurpat. Quod enim peregrinum est novum est atque inusitatum: nova autem & inusitata mirari solemus. Per *profusionem* autem *luxuriæ*, profusam luxuriam, seu vitam luxui ac omnis generis voluptatibus deditam intelligit Apostolus. *Blasphemare* autem est hoc loco convitiari, ut alibi sæpe. Adhoc tandi sunt hoc loco omnes quotquot in Christo volunt pie vivere, ac mundum relinquere, ut animum obfirment adversus vitia & convitia hominum male feriatorum, quæ illos ob pietatem excipiant. Est enim pietas impietati semper invisa. Cui infirmior est animus quàm ut veterum suorum sodalium atque amicorum iras sustinere ac convitia spernere queat, is pietatem constanter colere non potest. Atque inprimis omnes machinas pietati nostræ expugnandæ adhibet Satanas, & qui in illius castris militant, tunc cum ab illis ad Deum Christumque transimus, & pristinis signis relictis, pietati nomen damus. Nam cum mutatio est recens, novitate sua magis percellit aliorum animos, & nisi ipsorum cupiditatibus gratificari velis, vehementer irritat. Furit Satanas bolum sibi hunc eripi è faucibus, indignatur mundus se improbitatis atque impietatis ab eo qui se deserit damnari. Admonendi sunt etiam ii quos mundus nimium amat, colit, laudat, ut sibi ipsis eo nomine fiant suspecti, & de pietate sua vehementer sint solliciti. Cum enim mundus tantopere soleat irasci hominibus cum pietate viventibus, & eos conviciis incessere, non est admodum credibile, eos veram illam & rigidam pietatem colere, qui contraria omnia experiuntur, & propitio fruuntur mundo. Sed jam videamus quomodo Apostolus impedimentum hoc pietatis amoliatur, & animos eorum ad quos scripsit adversus hunc arietem muniat. Prior ad eos imprimis spectat qui convitiis incessere audent homines Christianos pietati studentes: Altera ad ipsos potiùs Christianos. Illa petita est ab effectu pernicioso istiusmodi convitiorum in Christianos homines conjectorum: hæc autem à fine annunciati nobis euangelii. Quod ad priorem attinet, ea continetur illis versic. 5 verbis; *qui reddent rationem illi qui in promtu habet judicare viventes & mortuos:* hoc est punientur à Deo aut Christo gravissime, atque æternum damnabuntur: non modò ob alia sua peccata ac flagitia, verum etiam ob hujusmodi in vos ob pietatem odia ac convitia. Reddere rationem, hoc loco & Metaphora est, & metonymia. Metaphora omnibus patet. Metonymia in eo est quòd antecedens ponatur pro consequente. Quia enim ab illis ratio exigetur hujusmodi factorum aut dictorum quam illi reipsa reddere ac præstare nequibunt, consequens est ut puniantur. Nam cum dicitur eos rationem reddituros, non est intelligendum eos justam factorum rationem reddituros; sed illos coactum iri rationem reddere, & ipso jure incumbere illis ut id faciant; verùm cùm id facere nequeant, eos, ut jam diximus, pœnas daturos. Usurpatur autem hæc phrasis eodem sensu Matth. 12. 36. Sed Rom. 14. 12, & Heb. 13. 17, vel laxius sumitur, ac pœnam quam quis persolvere debeat in se non complectitur necessario, vel subaudiendum est, si quid deliquerit, & aliquid pœna dignum admiserit. Non nominat autem hoc loco Apostolus eum, cui homines isti de quibus sermo est rationem sint reddituri, sed circumloquutione quadam describit, dum ait, eos reddituros rationem ei qui in promtu habet seu paratus est judicare vivos & mortuos. Quæ descriptio tum Deo tum Christo accommodari potest, & parum refert, sive hunc, sive illum, sive denique utrumque, unius personæ seu judicis instar consideres; eaque ipsa de causa Apostolus nec Dei nec Christi nomen videtur expressisse, sed ea descriptione esse usus, quæ ad utrumque eorum accommodari possit. Significat autem ea phrasis Deum Christumve non tantùm posse, sed etiam velle judicium exercere. Judicium autem non modò in viventes, qualia humana esse solent, sed & mortuos: in quos hominibus nulla est amplius potestas, nisi quædam imaginaria. Adde quòd viventibus & mortuis expressis, omnes in universum homines intelligi soleant. Judicare autem, est de iis sententiam ferre & exsequi, imò exsequendo ut ita dicam ferre, hoc est vel prœmium illis impertire virtutis, vel pœnas peccati infligere. Vis autem ratiocinationis Apostolicæ, ad objectionem allatam, seu impedimentum pietatis amovendum, hæc est, quòd improborum hominum judicia, pietatem nostram convitiis incessentium haudquaquam sint curanda, cùm illi ob hæc ipsa gravissime sint à Deo puniendi. Si quid esset in iis laudabile, meritò homo Christianus commoveri deberet: sed quia ea adeò sunt perversa atque improba, ut iram ac supplicia Dei provocent, & damnationem illam extremam mereantur, stultissimum esset iis quicquam moveri. Quod vero de judiciis hominum ac calumniis & convitiis docet Apostolus, id de omnibus reliquis factis quæ ad piorum injuriam spectant judicandum est. Insultant quidem hic piis impii; sed vindicta præ foribus excubat: imminet ultor scelerum omnium Deus, qui per Christum eos etiam inprimis persequetur qui sanctos ipsius, hoc est pupillam oculi ipsius attigerunt. Sed nobis quoque cogitandum est, sistendos nos esse aliquando coram tribunali divino Christi, sive vivos, sive mortuos, & omnium factorum dictorumque rationem nobis esse reddendam justissimo judici. Quare cùm terrorem hunc Domini, ut Paulus ait, norimus, id agere debemus semper ut Domino nostra facta probemus. Probabimus autem si ea conscientiæ nostræ cui leges Domini sunt insculptæ, probaverimus, & nos in oculis ipsius qui omnia pervident semper versari crediderimus.

Hæc de priori ratione qua Petrus impedimentum istud pietatis amovet: sequitur altera quæ continetur vers. 6, ubi ait Apostolus; *In hoc enim etiam mortuis euangelium est annunciatum, ut judicentur* (vel judicarentur) *quidem secundum homines carne; vivant* vel viverent *autem secundùm Deum Spiritu.* De quo quia alibi satis fuse à nobis actum est, ideo tantùm breviter hic ea delibabimus quæ ad ejus intelligentiam pertinent. Primùm autem in eo considerandum venit nomen *mortuorum*, quod vel proprie vel improprie hic sumitur. Si propriè, quemadmodum in fine versiculi superioris, intelligendum est, non id Petrum dicere, mortuis eo tempore quo mortui fuerunt fuisse prædicatum euangelium. Quis enim hoc unquam fando audivit? aut quis illius prædicationis foret finis Deo dignus, etsi tandem id rerum natura ferret? aut quomodo denique in mortuos quamdiu tales sunt, cadere potest illa distinctio carnis & Spiritus, qua postea utitur Apostolus; scilicet qua ratione illi ob euangelium prædicatum secundùm homines carne judicantur? Nam etsi illis euangelium esset prædicatum, id tamen quia hominibus ignotum esset, haudquaquam ab iis qui hominum nomine intelliguntur crederetur ullo

modo

modo id efficere ut hominum judicio mortui isti judicarentur. Non inquam ita intelligenda Petri verba esse: Sed ea ratione potius, quasi dicat Petrus, iis qui nunc sunt mortui euangelium aliquando fuit annunciatum. Adeò ut descriptio hæc istorum quibus euangelium fuit annunciatum, non intelligatur esse sumta ex illorum conditione & statu in quo fuerint positi tum cùm illis euangelium annunciaretur; sed ex eo in quo fuerint collocati tunc cùm hæc Petrus scriberet. Cujus rei exemplum habes in eadem mortuorum voce, Ruth. 1. vers. 8. Quis autem sensus sit futurus, aut quæ vis orationis Apostolicæ, si alteruter horum sensuum vocis *mortuorum* sumatur, postea videbimus, ubi sequentia verba explicuerimus, ad quæ nunc accedemus. Inter ea primò considerandæ sunt voces *carnis* ac *Spiritus*. Caro hoc loco significare videtur ut alibi in Sacris Literis, tum vim appetitus, ex quo varia peccata quæ per corpus exercentur manant, tum ipsa hæc ejus effecta seu opera quæ hominibus solent esse grata: & spiritus contra significare videtur mentem seu rationem, præsertim euangelio Christi collustratam, & quæ eam sequuntur opera. Qua utraque de re vide ad Gal. 5. ubi non pauca de carne & spiritu, & utriusque operibus seu fructibus, dicuntur. Deinde considerandæ sunt voces *judicandi*, & *vivendi*: quæ itidem inter se opponuntur. Est enim hic trimembris ut postea plenius apparebit, oppositio. Vox *judicandi* etsi non videtur plane amittere nativam suam significationem; tamen quia opponitur verbo vivendi, ideo consentaneum est eam mortem quandam in se comprehendere, mortem inquam carnis, (dicitur enim, *ut judicentur carne*) de qua supra sermo fuit, cum dictum est de passione in carne improprie sic dicta vers. 1. Interim tamen quia & nativa ejus significatio, & verba ista *secundum homines* id postulare videntur, non est excludenda penitus propria ejus vocis significatio, vel saltem illa sumenda quæ à nativa significatione non ita longe recedit. Ea verò est ut significet damnationem quandam: adeo ut verbis istis *judicari carne* causa simul & effectus comprehendatur. Causa est mors illa carnis, effectus est damnatio; sed damnatio *secundum homines* (hoc est ut jam tertio loco hanc quoque phrasin explicemus) quod attinet ad hominum sententiam, seu mavis ab hominibus. Quæ condemnatio antea expressa fuerat à Petro vers. 4. cum dixit homines à virtute alienos blasphemare eos qui ad eandem luxuriæ profusionem una cum illis non concurrant. Quod attinet ad verbum *vivendi* quod opponitur voci damnandi, quemadmodum illud efficit ut vox judicandi significet & mortem quandam, ita contra vox judicandi vel damnandi efficit ut vox vivendi comprehendat etiam judicium quoddam seu approbationem damnationi illi contrariam: quasi dicat; & vivant quoad spiritum suum, ideoque approbentur Dei ipsius judicio ac sententia. Quanquam, ut hoc quoque nunc addamus, illud *secundum homines*, & *secundum Deum*, non tantum de sententia aut judicio sive hominum sive Dei, sed etiam de voluntate intelligi potest, seu ut Petrus superius fuerat loquutus, de illorum cupiditatibus, hujus autem voluntate, vers. 2. Ac fortè utrumque simul intelligitur: & quemadmodum vocum istarum judicandi & vivendi duplex est sententia, sed inter se apta, ita ut altera alterius sit consequens; sic quoque credibile est esse illorum verborum quæ illis adjiciuntur, *secundum homines* & *secundum Deum*.

Jam tandem videndum est quæ sit vis totius hujus orationis Apostolicæ, sive proprie sive improprie vox mortuorum sumatur. Si proprie sumatur, hic erit sensus, quasi dixisset Apostolus; Non debetis cogitare novum id esse quod vobis dixi contingere pietatem sequi volentibus, & inexspectatum. Nam non tantum vobis sed etiam iis qui ante vos vixerunt at nunc mortui sunt, ab ipso initio eum in finem eaque conditione euangelium est annunciatum, ut quoad carnem, quam homines hujus mundi solum spectant, quæque est illorum sensibus obvia, mortui, ab hominibus eam ob causam damnarentur ac blasphemarentur, tanquam ipsis jam prorsus inutiles, ac sibi ipsis quoque quasi inutiles ac mortui. Sed nihilominus tamen spiritu, cujus vis occulta est, & ab hominibus hujus mundi non spectatur, viverent secundum Dei voluntatem, ejusque judicio approbarentur. Quodsi malis nomen mortuorum improprie sumere, hic erit sensus; Non tantum hominibus probioribus, sed etiam illis qui Deo ac virtuti penitus mortui fuerant, & cum cæteris hujus mundi hominibus in sceleribus plane demersi, annunciatum fuisse euangelium, eo fine eaque conditione & lege, ut quoad carnem &c. [repetantur superiora] Itaque his verbis Apostolus partim amolitur scandalum illud seu pietatis obstaculum quod hominibus pietatem sequi volentibus objicitur, partim breviter id totum complectitur quod antea ab initio hujus loci dixerat de eo quod nos quoque in carne pati seu mori debeamus, & non amplius secundum hominum cupiditates vivere, sed Dei voluntati reliquum vitæ tempus consecrare debeamus, nil morati hominum judicia ac contumeliosas illorum voces quibus pietatem nostram insectentur.

Quænam verò hinc possint peti doctrinæ, partim ex superioribus colligi, partim per se unicuique constare potest.

1 *Petr.* 4. *vers.* 17, 18.

IN his verbis Apostolus, ex afflictionibus quibus Christiani tum temporis deberent subjici, concludit gravissimam pœnam manere impios. Duæ ergo sunt partes loci. In priore de afflictionibus agit quibus homines Christiani subjici debeant. In altera, deducit inde, quàm gravia supplicia impios maneant. Quod ad prius attinet, id continetur verbis prioribus vers. 17. Quæ antequam pressius consideremus, prius illud videndum est, quomodo cum superioribus, quorum rationem continent, ut particula *quia* indicat, connectantur, & qua ratione illa confirment. Videntur autem non tam ad proxima referri, quam ad totum id quod præcesserat, initio facto a vers. 12. ubi monuerat Petrus Christianos, ne commoverentur novitate afflictionum quas Christi causa perferre cogerentur. Id quod postea rationibus confirmarat, inprimis verò eo quod felices illi sint, qui hujusmodi afflictiones perferunt, adeoque Deum laudare debeant eam ob causam. Jam ergo in his verbis causam quandam videtur afferre, cur Deus eo tempore iis ad quos scribit hoc est Christianis ex Judaico populo istas afflictiones imponat, & simul docet eos quodammodo gaudere debere, quod nunc statim affligantur. Causa autem hæc est, quia jam tempus esset à Deo destinatum afflictioni populi Judaici. Constitutum autem fuerat à Deo, ut docet Christus Luc. 21. ut Christiani homines prius à cæteris Judæis Euangelio refractariis affligerentur, ut ita mensura iniquitatis impiorum istorum impleretur, & justissimam Deus haberet causam, cur illos postmodum perderet: quia nimirum nec ignorantium suam excusare poterant, quum causas habuissent & occasionem maximam veritatem discendi & amplectendi, & eorum improbitas quæ in piis affligendis apparuisset, apertissimo documento argueretur. Quapropter ii qui tum temporis affligebantur, eam ob causam lætari quodammodo poterant; quod ipsi in eorum essent numero qui non ad finem istius divini judicii reservarentur, sed qui primi veluti ad judicium raperentur. Eos enim Deo charos esse oportebat.

Jam ut ad verba ipsa enucleatius consideranda nos convertamus, tria hic potissimum sunt consideranda. 1. Quomodo describantur homines Christiani. 2. Quomodo illorum afflictiones. 3. Quæ causa cur ab illis initium afflictionum fieri debeat. Primum est in verbis, *domus Dei*. Ita autem appellantur, vel quia familia sunt Dei, vel quia habitaculum quoddam Dei, ejusque spiritus. Ad quam posteriorem rationem multi

sunt loci. 1 Cor. 3. 16. VI. 19. 2 Cor. 6. 16. 1 Tim. 3. vers. 15. & Hebr. 3. 6.

Secundò afflictionum descriptio exprimitur voce *judicii*. Vocantur autem *judicium*, quia judicio propriè dicto, de quo postea loquuturus est Apostolus, afflictiones illæ sunt similes. Quare ut Apostolus tanto facilius eas Christianorum afflictiones, quas veritatis causa perpetiuntur (de his enim sermonem esse hæc verba cum precedentibus collata manifestè ostendunt) cum impiorum pœnis conferret, eas judicii nomine appellavit. Simili ratione Paulus, Gal. 3. 13. *Christus factus est exsecratio.* Vide & Hebr. 6. 8. in eadem voce exsecrationis, quę vox magis respicit ad homines quàm ad terram. Item 2 Cor. 4. 9. in voce παιδείας seu castigationis, quum loquatur de afflictione propter Christum. Tertiò, causa illa est, quia jam *tempus sit*, Græcè καιρὸς hoc est tempus opportunum, & ei rei destinatum. Quomodo destinatum jam est explicatum. Causa ista partim respicit ad ipsos fideles, partim ad infideles. Ad fideles, quia jam satis habuerunt temporis ad veritatem pleniùs addiscendam, & se in ea confirmandos, atque ad patientiam armandos, ita ut jam tempus esset, eorum constantiam & fidem explorandi. Quod ad infideles, ii duplices constitui possunt, alii sanabiles, alii insanabiles. Sanabiles ut sequuturo judicio eriperentur, hac ratione poterant ad veritatis amorem pertrahi, ob constantiam Christianam in afflictionibus perferendis. Insanabilibus autem occasio præbebatur ad impietatem & crudelitatem suam in apertum proferendum. Qua de re superius dictum.

Doctrina 1. De dignitate Christianorum quod sint domus Dei, & officio simul quo dignitatem istam tueri debent: de quo fere in omnibus locis supra citatis, sed maxime in epistola ad Corinthios utraque.

Doctrina 2. De gravitate afflictionum populi Christiani, & simul reprehendendum perversum judicium illorum qui Christianos ob eas censent infelices.

Doctrina 3. Solere Deum quum vult aliquam regionem punire, prius permittere ut Christiani affligantur: partim in bonum, partim in malum aliorum. In bonum, si sanabiles, in malum, si insanabiles.

Doctrina 4. Non semper Deum solere immittere afflictiones propter veritatem. Unde Petrus, *si vult voluntas Dei, si necesse est.* 1 Petr. 1. 6. cap. III. 17. Solet Deus opportunitatem captare, & præter infideles quos spectat, solet etiam fidelium habere rationem, & tum potissimum eos subjicere afflictionibus quum satis virium habent. Quanquam nonnullos ab ipso initio affligit, ut Thessalonicenses.

Alteram partem bis exponit. 1. In posteriore parte vers. 17. Utraque verba integram argumentationem continent. Antecedens est, *& si prius à nobis*, scilicet incipit judicium Dei: quod postea ita exprimit, *& si justus vix servatur.* Justus pro pio: nam opponitur impio & peccatori. Istud *vix servatur* nihil aliud est, quam magna cum difficultate, seu non sine afflictionibus servatur. Eadem enim sententia horum verborum quæ illorum quod *à nobis incipiat judicium* hoc est afflictiones, ut superius declaratum. Qui autem has afflictionis subit, vix videtur servari; hoc est ægre, siquidem partem aliquam judicii divini experitur, & prope videtur, si humanum sensum spectemus, ut plane pereat. Consequens istius argumentationis est ibi, *quinam finis* &c. Ubi duo consideranda. 1. Descriptio istorum quos pœnæ manent gravissimæ. 2. Quomodo gravitas istarum pœnarum indicetur, & cogitanda relinquatur. Illud *qui non obediunt Dei euangelio.* Ubi duplex hominum genus intelligitur. 1. Ii qui planè repudiant Christi doctrinam, & hi quidem potissimùm videntur intelligi. 2. qui licèt receperint, non tamen secundum illam vivunt. Amplificat autem rem dum vocat *Dei euangelium*; quasi dicat, non hominis alicujus, ut isti putant, sed ipsius Dei vocem spernunt, & spernunt quidem non vocem quamlibet, sed *euangelium* hoc est lætissimum ac felicissimum nuncium. Deinde describit eosdem duabus verbis, *impius, & peccator.* Quæ verba hoc loco videntur pro iisdem accipi: licet alias ita distingui possint, ut prius ad contumeliam in Deum, & religionis contemtum, alterum ad alia peccatorum genera referatur. Gravitas pœnarum indicatur, 1. ibi *quis finis* id est quis finis tandem accidet iis qui non obediunt &c. 2. ibi, *ubi comparebit?* quasi dicat, coram judicio Dei ne comparere quidem audebit, non est quod ullo modo speret se pœnam evasurum.

Consequentiæ autem ratio satis facilis est. Nam si Deus ne iis quidem parcit qui ei parent ex animo, adeoque ei sunt charissimi, sed illis gravissimam imponit afflictionem, & quidem priusquam ad cæteros transeat; quis non videt, multo minus eum parsurum impiis, sed potiùs gravissima supplicia iis inflicturum.

Hinc doctrinæ. 1. Potest esse quispiam justus seu pius, & tamen judicia Dei seu afflictiones subire.

2. Singularis pietas requiritur ad salutem: siquidem justus vix servetur, & judiciis divinis sit veluti proximus.

Nota, hic quidem de temporalibus judiciis sermonem esse, sed talibus quæ æternum judicium erat consequuturum.

Doctrina. Quo diutius differtur pœna, eo gravior esse solet: quum Deus impios ad extremum reservet.

Doctrina, ex voce *impii.* Qui euangelium repudiant, quantumvis Deo adhæreant, ut Judæi, pro impiis censendi.

2 *Petr.* 1. *vers.* 5, *ad* 8.

Continent hæc verba Apostoli adhortationem ad Christianam sanctitatem: ubi consideranda 1. Adhortatio Apostolica. 2. Descriptio pietatis ac sanctitatio Christianæ: quæ continet in se auream catenam virtutum Christianarum, quæ si à nobis in collo semper gestabitur, maximo nobis ornamento erit coram Deo & hominibus minime malis.

Adhortatur Apostolus his verbis: *Ad hoc ipsum verò vos, omni studio collato, adjicite fidei vestræ virtutem.* Superius dixerat omnia nobis donasse Dei potentiam; hîc vero addit, nobis quoque omne studium esse adhibendum: subindicans, etsi Deus fecerit ex parte ea quæ ad pietatem & vitam æternam faciunt, nihilominus adhuc nostrum propium studium ac laborem requiri. Ita enim Deo placuit temperare ac dirigere salutis nostræ negotium, ut non prorsus à nostra cura ac labore pendeat, sed potissimum & maxima parte ex ipsius divina gratia: sed noluit etiam, ut gratia ipsius totum efficeret, nostrumque studium & operam excluderet, ut esset locus virtuti, nec non præmio & pœnæ. Virtus ac pietas in eo est, si cum possis non facere aliquid, tamen facias, quod bonum est; & cum possis facere, quod malum est, tamen non facias. Deus nobis salutem æternam obtulit, viam quoque, quæ ad eam ducit, monstravit: docuit nos rationem, qua ipsi serviamus. Spem summi & excellentissimi boni nobis posuit ob oculos. Quid non propter spem boni alicujus faciunt homines? Miles, in exemplo, spe inductus stipendii, vel prædæ, vel gloriæ objicit se hostium pilis ac telis, & in præsentissimam ruit mortem: cum tamen spes illa incerta sit valde, & multo incertior, quàm mors cruenta; præterea etsi eum spes non fallat, etsi assequatur, quod speravit ac tantò labore quæsivit, quantulum id est, quàm vile, quam tanto labori ac discrimini minime respondens? At hîc præmium est præstantissimum, quo majus nullum sperari atque optari potest: nihil item est eo certius. Deus enim fallere nescius id promisit, morteque Christi confirmavit, quæ de Dei summo ac immenso erga nos amore testatur, nec non resuscitatione ejusdem & exaltatione; cujus etiam in manu Deus omnia reposuit, quæ speramus. Deus nobis revelavit veritatem, tenebras mentis nostræ discussit, obstacula pietatis remo-

removet, Spiritum sanctum nobis largitur. Ita omnia nobis ex sua parte donavit, quæ ad vitam & pietatem sunt necessaria; sed nondum est finis. Quid adhuc requiritur? Ecce ait Petrus nostrum studium requiri: & quidem *omne*. Ubi autem est omne studium, ibi nihil superest amplius, quod quis facere possit. Videamus verò, an nos omne studium nostrum huc conferamus. Alius nihil agendo & genio suo indulgendo, vel ad vitia sua connivendo putat se assequi posse vitam æternam; sed misere se ipsum deludit. Si in rebus terrenis opus est labore & industria, quanto magis in cœlestibus. Homines tamen vulgo terram magis ferunt in oculis, & terrena curant, cœlestium plane incuriosi; ideo etiam paucissimi ea habent. Angusta est via quæ ducit in cœlum, & pauci inveniunt eam, pauciores etiam qui in ea perseveranter perdurent, & ad metam usque perveniant: idcirco monet, Christus, ut contendamus, & enitamur, aliique alios prævenire studeamus. Mirum verò est, quod cum homines terræ plurimum, cœlo minimum studii ac laboris impendant, nihilominus sibi cœlum certo despondeant. Sed fortassis aliqui, si optio daretur, aliquot florenorum millia malient sibi contingere quam cœlum. Adeo quid cœlum sit ignorant: adeo terrenis affixi ac dediti sunt. O cæcos homines ac miseros! Christus dicit: primum quærite regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Matth. 6. 33. Videamus, ne nos contra & inverso ordine agamus, ne primum & ante omnia quæramus terram & res terrenas, & postea credamus nobis cœlestia adjectum iri. Quisque attendat, quantum temporis salutis suæ studio impendat. Utinam eadem cura quæreremus salutem, qua res hujus mundi! Somnus sibi vendicat magnam partem vitæ nostræ; quid curæ de victu, de re familiari? Aliis etiam peccata multum temporis auferunt: quantulum id est, quod insumimus in res divinas. Atqui unum est necessarium. Luc. 10. 42. Panis quidem est necessarius: sed magis necessaria est salus æterna. Panis interibit, sed cœlestia bona manebunt in æternum. Non prohibet quidem Deus, quominus & panem quæramus, modo ne omne tempus ei quærendo insumamus, ut cogitationibus de pietate, de rebus divinis, de præceptis ac promissis Dei eorumque confirmationibus nullus sit locus. Nullus dominorum terrenorum servo aut famulo solvit mercedem pro eo quod dormiat, multo minus pro eo, si quid contrarium voluntati suæ faciat. Semel itaque admotis ad aratrum Domini manibus, strenue laboremus. Ipsa brevitas vitæ nos soletur, quod labor noster non sit diuturnus futurus: brevi nos solvet è jugo, & post temporarium laborem in sempiternam requiem nos introducet. Etsi verò omne studium conferre jubeamur in salutis curam, non est tamen, quod quis putet nos labore nostro posse vitæ æternæ præmia mereri. Nimis enim exiguus est labor noster, etsi maximus esset, si cum salute æterna comparetur. Finiti ad infinitum nulla est proportio. Stultus merito censeretur, qui ut regnum consequeretur, nollet assem impendere: at multo stultior est, qui non vult vitam suam impendere studio regni cœlorum. Regnum enim cœlorum melius est ac præstantius quam infiniti mundi, & vita nostra temporaria ejus respectu ne assem quidem valet.

Sequitur descriptio virtutum Christianarum, in quibus sita est pietas & sanctitas vera: earumque septem recenset, quarum fundamentum prius ponit Apostolus, & postea fundamento isti virtutes superstruere jubet. Fundamentum est fides. Adjicite, inquit, *fidei virtutem* &c. Potest & hæc fides pro virtute numerari, ut ita octo virtutes hic in universum ab Apostolo nominatæ sint. Sed ad fidem hic Apostolus non hortatur eos ad quos scribit: præsupponit enim eos jam habere fidem; nam ad fideles scribit. Itaque fidem quam jam habebant, pro fundamento quasi ponit, & ad septem virtutes eos hortatur. Intelligit autem per fidem Apostolus assensum doctrinæ Christi. Hic est primus gradus ad salutem, ut sciatur, quid Deus promittat, & quid ab hominibus requirat, utque fides promissis & præceptis ejus præbeatur. Si quis enim iis non credat, quomodo Deo serviet? aut si quis ignoret voluntatem Dei, quomodo eam faciet aut exequetur? Quantum igitur ad salutem necessarium est, ut sciat & credat quisque, dare tenetur operam, ut quàm perfectissimè Deo servire possit. Nos quoque hoc fundamentum jam posuimus. Deus nobis revelavit arcana sua & doctrinam cœlestem, eique jam sumus assensi. Est quod exultemus in Domino, eique gratias agamus: tantum videamus ut fides ista in nobis vera sit & firma; ne tantum opinemur nos credere, sed reipsa credamus. Multi in ore tantum fidem habent: at ejus sedes propria est in animo. Alii assensi sunt religioni Christianæ, & fidem hanc profitentur, quia ita à parentibus, vel magistris suis in pueritiâ edocti ac instituti sunt: interim firmamenta ipsa & rationes ac confirmationes, quibus doctrina Christi nititur, ignorant. Hæc non est vera fides, sed tantum opinio.

Propterea non potest esse durabilis & constans; præsertim persecutionis tempore. Oportet ut bene radicata sit fides, utque validissimis nitatur argumentis, tanquam petræ inconcussæ, quam nulli adversitatum turbines, nullæ humanarum argutationum machinæ queant subvertere. Præterea ex eo vera fides cognoscitur, si viva sit, si efficax, ita ut peccata exstirpet e nobis, ut affectus nostros ac cupiditates refrenare possit. Alioqui si ita credimus, ut simul peccatum foveamus in animis, ut cupiditates regnent in corporibus nostris, non fidem habemus, sed cadaver tantum fidei, quod nulli est usui. Sit ergo nobis curæ, ut vera fide simus præditi, ut ex animo credamus, Deum velle nos servare, si ipsi obediamus. Atque hujusmodi fidem habentes, adjungamus ei *virtutem*. Alibi hæc vox significat complexum eorum omnium, quæ honesta sunt. Hic verò peculiaris virtus intelligitur, quia eam ab aliis sequentibus virtutibus Apostolus distinxit. Intelligi igitur debet hoc loco per virtutem virilitas seu fortitudo. A viro virtus est mutuata nomen: & hoc sensu apud Græcos & Latinos scriptores sæpe usurpatur. Insignis & illustris est hæc virtus, & militi Christi omnino necessaria, ne se abduci vel absterreri patiatur à via salutis. Hæc primum fidei adjungenda est, tanquam custos ejus: nisi enim hæc adsit, Satanas, mundus, aliique adversarii facile fidem ex animo pellent. Opus ergo est animo forti & magno, ut nullas adversitates, nullos hostiles impetus ac impressiones Deo freti timeamus. Hanc fortitudinem Christus ab omnibus statim requirit, qui ad eum accedunt, & discipuli ejus fieri volunt. *Si quis vult post me venire*, inquit, *abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*. Matth. 16. 24. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem suam, & uxorem, & liberos, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non valedicit omnibus possessionibus suis, non potest meus esse discipulus*. Luc. 14. 26, 33. Ita ostendit Christus, tam necessariam esse hanc virtutem, ut sine ea nemo possit esse Christianus. Ergo & nos hac virtute armemus animum. *Quotidie portemus crucem* Christi vel nostram, ut monet Christus apud Lucam cap. 9. 23. id est, paratum geramus animum ad adeunda quævis pericula, ad sustinendas afflictiones, etiam gravissimas, & mortem denique ignominiosissimam Christi causa: idque Christi exemplo, qui etiam crucem suam portavit, & reipsa deinde in crucem se agi passus est. Sic nos quoque animo debemus nunc ferre crucem, & postea, si ita Deus voluerit, reipsa subire ob nomen Christi qualecunque genus acerbissimæ mortis. Qui ad hoc non habet obfirmatum animum, & dolorem, ignominiam, mortem nimis perhorrescit, is facile fidei patietur naufragium. Sed væ ei, qui fidem abjicit, & placat invidiam virtute relicta. *Quicunque abnegaverit me coram hominibus, & quemcunque puduerit sermonum meorum*, ait Dominus, *eum & ego abnegabo coram Patre meo, qui in cœlis est, & ejus me pudebit, cum veniam in gloria Patris mei cum sanctis Angelis*. Matth. 10. 33. Marc. 8. 38. *Nolite timere eos qui*

eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in Gehenna.

Virtuti modo dictæ subjungit Apostolus *scientiam*: quæ est perfectior cognitio doctrinæ Christi, quam ea est, quæ ad fidem seu assensum doctrinæ Christi adhibendum requiritur. Ut enim credamus in Christum, & religionem Christianam amplectamur, sufficit nosse necessaria ad salutem, & argumenta percepisse animo, quibus illa nituntur. Sed postea ubi virtute ac fortitudine, concepta in animo fides, fuerit circumsepta ac circumvallata, pleniori subinde cognitioni rerum divinarum studendum est. Ita Apostoli precati sunt jam fidelibus hanc cognitionem. Ut Eph. 1. 17. precatur Apostolus Paulus Ephesiis, ut eis Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, det Spiritum sapientiæ & revelationis, in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis ipsorum ad sciendum, quæ sit spes vocationis ejus &c. Et cap. 3. 18. precatur, ut possint comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & profunditas, & altitudo, atque cognoscere charitatem Christi omni scientia supereminentiorem, utque impleantur in omnem plenitudinem Dei. Colossensibus quoque idem precatur, ut impleantur agnitione voluntatis divinæ, in omni sapientia & intellectu spirituali, utque crescant in scientia Dei. Coloss. 1. 9, 10. Auctor verò Epistolæ ad Hebræos vitio vertit illis, ad quos scribit, fidelibus, quod cum pro temporis ratione oportuerit eos jam doctores esse, rursus opus fuerit doceri eos, quæ sint elementa initii eloquiorum Dei, factique sint indigentes lacte, & non solido cibo. Hebr. 5. 12. Etiam Petrus ipse in fine hujus Epistolæ ait: *Crescite in gratia & notitia Domini nostri & servatoris Jesu Christi.* Non semper alphabeto tantum inhærendum, sed altius subinde scandendum est. Qui non proficit in scientia rerum divinarum, ne in pietate quidem proficiet. Pari passu ambulant, cognitio & pietas. Quanto illa est perfectior, tanto hæc quoque altius potest ascendere. Præterea quo major est scientia, eo magis non nostræ solum, sed & aliorum saluti consulere possumus. Quomodo enim alioqui veritatem aliis commendare, errores vero confutare possemus? Hanc ergo cognitionem pleniorem ut acquiramus, sedulo incumbamus: eamque hauriamus ex Sacris Literis eas nocturna & diurna manu versantes. In iis enim continetur via ad salutem perfecte descripta. Non satis est, quod audiamus verbum Dei in Ecclesia, sed ipsi legere & evolvere sacrum codicem debemus. Si quis legere nesciat, curet eum sibi ab alio legendum. Quid prodest thesauros sapientiæ & intelligentiæ divinæ inæstimabiles contineri in Sacris libris, si nos iis non utamur? Quid prodest etiam alios abundare in Ecclesia istis thesauris, si in nostris animis magna sit eorum inopia? Quisque eo contendere & aspirare debet, ut possit evadere aliorum in rebus divinis magister. Etsi enim eo non perveniat, neque id assequatur, in magnis tamen & voluisse sat est. Ad prima tendentem honestum est in secundis aut tertiis consistere. Verum potest etiam hic per *scientiam* intelligi prudentia, quæ apte fortitudini subjungitur. ne nos temere in periculum conjiciamus, sed sciamus, ubi fuga declinare liceat periculum, ubi non. Non frustra Jacobus quoque ad patientiam & constantiam fideles adhortans, sapientiam seu prudentiam vult cum patientia conjungi. Cum enim dixisset: *Patientia perfectum opus habeat, ut sitis perfecti & integri, nulla in re deficientes*; addit: *si quis vestrum autem destituatur sapientia, petat à Deo, qui dat omnibus simpliciter.* Jac. 1. 4, 5. Prudentia in afflictionibus opus est, ut veritatem sciamus defendere, ut rationem fidei nostræ reddere queamus quam dexterrime, neminem offendentes vel perstringentes; maxime quando coram magistratu veritatis causa agenda est. Imprudens & intempestivus zelus non raro homines irritat, & à veritate facit alieniores. Temperandus itaque zelus est prudentia. Ideò Apostolus quoque utiliter monet: *sapienter ambulate erga extraneos, tempus redimentes. Sermo vester semper sit cum gratia, sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.* Coloss. 4. 5, 6. Post scientiam nominat Petrus & commendat *temperantiam*, quæ versatur circa voluptates carnis. Non omnes voluptates corporis sunt illicitæ: sunt aliquæ concessæ etiam sub Euangelio; sed iis moderate utendum est: alioqui propter abusum fiunt illicitæ. Virtus ista habet duas filias, sobrietatem & castitatem. Illa docet servare modum in cibo & potu capiendo, ne prægraventur corda crapula & ebrietate, ut semper apti simus ad sacras meditationes & preces ad Deum fundendas. Hæc vero refrenat libidinem, & resistit impudicitiæ. Videtur Apostolus hic temperantiam conjungens cum scientia, eo potissimum respicere, ne scientia nostra etiam in rebus indifferentibus & alioqui licitis abutamur ad offensionem infirmorum fratrum. Quod tunc in initiis euangelii sæpius contingebat, cum Ethnici cum Judæis in unam Ecclesiam Christi coaluissent. Ethnici enim edocti ab Apostolus idolum nihil esse, promiscue utebantur idolothytis: qua re offendebantur vehementer Judæi, qui ab idolothytis abhorrebant, iisque vesci conscientiosum sibi ducebant. Multumque ea res negotii facessivit Apostolis, inprimis autem Paulus plurimum laboravit, quo huic scandalo mederetur, præcipiens iis qui scientiam habebant, ut etiam à re alioqui licita abstinerent, propter ædificationem infirmiorum. Qua de re agit non uno in loco. Vide Rom. 14. totum. Cap. 15. 1, 2. 1 Cor. 8. totum. Cap. 9. 19. ad finem. Cap. 10. 23. ad finem. Discamus & nos hanc temperantiam. Si licitis etiam aliquando abstinendum est, multo magis ab illicitis. In omni vita servemus sobrietatem & castitatem: ne transiliamus limites nobis hac in parte præscriptos. Satis multa nobis concessit Deus: potuisset nos arctioribus multo limitibus circumscribere, non tantum pro jure dominii, sed etiam propter summam promissorum sublimitatem. Benignitate igitur ista divina acquiescamus, & debitum in omnibus modum servemus. Ne nos corrumpant exempla hominum mundanorum intemperanter viventium: no concurramus cum iis ad eandem luxuriæ profusionem. 1 Petr. 4. 4. Ne communicemus operibus infructuosis tenebrarum, sed ea potiùs redargnamus. Ephes. 5. vers. 11.

Temperantiæ jubet Apostolus adjicere *Patientiam.* Jam olim ista duo conjunxit Ethnicus Philosophus: sustine & abstine. Abstinere est temperantiæ, sustinere patientiæ. Versantur autem duæ istæ virtutes circa res sibi invicem contrarias. Temperantia enim versatur circa voluptates, patientia circa dolores. Illa facit, ne rebus carni gratis ac jucundis abducamur à via pietatis & veritatis: hæc, ne molestis, asperis ac duris ab eadem deterreamur. Est autem patientia virtus diversa ac distincta à fortitudine, de qua actum superius. Fortitudo enim cernitur in periculis & malis imminentibus ac demum venturis: patientia verò in malis jam præsentibus. Malum adventans non pertimescere fortis est: in malis ipsis & afflictionibus prementibus perdurare, patientis. Complementum igitur fortitudinis & perfectio est, patientia. Fit enim non raro, ut quis sit fortis ante periculum, vel antequam malis afficiatur, in ipsis verò afflictionibus trepidare incipiat, aut sustinendo deficiat. Ut ergo fortitudo perfecta sit, patientia opus est, sustinendaque frigora, æstus, exilia, inopia, nuditas, verbera, ignominiæ, carceres, mortes. Et in his omnibus nihil committendum est, quod sit contra conscientiam, quod impatientiam, vel desperationem ac diffidentiam erga Deum redoleat. Neque solum in persecutionibus ob veritatem patientia ista habet locum, sed etiam in aliis omnibus injuriis.

Hactenus Apostolus recensuit virtutes, quæ nos ipsos spectant. Nunc affert in medium virtutem, quæ Deum respicit; dum monet, ut patientiæ adjiciamus *pietatem*: per quam non intelligit totam sanctimoniam Christianam, quemadmodum alibi non uno loco vox hæc sumitur, sed hic strictius accipitur pro particulari

ticulari quadam virtute; quandoquidem hîc Apostolus eam distinguit ab aliis virtutibus. Nihilque aliud ea designatur, quam religiositas, seu virtus Dei Christique honorem, cultum, & amorem unice urgens. Reverentia & amor erga Deum debet esse filialis. *Filius honorat patrem suum*, ait Deus apud Prophetam, *& servus dominum suum. Quodsi pater sum, ubi est honor meus? Et si dominus sum, ubi est reverentia mei?* Malach. 1. 6. Et Petrus 1 Epist. 1. 17. monet: *si Patrem cognominatis eum, qui citra personarum respectum judicat ex cujusque opere, cum timore tempus commorationis vestræ agite.* Ad hanc virtutem etiam pertinet, ut libenter oremus, Dei laudes celebremus, de rebus sacris meditemur, quæcunque ad promovendam ac conservandam gloriam Dei faciunt, ea libenter curemus. Exigit id Dei majestas, bonitas & ineffabilis φιλανθρωπία, ut quicquid possumus & habemus, gloriæ ejus consecremus.

Virtutem quæ versatur circa cultum Dei, excipiant adhuc duæ virtutes ad proximum spectantes. Prior est *amor fraternus*. Post Deum ac Christum, proximum in amore nostro locum habere debent fratres, nempe in Christo, qui sunt eodem nobiscum Patre cœlesti nati, non è semine corruptibili, sed ex incorruptibili, per sermonem Dei vivum & manentem in secula. His ergo bene velle, & optare optima, atque inprimis æternam salutem debemus: unde sequitur, ut quod optamus, etiam reipsa, ubi opus est, & possumus, faciamus. Amor iste eousque debet extendi, ut etiam animam seu vitam nostram pro fratre ponere parati simus, maxime ubi de æterna ejus salute agitur. Sicut Christus pro nobis non dubitavit animam ponere, ita debemus & nos pro fratribus animas ponere 1 Joh. 3. 16. Et si animam fratris causa debemus impendere, multo minus ipsi denegare debemus res minoris pretii. Summa debet esse inter fratres concordia, & unitas animorum: qualis fuit in Ecclesia Hierosolymitana, ubi *omnium fuit cor unum, & anima una.* Act. 4. 32. Hæc est tessera Christianismi. *Ex hoc cognoscent omnes, vos esse discipulos meos, si charitatem habueritis alii erga alios.* Joh. 13. 35. Neminem etiam è fratribus debemus contemnere. Etsi enim ratione variorum donorum ac officiorum, inter nos sit inæqualitas: eatenus tamen omnes pares sumus, quod simus Filii Dei, Christi servi, quod pari spe omnes gaudeamus beatæ immortalitatis ac gloriæ cœlestis. Quem ergo Deus in cœlis olim honoraturus est, cur nos eum contemnamus?

Restat ultima virtus, *charitas*, quæ non ad fratres solum, sed ad omnes homines porrigitur. Amor habet gradus. Primo ac summo loco Deum debemus diligere, in qua dilectione etiam Christus includitur; postea fratres seu ejusdem religionis Christianæ consortes: post hos etiam alios homines: & tandem quoque inimicos, qui nobis male volunt. In eo situs est Christianismus noster, ut hos omnes diligamus. Qui hos diligit, seipsum diligit: sibi enim & saluti suæ optime consulit. Magis quidem fratres ac domesticos fidei diligere debemus, quam alienos: sed major virtus est, etiam eos diligere propter Deum, qui nobiscum non tam arcte juncti sunt, imo qui nobis etiam causas se non diligendi præbent. Quanto minus enim hîc est carnalis respectus, tanto virtus est Deo gratior.

En habemus auream catenam ex præstantissimis virtutibus Christianis conflatam. Hac nos ornemus coram Deo, qui aliquando quoque capitibus nostris coronam vitæ æternæ imponat in illustri adventu Domini nostri Jesu Christi, cui cum Deo Patre sit laus, & gloria in omnia secula. Amen.

Judæ vers. 22. & seqq.

HOrum verborum duæ sunt partes. Prior continet admonitionem ad curam alienæ potissimum salutis habendam, atque eripiendos interitui eos qui ei sunt admodum vicini: sed ea cautione adhibita, ne dum alienam salutem curamus nostram ipsorum negligamus. Altera continet celebrationem divini nominis, atque adeo hujus epistolæ ultimam clausulam. Quod ergo ad priorem loci partem attinet, ea uti jam indicavimus, duobus iterum constat membris: quorum alterum, quod quidem potius est, ad alienæ salutis curam revera spectat, alterum ad nostram. Quia verò cura salutis alienæ postulat ut cum diversis diversimode agatur, primum medium quoddam præscribit, quo sit utendum, ut conveniens cujusque morbo remedium adhibeatur. Deinde diversos modos quibus cum diversis sit agendum exprimit.

Medium illud continetur verbo *dijudicantes*, quasi dicat, judicio ac discrimine inter eos qui in magno interitus periculo versantur, adhibito. Non enim eodem modo omnes sunt tractandi, non idem omnium morbis remedium convenit. Quod verò ad modos illos diversos attinet, qui quidem sunt duo tantum numero; prior ille est dum ait, *& aliorum quidem miseremini.* Quia Judas hæc verba opponit illis, *alios vero in timore servate*; apparet aliquanto strictius verbum *miserendi* esse accipiendum, quam alias ejus fert natura. Nam cæteroquin & eorum miseremur quos in timore servamus. Nonne enim eorum interitum dolemus, & eo dolore impulsi, ad eos juvandos, & exitiali flammæ eripiendos accurrimus? Quid verò id aliud est quam misereri? Cum ergo hujusmodi alios servandi modo divinus vir misericordiam opponat, apparet strictius ut diximus, miserendi verbum accipiendum esse, nempe ut significet nos leniter cum quibusdam agere debere: ita ut eos solemur potiùs, quam terreamus, & erigamus potiùs quam deprimamus. Quia nimirum ita sunt comparati, ut desperatione potiùs à resipiscentia avocentur, quam animi quadam contumacia ac ferocia. Nonnulli enim cum peccarunt, ita anguntur animo, ut vix sibi receptum ad gratiam divinam patere putent, ob delictorum magnitudinem, aut tantum virium sibi non fore credant, ut peccati jugum penitus excutiant, & pietatis curriculum constanter absolvant. Hi ergo solatio ac spe sunt erigendi, id quod misericordiæ magis est consentaneum, quam id quod in altero illo lapsos servandi modo præscribendo S. Judas præcipiet. Nam misericordia ab omni duritie, quoad ejus fieri potest, abhorret, & non tantum id spectat ut aliis prosit, atque ex calamitate aut pernicie eripiat, verum etiam ut quam mollissimis possit ad eum finem perveniat mediis. Itaque qui alios servat eosdem terrendo, ratione tantum finis habita misericors est, ratione autem medii quo ad illum finem pervenit, per se misericors non est. At qui lenibus mediis ad finem eundem pervenit, alterique commodum parat, is & finis & mediorum ratione habita misericors est. Itaque is qui hoc modo agit quia perfectiori quadam ratione aliorum miseretur, ei quodammodo opponi potest qui priori modo agit. Quo autem pacto desperatio aliis sit eximenda, & quænam solatia eorum ægritudini sint adhibenda, ex iis quæ paulo ante diximus constare facile potest. Quidam enim desperant aut dubitant de remissione peccatorum à Deo obtinenda, quidam de viribus quibus ad vitam penitus emendandam, atque ad pietatis constantiam est opus, vel etiam de re utraque. Priores illi de fine dubitant, utut tandem media adsint, posteriores de mediis. Itaque utrique petita è Sacrarum Literarum myrotheciis medicina refocillandi sunt. Ita ut prioribus ostendatur spes veniæ, si resipiscant; posterioribus spes auxilii divini, si modo ipsi conatum quem debent adhibeant. Utrumq; solatii genus constat maxime promissionibus divinis, & exemplis, sive in Sacra scriptura expressis, sive etiam alias notis, aut ante oculos versantibus; præsertim quod attinet ad eos qui de viribus dubitant quibus ad pietatem colendam est opus.

Alter modus alii hominum peccantium generi conveniens, exprimitur in illis verbis, *alios in timore servate*, & similitudine quadam illustratur, dum additur, *ex igne rapientes.* Modus in eo consistit, ut eos quos ista re indigere judicio adhibito deprehenderimus, terreamus, ac terrore incusso, eos ad frugem revocemus, atque

atque ita servemus, seu ab interitu vindicemus. Voces enim *in timore* hoc loco non videntur significare ut nos cum timore ac metu id faciamus, quasi nimirum ille metus ac timor ad nos ipsos referri debeat, sed ut per timorem ac metum aliis incussum id præstemus. Hoc enim modo, ut vidimus, miserationi hic servandi modus recte opponitur. Sunt enim nonnulli aliquanto ferociores, ac petulantiores, qui nimis secure vitiis suis indormiunt. Hi suppliciorum divinorum metu & interitus vicini terrore è somno sunt excitandi: eorumque forte contumacia ac durities duriore hoc malleo frangenda est. Etiamsi autem terror hic maxime oriatur ex vicinitate, ut diximus, interitus, ac suppliciorum divinorum, duos tamen quodammodo fontes habet. Alter est quod ipsa per se peccata grave supplicium atque interitum mereantur, ac porro nisi resipiscas, eo omnino te sunt involutura. Alterum est quod verendum sit, ne resipiscendi tempus atque occasio, aut vires ad eam rem necessariæ justo Dei judicio tibi eripiantur. Quod utrumque itidem divinis potissimum comminationibus, & exemplis doceri potest. Occasione autem verbi *servandi* disseri hoc loco potest de præstantia hujus quod nobis Judas hic commendat officii, quod nimirum salutem, salutem inquam sempiternam aliis hoc modo præstare possimus. Qua de re vide etiam locum Jacobi, qui exstat in ipso Epistolæ ejus fine. Aliquid etiam conjunctum habet cum his verbis ille Johannis locus, 1 Epist. cap. 5. 16. ubi de precibus agitur quas pro iis fundere debeamus qui peccant peccatum non ad mortem.

Jam quod attinet ad declarationem hujus modi per quandam similitudinem, dum addit Judas *ex igne rapientes*, ea ita videtur esse comparata, ut non injuria sentiri possit, aliquid adhuc addi, quod ad modum pertineat homines contumacius aliquanto peccantes, servandi, nempe ut quam celerrime id faciamus, quemadmodum fieri solet quando ex incendio aliquem rapimus. Sed nihilominus tamen etiam modum illum in præcedentibus jam expressum, quod nimirum terrorem incutiendo aliquos servare debeamus, illustrat aliquomodo; & ejus sive æquitatem, sive necessitatem quandam declarat. Nam quemadmodum dum ex igne aliquem rapimus, non semper molliter illum tractamus, ne dum ipsi parcere volumus, eum perdamus; ita etiam dum aliquem exitio ita vicinum videmus, ut nisi suppliciorum divinorum metu revocetur, mox sit periturus, non debemus mollia remedia adhibere, ne nimia lenitate illum perdamus, & crudele quoddam misericordiæ genus in eum exerceamus. Indicat ergo Judas his verbis periculi magnitudinem, dum perinde cum quibusdam agi significat, atque si in media propemodum flamma versarentur: & porrò etiam ostendit quanta cura quanta celeritate illi sint ex hoc periculo eripiendi: necesse esse ut non ea erga ipsos utamur lenitate qua erga alios, quorum morbus leniora ac lentiora remedia admittit.

Et hactenus quidem ad curam alienæ salutis, salutis inquam eorum qui ob peccata sua in magno interitus discrimine versantur, nos hortatus est Judas. Subjicit jam etiam id quod ad nostræ ipsorum salutis curam pertinet; Cui tum alias semper incumbere debemus, tum etiam eo inprimis tempore, cum in aliis emendandis versamur, dum addit, *odio habentes & tunicam à carne maculatam.* Ubi jam alio metaphoræ aut similitudinis genere utitur Judas, id nos docturus, ut quam diligentissime caveamus, ne aliorum peccatis ipsimet inficiamur, eorumque exemplo ad simile aliquod peccati genus inducamur. Similitudinem autem petit ab iis, qui ne pestilentia aut alia quapiam lue per contagionem inficiantur, quam diligentissime sibi cavent à vestibus rebusque similibus quæ contactu corporis lue infecti & ipsæ pollutæ sunt seu infectæ. Earum enim contactu facile & ipsi infici possunt; Itaque dum alios lue infectos curant, & eos ab interitu vindicare conantur, res hujusmodi vitant, ne eodem malo corripiantur. Similiter ergo & nobis faciendum esse monet Judas, ut dum alios spectamus peccantes, eosque corrigere atque emendare conamur, diligenter nobis à peccati contagione caveamus. Neque enim minus contagiosa sunt peccata quam pestilentia, aut aliæ quædam lues. Et quod mireris, nonnunquam dum peccata aliorum reprehenduntur, ipsa cogitatione se nobis insinuant, & carni facile adlubescunt: ejus præsertim generis peccata de quibus Judas superius egerat, inprimis nempe quæ ad voluptates carnales pertinent. Satis jam apparet, non esse hîc singula verba ad rem propositam applicanda, & quid per tunicam nominatim significetur, ad rem nostram pertineris, quid item per carnem, inquirendum; sed sententiam verborum omnium simul junctorum spectandam, & per similitudinem ad propositum accommodandam esse. Hac occasione disseri potest de vitando improborum consortio. De vi exemplorum quantâ ea sit, præsertim malorum. Similem autem cautionem addit Paulus de re simili agens, in epist. ad Galat. 6. ab initio. Cum enim monuisset, ut *si quispiam in aliquo delicto præoccupetur, spirituales eum emendent, cum spiritu lenitatis*, subjicit, *spectans teipsum, ne & tu tenteris.* Quanquam alio ex parte scopo, nempe ut nos ipsos quoque similibus lapsibus obnoxios esse cernentes, tanto majori cura, tantoque majori lenitate in aliis corrigendis utamur. Et hæc de priori parte.

Sequitur pars altera, nempe Doxologia seu celebratio divini nominis. Ubi duo sunt iterum consideranda. 1. Descriptio ejus cujus nomen celebrat. 2. Modus quo celebrat.

Descriptio continetur illis verbis, *ei autem qui potest* &c. In quibus 1. à proprietatibus admirabilibus eum describit quem laudat. 2. Deinde nomine ejus expresso, ab effectu etiam præstantissimo & nobis omnium suavissimo commendat. Quanquam etiam in descriptione prioris proprietatis, effectus ejus simul commemoratur. Sunt autem proprietates illæ duæ, potentia, & sapientia. Quanquam potentia hîc ad certum effectum nobis maxime salutarem refertur, dum inquit: *Illi autem qui potest custodire vos inoffensos, & statuere in conspectu gloriæ suæ irreprehensibiles in gaudio.* Cum potentiam ipsius commemorat, tacite videtur etiam complecti ejus voluntatem, seu ad rem quæ commemoratur propensionem: quasi dicat; qui & potest id præstare, & porro, si modo vos quoque officio vestro non deeritis, id etiam præstabit. Atque hoc modo alibi quoque verbum *posse* de Deo usurpari solere, ab aliis est animadversum. Effectus autem illius potentiæ est *custodire* fideles *inoffensos* &c. Id est efficere ne in peccatum, præsertim ejusmodi quod salutem illis adimat, incidant. Unde porrò sequitur ut eos coram se sistat, præsertim in Christi adventu, coram gloria sua irreprehensibiles cum gaudio. Nam etiamsi vox *inoffensi* possit etiam ita accipi, ut significet pietatis consequens, hoc est immunitatem à suppliciis divinis; tamen & verbi vis magis isti interpretationi favet quam attulimus, & magis videtur scopo Judæ consentaneum esse, ut dicat Deum posse illos à lapsibus & peccatis custodire, quam ab ipsis suppliciis divinis: si consideres quid illos proxime monuerit, nempe ut sibi à contagione peccati quam diligentissime caveant. Consentaneum enim est Judam hac Dei descriptione illis spem facere, fore ut Deus ipse ea in parte auxilium iis ferat, & nisi ipsimet sibi defuerint, eos à peccatis immunes conservet. Hinc autem porro consequitur, ut eos in conspectu gloriæ suæ irreprehensibiles statuat. Potest autem id intelligi, vel de quovis tempore, vel nominatim de eo quo homines est judicaturus: præsertim si verba ista, *in conspectu gloriæ suæ* non cum sequenti voce *irreprehensibiles* sed cum præcedenti *statuendi* verbo, connectas. Valde enim hæc sententia quod Deus sit constituturus fideles in conspectu gloriæ suæ, convenit cum eo quod aliquando Deus fideles suos ad tribunal suum sit constituturus, quando Christus ipsius nomine judicaturus est, & in gloria ipsius appariturus. Licet non negemus etiam in hoc seculo Deum sistere fideles coram conspectu gloriæ suæ, hoc est in conspectu sui ipsius qui

gloriosus est, irreprehensibiles. Diximus autem posse illa verba *in conspectu gloriæ suæ* conjungi etiam cum sequenti voce *irreprehensibiles*, ut ita ea opponantur hominum judicio. Potest enim quispiam in conspectu hominum esse irreprehensibilis, qui non sit in conspectu Dei. Vide similem locum Col. 1. 22 & 1 Thes. cap. 5. ℣. 23. Licet ibi alia sit phrasis. Et Apocal. 14. vers. 5. Esse autem irreprehensibilem, est naturale consequens ejus quod antea positum fuit, nempe immunem esse à lapsu vel offensione. Rursus autem antecedens quoddam est justificationis. Qui enim irreprehensibilis est, ille justificandus est, licet forte nondum sit justificatus. Addit autem *in exultatione*, hoc est cum summa lætitia ac gaudio, fructum ejus rei iterum exprimens. Nam & hic gaudent pii recta conscientia, & spe immortalitatis, inde concepta freti: sed eo maxime tempore id fiet, cum fructum pietatis suæ metent, & in quanta apud Deum sint gratia, quantamque felicitatem ex ejus benignitate adepti, reipsa sentient. Nec est negandum, hunc effectum etiam in præsenti seculo aliquomodo habere locum: quanquam longe perfectius in futuro, cum pietas illorum inoffensa, & ut ita dicam irreprehensibilitas plane perfecta erit, & fideles coram Deo vere statuentur, & irreprehensibiles ignoscentur.

Est hic occasio differendi, tam de eo quousque in pietate divina ope progredi possimus, quam etiam de eo à quibus lapsibus immunes esse debeamus, ut aliquando irreprehensibiles coram oculis Dei constituamur: & denique quantus sit pietatis fructus: ubi de gaudio quod oritur ex recte factorum conscientia, differi potest. Inprimis autem agendum est de modo quo Deus nos custodiat irreprehensibiles, seu nos juvet ut pietatem constanter colamus.

Altera proprietas est sapientia, quæ ita Deo asseritur, ut *Soli* competere dicatur, quia nimirum solus ex seipso, & quidem perfectissima sapientia est præditus. Fieri potest ut propterea hanc proprietatem commemorarit Judas, ut ostenderet non tantum vires esse Deo ad id quod dixerat præstandum, sed etiam rationem illum ac modum nosse id efficiendi, utut nos illum ignoremus. Fieri etiam potest, ut non tam ideo hanc Dei proprietatem commemorarit, quia ad præsens ipsius institutum peculiariter pertineat, quam quia admirabilis sit hæc Dei proprietas, tum aliis omnibus in rebus, tum inprimis in tota salutis nostræ ratione perspicue elucens. Qua de re etiam hic differi potest.

Hactenus proprietates Dei expendimus, sequitur, ut videamus descriptionem Dei ab effectu desumtam omnium suavissimo, qui comprehenditur vocibus *servatoris nostri*. Nam ut de ipso nomine *Dei* hic disseramus; nihil est necesse. Servatorem autem nostrum vocat, quia & ipsa salus, & omnia ejus adipiscendæ media ab eo primo proficiscuntur. Hæc de descriptione illius cujus nomen celebrat Judas.

Sequitur modus ejus celebrandi, quum inquit, *Gloria & majestas, robur & potestas, & nunc & in omnia secula, Amen.* Ubi & quid Deo tribuendum sit, exprimit, & quamdiu: ita ut non tantum gloriæ divinæ rationem, sed & constantiam ac perpetuitatem verbis suis complectatur. Posset autem quis non injuria statuere, duo tantum hic esse quæ Deo tribui velit Judas. Idem enim esse gloriam & majestatem, idem etiam κράτος & ἐξουσίαν, præsertim quia priora duo vocabula particula copulativa inter se connexuit, similiter & posteriora duo. Sed possunt tamen illa inter se distingui, & quatuor fieri membra, uti sunt & verba. Hoc modo, *gloria* sumi poterit pro laude quæ à nobis hominibus aliisve creaturis in Deum proficiscatur, hoc est pro celebratione & prædicatione tum admirabilium ipsius proprietatum, tum effectorum præstantissimorum. *Majestas* autem sumi potest pro splendore quodam qui in Deo refulget, summaque excellentia, quæ ei venerationem apud omnes conciliat. Rursus vox κράτος significare potest robur, vires, ac potentiam insuperabilem, qua omnia quæ vult efficere potest: licet etiam imperium alioqui denotare possit aut soleat. ἐξουσία significat imperium, atque imperandi ac regnandi jus, quod Deus in res omnes exercet. Diversimode autem hæc Deo tribui vult Judas: gloriam enim vult à nobis in Deum reipsa proficisci, eique exhiberi, majestatem autem, robur & potestatem, ita vult tribui, ut in eo agnoscatur, & ei inesse verbis affirmetur, atque oratione ubiq; celebretur. Quæ differentia etiam alibi in similibus δοξολογίαις animadvertitur. Vide Apocal. 5. vers. 13. & 7. ℣. 12. Ubi benedictio vel generale quippiam est, respectu sequentium, vel significat etiam votum quoddam ab hominibus profectum, quo optent ut omnes in perpetuum Deum laudent. *Gloria* autem id est quod paulo ante expressimus, nempe prædicatio divinorum attributorum, aut effectorum. Quanquam hic ad effectorum celebrationem restringenda videtur: siquidem peculiariter commemoratur sapientia, potentia, & robur, quod Deo sit tribuendum. Potest autem celebratio illa & verbis peragi, quibus quidem omnium frequentissime solet; sed potest tamen etiam alia re fieri, quæ verborum sit loco, hoc est factorum divinorum repræsentatione & adumbratione quadam: sive ea ad nos ipsos sive ad alios pertineant, sive cæteroquin læta sint, sive minus, modo sint eximia ac præstantia. *Gratiarum actio* autem est tantum celebratio beneficiorum in nos aut alios quibus bene cupere debemus, profectorum. *Honor* autem in veneratione consistit, & demissione quadam animi & corporis coram Deo etiam sine omni sermone peragi potest. Δυνάμις autem videtur poni pro ἐξουσία, hoc est pro potestate atque imperio, cum distinguatur à voce ἰσχὺς quæ *robur* significat.

Superest perpetuitas laudis, quam Deo tribui Judas cupit, *& nunc, & in omnia secula. Amen.*

F I N I S.

JOHANNIS CRELLII FRANCI

Commentarius

in

APOCALYPSIN

JOHANNIS APOSTOLI

&

Conciones

in

Varia Scripturæ loca.

IRENOPOLI

Post annum Domini 1656.

COMMENTARIUS
in maximam partem
APOCALYPSEOS JOHANNIS.

* * *

COlendum. *& voces* sive tubæ clangor, sive voces articulatæ sed terribiles, *& tonitrua* ἐν διὰ δύο, pro tonitruorum. Par. *& septem lampades.* Istas lampades verisimile est esse angelos qui sint tanquam oculi Dei quia quasi luceant Deo & per eos videat Deus, cum illos ad ministeria adhibet, & providentiam per eos tanquam oculos suos administrat, ut sint velut exterius medium visus, quemadmodum lampas.

Vers. 6. *Tanquam mare vitreum.* Significatur mundus, qui tam sit coram Deo pellucidus, ut ipsius oculis pateat, & nihil sit in eo quod ipsum effugere queat. *in medio throni* id est intra thronum, sed tamen ita ut circumstarent: vel simpliciter in medio spatii inter thronos viginti quatuor & illum unum. *quatuor animalia plena oculis ante & retro.* Animalia ista homines esse patet ex cap. 5. vers. 9. videntur autem illis significari pastores Ecclesiarum, qui debent esse velut Argi oculei, & in omnes partes intenti ut nihil illos ex auditorum factis fugiat. Numeri hujus ratio videtur peti ex numero animalium Ezechielis. Describitur autem in singulis per partes quod omnibus competebat, quia per illa communitas velut pastorum designatur.

Vers. 7. *Leoni* quia debent esse fortes & animosi. *vituli* quia & laboriosi, & mactationi ad victimam parati *habens faciem quasi homo,* quia debent esse humani, mansueti, & prudentes. *aquilæ* ob alacritatem & in exequendo celeritatem. Alii, ob perspicacitatem. Denique & potissimum, quia illorum animi non debent humi serpere, terrena sapere, sed ad cœlestia evolare, illis delectari.

Vers. 8. *Singula alas habebant.* Alas habere dicuntur, quia debent esse promti ad munia sua obeunda. *Sex* autem, ut tanto velocius in omnes partes se flectere possint, non sint segnes, cunctatores. *In circuitu & intus plena sunt oculis* id est & intus sub alis, quia debent esse in omnibus circumspecti, oculati, providi, vigilantes. *die ac nocte dicentia.* Officium pastorum, perpetuo versari in laudibus Dei, & suo exemplo alios ad numen Dei concelebrandum incitare. Per synecdochen universum illorum officium adumbratur.

Vers. 10. *Procidebant* sunt incitamento senioribus ad Deum laudandum, quia cum sint ab illis plantati, illi videntes istos suum officium implere, & recte sibi ipsorum institutionem cessisse, laudant etiam pro ipsis Deum.

Vers. 11. *Accipere* vox acceptionis improprie ut patet sumitur.

In Cap. V.

HOc capite indicat per quem revelatio decretorum Dei latentium circa res Ecclesiæ contigerit, describitque secundam cui hodie cultus à Christianis debetur personam.

Vers. 1. *Librum scriptum intus & foris.* Librum videlicet occultorum Dei decretorum. Nam ideo dicitur obsignatus. Fuerunt autem ista quæ hic revelantur Johanni, scripta *intus & foris,* id est, ante & retro, seu ex utraque parte. Alluditur ad Ezech. 2. vers. 10. Vide Bezam. *Obsignatum,* quia fuerunt secreta, nec illa Deus ante sciri volebat. *Sigillis septem,* quia veluti diversæ partes diversis sigillis erant obsignatæ.

Vers. 2. *Et vidi angelum fortem.* Aditus ad ostendendum per quem illa decreta sint patefacta: neminem videlicet inventum qui id facere potuerit, præter Christum. Et est plane explicatio tituli hujus libri, cap. 1. vers. 1. expressi.

Vers. 5. *Vicit,* id est, vincendo dignus evasit, vel obtinuit, ut aperiret. Verbum prægnans. Vide explicationem vers. 9. *Leo* propter fortitudinem & robur. Alludit ad Gen. 49. ℣. 9. *Radix* pro virgulto enato ex radice. Metonymia efficientis. Consuetum Hebræis ut radix appelletur etiam virga quæ succrescit ex radice. Vide Esa. cap. XI. ℣. 1. & 53. ℣. 2. Ose. 14. ℣. 6. 1 Macchab. cap. 1. vers. 11. infra cap. 22. ℣. 16.

Vers. 6. *Agnum* & quia innocens, & quia victima fuit. *Tanquam occisum,* quia apparebant in eo signa mactationis, & vulneris alicujus. *Habentem cornua septem.* Intellige multiplex robur & potentiam Christi, qua & suos tuetur, & hostes ferit. *Oculos* providentiæ & sapientiæ, quia per eos videt. Respicit ad cap. 4 ℣. 5, ubi *lampades* vocantur. *Spiritus* id est angeli. Nisi quis malit potentiam Dei multiplicem intelligi. *Missi.* Allusio ad verba Zachariæ: quod velut percurrant universam terram.

Vers. 7. *Et accipit,* id est, cognovit illa decreta Dei. Factum id cum Christus in cœlum ascendens ad dexteram Dei consedit.

Vers. 8. *Et cum accepisset.* Id est, postquam illi data est facultas cognoscendi illa Dei secreta. *Ceciderunt* permoti videlicet tanta ejus potentia. *Habentes citharas & phialas.* Per ista significatur promtitudo ad laudes & gratias Deo agendum. Acceperunt igitur illas, quia ad laudes Deo gratas erant apti, illisque occupati.

Vers. 9. *Dignus es accipere & aperire.* Id est qui cognoscas & reveles mysteria. *& redemisti Deo nos in sanguine tuo,* id est effecisti ut nos Deo manciparemur, quod tibi sanguinis tui impendio constitit.

Vers. 10. *Et fecisti nos Deo nostro reges.* Id est fecisti ut essemus coram Deo quasi reges quidam, ratione rerum spiritualium: puta quia sumus & mundo & hominibus & Satana superiores. *Et sacerdotes,* quia officium Christianorum est sacrificia spiritualia Deo offerre.

Vers. 12. *Accipere virtutem* id est ut illi tribuatur prædicatio potentiæ, ut videlicet prædicetur ipsius potentia, &c.

Vers. 13. *Et omnem creaturam.* Allegoria. Non quod omnes res creatæ id dicant, sed quod omnes dicerent si sensum ac sermonem haberent. Nisi quis ad rationales tantum creaturas ista restringat. Ita *in cœlo* erunt angeli, *in terra* homines viventes, *sub terra* mortui, *in mari* insulani.

In Cap. VI.

INcipiunt jam revelationes, in quibus ita procedit Spir. S. ut primo in genere velut summatim omnia colligens aperiat: deinde quæ obscurius ante & velut carptim indicavit postea apertius & per partes explicet. Id quod instar cujusdam regulæ observandum est volenti assequi aliquem nexum istorum, & sensum eorum quæ hic dicuntur.

Vers. 1. Primi sigilli apertio indicat felicia primitivæ Ecclesiæ Christianæ tempora. Prædicationem videlicet euangelii, & conversionem multorum. *Tanquam vox tonitrui* quia vox Ecclesiæ terribilis & late sonat.

Vers. 2. *Equus.* Ad celeritatem denotandam. *Albus* quod lætum quiddam nunciet. Triumphantium enim

is color. *Sedens super illum*, vel ipse Christus tanquam princeps prędicantium euangelium, vel in una persona omnes euangelii prædicatores. *arcum* ut animos hominum configeret. *coronam* quia victoriam erat obtenturus.

Vers. 3, 4. Alterius sigilli apertio, vel persequutionem quæ subsequuta est statim, ut plerique volunt, denotat; vel potiùs pœnam quam Deus immittere decreverat euangelii sui contemtoribus. Dicitur enim, *ut alii alios interficiant*, quod non ita recte ad persequutionem accommodatur. Ideo *equus rufus* nominatur qui sanguinem colorem referret. Bellum igitur denotat.

Vers. 5. Prædicit famem. Ideo *nigrum equum* nominat, quia funus est triste quiddam, & quia homines famelici nigrescunt. *Stateram* quia appensurus veluti erat cibum & ad mensuram daturus.

Vers. 6. *Vocem*, alloquentem videlicet sessorem illum. *Chœnix* id est mensuram istam tanti vendi, & frumenti caritatem induci curabis. At ne homines penitus intereant, sed habeant quo refocillentur, vino & oleo parces, nec illa ut frumentum corrumpes.

Vers. 8. Novum supplicii genus, & quidem multiplex, superioribus comitatum. *Pallidus* viridis quasi color, sed ad pallorem inclinans, luridus mortis color, similis colori foliorum quæ jamjam casura sunt. *Mors* quia morte puniturus erat, & quidem multiplici. *Infernus* quia infernus id est status mortuorum excipit mortem. *eis* id est morti & inferno. *morte* id est pestilentia. Vult significare varios modos quibus Deus homines è vita tollere solet. Alluditur ad Ezech. 14. 21.

Vers. 9. *Sub altari.* Vel illo ipso tempore fuisse occisos intelligit: vel occisos passim cum prædicaretur euangelium. Et hoc posterius potiùs significari videtur. Ait enim *quousque*. Significatur autem multos esse occisos propter euangelium. Ait verò *sub altari*, cum tamen victimæ supra altare poni debeant. Alludi enim videtur ad id quod cineres victimarum sub altare caderent. Erant videlicet isti mortui & velut in cineres redacti. Ut hic *animæ* pro cineribus è corporibus illarum ponantur. *testimonium*, quod videlicet de Jesu ediderunt illi martyres. Doctrinam intelligit quam fuerant professi. Jam *animæ* introducuntur tanquam viverent, quemadmodum sanguis Abelis clamare dicitur.

Vers. 10. *Clamasse* dicit, quia perinde esset ac si clamarent: re ipsa videlicet id postulante, quia multi jam erant occisi. *Sanctus*, vel proprie, vel summa majestate verendus.

Vers. 11. *Datæ sunt singulis.* Videtur denotare voluisse, multos quidem ab Ethnicis propter euangelium fuisse occisos, non tamen Deum tum voluisse fieri finem persecutionum. Interim tamen id dedisse ut agnosceretur passim illos fuisse innocentes, doctrinam verò propter quam occisi erant verissimam & divinitus profectam, ipsos denique olim immortalitate donatum iri. *dictum* est, quasi dicat, veniet tempus cum vindicabimini, nunc paullum quiescite, testimonio quod vos manet contenti: debent enim interea alii etiam occidi.

Vers. 12. *Terræ motus magnus.* Insignis rerum commutatio, & tristis rerum facies. Ita enim loqui solent prophetæ, cùm lugubrem regionis alicujus statum tristemque faciem prædicunt. Vide Joël. 2. 10. Esai. cap. 9. vers. 10. & cap. 34. vers. 4. Respicitur ad illam imperii Romani faciem cum colliderentur inter se, Maxentius, Gallienus, Constantinus. [Exodium describi videtur orbis Ethnici & supplicium illius, cui alia orbis facies sub Christianismo successit.] Alii ad defectionem sub Antichristo ista referunt. Et *solis* quidem voce intelligi volunt Deum Patrem, *Lunæ* filium, *stellarum*, doctores Ecclesiæ *cœli* Ecclesiam ipsam & cultum Dei.

In Cap. VII.

Videtur hucusque finis factus fuisse orbi Ethnico. Nunc porrò quid fieri debuerit postquam orbis factus est Christianus, enarrabit. Quia verò narraturus erat plagas orbi Christiano infligendas, primo prænitit quædam de protectione Dei erga cultores suos, quam obsignationis voce adumbrat.

Vers. 1. *Et post hæc* ergo non de ultimo judicio in proxime præcedentibus egit. *quatuor angelos* videlicet malos, qui voluerunt prohibere ne *ventus* salutaris doctrinæ Christi flaret, & sic oriretur corruptio inter homines: ut videlicet præ æstu flaccescerent, & sic inficerentur omnes. Ventorum quippe est & reficere suo flatu & aërem repurgare. *super quatuor angulos terræ*, id est, ut penitus prohiberent doctrinæ salutaris prædicationem. Ideo addit, *neque super mare* licet in mari facillime venti exitentur. *Neque in arborem ullam* quamvis levissimum etiam venti flatum facillime summa arborum cacumina sentiunt. Significatur videlicet isto versu, statim post orbis Ethnici finem incubuisse orbi Christiano verbi divini amotionem, sed Deum obstitisse. Quasi dicat; & mox atra nox, atque densissima ignorantiæ rerum divinarum caligo incubabat hominibus: sed Deus tamen pro sua singulari providentia & paterno favore voluit primo quosdam custodire, & ex aliorum numero eximere, ne illis noceretur neu seducerentur, ut videlicet essent qui doctrinam ipsius amplecterentur.

Vers. 2. *Ab oriente Sole* quia videlicet lætum nuncium afferebat, & velut salutare sidus affulsit.

Vers. 3. *Quoad usque signem.* Colliguntur simul quasi jam exstiterint, cum tamen fuerint sparsi per totum illud tempus regni Anti-Christi. *Servos* nempe & qui jam tales essent, & qui apti essent ut Deo servirent, quos Deus voluit luce sua signare. *in frontibus*, quasi visibile signum gesserint, ne illis angeli illi nocere possent. Allusio ad illam signaturam in Ægypto, & Ezech. 9. vide infra cap. 14. vers. 1. Quasi dicat, non est permissurus Deus ut omnes supplicium luant.

Vers. 4. *Centum quadraginta quatuor*, id est, aliquam multa millia. Numerus certus pro incerto. *ex omni tribu filiorum Israël.* Populus Israeliticus repræsentat populum Christianum. Inde hoc numero infra cap. 14. omnes Christiani significantur. Cæterum tribus Dan hîc omittitur, fortassis quia novissima castrorum vel colligens castra dicebatur, unde tanquam minima & contemta omittitur, 1 Chronic. Tribus autem ista maxime idololatriam promovit, & prima defecit à puritate religionis. At Deut. 33 Simeon omittitur.

Vers. 8. *Joseph* id est Ephraim.

Vers. 9. *Post hæc vidi.* Videntur hîc jam illi fideles describi qui post tempora Antichristi, vel potius illo ruente & veritate rursum hominibus exoriente, futuri erant. Quasi dicat; Non in eo tantùm statu rem Christianam futuram, sed post illos jam nominatos 144000, exstituros etiam alios, & quidem ingentem eorum numerum, tristemque illam Antichristiani regni tragœdiam lætissima catastrophe conclusam iri. *ex omnibus gentibus* Synecdoche. Simili ratione euangelium omni creaturæ prædicari jubetur. *coram throno.* thronus pro insidente in throno id est Deo, ut peccavi in cœlum. q.d. serviebant Deo tanquam ministri, & quidem honorati. *Stolæ albæ* sanctitatis vitæ ut ℣. 14 explicatur. *palmæ* ob victoriam in afflictionibus: ex afflictione quippe magna venisse dicuntur ℣. 14. Id verò non ad singulos referendum, sed ad totam communitatem.

Vers. 10. Describit qua re occupati fuerint illi. *Salus Deo*, quasi dicant, salus nostra est accepta referenda Deo, & agno id est Christo. Vel, Deo sit laus, & agno, qui salutem nobis dedit.

Vers. 13. *Hi qui amicti.* Quia mirum erat, posse post tam infelicia tempora exoriri tot Christianos, interrogat, unde nam illi? quasi dicat, unde tot eruperunt, tam cito, tam inopinato.

Vers. 14. *Ex afflictione magna.* Dum videlicet Antichristo repugnant. *Et laverunt stolas*, id est comparaverunt sibi vitæ sanctimoniam, per sanguinem Christi.

Vers. 15. *Ideo sunt ante thronum Dei*, id est, Deus eis opportunitatem sui colendi, & pacem largitur. Quanquam verba hæc, & maxime sequentia futuro magis seculo conveniunt. Ita vero ista describit, ac si hæc vita sit futuræ illi continuata.

Vers. 17.

Vers. 17. *Agnus qui in medio throni* id est tantus Dominus tantusque Rex, qui est in ipso Dei throno. *ad vivos fontes* id est fontes aquarum viventium & vegetarum.

In Cap. VIII.

EXequutio illius quod moliebantur illi quatuor angeli, sed sub alia imagine.

Vers. 1. *Silentium* Pausa ut in dramate, ut Johannes requiesceret & se aptaret ad meliorem sequentium attentionem.

Vers. 2. *Septem angelos* id est præcipuos. Forte sunt illi septem spiritus de quibus supra. *septem tubæ* quia cum principum decreta pronunciantur tuba cani solet, ut populus convocetur; ideo ad promulganda Dei judicia angeli cum tubis inducuntur.

Vers. 3. *Et alius angelus venit.* Aliqui Christum intelligunt, quia sit pontifex qui consecret preces nostras. Sed potest hic sola tantum actio attendi, nempe quod divinitus aliquid concedi soleat fidelibus, ut preces illorum sint gratiores Deo: θυμιάματα enim non sunt hic preces, ut supra, sed id quod divinitus conceditur (quemadmodum olim aris addebatur thus ut fumus earum esset gratior) dum nimirum id efficit ut preces nostræ sint ardentes in spiritu, & Dei majestati convenientes. *ante altare* videlicet super gradus altaris. *& data sunt ei incensa multa* id est illa quæ faciunt ut gratia concilietur precibus: quemadmodum si res fragrantes addantur rebus igni consumendis, fragrantem spargunt odorem. *de orationibus sanctorum super altare*, id est ut ea precibus sanctorum adderet quæ erant positæ ad aram, ut ita suffitus fieret ad thronum precibus sanctorum.

Vers. 4. *Fumus incensorum de precibus*, id est datorum seu additorum precibus sanctorum.

Vers. 5. *Et facta sunt tonitrua.* Effectus precum terribilis hominibus impiis. Significat etiam preces fidelium fuisse causam minarum & suppliciorum Dei: non quod illi ista petierint, sed quod hic soleat effectus sequi. Qua ratione Luc. 18. dicitur, nonne Deus faciet vindictam electorum suorum clamantium ad eum die & nocte, & longanimitate utetur adversum eos? *in terram* ubi videlicet indicia iræ Dei eminuerunt.

Vers. 7. *Et facta est grando.* Credibile est hac allegoria pœnas spirituales intelligi. Nam videtur ostendi quomodo corrupta fuerit doctrina Christi, cujus corruptio pervaserit in totum mundum, nec tamen penitus tota fuerit corrupta, sed tantum præluserit Antichristo. Progressa autem est à terra ad mare, ad flumina, tandem ad ipsum cœlum, ita ut nulla hominum pars hac corruptione vacaret: homines enim hac allegoria significantur. *grando & ignis* ut Psal. 78. 48. Allusio ad plagas Ægyptiacas: quia verò pœnam ista denotant, ideo istis quæ pœna sunt adsimilat. *super terram* quia in hac maxima pars habitantium. *arbores* qui in doctrina Christi adoleverunt. *gramen* juventus, vel qui recens Christum receperunt. Vide hic Napeirum.

Vers. 8. *Mons magnus igne ardens*, id est doctor ingens, vel error magnus. Ulterius progressa corruptio ad insulanos, ad quos à mediterraneis pervasit.

Vers. 12. Gradus obscuratæ postmodum penitus veritatis. vide cap. 9. vers. 2.

In Cap. IX.

HIc continetur historia omnium eorum quæ ad descriptionem Antichristi generalem pertinent.

Vers. 1. *Stellam de cœlo cecidisse.* Vel Machometum intelligit, quod Napeiro placet, vel Anti-Christum. Uterque certe à Christi doctrina defecit, & ita de cœlo decidit. [*De cœlo, in terram*, celeritas cadendi intelligitur] *& data est ei clavis* id est, ut haberet potestatem abyssi.

Vers. 2. *Et ascendit fumus*, id est errores crassissimos, tristissimumque rerum statum in orbem Christianum invexit.

Vers. 3. *Et de fumo putei exierunt locustæ.* Saraceni, Arabes, Turcæ, susceptis erroribus Machometis, & Tartari sub imperio Othomanico.

Vers. 4. *Ne læderent fœnum terræ, neque omne viride*, id est Christianos salutarem Christi doctrinam retinentes. *qui non habent signum Dei* id est, sectatores Anti-Christi.

Vers. 5. *Ut cruciarent* nempe in servitutem abducendo, & remis addicendo. *menses quinque* nam & locustæ quinque mensibus calidioribus durare solent. Centum quinquagintaannos Napeirus intelligit: quem toto hoc capite vide. *ut cruciatus scorpii.* id est indies augetur, & crudelior evadit.

Vers. 6. *Quærent homines mortem.* De iis videtur dictum qui ad naves seu triremes sunt ablegati. Eligent potius mori quam vivere. Jerem. 8. 3.

Vers. 7. *Tanquam coronæ similes auro*, propter victoriam insignem ac dominationem. *& facies earum tanquam facies hominum.* Ab initio in Europam ab Imperatore vocati, humanos se præbebant.

Vers. 8. *Dentes quasi leonum* quia omnia vastabant.

Vers. 9. *Et sonitus alarum* ob celeritatem & impetum victoriæ.

Vers. 10. *Et aculei erant in caudis.* In recessu venenum fovent, ut hominibus doctrinæ Machometanæ virus instillent. *menses quinque.* Ut sit res notabilior, ideo hoc iterum exprimit.

Vers. 11. *Et habent super se regem* &c. Turca & Machometes ex interpretatione significat vastatorem.

Vers. 14. *Solve quatuor angelos.* Coërcebat enim eos Deus. Saraceno:, Arabes, Turcas, Tartaros intelligit, sub imperatore Othomano, Anno Christi 1296: plane sexto seculo, in uno 245 annos, ut Napeirus facit, computando.

Vers. 15. *Qui parati erant in horam.* id est quocunque tempore illis volet Deus uti & quamdiu. *ut occiderent tertiam partem.* Tertiam enim orbis Christiani partem occuparunt.

Vers. 16. *Numerus exercitus equestris.* Equitatu enim pollent, eoque innumero.

Vers. 17. *Habebant thoraces igneos.* Ferocia notatur & crudelitas: quasi dicat; igneis pectoribus pro gravi armatura utuntur. *Ignis* ira adversus Christianos, *fumus* superbia animusque elatus. *Sulphur* fœtor doctrinæ Machometanæ. Fieri potest ut etiam tormenta bellica his significentur:

Nam Vers. 18 addit, occisam esse illis tertiam hominum partem.

Vers. 19. *In ore ipsorum & in caudis.* Quasi dicat; Insidiosi sunt, nec tantum aperto Marte nocent, etiam fugientes pugnant, & obverso tergo, ac si in tergo quoque & in caudis capita haberent. Vel etiam caudarum nomine falsi doctores in occupatis provinciis ab iis relicti significantur.

Vers. 20. *Et cæteri homines.* Quasi dicat. Non tantum Antichristianus orbis resipuit, & idololatriam aliaque scelera deposuit.

In Cap. X.

TRansitus à præcedentibus ad sequentia. Quia ut primo ipse Christus apparuit, ita hic aliquis nomine ipsius, qui futura Johanni esset enarraturus.

Vers. 1. *Et vidi alium angelum.* Angelus iste repræsentat quidem Christum, id est majestatem illius sustinet, non tamen est ipse Christus, ideoque se distinguit à Christo, tanquam ipsius legatus. Dicit autem fuisse *septum nube* vel quod non fuerit omnino agnitus, vel ad majestatem ipsius indicandam. Nam quod Christus in nube sit venturus, majestatis est. Quo pertinet etiam *iridis* mentio, quanquam possit nihilominus significare singularem Christi benignitatem & clementiam hominibus ab illo oblatam, si modo recipere vellent. *Facies ut Sol.* Et hoc ad majestatem facit: quanquam possit dici, faciem ejus Solis æmulam fuisse, quia lętum aliquid annunciaverit. Nam lumen læti aliquid habet. *Pedes sicut columnæ ignis*, partim ad splendorem & majestatem quod infimæ etiam ejus partes sint splendissimę, partim ad significandum robur, quod longe possit ponere pedem, quemadmodum de regibus dicitur illos longas habere manus, quod is omnia sub pedibus habeat. *Ignei* vero ad

terrorem hostibus incutiendum, quos pedibus suis premat & velut exurat calcando. Indicat eum cujus hic imaginem angelus iste repræsentat, nempe Christum, totius orbis Dominum esse.

Vers. 2. *Et habebat* veluti traditurus, ideo mox dicit *accipe, libellum* mysteria videlicet sequentia & prophetias continentem. Est ut initio monuimus transitus à præcedentibus ad sequentia, quorum hic velut exordium ponitur. Ideo dicit versu ultimo, *oportet te iterum prophetare* id est alias prophetias enarrabis. *posuit*, quia nempe voluit docere, Dominum suum cujus imaginem gerebat esse totius orbis Dominum. *dextrum in mari* quia majoris potentiæ documentum dominari in mari.

Vers. 3. *Et clamarit voce magna.* Id est provocavit tonitrua ut loquerentur & enunciarent terribilia nempe judicia Dei. *sicut leo*, quia tremenda vox erat, & quæ exsequutioni debebat statim mandari. *loquebantur septem tonitrua*, id est velut tonando vocem ediderunt. Tonando autem, quia non suave quiddam sed terribile dixissent. Videntur autem eloquuta illa supplicia quæ postea effusione phialarum significantur: quæ quia aperte tonitrua ista dicerent, ideo ne statim intelligerentur obsignare jubetur.

Vers. 4. *Obsigna* id est occulta apud te & contine. Synedoche speciei pro genere.

Vers. 5. *Et Angelus.* Alludit ad Dan. cap. 12. ℣. 7.

Vers. 6. *Tempus non erit.* Vel tempus tale quale nunc est, ut sunt anni tempestates, dies & nox; tempus istud formatum qualitatibus physicis, ut Gen. 8. 22. Vide Riberam. Vel nulla amplius intercedet mora (nam χρόνος etiam moram significat, unde χρονίζειν morari, & morbi chronici id est diuturni:) sed in fine septimæ tubæ complebitur mysterium Dei.

Vers. 7. *Vocis* quæ videlicet continget in fine earum rerum quas eloquuta sunt tonitrua. *implebitur mysterium Dei.* Id est secretum illud Dei decretum, de gaudio cœlesti piis dando, cujus initium quoddam futurum est exstincto Antichristo.

Vers. 8. *Et vox.* Cujus supra vers. 4. fecit mentionem. *Vade, accipe*, symbolum quod Deus vellt ipsi amplius patefacere mysteria sua.

Vers. 9. *Et faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore.* Id est cognitio quidem mysteriorum te delectabit, sed interim re penitius inspecta affliget cor tuum, quia multa tristia & funesta in se continet: tyrannidem videlicet & persequutionem Antichristi. Alludit ad Ezech. 2. vers. 8. & deinceps vers. 10. & cap. 3. vers. 1. & deinceps vers. 14.

Vers. 10. *Oportet te iterum.* Id est, ea quæ dixi hactenus, sunt prophetica, sed necesse est adhuc te plura & scire & dicere. *Iterum* respectu antecedentium prophetiarum. *in gentibus* id est, de gentibus, vel contra gentes &c.

In Cap. XI.

TOtum negotium Antichristianum breviter exponitur: quod per particulas in sequentibus planius explicabitur. Initio autem videtur ostendere quam pauci futuri essent veri Christiani & qui veritati adhærerent, toto tempore regni Antichristi.

Vers. 1. *Et datus est mihi calamus*, mensorius, videlicet, & longiusculus. *surge & metire*, id est metiendo velut determina, quantum spatii sint occupaturi, seu quam multi aut pauci veri cultores Dei futuri: ut cognoscas quam late patere tunc deberent limites Ecclesiæ. Jam autem angustum erat templi spatium præ atrio, quod hic ejicere jubetur.

Vers. 2. *Atrium ejice foras* id est, non metiendo velut rejice, & ostende ad templum non pertinere: ne conjungas illud cum templo: ab Antichristo enim occupabitur. *datum est gentibus*, id est, hominibus profanis, Antichristi cultoribus, qui Gentes hic vocantur, utut Christi doctrinam ore profiterentur: qua ratione etiam Judæi impii gentes vocantur: Psal. 10. ℣. 16. & Psal. 9. vers. ult. Psal. 59. vers. 6, 9. Docet illos ad templum & Ecclesiam Dei veram non pertinere, utut pro ea se gerant.

Apocalyps. cap. 12. usque ad vers. 12.

IN hoc capite duæ continentur visiones Johannis, quibus significatum fuit, fore ut divina veritas, ejusque professores, gravissime à Satana oppugnati, victoriam de illo reportent gloriosam: sed ita ut ingrato orbi veritas ista ad tempus non exiguum eripiatur. Primùm autem res tota proponitur: Deinde plenius ex parte illustratur atque explicatur. Prius fit per 6. primos hujus capitis versiculos. Ubi tria nobis proponuntur spectanda. Primò imago veritatis euangelicæ, ejusque vis ac conatus in hominibus ad se pertrahendis, & veluti formandis atque ad arbitrium suum fingendis. Deinde imago Satanæ ejusque conatus in veritatis professoribus perdendis, hoc est à veritate abducendis, & sempiterna salute privandis. Denique eventus utriusque conatus, hoc est tum veritatis, tum Satanæ.

Primum continetur ℣. 1, & 2. Etenim ℣. 1, ipsa veritas euangelica, in pulcherrima & maxime illustri imagine nobis spectanda proponitur. In vers. autem 2, ipsius vis & conatus in hominibus ad se pertrahendis iisque formandis, & Deo quodammodo pariendis. Ait ergo primùm Johannes, aditum sibi ad rem narrandam parans, vel potiùs, rem specialius mox exponendam generalibus verbis proponens: *Et signum magnum apparuit in cœlo.* Signum sumit pro imagine aliquid significante, uti & paulò post ℣. 3, *magnum* autem dicit, quia valde illustris ac conspicua valdeque splendida imago illa fuerit. Ita enim malumus hanc vocem accipere quam de quantitate simpliciter interpretari: Quanquam & hanc non exiguam fuisse, credibile est; ut res tanto magis fieret conspicua, & animum Johannis magis feriret. *In cœlo* autem dicitur apparuisse, non modò propter id quod sequitur ad ornatum hujus fœminæ pertinens, quòd nimirum Sole circumdata, lunam habuerit sub pedibus, & capiti impositam coronam, 12 stellis constantem; sed etiam ut significetur de re hic agi cœlesti, sive originem sive naturam spectes. Ita ergo re generatim indicata, specialius postea eandem explicat, dum docet, quale id signum fuerit. Ita inquiens; *Mulier amicta Sole*, scilicet apparuit: *& luna sub pedibus ipsius*, &c. Per mulierem istam, non intelligi Mariam virginem, Ribera etiam docuit. Quanquam ratione utitur valde infirma, vel potius nulla. Sed ratio satis apparet ex eo quod infrà dicitur, Mulierem istam fugisse in desertum, ubi ali debeat per dies mille ducentos sexaginta, quod Mariæ non convenire, ubi ad eum locum ventum fuerit, satis apparebit. Adde, quòd filius qui ex ea natus dicitur, significet omnes veritatis professores, ut tum ex aliis quæ hoc capite dicentur apparebit, tum inprimis ex iis quæ dicuntur vers. 17, ubi semen istius mulieris dicuntur ii qui servant mandata Dei, & habent testimonium Jesu Christi. Taceo, quòd non appareat quo pacto Maria habeat super capite suo coronam 12 stellarum, per quas 12 Apostolos intelligi, ne Pontificii quidem doctiores ignorant. Taceo & illud quòd quum in his capitibus de rebus futuris agatur, plane absurdum sit statuere de Maria hic agi quomodo illa Christum pepererit, & Christus in cœlum translatus fuerit, ipsa autem Herodem verbi gratia fugerit. Hæc enim omnia jamdudum præterierant: nec necesse erat ea in hac prophetia Johannis exhiberi. Interim tamen non est negandum, ad Mariam ejusque partum quo Christum est enixa hic alludi, & ad ea simul quæ paulo post partum ipsi contigerunt, & filio ab ipsa in lucem edito. Etenim & hæc fœmina quæ hic describitur, utut prægnans tanquam virgo spectata proponitur, utpote quæ sertum habeat capiti impositum; & fœtui ipsius simulac in lucem fuisset editus inhiasse dicitur draco, ut olim Satanas per Herodem insidiatus est Christo. Unde consequutum fuit ut Maria cum marito & puero fugere cogeretur. Præterea

terea filius dicitur ex hac muliere natus, ut Maria filium peperit: & hic filius dicitur esse pasturus gentes virga ferrea, quod Christo convenire nemo ignorat. Adde, quod idem ille filius dicitur fuisse raptus ad Deum, & ipsius thronum, quod Christo maxime proprie, quatenus quidem proprietas habere locum hîc potest, convenire nemo ignorat. In tempore quo hæc contigerunt differentia est aliqua, ex qua ipsa intelligitur de Maria hic sermonem revera non esse: quandoquidem ipsa narrationis series, & quæ infra leguntur vers. 13. usque ad finem capitis, satis docet, prius raptum fuisse illum filium ad Deum ejusque thronum, quam fœmina hæc in desertum fugeret: quum Maria una cum filio in Ægyptum olim fugerit, & postea demum Christus in cœlum receptus, in Dei throno fuerit collocatus. Allusio ergo ad Mariam & Christi ex ea nativitatem, & eorum quæ utrique contigerunt historiam agnoscenda est, non proprietas. Quum verò alii per hanc fœminam intelligant Ecclesiam, id licet cæteroqui absurdum non sit, loco tamen isti non videtur congruere; propterea quod satis intelligetur infra per semen hujus mulieris intelligi Christianos homines, qui Ecclesiam constituunt, qui ab hac fœmina tanquam matre sua, etiam cum unius instar hominis considerantur, (nam alias singulos fideles Ecclesiæ filios dici nihil prohiberet: sed cum omnes unius hominis instar considerantur id fieri absurdum esset) aperte destinguuntur. Accedit quod plerisque fidelibus ob professionem veritatis occisis, aliis autem hinc inde adhuc inter homines dispersis, dicitur hæc fœmina in desertum fugisse, ut ibi aleretur. Jam verò quo pacto Ecclesia professoribus veritatis interemtis superest, aut iis inter homines versantibus, ipsa in deserto est, ibique alitur? Adde quod non de fœmina illa dicitur, sed tantum de fœminæ illius prole seu filio quod pasturus seu recturus sit gentes virga ferrea. Si enim fœmina hæc ipsam Ecclesiam significat, cur ei quoque id non tribuitur? Convenientius ergo est, ut aliud quippiam intelligamus, cui hæc omnia quæ in hac de fœmina ista narratione continentur, egregie conveniant. Id verò est cœlestis illa veritas, quæ homines Christianos veluti parit ac fingit: cui quomodo ea omnia conveniant quæ in hoc capite de ista muliere narrantur, in ipsius totius visionis explicatione apparebit. Hoc pacto & Novum Testamentum apud Paulum ad Gal. 4. vers. 22. & sequentibus comparatur Saræ, matri Isaaci, quanquam una cum loco unde hoc fœdus quodammodo prodiit, & in quo receptum hujus fœderis filii habent, ut in commentario ad eum locum est explicatum. Sic & apud Solomonem Proverb. 8. & IX. illic sapientia, hic stultitia, fœminarum quarundam instar introducuntur loquentes.

Hujus deinde fœminæ ornatus ac splendor insignis describitur, luminibus cœli splendidissimis constans. In quibus recensendis, non positum sed magnitudinem ac splendorem quem terris impertiunt, sequitur. Quum enim inter luminaria cœlestia maximum ac splendidissimum sit nobisve appareat Sol, huic proximum Luna: quæ licet stellarum apparentium minima fere sit, tamen ob vicinitatem nobis post Solem apparet maxima, & plurimum lucis impertit. Unde magnum etiam luminare una cum Sole, à Mose Gen. 1. appellatur. Post Lunam reliquæ stellæ apparent, loco quidem superiores, sed luminis ratione quod nobis præbent minores: inde hunc in iis etiam recensendis ordinem sequitur Johannes.

Per *Solem* intelligendus videtur Deus ille summus, utpote inter cœlestes personas & majestate splendidissimus, & fons omnis lucis qua mortales collustrantur, hoc est & sapientiæ & sanctitatis & beatitatis. Unde & *pater luminum* hoc est summa luce circumfulgens eamque aliis impertiens à Jacobo dicitur, nec obscure cum Sole hac in parte comparatur, qui cùm sit astrorum omnium maximus ac splendidissimus, terram maxime omnium collustrat, & cœteris etiam stellis lumen impertit. Sole hoc *amicta* vel circumdata dicitur illa fœmina, si imaginem propositam spectes, ideo, quia cùm Sol ut diximus sit inter cœlestia lumina maximus, ac præterea medio inter stellas & Lunam loco positus, omnium commodissime ad mulieris ornatum ita referri potuit, ut eam amicire ac instar cujusdam stolæ circumdare videretur, & corpus ipsius, præter caput & pedes forte & manus contegens, maximam ornatus hujus mulieris partem constitueret. Si rem hac imagine designatam spectes, ideo Deo veluti amicta est divina veritas, quia Deus optimus maximus veritati Euangelicæ splendorem de sua majestate maxime omnium largitur, & suam illi majestatem quodammodo circumdat, hoc est ei authoritatem ac venerationem conciliat: propterea quod ipse sit illius autor, ipse eam sua olim potentia confirmaverit, & adhuc confirmet. Ita ut Euangelica veritas ideo sit à nobis maximi facienda, & magna cum reverentia tum recipienda, tum tractanda, quia plane sit divina. Hæc ergo prima ac præcipua ornatus hujus mulieris pars est. Altera est *lunà* quam dicitur habuisse *sub pedibus suis*. Cur secundo eam loco posuerit, & stellis quibus caput hujus mulieris fuit insignitum præposuerit, causa jam paulò ante dicta est, nempe quia Luna ratione ut loquuntur apparentiæ & lucis quam nobis fœneratur, Soli est proxima, & luminare stellis majus. Infimo autem loco ideo eam collocat, quia & positus Lunæ, licet maximi post Solem luminaris in cœlo infimus est, & terris maxime vicinus. Itaque non dignitatis in eo habita est ratio, quod imo loco collocata est: quandoquidem dignitatis habita ratione secundo loco recensetur, & præterea si ob positum Lunam contenderis esse ex luminaribus his dignitate infimum; necesse etiam erit ut stellas ipsi Soli præferas, quandoquidem stellæ hæ fuerunt supra caput positæ, atque adeo supra ipsum Solem, qui stolæ loco fuit: quum tamen quisque videat, sive Deum, ut nos volumus, sive Christum ut alii contendunt, intelligas, solem stellis illis præstantiorem esse. Quare non est quod quisquam ex positu hoc arguat Lunam quippiam designare inter hæc luminaria, dignitate postremum, atque adeo Christum per eam intelligi non posse. Accomodavit sese nempe divinus spiritus in his luminaribus mulieri huic veluti applicandis atque adjungendis, ordini horum astrorum in ipsis cœlis, quum in cœlo hæc mulier Johanni apparuerit. Itaque cum isthic Luna infimum locum teneat, medium Sol, supremum stellæ, eodem ordine ac positu luminaria hæc mulieri adjuncta atque applicata Johanni ostendit. Quanquam interea hic Lunæ positus aliam quoque habere possit sive causam sive vim significandi, ut paulò post dicemus. Nunc enim nobis explicandum est, & cur Christus Lunæ comparari recte queat, & quomodo possit dici mulier illa eum habere sub pedibus. Lunæ propterea comparatur Christus, quia quemadmodum Luna post Solem luminare est ut ante explicuimus maximum, quod accepto lumine à Sole veluti alter quidam Sol efficitur, & plurimum lucis terris impertit, estque ita comparata, ut eam mortales contueri facilius quam Solem queant; sic Christus secundum Deum in cœlis maxima circumfulget majestate quum illi sit potentia & sapientia & bonitate & imperio proximus: sed ita ut hanc majestatem splendoremque suum Deo totum referat acceptum, & acceptam à Deo lucem nobis mortalibus impertiat, & nos ad ipsius majestatem oculos facilius attollere, & in ipso majestatem ipsius Dei veluti blandius refulgentem conspicere possimus. Accedit & alia ratio quæ ad Lunæ positum pertinet, nempe quòd Luna inter magna cœli luminaria sit terris vicinior, imò inter omnia luminaria: id quod Christo respectu Dei qui solis instar est, apte accommodari potest. Est enim nobis naturæ ratione conjunctus, & ita cœlestis naturæ est, ut nobis tamen etiam natura sit conjunctus. Quare non mirum, si divinus spiritus imum Christo locum tribuendum putavit. Respectu stellarum ratio

hæc locum non habet. Unde jam intelligi potest, cur hæc mulier dicatur habuisse sub pedibus Lunam, habita præsertim ratione imaginis. Quod autem ad rem significatam attinet, posset quispiam arbitrari hoc non esse Christo dignum, propterea quod id dicamur habere sub pedibus quod nobis est subjectum, quodque etiam conculcare nobis ac proterere liceat, aut etiam quod proterere vel vilipendere soleamus. Sed nihil prohibet aliam etiam huic phrasi vim inesse, seu alia quadam ratione hunc loquendi modum mulieri huic respectu Christi accommodari. Primum enim fieri potest, ut nihil aliud significare voluerit divinus spiritus, quàm Lunam quoque huic mulieri fuisse adjunctam ac veluti applicatam, ita ut ipsi de suo lumine splendorem impertiretur, eamque collustraret. Quemadmodum etiam id quod Sol corpus contexit, non caput aut pedes, rursus stellæ caput ornarint non aliam partem corporis, in reipsa nihil significat, sed sola applicatio, atque ut ita dicam adjunctio hic spectatur, & significatur veritatem Euangelicam splendoris ac majestatis divinæ, itemque splendoris ut postea videbimus Apostolici, fieri participem: & illius quidem majestatem, horum verò authoritatem ipsi quoque veritati auctoritatem ac venerationem conciliare. Positus tamen datus fuit ipsi naturæ astrorum quibus Deus aut Apostoli exprimuntur conveniens. Quare nihil prohibet quominus idem in Christo factum esse censeas. Quum enim Luna esset huic mulieri applicanda, atque adjungenda, nullusque ei alius restaret locus satis aptus, habita præsertim ratione positus Lunæ in cœlo, eam pedibus ipsius supponi oportuit. Capiti quidem non debebat applicari: nam alias non modò fuisset supra solem, planè ineptè & contra naturæ ordinem ponenda, sed & faciem non minus contexisset ac Sol corpus, atque ita imago mulieris non apparuisset. Supra pedes etiam non potuisset poni, quia sic cum Sole fuisset quodammodo confusa. Quare pedibus subjecta fuit. Sed deinde & ea potuit accedere ratio, quòd Christus quem per Lunam designari censemus, sit veritatis euangelicæ fundamentum, ac firmamentum, cui illa valide innititur. Is est qui eam & olim stabilivit, & adhuc stabilit. Tanto autem minus hæc res absurditatis habet, quòd non Ecclesiam ex hominibus constantem, sed ipsam veritatem Euangelicam per hanc fœminam designari credimus, quam supra Christum statui, ita nimirum ut ipsi innitatur, facilius dici potest, quam si de Ecclesia id dicas, de qua tamen nihil prohibet idem pronunciari. Ut ergo breviter sententiam horum Johannis verborum Lunam sub pedibus hujus mulieris positam fuisse asserentis explicemus, vel potiùs repetamus, id significat, Christum quoque cui veritas Euangelica penitus innitatur ei de sua majestate authoritatem ac venerationem largiri: quandoquidem ideo veritas Euangelica tanti æstimanda est, quod eam Christus, tantus non modò olim propheta, sed nunc etiam Rex cœlestis, summa secundum Deum majestate ac gloria circumfulgens, & tradiderit olim primus, & confirmaverit, eamque perpetuo foveat, fulciat, ac stabiliat. [Obiter notetur diversa ratione Christum, diversa autem ipsius Ecclesiam firmamentum veritatis esse 1 Tim. 3. ℣. 15, Christus eatenus quatenus & veritatis illius inter homines auctor est, & causa secundum Deum primaria auctoritatis illius ac fidei quam ea meretur. Ecclesia verò eatenus quatenus ejus auctoritatem ac veritatem agnoscendo, eamque veritatem profitendo, quandam veluti sedem præbet, & auctoritatem illam veritatis quodammodo fovens, eam hominibus aliis in se conspiciendam exhibet, tanquam in illustri quodam loco ac columna positam. Quare si authoritas Christi, quod tamen impossibile est, concideret, authoritas etiam euangelicæ doctrinæ penitus concideret atque evanesceret. At si concidat Ecclesia, non quidem authoritas doctrinæ Christi plane perit, sed sese non ita conspiciendam præbet, & veluti de stabili ac illustri sede dejecta, humi jacet, prostrata, contemta, atque abjecta. Quanquam ita ut ab hominibus oculatis ac prudentibus agnosci nihilominus, & à contemtu vindicari iterum possit. Perinde ut aurea statua quæ antea firma quadam in sede atque in columna aliqua valida præaltaque fuerat posita, si dejiciatur, contemta quodammodo jacet, præsertim si luto conspersa ac pulvere fœdata sit; pretium tamen revera non perdit, utut fortasse non ab omnibus, aut denique à nemine agnoscatur: Sed fieri tamen potest ut quis diligentius eam contemplans auream esse & meliore loco dignam agnoscat, & suo iterum loco reponat. Alia autem ratione hic Christum fundamentum veritatis dicimus, alia Paulus eum fundamentum appellavit 1 Corinth. 3. ℣. 11. Etenim hoc loco Christus non consideratur ut pars istius veritatis, quemadmodum fundamentum est pars domus totius; sed tanquam auctor veritatis Euangelicæ, quatenus nimirum ea ab hominibus agnoscitur agnoscive potest, & ut causa efficiens authoritatis quam ea doctrina habet. At Paulus in illo ad Corinthios loco Christum metonymice sumit pro ea veritatis seu doctrinæ Christi parte quæ fundamentalia ut loquuntur ejus capita, seu dogmata ad salutem omnino necessaria complectitur: ita ut Christus illic consideretur ut pars divinæ veritatis, sed pars ejusmodi quæ reliquarum sit veluti fundamentum, hoc est cui alia dogmata ad salutem per se non necessaria veluti superstruantur. Itaque triplex inter eam qua nos hic utimur fundamenti significationem & inter illam Apostoli dicto loco apparet discrimen. 1. Quod nos Christum proprie hic accipimus, Paulus illic impropriè, & quidem per metonymiam causæ efficientis, aliqua etiam ex parte, subjecti. 2. Quòd nos hic Christum fundamentum dicimus quia sit causa efficiens tum doctrinæ Euangelicæ tum authoritatis quam ea habet: Paulus vero dicto loco Christum fundamentum dicit, quia sit pars prima ac præcipua veritatis euangelicæ, ac primo omnium tum proponenda, tum discenda. 3. Unde & tertium protinus discrimen patet, quod nos Christum non ut partem veritatis Euangelicæ spectamus; Paulus autem tanquam partem.]

Sequitur nunc tertia ornatus hujus mulieris pars, cum dicitur fuisse *supra caput ipsius coronam* hoc est sertum, *stellarum duodecim*, hoc est ex stellis 12 constantem. Per stellas 12, intelligi 12 Christi Apostolos, vel numerus ipse satis indicat. Etiamsi enim ad Apostolorum illorum præcipuorum numerum postea decimus tertius accessit Paulus; numerus tamen à Christo primum institutus, tum propterea, quòd rotundior sit, & præterea ob 12 tribus Israeliticas magis in rebus sacris celebratus, & quia primo omnium inter Christianos innotuit, etiam postea fuit retentus, Paulo cum ipsis veluti computato: qui prope unus omnium illorum vices apud Gentes obiit, eas Judaicæ genti seu 12 illis tribubus veluti inserens, ut ejus gentis bonorum à Deo illi destinatorum participes fierent. Unde & infra cap. 21, videmus muri urbis illius cœlestis fundamenta numerari 12, in quibus scripta fuerint nomina 12 Apostolorum Agni. Comparantur autem Apostoli stellis, quia quemadmodum post Solem & Lunam nulla alia sunt illustriora luminaria quam stellæ, & in numero sunt non terrestrium luminarium sed cœlestium; ita post Deum ac Christum nulla sunt illustriora in religione lumina, nobis aliqua ratione conspicua quam Apostoli: & illi de sua auctoritate ac splendore, auctoritatem quoque ac splendorem venerationemque veritati cœlesti conciliant: quam ob causam etiam dicuntur instar coronæ alicujus capiti hujus mulieris impositi. Etenim quia tum ex miraculis Apostolorum, aliisque divini spiritus donis, quæ in ipsis eluxerunt, itemque ex singulari illorum sanctitate, & in afflictionibus ob veritatem perferendis constantia ac patientia, eorum eluxit auctoritas; eo ipso doctrinæ quoque quam inter homines promulgarunt quamque istis rationibus stabilitam

litam voluerunt, effulsit auctoritas, atque adhuc effulget; ideo inquam inter alia fidem ac venerationem apud omnes meretur Christi doctrina, quia tam divinos viros quorum authoritas undique effulsit, habuit præcones ac defensores. Itaque hac veluti corona sese jactat divina veritas, & de iis meritò gloriatur. Apostoli hic considerantur ratione habita muneris & rerum istarum quæ illis authoritatem muneri ipsorum convenientem conciliarunt: quales fuerunt ipsorum miracula, & reliqua divini spiritus dona quæ in ipsis eluxerunt, sanctitas vitæ, constantia & patientia in afflictionibus. Doctrina autem ipsorum hinc animo sejungenda est: continetur enim hæc in ipsa illa fœmina quam hæ stellæ ornarunt. Authoritas enim Apostolorum quæ in eo consistit quod pro Dei Christique legatis habendos esse apparuit, conciliavit & doctrinæ ipsi authoritatem, quæ in eo consistit quod & ipsa pro divina sit agnoscenda, & summa cum veneratione recipienda, retinenda, exsequenda. De positu harum stellarum, jam ante satis est dictum. Quod autem coronam quandam confecerint, id & concinnitas rei, & significatio aliquomodo requirebat. Concinnitas rei, quòd stellæ illæ, cum plures essent, instar pulcherrimorum florum inter se nexæ, sertum quoddam elegantissimum conficere possent, quodque cum nulla amplius restaret hujus mulieris pars quæ ornatu indigeret, eumve admitteret, præter caput, sertum seu corona ei ornando fuit omnium accommodatissima. Præsertim cum & virgini, licet divina virtute veluti prægnanti conveniat, & corona eximii ornamenti genus sit. Quæ duo postrema, etiam ad rem hac stellarum imagine significatam pertinent. Apostoli enim ut vidimus insigne sunt veritatis euangelicæ ornamentum, hoc est insignem ei conciliant dignitatem ac venerationem; & puritatem atque integritatem ejus intemeratam illibatamque arguunt. De quo posteriori supra nonnihil diximus, quum docuimus allusionem quandam hic esse ad Mariam virginem, quæ illibata pudicitia Christum fuit enixa.

Ornatu ac splendore istius fœminæ id est veritatis euangelicæ, viso, jam porrò etiam videndum est quomodo sit descripta illius etiam vis ac conatus in hominibus ad se pertrahendis, iisque veluti pariendis. Quæ res describitur vers. 2 his verbis: *& in utero habens clamat, parturiens & cruciatus patiens, ut enitatur.* Significatur his verbis veritatem euangelicam non esse nec debuisse esse sterilem, ita ut nemo esset qui ei adhæreret, & ab ea veluti formatus, Dei evaderet proles; sed & hanc vim habuisse veritatem euangelicam ut homines ad se pertraheret, & sic Christianos efficeret, ac morum sanctitate ornatos dignos Dei filios redderet: nec efficaciam tantum hanc illi fuisse, sed eam ideo etiam hominibus fuisse propositam, & in id illius & authorem Deum ac Christum, & præcones post Christum Apostolos incubuisse, ut quàm plurimi ad ejus cognitionem, & porrò ad vitæ rationem ei consentaneam adducerentur. Dolor autem ille ac cruciatus, & ab illo expressus clamor, significat quanta id cum difficultate, quanto cum labore, ac contentione, imò etiam doloribus summisque molestiis eorum fuerit conjunctum qui Deo ita jubente in hanc rem incubuerunt. In quo numero primus fuit Christus, deinde ipsius Apostoli, aliique viri divini qui eorum fuerunt in veritate promovenda adjutores: quorum summa exstitit & in docendo fides ac diligentia, & in ea ubique spargenda hominibusque inculcanda labor, anxiaque cura ac solicitudo, & in illa tuenda ac propugnanda constantia, patientia, milleque molestiæ, pericula, tormenta, ac mortes denique acerbissimæ. Sanè vel unus Paulus documento esse potest: de cujus laboribus, noctes ac dies exantlatis, anxia salutis alienæ cura, periculis innumeris, atque immensis, satis & Acta Apostolorum, & ipsius Epistolæ loquuntur. Atque inter alia insignis est & huc aptissime quadrans in epistola ad Galatas locus, ubi ita eos affatur, cap. 4. vers. 19: *Filii mei quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus*, hoc est donec Christi veluti forma in vobis exprimatur, jam propemodum fraude quorundam deleta. Tribuitur autem hoc totum veritati euangelicæ quia ipsa sub fœminæ imagine fuerat Johanni ostensa: fœminarum autem solarum est parere: cumque partus sine dolore fieri non soleat; quicquid doloris fuit exhaustum in hominibus ad veritatem pertrahendis, & eis veluti refigendis ac formandis, id veritati attribuitur. Potestque id fieri per metonymiam effecti, seu metalepsin nominare malis: nempe quia illi qui veritatis euangelicæ fuerunt secundum Deum ac Christum sive auctores, sive promotores, ac patroni, istos labores molestias doloresque ea in re pertulerunt. Quanquam non injuria dici potest, hoc quod de dolore istius fœminæ & clamore inde orto dicitur, emblema tantum esse: hoc est, nihil habere quod ei in re quam divinus spiritus denotare voluit omnino respondeat: sed tantum servire concinnitati figuræ seu imaginis quæ ad rem significandam adhibetur. Voluisse enim divinum spiritum id tantum significare, veritatem euangelicam, & eam habuisse vim, & ideo à Deo propositam esse, ut homines ad sese pertraheret, eorumque animos ac mores refingeret: Id quod eo significatur quòd prægnans fuerit & parturierit. Quia verò partus propriè dictus sine dolore perfici non solet, è dolore autem oritur clamor, ideo etiam hæc mulieri illi attribui potuerunt. Præsertim quia vix alia ratione in imagine hac cernere potuit Johannes eam parere velle: quum cæteroquin esset amicta Sole, nec videatur ipsi apparuisse aliquis uteri tumor.

Accedendum nunc est ad alterum primæ partis membrum, in quo describitur veritatis euangelicæ adversarius Satan, ejusque vis ac conatus in veritatis professoribus perdendis, ac salute sempiterna privandis. Descriptio ipsius continetur vers. 3, & parte priori quarti. Primum autem ut vers. 1, ita & hoc, generalibus verbis rem proponit Johannes, dum ait: *Et apparuit aliud signum in cœlo.* Deinde in sequentibus rem specialius explicat. De voce *signi*, dictum est satis vers. 1. Quod autem dicitur id in cœlo apparuisse, id primò quidem simplicem habet sensum, nempe quod Johanni hæc imago in cœlo seu sublimi illo loco in quo astra sunt posita apparuerit; sed in re quoque significata videtur habere quod respondeat, nempe Satanam qui per istam imaginem designatur, cum veritas euangelica primum appareret, in rebus ad religionem pertinentibus locum adhuc suum tenuisse, & velut in sublimi positum fuisse, antequam inde dejiceretur, & à Christianis devictus, sede sua quodammodo exturbaretur. Etenim regnum quoddam videtur inter homines antea obtinuisse, præsertim inter gentes extraneas, quarum sacra, si modò hoc nomen merentur, Satanas gubernavit, & quæ fuerunt ab illis sacrificia oblata, ea dæmoniis immolata fuisse, Paulus testatur, 1 Cor. 10. 20. Necesse autem etiam ob eam causam fuit ut Draco hic mulieri insidians, in cœlo collocaretur. Etenim cum mulier illa plane cœlestis esset cœlestique sede dignissima, Draco quoque illius fœtui in primis quem enixura esset, insidians, & deglutire eum volens, fuit in cœlo ponendus. Nam alioquin si in terris aut non longe à terris fuisset collocatus, longe ab illa muliere, insidiari ejus fœtui non potuisset, nec ullam ejus devorandi spem concipere.

Jam ut ad specialem ejus imaginis descriptionem accedamus, ita depingitur Satan, ut ejus in primis crudelitatem ac potentiam, addere licet & astum, oculis quodammodo ipsis cernere possimus. Etenim draconis eum imagine nobis ante oculos ponit, cujus adjuncta, deinde etiam partes, earumque sive adjuncta sive etiam effecta quædam enarrantur. Quæ singula antequam videamus, illud animadvertendum est hoc loco, non solum principem dæmoniorum videri nobis sub hac draconis imagine depictum, sed una cum aliis quoque principibus qui sunt imperii illius socii atque administri, quemadmodum paulo post apparebit. Draconi autem ideo divinus spiritus comparavit Satanam, quia draco crudelissimum

ac venenatissimum simul est animal, ac maxime terribile: cumque in serpentum sit genere, aut etiam ex serpente veluti natum, etiam astu valet. Quæ omnia in Satanam apprime quadrant. Est enim crudelissimus, ac in perniciem nostram semper intentus, habetque in se exitiale ac letiferum plane venenum: hoc est vires atque artes quibus nobis extremam perniciem, nisi Deus prohibeat, & nos ipsi nobis caveamus, comparet; Et astus illi inest, qui ad venenum quoque illius referri, aut cum eo conferri non immerito potest. Unde etiam jure nobis est metuendus, & diligentissime ab illo cavendum. Adjuncta porro ejus duo exprimuntur, nempe quod fuerit & *magnus* & *rufus*; quæ res, illas quas diximus qualitates ob quas Draconi Satan comparatur magis augent. Et primum vires illi insignes quibus ille ad nocendum nobis utitur esse demonstrat. Quanquam enim & ipsa *draconis* vox aliquid serpente grandius denotat; sunt nihilominus & dracones alii aliis majores, grandiores, ac porro etiam validiores, magisque metuendi. Itaque ostenditur Satanæ magnas admodum ad nocendum vires esse. Quod vero *rufus* dicitur, id majorem ipsius crudelitatem ac nocendi cupiditatem significat. Nam quum natura sua omnis draco crudelis sit, non est tamen dubium, alios aliis esse crudeliores, & nocentiores. Rufus autem iste color crudelitatem majorem, & vim veneni igneam videtur indicare.

Jam porro ut ad partes ejus accedamus, earumque adjuncta vel effecta; primum capita cum suis adjunctis describuntur, deinde cauda, ejusque adjuncta effectaque. *Capita* dicuntur illi fuisse *septem*. Adjuncta capitum istorum sunt, *cornua decem*, (quanquam hæc quoque pro partibus draconis haberi debent) & *diademata septem*, capitibus illis imposita. Per capita illa intelligi videntur principes ac suprema capita exercitus illius malignorum spirituum: præsertim cum postea dicatur, singula capita habuisse singula diademata, quæ sunt regiæ supremæve potestatis indicia: quanquam & alias capitum nomen ac figura significationem istam habere potest. Commemorantur autem ἀρχαὶ seu principatus malorum illorum spirituum inprimis ad Eph. 6. ỷs. 12. & Col. 2. vers. 15. Quibus locis adjungi potest & ille 1 Cor. 15. vers. 24. Ubi dicitur Christus aboliturus omnem principatum: qua de re in Commentario. Adde & ad Rom. cap. 8. 38. Neque enim est quod quis dicat, cum Sacræ Literæ significent, unum esse malignorum spirituum principem, cujus cæteri dicuntur esse angeli, ut Matth. 25. 41. dicitur, & vers. 7. hujus capitis, de quo postea agetur, & Paulus ad Ephes. 2, commemorat principem potestatis aëris, unum aliquem qui cæteris omnibus summa cum potestate præsit denotans; non posse plures esse illorum spirituum principes, seu summa capita, supremamve in suo genere potestatem habentia. Etenim fieri potest, ut plures quidem sint qui supremam potestatem in eo exercitu habeant, & interim tamen unus eorum prærogativa quadam præ cæteris gaudeat, & authoritate, uti & angelorum subjectorum multitudine, ac robore, cæteris omnibus antecellat: qui proinde interdum simpliciter princeps malorum spirituum appelletur. Fieri enim vix potest quin inter plures eodem cæteroqui potestatis ac imperii genere præditos unus aliquis emineat, & si inter illos sit societas, aliquis eorum sit fœderis princeps. Quid quod ex hoc ipso loco aliquomodo colligi potest, necesse omnino esse ut aliqua saltem sit virium inter illa capita imparitas. Etenim cum *capita* tantum fuerint *septem*, *cornua* autem *decem*; necesse omnino est ut quædam tantum singula habuerint cornua, & minimum quidem quatuor, reliqua tria, bina: vel ut nobis verisimilius videtur, unum ex illis habuerit 4. reliqua verò singula tantum. Nisi quis dicere velit, unum habuisse tria, alterum duo, cætera quinque singula. Sed ut dixi, credibile valde est, unum ex illis capitibus cæterorum singula viribus admodum superare. Quod fiet, si unum ex illis capitibus dicatur habuisse cornua 4. Sic enim unus ex illis principibus habebit duas tertias partes exercitus cæterorum principum omnium simul junctorum. Unde non injuria ille interdum unus totius illius societatis atque exercitus princeps dici potest. Sic olim Romani Latinos in fœdus, adsciverunt, ut Latini quidem non sub imperio Romanorum revera essent, seu eorum evaderent subditi; sed Romani tamen fœderis essent principes, & sub eorum vexillis ac signis Latini quoque militarent, & imperatorem in bello a Romanis constitutum, quanquam non sine ipsorum quoque suffragiis, & ipsi agnoscerent. Causa autem cur non videatur hic unus aliquis imperium habere in cæteros omnes, ita ut hi sint illius subditi, hæc est. 1. Quòd nomen principatus, quod quibusdam ex malis spiritibus tribui vidimus, id ferre non videatur: cùm ea vox supremum in suo genere imperium ac potestatem denotet: præsertim cùm ab ἐξουσίαις seu potestatibus in locis supra annotatis distinguatur. 2. Quia capita hæc Draconis 7, quæ hoc loco enumerantur, dicuntur habere etiam 7 *diademata*. Diadema autem regiæ seu supremæ potestatis signum est: quæ non cadit in eum qui alteri sui generis subest.

Jam ut de *cornibus* dicamus, quæ capitum sunt adjuncta, per illa vel ipsum robur ac vires significantur Satanæ, quibus ad feriendos ac prosternendos eos utitur, quos suscepit impugnandos, vel ii qui vires illas in se quodammodo habent, quibusque Satanas ad feriendos ac prosternendos hostes suos utitur. Sic Agnus dicitur habere septem cornua, superius cap. 5. vers. 6, quibus denotatur robur septemplex seu mavis robusti septem spiritus Christi, per quos ille hostes suos ferit. Infra cap. 13, introducitur similis huic Draconi bestia, quæ dicitur habuisse capita 7, & cornua 10, & supra cornua ejus decem diademata: quæ postea explicantur, cap. 17. vers. 12, ubi dicitur, decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem ut reges unam horam accipiunt cum bestia. Sed hoc loco non cornua ipsa dicuntur habuisse diademata, verùm capita: cornua autem capitibus regio diademate insignitis addita statuuntur, ut vel ministri quidam horum capitum præcipui, ac valde robusti, quibus principes illi ad feriendos inimicos suos utantur, intelligendi sint, vel, quod nobis magis probatur, robur ac vires istorum capitum sive principum in istorum exercitibus seu legionibus subjectis consistentes, quibus hostes suos, impetant, oppugnent, ac prosternant, vel prosternere saltem conentur. Unde iterum apparet, quam metuenda sit hæc bellua, tam immanis tamque crudelis, vel potiùs is qui per hanc belluam seu draconem designatur, Diabolus.

De altero capitum istorum adjuncto, nempe de *diadematibus septem*, quid significent, jam dictum est, ut id repetere nihil sit opus. Sane cap. 13, videmus cornua diadematibus insignita reges significare, quòd id regium fuerit apud veteres insigne. Non idem planè est diadema quod corona, sed fascia quædam qua caput redimiebatur seu circumligabatur.

A capitibus porrò ad caudam progreditur Johannes, vers. 14. *Et cauda ipsius trahit tertium stellarum cœli, & projecit illas in terram.* Ubi non satis constat, utrum cauda etiam per se aliquam significandi vim habeat, an verò tantum ideo commemoretur, ut simpliciter significetur Satanam multos admodum qui stellis cœlestibus fuerint similes in partes suas pertraxisse, & effecisse ut sese sequerentur, non secus ac draco hic cauda visus esset traxisse post se tertiam stellarum partem. Possis & ita rem explicare, significare Johannem, Satanam omni ex parte viribus valere, & caudam quoque illius, licet mollior esse videatur ac flexibilior, adeo tamen esse validam ut tertiam partem stellarum trahere potuerit, atque adeo secum traxerit, & in terram projecerit: Ita ut non quidem res aliqua certa huic caudæ respondeat,

deat, sed simpliciter significetur, quàm sit ab omni parte ad nocendum potens. Et hoc posterius magis nobis probatur quàm prius. Quod verò de astu à nonnullis dicitur, qui per caudam significetur, id propterea nobis non probatur, quòd non videantur illi homines qui per stellas significantur, astu circumventi, vel saltem non tam astu, quàm vi ac persequutionum gravitate, ut paulò post dicetur. Minus autem adhuc illorum probanda est sententia, qui per caudam Antichristum nominatim intelligunt. Apparet enim Satanam & caudam hanc habuisse, & ea ad stellas trahendas dejiciendasque usum fuisse, antequam Antichristus exoriretur: hoc est ante illos dies 1260, quibus mulier ista in deserto vivere cœpit. Adde quòd quum cauda infimum ac vilissimum abjectissimumque in re quapiam significare soleat, non satis video cur Antichristus pro omnium infimo Satanæ instrumento censeri debeat. Sanè apud Esaiam cap. 9. ℣. 15. qui locus à nonnullis ei rei probandæ citatur, propheta quidem docens falsitatem, dicitur esse cauda, non quòd cauda semper prophetam falsum significet, sed quòd tum temporis contingeret, ut nulli alii essent viliores, coram Deo præsertim, in populo Israëlitico, quàm falsi prophetæ. Id potiùs hoc Esaiæ testimonio comprobatur, caudam sumi pro re vilissima atque abjectissima: Uti & apud Mosen, Deut. 28. vers. 13. & 44. Ut jure statuere possimus, id significare velle divinum Spiritum, Satanam undiquaque esse ad nocendum satis instructum, ut nihil sit in ipso tam vile tam abjectum, quin ad nocendum, & quidem etiam iis qui stellarum cœlestium instar sunt, valeat. Unde apparet quantopere hîc hostis sit metuendus, quamque miraculosum censeri debeat quod hæc mulier & ejus proles vim illius effugerint, imò etiam, ut infra videbimus ejus proles ipsum vicerit. Jam ut ad effectum hujus caudæ progrediamur, is exprimitur illis verbis, quod traxerit, (præsens enim *trahit* pro præterito traxit, positum videtur) tertiam stellarum cœli partem, easque in terram projecerit. Qua in re manifesta est allusio ad verba quæ apud Danielem exstant, cap. 8. vers. 10. de Antiocho Epiphane pronunciata. Dicitur enim ibi eum sese magnificasse contra exercitum cœli, hoc est populum Judaicum, adeo ut dejecerit in terram de exercitu illo, & de stellis ipsis, easque conculcaret. Ubi per stellas intelliguntur illius populi principes, ac viri maxime inter cœteros illustres, qui in Republica, vel inter eos qui Sacris fungebantur instar stellarum quarundam effulserint, quos Epiphanes ille partim sustulit, devictos, partim etiam à vero Dei cultu ad idololatriam, à Lege Dei ad profanam gentium superstitionem pertraxit. His viris inter Judæos illustribus, aut nominis ac dignitatis splendore quodam, aut sapientiæ fama claris, respondent in hac Johannis prophetia viri in Ecclesia Christi insignes, atque inprimis Ecclesiarum, ut eos Christus vocavit Angeli, hoc est custodes illis divinitus appositi, hoc est Episcopi ac Doctores. Hos enim Christus supra cap. 1. ℣. 20. per stellas significari asseruit. Quare id hoc loco vult significare divinus spiritus, Satanam effecturum ut magnus pastorum ac Doctorum Ecclesiæ numerus, cui & aliorum in Ecclesia insignium virorum multitudo adjungi potest, ab ipso devictus, partes ipsius sequatur, & à cœlestibus curis ad terrenas, seu mavis è cœlesti statu in infimam teterrimamque sortem dejici se patiatur. Quod argumento est, quantopere cæteris hostis hujus potentia sit metuenda.

Hoc pacto cum descripsisset Satanam divinus spiritus, ipsius quoque conatum in Christianis hominibus perdendis & salute æterna privandis describit, his verbis: *Et draco ille stetit coram muliere quæ esset paritura, ut ubi peperisset, prolem ejus devoraret.* Quod dicitur stetisse draco ille coram muliere, id non tam per se quidpiam significat, quam cum eo quod sequitur conjunctum, nempe quod inhiaverit fœtui hujus mulieris Draco, hoc est quod Satan id egerit ut simulatque veritas Euangelica homines aliquos ad seipsam pertraxisset, eosque reformasset, eos ipse sua crudelitate à fide ac pietate abductos æternum perderet, seu devictos exitio sempiterno involveret. Neque enim absorbere aut devorare illam prolem, hoc loco est vitam ei temporalem eripere, sed perniciem sempiternam afferre: quod tum demum fit quum quempiam Satanas vincit, & sua crudelitate à Christo abductum in suas partes pertrahit.

Sequitur jam tertia pars primi membri, nempe qui fuerit illius conatus eventus, tum veritatis euangelicæ, tum adversarii ipsius nempe Satanæ, hucusque descripti. Primo autem exponitur eventus illius conatus quem veritas Euangelica in hominibus ad se perducendis ac reformandis adhibuit. Secundo de eventu conatuum Satanæ agitur. Ille lætus ac felix est, & his verbis exprimitur vers. 5. *Et peperit* scilicet fœmina illa, *filium masculum, qui pasturus est omnes gentes virga ferrea.* Significatur autem, veritatem Euangelicam id perfecisse quod quærebat ac conabatur, vel potius quod quærebat Deus ac Christus, & veritatis Euangelicæ præcones: pertraxisse nimirum homines ad veritatem amplectendam, & mores ad ejus præscriptum componendos: quod cum fit, homines è veritate illa veluti nascuntur. Ut autem tanto magis ostendatur, quam felix ille conatus, seu mavis conatus illius eventus fuerit, proles veritatis describitur ac commendatur. Primo dicitur eam peperisse *filium, masculum.* Quod non multos memorat, sed *filium* tantum singulari numero, id datum est similitudini, seu rei sub cujus imagine partus spiritualis exprimitur: quandoquidem fœminæ ut plurimum singulos tantum fœtus uno partu eniti solent. Adde alteram causam, quod hoc pacto elegantior ac concinnior est allusio ad Mariæ virginis partum, ac Christi unius nativitatem. Satis enim ex sequentibus apparebit ad Christum virginis filium hic alludi, & hanc prolem cum illo conferri. Cæteroquin satis apparet ex vers. 17. hujus capitis, semen hujus mulieris non unum aliquem hominem fuisse, sed multos: quandoquidem dicitur draco bellum gessisse cum reliquis de semine ejus mulieris qui observant mandata Dei & testimonium habent Jesu Christi. Quod vero dicitur peperisse filium *masculum*, ubi vox alterutra videtur quodammodo redundare, in eo partim allusio est ad Christum, quem Maria peperit, partim masculus prolis euangelicæ veritatis animus ac robur significatur. Quod verò subjungitur, *qui pasturus est omnes gentes virga ferrea*, id ad eandem rem melius declarandam pertinet, ac summam illius prolis dignitatem ostendit, in certo quodam ac valde insigni illius effectu positam. Allusionem hic iterum est ad Christum Mariæ vel potius ipsius Dei filium, de quo Psal. 2. dicitur, quod pascere debeat gentes virga ferrea, hoc est duro eas imperio coërcere, & si contumaces ac rebelles esse pergant, instar vasorum fictilium confringere ac perdere. Sed idem tamen superius cap. 2. vers. 26 & 27, promittitur illi qui vicerit & servaverit usque ad finem opera Christi. Ait enim Christus, *Dabo illi potestatem super gentes, & pascet eas in virga ferrea, tanquam vasa figulina conterentur*, id est conterentur. Ubi dubium non est quin ad futurum demum sæculum respiciat, quandoquidem de eo sermo est, qui usque ad finem, hoc est ad mortem usque opera Christi servaverit. Huic præmii loco promittitur potestas tanta in gentes ut eas virga ferrea pascat, & vasorum figulinorum instar confringat. Sed hoc nostro loco nihil prohibet quominus etiam ad hoc seculum id referatur. In quo præludium atque imago quædam cernitur futuræ illius supra gentes potestatis & victoriæ quam de iis pii referent, atque interitus quem illis afferent. Etenim cum pii de gentibus omnibus hoc est omnibus terrarum populis fidem Christi non habentibus, victoriam referunt, nec

nec se ab illis, à fide ac pietate variis licet armis omnique machinarum genere oppugnati, depelli patiuntur, hac ipsa ratione, utut ipsi occidantur, gentes tamen prosternunt, & interitus ipsorum causa sunt: non secus atque si eos virga non molli aut fragili, sed ferrea ac durissima castigarent ac contunderent. Sed longe pleniori sensu hæc promissio implebitur in futuro seculo, cum pii ad immortalem vitam ac gloriam translati, cum Christo regnabunt, gentibus omnibus ipsorum causa prostratis ac perditis, & ipsorum potestati quodammodo subjectis. Quia enim pii interitus ipsorum causa quædam erunt, quanquam per accidens, partim quod exemplo eas suo summæ contumaciæ atque impietatis arguent, & omnem excusationem illis adiment, quod non crediderint piis illis facem præferentibus & exemplo præeuntibus: partim quia ab illis fuerunt oppugnati, & varie afflicti: quæ afflictio piorum, æternum affligentium interitum meretur; hinc recte dicitur, quanquam non sine tropo, pios potestatem quandam habituros in gentes, & eas esse pasturos, seu mavis coërcituros virga ferrea, & vasorum fictilium instar confracturos. Præsertim quia illi è morte erepti, cum Christo capite suo, qui id revera potentia sua est effecturus, penitus conjungentur, & judicium una cum illo quodammodo exercebunt. Unde Paulus ait nos mundum & angelos denique, nempe malos, judicaturos, seu damnaturos, 1 Cor. 6. Metaphoram hic esse ductam à pastoribus qui pecus virga aliquando coërcent & petulantiam ac contumaciam reprimunt, satis unicuique apparet. Sed in eo à metaphora disceditur, & in similitudine dissimilitudo ostenditur, quod illi non ferreo baculo sed ligneo, qui quidem verè baculus seu virga est, utuntur. Ea quæ proxime sequuntur, possunt quidem non minus quam ea quæ modò explicuimus ad dignitatem hujus prolis ostendendam referri (uti sane magnam demonstrant) & sic ad eventum pertinere conatus fœminæ illius, seu veritatis euangelicæ; tamen jure haberi possunt pro parte aliqua eorum quæ spectant ad declarandum eventum conatuum Satanæ, de quo etiam ℣. sequente agitur. Est autem eventus conatuum Satanæ quodammodo ambiguus: partim enim ipsius desiderio respondet, partim verò haudquaquam, & quidem magis ipsius cupiditati adversus censeri debet, quam ei consentaneus. Est autem eventus ille duplex: prior vertitur circa prolem istius mulieris, qui Satanæ conatui valde fuit adversus; posterior autem circa hujus prolis parentem, veritatem. Prior exprimitur illis verbis; *& rapta fuit proles ipsius ad Deum & ad thronum ejus.* Irritus fuit Satanæ, & ipsi valde ingratus, quia non tantum absorbere ac perdere hunc mulieris filium non potuit, sed in locum longe feliciorem atque ad beatiorem statum proles illa veritatis fuit translata. Verumtamen id illi nihilominus gratum fuit, quod cedere ille filius fuerit coactus. Significat autem iste raptus ad Deum & ad ipsius thronum, quod pii quibus insidias struxerat Satanas, quosque suis artibus atque inprimis violentia, à fide ac pietate deterrere, & sempiterno exitio involvere voluit, utut per mortem ex oculis hominum sese subducere, & hoc pacto violentiæ Satanæ cedere cogantur, interea tamen haudquaquam pereant, & sic à Satana veluti absorbeantur; sed potius ad Deum transferantur, & in ipsius throno cum Christo collocentur. Cedit enim ipsis mors veritatis ac justitiæ causa suscepta in tantum apud Deum præmium ac felicitatem, ut Deus eos propterea in cœlum aliquando sit recepturus, & in throno suo collocaturus, quandoquidem Christi thronus Dei thronus est. Iis autem qui vicerint promittit Christus se eos collocaturum secum in throno suo, quemadmodum & ipse vicerit, & confederit cum patre suo in throno ipsius. sup. cap. 3. vers. 21. Regnabunt enim una cum Deo ac Christo, hoc est summa felicitate ac gloria una cum Deo ac Christo in beatis ipsius sedibus perfruentur. Dicitur autem *rapta esse* hæc proles ad thronum Dei propterea quod e periculo celeriter eripi visa fuit Johanni, cum ei inhiaret draco. Neque enim refert quod non protinus fideles in cœlum ita transferantur ut in Dei Christique throno consideant, & regno, hoc est regia quadam felicitate ac gloria divinæ simili fruantur. Nam nihilominus aliquomodo perinde est, atque si statim eo transferrentur à morte: propterea quod & certo atque immutabiliter hæc illis felicitas sit destinata, eosque maneat, & tempus quod interjectum est, eorum sensum planè effugiat, ac pro nihilo sit censendum. Adde quod hoc loco imaginis concinnitati fuit aliquid tribuendum. Etenim ut proles illa recens nata, fauces atque hiatus draconis ipsi imminentis effugeret, necesse fuit simulatque esset in lucem edita, celeriter inde abripi, & in locum tutiorem transferri. Nullus autem tutior est locus quàm Dei sedes ac thronus, ad quem nullus patet cuiquam hostium aditus. Esse autem hic iterum allusionem ad Christum, Mariæ & ipsius Dei filium, nemo non videt. Is enim non modò tum fuit ereptus ex insidiis Satanæ vitam ipsi eripere volentis, cum Herodes ipsum inquiri atque interimi jussit; sed multo magis tunc cum è morte ereptus, in cœlum translatus fuit, & in ipso Dei throno collocatus, imperium in omnia obtinuit. Itaque si Christum respiciamus, hic raptus ipsius ad Deum & thronum ejus antecedens est ejus quod præcesserat, quod nimirum pascere debuerit gentes virga ferrea.

Sequitur altera pars eventus conatuum Satanæ, quæ circa veritatatem, prolis illius parentem vertitur vers. 6. Successum eatenus habuit conatus Satanæ circa mulierem, quatenus eam fugere coëgit, & è societate hominum exterminavit eorumque oculis eripuit. Sed eatenus irritus atque inanis fuit, quatenus eam non sustulit penitus è medio ac perdidit, verum ea nihilominus ipsius insidias effugit, & in tutum locum sese contulit, ubi per multos dies alatur atque sustentetur. Cur illa mulier fugerit, aut quo pacto, inferius explicabitur plenius vers. 13 & seqq. ubi hæc visionis istius pars uberius describetur. Fuga autem illa *mulieris in desertum*, nihil aliud significat quam quod veritatis euangelicæ notitia inter homines paulatim fuerit exstincta, ita ut perinde fuerit ac si ex hominum oculis in locum quendam desertum atque ab hominum societate ac conspectu remotum abiisset, ita ut difficulter etiam inveniri ac conspici à quoquam posset. Nam & hoc ad fugam illam veritatis pertinet, quod non tantum evanuerit veritatis euangelicæ inter homines notitia, sed ita etiam obscurata fuerit veritas ut non facile à quoquam cerni posset. Quum verò dicitur mulierem illam *habuisse illic*, nempe in deserto *locum paratum à Deo, ut ibi alerent eam*, hoc est ut ibi alatur, *dies mille ducentos sexaginta*; id significat non penitus exstingui debuisse veritatem, sed ita à Deo conservari ac custodiri, ut mille quidem ducentos ac sexaginta annos in hominum conspectum ut ita dicam non prodiret, sed obscurata ac sepulta maneret; postea tamen iterum conspiciendam sese hominibus præberet, illisque innotesceret. Id verò ea ratione factum est, quod in istis ignorantiæ tenebris, postquam Christianum quoque orbem errores pestiferi occupaverint; nihilominus Sac. Lit. manserunt salvæ atque incorruptæ, ac singulari Dei providentia sartæ tectæ ad manus tandem nostras pervenerunt, in quibus veritas euangelica continetur, & inde disci à nobis potest. Adde quod non tantum illæ Sacræ paginæ fuerunt conservatæ, sed & earum authoritas exstingui haudquaquam potuit. Semper enim pro sacris ac divinis & fidem apud omnes merentibus fuerunt habitæ, duravitque ad nostra usque tempora vis earum rerum quibus veritas euangelica Sacris Literis comprehensa olim fuit confirmata. Itaque perinde est ac si veritas quæ in solitudinem remotam profugisset, illic fuisset singulari Dei providentia atque cura sustentata, ne moreretur, sed ut tandem reverti ad homines posset, & in ipsorum conspectum prodire. Mansit enim veritas, sed mansit ita ut ab hominibus tamen tum non agnosceretur,

retur, donec tandem Dei benignitate illis iterum fuit patefacta. De diebus istis jam diximus, per illos significari, annos, ut fit apud Danielem in 70 illis hebdomadibus, quæ inter sermonem illum Angeli cum Daniele, & inter Christi mortem, ac quæ eam mox sequuta est, unctionem seu evectionem ad regnum, intervenire deberent. cap. 9. ℣. 24 & seqq. Docuit id ipse eventus. Etenim si quis rem recte æstimet, tamdiu sepulta fuit salutaris veritas, si à temporibus Concilii Nicæni vel non multo pòst sequutis initium facias. Circa ea enim tempora reliquum quidem fuit aliquid de semine istius veritatis (nam infrà etiam post fugam mulieris, reliquias seminis illius remansuras fuisse significatur vers. 17.) licet ea jam hominum oculos effugere & vehementer obscurari cœperit, traditionibus humanis subinde crescentibus, & auhoritate humana magis magisque invalescente, & veritatem ejusque assertores opprimente, donec nullæ amplius reliquiæ ejus seminis quod veritas Euangelica peperisset, superessent.

Hucusque primam hujus capitis partem, & reliquæ etiam partis summam vidimus. Sequitur nunc altera pars capitis, in qua prior uberius explicatur. Id autem fit duplici ratione. Primò nova quadam visione interseritâ. Secundò postremâ visionis prioris parte fusiùs descriptâ atque expositâ. Visio illa nova describitur à vers. 7. usque ad finem vers. 12. In qua illud inprimis declaratur quod in priori visione dictum fuerat de conatu Satanæ in prole veritatis seu veritatis professoribus perdendis, & de infelici ejus conatus successu seu eventu, quanquam piis admodum læto atque optato. Ostenditur enim quomodo fidem ac pietatem professorum veritatis euangelicæ frustra oppugnaverit, & ab iis mascule repulsus cladem ingentem acceperit. Res autem ista nobis instar belli seu mavis prælii, & eorum quæ prælium consequi solent, depingitur. Et primum quidem rei summam breviter complectitur Johannes, deinde eam fusius ac specialius explicat. Illud præstat initio vers. 7. ubi dicit, *factum esse bellum*, seu prælium *in cœlo*. Dum dicitur hoc prælium in cœlo esse commissum, significatur sacrum hoc bellum fuisse, & circa religionem rebusque divinas occupatum, non vero terrenum ac vulgare, qualia in orbe terrarum multa ab hominibus geruntur. Rem deinde uberius explicans, primum exercitus duos adversos una cum suis ducibus describit. Deinde eventum pugnæ, seu cladem alterius partis exprimit: & denique ἐπινίκιον seu prædicationem illius piorum victoriæ de hoste teterrimo reportatæ, ac veluti triumphum quendam describit, & pugnæ breviter mentionem facit.

Primum ibi fit, *Michaël & angeli ipsius bellum gesserunt*, seu pugnaverunt *cum Dracone, & Draco bellum gessit* seu pugnavit, *& angeli ipsius*. Dux alterius partis dicitur fuisse Michaël, milites, angeli ipsius. Alterius autem partis dux, dicitur fuisse Draco, milites, ipsius angeli. Videtur autem omnino esse hic allusio ad id quod olim factum fuit, cum Satanas ob suum in Deum peccatum ac contumaciam, una cum angelis sibi adhærentibus, è cœlo fuit detrusus. Est enim credibile Deum ad eam rem adhibere voluisse Angelorum quoque exercitum, ut princeps angelorum alium principem, & exercitus angelicus alium exercitum angelicum sed contumacem atque impium, Dei virtute ac potentia fretus vinceret, & de beatis illis sedibus pelleret. Et si quid hic divinare licet, videtur vel ob id ipsum, princeps angelorum qui Satanæ fuit oppositus, nomen Michaëlis fuisse adeptus, quod Satanæ pro Deo se quodammodo ferenti, & ipsi sese aliqua ratione æquanti, semet opposuerit, atque hanc ipsius arrogantiam repressérit. Significat enim nomen *Michaël* Hebræis, *Quis sicut Deus?* quasi dicatur, Quis sese Deo æquare audeat? Videtur enim Satanas illius mali exercitus dux, reliquorum angelorum consortium veluti dedignatus, eosque pares ferre nolens, à cæteris secessisse, & peculiare sibi regnum instituere voluisse, seque hac in parte Deo quodammodo æquare conatum fuisse. Quod verba Judæ vers. 6, aliqua ratione significant, quum dicit eos *non servasse suum initium* hoc est statum primævum, seu in quo fuerant ab initio à Deo collocati, *sed reliquisse proprium habitaculum*. Videntur itaque mali illi angeli ita se gessisse, ac si pars exercitus è castris discederet, & peculiaria sibi castra constitueret, suoque ductu rem gerere vellet, spreto imperatore qui toti exercitui præsit, ejusque potestate contemta. Cujus factionis dux merito censetur sese velle summo imperatori æquare: quandoquidem suo arbitrio non ex imperatoris illius voluntate rem gerere velit, utut tandem aliqua ratione ipsius majestatem agnoscere velle videatur, nec se pro hoste protinus gerat. Sed ut ad locum nostrum revertamur, allusionem quidem hic censemus esse ad id quod olim in cœlis fuit inter angelos gestum; at non id hic nobis narrari statuimus, verum quippiam aliud sub illius pugnæ imagine nobis describi. Infra enim in epinicio satis manifeste ostenditur, exercitum hunc Michaëlis, non angelos revera sed homines Christianos fuisse, quandoquidem dicitur, eos vicisse draconem seu Satanam propter sanguinem agni, & propter sermonem testimonii ipsius, & non dilexisse animam suam usque ad mortem: ne de præcedentibus verbis quicquam dicam, quibus ostenditur, auspicio non Dei tantum sed & Christi hanc victoriam fuisse reportatam, & Satanam ibi considerari, non ut angelorum sed ut hominum piorum adversarium. Quapropter dubium non est quin angeli illi Michaëlis significent non proprie dictos Angelos, sed homines pios Angelis similes. Quodsi angelorum nomine non proprie dicti Angeli intelligantur, jam non tantum verisimile sed prope necessarium est ut per *Michaëlem* quoque non ipse Michaël Archangelus proprie intelligatur, sed is qui illi similis est, & non minus dux est hominum Christianorum, eorumque imperator à Deo constitutus quam Michaël est suorum angelorum. Is autem est Christus, suorum fidelium Dux atque Imperator summus, à supremo rerum Monarcha datus. Unde non immerito infra verbis Paulo ante citatis dicitur, eos propter sanguinem Agni vicisse: quasi dicat, illos ducem hac in parte habuisse ipsum Christum, qui sanguinem suum veritatis causa olim profuderit, & ejus constantia ac fortitudine simul ac victoria quam sanguine fuso reportavit, fretos, pugnam hanc cum Satana fortiter commisisse, & palmam sanguine suo impenso vitaque projecta obtinuisse. Duplicem autem ob causam *Michaëlis* potius nomine quam alterius alicujus Archangeli Christus hujus exercitus Dux fuit descritus. Prima causa jam indicata est, nempe quia olim quoque, uti fert conjectura, Satanæ ejusque Angelis oppositus à Deo fuit dux Michaël, una cum Angelis sibi attributis, & hostem illum impium debellavit ac profligavit. Sic enim & Christus nunc cum suis fidelibus Satanæ ejusque exercitui est oppositus, ut cum eo pugnans illum iterum quodammodo cœlo dejiciat, & regno quod circarem religionis habuerat inter homines, dejectum, proculcet. Quo accedit quod etiam alibi Michaëli cum Satana certamen fuisse legimus Judæ vers. 9. Quasi hic Archangelus Satanæ inprimis à Deo fuisset oppositus. Altera causa esse videtur, quod Michaëli olim cura populi divini nempe Judaici peculiariter fuerit demandata. Unde apud Danielem cap. 10. ℣. 21. princeps ejus populi dicitur, ut alii Angeli principes, vel Græcorum vel Persarum. Quare cum Christus sit princeps populi divini cui cura illius peculiarissima ratione est à Deo demandata; nullius Angeli nomine aptius quàm Michaëlis fuit descriptus. Hæc ergo de Duce melioris partis deque ejus exercitu dicta sunto. Pugnæ autem ipsius mentionem ita facit, ut tantùm commemoret quemnam oppugnarint illi, cùm dicitur eos *cum Dracone belligerasse*, seu pugnasse. Ubi nomine Ducis etiam exercitus ipsius intelligitur, usitata in vulgari etiam sermone loquendi ratione, qua solemus Duce nominato simul etiam exercitum ejus

intelligere. Ut cùm dicitur hunc aut illum Imperatorem cum altero pugnasse, eum profligasse, & si quæ sunt his similia. Est nempe pugna Christianis hominibus, quos per Michaëlis angelos intelligi diximus, non cum carne & sanguine, sed cum principatibus & potestatibus illis malignis; ut fusius docetur, Eph. 6. ℣. 12. propterea quòd Satanas ipsorum quoque maximus, ac quodammodo proprius est adversarius: quod & Petrus indicavit 1 Epist. cap. 5. vers. 8. Quo verò armorum genere pugnent Christiani cum isto Dracone seu Satana, dicto ad Ephesios loco fuse docetur. Est autem utrobique sermo de illa pugna quæ committitur inter Satanam & homines Christianos tunc cùm ille persequutiones adversus eos excitat ut ex vers. 11. satis apparet.

Jam quod ad alterius partis tum ducem tum exercitum attinet, id exprimitur illis verbis, *& draco belligeravit, & angeli ipsius*, intellige, cum Michaële & ipsius angelis. Quis sit iste Draco, jam antea diximus. Per angelos ipsius omnino videntur intelligendi dæmones illi subjecti. Hi enim Draconi isti tanquam imperatori suo militant, eique in oppugnandis Christianis hominibus, & persequutionibus adversus eos excitandis, ne de aliarum insidiarum atque certaminum generibus nunc quidquam dicam, subserviunt. Quod si quis putet, quemadmodum per Michaëlem huic Duci oppositum Christus, per ipsius angelos Christiani intelliguntur, uti ostendimus, similiter per Draconem seu Diabolum Michaëli oppositum, aliquem hominum impiorum antesignanum, per ipsius angelos, asseclas illius antesignani intelligi debere; præsertim cum Satanas non per seipsum sed per homines soleat nos oppugnare, & persequutiones adversum nos excitare; Animadvertendum est Sacr. Lit. solere nobis nihilominus constituere Satanam hac in parte adversarium: uti in illis tum Pauli ad Ephesios, tum Petri locis est manifestum. Idque propterea, quod Satanas homines malos ad fideles persequendos atque oppugnandos incitat, & totum hoc certaminum genus quæ moventur adversus Christianorum fidem ac pietatem, gubernet. Quanquam & alia quę Mundus facit ad nos à pietate abducendos, Satanæ adscribi solent. Quo accedit quod nimis aperte ℣. 9. per Draconem hunc Satanas describitur, & ea illi tribuuntur quæ nulli hominum competunt. Jam si per Draconem intelligitur Satanas, omnino verisimile est per angelos ipsius dæmones illi subjectos intelligi, ut utrobique ejusdem sint generis & Dux & milites. Præsertim cum, ut jam ante indicavimus, Angeli illi mali, Satanæ strenuam in Christianis oppugnandis operam præstent: nec tam ipse per se quam per hos suos emissarios, ipsos adoriatur. Interim haud negamus intelligi posse, aut etiam debere, Satanam & ejus angelos per homines impios nos oppugnare; licet hi ipsius Satanæ aut angelorum ejus nomine hic non intelligantur. Id enim pertinet ad ipsum modum pugnæ hic non expressum. Pugnam autem ipsam ac certamen uno iterum verbo expressit, dicens etiam Draconem *pugnasse* seu belligerasse, uti & angelos ipsius. De pugnæ vero genere ac modo jam satis est dictum.

Sequitur nunc alterum quod in hoc bello considerandum diximus, nempe pugnæ eventus, seu alterius partis clades, quæ exponitur ℣. 8. & 9. Ubi primum ostenditur Draconem cum suo exercitu victoriam non obtinuisse: deinde etiam toto ut ita loquar campo, imo universa regione cœli in qua pugnaverat, pulsum esse. Prius est ibi quum dicitur; *& non potuerunt*, hoc est non prævaluerunt adversus Michaëlem ejusque angelos, vincere Christum ejusque sectatores non potuerunt, ut pote Christi divina virtute confirmatos: non magis quam olim Michaëlem & Angelos ejus, cum Deus cœlo illos spiritus malignos pelli vellet. Posterius, primo proponitur, deinde uberius explicatur. Proponitur cum dicitur, *neque locus eorum repertus est amplius in cœlo.* Quod nos simpliciter diceremus, neque eos amplius in cœlo locum habuisse, seu eos cœlo prorsus fuisse pulsos atque ejectos. Qua in re quæ sit allusio ad ejectionem primam Satanæ & Angelorum ipsius è cœlo, satis jam est à nobis indicatum. Significari autem videtur Satanæ jam fuisse vim illam ademtam qua antea homines sibi quodammodo servire coëgit, & tanquam Deo cuidam sacrificare, & suum in religione præscriptum sequi. Etsi enim postea quoque per satis longum tempus denuo regnum videtur occupasse; id tamen summa quadam hominum ipsorum desidia atque improbitate contigit: non quod vires illis deessent sese à Satanæ imperio ac jugo sibi imposito penitus vindicandi, aut quod Satanas vires haberet tantas, ut vel invitos sibi servire cogeret. Quales aliqua ratione antea habuisse dici potest; præsertim inter Gentes, cum Deus eas per tot secula veluti neglectas, suis viis ire permisisset. Cæteroqui non frustra dixit Christus morti jam vicinus, Satanam *jam judicatum esse*, eumque *ejectum iri foras.* Joh. 12. 31. & 16. 11. Et Paulus pronunciavit, DEUM *exuisse principatus & potestates, & eas ostendisse palàm, triumpho de iis ducto, per ipsum*, nempe Christum, vel *per ipsam*, hoc est crucem Christi. Col. 2. 15. Antea igitur vires tantas habuit Satanas, ut homines vix ac ne vix quidem ex ejus servitute vindicare se possent. At postquam illæ per Christum ejusque crucem illi fuere ademtæ, homines ei iponte sua vires ad sese constringendos præbent. Adde quòd etsi videatur Satanas aliqua ratione erexisse thronum suum dejectum ac proculcatum; eo tamen sublimitatis ascendere non potuit, quò ante Christum inter gentes ascenderat. Neque enim illam tam nefariam πολυθεΐαν gentium restituere potuit quin unus tantum DEUS agnosceretur, ac Christus pro unico Servatore haberetur; licet veteris illius polytheiæ & idololatriæ imaginem restituerit. Itaque antea in cœlo tanquam Deus quispiam videtur habitasse, postea autem ubi vires suas aliquantulum recollegit in imagine tantùm cœli.

Uberior hujus rei explicatio continetur vers. 9. Ubi distinctius describuntur ii qui cœlo fuerant ejecti, & locus exprimitur in quem fuerunt conjecti. Etenim expresse & Dux exercitus impii nominatur, & non uno modo describitur, & ipsius Angeli expresse commemorantur, una cum ipso dejecti, & locus nempe terra nominatur, in quam ille dejectus fuerit, & hi una cum illo. Dux exercitus impii describitur, primum metaphorice, deinde proprie, expressis illius nominibus quibus in Sacris Literis appellatur, & à perpetuo quodam effectu ac ipsi proprio designatur. Descriptio metaphorica duplex est. Altera ea est quam jam superius vidimus, cum appellatur, *Draco ille magnus.* Cujus denominationis ratio jam est a nobis antea explicata. Altera descriptio metaphorica, illi vicina, & jam aliquid tamen de proprietate retinet, cum dicitur *serpens ille antiquus.* Ubi serpentis nomine, ipsius astutia ac fraus pestifera venenataque designatur. Et haud dubie alluditur ad historiam primorum parentum, quos serpens, & in serpente hic ipse fraudium ac dolorum architectus seduxit. Quæ causa etiam est inter alias vel præcipua cur dicatur serpens ille *antiquus:* nempe, quia jam olim, atque adeo ab ipsis mundi generisque humani primordiis serpentina sua astutia fuit ad homines perdendos usus, & primos nostros parentes in fraudem inductos una cum omni posteritate mortis æternæ servituti subjecit. Eo autem ipso significatur quantopere hic hostis sit metuendus, qui veteratorias has artes per tot secula jam exercuit. [Serpentum astus in eo videtur consistere quod pericula evitare solertissime norint, & sibi vitæque suæ optime prospicere. Et valde mihi fit verisimile, nisi tantas Deus inter homines & serpentes inimicitias posuisset, facile fieri potuisse ut & sermones hominum addiscere atque intelligere, præsertim de rebus sensui subjectis possent, seu de iis quæ concipi non adeo difficulter etiam à rudibus possunt. Cum videamus etiam alia quædam animalia quasdam hominum voces intelligere, & exinde actiones quasdam suas gubernare: quin etiam voces humanas imitari. Jam vero divinus spiritus in Genesi docet, cap. 3. ℣. 1. Serpentem fuisse animalium

malium vel bestiarum terrestrium ingeniosissimum. Quanta sit vis ingenii in Elephanto, grandi cæteroquin animali, in epistola quadam docuit Lipsius. Vide & horas succisivas Camerarii. Similia de canibus & equis Lipsium scribentem vide. Similiter ergo de serpentibus censendum erit, si illi omnium animalium sunt astutissimi: Sed nunc ea ingenii ipsorum vis non ita apparet, seu non ita sese exserere potest, sublato inter illos & homines commercio.]

Propriis deinde nominibus illum hostem describens, ait, *qui vocatur Diabolus & Satanas.* Quanquam enim per synecdochen generis, quam nonnulli antonomasian appellant, hoc nomen attribuitur dæmoniorum principi; tamen jam ipsius proprium quodammodo evasit, & non dubium est quin propria nominum istorum significatio ipsi maxime conveniat. Tribuitur autem illi utrumque καθ' ἐξοχὴν, quia utraque in re excellit; & si qui sunt calumniatores, aut adversarii, nempe DEI, iis spiritus iste malignus & exemplo præivit, & occulto hortatu atque consilio. *Diaboli* hoc est calumniatoris nomen, duplicem ob causam videtur sortitus. Prior est quòd ipsum Deum jam inde ab initio mundi generisque humani calumniari est ausus apud primos parentes: quasi invidia Deum impulisset, ad interdicendum illis usu arboris scientiæ boni & mali, quia nimirum veritus sit ne illi similes ipsi cæterisque cœlestibus spiritibus evaderent, quod futurum cerneret si de arbore illa scientiæ ederent parentes nostri. Quæ ipsius calumnia tanto fuit notabilior atque insignior, quod hac ratione interitum parentibus nostris primis totique humano generi attulit. Ut meritò propterea diaboli seu calumniatoris nomen invenerit: præsertim cum nec postea hanc improbitatem nocendique artem dedidicerit: & huc respiciens Christus dixit eum esse mendacem ab initio: Joh. 8. 44. Altera causa est, quod ut paulò pòst ỳ. 10 dicitur, sit accusator piorum, & quidem talis qui quacunque arte possit eos velit evertere, & à divina gratia excludere, quos accuset. Solet autem interdum voce διαβάλλειν significari accusare, utut verum sit crimen quod quis objecit: ut apparet ex Lucæ 16. ỳ. 1. At tanto magis accusatori calumniatoris nomen convenit, si varias artes ut reum peragat alterum adhibeat, quod Diabolum facere paulò pòst videbimus. Alterum verò nomen nempe *Satanæ* Hebræum esse, & adversarium significare eruditis notum est. Quia verò adversarius nomen est relatum, hoc loco cum pessimum quippiam denotat, Dei adversarium atque hostem, & eorum omnium qui Deo adhærent designat: ita ut quo quis Deo est propior, quantoque charior ac conjunctior, tanto magis Diabolum experiatur hostem. Conjunctissimus autem Deo est Christus, post Christum Angeli boni, ac homines Christiani, quos peculiari quodam odio ille prosequitur. Unde ipsorum nominatim adversarium dici à Petro, suprà vidimus. Sequitur tertio loco descriptio illius ducis impii, à proprio & perpetuo ipsius effectu, nempe quod *seducat orbem totum*, hoc est in eo totus sit ut universum hominum genus in errores, & multò magis in peccata ac scelera impellat, utque & ipsi Deo fiant rebelles efficiat. Eo enim illum & concepta jam olim impietas, atque in Deum odium, desperatione gratiæ recuperandæ confirmatum atque exstimulatum impellit. Ex quo iterum apparet, quàm metuendus sit, quamque diligenter cavendus hic hostis.

Descripto ad eum modum impii exercitus duce, commemoratur & locus in quem fuerit dejectus, dum dicitur *projectus est* (inquam) *in terram.* Ubi per Epanalepsin repetitur vox ἐβλήθη, initio hujus versiculi posita; ob hyperbaton longius, inserta prolixiore draconis illius descriptione. Quod autem dicitur in terram fuisse conjectus, id nostro judicio nihil significat aliud quam quod ex sublimi quodam statu in humilem admodum fuerit præcipitatus, ita ut jam humi quodammodo serpere cogatur, habita ratione tantæ tamque sublimis potestatis atque imperii quod antea in homines Deo ita permittente ac veluti connivente sibi usurpaverat: Quandoquidem terra respectu cœli, humilis vel potius humillimus est locus. Unde & apud Latinos humi repere aut serpere, est humili loco ac conditione esse: tollere autem sese humo, est ad meliorem conditionem adspirare, ac contendere. Quomodo autem id factum fuerit, jam antea est explicatum, cum egimus de illis verbis ỳ. 8. *Neque locus ipsorum repertus est amplius in cœlo.* Quanquam nonnihil adhuc forte dici poterit, ubi perveniemus ad illa ỳ. 12. verba, *Væ illis qui habitant in terra & mari, quia descendit Diabolus ad vos &c.* Non habet nunc Satanas locum amplius ubi vires suas fractas exercere possit, nisi apud homines nil nisi terram spirantes, & seipsos humo ut ita dicam tollere atque in cœlum erigere nolentes. Ex his jam sequentia quoque facile intelligi possunt, ubi quod de Duce impii exercitus dictum fuerat, de ipso exercitu quoque pronunciatur, dum dicitur, *& angeli ipsius projecti sunt*, intellige, in terram. Nam ut antea imperii ac dominatus principis sui fuerunt participes, ita postea etiam ignominiæ ac contemtus, ejusdem sui Ducis. Antea illi inter homines quodammodo regnabant, & tanquam minores quidam dii ab hominibus Ethnicis ubivis terrarum colebantur: devicto autem ipsorum principe & de fastigio regni sui deturbato, etiam ipsi sunt deturbati, nec amplius tantis honoribus afficiuntur, sed contemti ac viles quodammodo jacent.

Sequitur tertia visionis secundæ pars, nempe Epinicion, quo victoria tam præclara tamque salutaris fidelibus, infidelibus autem noxia, celebratur. Ad quod recensendum, primo aditum sibi parat, & quo pacto quove ex loco illud cani audiverit, indicat. Deinde ipsum nobis Epinicion à se auditum refert. Aditum sibi parat illis verbis ỳ. 10, quum ait, *Et audivi vocem magnam dicentem in cœlo.* Quia & plena voluptate ac lætitia, & digna omnium mortalium notitia hæc victoria erat, ideo voce magna seu admodum clara quæque audiri undique posset, fuit pronunciata. Pronunciata autem fuit *in cœlo*, atque adeo ab iis quorum status esset quodammodo cœlestis, quique cœli possent censeri incolæ, hoc est ab hominibus ut apparet piis: quandoquidem illi qui hoc epinicion canunt appellant Christianos qui Diabolum devicerunt fratres suos. Non angeli, quia hi nunquam homines fratres appellant. Fuerunt autem illi qui ita cecinerunt vel reliqui ex semine istius mulieris, quos post istam pugnam superfuisse, infra vers. 17 legimus: vel, quod magis aliquanto nobis probatur, illi ex Christianis qui 24 seniorum, & 4 animalium nominibus atque imaginibus in eadem Apocalypsi describuntur. Nam & hæc animalia homines designare, & quidem Christianos, patet ex cap. 5. ỳ. 9. Designantur autem per seniores illos & per animalia, Christianorum primi ac præcipui, qui proinde à cætero Christianorum aliorum, utut piorum, utut martyrum, censu distingui possunt, atque adeo in hoc ipso libro distinguuntur, ut apparet ex cap. 7. ỳ. 13 & sequentibus, & cap. 14. ỳ. 3. præsertim si & antecedentia & consequentia inter se conferantur. Et seniores quidem illi significare videntur tum Apostolos Christi 12, tum prophetas Novi Fœderis, Apostolis proximos: quibus numerus certus ad similitudinem Apostolorum, concinnitatis causa tribuitur. Per animalia autem Episcopi ac curatores Ecclesiarum; præsertim qui in primitiva Ecclesia vixerunt, & uberioribus divini spiritus donis fuerunt perfusi. Hi aliquoties coram Dei throno cecinisse, Deumve adorasse, aut laudasse dicuntur: ut nihil sit absurdi, si statuas eosdem vel aliquem ex illis hanc vocem pronunciasse, de qua nunc agimus. Neque vero huic interpretationi obstat, quod Apostoli ac prophetæ aliique divini viri quos hic præcipue intelligendos putamus, cum hæc pugna committeretur mortui fuerint. Etenim per prosopopœiam nihilominus ipsi loquentes introduci potuerunt: quia hæc oratio, ipsorum personæ, animo, ac conditioni esset accommodata, ita ut si adfuissent, ejusque pugnæ fuissent inspectores, id fuissent omnino dicturi. Eo sane pacto & seniores illi introducuntur loquentes etiam iis de rebus quæ longe post ipsorum mortem contingere debuerunt, suntque

in hoc libro descripta; ut in loco superius indicato cap. 7. vers. 13 & seqq. Qua de re nonnulla adhuc dicturi sumus inferius vers. 12.

Sequitur ipsum Epinicion, cujus tres sunt partes. In prima & ultima effecta commemorantur tam præclaræ victoriæ: in secunda ejus victoriæ ratio ac causæ explicantur. Prima est in illis verbis: *Nunc facta est salus, & potentia, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus.* Ubi effectus exprimitur hujus victoriæ, ad Dei Christique gloriam inprimis spectans. Est autem hic, quod tum temporis apparuerit salus Dei, hoc est auxilium divinum quod Deus hominibus sibi addictis præstitit, ut eos ab interitu sempiterno, quo illos involvere conabatur Satanas, vindicaret. Quanquam etiam ita possis, sensu vix quidquam mutato, exponere, ac si dixisset divinus spiritus: Nunc Deus salutem revera hominibus præstitit, & se præstare quoque velle docuit. Deinde & potentia ipsius seu robur summum apparuit, quandoquidem Dei virtute factum est ut Christiani homines cæteroqui tam infirmi, tam validum tam potentem tamque astutum hostem vicerint. Apparuit etiam regnum Dei, hoc est ipsius imperium ac jus quod in omnia habet: quandoquidem non passus est sibi velut è manibus extorqueri homines sibi addictos, & se homines eorumque animos sibi vindicare, ac suo sibi jure asserere demonstravit. Tum inprimis Deus regnare censetur cum adversarios atque æmulos suos submovet, & ne illi in hominum animis quodammodo regnent, efficit. Hostes autem isti sunt Satanas & fictitii Dii omnes atque idola. Hi enim tanquam rivales quidam Dei censentur, qui Dei imperium & honorem veluti invadunt, seu ad quos Dei imperium atque honor illi imperio conveniens præter jus fasque defertur. Appellant autem illi qui loquuntur Deum suum, hoc est benignissimum suum parentem, summumque benefactorem, quemque proinde ipsi vicissim ut tanto benefactore dignum est, colant. Addit deinde, *& potestas Christi ejus.* Quasi dicat; Simul etiam apparuit Christum imperare ac regnare in cœlis, & sibi quoque eo jure quod à Deo obtinuit homines vindicare, nec pati velle ut sibi eripiantur. Vocant autem Christum, Dei sui Christum, quæ phrasis & alibi in Novo Testamento de Domino Jesu exstat, & in Veteri Fœdere de regibus à Deo unctis crebrius usurpatur. Significatur autem hac ratione manifestius Jesum fuisse à Deo unctum seu Regem divini populi constitutum. Unde non mirum est eum & cum Deo conjungi, & simul apparuisse dici tum Dei regnum tum Christi potestatem, atque ad utriusque gloriam pertinuisse hanc tam præclaram Christianorum victoriam: quandoquidem Deus per Christum à se constitutum regnat, & dum hujus potestas elucet, simul & Dei elucet imperium, imo etiam ab eo tempore quo Christus est ad dexteram Dei collocatus, vicissim: præsertim cum de rebus agitur ad religionem pertinentibus.

Sequitur pars epinicii altera, ubi ratio illius victoriæ, seu mavis propior ipsius effectus, qui prioris illius causa est, & victoriæ ipsius causæ referuntur. Quorum illud fit istis vers. 10. verbis, *quia dejectus est accusator fratrum nostrorum qui accusabat eos coram Deo nostro dies ac noctes.* Hæc inquam res tantopere pertinuit ad demonstrandam salutem quæ à Deo hominibus præstetur, & patefaciendam ipsius potentiam ac regnum, & potestatem Christi ostendendam. Significatur enim his verbis quantum bonum consequuti sint hac victoria Christiani, seu mavis à quanto malo fuerint hoc pacto liberati. Arguit enim id descriptio hostis illius qui profligatus ac de cœlo in terram dejectus fuerit, quod una voce καταβλήθη significatur. Descriptio autem est quod appellatur accusator fratrum eorum qui hic loquentes introducuntur, & ratio illius accusationis atque assiduitas exprimitur. Quinam sint illi *fratres* facile cernitur ex sequente versu, dum dicitur eos *non dilexisse animas suas usque ad mortem.* Ubi de illis qui mortem veritatis causa oppetierunt sermonem esse quivis cernit. Sed illud non satis liquet, quo pacto Satanas ipsorum *accusator* dicatur, aut cur hac potius ratione quàm alia hoc loco describatur: quum magis rei propositæ ac similitudinis concinnitati convenire videatur, ut hostis vel adversarius nominetur, cum de pugna & victoria hic agatur. Rationem qua Diabolus accusator hominum Christianorum dicatur, attigerunt nonnulli ex interpretibus, eaque cognita facile etiam intelligitur alterum de quo dubitari poterat, cur nimirum hoc pacto Satanas hic describatur. Intelligendum igitur est metaphorice potius quam proprie Satanam accusatorem nostrum aliorumque Christianorum dici, quia similis sit accusatori. Accusator enim id agit ut reum quempiam apud judicem peragat, atque ut damnetur puniaturque efficiat. Satanas quoque in id perpetuo incumbit ut homines reos apud Deum peragat, atque ut ab eo damnentur & supplicio æterno afficiantur, efficiat. Sed in eo differentia est, quod accusator id faciat verbis, crimen quod à reo sit commissum demonstrando atque exaggerando: at Satanas homines ad ipsum crimen seu delictum adducendo, & variis artibus efficiendo ut in Deum peccent, & sic damnationem ac supplicium sempiternum mereantur. Possit fortè & illud addi, quod Satanas suo quodammodo exemplo seu damnatione ac supplicio quod sustineat, videatur accusare homines, ac Deum incitare ut ipsos quoque puniat, quemadmodum ipsum puniverit. Sed utraque accusationis ratio cessat, devicto à nobis Satana. Etenim cùm à nobis vincitur Satan cessat prior accusandi ratio, quandoquidem ea quæ nos reos apud Deum peragere, & supplicio sempiterno reddere nos possent obnoxios, hoc pacto cessarunt. Neque enim vincit Satanam sed ab eo vincitur qui peccare pergit. Altera quoque accusationis ratio cessat victo Satana, ea præsertim ratione quæ hîc intelligitur, ut nimirum quispiam non piè tantum vivat, sed & truculentissimam mortem veritatis causa oppetat. Etenim tum temporis justa apparet causa, cur Deus Satana punito homines Christianos in gratiam recipiat, eosque à pœna absolutos beatis illis sedibus dignari velit unde ipsum detruserit. Quandoquidem tunc apparet quantum superent pii homines Satanam, & quanto leviora ipsorum peccata censeri debeant, præ ipsius contumacia atque impietate, ob quam irrevocabili Dei decreto è cœlo fuit eliminatus: quoniam ipse quum spiritus esset, & non modò vires ad parendum Deo haberet sufficientissimas, sed & incitamenta ad eam rem longè maxima atque efficacissima, impius tamen in Deum exstiterit, nullo hoste qui ab obedientia Deo præstanda ipsum depelleret, proposito, nullis ipse fraudibus, nulla arte circumventus, sed sua planè sponte rebellis Deo factus. At homines & naturâ adeo infirmi, atque ad peccandum proni, carne circumdati, Deo nunquam viso, nec felicitate illa cœlesti unquam conspecta, Deum tamen esse, & supremæ felicitatis præmium pios manere, credentes, Deo constanter paruerunt, & excusso peccati jugo, ipsius se totos servitio mancipârunt, quum perpetuò variis hujusmodi illecebris ad peccata solicitarentur, & variis armorum generibus ab ipso Satana, tam potente tamque astuto hoste oppugnarentur. Hæc inquam causa exstitit magna cur Deus Christianos absolveret hodieque absolvat, & in eum locum collocet unde Satan exciderat, etiamsi ipsi graviter aliquando à Satana incitati peccaverint & Dei iram promeruerint. Animadvertendum autem, non dici Satanam accusatorem Christianorum respectu ejus temporis quo jam revera Christiani sunt, non professione tantum sed & moribus: vel saltem non respectu ejus temporis quo illi victoria de Satana reportata officio suo penitus sunt defuncti. Ita enim verba hæc sunt reddenda ut factum est ab interpretibus, *qui accusabat illos coram Deo*, non *qui accusat*, ut alias participium κατηγορῶν quod & præsentis est temporis, & præteriti imperfecti, ferret. Significatur enim hac victoriâ de Satana relata, ejusque è cœlo ejectione factum esse

ut

ut jam non amplius eos accuset quos antea perpetuo accusaverat. Ex quibus jam intelligitur causa cur hoc loco Satanas ad istum modum fuerit descriptus. Etenim licet divinus spiritus hoc loco ab una metaphora seu ab una similitudine ad aliam transierit, rem tamen ipsam non deseruit: quandoquidem ratio qua Christianos ille antea solitus fuit oppugnare, & eorum saluti inhiare, eo est comprehensa quod sit ipsorum accusator, vel aliquando fuerit. Illud adhuc antea dictis de ratione accusandi addendum est, non esse necesse ut verba illa de ipso effectu accusandi accipiantur; cum possint de solo conatu Satanæ quem hac in re adhibeat, intelligi: nec tantum id fieri potest, sed etiam fieri est verisimile. Præsertim cum divinus spiritus id explicans quomodo Satanas sit accusator Christianorum, addat illa verba qui accusabat illos *coram Deo nostro, dies & noctes* ostendens, non tantum apud quem Satanas eos accusaverit, nempe apud illum qui cæteroquin summus est eorum benefactor, & in cujus gratia omnis nostra felicitas est posita; sed etiam ejus hac in parte assiduitatem ac diligentiam summam exprimens, cum addit. *dies & noctes*, hoc est perpetuo, assiduo. Etenim non est credibile id velle Johannem dicere, Satanam effecisse reipsa ut homines illi de quibus sermo est, dies ac noctes peccarent, & sic damnationem sempiternam assidue promererentur; sed tantum eum hanc in rem assidue incubuisse, nec ulli operæ ulli labori pepercisse. Quo ipso significatur quam metuendus hic fuerit hostis, quantumque bonum hac victoria fuerint consequuti homines Christiani qui eum de cœlo dejecerint, & accusatorem suum à judicis ut ita dicam conspectu atque aditu submoverint, effecerintque ne accusare ipsos amplius possit. Ex iisdem autem verbis haud obscure intelligitur non proprie istam accusationem esse accipiendam. Etenim si ea consideremus quæ in Sacris Literis leguntur de Satana, atque adeo hoc ipso capite nobis describuntur, haudquaquam apparet in eo dies ac noctes occupatum esse Satanem ut homines proprie loquendo apud Deum accuset, & delicta nostra ad eum deferat; quod etiam non magnum habiturum esse usum, satis pro sua astutia cernit: sed illud potiùs videmus, in eo assidue versari Satanam, ut homines seducat, ut ad peccata incitet, ut à veritate ac pietate abducat ac depellat. Hoc illi studium paulò ante quoque fuerat tributum, cum dictus fuit non modo serpens ille antiquus, qui veteratoriis suis artibus jam ab initio mundi homines circumvenire ac perdere sategerit, sed etiam dicatur quod *seducat orbem universum*, quasi hæc sit perpetua illius occupatio: qui ipse locus cum hoc collatus, eum quodammodo interpretatur, & ostendit eatenus Satanam esse accusatorem hominum perpetuum quatenus in eo perpetuo sit ut universum humanum genus in fraudem pelliciat, atque in errores ac peccata impellat. Interea tamen nolimus negare, Satanam nonnunquam etiam proprie loquendo homines accusare, & eorum crimina ad Deum ita deferre ut eum ad vindictam ac supplicium de iis sumendum incitet: cùm videamus eum Jobi quoque pietati detrectare apud Deum fuisse ausum, conatumque efficere ut ejus virtutem ac pietatem aliquomodo suspectam haberet, aut non tanti faceret, quanti eam hucusque æstimarat. Quare nihil prohibet eum interdum etiam verbis coram Deo facta eorum carpere, & vel delicta eorum exaggerare, vel eorum pietatem maligne rodere quos Deo cæteroqui charos esse videat. Quam ob causam, ab ipso statim initio, cum de ratione ageremus qua Satanas accusator Christianorum dicatur, diximus metaphorice potiùs quam proprie Satanam accusatorem nostrum aliorumve Christianorum dici: eo ipso significantes, nos haudquaquam negare Satanam etiam proprie loquendo nos accusare apud Deum.

Sed jam progrediendum est ad causas hujus victoriæ considerandas, quæ exponuntur vers. 11. *& ipsi* hoc est fratres illi nostri, *vicerunt ipsum* hoc est accusatorem illum, *propter sanguinem agni, & propter sermonem testimonii sui, & non dilexerunt animam suam usque ad mortem.* Ubi duplices exponuntur ejus victoriæ causæ: duæ fidelibus aliunde suppeditatæ, & propemodum extra ipsos positæ, una autem in ipsis sita, & ad ipsorum officium ac pietatem pertinens, & ex prioribus illis pendens; quæ possit etiam haberi pro ipsa victoriæ ratione, seu ipso vincendi actu. Priores illæ sunt, sanguis agni, & sermo testimonii ipsorum. Per *sanguinem agni* quid intelligatur, liquet: intelligi enim mortem Christi cruentam cuivis apparet. Qui cur *agnus* appelletur, vulgo etiam notum est: partim enim ob innocentiam ac mansuetudinem ita appellari constat, partim propterea, quod instar victimæ mactatus fuerit, ac porro etiam Deo oblatus. Quam autem vim habuerit sanguis Christi in victoria hac fidelibus comparanda, id licet non æque sit vulgo notum, non obscurum tamen est iis qui in Sacris Literis sunt exercitatiores. Duplicem autem inprimis vim habet mors Christi cruenta, ad victoriam de qua hic sermo est, Christianis parandam, seu mavis ipsos ut fortiter pugnent adversus Satanam, eumque vincant, animandos armandosque. Primò quia spem illis firmam largitur remissionis peccatorum ac vitæ sempiternæ: partim quod universæ doctrinæ Christi confirmatio est, partim quod exemplo est, posse homines per mortem ad sempiternam vitam perque dolores ac tormenta ad summam beatitatem æternaque gaudia, per ignominiam ad summam gloriam, pervenire. Nam quod resurrectio gloriosa & exaltatio Christi mortem fuerit consequuta, id tanquam aliunde satis notum intelligitur, etiamsi mors sola aperte hic significetur, cujus causæ alibi explicantur. Secundo quia ipsius quoq; patientiæ ac constantiæ exemplum nobis præbet, in morte etiam truculentissima perferenda: quod tanto illustrius est quia exemplum istud exstat & in magistro nostro & in Rege nostro. Quę ratio differt à posteriore parte prioris, quia hic nulla habetur ejus rei ratio, quod mortem Christi cruentam pręmium tam amplum fuerit sequutum, quodq; hoc pacto promissio divina de resurrectione ac felicitate nostra fuerit comprobata; sed simpliciter tantũ habetur ratio, Christi virtutis ac patientiæ, & afflictionũ tam graviũ in quibus ejus patientia enituit.

Jam quod ad alteram causam attinet quæ est *sermo testimonii ipsorum*, nempe Christianorum, ea est, nostra quidem sententia, doctrina euangelica, de qua Christiani homines testari seu quam profiteri debent, atque adeo profitentur. Quæ doctrina quantam vim habeat ad homines animandos atque ad omnem patientiam armandos, satis liquet: quandoquidem patientiam illam non tantum præcipit ac commendat, sed & præmium illius longe maximum proponit, & spem illius certam facit. Hæ autem duæ causæ aliquomodo id explicant quod supra figuratis licet verbis dictum fuit, Christum quem Michaëlis nomine designatum docuimus, hujus exercitus & pugnæ fuisse ducem, & Christianos, ipsius esse angelos, ac sub ejus signis militare, ejusque auspiciis victoriam obtinuisse. Nam quod Christus hujus pugnæ dux fuerit id inprimis indicat, quòd illi de quibus sermo est, propter sanguinem ipsius vicisse dicuntur, & exemplo Christi, qui aliquando sanguine suo fuso pulcherrimum certamen certavit, Satanamque devicit freti atque incitati fortiter & ipsi pugnasse. Adde quod propter sermonem euangelicum quem profiterentur, dicantur victoriam illam reportasse: quæ tessera est eorum qui sub signis Christi merent.

Jam ut de illa victoriæ causa agamus, quæ in ipsis hominibus Christianis est posita, & ex prioribus illis enata, ea exponitur illis verbis, *& non dilexerunt animam suam usque ad mortem.* Quasi dicat; Non tanti æstimarunt vitam suam, nec tam habuerunt charam, quin eam profundere & mortem etiam violentam subire parati essent. Id quod Christus requirit, dum vult ut abnegemus nos ipsos, utque crucem nostram tollamus. Quanquam hæc divini spiritus verba etiam

ita possunt sumi, ut ipsum effectum seu victoriæ modum significent, quasi dictum esset, eos non dubitasse animam suam seu vitam reipsa profundere, ac mortem subire, nec ita de vita retinenda fuisse solicitos, quin eam veritatis causa impenderent. Sic solemus dicere, aliquem non renuisse mortem oppetere, quum reipsa usu ita ferente, oppetiit. Itaque virtutem illorum ac pietatem singularem his verbis complectitur, quod rem charissimam projicere, & contrà acerbissimam, nempe mortem, subire, Deo ac Christo ita jubente honestissimam ob causam, non dubitaverint.

Sequitur tertia hujus Epinicii pars. Ubi iterum effecta hujus victoriæ explicantur, & quidem ad alios potius quam ad illos ipsos qui vicerant, pertinentia. Ea autem partim læta sunt, partim tristia ac luctuosa. Læta ad cœlestes pertinent, tristia ad terrestres, seu terræ atque insularum incolas. Illa exponuntur initio vers. 12, idque per modum exhortationis, *propter hoc lætamini cœli, & qui in ipsis habitatis.* Ubi posteriora verba sunt priorum explicatio. Ideo enim cœli jubentur lætari, quia lætari jubentur illi qui in cœlis habitant. Nisi quis hoc putet datum abundantiæ lætitiæ & gaudii quo fuerint elati illi qui hoc epinicion cecinerunt, ut etiam ipsos cœlos licet vita atque intelligentia carentes lætari jusserint. Quo pacto & David sæpe res inanimatas aut intelligentia carentes ad laudes Deo dicendas, ob exundantiam lætitiæ, & ardorem sui erga gloriam divinam studii, hortatur. Intelligi autem possunt per eos *qui in cœlis habitant* & Angeli, & homines etiam pii, illorum veluti socii, qui hanc victoriam obtinuerunt, quique in cœlo quodammodo versari censendi sunt, propterea quod hæc illis sedes sit à Deo destinata, & quamdiu vitam degunt cœlo dignam in cœlo jam propemodum esse videntur. Sed de Angelis quod diximus res dubia esse non videtur, quandoquidem novimus eos tantopere lætari cum vel unus peccator resipiscit, ut docet Christus Lucæ cap. 15. Quanto ergo magis cum tantæ Christianorum copiæ servitutis ac tyrannidis Satanicæ jugo penitus excusso, hostem hunc suum à quo antea victi fuerant vincunt ac prosternunt, & ea victoria sibi ad supremam felicitatem iter aperiunt. Verum ut putemus hoc loco alios quoque cœli ut ita dicam incolas intelligendos, facit quædam similitudo hujus loci cum illis verbis quæ infra habentur cap. 18. vers. 20. Ubi cum de supplicio Babylonis esset actum, additur, *Lætare super ipsa cœlum, & sancti Apostoli ac prophetæ.* Itaque posses hoc loco per eos qui in cœlis habitant, sanctos, inprimis Apostolos ac prophetas, aliosque illis dignitate ac sanctitate vicinos intelligere: præsertim eos qui jam cursu pietatis expleto velut in cœlos migrarant. Neque vero his quicquam obstat quod putemus vel ipsos illos seniores & 4 animalia, vel aliquem, aut aliquos ex illis hæc verba pronunciasse. Etenim nihil prohibet cœtum aliquem hominum seipsum mutua quadam cohortatione ad gaudium excitare: & multo magis id convenit, si unus tantum ex cœtu aliquo loquatur, vel utut plures loquantur, si nihilominus sint & alii ad quos gaudium idem pertineat: ut hoc loco præter Apostolos ac prophetas sunt & Angeli & alii homines pii, qui pro cœlorum incolis, ut diximus, haberi possunt.

Sequitur nunc effectus tristis ac luctuosus, ad terræ ac maris incolas spectans, his verbis denunciatus, *Væ illis qui habitant*, vel *vobis qui habitatis terram & mare, quia descendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod exiguum tempus habeat.* Ubi infelicitas quæ illos homines maneat primum indicatur particula *væ.* Deinde describuntur illi ad quos infelicitas hæc pertineat, & denique ipsa infelicitas ejusve causa explicatur. Particula illa *væ* significat male cum illis actum iri, & aliquid valde triste, cumque ipsorum pernicie conjunctum iis imminere, quod quid sit in tertia particula videbimus. Descriptio illorum ad quos hæc infelicitas pertineat, est quum dicuntur *habitantes terram* vel *in terra, & in mari.* Mare hoc loco pro locis maritimis seu insulis in mari positis sumitur. Intelliguntur autem nomine horum qui terram continentem ac maritima loca incolunt, omnes de cœlo non soliciti, sed terræ rebusque terrenis addicti atque immersi. Ratio autem infelicitatis ipsorum in eo consistit, *quod descenderit ad ipsos Diabolus, habens iram magnam* &c. Ubi rationis etiam ratio exponitur quæ incitet Satanam, ut terrarum & maris incolis valde noceat, non tantum ipsius ira seu indignatio, sed etiam iræ illius irritamentum, quod sciat sibi *parum temporis superesse.* Ira autem illa intelligitur quam concepit Satanas ex clade tam ignominiosa sibi illata à Christi exercitu, ac tam turpi & tristi è cœlis lapsu. Hac autem ira commemorata qua incensus descenderit ad incolas terræ ac maris Satanas, simul intelligendus relinquitur ejus rei effectus hominibus illis valde perniciosus quem ipsis imminere dixerat. Qui enim fieri potest, ut iram suam tantam tam validus ac crudelis Draco non exsatiet illorum pernicie atque interitu, cum nemo jam ipsius violentiæ sit obstiturus, homineque terreni effugere ipsius hiatus nequeant. Intelligitur autem Satanam post illam cladem quam accepit ab hominibus cœlestibus curis addictis, hoc est Christianam religionem profitentibus ac sequentibus, & in cœlo quodammodo versantibus, omnem suam vim conversurum fuisse in perniciem cœterorum mortalium, qui non habuerunt veritatis amorem ut servarentur. Servari tamen postea potuissent, nisi Satanæ odium in perniciem illorum accensum ac variæ ipsius artes intervenissent. Nam postquam tantam de ipso victoriam obtinuerunt Christiani, ut multæ eorum myriades non tantum alia persequutionum genera fortissime sustinerent, sed & mortes acerbissimas atque exquisitissima tormenta patientissime ferrent, nec se à professione doctrinæ Euangelicæ abstrahi ulla ratione paterentur; non potuit fieri ut Gentium impietas hunc Christianorum impetum amplius sustineret: sed necesse fuit veterem illam superstitionem atque idololatriam Christianæ religioni cedere. Hinc factum videmus ut post tot tamque diras persequutiones religio Christiana mirum in modum creverit, & ipsos persequutores suos tandem in suas partes pertraxerit, effeceritque ut homines præstantissimi ac denique ipsi Imperatores Christianæ religioni fasces suos submitterent. Jam si Satanas non incubuisset in perniciem hominum, & passus fuisset religionem Christianam vigere incorruptam, totus orbis facillimum jam olim habuisset ad sempiternam vitam aditum, omnibus in eandem religionem ac pietatem conspirantibus, omni prope in terris adversario omnibusque impedimentis maximam partem sublatis. Quare cum non potuerit efficere ut illi Christiani qui salutarem adhuc Christi doctrinam tenebant, eam ob persequutiones desererent, hac re incitatus tanto diligentius in hominum cœterorum qui ob terrenas auras veritatem antea spreverant atque contemserant, eamque non tantum recipere noluerant, sed ejus etiam professores vexaverant, perniciem incubuit, & in illis acerbitatem odii sui quantum licuit explevit.

Tanto autem ardentius ea in re laboravit, quod vidit parum sibi jam porro temporis superesse, ac fore ut post tempus non adeo magnum, & veritas rursus innotesceret, & ipse Satanas penitus tandem deleretur. Etsi enim tempus illud satis magnum esse videatur nempe 1260 annorum, tamen ut taceam id Satanæ potuisse adhuc esse ignotum, cupiditati ipsius id nimis breve est, & propemodum tantundem est, ac si dies illi, ut ita dicam, annui, essent revera tantum ut sic dicam diurni, & tres tantum annos ac dimidium absolverent.

Visione hac absolutâ, in qua illud inprimis fuit explicatum quod vers. 4. & 5. dictum fuerat, de conatu Satanæ in fidelibus Christi perdendis, & irrito ejus conatûs eventu, jam revertitur ad ultimam prioris visionis particulam vers. 6 descriptam. In qua ostenditur quomodo eidem Satanæ conatus ejus successerit, quem

quem adhibuit ad ipsam veritatem Euangelicam extinguendam. Ad quam rem aditum sibi jam struxit Johannes, versu præcedente, 12, ubi minatus fuit grande malum incolis terræ ac locorum maritimorum propterea quod ad ipsos descendisset Diabolus, magna ira atque indignatione accensus. Etenim in istis quæ sequuntur ratio exponitur qua incubuerit Satanas in perniciem istorum hominum, & simul quid quantumque ea in re profecerit ostenditur. Id autem duplici ratione. Primò quod in eo fuerit ut veritatem penitus exstingueret. Secundò quòd ejus etiam professores si qui adhuc superessent, e medio tollere laboraverit.

Prius exponitur à vers. 13, usque ad finem 16. Ubi & conatus Satanæ describitur in veritate exstinguenda, & conatus illius eventus. Conatus ipsius exprimitur partim vers. 13, partim 15. Eventus itidem partim 14 partim 16 versiculis. In vers. 13 istis verbis describitur conatus ille Satanæ, *Et cum vidisset* vel videret *Draco quod conjectus esset in terram, persequutus est mulierem quæ pepererat masculum illum.* Ubi etiam istius conatus causæ exponuntur. Conatus ipse exstinguendi veritatem, continetur his verbis *persequutus est mulierem.* Id verbum potest vel latius extendi, ut significet quodvis adversitatis aut violentiæ genus quod adhibuerit Satanas ad eam penitus tollendam: Ita ut quod postea narratur vers. 16, quòd nimirum ex ore sua aquam instar fluvii emiserit, ut eam rapi à flumine faceret, sit specialior quædam hujus persequutionis explicatio. Vel *persequi* hoc loco est insequi, idque hostili animo, ut nimirum noceat alicui ac comprehensum affligat. Fieri enim potest ut Johanni apparuerit imago Draconis magno impetu mulierem insequentis, eamque devorare aut discerpere volentis. Quo pacto significabitur variis modis Satanam veritatem perdere conatum fuisse eique insidias struxisse, atque in ejus perniciem incubuisse. Causæ autem quæ illum ad hanc rem impulerunt, fuerunt duæ. Prima in ipso exstitit, quòd viderit atque apud se expenderit se è tam sublimi loco in terram fuisse dejectum, & ex tam alto dignitatis gradu veluti deturbatum. Ussit nimirum illum ignominia & pudor acceptæ cladis. Altera causa est in ipsa muliere, utpote quæ pepererit illum masculum, à quo nimirum ille tam pudendam tamque dolendam accepisset cladem. Etenim cum animadvertit Satanas tantam veritati Euangelicæ vim inesse, ut ejus affectas nullo machinarum nullo acerbitatum genere expugnare, & à pietate colenda abducere posset, non potuit non ipsi illi veritati vehementer indignari, & eam exstinctam cupere, ac porro in eam rem omnibus viribus omnique conatu incumbere.

Sequitur jam conatu ita primum descripto, prima quoque descriptio eventus istius conatus, vs. 14. ubi dicitur, *Et datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum, in locum suum, ubi alatur ibi, tempus & tempora & dimidium temporis, à facie serpentis.* Ubi quædam sunt de verbis notanda. Primum articulus in Græco voci *aquilæ* & *magnæ* præpositus, non est διαφορικὸν nec ullam excellentiam significat, sed indefinite ponitur; cujus rei alibi quoque exempla annotavimus. In Libro de Deo in voce θεὸς. Deinde cum dicitur *in desertum, in locum suum*, posteriora verba explicatio sunt quædam præcedentium. Nisi malis posteriora quippiam specialius denotare, quasi dicat, in desertum ubi certus quidam locus ei fuit assignatus à Deo. Præterea verbum τρέφεται *alitur*, sumitur pro ali debet, seu ut Castellio sensum sequutus vertit, alenda. Actus nimirum ponitur pro officio, seu eo quod fieri debeat. Est etiam redundantia unius particulæ locum designantis, cum dicitur *ubi alitur ibi*, quæ redundantia non est Hebræis inusitata. Porro nomen *temporis* per Synedochen generis sumitur pro certa temporis specie sive parte, & quidem perfectione quadam inter cæteras eminente, hoc est pro anno. *Tempora* autem plurali numero posita duos annos significant. Id enim quod inter plura minimum est, hoc loco est sumendum, ut postea videbimus. Unde porro etiam intelligitur, *dimidium temporis* significare dimidium annum, seu semestre. Nam ut breviter hanc explicationem confirmemus, tota hæc descriptio temporis eadem est cum illis diebus mille ducentis & sexaginta, quibus mulier illa in deserto alenda dicitur sup. vers. 6. nec quisquam dubitat idem tempus utrobique designari, & res ipsa satis indicat. Jam verò tot dies efficiunt annos tres & dimidium; si cuilibet anno attribueris 360, utpote qui constet 12 mensibus, quorum singuli constent diebus 30. Quæ ratio olim veteribus fuit usitata, cum nondum esset accurata ratio anni constituendi, seu mavis solaris cursus per Zodiacum inventa; aut publice constituta. Denique verba illa *à facie serpentis* transposita sunt, & diremta, vel ab illis *ut volet in desertum in locum suum*, ut intelligendum sit eam volasse à facie serpentis, hoc est à conspectu serpentis, ne nimirum serpens ei nocere possit, vel à verbo *alitur*, quasi dictum esset ali debet ita ne serpens illam cernere multo autem minus illi nocere possit. Jam ut ad rem ipsam veniamus, ea superius à nobis satis est exposita vers. 6. unde ea quæ diximus repeti possunt: hoc loco quædam tantum adduntur ad rem aliquanto melius ante oculos ponendam. Quanquam ea propemodum pro emblematibus magis quam pro veris hujus picturæ partibus quæ aliquid per se significent, haberi possunt. Etenim hoc loco describitur fuga illius mulieris in desertum, hoc est, ut antea diximus occultatio seu obscuratio divinæ veritatis, per tempus sat longum. Et primo quidem media huic mulieri ad fugam suppeditata describuntur, secundo modus fugæ, tertio terminus, quarto finis. In quibus verbis etiam tempus seu duratio istius fugæ vel potius exsilii definitur. Primum est illis in verbis cum dicuntur *datæ esse mulieri duæ alæ aquilæ magnæ.* Id quod duo significat. Primo quod indicetur, aliena cura atque auxilio nempe divina ope factum esse ut mulier tum illa subducere sese posset, ne à Satana perimeretur, hoc est ut veritas divina penitus exstingueretur, sed in Sacris Literis descripta conservaretur, & ea fundamenta manerent sarta tecta quibus salutaris veritatis notitia superstrui potest: non secus atque si mulieri cui Draco ingens ac sævus imminet, alæ aptarentur, quibus illa adjuta avolare atque aufugere posset. Alterum quod hic significatur est quod & celeriter & in locum longe dissitum aufugere debuerit, id quod tamen postea melius in ipso fugiendi modo ejusque termino significatur. Indicatur tamen etiam commemoratione istorum mediorum quæ mulieri huic ad fugam sunt suppeditata, nempe duæ alæ aquilæ magnæ. Hæc enim media ad fugam, non quamvis, non ad cursum, sed ad volatum sunt accommodata: qui motus ipse per se & sat pernix est, & ad longinqua itinera, perque loca avia institui potest. Dicuntur autem alæ fuisse *duæ*, propterea quod duæ singulis volatilibus sint alæ; una volatus perfici non potest. Additur autem ad facultatem avolandi tanto majorem significandam quod datæ sint fœminæ illi alæ non alterius alicujus avis, sed *aquilæ*, cujus volatus valde pernix est, & sublimis: qua de re videantur quæ Ribera ex Sacris Literis hac ipsa de re ad locum hunc notat. Quo accedit quod non qualiscunque aquilæ, sed *magnæ* dicuntur datæ fuisse alæ, ut significetur eam ad fugam celerrime atque in locum valde longinquam capessendam redditam fuisse aptissimam. Quanquam simul & imagini illius mulieris quam satis grandem fuisse apparet, alas accommodare, & modum earum ac quantitatem, illius staturæ convenientem exhibere necesse fuit. Jam verò modus istius fugæ mediis istis accommodatus significatur, dum dicitur. *ut volaret*, de quo jam dictum est. Quia verò hic motus ut diximus est valde pernix, unde etiam quem celeriter iter conficere videmus, eum volare dicimus, vel advolare; significatur veritatem euangelicam post illas Christianorum persequutiones, celeriter ex oculis hominum subduci atque occultari, hoc est obscurari debuisse. De termino autem istius viæ, qui tertio loco commemoratur,

tur, qui est *desertum*, & locus ei illic destinatus, jam suprà satis diximus. Uti & de eo quod quarto loco commemoratur, nempe de fine istius fugæ qui est ut alatur illa mulier per certum tempus: quod si verba respicias, trium annorum esse diximus & dimidii, si sensum, tot annorum quot diebus hi anni cum semestri constant. Illud tantum superius expressum non fuit quod hic additur, *à facie serpentis*: quod significat veritatem euangelicam ita se debuisse ex oculis hominum subducere ne Satanas ei nocere eamve exstinguere posset. Qui cur serpentis nomine describatur, superius vers. 9, visum est.

Sequitur jam altera descriptio conatus Satanici in veritate divina exstinguenda, quam vers. 15 contineri antea diximus. Ubi specialis quidam modus explicatur quo Satanas eam tollere voluerit: cui postea ℣. 16 eventus subjicitur. Modus ille est, quod ejecerit, seu emiserit aut evomuerit serpens ille post mulierem ex ore suo aquam ut fluvium, ut eam rapi à flumine faceret. Cum mulier illa fugeret, ut ei tamen noceret, neque interitum effugeret, tantum aquæ Draco ille ingens ex ore suo effudit, ut mulierem impetu suo & assequeretur, & abriperet atque submergeret. Quæ quidem aqua à plerisque creditur significare persequutiones ingentes, quas Satanas excitaverit adversus Christianos, ut veritatem Euangelicam, vel ut illi censent Ecclesiam, penitus tolleret atque exstingueret. Sed si consideremus & superiora quæ in secunda hujus capitis visione dicta fuerunt, & quæ ℣. 17, adhuc dicentur, apparebit persequutiones adversus fideles excitatas, atque ad opprimendum comparatas, distingui ab hujus aquæ ex ore Draconis emissione: Neque hic de ea ratione veritatem divinam opprimendi agi quæ consistat in oppugnandis veritatis professoribus, per quorum veluti latus veritas petatur; sed qua ipsa veritas euangelica quam per hanc mulierem designari supra vidimus, directe oppugnetur. Ea vero nulla est alia quàm quum variis erroribus veritatem obruere atque exstinguere nititur Satanas. Quare per aquas illas & quidem tam copiosas, ex ore Draconis erumpentes, & flumen quoddam rapax conficientes, intelligimus multiplices errores pestiferasque doctrinas quas Satan veluti ex ore suo evomuit, ut veritatem cœlestem hoc pacto penitus tolleret: qui quidem errores celeri impetu diffusi fuerunt, & nisi Deus singulari ratione eorum vim impediisset, facile veritatem submergere penitus potuissent.

Videamus nunc etiam eventum hujus conatus, qui ℣. 16 his verbis exprimitur: *Et*, hoc est *sed*, per Hebraismum, *juvit terra mulierem* seu auxilium illi tulit, *& aperuit terra os suum, & absorpsit fluvium quem ejecit* vel evomuit, *Draco ex ore suo*. Ubi significatur conatum hunc Satanæ, si id respiciamus quod inprimis quærebat, irritum quidem fuisse, sed alia tamen ratione non irritum. Quandoquidem terra fluvium illum absorpserit, ita ut mulierem fugientem attingere non posset. Interim tamen quia terra dicitur absorpsisse illum fluvium, significari videtur, fuisse tamen eos qui errores illos tam multiplices tamque pestilentes quos aquæ istius nomine significari diximus, imbiberint, ac receperint, nempe homines terrenos, de quibus actum superius ℣. 12. Quanquam id quod dicitur de *terra*, quæ *ore suo aperte*, hoc est dehiscens, fluvium illum absorpserit, potest tantum pro emblemate haberi; ita ut nihil aliud toto hoc versu significetur, quàm aquam illam, hoc est errores, veritatem euangelicam non attigisse, neque obruisse, aut perdere potuisse. Deum enim effecisse, ut impetus ille errorum veritatem non attingeret, sed alio converteretur. Quod ut significaretur, necesse aliquomodo fuit, ut ostenderetur in hac imagine quorsum tamen illa aqua tam copiosa è Draconis faucibus emissa fluxerit, aut qui factum fuerit, ut in mulierem à Dracone directus ipsius impetus, ab ea tamen abluserit, seu ad eam non pervenerit. Modus autem huic rei depingendæ aptissimus fuit, ut statueretur hiatum terræ fuisse apertum, in quem fluvius ille elaberetur, & sic penitus absorberetur. Sed si quis tamen hanc quoque imaginis illius partem peculiarem significationem habere contendat, jam diximus quid intelligi possit. Posset autem quispiam hoc loco dubitare quo pacto dicatur terra adjuvisse fœminam illam, absorpto fluvio è faucibus Draconis emisso, quandoquidem mulier illa dicitur alis fuisse instructa, ut in desertum avolaret. Nam si illa per aërem avolasse statuitur, etiamsi tandem terra non absorpsisset illud flumen, non videtur tamen id mulierem attingere, eive nocere potuisse: siquidem credibile non est, tantam vim aquæ ex faucibus Draconis erupisse, ut per terram manans etiam illam aëris partem attingeret, per quam mulier volaret. Hic ex duobus quæ dicemus alterum respondendum est. Primum est anticipationem quandam fuisse in præcedentibus, in quibus actum fuit de fuga illius mulieris, alis jam acceptis, & hoc quod de fluvio isto narratur præcessisse; ideo tamen subjunctum fuisse, ut redderetur quædam ratio ejus quod dictum fuerat ultima parte versiculi 14, eam nimirum fœminam avolasse à facie serpentis. Unde talis erit connexio vers. 15, cum præcedente: Nam ejecerat serpens post mulierem ex ore suo flumen &c. quasi dicat Johannes: Causa enim fuit magna cur ea esset subducta ex oculis serpentis illius: quandoquidem ille aqua copiosissime è faucibus suis emissa, voluit eam submergere: quanquam divina providentia factum est ut terra aquæ illi dehisceret, & sic mulierem illam periculo liberaret. Anticipationes sanè non sunt in Sacris Literis inusitatæ; & exemplum habuimus hoc ipso capite vers. 6, quod enim ibi de mulieris fuga narratur in desertum, id sequutum fuit revera pugnam quæ postea narratur, & dejectionem Satanæ è cœlo, uti manifeste apparet ex vers. 13 & seqq. Necesse autem hic est statuere, mulierem illam antequam in desertum fugeret, jam in terram se aliquomodo demisisse. Alterum quod dici hic potest, est, quod nihil videatur prohibere, quominus statuatur Satanam postea demum emisisse illam aquam ad submergendam mulierem postquam illa in desertum jam aufugisset, & sic e cœlo se in terram demisisset: quemadmodum series narrationis, si anticipationem nullam hic agnoscere velis, postulat. Desertum autem nonnisi in terra fuisse statuitur. Sed illud tamen durum est, quod hoc pacto statuendum sit, potuisse serpentem videre illum locum; quum tamen videatur ideo subducta fuisse mulier, ut ab eo ne cerneretur quidem: & Satanam potuisse flumen in tam longinquum locum è faucibus emittere, cum tamen locus longe diffitus hic pingi videatur. Quanquam vero nonnihil ad hæc dici potest, amplius tamen cogitandum.

Superest alter modus quo veritatem euangelicam oppugnare, & eam quodammodo ulcisci voluit Satan, nempe per latus eorum quos ipsa ad se perduxisset, si qui adhuc essent in terris reliqui. Is autem modus exprimitur vers. 17: *Et iratus fuit Draco super mulierem, & abiit ut faceret bellum cum reliquis seminis ipsius, servantibus mandata* DEI, *& habentibus testimonium Jesu Christi*. Ubi primùm exprimitur causa impulsiva hujus conatus. Deinde ipse conatus hoc est oppugnatio fidelium Christi, per quorum latus petiit Satanas ipsam veritatem euangelicam. Causa est quòd *iratus fuerit super muliere illa* hoc est ipsi mulieri, quòd nimirum non tantùm masculum illum peperisset, sed postea quoque dentes suos vimque in se directam effugisset. Molestissimum enim fuit Satanæ veritatem euangelicam & tot homines ad se pertraxisse atque invictos adversus omnem ipsius vim & astum reddidisse, & cum eorum plerosque per acerbissimas mortes sustulisset, ipsam tamen veritatem exstingui penitus non posse. Quare in iram versus, de veritate euangelica alia qua posset ratione vindicare se voluit, & cum ipsam veritatem interimere non posset, ad ejus prolem seu ejus professores pios, perpetuo oppugnandos atque interimendos se convertit. Hoc enim unum superesse vidit, quo ulcisci quodammodo veritatem

veritatem divinam posset. Conatum autem illum Satanæ exprimens, dicit eum abiisse ut faceret bellum, seu ut pugnaret cum reliquis seminis illius. Ubi quid per bellum illud aut pugnam significetur, ex vers. 7 satis apparet. Significantur autem persequutiones quas excitavit subinde Satanas adversus eos qui post obscuratam veritatem euangelicam adhuc hinc inde superessent qui illam tenerent, aut hinc inde forte exorirentur. Ubi duobus modis homines Christiani describuntur. Primò dum dicuntur reliqui esse ex semine istius mulieris. De semine seu prole istius mulieris dictum est ℣. 5. satis. Reliqui autem hi dicuntur respectu eorum de quibus actum fuit ℣. 7. & seqq. de quibus dictum fuit eos non dilexisse animam suam usque ad mortem vers. 11. Possunt autem, imò etiam nostro judicio, debent per reliquias has seminis illius intelligi non tantum ii qui ex veteribus Christianis acceptam à majoribus veritatem salutarem adhuc retinerent, & piè secundum eam viverent; sed etiam illi qui licet nemine quem ipsi quidem vidissent præeunte, eandem veritatem salutarem amplecterentur ac profiterentur quam primævi illi Christiani tenuissent quamque sanguine suo obsignassent. Nam & hi pro reliquiis istius seminis haberi jure possunt. Semper autem, durantibus etiam illis 1260 diebus mysticis hoc est annis, persequutiones gravissimas excitavit in eos Satanas qui ex ignorantiæ tenebris emergere vellent, & veritatem puriorem amplexi eam profiteri auderent. Quales quidem hinc inde non pauci exstiterunt, quorum alii ad veritatis salutaris cognitionem propius accesserunt, alii abfuerunt longiùs: in quos tanta exarsit Satanæ ira, ut eos in primo ferè ortu per Anti-Christum ejusque asseclas vel penitus opprimeret, vel gravissime oppugnaret. Altera autem descriptio illorum veritatis professorum constat duabus eorum proprietatibus seu qualitatibus in quibus vera Christianismi natura consistit. Eæ sunt quòd *servent mandata* DEI, *& habeant testimonium Jesu Christi.* In priore vitæ pietas, in posteriore eorum religionis professio seu professionis constantia significatur. Hoc loco enim testimonium habere Jesu Christi videtur significare, constanter retinere testimonium seu professionem Jesu Christi seu mavis doctrinam Jesu Christi. Etsi enim alioqui habere testimonium, significare solet, alium vel alios de quopiam testari; tamen id ad hunc locum quadrare non videtur cùm nec satis appareat quomodo illi habuerint testimonium à Jesu Christo, & vix reperias hanc phrasin ita ut modò diximus usurpatam, ut dicatur quis habere testimonium alicujus, ut hoc loco testimonium Jesu, quòd Jesus de illo testetur: Sed potiùs habere testimonium ab aliquo, ut 1 Tim. 3. 7. Ac præterea omnino videtur hîc aliquid de Christianis pronunciari, quod ad ipsorum officium pertineat; illud autem est quòd retineant firmiter testimonium Jesu Christi. Potest autem *testimonium* illud dici *Jesu Christi*, vel quia de Jesu Christo sit, ut Jesu Christi nomen sit genitivus objecti, vel ut denotet testimonium à Jesu Christo profectum, seu id quod testatus est Jesus Christus, ut *Jesu Christi* sit genitivus causæ efficientis, quo pacto testimonium istud sumeretur pro doctrina Christi. Eodem pacto infra eadem phrasis usurpatur cap. 19. vers. 10. Quanquam ibi paulò specialius sumitur, quia solis prophetis ibi revera tribuitur, ut tum ex illo ipso loco, tum ex collatione vers. 9. cap. 22. apparet. Causa verò cur hæc proprietas alteri illi nempe observationi mandatorum DEI postponatur, licèt suâ naturâ videatur præcedere (prior enim esse videtur veritatis professio quam observatio mandatorum DEI) duplex est. Primò quia cum in prioribus verbis Dei facere voluerit mentionem, mandatis ipsius commemoratis, hîc verò Jesu Christi, cujus testimonium commemorat, conveniens videbatur Dei mentionem mentioni Christi præponere, ut & superius videmus vers. 10, & alibi in hoc libro sat crebro. Secundo quod cum observatio mandatorum Dei simpliciter spectata latius pateat, & illis etiam fuerit communis qui sub veteri Fœdere Deo paruerunt, & præscripta Legis Mosaicæ observarunt, posterius verò Christianis tantum hominibus conveniat, maluit quod generalius censeri posset præponere, & id quod specialius esset postponere, & hac differentia ut ita dicam specifica, Christianos ab aliis hominibus piis qui Ante-Christum ab initio mundi vixissent, distinguere.

APPENDICULA.

NIhil hîc Johannes addit de læto infelicium illorum temporum eventu, seu de restitutione veritatis, & ex deserto ad homines reditu. Id enim facturus est demum capite 14. Interea plenius cap. 13 descripsit quomodo sibi divinitus fuerit ostensa conditio illorum temporum quibus mulier illa in deserto abdita latuit. Quemadmodum apparet ex istius cap. 13. 5 ubi dicitur belluæ illi quæ Johanni apparuisse illic narratur, datam fuisse.

* * *

VErs. 5. *Et datum est illi* &c. effecta bestiæ describuntur. *Os loquens magna*, jactantia, & blasphemia. *potestas*, rerum gerendarum videlicet. *bellum facere.* quædam exemplaria verbum *belli* non habent.

Vers. 6 *Et aperuit* &c. Declaratio præcedentium. *Menses* 42. suprà ℣. 9. *& tabernaculum ejus* Ecclesiam, vel cœlum ipsum, *& eos qui in cœlis habitant.* pios, qui animis suis velut in cœlis habitant.

Vers. 7. *Vincere*, trucidare, opprimere. *Super omnem familiam* &c. Synecdoche hyperbolica.

Vers. 8. *Adorabunt eam omnes* &c. generatim omnes, quam paucissimis exceptis. *quorum nomina non sunt scripta* &c. homines improbi. *agni mactati, ab origine mundi.* Metathesis, qualis 1 Cor. 9. 10. xv. 2, 19.

Vers. 9. *Si quis habet aurem* &c. Diligenter attendendum monet.

Vers. 10. *Si quis in captivitatem ducit.* Rib. quasi dicat, Sinite ita grassari bestiam ejusque asseclas, dabunt illi aliquando pœnas gravissimas. *Hic est patientia* &c. Rib. Hic spectabitur patientia &c. Nap. Hic causam habebunt sancti patientiæ &c.

Vers. 11. *Aliam bestiam*, Antichristum, qui idem cum falso Propheta, inf. 19 20. *ascendentem è terra*, quia triste & dirum quid denotatur. *cornua* potestatem. *Agno* Christo. Nec refert quod in Græco non sit articulus. Sic enim infra quoque 14. 1. ponitur. *Loquebatur ut draco*, vox ejus est venenata, crudelis, & ad perdendum comparata: *Draco* vel draconem simpliciter, vel Satanam denotat.

Vers. 12. *Coram illa*, illa spectante. *Et facit* &c. Quia vidit suam potentiam sine imperio prioris bestiæ non posse consistere, dedit operam, ut ipsius imperium haberetur sacrum.

Vers. 13. *Et facit signa* &c. vel per Synecdochen insigne aliquod miraculum intelligitur, quale esset, si ignis delaberetur e cœlo; vel quia efficit, ut illi, qui ipsi nocere velint, pessumeant non secus, ac si fulmine percussi essent; vel denotantur anathemata cum effecto, quod sortita sunt.

Vers. 14. *Facere imaginem*, &c. Ut imperium prioris simile constituatur, *& vixit*, in Carolo M.

Vers. 15. *Et datum est illi*, bestiæ secundæ. *Spiritum* vim & facultatem, ut vegetum esset. *& ut loqueretur*, juberet, mandaret, imperaret. *qui non adorarint* id est qui se ei non submiserint, ac conscientias subjecerint, ut religionem imperii amplecterentur.

Vers. 16. *Characterem in manu* &c. Aperta professio, quod ad imperium istud pertinerent, denotari videtur.

Vers. 17. *Emere aut vendere*, negotiari tractare negotia. Vide Bullam Mart. 5. subjectam Concilio Constant. Tom. 2. Concil.

Vers. 18. *Hic sapientia*, materia sapientiæ. *Numerus*

rus hominis, humanus, quo homines iti solent; omnino propheticus. Sic inf. 21. 17 mensura hominis.

In Cap. XIV.

INdicatur solatii loco in hoc capite, fore quosdam sub ipso Antichristo, qui Deum ac Christum culturi sint.

Vers. 1. *In monte Sion.* In loco, ubi Ecclesia esse debebat, & ante fuerat. *Habentes nomen patris sui* qui sunt Dei, & illum aperte profitentur.

Vers. 3. *Tanquam cantionem novam*, non planè novam; sed tanquam novam: quia tum temporis erat insolita &c. *Et nemo poterat.* Conf. sup. XI. 19. inf. cap. 15. 8.

Vers. 4. *Qui mulieribus se non polluerunt.* Castitas eorum describitur, qui tum temporis, ubi rara erat, ista virtus, vixerunt. *Qui sequuntur agnum*, qui sequuntur Christi mandatum & exemplum, *ab hominibus*, ex hominum numero, ἀπὸ pro ἐξ, *primitiæ Deo.* Ut instar primitiarum Deo & Christo consecrentur.

Vers. 6. *Et vidi* &c. Tempora labentis Antichristi describuntur in seqq. *alium Angelum.* Respici videtur ad cap. XI. 15. Describuntur autem illi, qui dehortantur homines ab idololatria, post tenebras Antichristianas.

Vers. 7. *Date illi gloriam*, illi, non idolis. *Judicii*, supplicii Antichristi, & quæ consequentur.

Vers. 8. *Et alius angelus.* Effectus priorum describitur. *Babylon, urbs magna.* Inf. cap. 18. ult. *Vino excandescentiæ.* Id est fervidissimo, Hebr. Chama. Alluditur ad philtra. Vinum est doctrina pestilens, scortatio, idololatria, & scelera quæ eam sequuntur.

Vers. 9. *Et tertius Angelus.* Vel ad totum tempus Antichristi, vel ad tempora casui illius proxima hæc referri possunt.

Vers. 10. *Misti*, Rib. infusi. Solebant enim olim, cum vinum infunderent miscere. *Meri.* Non enim erunt supplicia illa clementia temperata. *Et cruciabuntur* &c. Explicatio priorum, facta allusione ad extremum judicium, cujus initium est interitus Antichristi.

Vers. 11. *Fumus cruciatus* id est, ignis quo cruciabuntur.

Vers. 12. *Hic patientia.* Hic spectabitur patientia &c.

Vers. 13. *scribe*, quia res notatu dignissima. *Qui in Domino moriuntur.* Id est, ut etiam in morte ipsorum appareat fides in Dominum. *A nunc* id est, ab hoc tempore, quo Antichristus cadet.

Dicit spiritus, ut &c. Ellips. [fore] *ut* &c. ex *laboribus*, molestiis *opera vero eorum*, δὲ pro γὰρ. Opera comitum & stipatorum instar introducuntur.

Vers. 14. *Et vidi, & ecce* Judicium describitur casum Antichristi secuturum: per quod intelligi videtur & extremum, & ejus præludium. *Coronam auream*, quia rex est: *& in manu ejus falx* &c. id est, accinctus est ad persolvendum præmium piis.

Vers. 15. *Ex templo*, ex loco ubi Deus residet. *Mitte falcem* &c. Pars prima judicii: quasi dicat collige pios in horreum cœleste, quia jam tempus est.

Vers. 16. *Projecit falcem*; quia non ipse, sed per angelos facturus erat.

Vers. 17. *Et alius angelus* &c. Judicii pars altera, supplicia impiorum.

Vers. 18. *Habens potestatem ignis.* Infra cap. 16. 5. fit mentio Angeli aquarum. Potest autem intelligi angelus iste, per quem Deus exsequitur sua supplicia. *Vindemia uvas*, corripe ad supplicia. Est præterea hic allusio ad Esa. 63. 1. Thren. 1. 5. Jud. 3. 13.

In Cap. XV.

VErs. 1. *Signum* hæc vox pro imaginibus aliquid repræsentantibus ponitur. *Quia in ipsis consummabitur* &c. Ratio redditur, cur dixerit ultimas: quia tunc finem habitura sint divina in hominum genus supplicia.

Vers. 2. *Et vidi.* In seqq. describitur ἐπινίκιον eorum, qui fuerunt liberati ex tyrannide Antichristi; allusione facta ad liberationem populi Israëlitici ex servitute Ægyptiaca. *Mare vitreum* &c. Alii genus hominum intelligunt, qui pios persequuntur. Ignis enim persecutiones notare solet in Sacris Lit. Alii intelligunt supplicia divina, maxime vero lacum ardentem igni & sulphure, inf. 19. 20. Quod posterius magis est verisimile. Postquam enim ea effugerant pii, laudes Deo canunt &c. *Ex numero*, [nempe] *ex numero.* Piscat.

Super mare, in littore. *Citharas Dei* id est, à Deo ipsis datas, vel ad honorem Dei pertinentes, sacras, non profanas.

Vers. 3. *Cantionem Mosis* similem cantico Mosis, sed ita conformatam, ut merito canticum agni posset dici. *Veræ* [sunt] *viæ tuæ* id est rectæ, ab omni pravitate alienæ sunt actiones tuæ.

Vers. 4. *Quia solus sanctus*, ὅσιος, augustus, venerabilis. *Quia omnes gentes venient*, &c. Particula hæc referenda videtur ad totam orationem præcedentem. Quasi dicat; Quis te non timeret, &c. Nam omnes gentes ad templum tuum venient, &c. δικαιώματα justa judicia, seu facta.

Vers. 5. *Apertum est templum*, aperta janua, explicantur justa Dei facta, quæ in epinicio celebrantur. *Templum tabernaculi*, Genit. Speciei Pisc. *Tabernaculi testimonii*: vel quod ibi tabulæ testimoniorum divinorum, id est legis, asservabantur; vel potius quia tabernaculum congregationis alia punctandi ratione ita appellari poterat; propterea videlicet quòd Deus ibi testabatur de sua voluntate. Intelligitur autem per tabernaculum Ecclesia. Illa enim in causa fuit, ut ii, qui veritatem spreverant, punirentur.

Vers. 6. *Habentes* ab eventu sic appellat; nondum enim habebant phialtas. *Zonas aureas*, quæ faciunt ad splendorem & ornatum. Quod autem cincti fuerunt, indicat, eos paratos fuisse ad opus perficiendum.

Vers. 7. *Et unum ex 4 animalibus*, &c. Indicatur, homines fideles in causa fuisse, ut punirentur impii. *Septem angelis*, &c. Confer hæc cum cap. 8, vers. 2 & seqq. & IX. 1, seqq.

Vers. 8. *Et repletum est templum fumo* &c. Allusio ad consecrationem templi à Salomone factam, 1 Reg. 8. ℣. 10, 11, item ad historiam Ex. 6. 4, vel etiam ad descensum Dei in montem Sinai. Indicare etiam videtur, Deum præclusisse istis suppliciis viam quasi quominus in Ecclesiam ingrederentur, antequam finirentur divina supplicia.

In Cap. XVI.

VErs. 1. *Et audivi vocem.* A Deo supplicia ista profecta esse ostenditur. *Phialas.* Allusio esse videtur ad plagas Ægyptiacas. Non est autem necesse has plagas Apocalypticas ratione temporis planè distinctas esse; sed fieri potuit, ut una adhuc durante, accesserit altera.

Vers. 2. *Primus* &c. Napeirus Imperatores Ethnicos, qui persecuti fuerant Ecclesiam, intelligit. Possunt fortasse intelligi exulcerati hominum animi, qui mutuis in sese bellis sævierunt.

Vers. 3. *Secundus.* Napeirus intelligit de incursionibus Gothorum & Vandalorum in Italian. Forte effusio sanguinis, id est, cædes intelliguntur.

Vers. 4. *Tertius.* Corruptionem orbis per Mahomethum intelligit Napeirus. *Angelum aquarum* cui potestas aquarum fuit tradita.

Vers. 5. Καὶ ὁ ὅσιος. Beza, ἐσόμενος. Ταῦτα ἔτως, Rib.

Vers. 6. *Sanguinem illis dedisti bibere.* Similis phrasis Esai. 49. ult.

Vers. 7. *Alium*, ex angelis iis, qui mediis sacris interfunt.

Vers. 8. *Quartus.* Napeirus intelligit incrementum errorum in oriente per Mahometum, in occidente per Antichristum. Fortè augmentum malorum denotatur.

Vers. 10. *Quinti.* Napeirus intelligit de incremento Maho-

Mahometis per Turcas; unde factum fuerit, ut mala ingentia in imperio orientis & occidentis orta fuerint. *Et manducabant linguas* &c. molestia intelligitur gravissima.

Vers. 11. *Et blasphemarunt* &c. quasi dicat. Tantum abest ut resipuerint, ut potiùs in sua idololatria perrexerint.

Vers. 12. *Regum ab ortu solis.* Sup. cap. 9. 14. appellantur quatuor angeli.

Vers. 13. *Et vidi* &c. Nap. intelligit incitamenta Diabolica; vel potius homines, qui incitarunt reges ad bella, fortasse sacra. *Similia ranis.* Allusio ad ranas Ægyptiacas.

Vers. 14. *Die illa magna* &c. Dies suppliciis divinis destinatus intelligitur.

Vers. 15. *Ecce venio* &c. Hortatur Christus homines ad sanctitatem vitæ, ne involvantur divinis suppliciis.

Vers. 16. *Armageddon.* Pisc. intelligit montem Megiddo, cujus fit mentio 4 Reg. 23. 29, 30. 2 Chron. cap. 35. 22. Zach. 12. 11. Drusius habet *Hormageddon*, excidium exercitus eorum.

Vers. 17. *Septimus.* Interitus regni Antichristi hac plaga describitur. *Factum est* id est, instat finis, peracta sunt omnia.

Vers. 18. *Et factæ sunt voces* &c. Deus immisit sua supplicia, hominesque terruit. *Et terræmotus*, &c. magna rerum mutatio ac perturbatio.

Vers. 19. *In tres partes*, factiones.

Vers. 20. *Omnis insula fugit*, id est insulæ defecerunt. *Et montes*, Nap. majora regna.

Vers. 21. *Grando magna*, Deus insignibus suppliciis homines perdidit, haud secus ac si grando talentaria cecidisset.

In Cap. XVII.

SUmma hujus & seqq. duorum capp. ab ipso Angelo hîc exponitur; judicium sci. meritricis Babylonicæ: quod breviter antea cap. præced. ℣. 19 descriptum est.

Vers. 1. *Meretricis magnæ* &c. Romam intelligi patet ex ℣. ult. Est præterea hic allusio ad Jer. 51. 13. d. *Super aquas multas.* Vide inf. ℣. 15.

Vers. 2. *Scortati sunt.* Idololatriam & alia scelera exercuerunt.

Vers. 3. *In spiritu*, animo, imaginatione &c. *Super bestiam*, imperium R. *coccineam*: quia nimirum sanguine insontium rubet, & alias crudelissima est, *plenam nominibus blasphemiæ* id est blasphemorum: quasi dicat ubique religio blasphema viguit. *Capita septem* inf. ℣. 9. *cornua decem* inf. ℣. 12.

Vers. 4. *Et mulier* &c. Splendor urbis describitur. *Habens aureum poculum* &c. more meretricum philtra propinantium. *Abominationum* vel doctrina abominanda; vel flagitiis inde ortis, *& impuritatum* idem hoc est cum præced.

Vers. 5. *Mysterium.* Vox hæc vel per appositionem ad vocem *nominis* referenda est, vel seorsim scripta facit ad indicandum, illa esse mystica. *Babylon*, ob similitudinem imperii ac tyrannidis in populum Dei &c. *Mater scortationum* quia scortationes & spirituales & proprie dictas in orbem invexit. In Græca est vox πορνῶν, quod recentiores vertunt scortationem, ac si scriptum esset πορνιῶν.

Vers. 6. *Ebriam sanguine* id est crudelem, quæ trucidavit fideles, & quidem valde multos. Inde enim ebria est. *Sanctorum & martyrum* Ambo videntur esse iidem.

Vers. 7. *Cur miratus es.* Hebr. Præteritum pro Præs. ℣. 8. *Bestia*, quæ descripta fuit cap. 13. Vide Jansonium: reliqua suprà. *Erat*, ita loquitur, ac si res jam extaret. *Et non est*, ad Augustuli tempora refert Nap. *& ascendet ex abysso* in Carolo M. & Ottonibus. *Admirabuntur* cum veneratione sci. & observatione. *Eorum nomina omnino sunt scripta* &c. homines improbi, qui ne apti quidem fuerunt, ut scriberentur in numerum electorum.

Vers. 9. *Hic mens* &c. Sup. 13. 18. quasi dicat. Hic campum habebit mens sapientiam ostendendi.

Vers. 10. *Reges 7. sunt.* Vide Tacit. 1 Annal. *Reges* pro imperiis Dan. 7. 23. conf. ℣. 23. VIII. 21. d. *unus est.* Imperium R. *alius* P. R. *Exiguum* [*tempus*] *oportet ipsum manere.* Ad hujus loci explicationem servire potest locus cap. 12. 12. Respici autem videtur ad numerum suprà à Johanne descriptum, & ad tempora regnantium fidelium.

Vers. 11. *Et bestia quæ erat* &c. Corpus cum capite quasi confunditur.

Vers. 12. *Decem reges* &c. Isti ex ruina R. imperii fuerunt orti, si sequamur Nap.

Vers. 13. *Unam sententiam habent*: Præs. pro fut. *dabunt potestatem suam bestiæ*, quatenus videlicet a P. R. regentur, ac potestatem suam tradent R. imperio ad juvandum P. R.

Vers. 14. *Belligerabunt* &c. Latè hæc extendi possunt ad totum tempus regnantis Antichristi. *Et qui cum illo*, Christo sci. id est ipsorum caussa sua judicia exeret Christus.

Vers. 16. *Et carnes ipsius commedent* &c. Huc pertinet cap. 19 18.

Vers. 17. *Deus enim dedit in cor* &c. Duo hic dicitur Deus dedisse in corda ipsorum: prius ad proxima refertur; posterius ad remotiora. Quasi dicat; Quemadmodum robur suum dederunt bestiæ &c. ita etiam &c.

In Cap. XVIII.

VErs. 1. *Habentem potestatem magnam.* Unde Johanni de hac potestate constiterit, dubium est. An quia princeps aliquis angelici exercitus fuit? an quia peculiari aliqua potestate ad judicia Dei in excidio urbis exequenda fuerit ornatus?

Vers. 2. *Clamavit in robore*, id est fortiter. *Cecidit, cecidit.* Geminationes ejusmodi in rebus & lætis, & admirandis adhiberi solent. *Et facta est domicilium dæmonum* &c. Nihil prohibet hæc proprie intelligi, cum soliti fuerint olim dæmones in desertis ejusmodi locis habitare, ad terrorem hominibus injiciendum, & eos ad idololatriam alliciendum. Forte etiam coguntur illic interdum pœnæ causa commorari. *Et custodia*, receptaculum.

Vers. 3. *Quoniam ex vino* &c. Causa supplicii, *& negotiatores terræ* &c. id est ita luxui fuit dedita, ut inde negotiatores fuerint ditati.

Vers. 4. *Exite* &c. Docetur, quomodo fideles sese gerere debeant. Exeundum est autem proprie, ut Loth exivit è Sodom. Gen. 19. 15, *ne participes fiatis peccatorum ejus.* Rib. recte per peccata pœnas intelligit.

Vers. 5. *Secuta sunt ejus peccata usque in cœlum*, Multa ac gravia fuerunt. Sic Jerem. 51. 9.

Vers. 6. *Reddite illi.* Id est vos in causa estis, ut reddatur illi. Similis loquendi ratio Psal. 84. 7. *ipsa reddidit.* Compositum pro simplici. Sic Hebr. *Gamar*, retribuit. *Duplicate illi dupla*, satis abunde pœnarum rependite. *Duplum* non ratione meriti; sed earum rerum, quæ aliis injuste intulit.

Vers. 7. *Quantum se glorificavit*, quam insolenter se gessit. *Sedeo regina* tanquam Domina mundi. *Viduà non sum*, populosa sum, color ab omnibus. Thren. 1. 1.

Vers. 8. *Una hora* id est repente, Esa. 47. 9. *mors*, cædes, *luctus*, qui ex orbitate nascitur.

Vers. 10. *A longè stabunt* &c. vel non audebunt, vel non poterunt illi opem ferre. *Urbs firma* propter opes, potentiam, multitudinem hominum.

Vers. 12. *Lignum thyinum*, ex thya arbore, Rib. thynum potius dicendum existimat.

Vers. 13. *Corporum.* σώματα mancipia denotant; ψυχαὶ gladiatores, quia animas veluti venales habebant. Rib.

Vers. 20. *Lætare super illum cœlum* &c. Πρεσωπ: & allusio ad Jer. 51. 48. Notetur & in seqq. mutatio personæ.

Vers. 21. *Et sustulit angelus* &c. Celeritas supplicii significatur, quodque inde non sit emersura indicatur. Allusio ad Jerem. 51. 63 seqq.

Vers. 22.

Verſ. 22. *Et vox citharœdorum* &c. Illuſtratio interitus per conſequens.

Verſ. 23. *Negotiatores tui* &c. Luxus indicatur, quòd ita ditati fuerint mercatores, ut magnatibus fuerint ſimiles. *Veneficio*, erroribus, ſuaſionibus, promiſſis, &c.

Verſ. 24. *Et omnium* illius enim inſtinctu omnia fiunt. *mactatorum* veritatis cauſa occiſorum.

In Cap. XIX.

IN prima parte cap. congratulationes piorum de excidio urbis magnæ deſcribuntur; in ſecunda ſupplicium Antichriſti; & qui eum ſecuti fuerint.

Verſ. 1. *Vocem.* Lugubribus ſatatorum vocibus lætæ piorum voces opponuntur. *Salus*, Laus ſalutis. *Et potentia*, prædicatio virtutis & potentiæ.

Verſ. 2. *Quoniam vera* ſuprà 15. 3. XVI. 7. *judicia* ſupplicia. *In ſcortatione. In* redundat per Hebr.

Verſ. 3. *Et fumus. Et* pro *nam.* Alluſio præterea ad Eſai. 34. 10.

Verſ. 4. *Amen*, ita fiat.

Verſ. 5. *Et vox è throno* &c. Non apparuit, quis vocem ediderit; interea tamen divinitus profectam fuiſſe indicatur. Veriſimile autem eſt fuiſſe vocem alicujus ex 4 animalibus. Illa enim dicuntur fuiſſe in throno.

Verſ. 6. *Parvi & magni* viles & excellentes. Deut. cap. 1. 17. inf. ỷſ. 18. *Et audivi* &c. effectus vocis. *tanquam vocem populi multi*: Quia non vidit illos & præterea non fuit humana, ſed grandior; quorſum & ſimilitudo ſpectat. *Regnavit Dominus* regem ſe eſſe oſtendit, Piſc.

Verſ. 7. *Venerunt nuptiæ agni* id eſt, inſtat feſtivum illud tempus, quo florebit, deleto Antichriſto, eccleſia hîc in terris, & olim in cœlis. Initia ejus ſunt in terris, complementum erit in cœlis.

Verſ. 8. *Et datam eſt illi* &c. Oſtenditur, ornatum illum aliunde fuiſſe profectum. *Byſſinum enim* particula γὰρ explicandi vim habet. δικαιώματα recte facta Rom. 5. 18.

Verſ. 9. *Et dicit mihi.* Angelus ſci. *ſcribe.* Scribi voluit, quia res magna & certa eſt. *Vocati* ii idem ſunt cum ſponſa.

Verſ. 10. *Hi ſermones.* maximè reſpici videtur ad felicitatem piorum. Quanquam etiam referri poſſint ad interitum Anti-Chriſti. *Veri* irrevocabiles. *Teſtimonium enim Jeſu* &c. Quia teſtimonium illud ex ſpiritu prophetico proficiſcitur. *Prophetiæ* Genitiv. effectûs.

Verſ. 11. *Cœlum apertum*: quia proditurus erat, dux cœleſtis cum ſuo exercitu. *Equus albus* victoriam denotat. Sic ſupra cap. 6. 2, 3. *Vocatus.* id eſt qui eſt. Hebr. *fidelis & verax.* Hæc propterea videntur addita, quia hoc ipſum in cauſa fuiſſe videtur, cur illum fuerit ſecutus fidelium exercitus. Fidelis & verax ratione doctrinæ dicitur, juſtus præterea eſt in præmiis & pœnis diſpenſandis. *Et belligerabit* cum hoſtibus ſcilicet ſuis eos debellaturus. Inſtar ducis enim hîc introducitur.

Verſ. 12. *Oculi ejus ſicut flamma* &c. Significatur eum eſſe perſpicaciſſimum valdeque terribilem. *Diademata multa.* Rex enim regum eſt, & omnia regna illi ſunt ſubjecta. *Habens nomen* &c. Fortè nomen ſermo Dei, Rex regum &c. Confer verſ. ſeqq. & 16. Credibile autem eſt alicubi in veſtibus ſcriptum fuiſſe. *quod nemo novit*, perfectè ſcilic. Sic ſupra de fidelibus cap. 2. 17.

Verſ. 13. *Et indutus veſte* &c. Alluſio ad Eſai. cap. 63. verſ. 1. vide ſuprà cap. 14. verſ. 18, 19. *Sermo Dei*, quia veluti os Dei eſt.

Verſ. 14. *Et exercitus* &c. fideles. Confer ſuprà cap. 17. verſ. 14. *Induti* &c. Introducuntur inermes: quia fide tantùm & innocentia vitæ pugnant.

Verſ. 15. *Gladius acutus.* Vide cap. 1. 16. & 2. 12. *Gentes* homines inprobi gentibus ſimiles. ſup. XI. 2. & 17. 14. Pſal. 9. 26. & 10. 16. & 59. 6, 9.

Calcat torcular, executor eſt divinorum judiciorum.

Verſ. 16. *Et habet ſuper veſtem* &c. Titulis aliis inſignitur, ut conſtet, eum certo victurum hoſtes.

Verſ. 17. *Angelum unum* id eſt quendam. *In ſole* id eſt in loco illuſtriſſimo, ut ab omnibus conſpici atque audiri poſſet. *Dicens omnibus volucribus* &c. Alluſio ad loca Ezech. 39. 7. Zeph. 1. 7.

Verſ. 19. *Et vidi* Altera producitur acies. *beſtiam* ſub qua etiam imago ejus intelligenda eſt, *reges terræ*, Decem cornua.

In Cap. XX.

CONtinentur in capp. ſeqq. vaticinia de temporibus interitum Antichriſti ſecuturis.

In hoc autem cap. narratur 1. lætum aliquid, de mille annis; 2. triſte de bello Gogi & Magogi; 3. de judicio ultimo, ſub quo etiam ejus initia comprehenduntur.

In prima parte 1. oſtenditur, quomodo Diabolus, perſecutionum ſub Antichriſto autor, fuerit coërcitus; 2. effectum ejus rei.

Et vidi. Non ſingula hîc ſpectanda ſunt; ſed potius res tota.

Verſ. 2. *Draconem*, ſub quo, tanquam capite, etiam membra comprehenduntur.

Verſ. 3. *Et obſignavit*, Dan. 6. 17. Matth. 27. 66. *ne ſeduceret.* Per ſeductionem hanc maximè intelligitur incitatio ad bella. Conf. ỷſ. 8. *gentes*, impii ſed maximè extranei ſunt intelligendi.

Verſ. 4. *Et vidi thronos* &c. Effectus Satanæ coërcitionem conſequens. Indicatur, homines ſimiles iis, qui ſunt ab Antichriſto oppreſſi, emerſuros. More judicii res deſcribitur, quia hoc veluti præmium eſt quoddam eorum, qui antea tam gravia ſub Antichriſto erant perpeſſi. *Et judicium* &c. id eſt, facultas judicandi. *Animas ſecuri percuſſorum*: vel ſimile quoddam hominum genus intelligitur; vel ii, qui ſimili ſpiritu, cum illis qui ſub Antichriſto fuerunt oppreſſi, ſunt præditi. *propter teſtimonium*: poteſt active & paſſive accipi. *Et vixerunt*; Piſcat. revixerunt. *regnarunt cum Chriſto.* Erit ſimilitudo inter ipſos & Chriſtum. Nam & ipſi glorioſi ac felices erunt.

Verſ. 5. *Cæteri verò mortui* &c. Intelliguntur homines reliqui præter illos, de quibus jam dictum. Qui dicuntur non revixiſſe, quia non erit tantus eorum numerus, quantus fuit ſub Antichriſto. Nec tamen ejuſmodi judicium inſtituetur, ut videantur penitus damnandi. *Non revixerunt.* Reviviſcent quidem, ſed non ut regnent, ſed ut puniantur.

Verſ. 8. *Gog & Magog.* Magog filius Japheti fuit, vide Gen. 9. per Magog autem certum eſt Scythas intelligi. Per Gogum autem poſſunt intelligi populi feri, qui à Scythis originem traxerunt, ut Parthi, Turcæ, aliique barbari.

Verſ. 9. *Et aſcenderunt* &c. Ex angulis terræ in medium terræ prodibunt. *Caſtra ſanctorum* id eſt Eccleſiam Chriſti. Alluſio ad caſtra Iſraëlitici populi; quibus poſtea reſpondit Hieroſolyma. Similem locum vide Hebr. cap. 13. verſ. 12, 13. *civitatem dilectam* [Deo. ſcilicet]. *Et deſcendit ignis* &c. Supplicia divina. Alluſio ad Ezech. cap. 38. verſ. 22. cap. XXXIX. verſ. 6. Fieri poterit, ut Deus ipſos inter ſe committat, aut peſtem illis immittat, ut colligi poteſt ex Ezech. cap. 38. verſ. 21.

Verſ. 11. *Et vidi thronum.* Judicium univerſale deſcribitur poſt gentes barbaras deletas. *album*, ob ſplendorem & lucem. *Sedentem ſuper ipſum* id eſt, Deum ỷſ. ſeq. ita tamen uti Chriſtus in Deo intelligatur Confer cap. 21. verſ. 5. *à cujus facie fugit terra* &c. Novam rerum faciem ſecuturam indicatur, ſi ad initia eorum, quæ hic deſcribuntur, reſpicias.

Verſ. 12. *Libri aperti ſunt.* Videntur libri intelligi,

in

in quibus impiorum hominum nomina & facta sunt scripta. Opponuntur enim libro vitæ.

Vers. 13. *Et mors & infernus.* Terræ mors & infernus tribui videntur, quia plerique in terra moriuntur.

Vers. 14. *Hæc est altera mors.* Partic. ὅτος videtur referenda ad verbum λίμνη. Ponitur autem in genere Mas. more Sac. Lit. usitato, quo relativum sequenti substantivo respondet. Quanquam alii ad vocem θάνατος vel ᾅδης referunt.

In Cap. XXI.

DEscribitur in hoc capite, & in initio seq. felicitas, quæ supplicium Dei in præced. commemoratum sequetur, non tantum in hoc, sed etiam in futuro seculo.

Vers. 1. *Et vidi cœlum* &c. Mutatio ingens describitur Cum enim insignis est aliqua mutatio, etiam loca, & alia mutari videntur.

Vers. 2. *Et ego Johannes.* Nominis sui meminit, ad faciendum rei fidem. *Vidi.* Dubium est, an bis viderit; an verò breviter id, quod postea uberius descripturus est, innuat. Neutrum absurdum est. *Civitatem*, Ecclesiam militantem, si hoc seculum respicias, saltem ratione conditionis ejus; sempiternam verò felicitatem, si futurum. *Jerusalem sanctam.* Suprà cap. 3. 12. Gal. 4. 26. *Paratam*, omnibus instructam: quod simili sponsæ illustratur. Est autem allusio ad locum Esai. 61. 10.

Vers. 3. *Tabernaculum Dei.* Allusio ad tabernaculum V. T. & ad locum Levit. 26. 10, 12. *Et ipsi populi ejus erunt*, Deus illorum curam geret. *populi*, quia multi eorum erunt. *Deus ipsorum.* Quidam vertunt (ut) *Deus ipsorum.* Sed simpliciter etiam legi possunt verba, Deum fore Deum ipsorum.

Vers. 4. *Et absterget Deus*, Comparate hæc intelligenda sunt. Si ad hoc seculum referantur, cessaturas esse persecutiones indicatur. *neque luctus*, dolor animi, *neque clamor*, injuria scilicet oppressorum.

Vers. 5. *Scribe* &c. Hæc ad præced. ℣s. 3 & 4. pertinent.

Vers. 6. *Facta sunt.* Suprà 16. 17. vel certò fient. *sitienti*, cuivis cupienti. *ex aqua vitæ*, quia vigorem habet ac refocillat. *gratis* ut aqua dari solet.

Vers. 7. *Qui vincit* &c. Suprà 2. 26. *ero illi Deus*, bene factor.

Vers. 8. *Timidis autem.* Qui timore supplicii non audent veritatem profiteri. *infidelibus*, qui credere nolunt. *abominabilibus*, qui execranda faciunt. Denotatur sequentium genus. *& homicidis*, id est homicidis. *scortatoribus.* Tam latè extendenda hæc vox ut omnes impuritati deditos significet. Sic Matth. 5. 32. adulteros denotat. *ipsorum pars.* ipsorum hæc sors & conditio opponitur hæreditati.

Vers. 10. *Et sustulit me* &c. Simile supra cap. 17. vers. 1, 3.

Vers. 11. *Habentem gloriam Dei*, id est, Divino splendore refulgentem. Deus enim ipse eam illuminat. Inf. vers. 23. *Et luminare ejus*, Deus & Christus. Si de hoc seculo intelligas, providentiam & gratiam divinam indicat; *simile lapidi pretiosissimo*, propterea quòd oculos non lædit, sed gratissimus est. *Jaspidi crystallizonti* crystallum referenti

Vers. 12. *Habentem murum magnum*, significatur urbem fore tutam, & neminem posse irrepere aliunde, si de hoc seculo intelligamus; summa vero securitas, si de futuro.

Apocalyps. Ioh. cap. 21. vers. 1 ad 9.

IN verbis his, describit Iohannes, quo pacto sibi fuerit patefactum quæ sit futura rerum facies, & quæ sive piorum, sive impiorum conditio, partim post sublatam, non tantum Antichristi tyrannidem, sed aliarum gentium, quæ Christi religionem penitus deseruerant, infidelitatem; partim denique, post hujus mundi finem. Nam iisdem verbis, conjunctim hæc describuntur, ita quidem, ut nonnulla magis quadrent, ad illa tempora, quæ finem mundi adhuc sint antegressura, nonnulla verò magis futuro seculo conveniant, cujus initium erit, ab hujus mundi fine. Primo autem describitur fœlicissimus piorum status. Deinde, miserrimus impiorum. Prior describitur, per 7. primos versiculos, in quibus Johannes asserit, partim visibili quadam specie sibi adumbratum fuisse fœlicem illum piorum statum; partim oratione, seu voce cœlitus missa explicatum, qua eadem posterior quoque, hoc est status impiorum infœlicissimus hoc loco, fuit Iohanni patefactus; quamquam, nec species illa visibilis, nec vox illa, quantum ex aliis prophetiæ hujus locis conjicere licet, fuit ejusmodi, ut corporeis oculis atque auribus perciperetur, sed internis animi sensibus objiceretur; Iohanne, ut alibi loquitur, in spiritu existente, & extra se rapto. Quod igitur ad specialem illam visionem attinet, in ea depictus fuit piorum status, specie loci pulcherrimi, amœnissimi ac splendidissimi, in quem pii sint aliquando immigraturi, & æternum hæreditaturi, ut inibi beato ævo fruantur. Locus autem describitur duplex. 1. Communis; deinde proprius; quorum ille laxior est, & hunc in se comprehendit; ille per cœlum & terram novam, hîc per urbem Hierosolymam novam describitur. De priori agitur vers. 1. cum utique natura sua præcedat. De posteriori vers. 2. ubi primum, res ipsa simpliciter exprimitur; deinde aliquomodo declaratur, ac confirmatur. Exprimitur simpliciter ibi: *& vidi cœlum novum & terram novam.* Primo ait se vidisse cœlum istud ac terram, explicans quo pacto ea perceperit, & in eorum notitiam pervenerit, nempe, quod species quædam eorum interno ejus sensui, seu mavis visui fuerit objecta, atque ita à sese percepta. Qua de re nil opus est plura disserere, cum præter nudam cognitionem, parum fructus, ad rudiorem auditorem, possit inde pervenire. Quod verò attinet ad rem ipsam, à Johanne perceptam ac cognitam, quæ est loci aliquando exstituri imaginem ac speciem, ea describitur cœli ac terræ nomine. Habitaculum enim hominum commune, & latissime patens, est mundus hic, cœlo & terra constans, & reliqua omnia ambitu suo complectens. Qua in re explicanda, si ad ea respiciamus tempora, quæ finem mundi adhuc sunt antecessura, nulla est difficultas, sed in eo tantum quomodo tunc, & cœlum novum & terra nova sit exstitura, quemadmodum hoc loco prædicitur. Intelligendum igitur est prophetico more, cujus est res novas & inusitatas, easque insignes, insigni etiam ratione, ac magnifice describere, Cœlum novum & terram novam, tunc dici posse, cum rerum prope omnium status mutatur, vel in genere humano, quod in hoc universo, patet latissime, & cui totus hic mundus subservit, insignis quædam existit variatio. Itaque si post durissimam servitutem, qua genus humanum fuit oppressum, sequatur aurea libertas; si post densissimas ignorantiæ tenebras, lux veritatis clarissima oboriatur; si post ingentem luctum, ac infinitas calamitates, ingens succedat lætitia, & beatissimus hominum status, tota rerum omnium facies, videtur mutata, & cum omnia ante viderentur lugere, postea ridere videntur, atque adeo cœlum & terra, mutari, & vultum alium induere. Solemus enim mutationem, quæ in nobis accidit, quæque intus apparet, loco etiam in quo versamur tribuere, & cum nunc lætum, nunc tristem dicere, quodque intus apparet, in rebus etiam extra nos positis imaginari, ita ut statu nostro mutato, locus quoque ipse extra nos mutatus videatur. Hoc pacto apud Esa. cap. 65. & 66. legimus, Deum promisisse, se creaturum cœlum novum & novam terram. Hierosolymam etiam, ut in priori loco habetur, creaturum lætitiam, id est effecturum ut ea, nil aliud esse videatur, quam merum gaudium, cum ante tristis, desolata, ac luctuosa fuerit; quibus verbis, si literalem eorum sensum spectes, nil aliud significatur, quam Deum insignem fa-

cturum esse, hominum, ac nominatim etiam populi sui Judaici & urbis Hierosol. mutationem, eorumque miseriam versurum in fœlicitatem ac lætitiam; atque ad eum locum hic proculdubio respicitur, & majori jure, verba ista, ad hanc rerum mutationem, de qua apud Johan. sermo est, accommodantur, quam olim de illa, quam diximus Judaici potissimum populi status mutatione, fuerant intellecta. Nam mutatio illa, nec tam insignis fuit, & ad carnem tantum, seu terrenæ vitæ statum pertinuit, nec tam late patuit, quam late hæc, de qua in Apoc. est sermo. Hæc enim ad spiritualem potissimum vitam pertinet, quanquam interim etiam terrenam hanc vitam, nonnihil contingit, & non ad unum populum, sed ad omnes spectat; quanquam interea, tanto libentius hujusmodi verbis, usus est Spiritus divinus, ut alia adhuc longe major atque insignior rerum mutatio, ea nempe, quæ finem hujus mundi subsequutura est, simul exprimi possit, ea nimirum, qua fiet, ut huic mundo succedat alius, plane novus mundus nempe ille futurus, qui à Petro quoque posteriori epist. 3. 13. Eodem pacto describitur, dum ait, explicato hujus mundi interitu ac dissolutione, *Novos autem cœlos, & terram novam, secundum promissum ejus expectamus, in quibus justitia habitat.* Vocatur autem locus illæ *cœlum & terra* per similitudinem quandam cum præsenti hoc nostro habitaculo, in cujus locum quodammodo succedit, nobis ex hoc in illud translatis. Quia enim præsens hoc nostrum habitaculum, cœlo & terra constat, ideo futurum illud habitaculum, cœli & terræ nomine describitur, licet alias totum nihil sit aliud, quam cœlum, Satis enim, non ex uno, sed ex multis scripturæ locis patet, nos in cœlis aliquando habitaturos; quare cum proprie cœlum tantum sit, non proprie sed improprie cœlum ac terra simul, appellatur. Novum autem cœlum & nova terra dicitur eo pacto, quo etiam dicitur mundus, seu habitabilis futura Heb. 2. Nempe respectu nostri, & respectu præsentis hujus, quod nunc incolimus habitaculi. Nobis enim, ille mundus futurus est, qui nunc præsens est Deo & Christo, & beatis angelis. Nobis novus, qui hactenus, hunc tantum mundum incolimus, illum oculis nondum cernimus.

Reliqua vers. 1. verba, ut diximus, explicationis & confirmationis cujusdam causa, adjecta sunt, cum inquit, *Primum enim cœlum & prima terra præteriit, & mare non est amplius.* Ubi si priorem sensum hujus loci spectes, nil aliud vult dicere, divinus spiritus, quam statum illum rerum, qui ante fuerit, sublatum esse, quemadmodum ex iis, quæ jam diximus de prioribus verbis, intelligi potest. Ubi tamen observandum est, adjectum esse à Johanne etiam mare propterea quod hoc unum sit ex præcipuis mundi universi partibus, unde nonnunquam præter cœlum & terram, peculiariter commemoratur, alias terræ nomine, cui incumbit, comprehendi solet, ut in prioribus hujus loci verbis contingit. Interim tamen illud quoque notandum est, si priorem hujus loci sensum sequamur, subaudiendam esse vocem Primum, quæ adjecta fuit reliquis partibus, cœlo nempe & terræ, quasi nempe dictum fuisset, Et prius mare, non amplius est. Non est autem hoc loco, curiose inquirendum, quænam in singulis his partibus nominatim facta sit, vel fieri debeat mutatio. Neque enim singula seorsim, sed omnia simul ac conjunctim sumta, consideranda sunt, in priori hujus loci sensu, hoc est, intelligendum est, universum quodammodo mundum esse mutatum, vel mutari aliquando debere, mutato hominum omnium statu; de qua mutatione, antequam desinamus dicere, illud adhuc adjiciendum est, eam non futuram ejusmodi, ut vim cuipiam sit facturus Deus, & eum coacturus, ut statum ac conditionem suam in melius mutet, sed tantum causam sufficientem, & occasionem præbiturum esse Deum, ut ea mutatio reipsa fiat, adeo ut probabile sit, eam etiam, vel in multis, vel in plerisque etiam consequuturam, quemadmodum sane consequetur in omnibus qui non prorsus sunt improbo futuri animo, nec oculos suos, ad veritatis jubar claudant. Ad quod enim efficiendum, omnia facit Deus, quæ salvo hominum arbitrio fieri queunt, ea ita in prophetis prædicantur, atque si reipsa, atque effectu essent futura. Cujus rei exemplum habemus, inter alia, in verbis Hierem. quæ citantur Heb. 8. 11. Quin etiam in verbis Pauli Rom. 2. 26, cum ait omnem seu totum Israëlem servatum iri. Non pauca hujusmodi exstant apud Esai. cum de Christi temporibus vaticinatur. Et hæc de priori horum verborum sensu. Quod ad alterum sensum attinet, intelligendum est, hoc quod spectamus cœlum ac terram, quæ prima dicuntur, respectu eorum quæ successura sunt, seu in quæ nos sucessuri, prorsus destructum iri, & mare jam plane non futurum. Et sane, admodum sapienter Dei spiritus, maris mentionem facturus, omisit vocem *primum* quam adjecit cœlo & terræ, eamque ad priorem sensum complendum, subaudiri maluit, quam expresse ponere, ne posteriorem sensum excluderet. Nam si dixisset expresse, prius mare abiisse, tacite etiam indicasset, aliud mare, in hujus locum successurum, seu fore aliquid in cœlis, quod mari huic respondeat, quale nihil proculdubio futurum est. Cœlo & terræ, erit tamen quod respondeat, erit enim aliquid quod supra nos, & quod infra nos; illud quod tegat, hoc aliqua ratione fulciat; quorum illud cœlo, hoc terræ respondet. Mari vero quod fluidum est, & nonnisi navigantibus locum usumque sui concedit, quid erit quod respondeat? Quapropter simpliciter dicit divinus spiritus, *Mare non esse*, seu non fore *amplius*. Ex his verbis hunc primum percipimus fructum, ne desperemus, fœliciora aliquando successura tempora, & majus veritatis incrementum, propterea, quod angustis adhuc terminis ea videatur contineri, & à potentioribus premi. Speremus potius, aliam rerum faciem inducturum Deum, effecturumque ut iis etiam, qui in umbra mortis sedent, & in densissima ignorantiæ caligine, sol veritatis oriatur, & per totum orbem, radios suos spargat ac diffundat.

Nos spe quadam jucunda, hanc futurorum seculorum fœlicitatem percipiamus, & tamquam præsentem cum Johanne quodammodo videremus, lætemur (quidquid enim Deus promisit, id adeò certum esse apud nos debet, tamquam reipsa jam exstaret) & posteris ea de re gratulemur. Quin etiam, cum non exigua jam ejus fœlicitatis fundamenta collocet Deus, & per eos qui veritatem agnoverunt, & ex tenebris Anti-Christi emerserunt, præparet ea, quæ reliquarum etiam gentium conversioni, futura sunt usui, nos officio nostro, & posterorum fœlicitati, ne desimus, demusque operam, ut veritas ab omnibus erroribus repurgata ita nitescat, ut non possit non esse admirationi infidelibus: eandem præterea, vitæ pietate ornemus, ut inde verbis ac rationibus, hinc factis, alios ad Christianæ religionis societatem pertrahamus. Sed deinde, quod ad alterum verborum sensum spectat, summum inde ad nos redit gaudium, quod novas nobis easq; beatissimas Deus paraverit sedes, in quas nos aliquando transferet. Quare, nil metuamus orbis hujus incendium, cum restet nobis novum cælum, & nova terra. Pereat sanè hic mundus, & in eo & cum eo impii, piorum sedes in corruptibilis est, & ut autor ad Hebr. cap. 12 sub finem ait, concuti nullo pacto potest. Verum hæc spes, tum demum ad nos pertinebit, si fœlicitatem nostram, in terris non reposuerimus, nec terrena, ut Paulus loquitur, sapuerimus, sed illa, quæ sunt sursum, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Quisquis enim spes suas, hoc seculo terminavit, ejus etiam omnis fœlicitas, tum cum mundus hic exuretur, in fumum abibit. Quapropter ita nunc in terris versari debemus, ut cogitemus, nos cœlorum esse cives, ac municipes, hic peregrinos & exules, & cœlestem quæramus patriam. Discimus etiam ex his verbis, posteriori sensu acceptis, quem ex

Petro

Petro rectissime intelligimus, reipsa, totum hunc mundum destructum iri. Non enim ut alii volunt, tantum repurgatum, & in meliorem formam mutatum. Sed de hoc alias.

Hactenus vidimus descriptionem loci communis; sequitur descriptio loci proprii vers. 2, ad quam accedens Joh. veluti fidem narratione suæ conciliaturus ait: *Et ego Joh. vidi urbem*, &c. Nam dum partim suum ipsius nomen exprimit, tamquam testis, minime fallacis, partim modum, quorem, quam narrare instituit, cognoverit, nempe visionem commemorat, veritatem eorum quæ fuerit, nobis persuadet. Duo enim sunt imprimis, quæ fidem orationi ac testimonio alicujus conciliant. Primò, si constet, hominem illum cœteroqui fide dignum esse, de quo suspicio sit nulla, eum scientem prudentem, mendacia cuipiam obtrudere velle. Deinde si constet, eum rem optime nosse, atque imprimis si constet, eum spectatorem eorum quæ narrat, fuisse, & sic non auritum ut dicitur, sed oculatum esse testem. Prius, ut jam indicavimus, docet Joh. dum seipsum, suumque nomen aperit, qui ea fretus autoritate, qua inter Christianos tum pollebat, & apud omnes meritò pollere debebat, ita de se scribit, quanquam in tertia persona ac veluti de altero loquens, cap. 19 historiæ suæ euangelicæ vers. 35. *Et qui vidit testatus est, & verum est ejus testimonium, & ille novit, quòd vera dicat, ut vos credatis.* Et rursus cap. ultimo ℣. 24. *Hic est discipulus ille, qui testatur de his, & scripsit hæc, & novimus, quod verum sit testimonium ejus.* De posteriore jam dictum est satis. Quare, nihil jam restat aliud, quam ut plenam narrationi ipsius, præsertim tam lætæ, fidem adjungamus; quod si fiat, & summum inde percipiemus gaudium, & ad ea facienda compellemur, quæ nos ex Dei benignitate, cœlestis illius urbis, de qua audiemus, cives atque municipes efficiant. Hæc paucula præfatus Johannes, ipsum illum locum describit his verbis: *Vidi* inquit *urbem sanctam Hier. novam descendentem à Deo, è cœlo, paratam, tanquam sponsam ornatam, viro suo.* Ubi primum diligenter considerandum est, quid per urbem istam intelligatur; neque enim omnes inter se consentiunt. Sunt qui cœlum ipsum, æternæ fœlicitatis sedem, per eam intelligunt, cui sententiæ, illud primum obstat, quod vers. 10, cœlum ipsum, seu beatorum sedes, fuerit descripta, per cœlum novum, & terram novam, quemadmodum ibi vidimus. Et sanè quemadmodum Hierosol. vetus, diversa fuit, ab hoc præsenti terrarum orbe, in quo fuit constructa, ita & Hierosol. hæc nova, ab orbe illo futuro, quod nihil est aliud, quam cœlum. Denique, illud quoque huic sententiæ obstat, quod tum hoc loco, tum infra vers. 10, quemadmodum etiam supra cap. 3. 12, de hac urbe dicitur, eam descendere à Deo, ex cœlo, cœlum autem ipsum, quomodo è cœlo descendere diceretur? Nam etsi illud, non satis propriè dicatur, nihilominus tamen, si cœlum ipsum intelligere voluisset, divinus Spiritus, haudquaquam ita videretur loquuturus, ut & probabilitati, & elegantiæ narrationis consuleret.

Sunt alii, qui statuunt, hanc urbem, nil esse aliud, quam Christi Ecclesiam: quibus illud imprimis favere videtur, quod ea infra vers. 9 dicatur sponsa, agni uxor; confer cum vers. 10. Jam verò, nulla alia sponsa, aut uxor agni est, præter ecclesiam: ne commemorem id, quod ℣. 14, narratur ejus urbis murum 12. habere fundamenta, quibus inscripta sint, 12 nomina Apostolorum agni; quæ verba significant fundamenta ejus urbis esse 12 Christi Apostolos. Hi vero Ecclesiæ sunt fundamenta, quemadmodum indicat Apostolus qui ad Ephes. scribens, ait ipsos superædificatos esse, super fundamento Apostolorum & prophetarum; hoc est, quod fundamentum sit Apostoli & prophetæ, existente summo lapide angulari, ipso Jesu Christo, cap. 3. 20. Neque sane, hæc sententia prorsus rejicienda est, sed rectius tantum atque accuratius explicanda. Ecclesia, duobus accipi potest modis: vel pro ipsis hominibus Ecclesiam constituentibus, vel pro eorum inter se conjunctorum ut ita loquar, forma seu statu, conditione, ordine. Urbs hæc de qua, tum hic, tum alibi loquitur Joh. Ecclesia est, non priori, sed posteriori modo accepta. Nam ipsi homines, Ecclesiam sive in terris, sive olim in cœlis constituentes, non pro ipsa urbe, sed pro incolis ejus urbis, in tota hac narratione sumuntur, ut tum ex vers. 3, tum ex aliis 24, 26, 27, apparet. Neque enim quod quis fortè cogitare posset, urbs hoc loco, significat ipsos cives, inter sese junctos, seu ipsam Rempub. sed structuram urbis, ex ædificiis constantem, quemadmodum ejus descriptio, quæ infra hoc cap. exstat, unum quemque docere potest. Quare cum hoc loco Ecclesia quidem sit intelligenda, nec tamen intelligi debeant illi homines, qui Ecclesiam constituunt, quos possis ecclesiæ materiam appellare, restat ut ejus intelligatur forma, status, conditio, atque ordo, quanquam interim non est prorsus excludendus locus ille, qui splendorem ac dignitatem singularem, ecclesiæ huic conciliare queat, quatenus id facit, sed tamen ipse locus per se, minimè intelligendus est. Hoc ita constituto, nova suboritur quæstio, ac difficultas, utrum nimirum intelligenda sit tantum Ecclesia in cœlis triumphans, an verò etiam hæc quæ in terris, militans dici solet; alii hanc, alii illam sequuntur sententiam. Nos secundum ea, quæ ab initio constituimus, utramque sententiam putamus conjungendam, ita tamen, ut quod ad ecclesiam in terris existentem attinet, ea intelligatur, quæ prope peracta jam militia triumphare incipiat, & cœlesti sit simillima. Nam cœlestem omnino intelligendam esse, præter alia maximè insignia, quæ ei hoc & seq. cap. tribuuntur, illud quoque docet, quod vincenti, ejus promittatur hæreditas infra vers. 7, & supra cap. 3. 10. Jam verò illi præcipuè victorum nomen merentur, qui ad finem usque vitæ, strenue depugnantes, servaverunt opera Christi, ut ipse superius loquutus est cap. 2. ℣. 26, & animas etiam suas, pro sanctissimo ejus nomine profuderunt, quibus non amplius, hujus quæ in terris degit Ecclesiæ sed ejus quæ in cœlis est exstitura hæreditas, convenit, ac præmii loco promittitur. Quod verò ecclesia in terris adhuc versans, non sit penitus excludenda, sed etiam includenda, planum facient quædam, quæ in hac ipsius descriptione videbimus, & nonnulla etiam, quæ infra leguntur: quale illud, quod antea quoque commemoravimus; nempe, hujus urbis fundamenta esse 12 Apostolos agni, quod magis ad ecclesiæ in terris adhuc degentis statum, quadrat, quam illius, quæ in cœlis olim exstitura. Adde etiam illud, quod dicitur, reges terræ, illaturos gloriam & honorem suum in ipsam, quasi ipsi nempe dignitatem sint conciliaturi sua majestate, ac dignitate, quam habent regia. At illa, in futuro regno cessabit, & tamquam obscurum lumen, ad cœlestis gloriæ fulgorem, penitus evanescet, nec quidquam ei gloriæ, proprie loquendo conciliabit, quod idem etiam statuendum est de eo, quod dicitur vers. 26. Et *ferent gloriam & honorem gentium in eam.* Adde his illud quod legitur cap. 22. vers. 2, quod folia arboris vitæ, in platea seu foro illius urbis plantatæ, pertineant ad sanationem gentium, quod ægre ad solam ecclesiam in cœlis triumphantem, accommodari potest. Non negamus hujusmodi verba, ad eam quoque suo modo, accommodari posse; sed nimis duriter loquuturum fuisse Spiritum Sanctum si ad eam solam respexisset. At, si sententia nostra admittatur, quæ utramque ecclesiam conjungat, nil est censendum absoni, & à consuetudine divini Spiritus alieni, si de re duplici loquens, quanquam inter sese simili, ejusmodi usus est verbis, quorum alia magis ad hanc, alia magis ad illam, queant accommodari; & sic alia magis huic, alia illi sensui magis quadrent; quod etiam alibi in Sacris Literis deprehendi potest, ubi duplex eorundem verborum est sensus; qua de re, nunc non est fusius differendi locus. Illud adhuc addi potest, quod ad intelligentiam illorum quæ de hac urbe dicuntur, non parum

videtur facere, ita de hac urbe loqui Spiritum sanctum, ut Judaico populo imprimis videatur parata unde 12 portis ejus, nomina 12 tribuum filiorum Israël etiam dicuntur inscripta vers. 12; quinetiam, gentium & regum terræ, peculiariter sit mentio, non tamquam indigenarum, sed tamquam inquilinorum seu advenarum infra vers. 24 & 26. Ne illud nunc commemorem, quod 12 tantum agni Apostoli, qui Judaico populo nominatim erant destinati, fundamenta muri ejus urbis constituuntur, cum decimus tertius, nempe Paulus, peculiariter fuerit Apostolus gentium. Horum autem omnium, quanquam ea quoque est causa, quod ad vet. Hierof. & populum Israël. cujus ea præcipua erat sedes, vel saltem Rempub. ejus populi, in Ecclesia describenda alludatur, quodque gentes, illi populo fuerint veluti insertæ, & in illorum propria venerint, veniantque bona, ipsis à Deo primo destinata; tamen hæc quoque vel præcipua hic videtur esse causa, quod si respiciamus ad Ecclesiam hujus seculi, de iis credibile sit Spiritum divinum vaticinari temporibus, quibus Judæis ostium fidei aperietur, & totus Israël, ut Paulus loquitur, servabitur, quo tempore Judæi, tamquam proprii hujus urbis cives atque hæredes, primas in ea tenebunt. (Est enim euangelium potentia Dei in salutem omni quidem credenti; sed Judæo primum, deinde etiam Græco, seu ethnico) & sic gentes reliquæ credentium inibi quidem habitabunt, sed aliquomodo inquilinis & advenis similes erunt. Similes dico advenis, non advenæ, quia id alioqui negat Apostolus Ephes. 2. ℣. 19. Sed de hoc, uniuscujusque sit judicium. Nunc illud restat considerandum, cur formam ac statum Ecclesiæ, hic quidem aliquatenus triumphare incipientis, ibi verò perfectè triumphaturæ, urbis nomine describat, & sub figura structuræ magnificæ, atque amplissimæ, Joh. ante oculos posuerit, id quod locum proprie dictum, magis quam statum & conditionem rei, videtur significare. Causa hujus rei, ea esse videtur, quod cum Deus Johanni vellet demonstrare, summam fidelium Christi fœlicitatem, iis quæ superius diximus temporibus exstituram, noluerit ea tantum verbis describere, sed etiam imagine quadam proposita, veluti repræsentare, ac depingere, cum magis afficiant, magisque animis imprimantur visa, quam audita tantum. Cum verò posset ipsos homines magnificè ornatos depingere, ut majori involucro res tegeretur, locum sumsit amplissimum, magnificentissimum, splendidissimum, & iis rebus quæ ad jucunditatem & amænitatem pertinent, abundantissimum, in quo fœlicissimum Ecclesiæ statum delinearet, & videndum exhiberet, præsertim, cum jam alibi, personas ipsas Joh. ante oculos posuisset. Urbem autem sumsit potius, quam aliam minorem ædificiorum conjunctionem, propterea quod urbes splendore, reliqua omnia ejus generis antecellant, quemadmodum etiam capacitate & amplitudine, itemque firmitate, & ab hostium incursionibus securitate, quæ omnia in ista Ecclesiæ fœlicitate, sunt necessaria. Status enim ille, & splendidissimus est, & omnes admittit, & capit, & omnes quidem simul; & denique adversus vim hostium atque impetum, securus est. De hac urbe possis etiam illa accipere loca Gal. 4. 26. Heb. XI. 12, & 12. 22. Quanquam alia de cœlesti illa urbe, vel potissimum loquuntur, alia potius de ecclesia, quæ licet origine sua cœlestis sit, in terris tamen adhuc existit.

Vocat autem Joh. *urbem* hanc *Sanctam*, opponens eam aliis omnibus urbibus prophanis, & multi mode contaminatis, ac pollutis. Sancta enim dicitur, quòd nequaquam sit labe aliqua contaminata, sed à rebus omnibus prophanis ac vulgaribus segregata, ac Deo ejusque cultui, penitus dedicata. Hoc enim modo res dici sanctas, alibi * à nobis est explicatum. Simili ratione fuit appellata, urbis hujus umbra, Hierosolyma terrestris, quemadmodum inter alia legimus etiam in N. Test. cap. 4 Mat. ℣. 5, & 27. ℣. 53. Verum nominis seu appellationis causa ita differt, ut ab umbra corpus. Sanctitas enim illa externa erat, ac terrena; hæc quæ in loco nostro intelligitur, interna, spiritualis, ac cœlestis. *Sancta* enim ideo dicitur, quòd nil in se admittat pollutum impietate, ac morum improbitate; quodque ipse Deus ac Christus, ibi sit futurus præsens, & ibi perpetuò colendus, quemadmodum apparet partim ex iis quæ hic sequuntur; partim ex vers. ultimo. Vide etiam cap. sequentis vers. 3 & 15. Quanquam rursus, hæc eadem sanctitas, pro temporum ratione, ad quæ refertur, ipsa quoque diversa est, & perfectionis gradu à se ipsa differt. Major enim proculdubio erit, ac perfectior sanctitas ecclesiæ, in cœlis olim exstituræ, quam ejus quæ in terris, licet cæteroqui, pro humanæ conditionis ac imbecillitatis ratione, optimæ atque perfectissimæ.

Ex his jam apparet, quales eos esse oporteat, qui tam sanctum locum incolere volent, sanctos nempe eos esse, & moribus inculpatis oportet. Qua de re, postmodum plura. Videatur etiam Psal. 14. Itaque exhortandi sunt omnes, ut sanctitatem, eamque non vulgarem, sed cœlestem sectentur, si hujus urbis cives aliquando velint evadere.

Pergit Johannes, & urbem hanc sanctam, alia ratione describit, & paulo specialius, quæ ea sit, explicat, dum ait, *Hierosolymam novam*, Hierosolymam vocat, propter similitudinem & analogian, quam habet cum umbra, seu figura sua Hierosolyma terrestri, quæ in eo potissimum consistit, quod urbs hæc, præcipua esset populi divini, hoc est Judaici sedes, quodque ea cultui divino peculiariter, esset destinata, utpote in qua unicum Dei templum esset situm, in quo Deus habitare dicebatur. Hæc enim urbs, de qua hoc loco sermo est, populi divini sub N. Fœd. qui Israël Dei est, & cum populo antiquo, in hac visione comparatur, sedes propria est, atque unica, divino cultui destinata, ita ut extra eam Deus rite coli nequeat. Ipse denique Deus, ut infra dicitur, in ea habitat. Alia nonnulla, de nomine hujus urbis, & de ratione, cur Ecclesia ita appellari queat, & quas inde doctrinas, debeamus capere, dictum est in explic. loci Heb. 12. 22. Vocat autem eam novam ad dinstinctionem veteris in terra Palæstina existentis.

Addit præterea, unde illa profecta fuerit, dum ait, *Descendentem à Deo è cœlo*, quibus verbis etiamsi id tantum indicare videatur Johannes, quid sibi visum fuerit (visum autem fuit, urbem aliquam magnificentissimam, ex ipsis cœlis in terram descendere) tamen si causam spectes, cur ita Johanni species ejus urbis fuerit objecta, ut è cœlis videretur descendere, ea fuit illius rei causa, quod si Ecclesiæ sive in terris, sive in cœlis existentis formam ac conditionem intuearis, illa primum à Deo constituta, & in ipsius ut ita loquar mente formata, postea ab ipso hominibus patefacta est, & iisdem oblata, ita ut videatur à Deo, ex ipsis cœlis, ubi ille habitat descendisse ad homines, & cum antea ab eorum oculis remota, iisque penitus incognita esset, postea cœlitus innotuisse, & aditu in eam patefacto, ad eos veluti sese demisisse. Deus nempe, urbis hujus opifex & architectus est. Heb. XI. ℣. 10, & cap. 3. ℣. 4, is eam primum construxit, is eam hominibus patefecit, is aperuit ac publicavit, tum ipsi omnis ejus rei gloria, reddenda est. Ex iisdem autem apparet, nil vulgare, nil terrenum, in hac urbe esse, utpote quæ è cœlo descenderit. Quare, nec cives ejus, terrestres, sed cœlestibus moribus, præditos esse oportet.

Addit denique Johannes, Illius splendorem & magnificentiam, dum ait, *Paratam, tamquam sponsam ornatam viro suo*; id est, Ita erat condecorata, & omni ornamentorum genere instructa, quemadmodum sponsa solet ornari, cum viro seu sponso jungenda, & in ipsius domum deducenda est. Solent autem sponsæ, ut notum est, quam splendidissimè, quamque pulcherrimè

* In Ethic. & Paraphrasibus.

cherrimè ornari, ac vestiri. Ex quibus verbis, id potissimum discimus, tum ecclesiam, quæ aliquando in terris adhuc exstitura est, omni donorum cœlestium copia, omniumque virtutum ornamentis fore clarissimam, tum verò multò magis eam, quæ in cœlis olim triumphatura est, non virtutibus tantum, sed multò magis etiam divina quadam gloria, circumfulsuram, ita ut nihil ei desit, quod ad summam dignitatem, splendorem, ac magnificentiam pertineat. Splendebunt enim justi tamquam sol, in regno patris sui, ut habetur Mat. 13.43, vocavitque nos Deus in regnum suum, suamque gloriam 1 Thess. 2. 12. Vel ut Petrus 1 Epist. 5. 10 ait, in æternam suam gloriam, cujus spe nos gloriari dicit Apostolus Rom. 5. 2. Qui idem affirmat corpora quæ aliquando adepturi sumus, futura in gloria, seu cum gloria 1 Cor. 15.43, cum nunc sint decoris expertia & prope ignominiosa. Christus enim e cœlis veniens, transformabit corpus nostrum humile, seu abjectum, ut fiat conforme corpori suo glorioso Phil. 3. 21. Hic autem ornatus, nemini contingit, nisi prius etiam induat ornatum sponsæ Christi, seque ab omni labe repurget, quod quidem Christus ipse, quantum in se est facit. Repurgat enim ecclesiam suam, lavacro aquæ in verbo, ut constituat eam sibi ipsi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut quidpiam ejusmodi, sed ut sit sancta & inculpata. Quanquam autem hoc loco non dicit Johan. hanc urbem esse sponsam, ornatam viro suo, sed tantum ejus ornatum comparat, cum ornatu sponsæ, generalius sumtæ, unde nec articulos in textu apponit, quos apponit infra vers. 9, cum eam sponsam agni appellat, tamen hac metaphora usus esse videtur, quia ea urbs, ejusque ornatus, ornatum exhibet sponsæ Christi, sponso huic suo, vel jam, vel mox exhibendæ, & in thalamum ejus deducendæ, vel jam deductæ atque exhibitæ. Quare liceret, nonnihil hoc loco disserere, de ornatu sponsæ Christi, tum eo, quem ipsa secum ad sponsum afferre debeat, quamquam sponsi opera paratum, de quo supra cap. 19. ℣. 7, 8, tum eo, quo postea ab ipso sponso induetur ac donabitur, quanquam res eadem, potest etiam illo modo explicari, qui verbis Johannis, est accommodatior.

Hactenus retulit Joh. quomodo sibi ecclesiæ futuræ status per spiritualem quandam visionem, fuerit expressus, nunc quomodo idem, verbis quoque cœlitus demissis fuerit explicatus, subjicit à vers. 3, usque ad finem septimi. In quibus verbis, etsi id potissimum agit Johan. ut doceat, quanta sit piorum beatitas, nihilominus tamen, alia etiam quædam quæ huc pertineant, sibi indicata asserit, adeò ut tria possint constitui verborum istorum membra. In primo, ipsa illa fœlicitas Ecclesiæ, exprimitur. In secundo, ejus certitudo demonstratur, tum aliis modis, tum imprimis, ostenso ejus autore; in tertio docetur, quibusnam hæc felicitas sit destinata.

Antequam autem ipsa verba referat, ostendit primùm, quo pacto & unde ea cognoverit, & sic aliquomodo præfatur aditum sibi ad narrationem sequentem struens, dum ait: *Et audivi vocem magnam ex cœlo dicentem.* Simplex verborum sensus, & rem uti gesta est, seu geri aut fieri Johanni visa est significans, facilis est. Quod si aliquid mysterii hic subesse putes, statui potest, vocem magnam ideo à Johanne auditam, quod res hæc clarissime proponi, atque omnibus innotescere debeat, utpote quæ ad homines Christianos, mirum in modum consolandos pertineat. Vox enim clara seu magna, exaudiri ac cognosci, tum à pluribus, tum facilius potest. Ex cœlo vero, partim eandem ob causam, cum cœlum is sit locus, unde vox missa, ad omnium aures pervenire potest; partim verò ad faciendam, verbis inde auditis, fidem. Quod enim è cœlo emittitur, à Deo proficiscitur, à quo nihil nisi quod certissimum, verissimumque sit, proficisci potest. Quæ omnia eo pertinent ut tanto diligentius, verbis his auscultemus, ea perpendamus, ac denique fidem illis tanto majorem adhibeamus.

Sed jam ipsa verba è cœlo pronunciata, quibus florentissimus piorum status exprimitur, videamus. Quorum quidem duæ sunt partes, in quarum priori explicatur, quid boni piis debeat contingere, in posteriori, à quibus malis ii sunt liberandi docetur. Illud fit iis in verbis. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum ipsis, & ipsi populi ipsius erunt, & ipse Deus erit cum illis, Deus ipsorum.* Quibus in verbis partim excitatur attentio, voce *ecce* qua veluti digitum intendit, divinus spiritus, in rem Johannis oculis subjectam, hoc est in urbem, quæ ipsi fuerat exhibita. Rem ipsam quod attinet, totum id, quod piis hoc loco promittitur, continetur arctissima, ac jucundissima, Dei cum hominibus conjunctione; ex qua quidquid est fœlicitatis, in homines redundat.

Ait igitur; *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*, id est: Hæc urbs, quam vides, est tabernaculum, seu habitatio Dei simul atque hominum, quod statim explicat, dum addit. *Et habitabit cum illis.* Quasi dicat; In quo tabernaculo Deus una cum hominibus, commorabitur. Videtur autem in his verbis divinus Spiritus alludere ad vetus illud tabernaculum, per Mosen olim constructum. Nam in eo quoque Deus habitare dicebatur, & aliquo quidem modo, etiam cum hominibus. Nam in exteriorem quidem ejus partem, admittebantur omnes qui erant ex populo, divino cultui vacantes; in interiori verò subinde versabantur sacerdotes. In intima, quam semel in anno pontifex ingrediebatur, Deus super propitiatorio residere censebatur. In hujus tabernaculi locum, successit Christi Ecclesia, tum præsentis tum futuri seculi. Quamquam ipsum quoque cœlum, tabernaculo interiori respondet. Quare, perinde videtur loqui divinus Spiritus, ac si dixisset; Ecce, loco veteris istius ac terreni tabernaculi, in quo Deus inter homines, ac propemodum una cum illis habitavit, habetis aliud, idque cœleste tabernaculum. Locus ad quem videtur allusisse divinus spiritus exstat Levit. 26. 11, 12. ubi ait Deus: *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosque eritis populus meus*; quanquam tabernaculum Dei, eo loco, non materiale illud, Mosis jussu constructum significare videtur, sed habitaculum simpliciter metaphorica loquendi ratione, quasi dicat; Habitabo inter vos, non secus ac si tabernaculum meum, in medio vestri fixissem.

Addit porrò: *Et ipsi populi ejus erunt, & ipse Deus*, &c. Id est: Ita inter se conjungentur Deus & homines, ut hi quidem sint proprius ipsius populus, ipsi penitus addictus, ipse verò cum illis maneat, ac conjuctus sit, tamquam Deus, hoc est benefactor ac protector ipsorum. Quæ verba, magis videntur accommodata, ad Ecclesiæ in terris adhuc degentis statum, quam ad cœlestis, seu ejus, quæ in cœlis aliquando exstitura est. Nam de hac rectius diceretur, ejus habitaculum fore cum Deo, & ipsam cum Deo habitaturam, non verò Deum cum ipsa; quin etiam illa verba, *Et ipsi populi ejus erunt*, ex usu S. L. magis videntur referenda ad homines, cultui ac servitio divino, adhuc incumbentes, quam exantlatis jam omnibus laboribus, eorum mercede tantum perfruentes. Sed tantem possunt hæc omnia, ad ecclesiam in cœlis degentem referri, cum nihilominus dici queat, Dei ibi fore habitaculum cum hominibus & eum cum ipsis habitaturum. Nam si homines habitabunt una cum Deo; & Deus habitabit cum hominibus & commune utrisque erit tabernaculum. Præterea, populus divinus, non desinet esse populus divinus, aut ipsi penitus addictus, quin imo cultui quoque ipsius, qui tamen minimè laboriosus sit addictus. Ut taceam verba illa, *& ipsi populi ipsius erunt* ita posse accipi, ut significarent homines fore Deo charos, & ipsi conjunctos, ita ut sequentia verba, rem eandem aliis verbis explicent. Quanta verò hæc sit fœlicitas, quæ his verbis explicatur, facile à quovis intelligente perspici potest. Nam sive ad hoc seculum referas, illam Dei cum hominibus conjunctionem atque

habitationem, sive ad futurum, summam ea in se complectitur hominum fœlicitatem. Nam quod ad hoc seculum attinet, tum Deus nobis præsens adesse; tum nobiscum habitare dicitur, cum suo nobis favore, sua ope & auxilio præsens adest, nos curat, nos protegit, & omni bonorum copia ditat. Bonorum autem illa copia, hoc quidem loco, non tam de terrenarum rerum, quam de cœlestium affluentia, intelligenda erit. Quid ergo illis potest esse in terris beatius cum quibus Deus habitat? hi vero sunt illi, qui in ecclesia Christi vivunt, quæ templum est, ac domus Dei viventis, quemadmodum docet inter alia Paulus 1 Cor. 3. ℣. 16, 17, cum quo loco conferatur cap. 6. ℣. 19. 2 Cor. 6. ℣. 16. Ephes. 2. ℣. 21, 22. 1 Tim. 3. ℣. 15. Hebr. 3. ℣. 6. 1 Pet. 4. ℣. 17. Quod vero ad futurum seculum attinet, quid augustius, quid optatius est, quam in cœlesti tabernaculo, una cum ipso Deo, supremo rerum omnium monarcha habitare, ac perpetuo vivere? Nam primum ipse locus tam augustus, tam splendidus, magnam conciliabit habitantibus voluptatem, sed multo magis is, qui in eo residet, nempe Deus, cujus conspectu insatiabiliter perfruentur, & à quo perpetui voluptatis ac lætitiæ rivi manebunt. Quodsi fœlicitatis loco duci solet, si cui perpetuo contingat, cum principe aliquo habitare, & ejus conspectu ac consortio perfrui; quid de iis censebimus hominibus qui cum rege regum, ac Domino dominantium, æterno conjungentur tempore, & ejus conspectu gaudebunt. Quare nil restat aliud, quam ut tantæ fœlicitatis desiderio capti, omnibus viribus eo connitamur, ut in hoc Dei tabernaculum recipiamur, quod quidem fiet, si in hoc tabernaculo Dei, quod in terris existit, ita nos gesserimus, ut digni fuerimus ejus incolæ, & singulari cum reverentia, in conspectu Dei, fuerimus versati. Deinde, quanta sit piorum fœlicitas, ex eo quoque patet, quod Deus ille summus, ipsorum Deus fore dicatur, hoc est, quod sit futurus illorum summus benefactor ac protector, ita ut quidquid potest bonorum à Deo in ipsos proficisci, id reipsa etiam fit profecturum. Quid autem non potest præstare Deus? Quapropter pii, merito in Deo gloriari possunt, ut loquitur Apostolus Rom. cap. 5. vers. 11, hoc est, gloriari eum esse suum, ad sese proprie pertinere. Sed ex eodem hoc loco, illud quoque discere debemus, tum demum Deum fore nostrum Deum, & nobis adfore, si nos quoque populus ipsius fuerimus, & ita nos gesserimus quemadmodum populo illius dignum est. Promissa enim Dei nobis proposita, omnia conditionata sunt, & si ad effectum debeant perduci, nostrum officium postulant. Hæc de priori fœlicitatis nostræ parte. Sequitur altera, quæ consistit, in immunitate ab iis malis ac calamitatibus, quibus pii antea fuerint subjecti, quæ quidem prioris partis est consequens. Ex eo enim quod Deus præsens sit adfuturus hominibus tamquam ipsorum Deus, consequetur, ut ab omnibus calamitatibus liberentur.

Hæc autem immunitas, primo generatim explicatur, deinde speciatim. Generatim, cum ait: *Et delebit*, vel *absterget Deus, omnem lachrymam ab oculis eorum*, hoc est quidquid est lachrymabile, quidquid fletum ciere potest, & hactenus quidem lachrymas ciere consuevit, id ab hominibus tollet, atque avertet Deus. Comparat divinus Spiritus Deum tacitè cum matre, quæ lachrymulas filioli sui, aut filiolæ, abstergere solet, & ut flere desinat, hortari ac solari. Summa ergo Dei in homines charitas, & paterna planè benignitas, his verbis insinuatur, & singularis inde manans, hominum beatitas. Verumtamen, quemadmodum cætera hujus loci verba, ita etiam hæc, duplici ratione sunt accipienda, pro diversitate temporum ad quæ referuntur. Nam de futuro quidem seculo, absolute sunt accipienda, cum nihil prorsus in cœlis sit futurum, lachrymabile, nihil flebile, sed læta omnia, & gaudii plena. Sed si verba hæc, ad hujus adhuc seculi Ecclesiam referas, ea sunt restringenda, ad ea mala, quæ præter naturæ cursum, seu naturalem nostram conditionem, nobis eveniunt, & ab improbitate hominum, eorum imprimis, qui à veritate divina sunt alieni, proficiscuntur. Effecturus enim est Deus, ut post illam humani generis reformationem, pace ac tranquillitate fruatur Ecclesia. Quanquam nimirum vix umquam, in hoc seculo est sperandum, ut nil prorsus homines pii patiantur mali, nec ulla ex parte infestentur ab improbis, qui nunquam penitus deerunt, tamen id quod parum est, pro nihilo censetur. Et cum nil gravius perpetientur Christiani generatim omnes, nil lachrymabile, nil flebile pati censebuntur. Simili etiam ratione explicanda sunt sequentia, in quibus speciatim explicat divinus Spiritus illa mala à quibus immunes sint futuri homines pii, quæ quidem sunt ista. *Et mors non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque labor erit amplius*, id quod aliqua ratione confirmatur, vel illustratur: *Quia priora abierunt.* Absolute inquam hæc omnia sunt accipienda, si hæc ad futurum seculum, & statum Ecclesiæ in cœlis degentis referas. Nil enim istorum prorsus locum ibi habebit, vel habere potest, cum ea sint infœlicis hujus seculi propria; sed si ea, ad Ecclesiæ, in terris adhuc versantis statum licet alias fœlicissimum referas, ea ita ut ante diximus, sunt restringenda, & ad ea mala, quæ ab hominibus improbis, veritatis maximè causa inferuntur, coarctanda: Quapropter mors accipienda fuerit, pro morte violenta, luctus autem & clamor, pro eo luctu ac clamore, qui oriri solet, ex aliis calamitatibus, quæ nobis ob hominum improbitatem, incumbunt, qualis est, cum aliorum mortes lugemus: aut cum cæteroqui gravissimè vexamur, in exilium agimur, bonis ac fortunis omnibus exuti in paupertatem conjicimur extremam, liberorum & amicorum egestatem, aliaque mala cernimus, & si quæ sunt his similia. *Labor* denique sumi potest, pro cruciatu, qui corporibus nostris admoveatur. Ita enim sumitur hæc vox, in hoc ipso libro, supra cap. 16. ℣. 10, 11. Et hæc sunt illa priora, quæ tunc sunt abitura; illa nempe, quæ priori statui, & eorum temporum conditioni, quibus tum Antichristi reliquiæ adhuc extiterunt, tum aliarum gentium duravit infidelitas, & à doctrina Christi aversio, fuerunt contentanea; alius tum rerum status, alia rerum facies erit, cum tam illustris, tam ampla dabitur omnibus hominibus in Christum credendi facultas atque occasio. Sed longe laxius hæc verba extendenda erunt, si prima ista referantur ad omnia ea, quæ in hoc seculo fiunt. Omnia enim luctuosa, omnia quæ ex mortali ac corruptibili conditione nostra nascuntur, hac voce comprehendenda erunt. Hinc jam facile est æstimare, quanta sit piorum in cœlis aliquando victurorum beatitudo. Remove nimirum has calamitates, remove mortem, remove luctum & clamorem, remove dolorem ac cruciatum, quid est, quod gaudium ac lætitiam eorum, turbare queat. Hæc sane sunt, quæ terrenam hanc vitam, licet alias cum cælesti haudquaquam comparandam, tristem atque insuavem reddunt. Hæc si abessent, perpetua quadam voluptate, circumfluueremus. Sed nunc quia hæc vitam nostram perpetuo infestant, efficiunt etiam, ut ejus propemodum pertæsi, minus eam amemus, nec de ea retinenda tantopere simus solliciti. Sed ad meliorem fœlicioremque aspiremus, & præsentis jactura, futuram redimere, in lucro ponamus.

Sequitur nunc, ut secundo loco videamus, certitudinem eorum quæ hactenus dicta sunt, quæ partim nude exprimitur, partim aliqua ratione confirmatur: quæ eatenus potissimum ostenditur, quatenus, causa effectuum eorum omnium certissima, demonstratur. Quatuor enim sunt hujus membri particulæ; quarum prima & ultima, de causa efficiente, istorum omnium loquitur, duæ mediæ apertius, de veritate istorum omnium loquuntur.

Prima

Prima particula est ibi: *Et dixit sedens super throno.* *Ecce nova omnia facio.* Quis per eum, qui super throno sedet, intelligendus sit, facile unus quisque perspicit; nempe Deus ille summus, Pater Domini nostri Jesu Christi, ut constat ex cap. 4. & 5. in quo posteriori, manifeste is distinguitur à Christo vers. 7. & 13. Ideo autem hoc pacto describitur, quia Johanni ita fuit per visionem adumbratus. Adumbratus autem fuit ideo, quia Deus imperium summum in omnia obtinet, & res omnes suo nutu gubernat. Nam in thronis sedere, regum est, ac principum potentium, quorum non est, instar famulorum ac servorum, discurrere, sed majoris autoritatis gratia, in splendidis considere thronis, & jussu, imperio, nutuque suo, omnia quæ ad regnum pertinent, administrare ac disponere. Hoc quoties nos cogitamus (cogitare autem debemus semper) toties divinam hanc majestatem adorare, & animi nostri, ut ita dicam genua, coram tanto rege ac monarcha flectere debemus, itaque nos comparare, ut eum revereamur, ejus dicto semper audientes simus, ejusque nutibus omnibus obsequamur. Quod autem ad locum nostrum attinet, id in nobis efficere rei hujus consideratio debet, ut firmiter iis credamus, quæ tantus rerum monarcha pronunciasse hoc loco dicitur. Quodsi enim regibus facilius adhibetur fides, quam hominibus vulgaribus, quidni summo rerum principi ac monarchæ, summa à nobis adhibeatur fides? Quid verò is pronunciasse à Johanne scribitur? *Ecce* (inquit) *nova omnia faciò.* Vox *omnia* pro diversitato temporum ad quæ respicitur, diversimode capienda est. Nam si referatur ad hoc seculum, restringenda est ad ea omnia, quæ statum ecclesiæ Christi concernunt, ad quam omnibus hominibus tum patebit aditus; quamquam fieri potest, ut figurata loquendi ratione, vox ea complectatur, omnia aspectabilia, non quod omnia prorsus innovanda sint, sed quod perinde futurum sit, acsi omnia innovarentur. Mutato enim statu ac conditione hominum, præsertim universorum, mutari omnia, ac locus denique ipse, aliam faciem inducere videtur, quemadmodum supra diximus de cœlo novo, & terra nova differentes. Quænam autem sint res illæ, quæ vere mutabuntur, constare potest, ex duobus superioribus versiculis præsertim verò ex quarto, ubi cum enumerata fuissent quædam mala; additum est, *Quia priora abierunt.* At, si hæc verba referas ad futurum seculum, latius hæc sunt extendenda, quemadmodum etiam diximus, de verbis superioris versiculi: quamquam non tantum ista mutabuntur, verum etiam alia, locus nempe ipse, ut vidimus vers. 1. non tantum quia alius atque alius appariturus sit, sed quia alius reipsa futurus; quin etiam ipsa hominum materia mutabitur, ex qua mutatione illud consequetur, quod vers. 4. est expressum. Hic animo repetendæ sunt doctrinæ, quas versiculis nunc allegatis proposuimus, cogitandumque, Si cupiamus, ut status noster aliquando penitus innovetur, debere nos hic mores nostros renovare, eo pacto, quo Apostolus docet Rom. 12. vers. 2. Ephes. 4. vers. 22. & seqq. Coloss. 3. vers. 9, 10.

Sequitur altera hujus membri particula, quæ continetur ibi: *Et dicit mihi*, id est præterea dicit, seu dixit mihi. *Scribe quia hi sermones, veri & fideles sunt.* Scribere hæc Johannem jussit, in perpetuam rei memoriam & certiorem ejus fidem, addita ratione, quia sermones illi quos hactenus explicuimus veri sunt ac fideles, seu fide digni ac certi, suppressa interim alia ejus rei causa, sine qua hæc vim tantam non haberet, nempe, quod sermones ii contineant res, scitu vehementer utiles, imò necessarias humano generi, ac jucundissimas. Ex quo primum id colligi debet, quod ad rem præsentem pertinet, nempe cum Deus hæc scribi à Johanne voluerit, & posteritatis etiam memoriæ prodi, eadem à nobis legi quoque, ac diligenter considerari debere. Quorsum enim alias fuissent scribta? Deinde, si sermones hi veri sunt ac fide digni, à nobis etiam indubitata fides illis est adhibenda. Quod si quis putet, supervacaneum esse monere propterea quod omnes fidem iis adhibeant, is non considerat, facilius id esse dictu, quam præstitu. Nam si omnes his dictis, fidem vere adjungerent, etiam id omnibus viribus contenderent, ut ea fœlicitate potirentur, de qua sermo fuit hactenus, cum ea sperni à sciente prudente, nequeat. Atqui videmus, proh dolor, perpaucos esse, qui eo vere aspirent, qui ea faciant, quæ ad felicitatem hanc consequendam sunt necessaria. Is enim demum vere eo adspirat, qui nihil eorum omittit, quæ ad tantum bonum adipiscendum spectant. Sed præterea, illud quoque hinc animadverti potest Si Deus ea, quæ modo audivimus quia certa sint ac vera, ac simul scitu necessaria, Literis consignari à Johanne voluit, nullam esse causam, cur non cætera omnia, quæ ad salutem sunt necessaria, quæque is per Christum, aliosque divinos viros pronunciavit, scribi, ac Literis prodi voluerit. Certe par hic est omnino ratio. Quapropter, vehementer illi errant, qui putant exstare aliquod verbum Dei non scriptum, quod in se contineat res ad salutem omnino necessarias, quæ in verbo Dei scripto non comprehendantur, nec ex eo, sanæ rationis adhibito judicio colligi clare, ac perspicue queant. Hoc si obtineatur, quam multa concident religionis ipsorum capita, quæ ipsimet fatentur in Sacris Literis clare haudquaquam contineri?

Sed ad tertiam particulam pergamus, quæ quidem est ibi. *Et dixit mihi. Factum est:* hoc est amplius seu Adhæc dixit mihi verbum autem istud factum est, duplici ratione potest accipi, vel ut summam rei certitudinem tantummodo denotet, quasi dicat; Adeo certo id, quod modo dixi futurum est, nempe omnia me facturum nova, ut perinde censeri debeat, atque si id jam factum esset. Novum non est in Sacris Literis, & maxime in sermonibus propheticis, de rebus certo futuris, ita loqui divinum spiritum, atque si jam facta essent, & præterito de illis uti tempore. Hoc pacto, si verbum istud accipiatur, quid inde nobis sit discendum jam vidimus, cum de certitudine sermonum divinorum, locuti sumus. Apud Deum nempe, non facilius est dicere, quam facere. Quare non minus dictis ipsius credere debemus, quam factis essemus crediturí: quamquam crediturí non essemus, sed visuri. Altera, verbum istud accipiendi ratio est, ut perinde sit acsi dictum fuisset, iis quæ ante dixi peractis, omnia fuerint facta. Nihil enim porro restabit faciendum, quod ad homines suprema fœlicitate donandos pertineat. Potuit autem vel propterea hoc verbo uti Deus per spiritum suum in ista visione loquens, quia ita res ob oculos tum ponebatur, ac si reipsa fieret, ac gereretur. Quare novo cœlo, & nova terra introducta, & Hierosolyma illa è cœlis in terras digressa, potuit Deus dicere factum est. Jam finis est eorum, quæ vel in terris ad fœlicitatem ecclesiæ pertinent, vel in cœlis aliquando exstitura sunt. Sed huic rei non immorabimur.

Sequitur quarta particula, quæ cum prima, eodem contextu fuit pronunciata, quæ quidem est illa. *Ego sum α & ω, principium & finis:* posteriora verba, priora explicant, & alpha pro initio, omega pro fine poni docent: propterea, quod illa initialis, hæc finalis alphabeti apud Græcos sit litera. Sed id ipsum, quod explicationis causa affertur, explicatione quadam indiget. Vulgaris est sententia; ideo Deum (nam de hoc sermonem esse, omnes animadvertunt) appellari initium, quia ab æterno exstiterit, & omnes res antecesserit; sed

ii non animadvertunt, non eadem ratione, Deum posse dici finem, quod post omnes sit exstiturus, cum velit & angelos & homines secum æternum vivere. Quare, ita potius statuendum est, Deum dici α & ω principium & finem quia res eas de quibus sermo est, hoc est omnia, quæ ad salutem nostram pertinent, quod idem ad alia quoque universa extendi potest, & cœperit, & ad finem sit perducturus, ita ut solus utramque ut ita loquar paginam, in toto hoc negotio faciat. Non ita orsus est Deus salutis nostræ rationem, ut alius quis absolveret, & succederet, ipsi hac in parte, minime subordinatus, nec ita ad finem perducet, ut alius ante ipsum, negotium hoc fuerit orsus. Ipse in ea re primus fuit, idem etiam ultimus est. Quo pacto etiam apud Esaiam Deus de rebus similibus loquitur. Simili ratione, de Christo quoque dicitur supra cap. 1. vers. 11. quod sit α & ω primus & ultimus; quæ posteriora verba exstant etiam vers. 17. nempe quia ipse primus salutis nostræ rationem orsus est, ipse ultimus eam perficiet, nec cuiquam ulli hac in parte, munere semel suscepto cedit. Quamquam alia aliquatenus ratione, Deus summus, alia ratione Christus Dominus, primus & ultimus est, in re eadem. Deus, tamquam suprema causa, Christus, tamquam media, & supremæ isti subordinata. Neque ea in re, vel Deus, cum primus & ultimus nominatur, Christo opponitur, vel Christus Deo; sed potiùs alter alteri conjungitur. Opponitur autem uterque iis, qui ipsi minime sunt subordinati. Deus quidem, omnibus simpliciter, Christus autem præter Deum omnibus, cui ipse est subordinatus. Et & alia quædam verba hæc explicandi ratio, ut Deus ideo dicatur principium, quia sit prima efficiens causa; finis verò, quia sit causa finalis ultima, ad quam universa salutis nostræ ratio tendat; sed prior quam attulimus interpretatio, divini spiritus menti, longe magis videtur consentanea. Istarum autem rerum consideratio eo pertinet, ut tanto firmius credamus id fore, quod hoc loco prædicitur. Deus enim qui semel rem hanc cœpit, institutum suum nequaquam deseret; sed quemadmodum id ad finem perducere potest, ita etiam reipsa perducet. Itaque quemadmodum Dominus Jesus supra Johannem, timere vetuit, ac bono esse animo jussit, propterea, quod ipse sit primus & ultimus, qui salutis nostræ opus & cœperit & ad finem sit perducturus; ita etiam hic nobis faciendum est, cum idem de Deo audimus salutis nostræ cupidissimo, qui quidquid hac in parte facturum se dicit, per Jesum Christum efficiet. Ad id etiam hujus rei consideratio prodesse debet, ut omnem fœlicitatis acceptæ laudem, ad Deum, tamquam primum illius autorem, ac supremum consummatorem referamus, & ei pro tanto beneficio gratias agamus.

Hæc de secundo membro. Sequitur tertium, in quo exprimitur. Quibusnam, tanta, quantam hactenus vidimus fœlicitas contingere debeat. Id verò duobus modis exprimitur. 1. Illis verbis, quæ superiori etiam membro, annecti possent, cum in iis quoque causa hujus beatitatis efficiens, exprimatur. *Ego* inquit, Deus, *sitienti dabo ex fonte aquæ vitæ gratis.* Seipsum Deus ait daturum aquam illam vitæ, quia ab ipso primum hoc beneficium manat, licet per Dominum Jesum, seu Dominus Jesus, Dei nomine id sit facturus. Unde supra cap. 7. dicitur; quod agnus qui est in medio throni, sit pasturus fideles suos, & deducturus eos, ad viventes fontes aquarum. Alter, nempe alterum, ut paulo ante diximus, non excludit, sed potiùs propter subordinationem includit. Ait autem se, sitienti, hoc est, vehementer cupienti, ac desideranti, daturum. Vehemens enim est potus insitiente desiderium. Unde alibi Dominus Jesus, hac metaphora usus, dicit. Beatos esse eos, qui esuriant, ac sitiant, justitiam, id est vehementer eam desiderent. Et sane, si recte rem expendas, nil prope dixerim aliud requiritur ad id, ut gaudiis cœlestibus perfruaris, quam ut ea vehementer desideres. Desiderium enim illud te conquiescere non patietur prius, quam id totum feceris, quod ad sitim illam restinguendam, tua ex parte requiritur. Hîc ergo primus est, ad fœlicitatem supremam aditus, & omnis officii nostri fons atque origo. Accommodavit autem divinus spiritus, descriptionem eorum, qui tanto bono, de quo hic sermo est, potituri sint, descriptioni istius ipsius boni. Describit enim illud, per aquam vitæ. Aquæ autem desiderium, sitis est. Quod porro ad bonum istud, id exprimitur his verbis: *Dabo* scilicet sitienti *ex fonte aquæ vitæ*: ubi non tam singula verba, quam sensus verborum, simul junctorum considerandus videtur. Neque enim separatim aliquid videtur dicendum, de fonte, illius aquæ, separatim de aqua; quasi aliud sit, ex fonte illius aquæ bibere, aliud ex illa ipsa aqua quæ de fonte isto manet; sed perinde censendum est, acsi dixisset; Dabo illi de aqua vitæ, ex fonte suo manante; quæ aqua fuit ostensa Johanni, ut legitur infra, cap. 22. ℣. 1. ubi ita ait; Et ostendit mihi, scilicet angelus, purum flumen aquæ vitæ, splendidum, seu clarum tamquam crystallum, egrediens ex throno Dei & agni; unde apparet, fontem illius aquæ, quodammodo constitui thronum Dei & agni, vel ipsum Deum atque agnum. Quod verò ad illam ipsam aquam attinet, ea dicitur aqua vitæ, propterea quòd vitam pariat, quasi vivificam dicas, quemadmodum panis vitæ Joh. 6. pro pane vivifico. Quid autem per hanc aquam vivificam intelligendum sit, non satis liquet. Quodsi ad hoc seculum, verba hæc referas, poteris per eam intelligere Spiritum sanctum: quandoquidem de eo expresse legimus, quòd aqua vivens, seu vivifica, sit appellatus, ut apparet ex illis Christi Ioh. 7. 37 &c. verbis: *Si quis sitiat, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, quemadmodum dixit Scriptura, flumina ex ventre ipsius fluent, aquæ viventis. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in ipsum. Nondum enim erat Spiritus Sanctus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus.* Cum hoc autem spiritu conjuncta est etiam doctrina Christi, & ex utroque manans spes immortalis vitæ, quæ mirificè animos hominum recreat, & reficit, ac desiderium illorum restringuit. De qua aqua disserit Christus apud eundem Ioh. cap. 4. Sed si ad futurum seculum verba hæc referas, verba hæc, non tantum metaphoricè sunt accipienda, sed etiam metonymice, & intelligendum ei datum iri, ex fonte aquæ vivificæ, cui ipsa dabitur immortalitas, & ex ea perpetuum manans gaudium. Quo eodem modo dicitur, vincenti daturus Dominus Iesus edere de ligno vitæ, supra cap. 2. ℣. 7. quia nimirum illi dabitur vita perennis, atque immortalis, ei similis, quam aliquando arbor vitæ in medio paradisi Dei plantata, gignere poterat: nisi quis subtilius velit hæc considerare, & per fructum illius arboris, quemadmodum etiam hoc loco per aquam illam vivificam, intelligere causam, quæ in nobis perpetuam illam vitam pariat ac sustentet, & unde jugiter cœlestia fluunt gaudia. Quemadmodum enim aliquid in nobis est, quod vitam hanc temporariam pariat, & jugiter sustentet, ita etiam aliquid olim erit, quod immortalem vitam in nobis efficiat, ac perpetuo conservet, quanquam illud, non extra nos positum erit, nec externo revera auxilio indigebit, alias immortales revera non foremus, sed semel nobis datum, æternum in nobis perdurabit, nec auferri à nobis poterit. Placuit aliquando, & ne nunc quidem prorsus displicet, ut per aquam illam vivificam, sive ea ad hoc, sive ad futurum seculum referatur, intelligatur immortalis vita, & cum ea conjuncta gaudia, sed in hoc quidem seculo, spe tantum percepta, & partim per spiritum illum sanctum, partim per euangelium Christi, animis nostris influens. In futuro autem, reipsa nobis data. Addit denique divinus spiritus, Deum daturum ex fonte illius aquæ *gratis*, id est absque ullo pretio, alludens simul ad id, quod vulgo fieri videmus, ut aqua publica sit, & absque precio unicuique concedatur. Idem dicitur inf. c. 22. 12. Contra, cum Dominus Jesus loquitur, de

auro

auro igni probato, consulit nobis, ut illud ab ipso emamus sup. cap. 3. 18. cum tamen non minus pretiosa sit hæc aqua, quam illud aurum, similitudini hac in parte aliquid tribuens, sed ita, ut utriusque metaphoræ, sit aliquod in reipsa, de qua agitur fundamentum. Et hoc quidem plane proprie dicitur, quod gratis ea nobis Deus largiatur, quia nullum vel à nobis ipsis, vel ab alio, nostro loco ac nomine precium ullum revera accepit. Rursus autem emitur aurum à Domino Jesu, quia aliquid saltem, quod precio cuipiam respondet, ad id comparandum requiritur. Studium nempe, ac labor noster.

Ex his discimus 1. Qua re nobis imprimis sit opus, si sempiterna vita & gaudiis cœlestibus, perfrui velimus, nempe ut quam maximum tanti boni desiderium, in nobis excitemus, & instar sitientium ad illud anhelemus. Ita enim facile futurum est, ut instar cervæ siti ardentis, curramus ad illum fontem aquæ vivæ, nec conquiescamus, priusque sitim illam nostram restinxerimus: non restinguemus autem plene, priusquam suprema illa fælicitate potiamur. Desiderium autem tanti boni, in nobis excitabimus, si hanc vitæ aquam, velut prægustaverimus, & prælibaverimus, hoc est, summam ejus suavitatem animis nostris perceperimus; quod fiet, si de ea dies noctesque cogitabimus. Plerique quidem sibi persuadent, se cupere tanto bono potiri; sed non omnes, imò perpauci, revera sitiunt hanc aquam, cum ita languide cupiant, & levissimam etiam voluptatem suavitati hujus aquæ vivificæ, ante ponant; atque hinc sit, quod tam pauci ad cœlestem vitam, ut par est, aspirent, atque contendant, ac proinde etiam, eo perventuri sint. Utinam tantum in animis nostris, aquæ hujus desiderium excitare possemus, quanto sæpe tenemur, aquæ hujus terrenæ, è qua ut Domini Jesus loquitur, qui biberit, iterum sitiet, cum ex illa, quam ipse dare solet, qui biberit, sititurus non sit in æternum, sed aqua illa, futura sit in ipso, fons aquæ salientis, in vitam æternus Joh. 4. vers. 13, 14. Sed nos corpori magis addicti sumus, quam animo, ea causa est, cur magis de aqua ea simus solliciti, quæ corpori reficiendo servit, quam, quæ animæ, cum fieri contra deberet. Deberet ante oculos nobis esse id, quod de pane vitæ, idem Christus apud Johannem docet, eum nempe, qui illum comederit, in æteruum victurum, cum contra Patres Judæorum, qui manna illud è cœlis lapsum comederunt, mortui fuerint, & nil illis cibus tam præstans ad vitæ perpetuitatem prosuerit.

Denique, consideranda est hoc loco, summa Dei benignitas, quæ gratis nobis tantum bonum largitur, seu absque ullo nostro merito, imo etiam absque alieno. Nam si alius quispiam, nostro nomine, vere fuisset meritus, gratis eam Deus non daret. Quicunque enim pretium, à quocunque tandem acceperit, is quod dat, gratis nondat. Hac occasione potest aliquid differi, de merito Christi ejusque satisfactione, sed breviter.

Alter modus, quo describuntur ii, quibus tanta fœlicitas destinata, continetur iis verbis, *Qui vincit, hæreditabit omnia, & ero illi Deus, & ipse erit mihi filius.* Quibus tamen verbis, quemadmodum & superioribus ipsa quoque fœlicitas, quæ superius fuit explicata, exprimitur. Homines verò ii, quos fœlicitas ea maneat, describuntur nomine vincentium, quæ vox iterum prodiversitate temporum, aliter atque aliter est accipienda, hoc est, nunc perfectiori, nunc imperfectiori ratione, & perfectiori quidem, si ad futurum seculum referatur; imperfectiori vero, si ad præsens. Nam si de præsenti seculo accipiatur, is victor appellabitur, qui ita superaverit hostes suos spirituales, atque imprimis hunc mundum, & calamitates, quas homines hujus mundi, ipsi opposuerant, ut eum à veritate divina, absterrerent, ut nullo modo passus fuerit sese ab ejus amore ac professione abduci. Qui enim talis fuerit, is eo tempore, cum sublatis Anti-Christi erroribus & aliarum gentium infidelitate, ecclesia Christi illustris constituetur, adibit hæreditatem sanctæ illius urbis, omniumque bonorum spiritualium, quibus ea affluet. At si per hæreditatem omnium, possessionem cælestis fœlicitatis, quæ futuri seculi est propria, intellexeris, is demum victoris nomen merebitur, qui hostes suos penitus vicerit, neque usque ad mortem, iis succubuerit, sed potiùs si res tulerit, fortiter pro nomine Christi, occubuerit, & mortem acerbam ferendo, vicerit. Nam cum omnes, qui peccati jugum excusserunt, & sic carnem cum concupiscentiis edomuerunt, atque ut Paulus ait, crucifixerunt, mundi hujus illecebras omnes spreverunt, & omnes Satanæ machinas, quibus animum ipsorum expugnare tentaverat, eluserunt, victores appellari merentur, præsertim si usque ad finem vitæ, palmam hanc sibi eripi non patiantur, tum verò ii imprimis victores censentur, qui ne mortem quidem violentam justitiæ causa subire detrectaverint, sed eam alacri animo, pro Domini sui nomine ac gloria adierint. Unde facile est intelligere, quid nostri sit officii, quidque perpetuo meditari, & opere ipso præstare nos oporteat, si cœlestium bonorum hæredes fieri cupiamus. Pugnandum nempe est cum hostibus nostris, & primo quidem nobiscum ipsis, hoc est, cum carne nostra, quæ nos externis nostris hostibus prodit. Nihil enim vel Satanas, vel mundus adversum nos posset, nisi caro cum illis colluderet, ac conspiraret. Difficillima autem unicuique secum pugna est: propterea, quod nosmetipsos, vehementer amamus, & durius in nos consulere horremus. Sed quo difficilior pugna est, tanto gloriosior est de seipso parta victoria, nec ullus præclarior triumphus, est eo, quem quis de seipso subjugato reportat: quare, contundendum est, ut Paulus de seipso loquitur corpus, & in servitutem redigendum. Quod quidem fiet, si spiritus Christi in nobis habitabit. Nam, si quidem Christus in nobis habitat, corpus quidem mortuum erit peccato, spiritus autem vivet justitiæ, ut docet idem Apostolus Rom. 8. Similiter etiam, si fides in nobis habitabit, mundum vincemus. Hæc enim est ea victoria, quæ vincit mundum seu ejus victoriæ causa 1 Joh. 5. si Dei sermo in nobis habitabit, validi erimus & vincemus illum malignum, seu Satanam. 1 Joh. 2. 14. Nil est difficile credenti, & certaminis hujus brabeum, quod Christus agonotheta nobis ostentat, semper ante oculos habenti. Quantum in hac victoria, de qua hic sermo est, situm sit, si quis plenius velit cognoscere, perlegat conclusiones singularum epistolarum Domini Jesu, quas ad ecclesias Asiæ scripsit Dominus Jesus, quæ describuntur supra cap. 2. & 3.

Quod ad descriptionem fœlicitatis, quæ hoc loco annexa est, attinet, ea duplex est. Prior ibi: *Qui vicerit hærettitabit omnia.* Per omnia ista, intelligenda sunt, tum urbs illa, superius descripta, tum ea omnia quibus illa abundat bona, quæ qualia sint, ex hactenus dictis, satis apparet, quanquam uberius id totum describitur, reliquo hoc capite, initio facto à vers. 10. quinetiam initio cap. sequentis, per aliquot versiculos, quæ omnia quatenus tempus tulerit ac necessitas postulaverit, perlegi, ac breviter percurri poterunt. Cum vero dicitur, victorem hæreditaturum omnia, significatur eum, pleno stabilique jure, ea adepturum, ac possessurum, qua voce, non semel utitur spiritus divinus, cum de futura nostra fœlicitate ait; quanquam in ea simul, respici eò solet, quòd nos Dei filii simus, à Deo adoptati, ac proinde etiam hæredes, ut Paulus disputat Rom. 8.

Hic denuo possunt excitari auditores, ad desiderium & spem tantæ fœlicitatis, potestque contentio fieri, inter bona cælestia & terrestria, interque stabilitatem possessionis illorum, & instabilitatem, atque incertitudinem possessionis horum.

Illud

Illud etiam non est prætermittendum, quod cuivis vincenti promittatur, quòd sit hæreditaturus omnia, cùm tamen omnes sint hæreditaturi. Nempe, ita bona illa cœlestia comparata sunt, ut perinde sit, ac si singuli omnia tenerent, cum unius cujusque tanta sit futura fœlicitas, ut majorem capere non possit, nec ideo, quod hic omnibus perfruatur, alteri quidpiam inde sit decessurum. Ita enim exuberat cœlestium bonitas, ut omnes expleat, & tamen redundent, contra quam in terris accidit, ubi si unus possidet omnia, cæteri eorum possessione excluduntur. Altera descriptio illius fœlicitatis est, vel si mavis illius quædam causa, cum porro addit divinus spiritus, *Et ero illi Deus, & ipse erit mihi filius.* Ideo enim is qui vicerit hæreditabit omnia, quia Deus, illius erit Deus, & ipse Dei filius, quemadmodum jam ex parte monuimus. Sed tamen si hæc de effectu ipso intelligentur, idem quod priora verba, in sese complectentur. Deum enim alicui esse Deum significat, ut supra vidimus, Deum, esse summum illius benefactorem, & sua ad illum beandum potentia uti. Rursus, quempiam esse Dei filium, & hoc & non paucis aliis scripturæ locis, significat, Deo instar filii, charum esse & eo esse loco ac conditione, qua filium esse oporteat. Neque enim hoc loco sermo est, de re, ad officium nostrum pertinente, qualis est similitudo, quam ratione sanctitatis cum Deo habere debemus, quæ nos Dei filios constituit; sed de re, quæ ad conditionem, fœlicitatemque nostram spectet, & præmium sit laboris, atque officii nostri. Quantum hinc solatii fluat, quivis videre facile potest. Quanta autem dignitas est, adeo Deo esse charum, ut Deus, tibi sit Deus, & tu ipsius filius, ut jure cum Johanne exclames. Videte, quantam charitatem nobis dederit pater, ut filii Dei dicamur 1 Joh. 3. vers. 1. Atque hæc multis modis amplificari pro concione queunt; sed quanto plus est hac in re gaudii, tanto plus etiam esse debet virium, ad nos monendis, ut vincere velimus, cum nonnisi victori, hæc sint promissa, atque ut cum Deus nos pro filiis suis agnoscere, atque habere velit, nos quoque ita nos geramus, ut filii ipsius, merito dici possimus, hoc est, sanctitate ipsi evadamus similes, & tamquam benignissimum nostrum patrem, ardentissime amemus; quod fiet si mandata ejus observemus. Hæc enim vera in Deum charitas est 1 Joh. 5. vers. 3. Obiter hic observari potest, in Græco, voci filii, præpositum esse articulum, cum tamen hoc loco, generale sit vocabulum. Similis esse videtur usus articuli Matt. 18. vers. 15. in voce ὁ ἀδελφός, atque imprimis vers. 17. in nominibus ὁ ἐθνικὸς, ὁ τελώνης.

Absolvimus hactenus priorem, majoremque hujus loci partem, quæ est, de fœlicissimo piorum statu, partim in hoc, partim in futuro sæculo. Sequitur nunc miserrimus impiorum status ac conditio vers. 8. ubi tum aliquot impiorum genera enumerantur, tum miserrimus illorum status describitur. Quod ad prius attinet, tria potissimum eorum videntur exprimi genera, quorum tertium in alias iterum species seu genera distribuitur. Primum est, hominum *timidorum*, per quos non ii sunt intelligendi, qui natura sunt meticulosi, & in periculis trepidare solent; sed ii qui tantum valere sinunt metum calamitatum, tormentorum & mortis acerbissimæ veritatis causa propositæ, ut vel veritatem amplecti eam ob causam nunquam audeant, vel ubi amplexi fuerint, ab ea deficiant, eamque profiteri non audeant, à quo timore Christus discipulos suos dehortatur Matth. 10. ubi ait. Ne timueritis ab iis, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, & 1 Petr. 3. vers. 14. nam quod alias, ad naturalem illum timorem ac trepidationem attinet, quæ tamen haudquaquam tantarum est virium, ut quis à recto deciscat, videmus eam, in ipsum quoque Dominum Jesum cecidisse qui ipsemet de se ait, Animam suam turbatam esse Joh. 12. 27. imo etiam turbatam esse, usque ad mortem, & alia his similia, de ipso testantur euangelistæ. Unde facile perspici potest, nihil id constantiæ ac fortitudini Christianæ, demere laudis apud Deum, si quis periculi magnitudine terreatur, imo ita obfirmet animum, ut à veritate aut pietate, nulla ex parte dimoveri se propterea patiatur; imò propemodum laude dignior est, ejus constantia, qui licet ob naturalem quandam imbecillitatem, vehementer percellatur, imminente periculo, nihilominus tamen perduret, & nilse, religioneque sua indignum committat, quam qui ob naturalem quandam animi magnitudinem, nullo in periculo trepidet, & absque ullo metu, mortis discrimen adeat. 1. Ille enim nihil naturæ imputat, hic multum. 2. Illius constantia, validioribus arietibus concutitur, quam hujus, & tamen non minus, quam hæc perstat. 3. Quanquam & illud animadvertere licet, viros nonnunquam majores, & cæteroqui validiores, magis in hujusmodi certamine trepidasse, quam imbecilliores, quales alias sunt plerumque homines imbecillioris, aut sexus, aut ætatis, propterea quòd horum imbecillitatem Deus, majori quodam fulsit ac firmavit robore. Virtus enim Christi, in imbecillitate perficitur. 2 Cor. 12, & in iis magis apparet, divina id fieri virtute, quòd tam alacri, atque imperterrito animo, extrema subeant discrimina, quam in firmioribus. His autem, minus est opus subsidio, & satius est tum, eos sibi quodammodo relinqui, & præter id, quod ante ex Christiana religione compararant robur, alio extraordinario, non armari. Ita enim melius illorum apparet fides, constantia, atque in Deum pietas, melius etiam, quantum doctrina, ac religio Christi sanctissima, in hominibus efficere queat. Quare ut ad rem nostram redeamus, ii demum timidi ex mente divini spiritus, hoc loco censendi sunt, quos metus transversos agit, & à recto tramite abducit. Ideo autem horum mentionem hoc loco fecit Joh. & quidem initio, quia non pauci proculdubio tales fuerint, sintque exstituri ecclesiæ renascentis tempore, & ex Antichristi tyrannide exeuntis, aut infidelitatem gentilem abjicientis. Eo enim tempore, gravissimæ, ut tum res ipsa unumquemque monet, tum hic Apoc. liber abunde docet, existere debuerunt, & ex parte adhuc exstituræ sunt aliquando persequutiones, adversus eos, qui Antichristi jugum vel excusserunt, vel adhuc excutient, quive gentilibus erroribus relictis, Christianam religionem amplectentur. Nam Antichristum tyrannidem suam stabilire velle, nec posse pati, ut ab eo tot hominum millia desciscant, eos etiam qui errores veteres adamaverint, eos ferro & igni velle defensos, & Satanam ægerrime ferre, hunc ut ita dicam, bolum sibi è faucibus eripi, quivis facile perspicit. Quare cum non omnium is sit animus, eaque fortitudo ac constantia, ut persequutiones, calamitates ac mortem denique acerbam, veritatis causa sustinere velint, quis non videt, illius mutationis de qua diximus, tempore, multos exstituros fuisse, atque adhuc exstituros esse timidos, atque ignavos, quos hic divinus spiritus designat, & hos quidem ab initio collocat, ne quis fortè putet rem levem esse, timore victum cedere, & tantum iis, qui prorsus nolint veritatem amplecti, aut in apertis sceleribus hæreant, sempiternam perniciem, repositam esse arbitretur. Quapropter adversus timorem perpetuo obfirmandus est animus, & fortitudo ac constantia Christiana comparanda, quæ in eo cernitur, ut nosmetipsos abnegemus, id est vitam ac corpus nostrum, pro alieno quodammodo ducamus, ejusque nullam habere rationem decernamus, tamquam si ad nos haudquaquam pertineret. Quinetiam crucem tollamus, & quidem quotidie, id est ita animum comparemus, ut non tantum ad aliud aliquod levius vel calamitatis vel mortis genus; sed ad genus mortis acerbissimum, simul & ignominiosissimum, quale crucis olim fuit, parati simus, idque ita, ut mortem non è longinquo prospiciamus, sed tamquam præsentem intueamur, non secus atque si instar maleficorum, crucem in humeros tolleremus, ad supplicii locum eam deportaturi,

eaque

eaque in re, Christi ducis nostri vestigia sequamur, qui tum cum hæc diceret animo, postea etiam corpore, ac reipsa, crucem fustulit, eamque in locum, morti ipsius destinatum detulit, & ei fuit affixus. Si quis eum animum, nondum sibi comparavit, is Christi discipulus esse non potest, id est, talis non est, qualem esse eum oportet, qui Christi discipulus fieri velit. Nam vel Christi discipulus, nulla ex parte evadet, vel esse desinet, ejusque conditio, deterior erit conditione ejus qui nunquam veritatem agnoverit. Qua de re vide ultimam partem Luc. 14. 26, 33, 34.

Sed jam tempus est, ut ad alterum impiorum genus accedamus, quod continetur, nomine *infidelium* quo intelliguntur ii, qui veritati divinæ, in lucem denuo productæ, & ex Antichristi, ac gentilitatis tenebris erutæ, fidem adhibere noluerint, quomodo hoc nomen, tum in Sacris Literis tum in communi sermone, apud Christianorum vulgus accipi, nemo ignorat. Distinguuntur enim hi, tum à timidis, qui fidem adhibuerant veritati, sed ab ejus professione, ob metum fuerant abducti, tum ab exsecrabilibus, seu iis, qui variis sceleribus fuerint polluti. Hic ostendi potest, ex Sacris Literis, quantum fuerit opus, quam grave sit peccatum, veritati non credere. Nam cæteroqui in piorum cætu, minus de hoc, quam de priori, id est, de timiditate, est dicendum, nisi forte eatenus, ut gaudeant, se in eorum numero non esse. Indicatur ergo hoc loco, non ita veritatem tum temporis patefactum iri, ut omnes prorsus cogantur ei fidem habere, eamque amplecti, sed perseveraturos nihilominus in infidelitate eos, in quibus Deus hujus seculi, excæcaverit mentes, ut loquitur Paulus, ne illis splendeat illuminatio euangelii, gloriæ Christi 2 Cor. cap. 4. 4. Quos enim excæcat amor peccati, cujus autor est Diabolus, ii lucem veritatis, peccato cuivis, vehementer adversantis, cernere nequeunt; suntque instar vespertilionum, ad lucem solis meridiani.

Sequitur impiorum genus, quod continetur voce *Exsecrabilium* vel *Abominandorum* quod quia, tum à timidis tum ab infidelibus distinguitur, facile est intelligere, id de iis esse intelligendum, qui opere ac factis impietatem exercent, ut quemadmodum priora duo vitia ad veritatis cognitionem ac professionem spectabant, ita hoc ad vitam & mores. Verum, quia exsecrabilem esse, non certum aliquod impietatis genus designat; sed consequens quoddam omnium scelerum ac flagitiorum est (omnes enim qui aliquod impietatis genus exercent, Deo sunt abominabiles, & hominibus esse debent) ideò recte statuitur, genus eorum quæ sequuntur scelerum, vel potius sceleratorum nempe homicidarum, scortatorum, veneficorum, & idololatrarum; possis etiam dicere, mendacium, quod potest confirmari collatione verborum, ultimorum hujus cap. ubi sceleratorum genera illa, quæ hic enumerantur non recensentur, sed generali nomine eorum, qui aliquid faciunt commune seu pollutum, quique faciunt abominationem, seu exsecrationem includuntur, quibus nominatim adduntur ii, qui faciunt mendacium, fortasse propterea, quod potuisset quispiam arbitrari, peccatum hoc, quod verbis tantum committitur, levius esse, quam ut nomine exsecrationis, seu abominationis comprehendatur. Quare, ne fortasse quispiam putaret, id à possessione aut ingressu futuræ Hierosol. homines minimè arcere, nominatim id exprimere maluit spiritus divinus, quam generali illa oratione includere, ne præteritum putaretur, quod vel propterea minimè prætereundum erat, quod ibi, ubi veritas divina locum non invenit, veritas prope omnis exsulare soleat, & mendacia passim regnare. Quare, illud jam sit à nobis constitutum, per exsecrabiles homines eos intelligi, quorum vita est scelerata, ita ut eos Deus & pii omnes merito aversentur. Quanquam autem hoc non de quibusvis, qui aliqua in re peccare consueverunt, hoc loco videatur dici, tamen ad quosvis, aut cujusvis generis peccatores, extendi non injuria potest. Omne enim peccatum, Deo est abominabile, & hominem etiam ipsum, præsertim si peccatum ipsum agnoscendi & resipiscendi occasionem habeat, eidem abominabilem reddit, alium quidem magis, alium minus, pro ipsorum delictorum gravitate, ita tamen omnes aversatur Deus, ut nolit illos, in cæleste illud domicilium intromittere, sed velit eos æternum perire. Quo loco dissèri possunt quædam, ad peccatorum odium conciliandum, & ostendi, quam fœda, quamque invisa sit res Deo, peccatum, ac proinde quantopere hominis animus ab eo debeat abhorrere. Inquinamenta nempe carnis, aut spiritus, sunt peccata, ut ea Paulus appellat, quare quemadmodum abhorrere solemus à rebus fœdis, & turpiter conspurcatis, ita multò magis à peccatis; & quanto ea graviora sunt, eo magis; quanquam nullum leve, nullum contemnendum censeri debet. Nihil enim parvum, vel contemnendum, quod sempiternæ vitæ possessione, te excludere, & in æternum interitum, conjicere te possit. Sequuntur jam species, quas vocant, seu genera istorum exsecrabilium, seu hominum sceleratorum, eaque si mendaces etiam, hoc nomine complecti velis, numero quinque. Primum est *homicidarum*. ubi primò animadvertendum est, particulam *Et* quæ interjicitur vocibus exsecrabilium & homicidarum, perinde esse accipiendam, ac si dictum esset, id est. Vel nempe, hoc pacto, Et exsecrabilibus, hoc est homicidis & scortatoribus &c. Quinam autem sint homicidæ, vulgò notum est, ii nempe, qui homines præter jus fasque occidunt. Neque enim hoc nomine magistratus v. g. qui maleficos capitis supplicio afficiunt, quos ita Dei lex punire jubet, comprehenduntur: licet de eo nihil nunc dicamus, utrum id ex Christi disciplina facere liceat, nec ne; hoc tantum asserimus eos homicidarum nomine non comprehendi; quatenus jure, quod vel lege divina, vel natura ipsa nititur, id faciunt, sed si ii injuria id faciant, ut cum eos qui divinam veritatem profitentur, eamque negare nolunt, publica licet autoritate, è medio tolli curant, quod idem multo magis de privatis statuendum est, quibus ne alias quidem quempiam occidendi potestas, præsertim ordinarie permittitur. Et sanè, non injuria quispiam id suspicari potest, ideò homicidas primo loco commemorari, inter exsecrabilium hominum genera, quòd inter eos qui Hierosolymam cœlestem ingressuri non sunt, plurimi semper exstiterint, & porrò etiam exstituri sint, qui veritatis divinæ professoribus necem moliantur, atque adeò afferant; quemadmodum tum Sac. Lit. dicta, tum experientia ipsa, abunde docet. Nam qui veritatem ac pietatem oderunt, facile etiam oderunt veritatis ac pietatis studiosos, imò aliter fieri vix potest, quemadmodum etiam intelligitur ex cap. 2. Sapient. & Joh. 7. 7. & 15. 19, 21. & 16. 2, 3. 1 Joh. 3. 12, ut rectissime dictum sit à Paulo, omnes, qui in Christo Jesu, pie vivere volunt, persequutionem passuros 2 Tim. 3. 12. sed non sunt tamen hinc excludendi cæteri etiam homicidæ, qui alia quavis de causa, alios è medio tollunt, aut tollere etiam è mediò conantur, quod peccatum sub lege, imò & ante legem, nonnisi sanguine homicidæ, expiari voluit Deus, & terram sanguine hominis effuso, pollui asseruit. Gravissimum sanè scelus est, eum qui ad imaginem Dei sit conditus, & ejus majestatem ac gloriam quodammodo repræsentet, è vita tollere, eaque de causa inter scelera quæ Deus in decalogo prohibuit, ad proximum spectantia, primo loco homicidium est collocatum. Dico inter scelera quæ prohibuit, seu inter peccata ut vocant negativa, & latissime patentia. Nam id quod præcessit affirmativum est, & ad liberos tantum spectat. Hinc ergo moneri possunt omnes, ut sibi quam diligentissimè caveant tum ab ipsa cæde, tum ab iis omnibus quæ ad cædem tendunt, qualia sunt vulnera, plagæ, aut quæ hæc ipsa etiam antecedunt, ut sunt rixæ, indignatio, atque ira exæstuans, atque odium, quod ipsum pro homicidio in Sac. Lit. reputantur, cum ut ait Johannes, qui odit fratrem suum homicida sit 1 Epist. cap. 3. vers. 15. ubi ait: Et nostis, quòd omnis homicida non habet vitam æternam in

seipso

seipso manentem, id est, spem illius vitæ nullam habet, nec eam adipisci potest.

Sequitur alterum exsecrabilium genus, nempe *Scortatores* per quos hoc loco adulteri etiam atque adeo omnes, qui impuram libidinem exercent, intelligendi sunt. Neque enim adulteros præsertim postquam homicidarum fecisset mentionem, omisisset divinus spiritus. Simili ratione, accipitur hæc vox 1 Tim. 1. vers. 10. ubi etiam homicidis subjunguntur scortatores, & quidem ita, ut ad decalogi præcepta, in quibus adulterium nominatim prohibetur, manifesta quædam sit relatio. Videatur etiam Mat. 5. 32, & 19, 9 ubi simili ratione, vocabulum scortationis sumitur, Adde & Rom. 1. 29. Quamquam nonnunquam, ut in locis ad Rom. & ad Timot. à nobis citatis, videtur hoc vitium distingui ab illis libidinum generibus quæ naturæ fines, prorsus excedunt; sed hoc loco nihil prohibet, etiam illa comprehendere, cum nihil hic sit, quod ea excludi, aut à scortatoribus distingui arguat; quemadmodum in duobus illis locis contingit, in quibus vel antea, vel postea demum eorum fit mentio. Est autem hoc scelus, Deo admodum abominandum. Unde Petrus posteriori epistola cap. 2. cum dixisset ℣. 9. Dominum nosse, pios quidem ex tentatione eruere, injustos autem, ad diem judicii puniendos servare, addit, *maxime autem eos, qui post carnem in cupiditate pollutionis ambulant*; id est, qui libidines impuras sectantur. Testatur id primus mundus, diluvio ob simile peccati genus immisso deletus. Testatur Sodoma & Gomorra igne cœlesti hausta. Testatur populus Israëliticus in deserto punitus 1 Cor. 10. 8. His adde scripturæ dicta, in quibus nominatim, hominibus impuris, scortatoribus, adulteris, divina supplicia proposita esse docetur. Vide Ephes. 5. 5, 6. 1 Thes. 4. 3. & seq. usque ad fin. 7. & ad Heb. 13. 4. ubi nominatim dicitur, *Scortatores autem & adulteros judicabit*, hoc est puniet *Deus*. Nuspiam autem magis hoc peccati genus regnare solet, quam ubi falsa regnat religio, vel superstitio potius, atque idololatria, quemadmodum liber Sapientię docet, qui asserit hujusmodi scelera ex idololatria quodammodo manasse. Monendi ergo hic sunt omnes, atque imprimis ii, quibus integer est sanguis, & quorum ætas juvenilis est ac florens, quique proinde variis jactari solent cupiditatibus, & ad voluptates illicitas accendi, ut sibi ad hoc scelerum genere, quam diligentissime caveant, corpus assiduis laboribus coerceant ac doment. Temperantia ac victus moderatione, vigiliis, piis meditationibus ac precibus, illud ita subigant ne luxuriet, idque adeo faciant, quod monet Paulus sub finem cap. 13. ad Rom. ut carnis curam non faciant, vel habeant ad concupiscentias. Nam si scelus ipsum vitandum est, irritamenta etiam vitii, quinetiam & occasio cavenda est. Utamur etiam eo Domini Jesu consilio, imo præcepto, quod iis tradidit, qui ne in corde quidem suo, aut oculo libidinoso, adulterium committere velint, ut si oculus ipsorum dexter, eos scandalizet, eum eruant, & à se projiciant, itemq; dexteram si eos scandalizet abscindant, & à se projiciant; hoc est, eorummembrorum usu, licet alias jucundissimo, sese privent, si ille ad peccatum aut libidinem illis sit futurus in citamento, & similiter aliis etiam rebus, licet charissimis, earumve usu potius abstineant, quam in peccatum incidant. Qua de re in Ethic. dictum est.

Sequitur tertium exsecrabilium genus, nempe *Veneficorum* id est eorum qui diabolica ope, ad quidpiam efficiendum utuntur, de quo est à nobis satis dictum in Ethic. unde quisque tantum ad populum proferre poterit, quantum viderit esse necessarium, & ad ædificationem atque instructionem populi Christiani, utile. Hoc quoque peccatum, libenter cum idololatria, ac falso Dei cultu conjungitur. Nam & vicina sunt hæc peccata, & ubi idololatria regnat, dæmones imperium quoddam exercent. Ubi autem hi regnant, quid mirum homines impios, aut curiosos eorum, ope multa efficere velle, eosque in auxilium vocare; unde etiam videmus, ibi hoc impietatis genus, maximè vigere, ubi superstitio & idololatria, maximè viget. Potest hic paucis ostendi, quam exsecrabile hoc sit scelus, quamque Deo invisum, quod quidem ostendere est facile. Quid enim potest excogitari abominabilius, quam cum Dei ac pietatis omnis hoste, commercium ullum habere? Et hic monendi sunt auditores, non tantum ut ab ipso veneficio abstineant, quod impetrare facile est, cum vix fieri queat, ut quispiam qui veritatem divinam fuerit amplexus, tanto se scelere contaminet, sed etiam neumquam ejusmodi hominum operâ, vel in rebus occultis investigandis, vel in rebus ullis sanandis, utantur, & ne vim etiam aliquam tribuant rebus iis, in quibus nullomodo apparet, naturalem virtutem, atque efficaciam inesse, ad morbum, v. gr. aliquem curandum. Hæc enim ad alia pejora viam sternunt. Et illud quidem in lege, gravissimè fuit prohibitum, mortis etiam pœna constituta, tum venefico, tum veneficorum consultori.

Quartum hominum exsecrabilium genus constituunt *idololatræ* quales quam plurimos eorum, qui veritatem salutarem amplecti nolunt, esse, plusquam credibile est. complectitur autem idololatria, non modo simulachrorum, sed etiam quorumvis numinum falsorum cultum. Breviter, quidquid primo & secundo decalogi præcepto, prohibetur, Qua de re, uberrime a nobis explicatum est in Ethic. unde ea peti possunt, quæ populo Christiano utiliter propani queant. Hortandi hic sunt auditores, ut à peccato hoc, sint quam alienissimi. Quem in finem, haud pauca Sac. Lit. tum Veteris, tum novi testamenti loca, congeri possunt, in quibus, ab hoc peccati genere, divinus spiritus nos dehortatur, supplicia idololatris comminatur, aut istiusmodi pœnarum exempla proponit. Videantur inter alia, ea quæ habet Paulus 1 Cor. 10, ubi non tantum ab ipso simulachrorum cultu nos avocat, verum etiam ab omnibus iis, quę arguere possent, nobis cum idolis, eorumve cultu, esse quidpiam commune.

Restat ultimum, hominum impiorum, ac Deo exsecrabilium genus, qui sunt *Mendaces*. Mendaces ii censendi sunt, qui contra animi sui sententiam loquuntur, & sic scientes prudentes fallunt: quanquam etiam illi accenseri mendacibus solent, qui tum, cum quidpiam promiserunt, fallere non cogitarunt, & sic quod verbis expresserunt, animo quoque cogitarunt; sed postea fidem non servant, ac promissi sui, nulla habita ratione, animum mutant, atque id quod polliciti sunt, præstare nolunt. Nam quamdiu quispiam promisso suo obstringitur, si animum mutet, verba sua, mendacii arguit, quibus se id facturum dixerit, quod ubi tempus advenit, facere nolit, atque adeò non sit facturus. Itaque alii quidem mendaces sunt qui tum cum quidpiam proloquuntur, aliter sentiunt, alii verò, qui postea aliter sentiunt, ac faciunt, quam se sensuros ac facturos dixerant. Sed hac quoque de re in Ethic. dictum est. Ait autem Iohannes, non simpliciter mendacibus repositam esse partem, in stagno ardente igne & sulphure, sed omnibus mendacibus, ne quis forte aliquod mendacii genus, ita leve æstimet, ut arbitretur, vel se, vel alios propterea haudquaquam perituros, quia verò ita vulgare est inter homines mendacium, plerumque vili penditur, & pro nihilo fere habetur; quamquam in aliis id quisque solet reprehendere gravissime, & sibi objectum molestissime ferre. Huic igitur errori occurrit divinus spiritus, ut intelligamus, neminem ex iis, qui mentiendi libidine teneantur, supplicium illud sempiternum effugiturum, & sic tanto magis illud caveamus, atque inter alia, ut fidem potissimum in promissis servemus, quæ pars est veracitatis, quam vocant, non postrema. Proponi hic etiam possunt comminationes quædam ex Vet. Fœd. qualis est illa, quæ est Psal. 5. ubi Deus odisse dicitur omnes eos, qui mendacium loquantur. Sed nihil est opus, aliunde comminationes conquirere, cum hic gravissima proponatur. Enumeratis enim impiorum generibus, supplicium etiam ipsum subjungitur, quod illis proponitur seu infœlicitas, qua aliquando sunt damnandi, idque in illis verbis:

Pars illorum in stagno ardente igne & sulphure. Ubi duplicem ejusmodi supplicii descriptionem habemus, qua-

quarum posterior, prioris est quædam explicatio. Quod ad priorem attinet, per stagnum illud ardens igne & sulphure, id est igne sulphureo, qui videtur esse omnium ardentissimus & vehementissimus, & ad exstinguendum difficillimus, videtur intelligi ignis ille ultimus, quo impii sunt comburendi ac cruciandi, & quo etiam mundus hic consumetur, ita ut hic ipse mundus, igni succensus, sit stagnum illud ardens igni sulphureo. Nam & stagni nomen & sulphuris, metaphoricum hic esse, facile quivis potest intelligere. Ignem autem quo hic mundus consumetur, eundem esse cum illo, quo impii cruciabuntur, non obscure patet ex 2 Pet. 3. 7, itemque 10 & seq. Satis enim inde apparet, istum ignem, eos demum effugituros, qui cum pietate ac sanctitate vixerint, cœteros verò, eo consumtum iri. De hoc stagno vide supra cap. 19. ℣. 20, & 20. 10. Cum verò ait Johan. partem istorum hominum impiorum, fore in illo stagno, nil aliud significat, quam hoc stagnum, illis repositum esse, eosque manere; & quemadmodum paulò ante dictum fuerat, Victorem, hæreditaturum omnia, nempe Hierosol. illam cœlestem, & quæcunque sunt in ea bona; ita contra hæreditatem, ut ita loquar, & partem impiis destinatam, fore stagnum istud. Quod enim alicui assignatur, vel destinatur, id *pars*, vel portio illius in S. L. dicitur, metaphora ducta, vel ab hæreditatum distributionibus, ad quas hoc loco videtur respicere, vel à distributione ciborum, quos patresfamilias, singulis suis domesticis assignant, ac tribuunt. Quam verò grave hoc sit supplicium, quamque horrendum, facile quivis æstimare potest, præsertim, cum id æternum sit futurum, nec ulla restituræ sit liberationis spes, quæ cæteroqui miserrimos etiam solatur. Quare, monendi hic sunt omnes, ut si supplicium hoc effugere velint, fugiant etiam vitia, ac impietatum genera, tum paulò ante commemorata, tum etiam omnia. Insani hominis est, momentaneum peccati fructum non modo sempiternæ fœlicitatis jactura, sed etiam nunquam finiendo supplicio redimere.

Quod ad alteram supplicii hujus descriptionem attinet, nempe quod hæc sit *mors secunda*; Animadvertendum est, in hac prophetia, duplicem tum mortem, tum resurrectionem indicari. Indicari dico, non expresse commemorari. Nam resurrectionis quidem primæ fit mentio, sed secundæ expressis verbis nusquam. Contra secunda mors commemoratur, sed prima καθ' ἑαυτὸν nusquam; re tamen ipsa, satis indicatur. Nam cum mors, resurrectionem necessario præcedat, necesse est, ut si resurrectio quædam prima est, mors etiam sit aliqua prima, quam per resurrectionem evadas. Quanquam hoc ipsum etiam satis est, quod secunda mors commemoratur. Secundam enim qui dicit, primam præsupponit, ut loquuntur. Quemadmodum etiam qui primam resurrectionem commemorat, ille etiam secundam minimum existere posse, vel etiam omnino exstituram significat. Quanquam autem hoc loco non foret necesse explicare, quæ sit mors prima, sed tantum quæ secunda, operæ pretium tamen est, etiam illud cognoscere. Colligi autem id potest, ex superiori cap. ℣. 4 & seq. ubi de prima resurrectione, quæ primam mortem sequitur, verba fiunt. Dicuntur autem ibi, animæ securi cæsorum propter testimonium Jesu, & propter sermonem Dei, & qui non adorarunt bestiam, neque imaginem ejus &c. revixisse & regnasse cum Christo 1000 annos. Reliquos autem mortuos, non revixisse donec finirentur mille anni; & additur,

Hæc est resurrectio prima, ubi si resurrectionis vocabulum proprie acciperetur, & intelligeretur, eos ipsos qui aliquando sub Antichristo fuerant occisi in vitam rediisse, mors illa quæ præcessit, quam primam esse diximus, nil aliud foret, quam mors temporaria, quam subeunt etiam homines pii; & mors quidem corporis. Verum cum satis constare videatur præsertim ex iis quæ apud Paulum, de resurrectione nostra leguntur, 1 Cor. 15, unam fore omnium qui Christi sunt resurrectionem, & nimis hoc foret, evidens Dei miraculum, quo vim faceret hominibus & eos ad credendum adigeret, si tanta hominum jam olim occisorum multitudo, idque eodem tempore è morte resurgeret, & mille annos regnaret, nisi quis fortè, id putet occultum fore, & hominum oculis inconspicuum, cum tamen appareat, eos in terris victuros. Hinc inquam colligi potest, resurrectionem hanc, impropriè esse accipiendam. Probabile autem est, nil aliud significari quam fore, ut cum ab Antichristo, ob veritatis divinæ professionem, multæ hominum myriades fuerint occisæ, indeque acciderit, ut nemo propemodum exstaret, qui salutarem veritatem profiteretur, post tempus non exiguum ex Antichristi tenebris emergant alii, priorum similes, qui eandem quam illi doctrinam amplectantur ac profiteantur, ita ut priores illi, qui olim fuerant occisi, propemodum videantur revixisse. Ita enim interdum solemus loqui, cum videmus post mortem alicujus, alium ei similem exurgere, ut dicamus, illum qui mortuus fuerit, revixisse; quæ sanè loquendi ratio, à prophetico sermone, haudquaquam est aliena. Quapropter mors illa, quæ hanc resurrectionem antecessit, respectu priorum quidem, corporalis est ac temporanea; respectu verò eorum qui in illorum locum postea successerunt, spiritualis. Sed quia hi posteriores, cum prioribus quodammodo confunduntur, & pro iisdem censentur, ita mors prior consideratur, quasi nihil aliud fuisset, quam violentus ille, atque ad tempus durans, piorum ab Antichristo occisorum interitus, quanquam interea nil prohibet, quominus etiam aliorum piorum, qui sub Antichristo non vixerant exstinctio ad tempus durans, mortis primæ nomine censeatur; quin etiam interitus impiorum, usque ad judicii diem durans, seu mors eorum temporaria, à sempiterno interitu disjuncta, præsertim si velis mortem secundam, de qua nobis agendum est, etiam respectu horum, secundam dici. Ita enim omnino poneretur præcessisse in iisdem, mortem primam. Et possis sanè, huc referre illum impiorum interitum, de quo supra non uno loco actum est, ubi judicia divina in impiis effusa, fuerunt explicata, initio facto, à cap. 6, usque ad hunc ipsum locum. Nam & cap. præcedente, fit mentio gentium, ex quatuor terræ angulis congregatarum, adversus sanctorum civitatem & igni cœlesti consumtarum. Et cap. etiam 19 fit mentio, eorum regum, atque exercituum, qui fuerint occisi à Domino Jesu, gladio, cum nihilominus tamen distinguatur hoc supplicium, à conjectione in lacum ignitum, ardentem sulphure, vide ℣. 20, 21. Hæc autem mors impiorum, cum interrumpatur ea resurrectione, cujus fit mentio cap. 20. 20 & seq. quæ proculdubio Johanni est secunda resurrectio, mors secunda ille est, quæ hanc resurrectionem consequitur, quemadmodum sanè apparet ex eodem loco, atque imprimis, ex tribus ultimis versiculis, inter se collatis, adeò ut mors prima sit omnis ille sive piorum, sive impiorum interitus, qui secundam hanc resurrectionem eorundem præcessit. Neque enim necesse est, ut quemadmodum primam resurrectionem, prima etiam mors præcessit, ita secunda secundam propterea quòd ita loquatur divinus spiritus, ut appareat, non ad eosdem homines, sed ad diversos referri resurrectionem primam & secundam. Nam qui primæ resurrectionis, facti fuerunt participes, illi vixisse statuuntur, usque ad resurrectionem secundam; nempe per mille annos, quibus reliqui mortui, non debuerunt resurgere, quemadmodum apparet ex ℣. 4. 5, & seq. capitis præcedentis. Quare, qui secundæ resurrectionis censentur fieri participes, ii ante, non bis, sed semel, quemadmodum & illi qui primo resurrexerant, statuuntur fuisse mortui.

Sed hic non exigua oritur difficultas. Nam cum secunda illa resurrectio ejusdem generis esse videatur cum prima, quemadmodum indicare omnino videntur verba modò citata cap. præcedentis ℣. 4, 5, prior autem illa resurrectio spiritualis fuerit, etiam hanc secundam spiritualem ac improprie dictam fore, necesse erit; quodsi admittatur, nec verba ipsa Joh. sub finem præcedentis cap. scripta, satis ei videbuntur congruere, nec

facile intelligi poterit, quid ſit illa mors ſecunda. Quæ difficultas, ita videtur tolli poſſe, ut dicamus Johannem in deſcriptione illa ſecundæ reſurrectionis alluſiſſe ad reſurrectionem proprie dictam, quam omnes pii expectant, imo etiam impii, quatenus poſt mortem corporis, ad judicium ſiſtentur, quemadmodum etiam alibi facit in re ſimili, ut apparet vel è cap. 6, ubi ita deſcribit tempus quoddam judicii divini, cui tamen finis mundi, non ſtatim ſit ſucceſſurus, quemadmodum ex cap. 7 & ſeq. apparet, non ſecus ac ſi ultimum judicium deſcriberetur. Idem in aliis quoque rebus, hoc libro deſcriptis accidit. Itaque nihil prohibet, quominus Johannes cum deſcribere vellet reſurrectionem quandam improprie dictam, reliquorum hominum, præter eos, qui ſub Antichriſto vixerant, & ab eo occiſi fuerant, ad ultimam illam reſurrectionem alluſerit, imo etiam hanc cum illa quodammodo conjunxerit, quod ſanè omnino videtur eſſe ſtatuendum, & nos in totius loci hujus explicatione, pro conceſſo ſumſimus, cum diximus deſcribi hic ſtatum, tum piorum tum impiorum, ſequuturum poſt colluſtratas euangelii luce omnes terras, & reſtitutos quodammodo omnes homines, qui vixerunt antea, quam in illis partibus, lux veritatis exſtingueretur; ſimul etiam deſcribit ſtatum eorundem poſt hujus mundi finem atque adeò, poſt ultimum judicium, conſequuturum. Quare, per mortem ſecundam, intelligendus erit, infœliciſſimus ille ſtatus, atque interitus hominum impiorum, qui poſt illatam omnibus terris euangelii lucem, impie vixerunt, æternum duraturus, ita ut poſſis hoc nomine comprehendere, miſeriam hominum impiorum, & ſupplicia divina omnia, etiam in hac vita, illis immiſſa, ſed maximè, ignem illum extremum, quem ſempiternus eorum interitus conſequitur. Nam hic ignis omnino comprehendendus eſt, cum quo conjungendæ ſunt iſtæ impiorum pœnæ, quæ vel ignis illius loco ſunt, vel ad eum quodammodo ducunt; nec ſanè quiſquam hactenus fuit, qui dubitavit, æternam mortem hoc nomine comprehendi, quam ignis ille afferet, quo impii ſunt puniendi, ſed nihil prohibere, quominus alia quoque ſupplicia, quæ æternus interitus ſit conſequuturus, intelligantur, apparere videtur ex eo, quod ante illum ultimum diem, & ſic ante ignem iſtum, quo conflagraturus eſt hic mundus, dicatur conjicienda eſſe beſtia & pſeudo propheta, qui ſeduxerat homines, nempe Antichriſtus in ſtagnum iſtud ignitum itemq; Satanas. Hinc diſcimus, quantopere nobis ſit cavendum ab omni impietatis genere, cum tam grave ſupplicium ei ſit conſtitutum. Gaudeamus nos, qui partem habemus in prima reſurrectione, quandoquidem ſuper eos, non habet mors ſecunda poteſtatem ſeu imperium, ut dicitur ſup. c. 20. 6. h. e. eos ſubjicere non poteſt, niſi fortè ſponte ſeſe ei vellent mancipare, hoc eſt vincere nolint hoſtes ſuos ſpirituales. Nam ut ait Chriſtus ſup. cap. 2. 11. Qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda. Pugnemus igitur ſtrenue ac vincamus, ut à morte ſecunda liberati, vitæ corona denemur. Amen.

CONCIO JOH. CRELLII

Ex Rom. 8. verſ. 28, uſque ad 33.

PRÆFATIUNCULA.

MEmoriæ noſtræ infixa hærere debent illa Domini Jeſu Servatoris noſtri verba, ſancto ore ipſius ad ſolatium diſcipulorum ejus dilectorum pronunciata, quæ nobis deſcripſit S. Johannes cap. 15. ℣. 15. *Jam non amplius vos dico ſervos. Nam ſervus neſcit quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi à Patre meo nota feci vobis.*

His enim verbis ſignificat quæ ſit dignitas eorum quibus ipſe revelat ea quæ à Patre ſuo audivit: jam quippe non agit cum illis ſicut cum ſervis, ſed ſicut cum amicis. Debemus nos æſtimare magnopere felices, quòd nobis manifeſtaverit verbum ſuum ſanctum, quòd nos ita dilexerit. Magnum hoc ſolatium noſtrum eſſe debet, quod nos eo fine congreget, ut ex verbo ejus doctrinas & admonitiones & conſolationes nobis utiliſſimas audiamus. Debemus illi eo nomine gratias agere, ejuſque laudes celebrare, invocantes nomen ejus, ut nobis in tali negotio opem ferat. Et nunc in hunc locum congregati ad talia tractanda, oremus eum ut nobis auxilio ſuo adeſſe dignetur, ut de iſtis ſacris oraculis partim ita ut oportet ad ædificationem loqui, partim commode audire queamus, ad ejus ſanctam gloriam & noſtram ſalutem æternam, &c.

Sicut caput iſtud totum eſt in hac ad Romanos epiſtola quaſi pretioſorum unionum contextus, ita hæc verba nunc prælecta poſſunt in hoc capite, præcipui unionis inſtar haberi. In quibus Apoſtolus diſſerit de conſilio Dei circa felicitatem hominum eorum qui ex præſcripto Jeſu Chriſti vitam agunt, & propter ejus nomen patiuntur. Quemadmodum autem officium ipſorum eſt bipartitum, ita ut una pars ejus ſpectet ad omnem vitam atque actiones, altera autem ad perpeſſiones; ita etiam felicitas poteſt conſiderari ut bipartita, aliqua enim pars ejus contingit Chriſtianis in hoc ſeculo, altera verò eos manet in illo ſeculo futuro: ſicut etiam alibi Apoſtolus ait *pietatem habere promiſſionem vitæ præſentis & futuræ.* 1 Tim. 4.

Conſiderabimus autem primum quomodo proponat doctrinam de felicitate Chriſtianorum. Secundo quomodo eam doctrinam probet.

Doctrinam iſtam proponit hiſce verbis: *Scimus autem diligentibus Deum omnia cooperari in bonum, iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt.* In quibus verbis rurſus ſpectabimus tria. Primo quomodo conciliet authoritatem iſti ſuæ doctrinæ, per quod ejus certitudinem indicat. Secundo quomodo nobis deſcribat eos quibus iſta felicitas convenit. Tertio quomodo exprimat ipſam felicitatem.

Authoritatem iſtius doctrinæ ſuæ ejuſque certitudinem incluſit Apoſtolus iſto verbo, *Scimus*: quaſi dicat, certo perſuaſus ſum ea de re, quod ita & non aliter ſit eventura. Tali modo loquendi ſolent uti Apoſtoli quando volunt alicujus rei certitudinem exprimere. Sicut etiam quondam Dominus Jeſus habuit peculiarem loquendi modum quo doctrinarum ſuarum certitudinem aſſeverabat, *Amen amen dico vobis*: hoc eſt verè ſeu pro certo dico vobis. Hoc porrò verbum *ſcimus* non tantum reſpectu ſolius Pauli Apoſtoli ſcientiæ debet intelligi, ſed etiam reſpectu aliorum Chriſti Apoſtolorum: & denique reſpectu quoque cæterorum fidelium Chriſti certitudinis accipi poteſt. Attamen perfectius certitudo iſta accipitur reſpectu Apoſtolorum, quàm cæterorum fidelium. Etenim Apoſtoli ſancti non tantum eatenus habuerunt certam de hac felicitate ſcientiam, quod illis datæ fuerunt primitiæ Spiritus S. ſicut dictum eſt ſuperius ℣. 23, qui eos introduxit in omnem veritatem, ſicut eis ipſe Dominus Jeſus promiſerat Joh. 16. 13; ſed etiam eatenus quatenus ex ipſo ore Domini talia affatim audierunt, & ſpectarunt. Vide 1 Joh. 1. ℣. 1 & 5. 2 Pet. 1. 16, 17. Reſpectu autem ipſius Pauli Apoſtoli iſta certa ſcientia eo nititur, quod ei Dominus Jeſus id ſingulari modo revelarit, quem etiam ſingulari modo vocavit ad munus Apoſtolicum, jam in cœlum exaltatus: quo ſuperabat alios Domini Apoſtolos, quos D. Jeſus in terra habitans vocavit ad Apoſtolatum. Sed Paulus de ſe ſcripſit, ſe euangelium quod prædicabat non accepiſſe ab homine, ſed id didiciſſe per revelationem Jeſu Chriſti. Gal. 1. 11, 12. Qui Chriſtus Dominus eum è terra in cœlum aſſumſit, & ibi eum informavit de eo quid hominibus eſſet prædicaturus, ac voluit eum è proximo videre & guſtare cœleſtem felicitatem. Id Paulus habuit præ aliis Apoſtolis, ideoque etiam Dominus plura ei quàm aliis impoſuit. Sicut ipſe de ſe ſcripſit 1 Cor. 15. 10 quod plus aliis Apoſtolis laboraverit: & plus etiam paſſus eſt aliis, ſicut ipſe hac de re gloriatur, 2 Cor. XI. 22, 23, ad finem. Nihil verò ei ad gratiam Domini obfuit quod tam multa paſſus fuerit, omnia iſta ſpectarunt ad ejus Apoſtolici muneris præſtantiam.

Miræ ſunt viæ Domini, mire ſapiens conſilium Chriſti circa iſtum Paulum, qui cum eſſet magnopere blaſphemus, contra ipſum Chriſtum, & Eccleſiam ejus crudeliter

crudeliter persequeretur, nihilominus eum Dominus ad se vocatum & conversum, mysteriis doctrinæ suæ cœlestis implevit, eamq; illi gratiam exhibuit ut ipsum Dominum Jesum jam in cœlis regnantem videret, de quo ipse gloriatur. Quilibet nunc qui illius scripta mysteriorum cœlestium plena legit, mirari ista cogitur: ac celebrare potentiam sapientiam atque bonitatem Domini Jesu, qui ex inimico suo capitali fecit eximium servum suum. Quapropter de nemine desperemus: potest enim Dom. etiam ex iis qui ejus veritatem ipsiusq; confessores maxime oppugnant, non tantum communes veritatis suæ confessores efficere, verùm etiam selecta & eximia vasa ad gloriam suam constituere.

Deinde istud ex hoc loco discamus; Doctrinam Apostolicam non inniti quibusdã humanis documentis & subtiliter deductis argumentis, sed authoritati certę revelationis divinæ, atq; Script. Sacræ: quæ non obnoxia sunt errori sicut sunt doctrinæ humanæ. Bonis ac firmis fundamentis superstructa sunt ista quæ nobis in S. Lit. Apostoli reliquerunt. In cœlo hęc nata sunt, non in humanis cerebris. Ideoque relictis humanis commentis ac dogmatibus erroneis, hisce doctrinis contenti simus quas Apostoli certa scientia cognitas, nobis reliquerũt.

Sed & nos ipsos scire ista oportet, ac certo esse persuasos de certitudine istius doctrinæ Apostolicæ, de qua hic potissimum agitur, quod nobis omnia quæ Dei causa servientes ei agimus, & quæ propter eum patimur, sint in bonum convertenda. Id verò tum fiet si nobis comparaverimus hoc quod in nobis debet ad talia excitare alacritatem. Quod indicat Apostolus Eph. 6. *præcincti lumbos veritate.* Nempe ut certo persuasi simus verissima esse ea quæ nobis Dominus Jesus servator noster in sancta Euangelii sui doctrina proposuit. Tum etiam ob oculos nobis ponamus ipsum Dominum Jesum, & exemplum vitæ ejus sanctæ, atque etiam ejusdem patientiæ, & eam consequutæ beatitatis. *Qui sustinuit crucem, & ignominiam contemsit, & in dextera solii Dei consedit.* Hebr. 12. Consideremus etiam illud quod S. Petrus scripsit. 1 Petr. 1. 13. *Ideo præcincti lumbos mentis vestræ, sobrii existentes, perfecte sperate in eam gratiam quæ allata est vobis in revelatione Jesu Christi.* Qui hanc certam persuasionem non habet, is non potest recte vivere secundum præcepta Domini, & tempore afflictionum atque persecutionis facile à veritate divina deficit. Debemus autem pacis tempore hoc nobis comparare, ut possimus subsistere tempore cujuslibet afflictionis. Sumamus *scutum fidei* id est habeamus certam fiduciam de vita æterna ex gratia Dei obtinenda: quam nobis excutere conatur Satanas adoriens nos tentationibus, & gravibus afflictionibus, volens nos adducere ad diffidentiam de promissis Dei. Qui etiam ipsum Dominum Jesum aggressus est, non tantum cum eum tentaret in deserto, sed etiam postea. Ut igitur possimus tales à Satana immissas oppugnationes sustinere, comparemus nobis dum tempus habemus istam certam persuasionem atque fiduciam: & comparemus eam ex Sacra Scriptura. Consideremus dicta Apostolica, & præcipue istius ipsius Pauli, qui inter alia precatur fidelibus Eph. 1. 16, 18, ut habeant illuminatos oculos mentis suæ, ut sciant quæ sit spes vocationis Dei, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis. Idem eadem scientia & fiducia animum suum firmabat atq; in afflictionibus solabatur. ut 2 Tim. 1. 12. *Propter quam causam etiam ista patior, & non pudefio. Scio enim cui crediderim, & persuasus sum quod potens sit depositum meum custodire in illam diem.* Si militer nos cum Paulo Apostolo dicamus.

Sed jam consideremus hujus primæ partis secundam particulam, id est quomodo nobis describat eos qui volunt & debent esse compotes veræ felicitatis. Describit autem eos duplici modo: unus modus descriptionis sumtus est ab illorum officio, alter vero modus ab ea Dei actione quam cum iis facere est dignatus.

Prima descriptio continetur in istis verbis, *diligentibus Deum*, in quibus expressit nobis medium consequendæ veræ felicitatis, quod in eo situm est ut quis Deum diligat. Dilectio verò Dei sita est in observatione & exsequutione mandatorum Dei. Sicut nos ipse Dominus Jesus docuit, Joh. 14. 21. Qui habet præcepta mea, & servat ea, is est qui diligit me. Et deinde ibidem vers. 23. Si quis me diligit, sermonem meum servat, & 24. qui me non diligit, sermones meos non servat. Ita etiam dicitur 1 Joh. 2. 5. Qui servaverit ejus sermonem, vere in eo charitas Dei perficitur. Et ejusdem epistolæ cap. 5. ỷ. 3. Hæc enim est charitas Dei, ut præcepta ejus servemus. Quippe dilectio alicujus in eo apparet si quis id quod illi placet faciat. Ergo etiam is Deum diligit qui voluntatem ejus præceptis ipsius comprehensam facit atque exsequitur. Qui verò diligit Deum, is debet etiam diligere Dominum Jesum, filium Dei unigenitum, atque ita eum diligere sicut ipsum Deum. Nam si quis non diligit Dominum Jesum Christum, sit anathema, inquit Apostolus, 1 Cor. 16. 22. Qui nunc Deum diligere se diceret, & non diligeret Dominum Jesum, hujus dilectio nullius est apud Deum valoris. Præterea debemus diligere proximos & fratres nostros, sicut nobis ipse Dominus mandatum dedit, quod etiam novum præceptum suum vocavit, & tesseram atque signum discipulorum suorum verorum nuncupavit. Joh. 13. 34, 35. Qui autem non diligit fratrem & proximum suum, is nec Deum diligit, 1 Ioh. 4. 20. Omnis enim qui diligit eum qui genuit, diligere etiam debet & diligit eum qui ex isto genitus est. Cognoscamus igitur dilectionem nostram erga Deum ex dilectione fratrum nostrorum, si eos diligimus. Quodsi istos non diligimus, etiam Deum non diligimus. Nam quomodo fieri potest ut diligamus Deum quem non videmus, cum fratrem nostrum quem videmus, non diligamus? Qui hic diligit parentes, diligit etiam eorum liberos, sed qui non diligit imo odit liberos alicujus, non diligit etiam parentes. Igitur indicium & argumentum quo probari potest an nos Deum diligamus, est dilectio nostra erga fratres ex eodem Deo genitos. Exploremus igitur per id nosmetipsos. Non solum autem amicos nostros, sed & inimicos diligere debemus, si volumus esse filii Dei altissimi, sicut nos docuit Dominus Jesus Mat. 5. 44, 45. quoniam & Deus Pater noster, tales quoque diligit. Quodsi inimicos nostros diligere propter Christi præceptum tenemur, quomodo fratres nostros non diligere aut etiam odisse nobis licebit?

Descendamus hic in nos ipsos, & cum nostra conscientia, rationem ineamus, num in nobis sit vera erga Deum dilectio. Num Deum nostrum ex toto corde, ex tota anima amamus? An habemus in eo unicam voluptatem & delectationem cordis nostri, ut cogitemus & consideremus Dei potentiam, sapientiam, atq; bonitatem? Et contra an cum videmus aliquid fieri ad probro afficiendam Dei gloriam, id nos dolore afficit atque affligit animas nostras? & quando ægre procedunt negotia ad gloriam Dei spectantia, an inde dolorem capimus? Et num oramus Deum ut gloriam suam purget ab omnibus maculis quibus eam Satanas adspergit, & ut strenue procedat veritatis divinæ notitia, ad Dei gloriam & populi ejus salutem? Num porro cernentes aliquid cum propagatione veritatis divinæ atq; gloriæ ejus conjunctum, inde gaudemus atq; lętamur, & Deum pro eo celebramus? Num desideramus Deum & gloriam ejus, sicut cervus fatigatus sitiens desiderat rivos aquarum, sicut de se testatur David Ps. 42.? Num de eo diligenter cogitamus ut Deo placeamus? Num in id possessiones & valetudinem & vitam nostram impendere parati sumus? Quodsi aliter sese res habet, expergiscamur, & ne nos ipsos falsa opinione dilectionis erga Deum decipiamus. Excitemus nos ipsos ad diligendum Deum, ponentes nobis ob oculos subinde magnam ejus dilectionem, qua nos indignos dilexit. Omnia propter nos fecit, quęrens nos & salutem nostram. Dedit nobis verbum suum sanctũ, in quo nobis revelavit promissum vitæ æternę, & ut tum promissum istud tum suam erga nos dilectionem confirmaret, tradidit in tormenta atrocia & mortẽ ignominiosam filium suum dilectissimũ. Eidẽ ad dexteram suam collocato, dedit in manus felicitatẽ nostram & temporariam & æternã. Sp. S. qui est donũ Dei singulare, nemini denegat qui eum ambit, ad confirmandã beatam spem vitæ æternæ. Muro providentiæ suæ nos

circumdat, tuetur nos ab inimicis noſtris & à caſibus miſerandis atque luctuoſis. Ecce & nunc argumentum ejus erga nos dilectionis experimur omnes qui hic aſſidemus audientes ex verbo ejus doctrinas, monita, & ſolatia. Jam propter peccata noſtra incideramus in fauces Satanæ atque mortis æternæ, ille autem nos eripuit, ex poteſtate tenebrarum, & tranſtulit ad lucem ſuam admirandam. Et hodieque quamvis ei non ita ut oportet ſerviamus, ille tamen nobis parcit, & benigne nobiſcum agit, & in noſtris infirmitatibus nos fulcit, nobiſque opitulatur. Non inficiamur nos ſervi ſalutis veſtræ apparere in vobis aliquam erga Deum charitatem; cujus argumentum eſt & hoc ipſum quod conveneritis & congregrati ſitis ad peragenda ea quæ ſpectant ad gloriam Dei. Tum etiam quod à mundo isto ſpecioſo diſceſſeritis (& faxit Deus ut ſerio diſcedatis) atque ad Eccleſiam hanc vilem & contemtam vos adjunxeritis: quod pro corona & ornamento capitis veſtri habeatis quando vobis aliquid adverſi evenit propter hanc veritatem divinam, quam confitemini. Credo quod de ea nonnunquam colloquamini, & Sacras Scripturas legatis, & nonnihil ad promovendam iſtam veritatem divinam impendatis. Metuimus tamen ne in præceptis divinis delectum quendam habeatis, interdum facientes quod Deo placet, interdum autem carni veſtræ gratificantes, quodque ei moleſtum eſt agere & ſuſtinere detrectantes. Non eſſet hoc diligere Deum ex toto corde & totis viribus. Pertentemus & exploremus in nobis omnia, forſan deprehendemus facile quid nobis deſit ad perfectam Dei & Domini Jeſu dilectionem. Probemus quoque & examinemus corda noſtra, num in iis ſit debita charitas erga proximos & fratres noſtros? quorum cauſa etiam vitam noſtram quando opus eſt impendere debemus: quodſi vitam, quanto magis partem facultatum atque poſſeſſionum? Num donis quæ à Deo habemus libenter fratribus inſerviamus? Num non noſtra ſolum ſpectemus atque curemus, ſed etiam ea quæ ſunt aliorum, etiam in rebus quæ alioqui licent ſed non ædificant, de libertate noſtra cedentes, etiam viliſſima miniſteria fratribus præſtare non detrectantes? Denique num etiam inimicos noſtros ut Dominus præcepit, diligamus? Num injurias ab iis illatas toleranter perferamus, Deum pro illis oremus, in quo nobis Dominus noſter præivit, iiſque pro malefactis benefacta reddamus? Dubito an talia præſtemus. Et tamen hæc facere neceſſe eſt eum quicunque Deo placere atque gratiæ ipſius ſalutaris compos fieri cupit.

Jam nobis progrediendum eſſet ad conſiderandum alterum modum quo populus Dei ſub Novo Fœdere deſcribitur. Sed ut ab ordine verborum Apoſtoli non diſcedamus, videamus quomodo nobis expreſſerit id quod ad iſtius populi divini felicitatem pertinet. Hoc autem continetur in his verbis, *omnia cooperantur in bonum.* Eximia eſt iſta deſcriptio, tum populi divini, tum eidem convenientis felicitatis. Quis eſt qui non optet ut ei omnia in bonum convertantur? Conſiderandum autem huc eſt nobis primum quænam ſint omnia iſta de quibus hoc loco dicitur. Deinde quomodo iſta cooperentur in bonum. Per *omnia* iſta intelliguntur non tam ea quæ corpori læta & cum voluptate conjuncta ſunt; nam talia Deus populo ſuo ſub Novo Fœdere non promiſit, quin potius afflictiones & mærores propter nomen divinum, plerumque populum iſtum comitantur. Quanquam & læta interdum Deus populo ſuo largitur; quæ etiam ei debent in bonum verti, ut his utantur ad bonoſuſus, Deo ejuſque gloriæ his miniſtrantes, eique pro his gratias agentes; non autem abutantur ad malum, nam ſic hæc eis conferrent ad plagas eis à Deo inferendas, & ad ipſorum exitium. Sed hic debent intelligi maxime ea omnia quæ ad religionem Domini Jeſu, & ad afflictiones popter nomen ejus pertinent. Ita alibi de ejuſmodi rebus loquitur idem Apoſtolus 1 Cor. 3. ſub finem. Omnia ſunt veſtra, ſive Paulus, ſive Apollos, ſive Cephas, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura, omnia ſunt veſtra. Conſideremus jam quomodo iſta cooperantur in bonum. Primum videnda læta, deinde triſtia. Læta ſunt duplicia, vel ad ſpiritum, vel ad corpus ſpectantia. Ad ſpiritum pertinent iſta; quando Dominus fidelibus ſuis id largitur per ſpiritum ſuum ſanctum in corda eorum miſſum & cum ſpiritu eorum conjunctum, ut habeant certam & firmam ſpem vitæ æternæ: quando eis tribuit per eundem eximiam myſteriorum ſuorum notitiam: atque per hæc efficit in eis pietatem inſignem, & bonam conſcientiam, corroboratque eos in homine interiori. Unde percipiunt magnam lætitiam in cordibus ſuis, ſuperantem omnia terrena oblectamenta. Ea porrò quę ſpectant ad ſolatia hujus vitę & ad corpus noſtrum, ſunt hæc; quando Deus concedit populo ſuo pacem corporalem, & varia hujus mundi commoda, quamvis ea non promiſerit: quod homines Deo obligat ad præſtanda officia, ut operam dent gloriæ divinæ, eique ſerviant; ædificantes ſeipſos in domum ſpiritualem. Quemadmodum id faciebant illi ſancti anteceſſores noſtri, ſicut nobis deſcriptum eſt Act. 9. 31. Illæ igitur Eccleſiæ per totam Judæam & Galilæam, & Samariam, habuerunt pacem, ædificantes & ambulantes in timore Domini, & in conſolatione Spiritus ſancti replebantur. Eo fine enim Deus hominibus largitur pacem, ut ii pro ea gratias ipſi agentes, bene & pie ea utantur.

Quomodo autem res adverſæ cooperentur in bonum populo Dei, jam videamus. Eæ verò quædam nobis eveniunt ut confeſſoribus nominis Domini Jeſu, propter quem patimur: quædam autem nobis accidunt ita ut aliis etiam hominibus. Per quas Deus aut explorat patientiam aliaſque virtutes noſtras, aut nos pro peccatis noſtris punit. Quando per adverſa & afflictiones exploratur virtus noſtra, tum hæc nobis ea ratione cooperantur ad bonum, quod nobis per ea offeratur occaſio oſtendendæ noſtræ erga Deum fiduciæ, & patientiæ. Cum enim quiſpiam afflictiones tolerat, habet quo gaudeat, & glorietur. Unde S. Jacobus ait cap. 1. Beatus vir qui ſuſtinet tentationem, nam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promiſit Dominus diligentibus eum. Sicut etiam inquit S. Paulus Rom. 5. nos gloriari in afflictionibus, ſcientes quod afflictio tolerantiam operetur, tolerantia autem probationem, probatio autem ſpem. Spes autem non pudefacit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui nobis eſt datus. Difficile eſt ut quiſpiam acquirat tolerantiam ac perſeverantiam, niſi fuerit exercitatus per afflictiones, ex tolerantia autem provenit probatio ſeu virtutis exploratio. Dicit ulterius probationem operari ſpem. Quamvis homines Chriſtiani capiant ſpem ſuæ felicitatis ex auditione verbi divini, tamen niſi alia acceſſerint, eam ſpem poteſt eis quidlibet auferre, ideoque eatenus non poſſunt eſſe certi de ſua felicitate. Sed poſtquam fuerint explorati, per varia adverſa, vel quoad poſſeſſiones, vel pacem, vel famam bonam, vel valetudinem, vel vitam, ſi hæc patienter toleraverint, jam concipiunt ſpem firmam atque certam, Deum eis ſalutem collaturum, quando jam id quod eis à Deo eſt impoſitum ſuſtinuerunt. Porro dicit, hanc ſpem non pudefacere, nempe eum non iri fruſtratum, ſed certo potiturum eo quod Deus ei promiſit. Nam ejus rei ſpecimen jam ſpectat in ipſo Domino Jeſu Chriſto, qui poſtquam ſuſtinuit crucem, & ignominiam contemſit, in dextera throni Dei conſedit. Ita hic Apoſtolus ait, iſta fidelibus Dei cooperari ad bonum, ac præcipue ad vitam illam æternam, quando non tantum ſuperato peccato pie vivunt, ſed etiam quando ſuperatis atrocibus Satanæ oppugnationibus victores evadunt, pro quo accipient deſtinatam victoribus coronam æternæ felicitatis. Ne igitur animos noſtros angant & contriſtent ea quæ nobis propter nomen Domini eveniunt adverſa. Non fortuitò hæc nobis eveniunt, ſed ex Dei permiſſione: non patimur iſta propter aliud niſi propter Deum & noſtram ſalutem. Convertuntur hæc nobis in gloriam & honorē. Sicut inquit S. Petrus, 1 Pet. 1. 7. Ut exploratio fidei veſtræ multo pretioſior auro pereunte, quod etiam per ignem exploratur, inveniatur in laudem, & honorem, & gloriam, in revelatione J. Chriſti. Ne igitur Deo nobis

id

id imponente ut adverſa patiamur, ea pati detrectemus. Non ſunt hæc vere mala, quia non obſtant ad beatitatem veram atque ſummam conſequendam, imò potiùs adjuvant. Sicut non obfuerunt Domino Ieſu, ſed profuerunt. Imò verò Deo agamus gratias ea ex parte, quod hæc ſit gratia ejus, quando nobis contingit pati afflictiones immeritò, 1 Pet. 2. 19. Donum hoc eſt Dei ut ait S. Paulus Philip. 1. ℣ſ. 27, ut non tantùm in Chriſtum credamus, ſed etiam pro eo patiamur. Nam hoc totum in noſtrum bonum eximium convertetur. Eatenus quoque res adverſæ atque afflictiones conferunt fidelibus ad bonum, quod eo tempore quando ii in afflictionibus deſeruntur ab aliis, Deus eis aſſiſtit, ad eos appropinquans. Sicut aſſiſtebat ipſi Domino Ieſu, & aliis ſervis ſuis. Sicut & ipſe Dominus Ieſus adfuit Stephano martyri ſuo. Actor. VI. & VII. Experti ſunt id & alii diſcipuli Ieſu Chriſti. Expertus eſt & iſte ipſe Paulus, quando fuit ab omnibus derelictus. 2 Tim. cap. 4. verſ. 16, 27. Expertus eſt & in mari, naufragio imminente, Actor. 27. verſ. 23. quando angelus Domini ei adſtitit. Oſtendit ſe Dominus Ieſus & Iohanni in exſilium pulſo & deportato in inſulam Patmon, propter ſermonem Dei, & teſtimonium Ieſu Chriſti. Apoc. 1. 9, 10. revelavit ei tunc ibi ſua ſecreta, per vocem è cœlo demiſſam. Magis inſignis evadit providentia Dei, quando fideles ejus incidunt in afflictiones, Deus autem eis auxiliatur, quam quando in pace degunt. Proinde non continuo male eſt quando nobis dolenda eveniunt: ſemper etiam in mediis malis bene eſt quando Deus vult, in eoque vertitur & magna gloria Dei, & noſtra magna felicitas. Igitur aſſueſcamus in tempore huic doctrinæ: & præſertim quando iſta veritas divina quam profitemur magis expolitur, quando videmus Satanam in id eſſe intentum cum ſua caterva infernali, & cum omnibus inſtrumentis ſuis hominibus malis, ut nobis ob confeſſionem noſtram varias immittant afflictiones, ut ſimus ad talia parati. Induamus armaturam ſpiritualem quam nobis deſcripſit idem Apoſtolus Epheſ. 6. ut poſſimus ſuſtinere omnes hoſtium noſtrorum impetus. De quo qui non cogitant, ii ad Eccleſiam Chriſti non pertinent. Nihil per hanc præparationem perdemus: nam ſi pax nobis continuetur, Deo ejus authori gratias reddemus; ſin autem pace diſturbata certamen ingruerit, nos erimus parati ut certemus audacter, & Dominus nobis opem feret ad victoriam feliciter obtinendam. Plura ſæpe homines perdunt propter res terrenas, & dolores perpetiuntur, pro quibus poſtquam mortui fuerint nullam accipient compenſationem. Sed is qui Dei & Chriſti cauſa ſuſtinuit afflictionem, & in Domino eſt mortuus, accipiet coronam victoriæ, quam Dominus promiſit iis qui ipſum diligunt.

Res autem luctuoſæ quę hominibus Chriſtianis eveniunt, aut propter explorandam eorum virtutem ac patientiam, aut quas Deus immittit propter eos ob peccata caſtigandos, quomodo eis ad bonum opitulantur? Primo, quando Deus eos explorat, quando aliquid incommodi eos urget, illi verò id patienter ferunt, non fortuito caſui id adſcribunt, ſed Deo, ei gratias agentes, cum Jobo dicente, Dominus dedit, Dominus recepit, ſit nomen ejus benedictum: pro iis quæ hic adimuntur meliora ſe in cœlis apud Patrem ſuum repoſita habere cogitantes. Si talem homo quiſpiam malignus verbis mordacibus inſectetur, famam ejus aut domeſticorum ejus lacerans, is verò cum Davide ſervo Dei, dicit, Obmutui, non aperui os meum, quia tu hoc feciſti. Pſ. 39. Id verò in nobis ſpectare debemus, annon vel Deo vel hominibus cauſam dederimus ut tali modo tractemur: ut & Deus pro peccato noſtro nos puniens talia nobis immitteret, & homines injurias ſibi à nobis illatas ulciſcerentur. Quodſi cauſam vel anſam talium prębuimus, ne pro injuria reputemus quod nobis talia eveniant, ſed dicamus illud quod eſt apud Prophetam Mich. 7. 9. iram Domini perferam, nam peccavi contra eum. Si autem quis conſcientia atteſtante ſentiat ſibi innocenti inſtar Jobi adverſa immutti à Deo, ita ſibi moderatur ut nullatenus Deum offendat, nec in officio ſuo Chriſtiano exorbitet, dicens, immerito quidem hæc mihi eveniunt, ſed Dominus explorat meam patientiam, ego verò id ab eo ſuſcipio, rogans, ne me ſinat in pietate vacillare. Ita omnia quæcunque homini pio eveniunt, etiam quæ mala videntur, in bonum ei convertuntur.

Videamus jam alteram piorum hominum deſcriptionem; quæ eſt ſumta à magna gratia Dei quam hominibus exhibuit. Continetur autem in his verbis; *qui ſecundum propoſitum vocati ſunt*. Ubi primùm videndum eſt quid ſit iſta vocatio, deinde quid ſit eam fieri ſecundum propoſitum. Vocatio iſta notat id quòd Deus homines ſervare volens, per vocem euangelii annunciatam ad ſe atque ad veram fidem ſuſcipiendam invitaverit, illi autem id ſuſceperint. Hi dicuntur vocati. Ad quos enim Deus miſit euangelium ſuum, ii autem id non ſuſceperunt, ad eos non ſpectant ea de quibus hic Apoſtolus loquitur. Tales vocati alibi in Sacra Scriptura dicuntur etiam electi, ut 2 Theſſ. 2. 13, 14. elegit vos Deus ab initio ad ſalutem, &c. ad quod vocavit vos per euangelium noſtrum, ad adeptionem gloriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti. Quod autem dicitur eos eſſe ſecundum propoſitum vocatos, ſignificatur, Deum cum propoſuiſſet atque conſtituiſſet ut homines ſervaret, ſimul conſtituiſſe quonam modo & medio id perficere velit, nempe, ſi homines fecerint ea quæ Deus antea ut facerent conſtituit, eiſque impoſuit faciendum ſi ſalvi velint eſſe. Similiter loquitur idem Apoſtolus Eph. 2. 10; ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu, ad opera bona quæ antea præparavit Deus, ut in eis ambularemus. Hæc autem opera bona ſunt ea quæ fides in Dominum Jeſum Chriſtum, & per eum in Deum, producit. Sicut nos ipſe Dominus docuit, in ſermone ſuo ad illas turbas quæ eum interrogarunt quid faciendum ipſis eſſet ut operarentur opera Dei? Reſpondit Jeſus & dixit eis, Hoc eſt opus Dei ut credatis in eum quem ipſe miſit. Joh. 6. 28, 29. Proinde quicunque non eſt ſecundum propoſitum Dei vocatus, qui vocationem & electionem ſuam non efficit firmam [per bona opera] 2 Petr. 1. 10. Is non pertinet ad tales vocatos quibus omnia cooperantur in bonum, ut ſint conformes imagini filii Dei. Voce iſta *vocationis* utuntur Apoſtoli, ut exprimant magnam Dei gratiam, & magnam hominum indignitatem. Nam quando homines ea de re non cogitarunt, quando in tenebris & in umbra mortis ſederunt, ut dicitur Matth. 4. 16, exorta eſt eis lux magna: tunc eos Deus è tenebris evocavit ad lucem ſuam admirandam, 1 Petr. 2. 9. Quid verò Deum impulit ad eam gratiam offerendam? Num noſtra dignitas? num Chriſti meritum? ut vulgo ſtatuitur. Non noſtra dignitas, nec meritum. Nam in eo ſtatu fuimus quem deſcribit Apoſtolus Eph. 2, ut eſſemus mortui in delictis, & filii iræ, natura, ſicut & reliqui. Non etiam meritum Chriſti: Nam gratia Dei erat parata ante omnia ſecula, promiſſa & data eſt ante tempora ſecularia Tit. 1. 2. 2 Tim. 1. 9. ſecundum proprium propoſitum & gratiam. Atque ut idem Apoſtolus ſcripſit Tit. 3. 5. ſecundum miſericordiam ſuam ſervavit nos, per lavacrum regenerationis &c. Tam magnam gratiam & dilectionem Deus hominibus oſtendit, quantam non oſtendit angelis, qui poſtquam peccaverunt, mox à Deo deturbati ſunt in tenebras æternas ad exitium. Hominibus autem tantam dilectionem exhibuit ideo, ut quo ſunt ea indigniores tanto velint eſſe gratiores, & ut Deum laudibus celebrent, pro tam magna præſtantia quæ iis eſt eventura in futuro ſeculo, ſupra angelos etiam ſanctos. Nam non tantum Angelos judicabunt, ut dicitur 1 Cor. 6. 3, ſed etiam eatenus præſtantiores Angelis ſunt futuri, quatenus ſunt ſeſſuri in throno Dom. Jeſu, cum ipſo, Apo. 3. 21. & cohæredes regni illius cum eo exſtituri in æternum. Angeli autem ſunt ſervi qui adſtant ante faciem Dei & Chriſti. Porrò ſervus non manet in domo in æternum, filius autem manet. Homines verò Deo dilecti ſunt filii Dei, qui manebunt in domo ejus ſicut hæredes, in æternum. Admiremur tam magnam Dei gratiam, dicentes cum Davide, Pſal. 8. Quid eſt homo? ô Deus, quod eum tanto

honore affeceris? Quilibet noſtrum dicere debet, Mi DEUS, num ego dignus fui tanta gratia tua, ut me tantopere diligeres? DEUS verò quid ad hæc? Ego ſum Pater veſter, vos eſtis liberi mei, ego vobis paravi hæreditatem æterni regni mei. Nos autem dicamus, Nos ſumus ſervi tui indigni, & mancipia tua. Debet in nobis magna animi ſubmiſſio reperiri, ut agnoſcamus, nihil in nobis fuiſſe quod Deum ad tantam erga nos charitatem excitaret; non tantum ex Adamo qui factus eſt ſervus peccati prodiimus, ſed etiam ipſi Deum ſæpe offendimus. Qui hæc conſiderabit, is ſeſe coram Deo humiliabit, & ſemper Deum hanc ob cauſam laudabit. Laudemus igitur & nos nomen Dei ſanctum, quòd nos fecerit tam magnæ gratiæ ſuæ participes, & ſecundùm ejus propoſitum vivamus. Nam qui ita ut debet non vivit, is non eſt ſecundum Dei propoſitum vocatus. Oportet ut vocationem & electionem noſtram per bona opera firmam efficiamus.

Jam conſideremus quomodo Apoſtolus probet atque confirmet iis qui ſecundùm Dei propoſitum ſunt vocati, quique Deum diligunt, omnia ad bonum cooperari. Id vero exprimitur verſ. 29, 30, 31, 32. Ubi primò ipſam probationem oſtendit. Secundo eandem declarat. Tertio denique eam probationem urget. Quod ad ipſam probationem attinet, ea continetur verſ. 29. Ubi vult oſtendere omnia ad bonum cooperari iis qui ſunt ſecundùm ejus propoſitum vocati. Quia Deus eos vocavit quos præcognovit, quos autem *præcognovit*, id eſt dilexit, eos etiam prædeſtinavit, prædeſtinavit autem ſervare, & quidem ita ſervare ut ſint conformes imagini filii ejus. Quem autem Deus ita dilexit ei non poteſt male eſſe, is non poteſt non eſſe felix. Ergo iis quos Deus diligit omnia in bonum convertentur. Verbum iſtud *præcognoſcendi* non ſignificat Deum nos prius quam in mundo eſſemus jam cognoviſſe, ut quidam volunt, quod eſt contra rationem. Sed id ſignificat quòd Deus homines quos è terræ pulvere producturus & creaturus erat, ita diligere conſtituerit, ut eos voluerit ex iſta valle terrena ad cœli excelſa perducere; quod efficere decrevit per filium ſuum, quem etiam in hoc præcognovit ante conditum mundum, 1 Petr. 1. 20. ut iis tum viam eò ſpectantem oſtenderet, tum eodem ipſos deduceret. Ita igitur verbum iſtud ſumi debet, ſicut etiam alibi apud Sacros ſcriptores ſumitur. Sicut & ipſe Dominus Jeſus id ſumit, quando dicit, Joh. 10. verſ. 14, quod cognoſcat oves ſuas, id eſt diligat eas, ſicut eum pater cognoſcit, id eſt diligit. At contra homines impios non novit, id eſt non diligit, non habet eos pro ſuis, quibus dicet, *nunquam novi vos.* Matth. 7. 23. & 25. 12. Et 2 Tim. 2. 19, dicitur, *Firmum ſtat fundamentum Dei, novit Dominus qui ſint ſui.* Ita etiam Rom. XI. 2. *Non rejecit Deus populum ſuum quem præcognovit*, id eſt antea dilexit. Et 1 Cor. 8. 3. *Si quis diligit Deum is cognitus eſt ab eo:* Id eſt dilectus, ſeu eum Deus quoque diligit. Sic etiam Deus dixit Prophetæ Jerem. 1. 5. *Priuſquam te crearem in utero cognovi te:* id eſt dilexi te. Sic per Oſeam cap. 13. 5. Deus dixit de illo populo Iſraëlitico, *Ego te cognovi in deſerto, in terra valde ſicca;* Id eſt ego te dilexi, nam ibi beneficia Dei quæ iſti populo exhibuit, commemorat.

Dicit hic porro Apoſtolus de Deo, *quos præcognovit, eos etiam prædeſtinavit ut ſint conformes imagini filii ejus.* Quod intelligendum eſt tum de felicitate fidelium Chriſti in futuro ſeculo, tum etiam de ſanctitate eximia, qua debent eſſe ſimiles Domino Jeſu Chriſto, debent induere Jeſum Chriſtum, debent eum ſequi atque imitari, & ambulare ſicut ille ambulavit. Sed intelligendum eſt quoque de ſimilitudine afflictionum Jeſu Chriſti. Sicut in ſuo exemplo oſtendit idem Apoſtolus, Philip. 3. 10. *Ut cognoſcam eum, & vim reſurrectionis ejus, & communionem perpeſſionum ejus, conformis morti ejus.* Sicut Dominus Jeſus mortuus eſt ſemel, ita nos debemus mori peccato, ut docet idem Apoſtolus Rom. 6. 4. ad verſ. 12. Et 2 Cor. 5. 14, 15. Charitas Chriſti conſtringit nos, judicantes hoc, quod ſi unus pro omnibus mortuus eſt, utique omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt ut qui vivunt non amplius ſibiipſis vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſuſcitatus. Quod autem reſpectu illius futuri ſeculi debeamus eſſe ſimiles Domino Jeſu, de eo loquitur idem Apoſtolus, Philip. 3. 21. Qui tranſformabit corpus humilitatis noſtræ ad id ut fiat conforme corpori ejus glorioſo &c. Et ſicut portavimus imaginem illius primi Adami terreni, ita portabimus & imaginem illius cœleſtis 1 Cor. 15. 49. Qui factus eſt in ſpiritum vivificantem, ibid. 45.

Sed occurrens Apoſtolus, ne quis exiſtimet in omnibus penitus nos ſimiles fore Domino Jeſu, addit iſta verba, *ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Quibus verbis oſtendere vult, quod Dominus Jeſus qui ſicut perfectiſſimus filius Dei perfectiſſime etiam divinam voluntatem implevit, ideo quoque perfectiſſimam felicitatem divinam hæreditate obtinuerit. Nam is & in hoc ſeculo fuit primogenitus inter multos fratres, cum Deus eum primum filium ſuum perfectiorem aliis filiis Dei genuerit. Deinde is primus legem Dei perfecte implevit, vivens pie & ſancte, in quo aliis fidelibus præivit. Nam nullus hominum æque ſanctus fuit ut ille, & æque Deo obediens: quia etiam nullus tantam tanti præmii cœleſtis ſpem, quantam ille, habuit. Præterea eminuit & in eo ſicut primogenito, quod eximias divinas qualitates in ſe habuerit, ut ſapientiam perfectam, & potentiam atque poteſtatem excellentem, per quam miracula divina patrabat, ideoque in forma Dei jam tunc fuiſſe dicitur. Quod autem attinet ad tempus ab ejus reſurrectione, tunc vero perfectius ejus primogenitura apparuit, ſicut de eo dicitur Apoc. 1. 5. Quod ſit primogenitus ex mortuis. Ita etiam Paulus dicit 1 Cor. 15. verſ. 20, & 23. Chriſtum primitias eorum qui dormierant, ſeu mortui erant, eſſe factum, cum eſt è mortuis excitatus; & primitias (nempe reſurgentium) eſſe Chriſtum, deinde ſequuturos eos qui ſunt Chriſti, in illo adventu ipſius. Similiter etiam Col. 1. 15. dicit, eum eſſe primogenitum omnis creaturæ. Quod tunc præcipue effectum eſt quum Deus altiſſimus ei vitam dedit immortalem, eumque ad dexteram ſolii ſui collocavit, & omnia pedibus ejus ſubjecit, ut is omnes judicet, regat, ciſque quibus vult vitam æternam largiatur. Atque eo modo is eſt primogenitus inter multos fratres. Iſti porro *fratres* Domini Jeſu Chriſti, quos ita ipſe nominat, quamvis ii hoc titulo ſint indigni, cujus rei omnes pudere debet, quamvis illum ejus rei non pudeat, ſunt omnes ii qui piè vivunt, imitantes Dominum Jeſum, quanquam ille eis multum præcellit. Propterea dicuntur ejus fratres, quod ſint ex eodem Deo nati, per ſanctum ejus verbum.

Ii autem ex Deo nati ſunt cenſendi, qui in omnibus quantum poſſunt faciunt voluntatem iſtius patris ſui; quod nos in hoc ſeculo tam perfecte ut oporteret facere non poſſumus. Quanquam perfectiore modo fient fratres in illo futuro ſeculo, quando evadent reipſa hæredes regni Dei, & cohæredes Chriſti, ſicut dictum eſt ſuperius verſ. 17. In omnibus tamen primatum obtinebit Chriſtus, ſicut noſter Dux & Rex. Hic autem iſtius ſermonis occaſione cognoſcere poſſumus quas ob cauſas Jeſus ſit filius Dei. Non ob id quod, ut hodie plerique ajunt, natus ſit ex eſſentia Patris ante omnia ſecula. Sed quod (præter conceptionem è Spiritu Sancto) Deo ſimilis fuerit præ cæteris filiis ejuſdem, vitæ ſanctitate, & deinde quòd eum Deus ante omnes primum à mortuis ita reſuſcitavit, ut eum in cœlum aſſumſerit, ac immortalem effecerit, & regni ſui participem atque poſſeſſorem, præ aliis omnibus, quorum ille frater nominatur. An verò poſſent alii homines eſſe Jeſu Chriſti fratres eo modo, cum ex Dei eſſentia generari nequeant, ſicut Ieſus Chriſtus generatus eſſe vulgo aſſeritur? Quapropter etiam hinc apparet Ieſum non eſſe talem Dei filium qualis paſſim eſſe exiſtimatur.

Conſideremus verò noſtram magnam felicitatem, ejuſque

ejuſque certitudinem, quæ in eo conſiſtit, quod is quem non pudet nos pro fratribus ſuis agnoſcere, factus ſit æternæ felicitatis & compos & largitor. Quapropter & nos certi eſſe poſſumus nos eandem ex gratia ejus, per manus ejuſdem accepturos: quandoquidem id in manibus habet is qui eſt primogenitus inter multos fratres, nempe Dominus Jeſus. Quodſi nos tantum terrenis bonis contenti eſſe deberemus, Domino Jeſu cœleſti beatitate perfruente, non eſſet conveniens inter Dominum Jeſum & nos reſpectu felicitatis comparatio. Num enim ſic ille poſſet recte dici primogenitus inter multos fratres? cum mortalis conditio non ſit immortaliti comparanda. Quoniam vero Deus altiſſimus hoc poſuit in manibus ejus qui nos ita dilexit, ut pro nobis animam ſuam poneret, ut habeat plenam ſuper omnia poteſtatem in cœlo & in terra, ita ut omnibus quibus vult quoſque gratia ſua dignos judicat, vitam æternam largiri poſſit; ô quantum eſt iſtud ſolatium nobis mortalibus, ſervis ipſius? Ne ſimus ſoliciti, ſed bene ſperemus & confidamus, quando in cœlo regnantem habemus eum qui nos eximiè dilexit & diligit. Quemadmodum fratres Joſephi, poſtquam reſciverunt tempore famis, eſſe in Ægypto fratrem ipſorum germanum, illis opibus & frugum copiæ præpoſitum, ſpem bonam conceperunt. Tuebitur iſte & conſervabit nos tempore cujuſlibet periculi, ſed præcipue tempore illius maximi tumultus atque turbationis, toti orbi terrarum ſuperveniens, &c.

Sed jam conſideremus, quomodo iſtam ſuam confirmationem Apoſtolus declaret. Id verò continetur ℣ſ. 30. dum ait, *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit*, &c. Id eſt, Quos antea conſtituit ſervare, & ſalvos efficere, eos etiam ad id vocare decrevit. Hocautem intelligendum eſt, non de unoquoque homine nominatim eſſe decretum, ſed de genere humano, quod DEUS ad cœleſtem felicitatem ducit per veram fidem ac vitæ ſanctimoniam, & per varias afflictiones. Dicit primùm quòd DEUS homines *vocet*. Id verò facit per euangelium & verbum ſuum ſanctum, præcipiens excellentem pietatem, & promittens hominibus peccatoribus peccatorum remiſſionem, ſi eorum egerint pœnitentiam, & jam porrò peccare deſtiterint, ita ut eis polliceatur omnium judiciorum atque pœnarum averſionem, tum in hoc ſeculo tum in futuro, & donationem vitæ æternæ in regno ſuo cœleſti. *Quos autem vocavit, hos & juſtificavit*, Hoc eſt iſtos vocatos & vocationem ſuſcipientes eique obedientes, ita recipit in gratiam ſuam, ac ſi ipſi eſſent homines juſtiſſimi, qui ne ſemel quidem unquam peccaverint: adeò ut ſi in iſta ſua vocatione conſtanter perſeveraverint, eamque vitæ pietate condecoraverint, poſſint confidere Deum eos ut juſtos in æternum tractaturum. Quandoquidem juſtificatio iſta in futuro demum ſeculo complementum & finem aſſequetur. Hic autem in terris quidvis eam homini auferre poteſt, niſi ſit valde cautus & circumſpectus. Tunc autem fiet juſtificationis explementum, quando Deus homines ab omnibus pœnis reipſa liberabit, & vitam eis æternam donabit. Progreditur Apoſtolus in argumenti iſtius declaratione, & per gradus aſcendens, gradum gratiæ Dei erga fideles ſupremum exprimit in his verbis, *hos & glorificavit*. Id autem poteſt referri & ad hoc ſeculum, & ad futurum. In hoc præſenti ſeculo Deus ſuos glorificat, quando eos certos reddit per ſpiritum ſuum ſanctum quòd ſint evaſuri participes vitæ illius & gloriæ æternæ, cujus ſpem in cordibus ſuorum gignit, eoque ſpiritu fideles obſignat, & dat eis arrhabonem æternæ felicitatis. 2 Cor. 1. 22. Eph. 1. 13, 14. Per quem ſpiritum Deus in cordibus fidelium habitat. Ita enim ait Dominus Jeſus, Qui habet mandata mea, & ſervat ea, is eſt qui me diligit. Qui autem me diligit, & ego diligam eum, & diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus, & habitationem apud eum faciemus. Joh. 14. 21, 23. Sed perfecto modo intelligi debet iſta glorificatio in illo ſeculo futuro, quando fideles admittentur ad gloriam divinam, cœleſtem, æternam: quando eos Dominus Jeſus collocabit in ſolio ſuo, Apoc. 3. 21. atque ad menſam ſuam, ita ut tranſiens miniſtret eis Luc 12. verſ. 37. Seſſuri ſunt in duodecim thronis, judicantes duodecim tribus Iſraëlis. Matth. 19. 28. Quod quamvis primario ſumi debeat de Apoſtolis, tamen aliquomodo poteſt referri ad omnes Chriſti fideles. Comedent fructum ex arbore vitæ, quæ eſt in medio paradiſi Dei, & ex illo manna abſcondito, & habebunt poteſtatem ſuper gentes, ut eas paſcant virga ferrea, &c. Apoc. 2. 7. XVII. 26, 27. Sed quis enumeraverit omnia iſta eximia præmia, quorum magnus numerus à ſpiritu divino relictus eſt in Sacris Literis ad ſolatium fidelium? Juvat tamen aliqua talia adhuc memorare, præſertim quæ in Apocalypſi Johannis indicantur. Ubi deſignatur & locus iſtius felicitatis, civitas illa excellens Jeroſolyma è cœlo deſcendens Apoc. cap. 21. videatur caput iſtud totum. Ubi etiam exprimitur, à quibus malis ibi liberi ſint futuri ℣ſ. 4. ut & cap. 7. 16. Deinde exprimuntur quoque gaudia quibus ibi ſint perfruituri. Cap. 22. ℣ſ. 2, 4, 5. Talia cogitantes conſolemur nos in afflictionibus, & gaudeamus quod nobis Deus talia promiſerit, & jam in Domino Jeſu exhibuerit. Conſideremus hanc quæ nos exſpectat excellentem felicitatem, & ſerviamus Deo in novitate vitæ, prout ipſe propoſuit & conſtituit, ut etiam participes fiamus ſecundum ejus propoſitum atque conſtitutionem, iſtorum bonorum quæ nobis eſt pollicitus. Et quoniam ille nos tantopere dilexit, nos quoque eum diligamus, atque ita omnia quæ ejus cauſa faciemus & patiemur in bonum nobis convertentur.

Videamus jam iſtorum verborum partem ultimam, in qua illud argumentum ſuum ita declaratum Apoſtolus urget, quod facit ℣ſ. 31 & 32. Poſtquam diſſeruit de magna præſtantia populi Dei, vocati ad vitam æternam, & de ejus præſtantiæ certitudine, jam ita exclamat: *Quid igitur dicemus ad iſta?* Quaſi dicat, Num adhuc dubitabimus iſta nobis ex gratia Dei eſſe eventura? *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Quum dicit *ſi* non loquitur cum dubitatione, ſed hoc vult indicare; Quoniam Deus ita conſtituit, ut nos quos ad ſe vocavit, peccatis præteritis nobis condonatis atque remiſſis glorificet, quiſnam Deo nos ſervare volenti adverſabitur? Non ideo hoc dicit quaſi nullus ſit talis adverſarius, & nihil tale quod nobis bonum illud ſummum eripere conetur: ſunt enim multi qui noſtræ ſaluti adverſantur; Sed quod nihil nobis obſtare poſſit, quominus ſalutem, ſi Deus nos è gratia ſua dignos ea cenſuerit, reipſa conſequamur. Neque mors, etiam violenta, neque homines hujus mundi, neque Satanas cum ſuo exercitu &c. ſi modò nos Deum verè diligamus. Nam quando Deus omnipotens nobis adeſt atque favet, quiſnam nos è manibus ejus eripiet? Dominus Jeſus Joh 10. 28, 29. dixit, ſuos non perituros in æternum, & neminem eos ex manu ipſius erepturum, quia pater ejus qui illos ipſi dedit, major eſt omnibus, ita ut è manu Patris nemo eripere poſſit. Quaſi dicat; Quoniam Deus pater mihi dedit oves meas, ut earum curam atque tutelam geram, & dem eis vitam æternam, idcirco nemo eas poteſt è manibus meis eripere. Nam qui è meis manibus eas eripere vellet, oporteret ut is è manibus Patris mei eriperet. At quoniam fieri non poteſt ut ex Patris mei manibus quiſquam eripiat, ideo etiam ex meis manibus non eripiet. Nam ego & Pater unum ſumus.

Audiamus verò quomodo Apoſtolus certitudinem felicitatis populi Dei urgeat atque comprobet, ℣ſ. 32 Ubi confirmationem ſumit, à maxima Dei quam populo ſuo oſtendit, charitate. Tria autem hîc exprimit. Primò in quo nobis Deus charitatem ſuam teſtatus fuerit. Secundò quemodo eam ſit teſtatus. Tertiò denique qua ratione hinc Apoſtolus id quod vult concludat. In quo nobis eam charitatem teſtatus ſit, expreſſit hiſce verbis, *qui etiam proprio filio non pepercit*. Fecit id Deus in filio charitatis ſuæ, ſicut eum vocat idem Apoſtolus Col. 1. 13. id eſt in filio chariſſimo, Domino noſtro Jeſu Chriſto. Quem filium ejus *pro-*

prium appellat, non ob id quod hodie vulgo exiſtimatur, quia ſit natus ex ipſa Dei eſſentia ante omnia ſecula. Sed dictione iſta *proprius* indicatur eum eſſe non alienum ſed omnino ſuum: & opponitur etiam aliis Dei filiis, quoniam iſte perfectiſſimo modo fuit & eſt filius Dei. Id autem ideo, quia ſingulari modo à Deo fuit genitus, dum per ſpiritum Dei ſanctum in utero virginali eſt conceptus. Deinde quia Spiritu ſancto in ipſum demiſſo fuit præditus, per eumque ſanctificatus, atque Deo quam hominibus in qualitatibus eximiis ſimilior factus, ut in potentia admiranda, & ſapientia, & ſanctimonia. Denique, quia Deus eum mortuum à mortuis reſuſcitavit, atque hæredem & poſſeſſorem omnium in cœlo & in terra exiſtentium effecit, dum eum ad dexteram ſuam divinam in cælo collocavit, ut eum omnes in cœlo & in terra exiſtentes adorarent. Quod Dominus Jeſus potuiſſet alio modo quam per tam ignominioſam atque atrocem mortem ſuam conſequi, potuiſſet eum Deus ſimpliciter abſque morte in cœlum aſſumere, ut pote eum qui nullum peccatum admiſit. Sed factum id eſt conſilio Dei, propter hominum commodum, propter fidem & ſpem noſtram firmandam, propter exhibendum nobis in eo exemplum & afflictionum ac patientiæ, & reſuſcitationis atque glorificationis conſequutæ: quia quæ illi adverſa Deo permittente evenerunt, etiam nobis evenire poſſunt, ut videamus quemadmodum illi iſta nihil ad felicitatem obſtiterunt, ita neque nobis obſtitura.

Quonam autem modo Deus id egit? *ſed pro nobis omnibus eum tradidit*, nempe in mortem. Permiſit ut ita in filium ejus ſævitia exerceretur, ut crudeliter necaretur. Quod Deus altiſſimus fecit propter nos & noſtram ſalutem, non ob noſtram dignitatem, ſed ut ſuam erga homines charitatem oſtenderet. Qua ratione vero hoc ſit intelligendum, quod eum *pro nobis* tradiderit, ita paucis explicari poteſt. Primum ut fœdus novum quod ipſe Deus nobiſcum per iſtum filium ſuum Dominum Jeſum pepigit, ita per ſanguinem Domini Jeſu confirmaretur. In quo nobis promiſit, ſe omnia peccata præterita remiſſurum, ablatis à nobis eorum pœnis, & daturum nobis vitam æternam. Hoc Dominus Jeſus attulit atque Dei nomine ſpopondit, & ad hujus promiſſi confirmationem vitam ſuam impendit, ac mortem diram ſubiit. Jam vero cujus rei ita aſſertæ; cauſa quiſpiam mortem ſuſtinet atrocem, eam veram eſſet oportet. Nam propter mendacium à ſe confictum nemo ſanę mentis mortem horrendam pertulerit. Deinde per iſtam mortem diram Jeſu Chriſti filii Dei quam is Deo Patre volente noſtri cauſa ſuſtinuit, declarata eſt nobis magna tum Dei patris tum ipſius filii charitas: ut nos ea agnita mutua erga eum charitate flagremus. Charitas autem noſtra erga Deum & Dominum Jeſum in eo ſita eſt ut præcepta ejus faciamus, atque à peccatis deſiſtentes pie vivamus. Quoniam talibus tantum Deus in euangelio Domini Jeſu, ſe peccata remiſſurum ac vitam ęternam donaturum promiſit, qui peccatorum pœnitentia acta ab iis deſtiterint, & in poſterum ſancte vixerint. Hinc S. Johannes Apoſtolus epiſt. 1. cap. 1. ỷ. 7. ſcripſit, ſi in luce ambulaverimus, ſicut Deus eſt in luce, communionem habemus inter nos, & ſanguis filii ejus Jeſu Chriſti purificat nos ab omni peccato. Denique, quia filius Dei per iſtam mortem ſuam, atque eam conſequutam reſuſcitationem, acquiſivit & adeptus eſt tantam poteſtatem, ut nos à pœnis divinis quas peccatis noſtris commeriti ſumus liberare, eaſque & inprimis mortem æternam à nobis avertere, atque vitam æternam nobis donare poſſit. In hoc enim Deus eum è morte reſuſcitatum, primarium ducem & ſervatorem exaltavit dextera ſua, ut det reſipiſcentiam Iſraëli, & peccatorum remiſſionem. Act. 5. ỷ. 31. Ita etiam ipſe Dominus Jeſus dixit, Joh. 17. 2. rogans Deum ut eum glorificaret, ut omnibus quos ei Pater dedit ipſe daret vitam æternam. Et per hoc nobis Deus dedit ad fidem adjumentum, quando id quod nobis promiſit, non tantum in exemplo ducis noſtri Domini Jeſu exhibuit, ſed etiam ut id nobis conferat in ejuſdem manu collocavit. Unde S. Petrus ait 1 Pet. 1. 21. quod Deus Chriſtum è mortuis excitaverit & gloriam ei dederit, ut fides noſtra & ſpes eſſet in Deum.

Tandem conſideremus qua ratione Apoſtolus inde noſtræ felicitatis certitudinem evincat. Id autem facit in his verbis, *quomodo non etiam cum eo omnia nobis donabit?* Per iſta autem *omnia* non intelligit omnes omnino res qualeſcunque tandem ſint, ſed eas quæ ad ſalutem noſtram ſpectant. Has enim Dominus Jeſus Dei munere eſt adeptus, has etiam nobis cum eo & per eum donabit. Ita vero argumentatur S. Paulus; Si Deus propter nos id fecit ut ad cruciatus atroces traderet filium ſuum dilectiſſimum eique non parceret, ut nobis per id charitatem ſuam teſtaretur; quomodo nobis non donabit ea quorum cauſa eum ad tam ſævos cruciatus & mortem ignominioſam tradidit? Si propter nos Deus id fecit quod cum dolore (ut ita dicam) cordis ejus Paterni conjunctum fuit; quomodo non faciet illud quod cum ipſius æterna gloria & nominis ejus honore conjunctum erit? Proinde certa atque indubitabilis eſt noſtra ſalus & æterna beatitudo. Quapropter inde ſolatium capientes, agamus pro eo ſubinde gratias Deo & Domino Jeſu, ac vivamus in novitate vitæ ſecundum ejus voluntatem, ut poſtea cum eo in æternum vivere atque in cœlis regnare queamus. Amen.

Concio ex loco Hebr. 12. verſ. 1, 2.

DIci ſolet vulgato adagio, Non minor eſt virtus quàm quærere, parta tueri: Seu, Magnam quidem prudentiam eſſe ſi quis quidpiam magnum ac eximium ſciat acquirere, ſed multo majorem eſſe ſapientiam rem acquiſitam noſſe retinere. Idem dici poteſt de ſanctiſſima iſta veritate, quam nos ex gratia divina non ſine magna difficultate cognovimus ac recepimus, in quo magna cujuſque Chriſtiani hominis apparet ſapientia; Sed multo major in eo cujuſlibet non ſolùm ſapientia ſed etiam virtus agnoſci poteſt, quando gratiam divinam in hac ſancta veritate acquiſitam retinet, atque in ea non abſque magno negotio agnita, atque cum vitæ periculo ſuſcepta, ad mortem uſque perſeverat: atque is tantùm qui hoc perficit, ſalvabitur. Ad hanc verò perſeverantiam, atque in iſta Sancta quam recepimus fide conſtantiam, nos ducit atque hortatur Spiritus divinus, in iſtis verbis. In quibus duo conſiderabimus. Primùm cauſas, quibus nos ſpiritus Dei ad hoc adducere ſtudet. Secundò ipſam adhortationem.

Primum illud deſcribitur nobis horum verborum initio: *Ideoque & nos tantam habentes circumjacentem nobis nubem teſtium.* Et deinde ỷ. 2. Adhortatio autem ipſa in medio eſt interjecta. Cauſæ ſunt duæ: Una ſumta eſt ab exemplis illorum antiquorum cultorum Dei celebrium, anteceſſorum noſtrorum. Altera verò ſumta eſt ab exemplo ipſius Domini Jeſu. Itaque eo ordine quo nobis iſte Author hoc deſcripſit conſiderabimus, eumque ſequentes, cauſam priorem prius, tum deinde ipſam adhortationem, & denique cauſam alteram expendemus. Quod ad priorem cauſam attinet, ea nobis indicata eſt hiſce verbis: *Ideoque & nos tantam habentes circa nos jacentem nubem teſtium.* Quæ cauſa petita eſt ab exemplo illorum antiquorum Dei cultorum, qui priſcis illis ſeculis ante nos fuerunt, quique ab exordio mundi fiduciam in Deo collocaverunt. Initio facto ab Abele juſto, ut eum Sacra Scriptura appellat, uſque ad tempora Domini Jeſu, & poſtea. Qui propter hanc fidem atque fiduciam, quam in Deo collocatam habuerunt, multa ſunt perpeſſi. Quorum hic magnum catalogum Author divinus ſuperius capite undecimo commemoravit. Quos propterea vocat *teſtes*, quia illi teſtati ſunt, de ſua erga Deum fidelitate, in officiis ſuis Deo ex fiducia in ipſum præſtandis; ſed etiam teſtimonia perhibuerunt de magna Dei erga ſe fidelitate: quod ea quæ promiſit ſit præſtiturus: quam ob rem etiam omnia eo volente ac jubente & fecerunt, & facere erant parati. Quod nobis perſuadere volens ſpiritus Domini, in perſonis iſtorum fidelium Hebræorum, ad quos ſcripta eſt iſta Epiſtola, exempla illorum antiquorum nobis ob oculos ponit; ut nos quoque

quoque tali modo ſimus Deo fideles, ei fidentes quòd ipſe ſit remunerator eorum qui ipſum quærunt: quodque non ſolum in hac vita, ſed etiam poſt hanc vitam & poſt mortem, paratus ſit donare illam felicitatem æternam iis qui propter ipſum non tantum alia patiuntur ſed etiam ſanguinem ſuum effundi ſinunt. *Nubem* autem appellat iſtos teſtes, ideo quod eorum eſſet valde magna ac denſa multitudo: de quibus ſuperius ſcripſit, quod tam multi fuerint, ut ſi omnes eſſent memorandi, tempus eum deficeret. Sic ipſe Deus peccatorum multitudinem nubi aſſimilavit. Eſa. 44. 22. Porrò illi antiqui cultores Dei quamvis non haberent tam magnas cauſas ad id impellentes, ſicut nos habemus, tantum promiſſa temporaria, felicitatem terrenam, vitam longævam; tamen ita conſtanter Deo ſervierunt, & tam multa idcirco ſuſtinuerunt, afflicti & in exſilium pulſi fuerunt, ut in ovinis & caprinis pellibus per ſpeluncas oberrare coacti fuerint, ſicut dictum eſt ſuperius, & poſſeſſionem ſuarum direptionem cum gaudio ſuſceperint. Nonne multo magis nos talia perpeti debemus? qui non terram Chananæam, ſed illam novam terram cœleſtem in qua habitat juſtitia, non vitam diuturnam, ſed æternam, non delicias & fortunas terrenas, ſed voluptates cœleſtes & beatitatem vere divinam promiſſam habemus. Hinc nobis capienda eſt doctrina. Exemplis hominum piorum & ſanctorum, debemus noſipſos in ſpiritu ædificare, eos in fide, ſpe, pietate, & patientia imitari. Nam ſi illi iſta potuerunt facere & pati, multo magis nos talia ſimiliter exſequi poſſumus, qui perfectiora quàm illi habuerunt promiſſa habemus. Quicquid bonum, cum Sacris Dei oraculis conſentiens antiqui illi homines fecerunt, idem nos omnino facere tenemur. Sed non omnia quæcunque illi fecerunt nos facere debemus. Nam multa fuere quæ ii egerunt & dixerunt, quibus adverſatur doctrina Domini Jeſu Chriſti: quæ ſi quis Chriſtianus hodie faceret, periret in æternum. Ideo tutiſſimum eſt imitari Dominum Ieſum, & ejus ſanctos Apoſtolos. Hi quod fecerunt & dixerunt, quod etiam nobis ut faciamus mandarunt, hoc eſt officium perfectiſſimum, hoc neminem fallere poteſt.

Jam conſideremus ipſam Spiritus divini adhortationem, quę in his verbis eſt comprehenſa, *pondus deponentes omne, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus propoſitum nobis agonem.* Proponens nobis iſte Sanctus Author, admonitionem ad conſtantiam in religione Chriſtiana, & volens eam conſtantiam optime exprimere, duo exſequitur. Nam primùm nobis oſtendit media per quæ eam obtinere debeamus, deinde ipſam conſtantiam ſeu perſeverantiam exprimit. Nempe duo nobis præcipit, primum quid relinquere debeamus, deinde quid facere teneamur. Primum medium quo ad id uti debeamus, in his verbis expreſſit, *pondus deponentes omne, & circumſtans nos peccatum.* Atque hoc eſt quod debemus relinquere, quod nobis poſſet eſſe impedimento. Sumit hic ſimilitudinem ab iis qui in ſtadio propter brabeum decurrunt: qui ideo ut poſſint eo expeditius currere, onere ſeſe levant, abjicientes omnia quæ eos gravant, etiam ea quæ aliàs eis poſſent prodeſſe, ut poſſint optatam curſu contingere metam, & brabeum accipere propoſitum. Ita nobis hic proponit doctrinam, ut iſtorum curſorum exemplo curriculum iſtud Chriſtianum exſequamur, & perſeveranter decurramus. Jubet nos deponere omne pondus ſeu onus. Per verbum *deponendi* docet ut non tantum ad tempus aliquod id ponamus, ſed in perpetuum abjiciamus & abnegemus, atque ad id reſumendum non revertamur. Hoc eſt illud quod dicitur Rom. 13. ℣. 12. *abjiciamus igitur opera tenebrarum.* Et Tit. 2. 12. *ut abnegemus omnem impietatem, & mundanas concupiſcentias.* Pondus iſtud ſeu *onus* eſt peccatum omne, quod nobis hic deſcripſit primum improprie, deinde etiam proprie. Improprie per onus poteſt intelligi peccatum, propterea quia hominem in hoc curriculo nihil magis poteſt inhibere, quam peccata, quæ ſunt velut ſarcinæ quædam quæ nos premunt, ut expedite in hoc curriculo currere nequeamus, neque hanc ſanctam fidem Chriſtianam ſuſcipere, nec eam retinere. Nam ſicut inquit Dominus Jeſus Joh. 3. 19. *quia mala erant hominum opera, ideo dilexerunt magis tenebras quam lucem.* Deinde jam magis proprie loquens iſte Author quaſi dictum ſuum exponit, dum addit, *& circumſtans nos peccatum.* Qui peccata abjicere nolunt, ii finem fidei Chriſtianæ non conſequentur. Non autem tantum quædam peccata ſunt abjicienda, magna & enormia, quæ etiam Mundus punire ſolet, ſed etiam minima: non tantum quæ factis perpetrantur, ſed etiam dictis, ut maledicta, convitia, exſecrationes, mendacia &c. quæ nobis ſpiritus Domini vetat: nec tantum quæ ore ſed etiam quæ corde & animo committuntur, ut iræ, odia, invidiæ, hypocriſes, doli, &c. quæ nobis in doctrina Chriſti ſatis indicantur. Breviter loquendo, quoniam religio Chriſtiana nihil aliud eſt niſi ipſa pietas, cui peccatum ſapit & ſuave eſt, is non facile in hac religione perſeverat. Dicitur autem peccatum nos circumſtare, quo indicatur multas nos ad peccandum habere cauſas & occaſiones, undique. Capitalis ille inimicus noſter Satanas, circumambulat nos perpetuo ſicut leo rugiens, ut nos perdat. Habet præterea ſervos ſuos qui ſimul cum eo noſtrum exitium machinantur, ut ſunt mundus, & caro noſtra propria. Mundus nos ad ſe allicit, illecebris ſuis: nos autem non debemus diligere hunc mundum. Nam mundus iſte in malo jacet. Noſtra quoque caro excitat in nobis varias cupiditates ad peccandum; quas nos debemus comprimere, mortificare, & crucifigere. Hæ quamdiu in aliquo vigent, eique dominantur, nondum is abjecit à ſe onera, proinde difficile eſt ut is curſu metam aſſignatam contingat & brabeum à Chriſto propoſitum accipiat. Poteſt etiam hoc aliter intelligi reſpectu propoſiti hujus Authoris & negotii ejus cum illis ex Hebræis novis Chriſtianis, qui ad Legem Moſaicam à qua jam diſceſſerant, rurſus reverti volebant. Circa quod hic iſte Author plurimum laborat, volens eos in religione Chriſtiana retinere: exhibens eis tum ejus per quem iſta religio eſt tradita, nempe Jeſu Chriſti præſtantiam, tum ipſius hujus religionis certitudinem atque perfectionem, & ex altera parte imperfectionem illius legis antiquæ, ſtudens eos ab illa avertere. Cum igitur ait, *onere omni depoſito* videtur intelligere illa omnia dogmata ritualia in Lege deſcripta: quæ tam multa fuerunt & tam gravia, ut ea nemo poſſet exſequi. Unde etiam Apoſtolus ſcripſit Rom. 3. *ex operibus Legis non poſſe ullam carnem juſtificari.* Fuit ibi labor gravis & præmium exiguum. Fuit ibi onus quod nemo potuit ferre; unde ait S. Petrus Act. 15. 10. hoc fuiſſe jugum, quod non potuerint ferre neque illi antiqui Patres, neque Apoſtoli, & alii ex Judæis diſcipuli Chriſti. Quamobrem etiam Dominus Jeſus dixit, *venite ad me omnes laborantes, & onerati, & ego faciam ut requieſcatis*, Matth. XI. 28. Quoniam igitur iſti Hebræi rurſus volebant ad illam legem reverti, voluit illis iſte Author indicare ibi nihil fuiſſe niſi laborem irritum totius vitæ, & onus quod non poſſent ferre, quum tamen hoc mente agitarent ut eo reverterentur, & abjicerent religionem Chriſti, quod eſt magnum peccatum. De quo ſcribit idem c. 6. 4. & c. 10. 26. Talibus nihil aliud erat exſpectandum quam horrenda judicia Dei. Proinde & ii omnes qui etiamſi non abjiciant prorſus doctrinam Chriſti, tamen ex ejus præſcripto non vivunt, ſunt perituri. Unde habemus doctrinam: hominem quemvis modo ipſe velit poſſe, divina ope accedente, efficere ea omnia quæ Deus ipſi præcipit. Nam impoſſibilia Deus nemini imponit, neque ab hominibus requirit. Nemo etiam debet cauſari ſe non poſſe aliter facere, ideo quod talem habeat naturam & conſuetudinem. Sed tu debes mores iſtos malos, & carnis tuæ cupiditates crucifigere ac mortificare. Potuerunt id facere alii, & tu potes.

Sed jam videamus alterum medium quod hic nobis proponitur, in quo præcipitur quid ſit faciendum: *per perſeverantiam* ſeu *patientiam, curramus in propoſito nobis curriculo.* Iſtud alterum medium eſt perſeverantia in religione Chriſtiana. Hæc eſt via ducens ad cœlum, perſeverare in fide vera, & fiducia, etiam in perpeſſionibus afflictionum propter Chriſtum. Ipſe nobis præivit

ac

ac ut ipſum ſequeremur præcepit; *Qui vult poſt me venire* (inquit) *abneget ſemetipſum, & accipiat crucem ſuam, & ſequatur me.* Mat. 16. 24. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplum ut ſequamur veſtigia ejus.* 1 Pet. cap.2.21. Ad talia debet ſe præparare & accingere quiſque, qui Deo ſervire ſtudet. Nam *per multas afflictiones oportet nos ingredi in regnum cœlorum.* Act. 14. 22. *Omnes qui volunt pie vivere in Chriſto Jeſu, perſequutionem patientur.* 2 Tim.3. 12. Specialis hæc eſt gratia Dei quando pacem largitur populo ſuo: ſed ſemper ita fore non habemus ullum privilegium. Habemus autem præceptum ut omnia adverſa perpetiamur, & denique mortem quoque acerbam ſuſtineamus.

Ipſam conſtantiam exprimit, dum ait, *curramus in propoſito nobis agone* ſeu *ſtadio.* Sicut qui in ſtadio currunt, in id unum intenti ſunt, nihil aliud tunc ſpectant, non parcunt valetudini ſuæ, dummodo curſum conficiant, & ad calcem decurrant, non reſpectant retro quantum jam ſpatium curſu emenſi fuerint, ſed proſpectant quantum adhuc ſit emetiendum. Ita homines Chriſtiani, qui ſtadiodromis comparantur, debent ſibi non parcere, nihil aliud ſpectare, ſed currere, etiamſi vitam hanc perdant, ut aliam vitam lucrentur. Non ſufficit incipere currere, & poſtea ſubſiſtere, ſed curſus eſt continuandus, ex uno loco in alium eſt ſtrenue progrediendum, ab una virtute ad aliam virtutem eſt aſcendendum, & in eo ſtudio ad mortem uſque perſeverandum. Danda eſt opera ut ex bonis ſubinde fiamus meliores, & ſimiles quantum fieri poteſt efficiamur Domino Jeſu, ut poſſimus *creſcere in virum perfectum, ad menſuram ſtaturæ completæ Chriſti.* Eph.4.13. Ne in ullius peccati habitu hæreamus, & omnium virtutum habitus contrahamus, in iiſq; per gradus ad perfectionem contendamus. Quamvis autem videamur jam nobis eſſe perfecti, tamen non debemus nobis ipſis confidere, neque in pietatis ſtudio ſubſiſtere. Imitemur S. Paulum, qui etſi propter Dominum multa paſſus fuit, complens perpeſſiones Chriſti pro Eccleſia Col.1.24. & omnia quæ ei lucro erant in mundo, propter Chriſtum damni loco reputavit, ut poſſet occurrere reſurrectioni à mortuis; tamen de ſeipſo dixit ſe nondum comprehendiſſe, neq; perfectum evaſiſſe, ſed inſequor (inquit) ut comprehendam, ſicut etiam comprehenſus ſum à Chriſto Jeſu, id unum ago, ut eorum quę retro ſunt obliviſcens, ad ea vero quę ante ſunt me extendens, ſecundum ſcopum inſequar ad illud brabeum ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu. Phil.3. Idcirco & nos ita debemus currere ut contingamus metam. Meta autem nobis hęc eſt, ut in pietate permanentes deveniamus ad mortem, vel ad adventum Chriſti. Ut poſſimus bona conſcientia atteſtante dicere de nobis quod etiam dixit S. Paulus 2 Tim.4. Certamen bonum certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. Quod reſtat, repoſita eſt mihi juſtitię corona, quam reddet mihi Dominus in illa die ille juſtus judex &c. Quapropter nunquam ceſſemus, ſed perpetuo quod opus eſt agamus, laboremus in vinea Domini uſq; ad veſperam, tolerantes onus diei & æſtum, ut poſſimus accipere illum denarium vitæ æternæ laborantibus promiſſum.

Jam ſuccedit altera cauſa qua nobis idem ad quod hic hortatur perſuadere conatur, petita ab exemplo Domini Jeſu, quæ exprimitur ỷ ſ. 2. *Aſpicientes illum fidei primarium ducem & conſummatorem, Jeſum, qui pro gaudio ſibi propoſito ſuſtinuit crucem, contemta ignominia, atque in dextera throni Dei conſedit.* Conſideremus hic primo quomodo nos hac cauſa velit ad id adducere. Secundo quomodo nobis deſcribat Dominum Jeſum, & ejus magnam dignitatem. Tertio in quo eum imitari debeamus. Primum eſt ibi, *Aſpicientes illum.* Debemus hoc exemplar ſemper aſpicere & intueri, atque conſiderare quid Dominus fecerit & paſſus ſit. Nam hæc noſtri cauſa ſuſtinuit, ut nobis exemplum atque ſpecimen relinqueret. Quæ ſi non conſideremus, nihil in nobis efficient ea quę is noſtri cauſa eſt perpeſſus. Secundum nempe quomodo nobis deſcripſerit Dominum Jeſum continetur in his vocibus dum eum vocat, *primarium ducem & coſummatorem fidei.* Nominat autem eum ita, primum ideo quia ille primus nos docuit fidem perfectam in Deum, deinde, quia non tantum docuit, ſed etiam præivit nobis in fiducia erga Deum perfecta, & ex ea manante eximia vitæ ſanctimonia: docuit nos factis ipſis quomodo Deo perfecte ſervire debeamus, & ex ejus mandato perfecte pie vivere, ut ei complaceamus. Quamvis autem etiam olim ante legem & ſub lege fuerit fides; tamen non fuit ita perfecta: propterea quia etiam non fuerunt tunc tam perfecta promiſſa. Non ſolum autem præivit nobis Jeſus in doctrina, & in pietate, ſed præivit etiam nobis in ea ad quam nos in doctrina ſua ducit, afflictionum perpeſſione: vadum iſtud ſanguinolentum pervaſit, & fortiter pugnans per horrendas hoſtium ſuorum acies permeavit.

Porro *conſummatorem fidei* vocat eundem Dominum Jeſum, ideo quia non tantum ipſe fidei ſuæ finem eſt conſequutus, ſed etiam in eo eſt, idque peragit ut fides in nobis effectum ſortiatur, auxilium nobis ad id ſuppeditat per ſpiritum ſuum, & eo tendit ut fidei noſtræ finem id eſt ſalutem animarum & vitam æternam nobis tribuat. Id curat ut populum ſuum, cujus ductor eſt, introducat in illam terram novam, ubi Deus habitationem ſuam habet, ubi & iſte ipſe dux noſter ſedet in illo excelſo monte Sionis cœleſtis, in glorioſa majeſtate ſua, & ibi noſtrum negotium agit coram Deo altiſſimo, ut nos eripiat ex pœnis divinis horrendis. Hæc eſt ejus cura. Sicut Diabolus nominatus eſt *accuſator fratrum* propterea quod id perpetuo curet ut homines in peccatum inducat, atque inde eos ſuppliciis divinis obnoxios reddat & in æternum perdat. Ita contra Chriſtus Dominus in eo eſt ut ſimus liberi ab omnibus peccatis, & ut à judiciis divinis liberemur, atque conſequamur finem fidei noſtræ ſalutem animarum. In eo perfectiſſima Domini Jeſu circa populum ejus cura continetur, & maxima ejus dignitas apparet. Quod ſi ille eſt tantus & talis noſter Dominus, noſtrum officium eſt eum colere & venerari. Si ille nobis in fide ac pietate præivit, nos eum debemus imitari. Nam ita ipſe ore ſuo dixit: Si ego Dominus veſter & Magiſter pedes veſtros lavi, & vos debetis alii aliorum pedes lavare. Joh. 13. Debemus ab omnibus viris ſanctis diſcere fidem, pietatem, aliaſque virtutes: ſed præcipue à Domino noſtro Jeſu Chriſto & ab ejus ſanctis Apoſtolis.

Jam conſideremus quid hoc loco nobis in Domino Jeſu proponatur imitandum. Id vero expreſſum eſt nobis in hiſce verbis: *Qui pro gaudio ſibi propoſito, ſuſtinuit crucem, ignominia contemta, & in dextera throni Dei conſedit.* Ubi primum docetur, quid permoverit Dominum Jeſum, ut hæc adverſa ſuſtineret. Secundo, quomodo in eo quod patiebatur conſtans fuerit. Tertio qualis fuerit finis & exitus hujus ipſius conſtantiæ, vel quomodo ea ipſi bene ceſſerit. Primum quid eum ad id adduxerit, exprimitur, *qui pro gaudio ſibi propoſito.* Gaudium ei fuit à Deo propoſitũ, quòd deberet evadere perfectus Dominus cœleſtis, & non tantum poſſeſſor ſed etiam largitor vitæ æternæ: ideo omnia contemſit, & dedit animam ſuam redemtionis pretium pro multis. Hoc enim ita fuit in Dei conſilio conſtitutum, & ob id Jeſus à Deo miſſus fuit. De quo ita ſcriptum eſt Eſa.53. *Si poſuerit pro delicto animam ſuam, videbit ſemen prolongabit dies, & voluntas Domini proſper abitur in manu ejus &c.* Hoc eſt ita Deus de illo apud ſe conſtituit atque decrevit, ut ſi hoc quod Deus ei mandavit, ac non tantum faciendum ſed & patiendum commiſit, atque aſſignavit, ſuſtinuerit, per id conſequi debuerit talem ac tantam excellentiam atque poteſtatem, ut poſſet omnes qui in ipſum crediderint, liberare ab omnibus ſuppliciis divinis, & compotes eos facere felicitatis æternæ, in regno Patris ſui, ea potentia quam ab ipſo accepit. Vide Phil. cap. 3.21. Atque propterea libenter ſuſcepit iſtas afflictiones, per quas tale præmium erat obtenturus. Igitur & nos hęc conſideremus, tale gaudium ſemper ob oculos habeamus, ejuſque meditatione velut condimento quodam ſuavi edulcemus nobis omnes amaritudines quæ nobis iſtam ſanctam Chriſti religionem ſectantibus eveniunt. Ipſe Dominus Jeſus Chriſtus dixit, onus ſuum eſſe leve, & jugum ſuum eſſe ſuave, Matth. cap. 11. 30. maxime reſpectu præmii conſequentis.

Et

Et Apostolus ejus scripsit Rom. 8. 18. non esse dignas perpessiones temporis præsentis illa gloria quæ est erga nos revelanda. Et 2 Cor. 4. 17. Momentanea levitas afflictionis nostræ excellenter excellens æternum pondiis gloriæ nobis operatur. Illi sancti viri Dei qui nos olim antecesserunt, qui per fidem operosam Deo placuerunt, quorum prolixus superius recensetur catalogus, tam magna & tam multa gravia sustinere non recusarunt, propter spem boni cujusdam magni quod à Deo exspectabant, etiamsi promissiones eximii præmii expressas non haberent. Nos verò, cum habeamus promissionem expressam illius supremæ beatitatis, quam nobis Deus per Dominum Jesum fecit, atque in eo ipso nobis exhibuit & demonstravit, atque per eum nobis eandem se daturum est pollicitus, erimusne Deo refractarii, nec divinis ejus mandatis obtemperabimus?

In quonam autem Dominus Jesus Deo ita obsequens fuit? Ecce exprimitur, *sustinuit crucem, ignominia contemta.* Per crucem, quamvis possint intelligi omnigenæ afflictiones, vexationes, & contumeliæ, quas Jesus munere suo in terris fungens sustinebat; tamen nominatim significatur illud crudele tormentum, & mors ejus atrocissima, quam cum esset, vivus, sanus, & vegetus, tam sævo modo passus est, & ita inter immanes dolores vitam suam finiit. De qua afflictione imminente sciens, dixit suis, *Tristis est anima mea usque ad mortem*: ac Deum oravit cum clamore valido & cum lacrymis ut ipsum liberaret. Et in cruce pendens, voce lamentabili vociferatus est, *Deus mi Deus mi cur me dereliquisti?* Quid his potuit evenire atrocius? Quid altera ex parte ignominiosius? Ut prætereamus alia, quam contumeliose tractabatur, cum ut latro comprehenderetur, ac vinciretur, huc illuc duceretur; cum facies ejus sancta conspueretur, colaphis percuteretur, cum ipse virgis & flagris cæderetur, ex urbe educeretur, inter duos latrones suspenderetur, & cum jam in cruce penderet, ludibriis scurrilibus exagitaretur, felle potionaretur? Quid tanibus fuit contumeliosius? Præterea si quis tali morte crucis tolleretur, exsecrabilis non tantum hominibus sed & Deo dicebatur sub Lege. Sicut inquit Apostolus Gal. 3. 13. ex Deut. 21. 23. *Exsecrabilis omnis suspensus in ligno.* Hanc autem exsecrationem Dominus noster sustinuit. Quamobrem & nos cum huic Domino serviamus, nihil nobis me ius in terra polliceamur. Passus est ista Dominus noster, & nos similia pati simus parati, etiam mortem sævissimam atque ignominiosissimam. Examinemus nos ipsos num ad talia perpetienda promti simus atque parati. Num apud nos locum habeant illa Domini verba, *qui vult post me venire, abneget semetipsum, & sumat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Simus tali animo armati si volumus ejus esse discipuli. Transiit Dominus noster ante nos vadum istud sanguinolentum, & istud ut sic dicam mare rubrum, expandit vexillum suum rubeum sanguine tinctum. Nos autem sub hoc ejus vexillo militaturi, *prodeamus ad eum extra castra, opprobrium ejus ferentes,* quod interdum est aliquibus ipsa morte acerbius atque gravius. Mallent non pauci mortem potius oppetere quam honore omni spoliati, in infamia ac in contumeliis vitam ducere. Sed ad talia omnia perpetienda paratus esse debet is qui vult eo pervenire quo Dominus noster Jesus Christus pervenit.

Videamus jam quod restat tertium, quomodo ista Domino Jesu successerint. De hoc ita dicitur, *& in dextera solii Dei consedit.* Ex tam magna ignominia pervenit ad magnam honoris excellentiam, atque sublimem gloriam, dum consedit in throno regali Dei patris sui, ad ejus dexteram, cum eximia majestate. Jam obtinet dominium super omnia, & super omnes inimicos suos, habet in manibus suis *claves inferni & mortis*, habet datam sibi potestatem omnis judicii vivorum & mortuorum. Cum ante solus Deus unicus populo suo ita dominaretur ut negotium salutis ejus gereret; nunc loco ejus id gerit Christus Dominus, ita regens atque gubernans populum suum ut in hoc regimine non exspectet subinde sicut alii servi Dei, ipsius mandata. Hæc autem Jesus propterea obtinuit quia fuit Deo *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, ut scriptum est Phil. 2. Quodsi & nos similem honorem atque gloriam consequi volumus, simus Deo & ipsi Domino Jesu fideles atque obedientes, usque ad mortem & quidem etiam atrocissimam, ut nobis obveniat id quod Dominus iste suis promisit. Dixit Apostolis, *vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum. Ut edatis & bibatis ad mensam meam in regno meo* &c. Luc. 22. 28, 29, 30. Similem verò beatitatem pollicitus est etiam aliis servis suis semet sequentibus, ac præsertim adversa ejus causa perpetientibus. Matth. 5. 10 & alibi. Curramus igitur patienter atque perseveranter in proposito nobis stadio, simus Deo in omnibus fideles usque ad mortem. In quo Deus nobis opem ferat per spiritum suum sanctum. Amen.

Iacobi cap. 3. vers. 17, 18.

IN his verbis S. Jacobus commendat nobis rerum divinarum scientiam quæ debet inveniri in omnibus Christianis, & præcipue in iis qui alios docent. Ubi duo consideranda. Primò quomodo nobis describat istam scientiam seu sapientiam. Secundo qua ratione eam commendet. Describit istam scientiam his verbis, *Illa quæ de sursum* [est] *sapientia.* Sapientiæ nomine nuncupat scientiam rerum divinarum, quæ spectat nostrum summum bonum. Ut & 1 Cor. 2. ℣. 6. seqq. Ubi etiam vocat eam sapientiam Dei; sicut & Eph. 3. ℣. 10. Hæc est eximia & perfecta sapientia, scire quid sit summum bonum, & viam ad id ducentem nosse. Summum bonum est vita æterna: via autem eo ducens est vera pietas. Dicit autem quòd hæc sapientia sit *de sursum* seu superne, id est ex cœlo, à Deo. Ut superius c. 1. ℣. 17. *Omne datum bonum, & omne donum perfectum superne est, descendens à Patre luminum.* Ita etiam de Jesu Christo dicitur quod sit *superne veniens*, Joh. 3. 31. id est, ut ibidem declaratur, *ex cœlo.* Opponit ita hanc sapientiam veram illi falsæ, de qua superius ℣. 15 dixit quòd non sit superne adveniens, sed *terrena, animalis, dæmoniaca.* Idque dicit contra illos qui vane jactabant se esse sapientes, & opinabantur se posse merito aliorum esse doctores. At ipsorum sapientia non erat divina, sed terrena, conveniens iis qui tantum terrenas res cogitant & spirant, ac profecta à Satana. Hæc autem de qua hic sermo est, sapientia, dicitur esse *superne*, id est ex cœlo: quodsi ex cœlo, ergo non ex terra. Non suis viribus eam homines sunt assequuti, sed data est eis è cœlo, per spiritum Dei, ut dicitur 1 Cor. 2. 10. Quia vero ex spiritu Dei prodiit, ideo etiam ad spiritus nostros pertinet, & quia à Deo profecta est, ideo adversatur satanę. Hanc sapientiam cœlestem ut adipiscamur, debemus curare omnes, & nominatim ii qui docent, ut possint bene aliis præire, & dum alios in cœlum ducunt, ipsi eo pervenire. Quo spectat etiam prudentia, ut norint quomodo alii sint ad felicitatem istam ducendi. Curemus igitur hanc sapientiam: & quamvis habeamus ejus principia, tamen demus operam ut in ea subinde proficiamus, & sciamus quomodo nos recte gerere debeamus, & quomodo perveniendũ sit ad cœlũ, ubi habitat Pater noster cœlestis: qui orandus est ut nobis hanc sapientiam donet, sicut eam donavit olim Apostol. & aliis viris sanctis.

Sed ut eam tanto magis curemus, jam consideremus quomodo eam hic nobis S. Jacobus commendet. Commendat autem eam duplici modo. Primum ex ejus qualitatibus seu effectis, deinde vero ex ejus fructibus seu commodis ex ea prodeuntibus. Quod attinet ad effecta, ea septem hic expressa sunt à spiritu divino. Primum est quod ea sapientia sit *casta*, seu pura, id est immunis ab illo peccato quod nominatim appellatur impuritas, seu à libidine, quæ hominem præcipue polluit, atque per temperantiam & abstinentiam, cohibens impurarum voluptatum cupiditates. Sed sæpe hac voce notatur id quando homo est liber ab omnis generis peccato. Hinc de variis peccatorum quæ ex corde prodeunt speciebus dicitur quod hominem polluant coram Deo. Is igitur est istius sapientię à Deo profectę effectus, quod hominem ab omnigeni peccati macula purum reddat: quum ipsa

ipſa ſit pura, & non poſſit quidquam impurum tolerare. Ejus ope homines ſeſe purificant ſeu mundant à maculis peccatorum. Quod indicatur, 1 Joh. 3. ℣. 3. & 2 Cor. 7. 1. & 2 Tim. 2. 21. Is tantum à peccato liber eſt qui ſapientiam iſtam à Deo profectam bene conſiderat eaque eſt præditus. Dicitur ergo eſſe pura, quia purum efficit hominem. Sicut etiam de charitate dicitur, 1 Cor. 13. quod ſit longanimis ſeu patiens, quod omnia ſufferat, quia charitas eſt cauſa iſtius patientiæ ac tolerantiæ. In quo ſapientia id non efficit ut ſit purus, is ſtultus eſt & non novit Deum. Verum is ſapiens eſt qui ita purus eſt ut ſit liber à peccato, is bene ſibi conſuluit, quando in eo hæc ſapientia genuit puram ac bonam conſcientiam, is bene ſperare poteſt de vita æterna, & de visione Dei, iis qui puro corde ſunt promiſſa.

Secundus hujus ſapientiæ effectus indicatur quod ſit *pacifica*: id eſt efficiat hominem pacificum, ad pacis & concordiæ ſtudium ducat. Hoc opponit ei quod ſcripſit ſupra verſ. 13. & 14. contra zelum amarum & contentionem ponit è regione pacis ſtudium. Quod in eo ſitum eſt ut pacem quæramus atque ſectemur. Id autem intelligendum eſt duplici modo. Nam primum eſt pax quædam communis, ad quam nos ſpiritus divinus hortatur, dum vult ut quantum ex nobis eſt cum omnibus hominibus pacate vivamus Rom. 12. 18. & Hebr. 12. 14. cum omnibus, non tantùm cum bonis, ſed & cum malis. Non tantùm ut eos non inquietemus, nec rixarum ac turbarum cauſam præbeamus, ſed etiam ut eis benefaciamus, ac pro iis Deum oremus. Sed præter hanc pacem communem, eſt ſingularis pax Chriſtiana, ut ii qui Deum & Chriſtum norunt, cum aliis talibus vivant conjuncte, in unitate ſpiritus, in vinculo pacis, Epheſ. 4. 3. Etiamſi aliquis habeat diverſam ſententiam in iis rebus quæ non tollunt fundamentum fidei atque religionis, ut pacifice toleretur. Rom. 14. 19. Ad quod requiruntur homines animi ſubmiſſi atque modeſti, tum etiam aliis virtutibus eo ſpectantibus præditi, de quibus poſtea dicetur. Teſſera Chriſti diſcipulorum eſt charitas & concordia, ut ipſe Chriſtus dixit ad hanc ſuos magnopere & ſæpe cohortans. Ubi hæc abeſt, ibi locum habet contentio & tumultuatio, & omnis prava actio. Datæ ſunt nobis multæ & magnæ cauſæ quæ nos ad vivendum in pace mutua atque concordia debent impellere. Nam vocati ſumus una vocatione, omnes debemus conſidere ſimul in ſolio Domini Jeſu. Quod ſi quis non curat concordiam in terris, non eſt dignus qui fruatur illa concordia in cœlis. Habemus etiam unam fidem, unum Dominum, Jeſum Chriſtum, unum Deum patrem, Epheſ. 4. qui eſt Deus pacis 1 Cor. 14. Quidni igitur in pace, unitate & concordia vivamus? caveamus diſcordias, rixas, eaſque fugiamus, contra verò pacem etiam fugientem ſectemur.

Tertius effectus, *modeſta*, quamvis vox iſta poſſit etiam merito exponi *æqua* ſeu obſervans æquitatis. Eo ſignificatur animus moderatus, ut etiamſi aliquid adverſi eveniat homini, tamen animo non conſternetur, ſed moderate omnia ferat. Sicut etiam Phil. 4. poſtquam Apoſtolus monuit ut gaudeamus in Domino ſemper, etiam tum cum adverſa multa nobis eveniunt, ſubjicit ut modeſtia ſeu æquitas noſtra nota ſit omnibus hominibus, nempe ne etiamſi mala nos vexent, animum deſpondeamus, nec nos ipſos anxie afflictemus. Eximia hæc eſt virtus quando aliquis æquo ac moderato animo tolerat, etiamſi grave videatur, quod Deus in eum immittit, ſive ei valetudo, ſive poſſeſſio bonorum fortunæ, ſive honor, adimatur. Sed poteſt etiam hac voce notari æquitas, quæ cernitur in eo quando quis pacis cauſa de jure ſuo decedit, nec id ſtricte perſequitur, aut mordicus retinet, paratus potius injuriam pati, ut monet Paulus 1 Cor. 6. 7. Eodem pertinet, ut quis in dijudicandis cauſis, cum peccantibus ac delinquentibus non admodum dure agat, ſed moderate; parcendo eorum infirmitati. Vide Gal. 6. 1.

Quartus effectus eſt, *ſuadibilis*, voce iſta ſignificatur, eum in quo illa cœleſtis ſapientia habitat, non eſſe in opinionibus ſuis retinendis pertinacem, atque pervicacem, ſed ſinere ſibi ſententiam meliorem perſuaderi; ita ut quod juſtis rationibus probatur, ei fidem adhibeat. Ita debent agere inter alios ii qui alios reprehendunt & verbis caſtigant, ut ſi accuſati ſeſe juſtis rationibus excuſent, dent locum eorum excuſationibus, nec obſtinate & pervicaciter adverſentur. Sicut charitas omnia credit 1 Cor. 13. 7. ita & hæc ſapientia.

Quintus effectus, *plena miſericordiæ, & fructuum bonorum*. Videntur hic duo exprimi. Primò fons factorum, deinde ex hoc fonte manantia facta. Fons iſte eſt miſericordia. Hoc nomine notatur affectus ille quo quis alterius afflictionem cernens commovetur ad opem ei ferendam, ut eum vel ex malo in quod jam incidit eripiat, vel ne in id incidat, inhibeat. Debent Chriſtiani, electi Dei ſancti & dilecti induere viſcera miſericordiæ. Col. 3. 12. Miſericordia autem habet locum tum in iis quæ ad ſpiritum tum quæ ad corpus pertinent. Hic videtur præcipue reſpectus haberi ejus rei quæ ad ſpiritum ſpectat. Nempe ii qui alios docent ac monent, debent ſuper eos qui in peccatum incidunt, habere miſericordiam. Sicut docet S. Judas, ℣. 22. *Hos quidem miſeremini dijudicantes*. Tum etiam ut reſipiſcentibus & ſeſe convertentibus, miſericordiam exhibeant. Sicut fecit Dominus Jeſus & Apoſtoli ejus. Hoc quoque ad miſericordiam pertinet ut quis injuria affectus non ulciſcatur, etiamſi poſſet, verum ignoſcat, & paratus ſit offenſas remittere. Deinde ex hac miſericordia ut ex fonte promanant fructus boni. Nempe quando quis egentibus benefacit: ut eſurienti dat cibum, ſitienti potum, hoſpitem ſuſcipit, nudum veſtit &c. Matth. 25. 35, 36. Qui ita agit, is ſapiens eſt. Ita Luc. 10. affectus miſericordiæ cum effectis exprimitur in illo Samaritano, qui illius vulnerati miſertus acceſſit ad eum, & non ſine moleſtia atque impendio effecta miſericordiæ ei exhibuit. Oportet ut diteſcant Chriſtiani in operibus bonis: 1 Tim. 6. 18. Dicitur autem iſta ſapientia eſſe *plena fructuum bonorum*, nempe quod ea in homine qui ipſa præditus eſt efficiat quaſi puteum inexhauſtum beneficentiæ.

Sextus effectus, *non dijudicans*, nempe quod iſta ſapientia non faciat diſcrimen inter perſonas, ſeu non habeat reſpectum perſonarum. Sicut dicitur ſupra cap. 2. *Fratres mei ne in proſopolepſiis habete fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti glorioſi*. Id eſt, ne cum hac fide habeatis ſimul reſpectum perſonarum: ut hominem præ homine non contemnatis. Ibidem ℣. 4. dixit, *Annon dijudicaſtis*, ſeu diſcrimen feciſtis, *in vobis ipſis, & facti eſtis judices cogitationum malarum?* id eſt in cogitationibus veſtris decretum malum feciſtis, pauperes præ divitibus contemnentes: cum Deus elegerit pauperes, ut mox addit. Hoc requiritur maxime in iis qui alios docent, ne aliter judicent divitem aliter pauperem, ſed ſimile peccatum ſimili modo caſtigent tam in divitibus quam in pauperibus; ne vel pauperes vilipendant, & injuriam eis faciant propter paupertatem, nec divitibus propter divitias parcant. Alias plus licet Domino aliquatenus quam ſervo, licet Domino ſervum delinquentem punire, non autem vice verſa. Sed non de eo hic agitur. Huc pertinet quod ſicut charitas ita ſapientia iſta non facile condemnet proximum propter quidlibet. *Tu quis es qui judicas* ſeu damnas, *alienum domeſticum?* ſeu famulum. Rom. cap. 14. verſ. 4. Non raro fit ut aliquis alium judicet hominem malum, indignum gratia Dei, cum non ſit talis, ſed tantum illi videatur. Nihil autem delinquit is qui ex manifeſtis operibus dijudicat aliquem ſecundum leges Domini Jeſu, ſi videat illum non pie vivere. Sed ſi ex affectu, ſecundum ſuum proprium arbitrium judicet proximum, cum contemtu, is non eſt ſapiens ſecundum Deum. Proinde etiam hunc ſapientiæ ſupernæ effectum obſervemus, ne externas qualitates in hominibus ſpectemus, neque ſecundum eas temere judicemus.

Septi-

Septimus effectus, *& ſine ſimulatione.* Significat hominem iſta ſapientia præditum, non ſimulare, ut aliud corde premat aliud verò ore promat, & factis præ ſe ferat, non geſtare larvam pietatis. Sed nominatim circa proximum debet eſſe *charitas non ſimulata*, ut non aliud ſimuletur aliud agatur: Ne quis fingat ſe diligere alterum cum revera non diligat. Oportet ut homines Chriſtiani abjiciant omnem malitiam, & omnem dolum & hypocriſes ſeu ſimulationes, & invidias, & omnes obtrectationes, ſicut monet S. Petrus Epiſt. 1. cap. 2. ℣. 1. Qui non habent veram ſapientiam, ii cum videant charitatem commendari, & tamen eſſe difficilem, quamvis eam revera non habeant, nihilominus ſpeciem ejus præſeferunt; quæ eſt turpis hypocriſis, Deo & hominibus abominabilis, ac talium pars erit cum hypocritis.

Sed jam conſideremus alterum modum quo ſapientia iſta commendatur. *Fructus autem juſtitiæ in pace ſeritur*, &c. Non recenſet multos ex ea prodeuntes fructus ſeu multa commoda, ſed tantùm unum, nempe pacem. Volens magis inculcare pacem atque concordiam inter fideles Chriſtianos eſſe conſervandam, cum jam dixiſſet ſapientiam iſtam eſſe pacificam, hic rurſus de pace loquitur. Tria autem hic dicit. Nam primo exprimit ipſum commodum ſeu emolumentum. Deinde indicat qua ratione id eveniat. Denique cui conveniat. Commodum iſtud ſeu operæ pretium eſt *fructus juſtitiæ.* Significatur tale præmium quod conſequitur juſtitiam ſeu pietatem: quæ juſtitiæ nomine inſignitur & alibi, & Epheſ. 5. 9. Hoc verò præmium eſt immortalitas. Sicut etiam S. Paulus loquitur de corona juſtitiæ 2 Tim. 4. 8. In qua continetur ſumma felicitas. Dicit autem *in pace* indicans illam felicitatem eſſe cum pace conjunctam. Qui nunc hic in pace libenter vivunt, ii etiam tunc ibi erunt participes pacis, id eſt felicitatis quæ ſæpe pacis nomine deſignatur. Quomodo autem hæc felicitas comparatur, atque acquiritur? *In pace ſeritur.* Nempe ii qui pacem ſectantur & colunt, ſerunt ſibi felicitatem æternam, velut ſemina ejus per pacem ſpargentes. Ubi duo indicantur verbo ſerendi ſeu ſeminandi. Primum quod felicitas iſta fidelibus non ſtatim dabitur; ſed ſicut aratores ſemina ſpargunt & poſtea provenientem ex eis fructum diu exſpectant, ita etiam iſti. De hac agricolarum exſpectatione patiente, & de exemplo ab eis capiendo loquitur etiam inferius cap. 5. ℣. 7. Ita debent fideles Chriſtiani ſementem facere, ſuorum erga Deum officiorum ac bonorum operum, & exſpectare aliquamdiu patienter ut metant fructum ſuo tempore in cœlis. Secundum quod hoc verbo ſeminandi indicatur, eſt, nos multo plus quam ſeminamus accepturos: ſicut arator poſtquam ſevit, non tantum id ipſum quod terræ commiſit recipit, ſed fructum inde enatum multo uberiorem atque copioſiorem. Itaque ſeramus hanc pacem, bona operantes, & quidem non parce, ut poſſimus tempore proprio metere abundanter. Vide Gal. 6. 8, 9, 10. Tertium quod hic indicari diximus, eſt, cui id emolumentum ſit eventurum, *iis qui faciunt pacem.* Dominus Jeſus olim diſcipulis ſuis dixit, alios laboraſſe circa ſementem, ipſos autem in laborem eorum ingreſſos eſſe meſſuros, Joh. 4. 38. Sed hic qui ſementem faciunt iidem ſunt meſſuri, atque ex illa ſemente fructum accepturi. Qui pacem colunt & pacifice agunt, ii ſunt felicitatem eximiam conſequuturi, ut Chriſtus ipſe ait, *Beati pacifici, quia ii filii Dei vocabuntur*, id eſt erunt. Mat. 5. 9. Quicunque ea quæ ad pacem veram ſpectant curat atque agit, is evadet particeps eximiæ ac perpetuæ pacis, id eſt æternæ felicitatis. Itaque ſectemur pacem, & ea quæ ſunt pacis, Rom. 14. 19, & cum aliis, & maxime cum iis qui invocant Dominum ex puro corde 2 Tim. 2. ℣. 22. Et Deus pacis largiatur nobis ex gratia ſua pacem in æternum. Amen.

Concio in 1 *Corinth.* 10. *verſ.* 31.

PRo tempore hoc præſenti & commodo noſtro ſpirituali ſumemus conſideranda verba Pauli, 1 Epiſtolæ ad Cor. 10. 31. *Quicquid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quam præclara quam eximia ſint verba iſta divini Apoſtoli, prælecta, quivis facile perſpicit, qui modo novit, quantum in eo momenti ſit poſitum, ut quis finem ac ſcopum omnium ſuarum actionum propoſitum habeat, quo tota ipſius vita tendat ac collimet. Hoc certe quanti ſit æſtimandum, vel inde quivis cordatus animadvertere poteſt, quod miſeram gentium olim conditionem nobis Sac. Lit. delineare volentes, ſatis habuerint dixiſſe, eos in ignoratione verſatos fuiſſe, neſciviſſe nimirum, quid agerent ſe dignum, quo ſe ex hac miſera conditione & mortis imperio in feliciorem ſtatum vindicare poſſent. Sed quid opus eſt commendatione verborum Apoſtoli? qui ea benè perceperit, omnia officia ſua noſſe, jure merito dici poterit: qui præſtiterit, vitam æternam procul omni dubio poſſidebit. Dicam paruis eorum ſummam & argumentum. Ea eſt, ut ex jam dictis cuivis patet, quod nobis Apoſtolus noſter, in iis canonem & regulam certam præſcribat, ad quam omnes vitæ noſtræ actiones componere & dirigere debeamus. Quamvis enim proxime præcedentia conſideranti, eum non ita generale præceptum dare, quod ad omnes actiones ſit extendendum, videri poſſit, quia tamen verba præ ſe conſiderata, hunc uberiore ſenſum admittunt, & alias veriſſima eſt hæc eorum interpretatio, operæ pretium erit, ita generatim hæc ejus verba conſiderare. Duo autem præcipue in iis conſideranda veniunt. Primo quomodo totam vitam noſtram deſcribat Apoſtolus. 2. Quomodo ſcopum & regulam etiam totius noſtræ vitæ proponat.

Totam vitam noſtram prima Apoſtoli verba continent. *Quicquid agitis*, generatim *actionis* verbo omnia vitæ noſtræ officia complectitur. Licet ea, aliàs in cogitationes, dicta, & facta diſtinguere ſoleamus; vel ut alibi facit Apoſtolus, in dicta & facta. Hic facta ſola nominat, verum ea ita latè extendit, ut dicta quoque complectantur; quod etiam ibi facit ubi tamen ſtatim dicta à factis diſtinguit, Col. 3. 17. Cogitationum autem hoc loco non meminit, quia de externis factis ipſi propriè ſermo eſt, quod ſi eas tamen hic comprehenſas velis, dicendum erit: Cogitationes, quas apud nos plenè decrevimus, pro factis apud Deum cenſeri & reputari. Ut igitur paulò diſtinctius de factis hiſce noſtris loqui, ſimulque officia noſtra pervidere melius poſſimus; ſciendum eſt, ea duplicis eſſe generis: vel enim vitam hanc noſtram temporariam, omnibus communem reſpiciunt: vel vitam illam cœleſtem, ad quam ſoli Chriſtiani aſpirare, ſibi pro ſcopo propoſuerunt. Vitæ hujus caducæ actiones rurſus ſunt multiplices, ad tria tamen potiſſimum capita revocari poſſunt, ratione finis, ad quem diriguntur: vel enim ad bona fortunæ, vel ad honores & dignitates, vel denique ad voluptates carnales referuntur; & in tria iſta hac ratione, quicquid eſt in mundo à Divino ſcriptore Johanne, dividitur. Vitam vero Chriſtianam ne putet ſe quiſpiam melius diſtinguere poſſe, quam eam divinus Apoſtolus diſtinxerit, dum inquit: *Nunc manet Fides, Spes, Charitas*, per *fidem* intelligit, quâ firmiter credimus ea omnia, quæ nobis Deus revelavit, ad religionem quoquomodo ſpectantia, atque inprimis ad ſalutem prorſus neceſſaria. *Spes* nihil aliud eſt, quam deſiderium boni futuri, cujus potiundi rationem vel ex Dei promiſſo, vel ex conſideratione ejus potentiæ, vel exemplorum quorundam habeas. Ad extremum *Charitas* omnium Dei mandatorum ſummus apex ac faſtigium cæteras Chriſtianorum actiones in fide ac ſpe non comprehenſas complectitur, & ad vitæ quoque omnis actiones extenditur quæ Chriſti diſcipulorum indicium eſt infallibile. Hæ ſunt totius vitæ noſtræ actiones, quarum quia plerumq; non eum quem debemus, ſcopum proponimus, ſed vel putamus nos in vita pri-

vata seu communi à legibus Christi doctrinæ exemptos, vel religione ad alium finem, quàm deceat, abutimur, quod futurum prædixerat Apostolus, nos autem eventu ipso satis comprobari satis cernimus, religionem Christianam in mercatum conversam: propterea inquam longe ultissima est ista regula, quam hic præscribit Apostolus, ut sciamus, omnium nostrarum actionum ultimum scopum longè alium esse debere. Ad eam igitur considerandam jam cum Deo bono accedamus. Ea continetur in verbis. *Omnia*, &c. Nullam omnino vitæ nostræ partem exceptam vult, sed omnium eundem scopum ac finem gloriam nimirum illius summi architecti proponit. Ea quippe est religionis Christianæ natura, idque loco doctrinæ nobis esse potest, ut vitæ etiam hujus temporariæ actiones disponat, agenda & omittenda demonstret, per ancipitia fluctuantium dirigat cursum. Atque hoc est quod de se Apostolus inquit Gal. 2. 20: *Vivo autem, non amplius ego, vivit autem in me Christus: quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii Dei.* Tum quod in aliis postulat in Epistola ad Tit. cap. 2. 18. *Illuxit gratia Dei, exercens nos, ut abnegata impietate, & mundanis concupiscentiis, sobrie, justè & piè vivamus in præsenti seculo.* Sed ut ad rem ipsam accedamus regula ista, quam hic toti vitæ nostræ præscribit Apostolus, non tam est intellectu quam factu difficilis, quo autem difficilior, tanto præstantior, tanto pulchrior: vult nempe totius vitæ nostræ, gloriam divinam, scopum ultimum esse propositum, ut huc omnes conatus, omnes vires nostras conferamus, quo nomen Dei nostri celebretur. Verum ut in specie id ad actionum nostrarum supra factam divisionem accommodemus; vitam hanc terrenam, ejusque omnes actiones ita moderari tenemur, ut & nobis & aliis non modo nullo sint impedimento ad consequendum hunc scopum actionum nostrarum ultimum, verum etiam adjumento. Atque hoc est, quod à nobis Dominus Jesus postulat, dum inquit: *Ita luceat lux vestra coram hominibus, ut videntes homines vestras actiones* &c. Quæres qua ratione id fieri possit, ut homines ex actionibus nostris causam Deo gloriam tribuendi sumant? Duplex potissimum esse videtur ratio: Prima, cùm consideratis nostris actionibus usquequaque divinæ voluntati consentaneis; apud animum suum decernunt, non posse esse malam arborem, quæ tales edat fructus, in causam hujus rei diligenter inquirunt, cumque humanam industriam & prudentiam non sufficere videant, multo minus Dæmonem qui omnia ad Dei ignominiam facit, ejus autorem esse, fit ut in agnitionem Dei ipsius virtutum veniant, coram eo se demittant, virtutemque amplectantur. Et certe tanta vis est pietatis, ut Petrus Apostolus fœminas non adhibito ullo sermone, exemplo tantum solo maritos suos lucrari posse asserat. Alter, ex bonis operibus nostris in aliis effectus ad Dei gloriam redundans, est, quod etiamsi varias ob causas non statim homines alii ad divinam veritatem accedant: eam tamen saltem agnoscant & approbent in quibusdam, quandoque etiam imitentur: quæ cum à Deo jussa sint, iis præstandis necessario divinorum præceptorum obedientia, & porro ipsius Dei glorificatio continetur. Nam ut paulò uberius de iis quæ jam dicta sunt, disseramus; homines isti, qui bona opera nostra animadvertunt, quæ satis constet Deo primo autore primaque causa esse facta, fieri non potest quin simul etiam in admirationem summæ ejus sapientiæ & ineffabilis benignitatis rapiantur. Sapientiæ quidem quod animadvertant nullum judicii humani acumen tale quid ad invenire potuisse, quod homines tam sanctos redderet, quod à Deo mortalibus injungitur. Inexplicabilis verò benignitatis: quod homines aliis, si naturæ conditionem spectes, nihilo fortiores, & à vitiis alieniores, longè tamen præstent, iis virtutibus, quæ ipsam humanam conditionem superare videntur, & Angelicum quippiam & divinum omnino sapere videntur. Sed hæc de actionum nostrarum ad terrenam hanc vitam spectantium informatione dicta sufficiant. Quod ad actiones vitam illam immortalem pro scopo habentes attinet, de iis nihil necesse est quidpiam dicere, cum cuique sit per se manifestum, ea quæ alta petunt, nil terreni etiam sapere debere. Unicum hoc addam, pro conclusione totius hujus tractatus; Æquissimum esse ut ad Deum fontem & originem omnium rerum, omnis laus & gloria ex iisdem tanquam ad scopum suum redundet & feratur. Prout Apostolus inquit: Ille enim est ex quo omnia: in Actis autem, in Deo vivimus, movemur & sumus, ipsius enim & genus sumus, ille in nos summum jus potestatemque obtinet. Glorificemus igitur Deum in corpore nostro, & anima nostra, quæ sunt Dei. Eidem, nunc etiam pro insigni hoc, quo nos per hoc tempus affecit beneficio, sit laus & gloria in secula. Amen.

Concio in Epist. ad Phil. cap. 4. vers. 13.

UT ex verbo divino singulare solatium capiamus verba divini Apostoli in Epist. ad Phil. c. 4. ℣. 13, extantia, consideranda sumemus, quæ sic habent. *Omnia possum in eo qui me corroborat Christo.* Ea est religionis Christianæ natura, ut sit admodum ardua & difficilis, carnique nostræ valde insuavis & inimica. Quod ipse Christus, noster in via salutis dux, palam omnibus, statim ab initio doctrinæ suæ, faciebat: inprimis verò Matth. cap. 7. *Quam angusta* inquit *est porta & stricta via ducens ad vitam.* Qua de causa idem aliquo modo repetens apud Lucam cap. 13 hortatur, *ut enitamur, intrare per angustam portam.* Angustam autem vocat duplicem ob caussam, primò quod omnibus nos carnalibus cupipitatibus spoliet & exuat, quæ cum propemodum à natura nobis sint insitæ, naturam hac ratione ipsam edomare ac frangere jubemur, quod quam arduum quàm difficile sit, qui modo rationem adhibet in consilium, facilè perspicit: Altera causa est, quod non tantum pie vivere sed & acerbissima quæque justitiæ causa pati debeamus. Christum nimirum ducem sequentes, qui nosmetipsos abnegare, crucem nostram quotidie portare & se sequi jussit, Lucæ 9. vers. 23. Et satis clarum est Apostoli dictum 2 Epist. ad Timoth. cap. 3. ℣. 12. *Qui volunt pie vivere in Christo Jesu persecutionem patientur.* Hæc est Dei voluntas, hoc consilium, ut per angusta ad augusta veniamus: summæ ejus æquitatis, & sapientiæ argumentum. Quod cum ita sit, nisi nos variis in hac via salutis tam ardua & difficili, solatiis ex verbo divino petitis, & subsidiis sublevaremus, facile vel in desperationem supremæ felicitatis, consequendæ incideremus, vel difficultate ac molestia deterriti, omnem ejus curam abjiceremus. Atque in eum sane finem verba ista Apostoli, brevia quidem at satis ad consolandum efficacia, sumsi consideranda, ut quod sibi olim fuisse auxilio profitetur Apostolus, idem nos ad nostri consolationem trahamus. *Omnia possum* inquit, &c. In quibus verbis ostendit, unde tantas ipse fuerit consequutus vires, ut omnes pietatis atque officii partes explere posset. Duo autem potissimum in iis sunt consideranda. 1. Quomodo vires suas describat, quas habeat ad omnes pietatis atque officii partes explendas. 2. Quomodo etiam fontem & autorem earum ostendat. Prius facit, dum inquit: *Omnia possum* ubi & quam late se vox *omnium* extendat, & quid per hoc suum *posse*, intelligat Apostolus diligenter est videndum. Ac primum quidem, quid voce *omnium* denotare velit divinus scriptor, qui modo præcedentia verba diligenter perpendit, facile animadvertere potest. Nam ut ea, quæ speciatim ab eo enumerata sunt, in pauca contraham, omnia ea intelligit Apostolus, quæ admodum ardua videbantur factu, necessaria tamen aut vehementer utilia ad munus Apostolicum sibi à Christo impositum rite peragendum, & ad finem felicem perducendum. Ea sunt, ut in specie aliquid de iis dicamus, spernere generis nobilitatem, natalium splendorem, quæ Paulo ad sumendam hanc provinciam quod ad carnem attinet, vilem admodum, humilem, maximeque contemptui obnoxiam,

obnoxiam, impedimento poterat esse; moderate utramque fortunam ferre, nec ob rerum omnium abundantiam luxuriare, nec inopiâ frangi, suaque sorte contentum esse, quod hic insigniter commemorat Apostolus: pertinaci item ac improbo labori non cedere, omnium vero maxime, afflictiones varias, cruciatus, ipsumque adeo periculum mortis non defugere, quæ omnia non secus ac umbra corpus, hoc ejus munus comitabantur, quæ efficere poterant, ut animum desponderet, munusque adeo ipsum abjiceret, vel segnius obiret. Quæ omnia in hac sua quidem ad Philip. Epistola sparsim enumerat, dum de generis quidem nobilitate sic loquitur cap. 3. *Si quis videtur confidere in carne ego magis.* De suis calamitatibus partim in cap. 1, ubi vinculorum suorum injicit mentionem, partim in hoc ipso cap. 4. 12. Sed nescio an alibi plenius & uberius ista contineantur, quam in posteriori ad Cor. Epistola cap. XI, à ỳ. 22. *Hebræi sunt*, &c. ô magnanimum Dei servum; ô strenuum Christi militem, ô invictum laborem, ô pericula inexhausta! quis unquam mortalium tot labores Christi causa pertulit? quis tot molestias, tot calamitates ac pericula devoravit? Ille ille verissimè *omnia potuit* id est, ut una eademque opera phrasin ipsam explicemus, omnia adversa, Christi causa fortiter sustinuit, labores verò ac difficultates omnes perrupit, munusque suum strenue gessit, animose administravit. Quod tum in prælecto ad Cor. loco tum in hac sua ad Phil. Epistola ipse de se disertè sæpenumero testatur.

DOCTRINA I.

HIs ita consideratis, videndum est, si quas inde doctrinas eruere possimus. Primum autem considerandæ nobis nostræ, quo ad carnem conditionis, singularis occasio præbetur. Quod via salutis, quam sumus ingressi, sit variis laboribus, difficultatibus, molestiis, calamitatibus, periculis, obsita, ipsam adeo mortem cruentam, & horribilem, eum, qui hanc viam insistit, si opus sit, subire cogens. Hoc est Dei consilium, hæc voluntas, ut per labores ad regnum, per cruciatus, ad voluptates, per mortem ad vitam pervadamus: quo tanto manifestiorem suam faciat omnibus sapientiam & benignitatem, nostræque in se fiduciæ, luculentius capiat argumentum.

Hoc quoque ex istis Apostoli verbis videre possumus; Quod etiamsi ista omnia quæ nobis Christi salutisque nostræ causa perferenda sunt, admodum sint ardua, admodum insuavia, non sint tamen omnino præstitu impossibilia. Hanc enim viam plenam calamitatibus, non tantum Christus ipse, per omnia nobis assimilatus, ingressus est, & felicissime est emensus; sed etiam omnes propemodum Apostoli ejus sequuti, opus suum diris mortibus coronarunt. Hac infiniti alii post eos martyres, quorum pleni sunt Historiarum libri, iter sibi ad cœlum patefecerunt. Adeo ut quod Poëta quidam de suo Hercule, id nos de Christianis meliori jure prædicare possimus. Perrupit Acheronta Christianus labor. Nihil mortalibus arduum est.

Sed an propriis viribus nixi tam ardua tamque præclara gerere possumus? minime verò, nisi vires & auxilium cœlitus accedat. Ipse dux noster Christus, antequam mortem pertulit, ab angelo recreari & sublevari necesse habuit.

Quare nunc quoque est ita erga genus humanum benignus, ut nemini ex sui obedientibus auxilium suum divinum deneget. Quæ quot & quanta sint, quia nobis sequentia Apostoli verba considerandi occasionem præbent, ideo jam ad eorum examinationem veniamus: quorum summa est, quòd nobis Apostolus quibus viribus nixus, omnia possit, demonstret: verba ejus sic habent. *In eo qui me corroborat Christo.* Ubi autorem virium suarum primum exprimit. Post etiam quomodo sit autor suarum virium docet. Autorem virium suarum, nominat *Christum.* Ille enim est, qui quemadmodum salutis nostræ negotium in terris orsus est, ita nunc quoque cœlis sublimior factus, ejus curam gerit, idque unice agit, ut illud ad exitum perducat. Ille imbecillitatis nostræ non immemor, variis nos auxiliis, in via hac salutis ardua, fulcit ac sublevat: in quo eo majorem fiduciam collocare possumus, quod sciamus, ipsum quoque quamdiu in terris degit, iisdem calamitatibus obnoxium divinis auxiliis eguisse & sublevatum fuisse. Quo etiam nos autor Epistolæ ad Hebr. solatur cap. 2. ỳ. 17. *Christus debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret & fidelis*, &c. Sed jam porrò quomodo Christus virium Apostoli autor fuerit videamus, hoc continetur in verbis *qui me corroborat*: cœlitus vires suas Christus immittit, quibus fideles suos in hac via admodum ardua fulcit ac corroborat, pro diversitate personarum ac muneris eorum, diversas. Nam primos olim legatos suos, quia & munus adeò præstans gerebant, & primis, ut ita dicam, odiis hominum erant expositi, majorem etiam in modum armarat ac instruxerat iis subsidiis, quibus subnixi toti mundo Euang. ipsius prædicarent, nulla cruciatuum creberrimorum mortisque adeò ipsius violentæ habita ratione: inprimis verò Apostolum Paulum, utpote qui in prædicando gentibus Euangelio, quod munus cæteri divisis inter se operis omnes in populo Judaico obibant, solus in universo fere orbe in se sustinere debebat. Quare & quæ illi, olim à Christo fuerint auxilia, & quæ nunc mortalibus communiter contingant, operæ pretium erit paucis considerare. Nam ne nunc conversionem ipsius ad Christum, quæ & ipsa plane miraculosa fuit ac divina commemorem, quis non cernit vel in eo, eum ad munus suum ritè administrandum auxilii Christi divini satis habuisse, quod, ut ipse de se satis aperte testatur, 2 Cor. 12. 1, 2, in tertium usque cœlum ab eo fuerit raptus, ibi divinam voluntatem edoctus, viderit ea, quæ eloqui fas non erat mortalibus: sed & postea varia divinæ ejus in se benevolentiæ & benignitatis cujusdam incredibilis infallibilia cœperit signa, evidentiaque experimenta. Cum aliquando à se secessum Satanæ, qui eum assiduè expalmaret, oraret, à Christo tale se responsum tulisse affirmat, ibid. ỳ. 9. *Sufficit tibi gratia mea.* O vocem vere benignam! quæ quid non in corde sincero præstare valeat? Sed cum longè sit alia nostri ratio, neque talia subsidia nobis & auxilia à Deo speranda sint, sufficiunt enim ea, quæ communiter nunc mortalibus, obtingunt, ideo ad eorum diligentem considerationem animum nostrum convertamus. Ea sunt primum quæ jam nobis in Euangelio contigerunt, & quæ subinde ex consideratione verbi Dei petere possumus; qui enim novit his subsidiis uti, ille & mentem cognitione voluntatis divinæ collustratam habebit, adversus densam ignorantiæ caliginem quæ tetris dogmatibus animum ejus distinere poterat, & animum divinis præceptis subactum ad præstanda omnia Deo grata, quæ ipsum æternæ felicitatis hæredem efficient. Deinde sunt etiam varia Dei ac Christi promissa, inprimis autem vitæ æternæ spes, quæ & ipsa plurimum habet virium ad imbecillitatem nostram sublevandam, ac omnis generis pietatem vitæ, ac sanctimoniam in nobis ingerendam. Quis enim omnes in vita Christiana labores ac molestias devorare nolit, quis sancte ac pie vivere, ad breve tempus recuset, ut æternum quietus, ac beatissimus esse possit? Quare verissimum est illud Johannis, *Qui habet hanc in eo spem*, loquitur autem de immortalitate, *sanctificat*, &c. Ad extremum maxime proprium Novi Fœderis auxilium est donum Spiritus Sancti: quod quia est longe præstantissimum ac plane divini, rarius etiam, & non nisi tum, cum eo plurimum egemus, ubi vires nostræ fatiscunt, nobis eo Christus succurrere solet, inprimis in variis calamitatibus, afflictionibus, ac periculis conscientiæ causa subeundis, tum enim de summa nostræ religionis ac salutis agitur, ne malorum mole deterriti vel veritatem divinam prorsus abnegemus, vel aliquid in officium nostrum peccemus, sicque ad interitum præcipitemur. Succurrente autem nobis hoc auxilio divino fit ut animose pericula adeamus, patienter etiam ea ad extremum usque perferamus. Nam, ut inquit

Apoſtolus Rom. 8. 26, *ſimiliter ſpiritus ſimul adjuvat* &c. Quare etiam ſi ea, quæ nobis in hoc vitæ noſtræ Chriſtianæ curſu, optatam metam contingere cupientibus, perferenda ſunt, admodum ardua difficilia, ac propemodum impoſſibilia, prima ſpecie appareant, quia tamen accedentibus his Dei ſubſidiis levia & facilia præſtitu redduntur, reſumamus vires animoſque, *corroboremus nos in Domino & poteſta virtutis ejus*, ut inquit idem Apoſtolus Eph. 6. 10, quò viam ſalutis ingreſſi, animoſe progredi & conſtanter ad extremum uſque vitæ noſtræ habitum in ea perſiſtere poſſimus. Efficiat id dux & conſummator ſalutis noſtræ Jeſus Chriſtus, ad ſuam & Patris ſui cœleſtis gloriam & noſtram æternum ſalutem. Amen.

Concio in Iac. 4. verſ. 5.

PRo tempore hoc præſenti, ſumemus conſideranda verba Jacob. cap. 1. ℣. 5. *Si quis veſtrum deſtituitur ſapientia, poſtulet à Deo dante omnibus ſimpliciter & non exprobrante.* Cœleſte quiddam eſſe ac plane divinum ſapientiam, tum ſapientiſſimus mortalium Solomon, qui eam in cœlo natam, altiſſimi illius prolem vocat, aperte docet, tum ordinata omnium temporum ab origine prima ſeries comprobat. Magni enim ab omnibus fuerunt æſtimati, qui ante tempora Chriſti ſapientiæ veræ fontis, ejus nomine clarebant, illi præſtantiſſimi mortalium, illi lumina quædam totius orbis vocabantur. Sed quam etiam arduum, quam difficile fuerit, ad faſtigium ſapientiæ pervadere, ſtatim jam tum cuivis conſtabat; & ſola eorum paucitas qui ea præditi eſſent, clarè teſtabatur. Quod ſi hominum mortalium, qui rationis facem ſibi præferentis ductum ſequebantur, ſapientia, tam præſtans, ideoque ſimul, tam ardua paratu tamque difficilis erat, ſecundum illud vulgare, difficilia quæ pulchra: quanto præſtantior quanto ſublimior erit iſta, quæ ipſo Deo autore, cœlitus delapſa, per filium ipſius, ultimis hiſce temporibus, eſt mortalibus revelata: quantò magis ad eam aſpirandum, quæ non terrenum aliquod bonum, quemadmodum prior illa, ſed divinum plane ac cœleſte, ſibi propoſitum habet. Verùm quia quanto ſupra terrenam illam, hæc præſtantiâ & dignitate excellit, tanto etiam natura propemodum ipſa ita ferente, difficultate eandem ſuperat, ideo multum ille mihi ſapere videtur, qui quoad ipſius rei natura patitur, facillimam ejus aſſequendæ rationem diligenter inquirit. Et hoc etiam unicum eſt, quod me ad ſumendum hunc locum impulit, quia in eo author hujus Epiſtolæ divinus docet, quâ viâ & ratione facillimo negotio ſapientiam nobis comparare & aſſequi poſſimus. Verba autem ipſius penitius inſpicienti, duo potiſſimum in iis conſideranda veniunt.

Primo quomodo facillimam iſtam ſapientiam aſſequendi rationem præſcribat. 2. Quomodo etiam eam commendet, ſicque nos ad eam arripiendam tacitè ſtimulet ac urgeat. Prius continetur in verbis *ſi quis veſtrum*, &c. quibus in verbis & cauſam impellentem, ad viam hanc tanto avidius capeſſendam exprimit, & unde ac quo pacto eam aſſequi debeamus, docet. Cauſa impellens eſt ſapientiæ defectus, de quo ita *ſi quis veſtrum* &c. Ubi inprimis quid ſit iſta, de qua loquitur, ſapientia, videndum eſt: unde facilè patebit quid per defectum ejus intelligat autor divinus. Sapientia quam quidem Sac. Lit. N. F. hoc nomine dignari ſolent, nihil aliud eſt, quam ea mentis virtus, quâ myſteria ad religionem pertinentia, atque inprimis ea, quæ ad ſalutem ſint neceſſaria, comprehendimus. Quemadmodum enim quævis recte conſtituta Reſpub. mundana, ſuis olim conſtabat & nunc etiam conſtat, legibus; quibus & præmia & pœnæ ſolent adjici, ita noſtra etiam Reſpub. Chriſtiana, quam cœleſtem vocat Apoſtolus, habet certas leges, quarum ſummus Nomotheta, eſt ipſe Deus, habet prœmia diviniſſima earum obſervantibus propoſita, habet & pœnas tranſgreſſoribus conſtitutas, licet illa magis quam has inculcet, ea verò omnia Deus, per filium ſuum toti mundo revelavit. Erat enim antea hominibus prorſus incognita, & niſi eam nobis ſervator noſter patefeciſſet, nulla ratione cognoviſſemus, noſtræ nimirum naturæ conditionem multis modis ſupergredientia; ideoque pro ſummis myſteriis jure haberi poſſunt, quæ qui habet cognita, ſapiens merito cenſetur, & quo melius, quoque perfectius, tanto ſapientior. Unde etiam Chriſtus, propter revelatam Dei nobis voluntatem, factus nobis à Deo ſapientia in S. L. dicitur. Et hæc quidem ſapientia à Jacobo hic intelligitur, ſed non ſola, verum juncta cum quadam prudentiæ parte. Id quod ex circumſtantiis loci patet. Loquutus eſt enim proximè præcedentibus verbis de patientia, ad quam illos, ad quos ſcribit hortatur, oſtendens eam eſſe aptiſſimum medium ad ſalutis opus quod erant aggreſſi perficiendum & omnibus numeris abſolvendum. Sed quia dicere quis poſſet, hic quoque ſapientiâ opus eſſe, quomodo ſe quis in tentationibus & periculis juſtitiæ cauſa ſubeundis gerere debeat, propterea jam ejus quoque aſſequendæ rationem præſcribit. Quod quilibet jam videt, quomodo limites prudentiæ ingrediatur, quæ nihil aliud eſt, quam noſſe quam optimè tum ſibi tum aliis conſulere, in aſſequendo bono, quod tibi propoſueris: quia tamen nemo cuiquam rectum conſilium ſuppeditare poteſt, quin idem notitiam rerum ad aſſequendum ſummum bonum pertinentium habeat, ſapientia cum prudentia ita connexa eſt, ut hæc ſine illius ope conſiſtere non poſſit. Hinc jam ſatis patet, quid ſit ſapientia deſtitui. Nihil enim eſt id aliud, quam ignorare, aut quantum patientia conferat ad aſſequendam totius vitæ noſtræ Chriſtianæ ſupremam felicitatem, aut quomodo tuas actiones in periculis & afflictionibus Chriſti cauſâ ſubeundis moderari debeas, ne tanto bono excidas, quod tibi propoſitum animadvertis. Cujus rei ignoratio quam ſit noxia, ex adverſo autem ejus notitia quàm utilis quàm neceſſaria, quivis videt. Quare nulla premiſſa ejus ampliori commendatione, jam ad hujus ſapientiæ comparandæ medium conſiderandum veniamus. Id in verbis iſtis *poſtulet à Deo* exprimit Apoſtolus. Quia ſapientia hæc naturam longè ſuperat, ideo eam precibus vult à Deo efflagitari, quanquam interim haudquaquam ſtudium uniuſcujuſque in ea, ex diligenti verbi divini meditatione comparanda excludit: ſed tantùm, ſi quid ſtudio ac labore noſtro conſequi nondum potuerimus, id ut cœlitus ſuppleatur, petendum eſſe monet. Oratio ergo ſeu precatio eſt, qua id, quod viribus noſtris perfici non poteſt, compleatur: ſed ea non quævis, verùm eo, quo S. L. docent, modo, ad Deum fuſa. Certæ enim conditiones nobis in iis proponuntur, quæ in precibus ſint adhibendæ. Prima eſt quam hic ſtatim ipſe autor ſubjungit, ut petamus in fide ſeu cum fide hoc eſt ut ferè omnes ea verba capere ſolent, cum firma quadam perſuaſione de Dei potentia & benignitate, ob quam futurum ſit, ut vel omnino id impetres, quod petis, vel ſaltem tum, ſi id tibi ſit utile, aut aliis aliquibus Dei conſiliis & decretis non repugnet: de quali fide loquitur Chriſtus apud Mat. 21. 21, & 22. ubi cum dixiſſet diſcipulis, *Si habueritis fidem* &c. poſtea addit: *Et omnia quæcunque* &c. hoc eſt ſi credideritis vos id obtenturos, ut ex verbis iiſdem autem Mar. deſcriptis apertius patet quæ ſunt cap. XI. 24. ubi ita ea efferuntur *omnia quæ orantes petitis* &c. Alia precum conditio eſt, ut eæ ſint fervidæ: id quod ſignificavit idem autor c. 5, dum dicit: *multum valere* &c. hoc eſt cum quadam virium atque animi contentione, & quodammodo laborioſe peractam, quod fit cum animus in eo eſt totus, ut Deum exoret, & vehemens eſt rei, quæ petitur, deſiderium. Tertia precum conditio eſt, conſtantia: quanquam vero ea duplici ratione conſiderari poſſit (vel enim cernitur in eadem re, quam à Deo velimus impetrare, vel licet res ſint diverſæ, quas precamur, tamen in iſta precatione adhibetur conſtantia atque aſſiduitas, conſtantiæ nomine comprehenſa) tamen prior illa huc maximè pertinet, qualis ea eſt, quæ nobis exprimitur à Domino Jeſu in exemplo viduæ pertinacis impium iſtum judicem urgentis, donec id impetraret, quod vellet, ut legimus Luc. 18. Quanquam

alias

alias posterior quoque adhibenda est omnibus, secundum Apostoli sententiam ad Tess. 5. ubi monet ut *sine intermissione precemur*: Atque hæc de informatione precum ipsarum sufficiant, nihil nunc de eo dico, quid petendum sit. id enim quod ad rem præsentem attinet, satis est à Iacobo hic expressum. Sapientiam enim petendam esse monet. Nihil etiam de eo dico qualis ille esse debeat, qui aliquid impetrare velit, satis enim manifestum est, neminem nisi probum ac rustum spem certam habere se impetrarum quod petit. Peccatores enim à Deo non exaudiri, sed facientes voluntatem ipsius, etiam ille cæcus ab ortu, notum sibi habuit ac perspectum. Quare habeamus nobis preces, quæ sunt optima quæquè à Deo impetrandi, singulare medium, quam commendatissimas, conditionum istarum non immemores, quæ ad exorandum eum omnino requiruntur. Ad quod faciendum quia nos invitat in his verbis ipse divinus scriptor, ideò jam porro sequentia ejusdem verba examinemus. In quibus singularis ab eo precum commendatio continetur, dum inquit *petite à Deo dante omnibus simpliciter*. Commendat autem duplici potissimum ratione: primum cum docet, nos in vanum non laborare, sed preces nostras suum finem assequi, idque exprimit, tum in descriptione Dei, cum inquit, *Dante omnibus*, tum sub finē satis lucidè, *Et dabitur ei*. Prioribus illis ingentē Dei liberalitate, exprimit, dum inquit: *eum dare omnibus*. Qualitas ista est solius Dei propria: homines quidā Deum etiam in eo aliqua ratione referunt, sed quā paucis aut qualia dare possunt? ille est qui omnibus benefacit, fons tamen liberalitatis ejus nunquam exsiccatur. Deinde à modo dandi singulari, quem & proponit, & à contrario illustrat. Proponit dum inquit: *Dat simpliciter*, contrario exornat inquiens: *& non exprobrat*. q. d. divinus autor non est Deus similis mortalium hominum, qui sunt valde difficiles ac tardi ad dandum, vel ubi dederint, plærumque beneficia sua exprobrant, quo ipso mire confundunt & in ruborē dant accipientes. Sed summus ille universi architectus, facilem se humanos præbet in usus, nec cuiquam beneficia sua exprobrat, imo in eos qui sunt grati, subinde plura ac majora congerit ac cumulat. Quare tanto jam nobis sint commendatiores preces, per quas nobis ad Deum tam munificum tam benignum aditus patet, à quo sapientia & præstantissima quæque bona sine ullo metu ruboris, consequi possimus: ei pro hoc tanto beneficio gratias agamus. Cui nunc etiam ut pro aliis infinitis ita pro hoc etiam peculiariter sit laus & gloria in perpetua secula.

Concio in 2 Corinth. 4. vers. 17.

SUmemus consideranda verba Pauli 2 Cor. 4. 17. *Momentanea levitas* &c. Tota vita nostra Christiana, à servatore nostro Domino Jesu Christo confertur cum via quadam stricta & impedita: tum alias ob causas: tum ideo inprimis, quia iter hoc veluti salebræ quædam ac sentes obsident, afflictiones variæ ac pericula, quæ nobis justitiæ causa subeunda sunt, & nobis potissimum viam hanc difficilem arduam ac impeditam reddunt. Quare sapientis est, quales nos esse omnes vult Apostolus, id inprimis operam dare, ut quicquid est, quod nos in via salutis moretur & sistat, vel amoliamur, vel vincamus, sicq; recto tramite ad propositam metam feramur. Hoc facit multis in locis ipse Christus, hoc ducem suum in eo sequuti Apostoli, inprimis etiam divinus iste Apostolus Paulus, cum alibi singulariter, tum verò insignite in hoc a nobis prælecto loco, ad quem quo ad quisque potest optime intelligendum, & animo comprehendendum, tanto magis excitetur, quanto præstantior, quanto utilior est. Ego, quod mearum est partium, quantum viribus admodum adhuc infirmis, polleo, tantum ad eum illustrandum afferam. Ut autem jam exordiar ejus explicationem, nihil aliud in eo antesignanus iste Apostolorum agere videtur, quam asperitatem afflictionum, quas Christi caussa subeat, emollire, & sic causam ostendere, ob quam infracto eas animo suscipiat ac perferat. Quo loco duo sunt consideranda. 1. Quomodo rem hanc proponat Apostolus. 2. Quomodo eandem illustret ac confirmet. Prius facit ℣. 17 toto. Ubi duobus modis afflictiones illas, quas diximus, emollit. 1 Dum earum ipsarum vim elevat, & admodum tolerabiles esse ostendit: deinde dum incomparabilem earum fructum proponit. De priori ibi: *Momentanea levitas*, &c. Ubi & mala ipsa exprimit, & eadem nimium extenuat. *Mala* exprimit dum inquit, *afflictionis nostræ*, id est tum meæ, tum mei similium, quales inprimis erant ipsius in munere Euangelium prædicandi collegæ ac socii, quanquam id ad omnes Christianos extendi potest. Omnium enim Christianorum, quo ad carnem eadem fere est ratio, & quemadmodum ipse servator noster recte concludit, non esse discipulum supra magistrum, si antesignani in hac expeditione, hoc ad cœlum iter, variarum afflictionum plenum, ingressi sunt, consentaneum est nobis eandem ad cœlum viam esse propositam. Sed videamus quo pacto horum malorum vim elevet Apostolus, verba ejus sic se habent: *Momentanea*, &c. Quanto melius quam antiqui Philosophi! Illi enim præterquam quod ea spe præmii, quæ maximam hic vim habet, carebant, in adversis alterutrò horum se solabantur, dum persuasum sibi esse dicerent, dolores si maximi fuerint, breves, sin diuturni, leves futuros. At enim brevitatem temporis, malorum gravitas ibi supplebat, hic levitatem doloris, tædium moræ pensabat. Ubi autem levitas simul & brevitas, in afflictione concurrit, ubi præmium omnium maximum consequuturum speratur, perfectum solatium & ad perferenda mala omnia incitamentum est. Utrumque autem horum in malis justitiæ, causa subeundis, locum habere docet Apostolus, quanquam comparatis ad futuræ gloriæ durationem & pondus: Primum afflictiones istas vocat *momentaneas*. Etiamsi enim universam vitam durarent, nihilominus momentaneæ cum æternitate gloriæ futuræ comparatæ rectè dici possent. Sed nunquam continuas fidelium fuisse calamitates, in sacris legimus, nec unquam futuras, est credibile, sed per intervalla hostes nostri nos impetunt, & non nisi tum cum eis à Deo permissum fuerit: sed etiamsi nunquam intermitterent, nonne momentum est, quod vivimus, quid ergo si adhuc aliquid momenti hujus, calamitatibus decedat! Jure igitur hac ratione ab Apostolo describuntur. Quod si consideres id, quod in istis afflictionibus maxime horremus, & ultra quod crudelissimorum tyrannorum sævitia progredi non potest, mortem nimirum ipsam, quis non videt æquissimo jure id momentaneum dici posse. Puncto temporis enim advenit, & dum advenit transit: quo semel defuncti, æterna quiete ac pace fruimur. Quare etiamsi tandem gravissimæ essent calamitates istę, quæ nobis æternam hæreditatem adire volentibus, sustinendæ sunt, perferendæ tamen essent tanti boni causa, quia momentanea sunt, quid cum insuper sciamus *leves* etiam esse? hoc enim quoque de iis docet fallere nescius Apostolus. Et certe, licet prima fronte intuenti, ardua ea videantur, si tamen rem ipsam penitius consideres, & omnia divina quæ nostrę hac in parte imbecillitati succurrunt, auxilia, perpendas, levia esse ac mollia, fateberis. Ac primum in nobis ad patientiam corroborandis ac muniendis non parum valet nosse, hanc esse Dei voluntatem, ut recte agentes varia patiamur, ab hominibus impiis mala; plus roboris ad nos adversus quævis mala communiendos, spes immortalitatis habet, quam Deus nobis ingenerat, & sic animos nostros per contemptum horum terrenorum totos ad cœlestia erigit & avocat. At verò omnium maximum subsidium, & quod omnibus etiam summis cruciatibus prævaleat, est donum Spiritus Sanctus quo præstantissimo bono in afflictionibus peculiari quadam ratione & omnium uberrime nos communit, & non secus ac quidam alipta robustos suos athletas, hoc cœlesti oleo, non dicam perunctos, sed penitus imbutos, cum variis afflictionibus committit. Quis igitur his ita consideratis non facile admittet, non tantum breves verum etiam leves esse istas Christianorum afflictiones, ad quas perferendas tantis subsidiis, à benignissimo Deo instruamur? Verùm antequam hinc longius abeamus, duo se nobis potissimùm ex præcedentibus con-

ſideranda offerunt, alterum nos conditionis noſtræ admonens, alterum ad conſolationem pertinens. Conditio noſtra in terris quod ad carnem, ea eſt, quod ſimus odiis mundanorum hominum ſubjecti; calumniis, obtrectationibus, variis etiam periculis, morti denique adeo ipſi, quæ nobis veritatis cauſa ſubeunda ſit, obnoxii. Hæc Dei eſt erga nos voluntas, hoc conſilium, à quo cum nec ſuum unigenitum, quem impenſiſſime amabat, exemptum voluerit, ſed eum per hoc iter durum & aſperum ad immortalitatem perduxerit, longè minus aliam viam nobis eodem perveniendi eum patefacturum, ſperandum eſt. Quod cum ita ſit, non ut reſcindatur divinum hoc decretum, quærendum eſt, ſed cogitandum quibus nos modis ſolemus. In hoc autem Apoſtoli loco ad manum eſt inſigne ſolatium, quod reſpectu futuri præmii afflictiones iſtæ momentaneæ ſint, & præſertim ſi accedant ea ſubſidia, quæ modo enumerata fuerunt, quæque Deus nemini ex ſuis denegat, leves atque ad perferendum faciles. Robuſtus aliquis athleta facilè onus ſuſtinebit, cui ferendo infirmus alter par non eſſet: Ita etiam cœlitus viribus inſtructi, ſine moleſtia perferemus ea in quibus fortaſſe viribus propriis nixi ſuccumberemus. Sed tempus monet, ut jam porrò alteram membri primi partem videamus, in qua nobis divinus hic Apoſtolus præmium iſtarum afflictionum mirum in modum exaggerat, dum inquit: *ſecundum excellentiam*, &c. Cum verba ſatis commoda ad exprimendam rei magnitudinem habere non poſſet, uſus eſt phraſi inſolita, tali tamen, ex qua quivis rei iſtius, qua de agitur excellentiam & dignitatem colligere poſſit. Videre autem eſt in verbis Apoſtoli egregiam quandam oppoſitionem qua contraria de ſumma noſtra felicitate, iis quæ de afflictione dixerat, enunciat. Primum autem *afflictioni* ipſi opponit *gloriam*, quam appoſitè, quis non videt? quia enim in calamitatibus deprimimur, quodammodo, & dedecore afficimur, futurum aſſerit Apoſtolus, ut quicquid nobis honoris, in hac mortalitate decedit ac detrahitur, totum id abundè nobis in cœlis ſuppleatur ac recompenſetur. Sed quis mortalium ſummum illud bonum verbis exprimat? aut explicet adjunctam rei gloriam ac dignitatem? infinita eſt iſta bona, qua re non mirum eſt, ſi ea mens humana finita capere, & multo minus ſi lingua elinguis effari non poſſit. *Quæ oculus non vidit, quæ auris non audivit*, &c. inquit Apoſtolus, & Johannes ait, *nondum apparuit quid aut quales futuri ſumus*. Quia tamen id quantum imbecillitas ingenii noſtri capere poſſet, ſervator noſter, interpres maximus divinorum myſteriorum, nobis patefecit, & ſcriptis conſignari voluit, quæ ad illuſtrandam hanc noſtram futuram gloriam faciant, aliqua ex iis afferre non pigebit & fortaſſis erit operæ precium. Quis mortalium non obſtupeſcat, illud audiens, quod ſervator noſter diligentibus ſe promittit, dum inquit Joh. 12. 26. *Qui mihi ſervit, me ſequatur, & ubi ego ero, ibi & ſervus meum erit, & ſervientem mihi honorabit Pater.* O præſtantem fidelium gloriam! ô inauditam & inſperatam dignitatem! quis unquam mortalium hoc non dicam ſperare, ſed votis etiam tacitis optare auſus fuiſſet? quia tamen ab eo cujus in ore dolus non eſt inventus promiſſa ſunt, pro certiſſimis habenda ſunt. Simile quiddam ſe etiam facturum quod ad honorem fidelium pertineat, pollicetur Luc. 12. 37. Sed quis aut illius quod nobis Pater noſter cœleſtis exhibiturus eſt, ſplendorem & gloriam, aut hujus quod dux & conſummator ſalutis noſtræ Jeſus nobis præſtiturus, præſtantiam ac dignitatem exprimat?

Secundo *momentaneo æternum* opponit Apoſtolus, ſine ulla comparatione. Quid enim finito magis adverſum, quam infinitum, quid magis ab eo diſſitum? Æterna eſt iſta gloria, quam pro momentaneis afflictionibus ſumus reportaturi. Quod ſi vitam hanc variis calamitatibus obnoxiam, optamus quàm diutiſſime prolongari, in bonis quidem conſtituti, perennis & conſtantis felicitatis avidi, in adverſis autem ſpe melioris fortunæ erecti; quantò major erit illa felicitas, quæ & præſtantiſſimis bonis erit cumulatiſſima, & nunquam fundum eſt ac finem habitura. Præterea ut lancem iſtam, in qua felicitatem collocarat, magis adhuc deprimat, afflictionem autem elevet, *grave pondus* oppoſuit, *levitati* illi, (de qua ſuperius) contrarium Per quod, utut allegoriæ in qua hic perdurat ab Apoſtolo conſulatur, multum tamen hoc valet ad oſtendendam rei præſtantiam, & dignitatem: quæ enim eximia ſunt, habere pondus dicuntur, & è contra quæ exigua ſunt, levia vocamus. Jam autem cœleſti illo bono quid præſtantius? omnia bona terrena etiam maxima, indigna ſunt, quæ cum minimis illius vitæ in comparationem veniant, nedum ut ea ſuperare videatur. Tantum bonum omnibus conſtanter Deo ſervientibus eſt propoſitum. *Denique in illis verbis*, quæ apud Apoſtolum prima ſunt, oppoſitio eſt elegans, ſi ea ita diſtinguantur, ut verba *ſecundum excellentiam, ad afflictionum momentaneam levitatem* pertineant: illa vero *in excellentiam, ad gloriæ pondus*. Addit Apoſtolus: *Operatur nobis*, non quod patientia noſtra ſit cauſſa ſufficiens hujus tanti boni, aut illud promereatur, ſed quod eam ex Dei benigna voluntate ſuprema felicitas certiſſimo conſequatur, adeo ut is qui in afflictionibus Chriſti cauſâ ad extremum perdurat; jus, nihilo ad eam infirmius, quam ſi operis mercedem exigeret, habere videatur. Et hæc hactenus, alia in aliud tempus differemus.

Concio in 2 Cor. 4. 17.

IN loco quem præ manibus habemus Pauli Apoſtoli: *Momentanea levitas*, &c. vidimus, & quænam ſit ejus ſumma, & primam ejus partem abſolvimus. Summa fuit, quod aſperitatem afflictionum juſtitiæ cauſa ſuſceptarum emolliat Apoſtolus, tacite cauſam ingerens, cur eas tam invicto ſuſtineat animo. Diviſio hujus loci fuit bipartita. In cujus parte priori, quomodo rem hanc proponat Apoſtolus jam vidimus, eamque hactenus abſolvimus. Reſtat altera hujus loci pars, quam nunc, cum Deo bono conſiderandam aggrediamur, in qua divinus Apoſtolus, quod de fructu afflictionum ſuarum, prorſus infinito atque incomparabili dixerat, magis adhuc illuſtrat & confirmat in verbis: *Non contemplantibus nobis*, &c. quibus in verbis objectionem tacitam, quæ contra proximè dicta poterat afferri, occupat, atque ad eam reſpondet. Dicere enim quis poterat: quo pacto aſſerere tu audes, afflictiones illas, quas perfers infinitam æternamque gloriam parere? cum manifeſto cernamus, ipſiſque oculis conſpiciamus, eas ignominiam contumeliamque multiplicem afferre. Ad quam objectionem primo reſpondet Apoſtolus: deinde reſponſionis rationem affert. Reſponſio eſt comprehenſa in illis verbis: *Non contemplantibus*, &c. quaſi dicat; ſi ſpectes ea quæ oculis ſunt ſubjecta, haud ſum neſcius, afflictiones illas, de quibus loquor, ignominiam potius parere, quam gloriam. Verum nos non ſpectamus ea, quæ oculis his cernuntur, ſed ea quæ oculis corporeis cerni non poſſunt. Per antitheſin rem explicat, ut cernitis, Apoſtolus, & primum docet quid non ſpectet: deinde quid ſpectet. Illud facit cum de ſe & aliis ſui ſimilibus inquit: *Non contemplantibus nobis, ea quæ videntur*. Per *viſibilia* intelligit præſentia, terrena, quæ oculis uſurpare, manibus etiam palpare poſſumus, bona nempe ea, quæ homines animales, mundani, carnales pro ſummis ducunt, in iiſque veram felicitatem ſuam collocant. Cum enim nos ad patientiam ſuo exemplo incitet, facile intelligitur eum de talibus hic bonis loqui, quæ incautos deterrere valeant, quę nulla alia ſunt, prętęr ea, quę in pretio ab hominibus mundanis habentur. Talia ſunt dignitates & honores, qui imbecillium hominum infirmos adhuc mentis oculos ſuo fulgore perſtringunt, divitiæ, quæ homines inſatiabiles cupidine habendi ineſcant, & voluptates quæ blanda ſui dulcedine non bene contra dura & aſpera armatis ſe inſinuant, & teneros adhuc pertentant animos. Et iſta prout vulgaris ſententia eſt, intelligit divinus

ſcriptor

ſcriptor Johannes, dum docet, *in mundo tria iſta eſſe, cupiditatem carnis* id eſt voluptatem; *cupiditatem oculorum*; id eſt divitias, *& faſtum vitæ* i. e. honores & vanam hujus mundi gloriam. Hæc ſunt quaſi idola quædam hujus mundi, quæ homines carnales adorant, & venerantur, quęque maximo ipſis ſunt ad vitam æternam impedimento. *Facilius eſſe* inquit ſervator noſter *camelum per foramen acus tranſire, quam divitem in regnum cœlorum ingredi.* Idem etiam Pharisęis & primoribus populi inprimis ad ſe recipiendum fuiſſe impedimento, quò gloriam hujus mundi, divinâ magis adamaſſent, clariſſime teſtatur. Voluptatem quoque ejuſdem eſſe farinæ, in parabola de ſeminante Luc. cap. 8. verſ. 14. aperte profitetur. Sed quid opus eſt multis? Quotidiana id experientia clamat & teſtatur. Sed hæc intra fortaſſe commodius dicentur. Nunc quid ſit *viſibilia iſta contemplari* paucis expendemus. Quod ex jam dictis cuivis patet. Eſt enim nihil aliud quam quod plerique mortalium faciunt, ut terrena iſta bona ſibi pro ſcopo ac fine totius vitæ proponant, ea ſequantur, in iis plene acquieſcant, quod in ea non ſecus ac viſus noſter in ſuum objectum cæca quadam cupiditate ferantur. Sed hæc plana ſunt: quin potius, relicto eo quòd mundanorum eſt, quid noſtri ſit officii, quidque hic adverſa Chriſti cauſâ perferre volentibus, faciendum eſſe doceat, in ſui perſona Apoſtolus, videamus. Id continetur in verbis, *Sed invisibilia*, ubi reſumendum ex antecedentibus *contemplantibus.* Per quæ quid intelligat quivis ſenſatus Chriſtianus facile perſpexerit: intelligit enim ſupremam illam felicitatem, quæ in cœlis eſt fidelibus repoſita, divitias regni illius cœleſtis, divinam gloriam, & voluptates ſtabiles ac perennaturas. Inviſibilia autem vocat iſta bona [non tam quòd nullius unquam hominis etiam perſpicaciſſimi mentis oculus ea videre, aut animus conjectare poſſet, niſi ea Deus nobis revelaſſet, quanquam & hoc alias verum eſt: quam quod ne nunc quidem] quòd ea oculis hiſce terrennis uſurpare non liceat, ſed in futuro demum ſeculo, quis ſit eorum ſplendor, quæque præſtantia, viſuri ſumus & agnituri. Unde illa quæ nuper audiviſtis, Apoſtoli verba: *Quæ oculus non vidit* &c. Jam quid ſit inconſpecta iſta contemplari, facile ex eo, quod de viſibilium contemplatione dictum eſt, quivis colliget. Eſt enim nihil aliud quam beatam illam immortalitatem cum omnibus ejus, ut ita dicam, ornamentis, ſibi pro ſcopo totius vitæ proponere, ad eam collimare, & ſupremam felicitatem ducere: quòd quanto melius quanto prudentius faciant, iſti, quam priores illi, quibus in mundanis hiſce rebus poſita ſors eſt, quia ſequentia Apoſtoli verba indicant, his miſſis porro jam ad eorum conſiderationem veniamus. In quibus reſponſionem ſuam ad objectionem antè allatam firmat Apoſtolus, & rationem æquiſſimam reddit, cur ita fuerit animatus ut nihil duri & aſperi vitæ æternæ cauſa perferre abnueret, nec ulla terrenorum bonorum ratione habita, vitam etiam prodigere eſſet paratus, idque in verbis: *Nam contemplata.* Firmiſſima profecto ratio qua & terrenorum bonorum vilitatem ſummam oſtendit, & cœleſtium illorum dignitatem ac præſtantiam aſſerit ac tuetur, dum illa vocat caduca, fluxa, & ad tempus, & hoc breviſſimum, duratura, hęc ſtabilia firma & æternum perennatura. Viſibilia inquit ſunt *temporaria*, etiamſi quàm maxima, quam plurima ſint, ita ut nec ad faſtigium eorum nec ad copiam quicquam amplius deſit, omnibus tamen, mors, illa ultima linea humanarum rerum, finem imponit, quandoque etiam, ne dicam ſæpiſſime in media felicitate, poſſidentem, inter ſollicitudinem & egeſtatem deſtituunt. Non eſt inauditum, diademate, ſceptris & coronis claros, fulgentes ac potentes, in imam ſortem, ſuæ miſeriæ, infelicitati, calamitatibuſque ſuperſtites, deveniſſe. Verum ut ut bona iſta cum vita ipſa extendantur, quid intereſt? cum pallida mors æquo pede pulſet, pauperum tabernas, regumque turres, ac ſceptra ligonibus æquet. Audiamus Principis ſapientum hujus ſeculi Solomonis de terrenis hiſce bonis ſententiam, audiamus, inquam, & ejus dictis firmiter credamus, tanto magis quod errare hac in parte non potuerit: nam neque de ignotis tulit ſententiam, opulentiſſimus ſui ævi, mortalium, neque defectu judicii laboravit, ſapientiſſimus. Iſte, ut Sacra Hiſtoria teſtatur, ſua ſapientia, & Paterna hæreditariaque dignitate ac potentia, quicquid mundus hic dignitatum ac honorum, utilitatum & divitiarum quicquid illecebrarum, aut voluptatum habuit aut habere potuit, in ſumma, quicquid erat fulgens, præſtans ac eximium ad ſe traxit & derivavit, quanta maxima voluptate potuit, eſt uſus, & ſe ſe indies oblectavit, copiam bonorum & peritiam ad exquiſitas voluptates illa convertendi, ſuppeditante, ſolertia. Hic medio bonorum omnium mundanorum pelago innatans ac immerſus, exitum horum omnium trutinans ac perpendens, animadvertens quod idem ſceptra & coronas, qui mendicos atque calamitoſiſſimos quoſque, idem coctos & ſapientes, qui imperitiſſimos & ſtolidiſſimos, maneret, cum maxime, inquam, fulgeret, cum in mediis ut ita dicam deliciis ac voluptatibus verſaretur, tamen in protrita illa, vulgi etiam ore, verba prorupit, & omnium temporum ac ætatum memoria digniſſimam, de terrenis hiſce bonis, tulit ſententiam *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Majorum bonorum firmiorum ac ſtabiliorum ignarus Rex, de terrenis hiſce rectiſſimum pronunciavit judicium. Nos autem quibus longè auguſtior felicitas ac ſolidior eſt revelata, humilia iſta & abjecta ſpreviſſe ne ſimus contenti, verum ad cœleſtia illa mentes animoſque noſtros erigamus, quæ hic etiam inſignite commendat Apoſtolus dum inquit *inconſpecta æterna.* Homines mortales inter bona iſta terrena vitam placidam ac quietam in maximo pretio habent, illam quam longiſſimam, unice exoptant. Quod ſi tam caducum & fragile bonum, tanti tamen fit ab hominibus; quanto majoris eſt facienda beata immortalitas, quæ bonis omnibus iiſque præſtantiſſimis cumulatiſſima, nullum finem unquam nec terminum eſt habitura, adeò ut longe meliori conſilio Paulus Apoſtolus iſta bona ſibi elegerit, quam faciant ii, qui terrenis hiſce bonis fluxis incertis & mutabilibus acquieſcunt. Sed hæc de verborum ipſius explicatione dicta ſufficiant. Doctrina, quæ inde peti poſſit, prima eſt, quid ſentiendum ſit de terrenis hiſce bonis, quæ incautorum animis ob ſuam præſentem jucunditatem blandiuntur & ſe inſinuant: Id nimirum, quod ſint temporaria, in quæ nobis adhuc ſuperſtitibus, varii caſus & infortunia jus habent ac poteſtatem, ut autem hoc non ſit, mors omnibus voluptatibus & deliciis humanis, certiſſimum malum, ſupremam manum injicit, & omnibus nos ſpoliat ac exuit. Alterum quod ex verbis Apoſtoli diſcere poſſimus eſt; Maxime prudentis eſſe bonis hiſce fluxis & mutabilibus, contemptis & ad ſolam tantum neceſſitatem relatis, longe ſolidiora bona, longe certiora, quæ ſint extra omnem fortunæ aleam, & extra, ut ajunt, teſi jactum poſita, firmiter amplecti, huc vires omnes, omnia ſtudia ac conatus conferre, ut aliquando eis potiaris. Neminem generoſi animi delectant humilia & ſordida, magnarum rerum ſpecies ad ſe trahit. Quid autem majus, cœleſti illo regno ac vita ſempiterna? quid præſtantius, quid ſublimius, Dei illius & filii ipſius, ad quam vocamur, felicitate? Quare in eam curam ſedulo incumbamus, imo hoc unice agamus; ut aliquando in poſſeſſionem hujus tanti boni veniamus. Deus autem pro infinita ſua miſericordia, favore ſuo divino, conatus & labores noſtros pervehat, ad ſui nominis gloriam & noſtram æternam ſalutem. Amen.

Concio in Philipp. cap. 3. verſ. 7.

VErba Pauli Apoſtoli ad Phil. 3. ℣. 7. ſumemus conſideranda. *Quæ erant mihi lucro hæc arbitratus ſum, propter Chriſtum, damnum* &c. Quantum in rebus arduis & difficilibus perferendis virium nobis ad-

dere possint, magnorum virorum exempla, qui pares aut etiam majores labores invicto animo sustinuerint, non nescius, locum istum Pauli Apostoli in quo nobis suam, quam in Christiana religione amplectenda ostendit, magnanimitatem describit, consultò excerpsi considerandum, ut nos quoque pari in sorte constituti, ejus animo rebus in arduis sublimi ac infracto perspecto, ad eandem fortitudinem ac constantiam incitemur. Quia vero magnanimitas in rebus humanis certa ratione & cum judicio contemnendis cernitur; ideo Apostolus, ut virtutis hujus specimen, in se nobis exhibeat, primum docet, se res alioqui magnas contemsisse. 2. se id gravissimam ob causam fecisse. Prius facit, dum inquit: *Sed quæ erant mihi lucro* &c. Ubi duo iterum sunt videnda. Primò quænam sint ista quæ contempserit Apostolus 2. quomodo eorum contemtum describat. Contemsit ea omnia, quæ in prælectis verbis sibi fuisse lucro asserit, quæ quænam sint, in superioribus verbis expresserat ỳ. 4. *Si quis videtur alius confidere in* &c. Bona talia, quibus ante Christum cognitum nulla propemodum majora cuiquam accidere possent. Ab Israële carissimo Dei servo, genus suum ducere. Esse de tribu una ex præstantissimis, in cujus territorio templum situm, Hebræis avis & parentibus oriundum esse, denique circumcidi legitimè, Judæis valde gloriosum erat, & quoad carnem nihil videbatur magis exoptandum. Quid dicam Pharisæum esse, zelo fervere erga religionem patriam à Deo olim traditam; & secundum legalem justitiam, inculpate vivere! Unde in hoc eodem sacro codice, quibusdam ad Christum recipiendum carnalem generationem quâ superbirent, impedimento fuisse, legere licet, quosdam autem ita mordicus Moysi, vitæ suæ pristinæ institutis, ceremoniis, legis denique operibus adhæsisse, ut ægerrime ab eis divellerentur, vel iterum ad ea relaberentur, vel saltem cum Christi doctrina ea jungerent ac conciliarent. Paulus Apostolus hæc omnia animose spernit, dum inquit, *Quæ erant mihi lucro, hæc arbitratus sum propter Christum damnum.* Ac iteratò, *Sed profecto & existimo omnia damnum esse propter eminentiam cognitionis Christi:* ne quis putaret ei hoc incogitanti excidisse, aut factum ei suum nunc displicere, idque tanquam temerarium damnare. Deinde cum ipsi hoc adhuc levius videretur, ita ea deprimit, ut magis jam non possit, dum ait ea *se pro sordibus reputare.* Ea quæ ipsi lucro fuerunt, sibi præ Christo damna fuisse dicit, eleganti quadam oppositione, id eo proculdubio, quod quicquid bonorum sub lege vel à majoribus accepisset, vel studio acquisivisset, ad bona Euangelii collatum, damni cujusdam potius quam lucri rationem haberet, & dignum esset, quod pro detrimento à quovis cordato reputaretur; Vel potius perdendum ac projiciendum existimaretur. Quemadmodum eadem etiam *sordes* vocat, non aliam, crediderim, ob causam, quam quod quicquid erat, inter ea bona speciosum & eximium, luce & splendore Euangelii accensa, ita evilluerit, ut sordium loco ducendum videretur, ac pro nihilo reputandum. Ut autem ostenderet Apostolus, se non temerario quodam impulsu, ut id faceret, sed gravibus causis inductum fuisse, jam eas enumerat, id quod secundo loco nobis considerandum proposuimus. Id continetur in verbis, non continue subsequentibus, sed prioribus intersertis, dum primò quidem generaliter inquit, *Quæ erant mihi lucro, hæc arbitratus sum propter Christum damnum;* postea paulo enucleatius, *Sed profecto propter eminentiam cognitionis Christi Jesu Domini mei:* ad extremum iisdem propemodum iteratis concludit: *propter quem omnia damnum subii & existimo, ut Christum lucri faciam.* Per quæ quid intelligat Apostolus, facile quivis colligit. Primo ergo & ultimo loco *Christum* ponit, quem ut lucri faceret, ista omnia se contemsisse ait; quod quid sit, ex eo apparet, quod secundo loco dixit, cum *eminentiam cognitionis Christi Domini* sui commemorat. Per quam eum doctrinam servatoris nostri, in qua divina voluntas hominibus patefacta est, intelligere, circumstantiæ loci monent: accedit quod hac ratione Christi doctrinæ Mosaicæ illi Legali elegans oppositio constabit, ad quam omnino respexisse videtur Apostolus. Quod si quis per Christum in verbis ultimis præmia quæ sibi habet proposita doctrina Christi, intelligere velit, ei non repugnarim. Ista autem quanti fecerit Apostolus, tum ex hoc loco, tum ex aliis clarissime patet, inprimis autem in Epistola ad Ephesios. Ubi duobus in locis cognitionem Christi mire celebrat, & eam illis ad quos scribit, unice optat. Primo quidem cap. 2. ỳ. 16. *Non cesso gratias agens pro vobis.* Tum cap. 3. ỳ. 16. *Ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtute corroborari.* Non potuit satis multa atque emphatica verba congerere Apostolus, quibus summam rei, qua de agebat, dignitatem ac præstantiam ostenderet: Quemadmodum David, ille Psaltes, ad exprimendum judiciorum Dei vim immensam, abyssum eorum, profundam esse dicit: quemadmodum idem justiciam ac veritatem Dei volens laudibus altissime evehere, dicit illam quidem nubes contingere, hanc vero montes superasse, quemadmodum beneficiorum Dei mare immensum vocat; ita etiam Paulus Apostolus ad exprimendam cognitionis Christi dignitatem ac præstantiam ei longitudinem, latitudinem, profunditatem, & altitudinem tribuit. [Verum etiam cum sciamus, eum non semel Christi doctrinam ratione Legis, instar cujusdam corporis respectu umbræ, considerare, non video quid in eo sit absurdi, si eum ad ostendendam hujus suæ collationis veritatem, quatuor istas corporibus proprias dimensiones de ea enunciasse credamus.] Sed ut ut sit, voluit tamen Apostolus summam quandam doctrinæ Christi præstantiam ac dignitatem & immensam quandam amplitudinem designare. Quæ cum ita sint, quis non videat, valde prudenter ab Apostolo factum, qui umbras corporibus, sordes margaritis preciosissimis commutarit. Sapientia vera, inquam, & cœlesti, quod bonum in terris præstantius aut divinius? Ejus umbram antiqui illi Philosophi tantopere adamarunt, ut quidam quo ei tanto commodius vacarent, omnibus se corporis & fortunæ bonis exuerint, quidam autem ea præ sua sapientia, contempserint. Quod si illi terrenam istam sapientiam, cujus ipsi autores erant, quæ circa res viles versabatur, quæque temporarium aliquod bonum sibi propositum habebat, tanti tamen faciebant; quanto æquiori jure Paulus Apostolus cætera omnia præ sua ista sapientia, contemnere potuit, quæ à Deo ipso autore profecta, circa cœlestia versatur, & cœlestem sibi ac divinam propositam habet felicitatem, quæ non tantum super antiquam illam Philosophorum, cujus autores erant homines, verum etiam super Legalem, cujus inventor fuit ipse Deus, se effert dignitate ac præstantia. Umbræ tantum quædam sub Lege ac imagines conspiciebantur futurorum. In Christo Jesu omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt reconditi, in Christo Jesu omnis plenitudo Deitatis habitat corporaliter: ille est splendor gloriæ & character substantiæ Dei, ut inquiunt Sac. Lit. Sola igitur doctrina Christi, comprehensæ sapientiæ dignitas ac præstantia, cur cætera omnia vili penderet, movere potuit Apostolum. Quid si adhuc felicitas, ad quam iter commonstrat, in consideratione veniat, cujus etiam ipse proculdubio rationem habuit; quod bonum illi comparari poterit? Sed jam vos, qui magnanimum hoc Apostoli factum proculdubio mecum tacitis animi sententiis approbatis, appello, qui non tantum veritatem hanc divinam, nobis pro infinita ejus misericordia revelatam, cum cæteris pariter estis amplexi, quo pacto multorum hominum odiis & injuriis confessioni hujus infensis vos exposuistis, verum etiam ejus esse præcones, ac defensores conamini, quo ipso majorem in modum hostium ejus infestos animos in vos concitastis, qui ut tanto commodius muneri huic, cui vos consecrastis, vacaretis, mundo huic & ejus variis illecebris ac delinimentis, quibus incautos homines inescat, renunciastis. Erigite, inquam, mecum mentes animosq; vestros, ut quid aut quam ob causam feceri-

feceritis, perpendatis. Ne putetis vos magnum aliquid Dei causa fecisse, sordes & quisquilias abjecistis, imo quid dico abjecistis; bonis omnium maximis, omnium præstantissimis permutastis. Quare ne unquam ita conturbemini, aut animo dejiciamini, ut vos cœpti vestri aut consilii pœniteat. Verissima sunt promissa ex ipsius Christi ore, fallere nescio, profecta, quibus se illis, qui aliquid ejus causa prodegerint, centuplum recompensaturum, in terris, in cœlo autem vitam æternam daturum obstrinxit. Ei nos totos devoveamus & consecremus: in eo spem nostram omnem & fiduciam collocemus. Tu autem benignissime Jesu, adauge fidem nostram, luce tua divina mentes nostras collustra, sapientia cœlesti animos imbue, ut doctrinæ tuæ præstantiam ac dignitatem, tanto melius pervidere, eam firmiter amplecti, ex ejus præscripto vivere, hic in terris; in cœlis autem æternæ illius felicitatis, hæredes esse possimus, ad nominis tui sacrosancti gloriam, & Patris illius tui cœlestis, cum quo vivis & regnas, in perpetua secula. Amen.

Concio in 1 ad Corinth. cap. 14. verf. 20.

PAuli Apostoli verba considerabimus: *Fratres ne pueri efficiamini sensibus, sed malitia puerascite, at sensibus perfecti estote.* In his verbis singulare quiddam Pauli Apostoli monitum continetur, quo Corinthios ad perfectionem in prudentia ac pietate Christiana hortatur. Quemadmodum autem prudens medicus, per se ingrata & insuavia pharmaca edulcat prius, quam ægro proponat; Ita etiam prudens hic animarum curator, Apostolus, monitum hoc ob admixtam reprehensionem aliquanto insuavius, lenit ac commendat, dum eos quibus illud præscribit, *fratres* appellat, quo & arctissimam suam, cum ipsis conjunctionem, & ardens quoddam in eos studium ac amorem expressit, nobisque imitandum hoc suum exemplum proposuit, si velimus nostris apud alios monitis & adhortationibus aliquid perficere. Præceptum suum Apostolus in duobus constituit. Docet enim primò à quo sit abstinendum. Deinde quid sit faciendum: prius facit, dum inquit, *Ne pueri efficiamini.* &c. Per quæ verba quid intelligat, qui totius hujus capitis contextum considerat, facile animadvertit. Varia quippe in eo officia ad rectum & salutarem donorum spiritualium in Ecclesia usum pertinentia, præscribit, quæ ut tanto rectius præstentur, prudentiam Corinthiis, commendat, monetque, ne sensibus fiant pueri. Autor enim Epistolæ ad Hebr. eos ad quos scribit, cum potuissent aliorum esse magistri per ætatem, pueros lacte opus habentes fuisse conqueritur: quibus verbis eos parvos admodum in cognitione Christi progressus fecisse indicat, simulque stimulat, ut non contenti his initiis, ad solidiorem rerum divinarum cognitionem progrediantur, sicque in virum perfectum, qui est Christus Jesus, adolescant, prout alibi Paulus Apostolus optat suis discipulis. Sed de his infra commodius dicetur. Quare jam ad ipsum Apostoli præceptum considerandum venio. Illud autem duplex est. Primum ad nostræ voluntatis mutationem pertinens. Alterum ad mentis nostræ perfectionem refertur. Prius continetur in verbis, *Sed malitia puerascite.* Quasi diceret Apostolus, si tamen pueri vultis esse, est in quo vos pueros esse oporteat, nempe in malitia, per hanc autem cum omnis gravia peccata intelligit Apostolus; tum inprimis habitus peccandi. Hos enim scimus prohiberi potissimum in Sacris Literis, & vel maxime cavendos esse, æternam hæreditatem adire volentibus. Vult nos in malitia puerascere, id est admodum esse rudes ac ineptos ad peccandum, & perinde nos gerere ac si nesciremus peccare. Quemadmodum tenera adhuc puerorum ætatula, nativa quadam est munita contra peccatum innocentia, ita ut etiamsi velit, peccare tamen non possit; ita etiam nos crebris actionibus & exercitatione, virtutis acquisito habitu, contra peccatum adeò nos armare debemus, ut cum possimus peccare, nolimus tamen, honestatis amore & spe beatæ immortalitatis à vitiis nos retrahente. Alterum præceptum Pauli Apostoli renovationem mentis nostræ concernens, continetur in verbis, *At sensibus* &c. In perpetua quadam allegoria perdurat Apostolus. Et jam sensibus perfectos nos esse cupit. Sensus autem est; Enitamini ut quam maxime judicio ac prudentia polleatis: seu virili quadam prudentia sitis præditi. Perfectos enim hoc loco pueris opponit, & adultos sive viros intelligit. Rectissime autem Apostolus iis officiis, quæ in Ecclesia Christi servanda præscripsit, prudentiam connexuit, quia ea his omnibus quasi nauclerus quidam præest, actiones disponit, agenda & omittenda demonstrat. Perfectos ergo nos esse, vult sensibus atque adultos, nec esse contentos, qualicunque in rebus ad religionem spectantibus judicio, sed ad majorem indies perfectionem aspirare. Quemadmodum puer non desinit crescere, donec ad justam magnitudinem perveniat, vel si desierit, turpe est & dolendum: Ita quoque nos quod ad mentis ac rationis usum attinet, indies majus ac majus sumere incrementum debemus, donec in virum perfectum excrescamus, si æternam adire hæreditatem velimus. Prudentiæ, ad quam nos hic hortatur Apostolus proprium munus est, nosse actiones vitæ recte gubernare, & tum sibi tum aliis, in rebus ad salutem spectantibus, rectum dare consilium. Quare si volumus dicto Apostoli obedientes esse, prout omnino debemus, danda est opera, ut tum diligenti verbi divini meditatione, tum exercitatione varia, mentem nostram ea informemus, erudiamus ac perficiamus, ut quicquid ad vitam cum pietate traducendum pertinet, norimus, omnesque nostras actiones, præsertim cum in Ecclesia aliquid est negotii, recto judicio moderemur, quin etiam alios salutari consilio instituere queamus. Sed his ita ad explicationem verborum Apostoli allatis; videre jam ex iis primum licet, quam arduum ac difficile sit religioni Christianæ conformiter vivere. Peccatorum habitum exuere, ad quæ à natura proni sumus, durum & asperum est: non exigui etiam laboris est caute ac prudenter in rebus ad salutem religionemque pertinentibus versari. Utrumque tamen faciendum est, nisi nostra felicitate excidere malimus. Magna tamen inde secundo religionis Christianæ præstantia, ac dignitas elucescit, ad quam nemini, nisi virtutibus instructo, quibus nihil sub sole clarius, patet aditus, in qua nemo, nisi divina ac cœlesti prudentia præditus digne versari potest. Quare hanc nobis unice commendatam habeamus, hanc amemus. Deus autem nobis opituletur pro infinita sua misericordia, cui laus, honos, & gloria, in sempiterna secula. Amen.

Supplementum, hujus Analyseos: Reprehendendi 1. ii qui cum in prudentia Christiana proficiendi tempus habuerint, in ea tamen parum profecerint: itidemque in cognitione divinorum mysteriorum. 2. Ii qui in Ecclesia quicquid affectus jusserit effutiunt, nihil pensi habentes, an ad ædificationem ac concordiam id faciat, nec ne. 3. Denique ii, qui in peccatorum defensione plusquam viros se præstant, in virtute exercenda plusquam pueros. Hic scientiam sibi de esse conquerentes: ibi astutia abundant.

Concio in 1 Epist. Ioh. cap. 5. verf. 4.

SUmma esse videtur: unde fiat, ut homines Christiani pietatem tam duram ac tot difficultatibus septam colant. Partes constitui possunt tres. 1. quomodo describantur homines Christiani. 2. quomodo describatur eorum pietas tam dura ac tot difficultatibus implicita 3. quomodo ejus pietatis causa efferatur. 1. est ibi *omne quod natum est ex Deo*, quanquam in iisdem verbis aliquo modo jam continetur etiam pietatis illius de qua sermo est causa, vid. suprà cap. 3. verf. 9. 2. est ibi: *vincit mundum.* 3. ibi: *Et hæc est victoria.* Quod ad primum attinet, homines Christiani describuntur *quod ex Deo nati sint.* Mundani homines

si a regibus aut Principibus terrennis ortum ducant, non habent majores præstantiores ac sublimiores, ad quos ortum suum referant: homines Christiani ad Deum ipsum Monarcham illum cœlestem armipotentem originem suam revocant. Sunt enim prout vocantur ab Apostolo, nati ex Deo, altissimi illius eximia quædam propago. Quod non esse propriè accipiendum, quivis, cui sana est ratio, videt; nihilominus tamen ita sumendum est, ut singularis inde nostra dignitas, ac præstantia elucescat. Generatio nempe ex semine Dei incorruptibili, quod est verbum ejus, qualem generationem nobis describit imprimis Petr. 1 Epistola cap. 1. ℣. 13: *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi & permanentis in æternum*; non quod semen istud divinum nos regeneret invitos, aut parum admodum id curantes, quemadmodum falso à quibusdam putatur, sed quod, ubi in animos nostros excultos ac faciles tanquam in terram fertilem incidit, tantarum sit virium, ut nos, voluntatemque nostram fingere ac refingere possit, atque ita subigere, ut ex peccatoribus cultores Dei, ex inimicis ejus, filii ejus accepti existamus. Hic potius quàm infra commendanda est dignitas hæc, tum ex sua sublimitate, tum ex fructu, nempe hæreditate bonorum divinorum ac cœlestium; hortandique omnes, ut ad eam aspirent, quæ quidem in medio est posita. Altera quam hoc loco describit Apostolus qualitas Christianorum, ab eorum præclarissimo opere desumta est, quod de iis dicat eos *vincere mundum*, quod quid sit, ubi quid per mundum sibi voluerit explicuerimus, patebit. Mundi nomine intelligit Johannes, omnia quæcunque in hoc mundo occurrunt, ad nos à pietate abducendos vim aliquam habentia, sive grata carni, sive ingrata; sive adversa, sive secunda. Et illa quidem quæ carni grata sunt, ut plerosque homines à pietate abducunt, Johannes in hac eadem sua Epistola tripartito dividit, dum inquit: *In mundo esse cupiditatem carnis, oculorum, & fastum vitæ*. Hoc est volupta carnis &c. Hæc tria sunt escæ & incantamenta totius pene orbis, quæ homo Christianus, progenies Deo digna, vincere debet, hoc est, quatenus ab officio ac pietate illum abducant, proculcare, contemnere, atque ita se ex eis reducere, ita sibi temperare, ut omnino præcidat amputanda, cæteris autem ita moderate utatur, ut ea ad solam necessitatem referat, aut quatenus ei in beata illa sede adeunda possunt esse adjumento. Quæ vero carni ingrata sunt & à pietate adducendi atque absterrendi vim habent, varia sunt: minæ, ipsaque incommoda ac damna, sive bonorum ac facultatum nostrorum, sive honoris ac famæ sive corporis ac vitæ; adde etiam eas, quæ in conjugibus, liberis amicis, nobis inferri possunt injuriæ. Hic contemtus bonorum terrenorum inserendus animis auditorum: & animandi iidem ad omnium malorum tolerantiam. Quæ cum ita sint, quis nisi plane vecors, cum videat utrumque horum, ut & Dei simus proles, & de mundo victoriam reportemus, magnam partem in nostra esse situm potestate, non summo studio nitatur, ut & tantæ dignitatis ac præstantiæ cujus sunt filii Dei, & tam gloriosi facinoris, quod victores mundi patrant, particeps esse possit? quis usque adeò in se injurius esse velit, qui sibi felicitatem illam, ut sic dicam invideat, quæ hæredes Dei manet, & coronam victoribus in cœlis repositam, incorruptibilem, incontaminatam, & immarcescibilem negligat?

Sed jam tempus monet, ut secundam concionis nostræ partem videamus, in qua causa efficiens, operis fidelium gloriosissimi ab Apostolo affertur, dum inquit: *Et hæc est victoria.* Ubi modus loquendi Sacris Literis non insuetus observandus est. *Victoriam* sumi pro causa efficiente victoriæ: quod huic inprimis autori usitatum esse deprehendendere licet. Ita enim in descriptione Euangelii Jesu Christi Domini nostri *Hæc est vita æterna ut cognoscant* &c. cum tamen hæc sit causa potius & medium vitam æternam adipiscendi. Ita alibi: *Hoc est judicum*, cum tamen caussam tantum judicii seu pœnæ divini impellentem id esse sciamus. Plane eadem ratione hic etiam inquit, *Hæc est victoria*, hoc est id quod efficit ut victoria, omnium pulcherrima, omnium gloriosissima potiamur, & mundo huic omnes in suas partes pertrahenti obnitamur. *Fides nostra*, quæ cum multas habeat in Sacris Literis significationes, tres tamen sunt, quantum observare hactenus licuit, præcipuæ. Nam primum pro assensu tantum, qui in mente consistit, divinis potissimum promissis adhibito sumitur. 1 Cor. cap. 13. Deinde sumitur pro assensu illo cum desiderio rerum promissarum conjuncto, & sic spem tanquam partem quandam in se continente, ut Gal. 5. Denique sumitur pro assensu ac desiderio rerum à Deo promissarum cum obedientia mandatorum, sine qua promissa desiderata, consequi non licet, conjuncto, & sic charitatem quoque ac pietatem universam in se complectitur ut in locis plærisque Epistolæ ad Rom. & Gal. ubi de justificationis ratione disputatur. Sunt autem diversa hæc fidei genera vel potius gradus quidam, ita inter se connexi, ut si primus sit firmus, cæteri duo illi necessario superstruantur. Hoc loco prima illa fidei significatio accipienda est, ut docent verba sequentis ℣ic. ubi Apostolus fidem hanc explicans, ita ait: *Quis est qui vincit* &c. Recte autem pronunciavit Apostolus hanc fidem esse victoriam quæ vincit mundum, seu victoriæ hujus caussam: quia qui credit Jesum esse Dei filium, is necessario etiam omnibus illius promissis fidem adhibet, ac spem immortalitatis vitæ concipit, quam qui habet, is purificat seipsum sicut & Deus purus est, sup. cap. 3. ℣. 3. Hic hortandi sunt auditores ad vitæ pietatem, ut hoc pacto fidem hanc suam probent omnibus, ac demonstrent, se verè credere. Jesum esse Dei filium: ostendendum etiam, fide illum vera carere, in quo effectus hic non reperiatur. Sed nihil errorem hunc aliorum morati, quantum in nobis est, demus operam ut veræ fidei participes existamus, qua probe instructi, mundo hoc perverso & mutabili superiores evadamus, tandemque in cœlis tanquam victores beata illa immortalitatis gloria coronemur. Quo in proposito nostro nobis opituletur Deus, per unigenam suum. Cui una cum patre debetur honos & gloria in sempiterna secula. Amen.

Concio in Ioh. 1 Epistolæ cap. 3. vers. 3.

SUmemus consideranda verba, *Et omnis habens spem hanc &c.* Cum sciamus ex Dei decreto, attestante autore Epist. ad Hebr. Sine sanctimonia neminem Deum visurum, nihil tam necessarium est, quam de eo instituere sermonem quod nos subinde sanctiores & probiores reddere valeat. Cujus rei hæc verba Apostoli prelecta insignem nobis prebent occasionem, ut pote in quibus nil aliud quam modus quidam ac ratio nobis inserendæ & augendæ indies pietatis describatur. Quare duo ista inprimis se in eis consideranda offerunt. Primo via & ratio assequendæ pietatis 2. ipsius pietatis descriptio. Prius continetur, *Qui habet hanc spem* &c. Verba ex superioribus supplenda, ad quæ referuntur ibi: *Dilecti nunc nati Dei* &c. quare perinde est ac si dixisset Apostolus, qui sperat se Deo aliquando similem futurum, purificat seipsum.

Est autem Apostoli non vulgaris loquendi modus diligenter notandus, firmitatem & certitudinem spei istius omnimodam postulans. Vult enim nos habere spem, & quidem *in Deo*, tanquam fonte & autore boni istius sperandi. Ex quo apparet, spem eum in perfectiori quadam significatione quam alias Sacris Literis moris est, capere, pro ea fiducia promissis divinis adhibita quæ certis argumentis & fulcris nitatur. Quod innuunt voces istæ, *In Deo*: perinde enim est acsi dixisset, qui habet spem divinis promissis, & variis eorum confirmationibus ac argumentis superstructam. Non tantum enim nobis à Deo promissam vitam æternam habemus, quod ipsum cuivis cordato sufficisset, verum etiam truculentissima ac ignominiosissima

sima unigeniti filii ejus morte confirmata, cujus innocentissimo sanguine N. hoc quod cum hominum genere per eum fœdus pepigit, sanxit & comprobavit, qui etiam ideo sanguis Novi Fœderis in Sac. Lit. appellatur. Neque hoc solum fecit, quo nostram fidem erigeret, verum etiam à mortuis eo suscitato, ad dexteram suam evexit, & in cœlis collocavit, omnibus ejus pedibus subjectis, ut legere est in Sac. Lit. Unde tum imaginem & exemplar futuræ nostræ felicitatis capere possumus: cum sciamus id nos manere, quod antesignano nostro jam contigit: & indubitatam ejus promissis, fidem adjungere, quod eum, qui per omnia nostri similis fuit, ad tantam potentiam, in eum finem ut nos salutis æternæ compotes reddat, evectum esse credamus. Quæ cum ita sint, firmis satis, quod ad Deum attinet, nostra spes nititur argumentis. Ut pii evadamus, eo præterea opus est, ut nos nobis eam nostram efficiamus, & ut inquit Joh. spem istam habeamus, quod nulla alia ratione fit, quam divinis istis fulcris ac rationibus, quibus, hanc spem nostram confirmavit, considerandis, & præceptis etiam sanctissimis ejus implendis, sine quo æternam adire hæreditatem nequaquam possumus. Alterum quod ex dictis colligere licet, est certissimum esse præmium nobis destinatum, non tantum enim est à Deo promissum, quod ipsum cuivis qui modo quid esset Deus, novit, sufficeret, verum etiam ita morte Christi sancitum ac confirmatum, ita resurrectione & à dexteris Dei collocatione comprobatum, ut nullus dubitationi amplius locus relinquatur. Atque hæc de prima parte dicta sufficiant. In secunda parte jam ipsa pietas, cujus consequendæ prior medium erat, exprimitur. Ea continetur in verbis, *Sanctificat seipsum* ubi duo itidem consideranda sunt. Primo enim ipsa ab Apostolo pietas exprimitur, postea etiam ejus innuitur summa quædam perfectio. Pietas ibi: *Sanctificat seipsum.* Hoc est ab omni labe & macula peccatorum, quibus se antehac sive unius sive plurium coinquinarat, sese repurgat & qui antehac Satanæ, mundo huic, carni suæ se manciparat, receptis Dei promissionibus, totum se ei consecrat, & voluntati ejus permittit, & non amplius sibi ipsi, sed ei à quo est, ex vana mundi conversatione redemptus, vivit. Ex quo videre est primum, quales plerique homines ad novum Fœdus recipiendum accedant, quod impuri & variis peccatorum maculis aspersi ac irretiti. Nam ne nunc de gentibus quicquam dicamus, quos omnes propemodum tales fuisse nimis est clarum, ipsi etiam Judæi plærique tales fuere, neque enim in lege Mosaica ulla vis fuit, quæ eos à peccatis retraheret: aut præmia tantarum virium, ut ad conditiones Legis præstandas allicerent ac pertraherent. Solius N.F. proprium est, imprimis vero promissorum ejus, homines ex servitute peccati, & quæ ea comitatur mortis, in libertatem vitæ pietatis, ac proinde etiam beatæ illius immortalitatis vindicandi ac asserendi. Ex iis etiam, quæ dicta sunt crassum quorundam è Christianis nostris errorem deprehendere licet, existimantium sub N. F. vitæ pietatem ac sanctimoniam ex parte nostri ad salutem necessariam non esse, imo impossibilem, sufficereque voluntatem tantum ac studium ad exequenda Dei mandata propensum afferre, pietatem aliunde advenientem, nobis applicandam esse: atqui & alibi creberrime, & hoc in loco apertissimè, actiones nos à peccato retrahendi, & piè vivendi, nobis ipsis Sac. Literæ tribuunt, imo jure quodam suo à nobis exigunt. Sed hoc gravi errore, non tantum Sac. Lit. manifesto sed etiam ipsi sanæ ratione repugnante, misso, antequam ad sequentium considerationem abeamus, qua ratione spes ista, de qua hic loquitur Apostolus, beatæ immortalitatis, sanctimoniam istam ac pietatem nobis ingeneret, videamus, simulque quam vera sit, ejus sententia perpendamus. Videtur autem ideò vel inprimis hoc ei tribuendum esse, quod cum bonum istud, cujus spem à Deo habemus, sit adeò præstans ac sublimeut, qui modo illud firmiter credit, si sit cæteroqui sanus, nulla ratione illud spernere possit; dubium non sit, quin idem sit piè victurus, cum sciat se illud bonum absque pietate nullatenus consequi posse. Hoc tantum diligenter curandum est, ne spes ista levi aliquo impulsu sit in nobis excitata, sed quæ firmis, & quoad ejus fieri potest, perfectissimis nitatur argumentis. Norma quædam ac perfectio nostræ pietatis continetur in verbis, *Quemadmodum ille sanctus est.* sci. Deus, de eo enim in proxime præcedentibus verbis fuerat locutus. Summa quidem perfectio & prima fronte rem intuenti propemodum præstitu nobis mortalibus impossibile videtur. At si penitius consideremus, & cum divina voluntate expendamus, satis æqua & facilis conditio invenietur. Ac ne nos verborum splendor terreat, quibus ita sancti esse quemadmodum Deus est jubemur, memoria nostra idem præceptum fuisse Judæis illis sub Lege repetamus, qui quidem varias sibi à Deo ceremonias ac ritus externos, per quos Deo sanctificarentur præscriptos haberent, eo ipsis, quemadmodum Deum, sanctis esse licebat: quantò magis nos idem præstare poterimus, quorum pietas ac sanctimonia multis partibus illorum præstat cerimoniis. Quare ut verborum ipsorum vim jam intueamur, non assequi sanctimonia Deum, hoc enim impossibile, sed imitari jubemur, quę imitatio nostra hodie sub N.F. in eo consistit, ut nullius peccati amplius habitu nos obstringamus, sed potius omnium virtutum habitum nobis comparemus, & ut ab ipsis etiam peccatorum actibus, quoad ejus fieri possit, nos liberemus; sicque ad extremum usque vitæ nostræ persistamus: quod si interim per imprudentiam & fragilitatem nobis labi contingat, Deus ista omnia, si alioquin cor sincerum ipsi probemus, imbecillitati humanæ condonat. Quibus ita consideratis, primum præstantiam, N.F. promissorum præ Legis pollicitationibus videre possumus: cum enim hæ neminem vi sua ad Legis præstandas conditiones adducere potuerint, hodierna promissa id abunde possunt, eo tantum opus est, quod sæpius inculcare non nocet, ut eis firmiter credamus & assentiamur. Ex jam dictis etiam insignis nostra sub N.F. consolatio fluit: Quod varii lapsus, infirmitates, multosque imperfectationes, nulla ratione justificationem nostram coram Deo impediant: tantum nihilominus danda est opera, ut ab illis nobis sedulo caveamus, & quoad possumus liberemur: alioquin enim fragilitas in malitiam, ignorantia in studium & datam operam versa, nequaquam nos coram Deo excusabit. Spes beatæ immortalitatis immota, viva & efficax, nos in hac via salutis, quam sumus ingressi, soletur & erigat, & ab omnibus peccatis & maculis liberet, ac repurget. Deus autem auxilio suo cœlesti nostræ succurrat imbecillitati, ad nominis sui gloriam & nostram æternam salutem. Amen.

Verba Petri in 1 Epist. 5. 5. explicanda suscipiemus.

Deus humilibus dat gratiam. Prudens ac solers architectus ædificium aliquod aut turrim sublimem extructurus, ante omnia de fundamento est sollicitus, quod tanto firmius, tanto profundius facit, quantò ipsa in eo erigenda structura celsior ac sublimior est futura, quantoquè pluris interest, quibus tanta res nitatur radicibus ac firmamentis. Est cur nos quoque solers hoc hominum genus imitemur: Paulus siquidem Apostolus nos tabernaculum esse Dei viventis. Petrus autem nos in domum sanctam, Deo acceptam, vult exædificari. Quid hac structura magnificentius, quid sublimius? Ejus materia non ligna, lapides, tegulæ, elementa, non ipsum denique aurum ac lapides preciosissimi; Sed Christianæ virtutes, quibus nihil sub sole speciosius, omnino esse debent, nec aliis partibus, quam ipsis hominibus his virtutibus profectis & absolutis, constare potest. Quare si volumus, præclarum hoc opus rite aggredi ac perficere, (prout certe cuivis Christiano faciendum est, imprimis à nobis qui aliorum in via salutis duces & antesignani, esse adlaboramus) prima de fundamento cura est suscipienda. Hoc nullum fore aliud quisquam hactenus cordatus esse voluit, nedum ut ego ad invenire debeam, præter virtutem eam, quæ non satis Latinè, ex usu tamen satis, humilitas nuncupatur, alii modestiam appellant. Dignum tam

tam sublimi structura fundamentum, quod quò firmior illa futura est, tanto altius defigi debet. Ab hac virtute primus, ut ita dicam, in hac salutis nostræ via dux, Dominus Jesus, muneris sui exordium duxit, & cum primum in prædicandum hominibus Euangelium ora resolvit, beatos pauperes spiritu, hoc est animo demisso ac humili præditos pronunciavit, prout Matth. 5. legere licet. Hanc prout idem alibi scribit, primis illis suis discipulis, se ducem sequi volentibus præcipue commendavit, & ad imitandum in se proposuit: *Discite à me, inquit quod mitis sim, & humilis corde.* O præclarum & omnibus numeris absolutissimum exemplar: quod quivis videre potest, qui modo, qua ratione hic in terris servator noster munus suum peregerit, considerat. In opere hoc Dei, cujus voluntatem exequi, cibus ipsi erat & pastus animæ suavissimus, alimento sibi ducebat, non modo indefessa cura ac studio fuit usus, verum etiam indignissima quæque æquo animo suscepit ac pertulit; in hostes alioqui sibi infensissimos, mitissimus ac clementissimus, pro quorum æterna salute, se tandem ad contumeliosissimam & atrocissimam mortem demisit: adeo ut optimo jure Esaiæ illam in ipso prophetiam fuisse impletam Euang. potuerit dicere, *Ecce* &c. Sed ne in exemplo hoc servatoris nostri de humilitate hac uberius postmodum nobis dicenda, nunc quodam modo præcipiamus, aliquid tantum de ejus præstantia ac utilitate, delibasse sufficerit. Jam ad verba Apostoli consideranda descendamus, in quibus nobis hanc eandem virtutem fructu ejus insigni nobis proposito commendat. Ubi duo in considerationem revocabimus. Primò quæ sit virtutis hujus, quam humilitatem animi vocat Apostolus, natura atque ingenium: deinde quodnam præmium qui fructus. Quod ad prius attinet, ut virtutis hujus vim tanto rectius ac majori cum utilitate pervidere possimus, quid sit hæc virtus, & quam late se diffundat, quæque ejus partes, penticulatius expendamus, adjuti ope & auxilio servatoris Dei, & Christi Domini nostri.

Humilitas igitur nihil aliud est, quàm ea virtus, quâ & modestè de nostra ipsorum dignitate sentimus, & honores ab aliis nobis deferendos moderatè appetimus. Cũ enim alterutrum horum nos inflare soleat, vel quod aliquid nobis eximia laude dignũ inesse putemus, vel quod honores appetamus, qui utrumque moderari novit, is modestus censendus est. Ex quo quasi quodam stipite, duo veluti rami pro germinant, diversa hujus virtutis officia producentes, quorum alterum Deum, alterum homines ipsos respiciat. Coram Deo, ut creaturam coram suo creatore facere par est, curandum est, ut nos quam submississimè geramus, & non tantum nihil nobis quod ejus dignitati ac gloriæ deroget vendicemus, verum etiam nihil non faciamus, quod ad amplificandam nominis ejus gloriam pertinere videatur. Quod ut tantò facilius à nobis impetremus, summa ejus majestas, supremumque in omnia imperium diligenter considerandum, simulque nostræ sortis ac conditionis vilitas sedulò est inspicienda. Ille est summus cunctorum. Monarcha, qui suopte nutu ac libera voluntate omnium rerum molitus habenas, quicquid bonorum aut felicitatis est, sive sublimia illa loca ætheris incolentium, sive in humilioribus hisce sedibus degentium, tanquam ex vasto mari flumina ac fontes omnes derivantur, ita ab hoc supremo Parente promanat ac exundat. Summa igitur ejus potestas ac tremendum imperium facile nos ab iis omnibus, quæ mandatis ipsius adversantur, & elati animi sunt indicia, retrahet, quod sciamus severe eum in præfractos ac contumaces vindicaturum; quemadmodum ejus bonitas ac providentia ad obsequium ipsi præstandum alliciet ac instigabit, quod certò persuasi simus eum virtutem, ministeria nostra, & quicquid in ea colenda laboris insumpserimus, abunde nobis compensaturum. Sed ut spes ista futuri boni abesset, nonne jam satis habemus causarum, cur Deo nostro morigeros ac obsequentes nos præbeamus? Ille nobis vitam hanc non tantum dedit: sed etiam tuetur ac prorogat; ille vires ac valetudinem largitur, ille omnia quæ vitæ usus postulat, abunde suppeditat, at majora longeque præstantiora animi bona: ille lumen limpidissimum rationis in nobis accendit, ille ingenium acre & acutum, judicium dextrum ac perspicax, memoriam facilem ac fidam insevit. Quare longe æquissimum est, ut ad eum tanquam horum omnium authorem ac largitorem maximus etiam ex iis fructus ac utilitas redundet ac referatur. Jam qui talem erga Deum animum gerit, haud difficulter etiam ad homines eundem derivabit. Nec incommodè mihi hic illud Joh. Apostoli quadrare videtur, dicentis, qui diligit Patrem, eum etiam ejus progeniem amore complexurum: ita qui Deum colit ac veneratur, non est dubium quin idem sit submissione ac modestia erga præstantissimum in terris opus ejus ac creaturam usurus. De qua paulò accuratius dicturis, ejus vim ac naturam in eo potissimum consistere asserimus; ut honore alios proveniamus, & si res & necessitas postulet, ad vilissima etiam ministeria illis exhibenda nos demittamus. Non enim, ne quis forte decipiatur quod moris & vulgo est hominibus, in externo corporis habitu & gestibus ad modestiam hypocriticè compositis hæc virtus consistit, sed in ipso animo sedem suam ac domicilium defigit, unde postea per ista externa se prodit indicia, ut si usus & necessitas exigat, vilissima etiam aliis præstare ministeria non defugiamus; & quod præclarissimè quidem Ethnicus, ut quanto majores sumus, tanto nos submissius geramus. Cujus rei, ut & aliorum exemplum se nobis perfectissimum præbuit, dux salutis nostræ Christus, dum servorum suorum Apostolorum pedes lavit, seque ad vilissimum ministerium abjecit. Non deposuit ille eam, quam præ cæteris habet, dignitatem ac præstantiam, sed perinde se gessit, ac si omibus inferior esset. Qua in re se imitari Apostolos eo in loco nominatim jussit. Alibi autem eis de primatu inter se contendentibus eumque sollicite ambientibus memoratu dignissimum dat consilium, inquiens: *Maximus vestri cupiens esse, fiat omnium servus.* Deus te supra alios extulit, honore, dignitate aliis facile antecellis, cave ne propterea eos contemtui habeas aut alto supercilio despiciendos putes, sed indoleas potius eorum calamitati, quod non tam benigne cum eis actum fuerit, nec tam quo pervenerint, quam quo potuerint pervenire, consideres, interim tamen Dei ipsius altissimi, quam in se omnes exhibent, imaginem in iis colas, suspicias, ac venereris, eis quaqua ratione succurras ac opituleris, non dubius, quicquid in te bonorum dignitatis atque honoris collatum sit, te id non tuum proprium ducere debere; sed ut tanto magis ad Dei gloriam cedat, in ejus partem alios etiam inferioris conditionis oportere admitti. Sed jam nos verborum Apostoli series & ordo, ad considerandum modestiæ fructum ducit. Is continetur in verbis, *Deus humilibus dat gratiam.* Hoc adeo verum esse ipsa docuit experientia, ut olim jam apud Ethnicos etiam fidem meruerit: fama enim vulgavit, quendam inter hos propriam Dei in cœlis actionem designare volentem, dixisse, nihil eum facere aliud quam ut alta premat, humilia evehat. Et verò quantam hoc in se felicitatem contineat, nemo est qui ignoret. Ab hominibus in terris dignitate ac magnitudine super alios sese efferentibus, vulgaria in alios descendere beneficia non solent. Indignum quippe hoc magnificentia sua ducunt, suamque liberalitatem ad suæ gloriæ fastigium attemperant. Quanto ergo majora illa bona sunt existimanda, quæ à Monarcha illo cœlesti ad nos deveniunt? non est dubium, quin quanto altius super omnes potentes, majestas ipsius se extulit, tanto etiam sint majora, tantoque augustiora. Juvat tamen in latum hunc divinæ benignitatis campum aliquantum expatiari, & per singula ejus beneficia modestis & demissis inprimis promta, jucunda contemplatione ire, quæ quia generali & indefinito gratiæ nomine autor hic complexus est, non incommode ad

omnia

omnia Dei promiſſa ex vi Nov. Fœd. fluentia, extendi poteſt. Quæ quia quo ad vitam hanc terrenam ſuſtentandam ſtrictiſſima & anguſtiſſima ſunt, eorum ſufficientem tantum, & neceſſariam ad vitam hanc tuendam copiam in ſe continent; imprimis autem ad animum & futurum illud ſeculum referuntur: quæ bona cum ſint longe prioribus illis præſtantiora ac ſublimiora, ideo illis omiſſis ad horum conſiderationem animum ac mentem advertamus. Eſt primo loco perfectiſſima ac pleniſſima voluntatis divinæ ac myſteriorum ea contentorum cognitio, qua quis in abdita Dei conſilia inquirere, ea ſcrutari ac rimari poteſt, quæ inprimis humilibus & contritis corde, Dei ſpiritu patent. 2. Eſt ſuprema illius felicitatis noſtræ ſpes, quam ex conſideratione potentiæ ac bonitatis in nos divinæ ſimulque promiſſorum in Novo Fœdere nobis præſtitorum, firmiſſimam concipere poſſumus, eaque omnia hic in terris nobis adverſa, dura, aſpera, moleſta vincere ac ſuperare. Tertio eſt cœliſtis ille ac plane divinus Spiritus ſanctus, qui & cognitionem illam ſacratiſſæ voluntatis divinæ auget, & promiſſa ejus inprimis vitæ immortalis, in cordibus noſtris obſignat, quique in calamitatibus ac periculis nobis uſtitiæ cauſâ ſubeundis potiſſimum ſuccurrit. Quarto eſt læta ac hilaris conſcientia, ex vita ad nutum & voluntatem Dei altiſſimi compoſita, quæ cujus animum inſedit, perrenni gaudio implet, quæ omnia mala, & inſuavia facile extinguit, ac penitus exterminat. Denique faſtigium his omnibus imponit, ſuprema illa ad quam ſumus vocati, beatitas, quæ ipſa, ut ſi cætera abeſſent, ſatis magnum momentanæ hujus demiſſionis præmium eſſet. Quæ major dignitas, quæ præſtantior felicitas cogitari etiam potet, quam ad ſupremæ illius ſedis faſtigium evehi ac pervadere, & perennibus perfrui voluptatibus? Quæ quia non tantum deſiderium noſtrum infinities ſuperant, verum etiam ſuper humanum ſunt captum, ideo de illis dicere nunc ſuperſedeo. Verum iſtud nequaquam præterire viſum eſt, non injuria omnem felicitatem noſtram huic uni virtuti tribui poſſe, cum ejus ambitu omnium virtutum chorus, quodammodo contineatur, vel ſaltem eam conſequatur. Quare ſublimem ac eximiam illam virtutem eſſe neceſſe eſt, quæ & cæterarum omnium fons quidam eſt ac origo, & felicitatis ſupremæ mortalibus cauſſa: adeoque ſumma ope ablaborandum eſt, ut ejus participes eſſe poſſimus. Deus autem nos juvet pro infinita ſua gratia & miſericordia, per unigenitum ſuum Dominum & ſervatorem noſtrum. Amen.

Concio in Matth. cap. 16. verſ. 24.

EUangelii ſervatoris noſtri Domini Jeſu particula à Matth. cap. 16. ℣. 24, deſcripta ſic ſe habet: *Qui vult me ſequi* &c. Cum cognitio Dei & Chriſti Domini ſalvivifica, inprimis in notitia voluntatis utriuſque conſiſtat, nullam in rem æquius eſt, tempus & operam inſumere, quam in eam, quæ nobis divinam voluntatem conſiderandi, occaſionem præbet. Quod cum de verbis prælectis jure dicatur, ad eorum diligentem examinationem animum advertamus. In iis autem Chriſtus docet, quo animo quiſque doctrinam ac religionem ipſius amplecti debeat, & quo pacto ſe ad eam firmiter retinendam ab ipſo initio munire. Ubi conſideranda duo. 1. Quibuſnam hominibus hoc præceptum præſcribat Chriſtus: deinde quidnam iis præcipiat. 1. Eſt ibi: *Si quis vult me ſequi*, hoc eſt, ſi quis meus vult fieri diſcipulus: ſi quis meus in doctrina ac vita vult fieri aſſecla, meque ducem à Deo ſibi datum agnoſcere, atque amplecti. Ducem ſe nimirum in via ſalutis ſervator noſter præbens, iis qui ſub ſuis ſignis mereri vellent, præcepta quædam præſcribit, vide Luc. 14. ℣. 26, & ſeqq. Quorum primum eſt, ut Abnegent ſeipſos, hoc eſt vitam hanc corpuſque ſuum Chriſti cauſſa ſpernant, itaque ſe componant, ut etiamſi ob ſanctiſſimam ejus religionem vita hæc perdenda ſit, id haudquaquam abnuant, & de ea veluti aliena non ſint amplius ſolliciti. Quod enim abnegamus id non amplius pro noſtro agnoſcimus, idque extra curam noſtram ponere ſolemus, nec retinere laboramus. Quod ſi vulgariorem ſententiam horum verborum ſequi malis, ita ea erunt, accipienda ut illa Apoſtoli Tit. 2, ubi jubet abnegare, impietatem & mundanas concupiſcentias, hoc eſt ut eas penitus abjiciamus ac vitemus, & nihil cum illis amplius commune habere velimus. Quod enim abnegamus cum eo nihil nobis amplius volumus eſſe commune. Quia enim antequam clara lux Euangelii per ſervatorem Dominum Jeſum hominibus affulſiſſet, lex non erat tantarum virium, ut homines à peccatis retrahere poſſet, eaque de cauſſa, plærique hominum ſub ea viventium gravibus vitiis ac flagitiis cooperti, erant: ac præterea & longe perfectior & abſolutior Deo ſerviendi modus à Domino Jeſu debebat inſtitui, propterea jure ab omnibus requirere potuit, ut ſemetipſos abnegarent, qui antehac mundo ac ejus illecebris variiſque delinimentis dediti fuiſſent, qui cupiditatibus carnalibus ſerviiſſent, qui denique nil niſi terrenum & carnale hactenus ſaperent, & vitam hanc terrenam cum ejus oblectamentis felicitatis loco haberent, ut his omnibus ſpretis & abjectis ſeipſos quodammodo negarent & exuerent. Quare non immerito alibi quoque ſervator noſter, hunc vivendi ſub Euang. modum, vocat Regenerationem. Apoſtolus autem dicit: *In Chriſto Jeſu neque circumciſionem neque præputium valere quicquam, præter novam creaturam.* Unde liquet quanta in eo difficultas ſita ſit. Oportet quippe nos vel ipſam expugnare naturam, quæ ſemper ad vitia pronior aſſuetudine peccandi confirmata, non minus hominibus ad voluntatem Dei ſe componentibus negotium faceſſit, non leviorem moleſtiam exhibet, quam ſi corpore nos iſto exuere & novo circumponere vellemus. At non ſunt leviora reliqua Servatoris noſtri, quæ nobis hoc loco tradit, præcepta. Quorum ſecundum eſt in verbis *Tollat crucem ſuam.* Fortitudinis noſtræ Chriſtianæ perfectiorem quendam gradum nobis præſcribit. Quæ virtus quia non minus cœteras difficultate quam præſtantia ſuperat; ideo etiam hanc inſignite nobis Sacræ Literæ commendant. Ita Servator noſter ſtatim jam tum in exordiis prædicationis ſuæ inculcat; *Beati perſequutionem*, &c. Et alibi ſui cauſa omnia relinquentibus præmium proponens, cum centuplum amiſſorum bonorum eos hic in terris recuperaturos diximſſet, conditionem hanc Novi Fœderis *cum afflictione* addere non omiſit. Ita Paulus Apoſtolus: *Qui volunt pie vivere* &c. alibi verò; *Per multas nos afflictiones.* Hoc loco autem quem tractamus utitur Chriſtus, impropria loquutione, valde tamen rei accommodata: *Tollat crucem ſuam.* Hoc enim antiquis moris erat, ut ad hoc grave pœnæ genus damnati, crucem ſuam in locum ſupplicii humeris ſuis deportarent, hoc onus in ipſo mortis confinio cruci ſuffigendis imponebatur. Quare loquutio iſta ex priſco more deſumpta, ad denotandum, nos ad quaſvis afflictiones, atque adeò ad truculentiſſimæ & ignominioſiſſimæ mortis genus, promtiſſimos & paratiſſimos eſſe debere, plurimum valet, idemque omnino denotat, ac ſi Chriſtus diximſſet, non aliter vos ad varia mei cauſſa mala ſuſtinenda expeditos eſſe volo, quam ſi crux vobis eſſet aſſidue circumferenda, cum fides veſtra, juſtitia, gloria mea poſtulat, eique eſſetis affigendi. Vel potius: ita jam animum componat, quiſquis diſcipulus meus fieri vult, ac ſi jam ad ignominioſiſſimam & truculentiſſimam mortem, qualis eſt mors crucis, eſſet rapiendus, & ut ii facere coguntur, qui ad ſupplicium iſtiuſmodi ducuntur, crucem ſibi impoſitam animo jam ſaltem ferat, quaſi jamjam eam mortem laturus. Per gradus enim quoſdam aſcendit Chriſtus, & fortitudinis Chriſtianæ perfectiorem gradum ſuperiori addit. Poſſet enim quiſpiam ita vitam ſuam contemnere, ut

tamen non ad quodvis mortis genus paratus; eſſet: poſſet etiam mortem eam longe proſpicere, & animum ad vitam multo demum tempore poſt relinquendam præparare. Cui rei his verbis occurrens Chriſtus vult ut parati ſimus tum ad teterrimum mortis genus, ſubeundum, tum ſtatim ſubeundum, ſi ita res poſtulet. Ut ergo paulò fuſius de hac virtute loquar, ejus vis eſt, ut parati ſimus Chriſti cauſa non tantum varia mala, moleſtias & afflictiones innumeras, ſed ipſam etiam cruentam, eamque acerbiſſimam mortem ſuſtinere, & ubi neceſſitas exegerit; patienter etiam omnia iſta perferamus: cum enim tantum ac tam præſtans præmium Deus virtuti poſuiſſet, ut nullum jam illo præſtantius nec ſublimius, cogitari poſſet, par erat, ut nos quoque illi noſtram probitatem ac conſtantiam quam maxime probaremus. Ea autem nullibi magis quam in afflictionibus, potiſſimum in morte Dei cauſa ſubeunda elucescit. Dum autem vita ſupereſt, etiamſi eam inter varias afflictiones exigas, habes aliunde ſemper aliquid, quo te ſoleris & erigas, at nihil in terris reliquum eſt ſpei, quem torrens iſte afflictionum & malorum ducit ad mortem; ſoli Deo fidat, in eo ſpem ſuam collocet oportet. Unde quanta etiam ad Deum laus & gloria redundet, ecquis non videt? quam ille læto ac hilari vultu intuetur tam magnanimos ac fortes ſuos milites? Qui ad nutum ſui imperatoris, cum graviſſimo ac maximo hoſte congredi non dubitant, atrociſſimis malis obluctari non recuſant, imo lubenti animo vitam ipſam profundunt. Unde jam major adhuc quam antea in Deum pietatis ac religionis difficultas patet. Non enim tantum abnegare noſmet ipſos, id eſt naturam propemodum ipſam frangere jubemur, verum etiam hoſtili quodammodo ac inimico in noſmet ipſos eſſe animo, ut mori etiam, cum fides, cum juſtitia poſtulat, nequaquam dubitemus. At tertio diſcipulis ſuis Chriſtus *ſe ſequi* jubet. Quæ verba licet ita accipi queant, ac ſi dixiſſet Chriſtus: atque in ea re nempe in ferenda cruce, me ſequatur, qui idem nunc facio animo, aliquando reipſa facturus: tamen latius etiam extendi queunt, prout quidem vulgaris fert ſententia, in qua ſatis aptus officiorum, quæ præſcribi videantur, apparet ordo. Primo enim quid eos abjicere voluerit, docuit; ſecundo ad virtutem eximiam præſtandam animavit: nunc jam ad alia eorum officia eos extimulat. Idque in verbis *ſequatur me*. Quæ impropria eſſe nemo non videt. Sententia eorum receptior eſt, ut Chriſti diſcipuli ejus vitæ innocentiſſimæ ac ſanctiſſimæ ſe quam maxime accomodent. Quemadmodum enim proprie loquendo alterum ſequi volens, ejus veſtigia quam maxime premat neceſſe eſt: ita nos ducem ſalutis noſtræ ſequuturos, ejus vitæ actionum viam inſiſtere omnino neceſſe eſt. At verò ut vita ſervatoris noſtri inter cæteras mortalium ſanctitiſſimorum facillime emicuit: ita in ipſa ejus vita ſingulares quædam virtutes eminuerunt, quas etiam in eo inprimis nos ſequi decet. Digna eſt, quæ à nobis primo loco donetur, cum etiam ab ipſo Chriſto eundem obtinuerit, ſingularis ejus humilitas. Eam enim nominatim in ſe imitandam ſuis diſcipulis propoſuit. Ea tam ſublimis tam excellens fuit in Chriſto, ut nulla jam celſior reperiri poſſe videatur: Patri ſuo cœleſti (quod etiam inter ſingularia ejus humilitatis documenta collocat Apoſtolus) fuit obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Cum vitam ſatis longam inter convitia & calumnias, labores varios, & auguſtiam, Deo ſuo morem gerens, exegiſſet, eam tandem longe graviſſimis cruciatibus ac tormentis clauſit. Idem etiam nos noſtri eſſe officii ducamus: obedientia Deo Patri noſtro cœleſti præſtanda, nihil nobis ſit antiquius; coram eo nos quam maxime ſubmittamus: ejus voluntati noſtram plane addicamus: mortem denique ipſam eamque truculentiſſimam ac ignominioſiſſimam, ſi neceſſe ſit, ſuſtinere illius cauſa non recuſemus: ſalutis humanæ, præcipue fratrum cauſa, nihil non faciamus: quam modeſtiſſime de noſtra dignitate ſentiamus: & ubi res & tempus poſtulat, ad viliſſima etiam miniſteria eis præſtanda nos demittamus. Cujus rei ſervator noſter ſe nobis inſigne præbuit exemplum, dum ſervorum ſuorum hoc eſt, Apoſtolorum pedes lavit. Sed in eo etiam non minus, quam prior iſta virtus, relucet ſingularis eximia in Deum fiducia, cujus ne alia pene innumera documenta commemorem, duo tantum haud ſcio an præcipua, in præſentia promere conſtitui, ejus præſtantem in deſerto conſtantiam, & memoratu digniſſimam in morte fortitudinem ac patientiam: ubi duos potiſſimos ad hominum animos expugnandos arietes fortiter excepit, & à ſe depulit ſervator noſter. Primum enim à mille technarum artifice inſtructas in deſerto inſidias, blandicias, fallacias, ita fortiter & animoſe ſuſtinuit, itaque ſe ei oppoſuit, ut etiam eum à ſe abegerit, nedum ut minima in ſe Patri ſuo cœleſti diffidentiæ ſigna exhibuerit. Cum vidiſſet veterator ille ſibi artes has malo ceſſiſſe contulit ſe ad alia duriora remedia, & jam minas afflictionum graviſſimarum intentare, mortemque crucis ignominioſiſſimam primum animo ſubjicere, deinde propius admovere, & reipſa denique permiſſu altiſſimi inferre cœpit. Sed quantum profecit? In angore graviſſimam mortem præcedente, inſigne fiducia in Deum argumentum elcuit, dum ardentibus ad Deum precibus, conſolationem ſervator noſter, impetrat. In mediis cruciatibus etiam quid aliud quam vocem ſingularem ejus in Deum fiduciam ſpirantem extorſit? qua etiam præſens numinis divini auxilium ſibi magiſter noſter impetrait, & hanc veluti ultimam in terris ſuæ in Deum fidei teſſeram & argumentum reliquit.

Hanc quoque virtutem ejus ad nos tranſferamus. Ea ſe imprimis in omnibus periculis exerere debet, ut ad Deum ſolum confugiamus: quod ſi differat auxilium, non ſtatim animum deſpondeamus, ſed firmam ſpem in eo collocantes, patienter ejus opem expectemus. Magis adhuc ſe exhibere debet, in variis in quæ incidimus calamitatibus ac afflictionibus, ut non aliunde, quàm ab eo ſolo pendeamus, & liberationem ardenter cum ſumma patientia efflagitemus: omnium verò maxime, elucet, in morte cruenta, quam qtis Dei ac juſtitiæ cauſa ſuſcipit. Egeſtati noſtrę interdum ope & auxilio humano ſuccurritur: periculis etiam nos aliquibus eripere poſſunt amici, at qui fidei cauſa morte defungitur, nihil habet in hominum auxiliis, reliquum ſpei: Deo ſoli confidat, in ejus bonitate & miſericordia ſpem collocet oportet. Quare in eo noſtræ fidei anchoram defigamus, illum præſidium ac perfugium noſtrum unicum ducamus ac profiteamur. Ex hac ſervatoris noſtri eximia in Deum fiducia fluxit, etiam alia non poſtrema virtus, ejus indefeſſum in precibus ad Deum fundendis ſtudium ac cura. Unde etiam nobis certam rationem ac modum orationis præſcripſit, & præterea tum ſuo exemplo, tum admonitione ad preces quam creberrime ad Patrem noſtrum cæleſtem fundendas; author nobis fuit & incitator. Ille prout Euangeliſtæ de eo teſtantur, loca ſola & ſeceſſus amavit, quo tantò commodius precibus vacare poſſet: noctes etiam integras in iis exegit, hancquè ſuam in virtute hac omnium pulcherrima juxta ac difficillima, conſtantiam, ultima illa ſua fere in terris ante obitum ardentiſſima, pro mortatibus precatione pulcherrimè clauſit. Eam nos in duce & anteſignano noſtro imitari debemus, & quidem tanto magis, quanto difficilior eſt, quantoque majoris nobis commodi ac utilitatis eſt cauſa. Difficile eſt corpus hoc noſtrum, humile & ad terram abjectum ad cœleſtia erigere ac tollere: ſua mole premit animum, ut ſe exerere non ſine moleſtia queat. Sed cum tantopere id expediat, vis etiam quædam adhibenda eſt, ne nos tanto commodo, per noſtram ipſorum incuriam defraudemus. Faſtigium omni-

omnibus in eo imitandis virtutibus, ſumma ejus ac perfectiſſima fortitudo ac patientia impoſuit, qua omnia mala dura ac adverſa, ſibi ex Dei patris voluntate per homines ſceleratos immiſſa, æquiſiſſimo ac manſuetiſſimo animo ſuſtinuit. Ille prout omnes Euangeliſtæ ſancti in eo conſpirant, variis eorum injuriis divexatus, convitiis, calumniis, blaſphemiis nefandis appetitus, ad mortem denique omnium atrociſſimam ac contumelioſiſſimam per ſummum eorum ſcelus adactus, non modo nihil, quod aliquam redoleret impatientiam admiſit, aut in nefarios ſuos parricidas, aſperioribus verbis aut durioribus minis horribilia Dei judicia, ob id ipſum commeritos, invectus eſt: verum etiam (inauditum antehac factum & admirandum) Deum pro illis deprecatus eſt utque hoc ipſis Pater ſuus cœleſtis non imputaret, enixis ab eo precibus contendit, in graviſſimis & exquiſitiſſimis tormentis ad Deum ſolum reſpexit, et ſe ſuamque animam ultimo, quem duxit, ſpiritu commendavit. O perfectiſſimam forditudinem! ô inauditam & prope inimitabilem patientiam! Danda tamen eſt opera, ut quoad ejus fieri poteſt, eum hac etiam in parte imitemur. Ea eſt noſtra, quo ad carnem in terris conditio, ut pie alioqui viventes, multa mala & adverſa patiamur. Manſuetudine inprimis opus habemus. Eam enim facile dolores ac calamitates, nobis per ſummam injuriam ab aliis illatæ excutere poſſunt. Si tamen animum intenderimus, quemadmodum Deus filio ſuo, auxilium imploranti, in hoc malorum terrenorum maximo, non defuit: ita hic per ſuos cruciatus edoctus nobis in iiſdem calamitatibus conſtitutis promtiſſimè ſuccurrit. Et hæc de imitatione ſervatoris noſtri dicta ſufficiant: ille ipſe pro infinita ſua gratia & miſericordia efficiat, ut ejus virtues hic in terris repræſentantes, ejus etiam cujus nunc parciceps eſt, felicitatis aliquando conſortes eſſe poſſimus, ad nominis ſui gloriam, & Dei Patris ſui, cum quo ei ſit laus & gloria. Amen.

* * *

INverbis Euang. nuper prælectis, ſuccedunt rationes validæ, quas ſuperioribus præceptis ſervator noſter ſubjungit, quibus voluntatem noſtram tentat & urget, ut ad ea ſervanda animum noſtrum inducamus. Ac ſi vulgarem priorum verborum ſenſum ſpectes, ſolius de cruce ferenda præcepti rationes firmas affert, ſin peculiarem illam cordatiorum interpretum attendas, rationes iſtæ toti loco ſerviunt. Ita enim inquit Servator noſter: *Qui enim voluerit animam ſuam* &c. Hoc in ſeqq. magis adhuc amplificat ac dilucit. A ſummo nimirum vitam Chriſti cauſa ponere recuſantium incommodo, ex adverſo, à præcepto ejus parentium ingenti commodo ac felicitate, firmum ſatis ducit argumentum. Primum autem diverum hoc hominum genus deſcribit, tum utriuſque longè diverſiſſimum eventum proponit, ac priores prius, dum inquit, *Qui voluerit animam ſuam ſervare.* Hoc eſt, qui ad mortem cruentam, mei cauſa ſuſtinendam perductus, eam ſubire renuerit ac recuſarit, putans ſe hac ratione animæ ſuæ optime conſulturum, ſed vehementer fallitur, ita enim inquit Servator noſter *perdet eam*, hoc eſt loco mortis temporariæ, in quam omnes mortales neceſſario incurrunt; quamque qui Chriſti cauſſa vitam profundunt, animoſe occupant, in grave judicium Dei, mortis æternæ, omnibus voluntati ejus inobedientibus propoſitum, incident: qua ratione veriſſime animam ſuam perdent, quam ſe ſervaturos opinabantur. Unde jam ſingularis cautio peti poteſt. In rebus divinis ad ſalutem noſtram pertinentibus, non ſemper eſſe humano judicio ſtandum, quam proclive enim eſt mortalibus labi, & in errorem incidere? vitam hanc, quam diutiſſime tueri ac conſervare velle, videtur aliquid in ſe continere rationis, quanquam ne hoc quidem eſt noſtrum, in ejuſdem enim vita hæc noſtra momentanea manu ac poteſtate eſt, in cujus ſempiterna illa ac immortalis; ſed ut ita ſit, quid tamen intereſt, vitæ huic comparcere, eamque aliquouſque prorogare velle, cum id ſit quandoque æterno exitio ac interitu penſandum? Longe prudentius ſibi conſulunt, qui vitam ſuam Chriſti cauſa profundunt. De quibus ita ſervator noſter: *qui autem perdiderit*, hoc eſt, qui ita in vilipendium animam ſuam adduxit, ut eam prodigat, qua ratione ad tempus ea deſtituatur vel ex opinione malorum, eam perdat, idque faciat quatenus eſt meus diſcipulus, & ſanctiſſimæ Chriſtianæ religionis profeſſor, pro hac vita miſera & momentanea, beatam illam ac immortalem reportabit. Quanto melius ac conſultius eſt, divinæ voluntati ac conſiliis ejus, quam humanis adhærere? quanto felicior horum hominum, quam priorum illorum, ut ut prima fronte deterior videatur, ſors eſt? Quis non libenter velit vitam temporariam ac caducam, ſempiterna ac ſtabili commutare? quis divitias ac voluptates incertas ac multo luendas, certiſſimis ac perennibus atque cum ſempiterna gloria conjunctis? Talem commutationem inſtituunt, qui vitæ huic ſuæ caducæ non parcunt, hac tamen conditione; ſi id non ſuo aliquo merito ſuſtineant, ſed Chriſti ac juſtitiæ cauſa ipſis contingat. Quia in præcedentibus ſervator noſter, ſervare volentem animam ſuam, eam perditurum dixerat, ne forte quis hanc jacturam levi ſibi duceret, ideo nunc ſummam ejus magnitudinem ac gravitatem oſtendit; dum eam cum bono, maximi apud homines mundanos momenti comparat, idque jacturæ animæ longe poſthabendum docet, inquiens; *Quid enim prodeſt homini* &c. Felicem illum ac fortunatum homines prædicant, cui magna aliqua terrenorum bonorum portio obtigit, quantoque major, tanto beatiorem, tanto feliciorem, quod ſi aliquem eo uſque fortuna provexit, ut totius mundi habenas moliatur, inter rari exempli felicitatem id connumerari ſolet. Ac de Magno quidem Alexandro, fide digni autores perhibent, eum ad hoc uſque faſtigium velis fortunæ fuiſſe ſubvectum, ut totum ſibi mundum (orientalem quidam volunt) ſubjungarit. De Romanis quoque eos toti mundo imperaſſe, compertum habemus. Sed quid aut illi profuit ultra oceanum poſſidere, aut his terra marique dominari? Quamdiu ipſi ſteterunt, gloria eorum viguit, fortuna eorum omnium admirationi fuit, poſt mortem, nomen etiam & fama eorum interciderunt. Quare prudenter admodum, ſapientiſſimus ac opulentiſſimus Rex Salomon, hanc hominum conditione expendens, ac eundem omnium etiam neſcio quibus non ornamentis præditorum exitum cernens, vanitatis omnes, etiam maximas voluptates ac divitias damnavit. Etenim ſi vel ipſam ſanam rationem in conſilium adhibeas, nullam aliam de bonis iſtis ſententiam audies; caduca ſunt, fluxa aut volubilia. Fortuna dum maxime ſplendet, frangitur, in hoc eos, qui ſe ejus poteſtati permiſerunt attollit, ut caſu graviore ruant: ſummis enim negatum eſt ſtare diu. Quare prudenter ſane ſervator inquit, *Quid prodeſt homini ſi totum mundum* &c. idemque quodammodo repetit, aut potius urget & amplificat, dum inquit, *aut quam dabit homo commutationem* &c. quaſi diceret, ſi poſſet aliqua inter bona iſta terrena & animam humanam commutatio inſtitui, alicujus eſſent uſus, ſed cum hæc non detur, nullo plane in precio ratione hujus tantæ jacturæ ſunt habenda. Etiamſi neſcio quot auri tonnas poſſideas, etiamſi opulentia divitias Ægypti, aut Croeſi opulentiſſimi Regum, aut Alexandri ſuperes, non tamen ideò vivacior eris, non animam tuam ab interitu vindicabis. Quare tanto ma-

jor tanto ſolicitior cura animæ eſt habenda, qua nihil carius eſt & precioſius, quamque nullo terreno ab interitu æterno, redimas impendio. *Venturus enim eſt filius hominis in gloria*, &c. poſſunt enim verba hæc vel cum proxime præcedentibus connecti, ac ſi Chriſtus diceret, neminem impiorum divitiis ſuis æternum interitum effugiturum, quandoquidem futurum ſit tempus judicii ejuſmodi, ubi nulla talium habenda ſit ratio, ſed ſolarum vitæ actionum, pro quibus dignum quiſque relaturus ſit præmium: vel ad ea referri, in quibus Chriſtus tum de conſervatione animarum horum qui eas perdiderint, tum de abolitione, ſervare volentium dixerat. Poterat enim quis fidem dictis ejus derogare, judicii præſertim ultimi ignarus, & cum idem omnes homines mortis exitus maneat, quando diſcrimen hoc piorum & impiorum ſit futurum merito quærere. Reſpondet igitur in his verbis ſervator noſter, docetque judicium futurum, diſcrimen illud allaturum. Ubi tria nobis veniunt conſideranda: primo quis futurus ſit, judicii illius extremi adminiſtrator. 2. Quali cum apparatu & gloria. Tandem quomodo illud adminiſtraturus. Prius exprimitur ibi *venturus enim eſt filius hominis*, &c. Eum alibi Paulus vocat virum, dum de hoc eodem extremo judicio ita inquit Act. 17. 31. *Statuit diem* &c. Quod de Jeſu illo Nazareno, mediatore N. F. Domino ac Rege noſtro intelligendum eſſe, quia nemo eſt qui dubitet, ideo nunc ejus rei demonſtrationi ſuperſedeo. Illud præterire ſilentio nequaquam poſſum, vel ex ea etiam ejus deſcriptione poſſe nos quid de eſſentia ejus ſentiendum ſit colligere. Cur enim ſi verum eſt quod quidam ſtatuunt eum eſſe natura Deum, ubi de præclariſſimo, ſuo opere loquitur, ſe filium hominis nominat, cur aliunde quaſitis ornamentis, adventus ſui ſplendorem deſcribit? ſuffeciſſet dixiſſe ſe Deum verum eſſentia ac natura venturum: Eum enim omnis ſplendor, honor ac gloria neceſſario comitaretur. At tantum abeſt ut id dicat, ut potius ſe in gloria Patris ſui venturum aſſeverare non erubeſcat. Is igitur qui eſt natura verus homo venturus eſt, eum nos pro Rege, Domino ac Judice noſtro agnoſcere, ac firmiter credere debemus. Jam quanta cum gloria ac ſplendore venturus ſit videamus. *In gloria Patris ſui cum*, &c. Ubi & ſingularis Chriſti majeſtas, & ejus comitatus deſcribitur. Prius per gloriam patris Domini noſtri Jeſu Chriſti, Patris illius cœleſtis, qui lumen habitat inacceſſum, quemque oculus humanus non vidit unquam, nec quamdiu eſt mortalis, videre poteſt. Quare omnium illius gloriam ampliſſimam & auguſtiſſimam eſſe neceſſe eſt: verum quæ illa ſit, aut quanta eloqui & enarrare volenti, cœleſti & plus quam Angelica lingua opus eſt, terrena mortalium nihil hic præſtare valet. Quare jam ad comitatum ſervatoris noſtri progrediar. De hoc ita inquit: *cum Angelis ſuis*. Suos vocat, quia ſimulatque cœleſtis regni potitus eſt, regimini etiam ejus ac dominio ſtatim ſubjecti ſunt, quemadmodum multis in locis 55. teſtatur, quorumque opera cum nunc ad opem & auxilium ferendum ſalutem hæreditare debentium utatur, tum vel inprimis eam ad exitum perducturus eos miniſtros & adiutores eſt adhibiturus. Prout aliquid hac de re habes diſertius in Epiſtola 1 ad Theſſ. 4. verſ. 15. *Hoc enim vobis dicimus*. Et in Apoc. aliquid adhuc planius quivis legere poteſt. Propero ad normam judicii inſtituendi videndam, ſi quidem in ea plus ſitum eſt, ea continetur, in verbis, *Et tunc reddet unicuique*. Actionum noſtrarum in judicio ſuo ferendo ſingularem index noſter habiturus eſt rationem, quod multis in locis teſtantur Sacræ Literæ. Præclare Paulus Rom. 2. verſ. 6. *Deus reddet unicuique ſecundum*, &c. Sed neſcio an uſpiam præclarius magiſque graphice nobis tota hæc materia deſcribatur, quam eam ipſe ſervator noſter in Euang. apud Matth. cap. 25. depinxit verſ. 31. *Cum venerit filius hominis in gloria ſua* &c. Magnum igitur hoc noſtrum omnium ad virtutem ac pietatem colendam incentivum eſſe poteſt, ſimulque inſigne repagulum vitiorum, quod ſciamus judicem illum noſtrum ex ſingulorum actionibus ad ſententiam de ipſorum ſuprema felicitate vel extremo infortunio ferendam, normam ac regulam ſumturum. Simul videre poſſumus non exiguum eorum errorem, qui pietatem ac virtutem adeo vili loco habent, ut nullius in ſalutis noſtræ negotio, precii eam eſſe velint, eam ſervator noſter ſecundum Dei gratiam ac miſericordiam, cauſam eſſe ſalutis noſtræ dignatur. Nos apud quos magni ſemper fuit, & eſſe debet pietas, hunc aliorum errorem nihil morati, ut ea etiam, potiſſimum autem effectibus ex charitate manantibus, qui tum inprimis habituri ſunt locum, ut vidimus, præditi ſimus, diligenter curemus. In quo ſtudio noſtro nos Deus noſter juvet ad gloriam ſuam, noſtram autem æternam ſalutem. Amen.

Concio in Rom. 4. verſ. 25 ultimo.

Chriſtus traditus eſt propter. Præclare admodum ſervator noſter apud Johan. euang. cap. 6. verſ. 48. ſeipſum panem vitæ vocat: id quod non de ipſius perſona revera intelligendum eſſe, ſed de iis, quæ vel docuit Chriſtus, vel ſalutis noſtra cauſa fecit, paſſus, aut conſequutus eſt, nemo ignorat eorum, qui pleniorem paulò divinæ veritatis notitiam ſunt adepti. Ea enim ſi quis aſſiduo in animo voluit ac verſat, diligenti conſideratione digerit & in ſuccum quodammodo ac ſanguinem convertit, mirum eſt quenadmodum ipſum alant, reficiant ac recreent in vita ſpirituali, mirum quanto ſint ad beatam illam & immortalem conſequendam adjumento. At verò cum ſanctiſſimæ ac perfectiſſimæ Chriſti doctrinæ conſideratio, una cum iis quæ ad ejus confirmationem ad mortem uſque ſervatoris noſtri facta ſunt, plurimum hac in parte valeat: haud ſcio tamen an inter alimentum, hoc ac paſtum animę noſtræ principem locum dilgens mortis Chriſti, & conſequutæ poſt eam gloriæ meditatio obtineat: Unde etiam eodem loco Domnus Jeſus, carnem & ſanguinem ſuum verum cibum & potum appellat, innuere proculdubio volens, motem ſuam una cum iis, quæ eam ſunt conſequuta, ejuſque accuratam conſiderationem, ac ut ita dicam, digeſtionem nos in vita ſpirituali perfectiſſima ratione alere ac reficere. Quare haud dubie nobis labori impenſi ratio conſtabit, ſi in conſideratione mortis Chriſti ac glorioſæ reſurrectionis aliquid temporis & operę inſumſerimus; ſumta ex verbis Pauli prælectis occaſione: in quibus nobis ſingulares duarum iſtarum maxime illuſtrium Dei cum Chriſto, in ſalutis noſtræ negocio actionum, mortis nimirum & reſurrectionis cauſam atque inprimis fructum ac utilitatem exprimit. Ac prioris prius, dum inquit *Chriſtus traditus eſt* &c. per hanc enim traditionem eum nihil aliud, quam in mortem traditionem intelligere, tum alia apud eundem Apoſtolum loca, in quibus eodem loquendi modo utitur, quæ quidem omnibus ſunt obvia, tum oppoſita huic traditioni reſurrectio, cujus fructum poſterius horum verborum membrum explicat, docet. Quod igitur Chriſtus mortem diriſſimam & ignominioſiſſimam ſubierit, dicit Apoſtolus *id factum eſſe propter peccata noſtra*, quæ verba non ſunt ita accipienda, quemadmodum ea à noſtris alicœtibus diſſidentes capere ſolent, ac ſi ſignificarent Chriſtum ideo mortuum eſſe, ut pro peccatis noſtris irato Deo ſatisfaceret, & ad extremum uſque teruncium, debita noſtra perſolveret: ſed quemadmodum ipſa vox *propter* indicat, Chriſtum cauſa vel occaſione peccatorum noſtrorum mortuum eſſe, nimirum. Vox autem *peccati* prout cuivis facile eſt obſervatu, duplicem in Sac Lit. patitur ſenſum: vel enim ſignificat actus habituſve ipſos peccatorum, hoc eſt, voluntates divinæ tranſgreſſiones, vel effectum peccatorum, pœnam nimirum ea ſubſequentem. Hoc loco etiamſi utramque ſignificationem non incommode ſuſtinere poſſit, in priori tamen potiſſimum ſignificatione videtur ſumenda. Nam ſi peccatorum nomen ſume-

ſumeretur pro eorum pœnis, ſenſus vix poſſet eſſe alius, quam Chriſtum mortuum eſſe, ut nos à peccatorum pœnis liberaret, quod nihil foret aliud quam id, quod reſurrectioni adſcribitur, hoc eſt Chriſtum mortuum eſſe propter juſtificationem noſtram. Etenim juſtificatio illa nihil eſt aliud, quam à pœnis peccatorum liberatio. At veriſimilius eſt Paulum aliud velle dicere in prioribus verbis, aliud in poſterioribus. Quare conſentaneum eſt, vocem peccatorum proprie ſumi, ac pro ipſis divinæ voluntatis tranſgreſſionibus poni. Verum nihilominus duplex poterit eſſe horum verborum ſenſus: quia duplici modo particula *propter* accipi poteſt, vel de cauſa impulſiva traditionis Chriſti in mortem, vel de cauſa finali. Si priorem ſenſum ſequi velis, ita erunt verba Apoſtoli capienda ac ſi dixiſſet: Chriſtum ideo in mortem traditum, quia id peccata noſtra, poſito divino de ſalute nobis offerenda dandaque decreto, quodammodo requiſierint, ſi quidem nec ſpem ſalutis firmam alioqui concipere, nec eandem conſequi potuiſſemus. Si poſteriorem ſententiam amplecti malis ea erit: Chriſtum ideo in mortem eſſe traditum, ut à peccatorum jugo liberaremur, eaque in nobis extinguerentur, eaque ratione nos ad ſanctitatem veram, ſine qua nemo Dominum videbit, traduceremur. Nam ut de utroque nonnihil adhuc dicamus; Quia ante Novum Fœdus in quo ſe benigniſſimum toti mundo Pater noſter cœleſtis exhibuit, gravibus ſe mortale genus ſceleribus obſtrinxerat, qua ratione iram divinam & ſupplicia ejus jure merito horrere cogebatur, ſi benigno huic Fœder fidem adjicere debebamus, in quo ſe Deus omnium peccatorum noſtrorum clementiſſime obliturum pollicetur, ſimulque ſub conditione emendationis vitæ poſtmodum vitam æternam promittit, neceſſe fuit Deum tale aliquid facere, quod inſperatiſſimam hanc divini gratiam nobis peccatoribus confirmaret, & quia per imbecillitatem noſtram metus erat ne conditionibus Fœd. non ſatiſfaceremus, ſed iterum in peccata relapſis nobis, gratia hæc divina in irritum caderet, vis etiam quædam & robur nobis erat indendum, quo à peccatis impoſterum abſtineremus. Utrumque hoc Pater noſter clementiſſimus, nobis in morte ſui filii præſtitit. Primum enim Chriſtus Dominus, morte ſua præſertim tam atroci ac ignominioſiſſima, qualem ſuſtinuiſſe credimus, Novum Fœd. hoc quod cum mortalibus Dei nomine pepigit, mirum in modum confirmavit. Quis enim veriſſima eſſe omnia dubitabit, quæ is, qui ſapientia cœleſti inter mortales emicuit, vitæ innocentia omnes quotquot etiam futuri ſunt ſuperavit, in cujus ore dolus non eſt inventus, non tantum, quoad vixit conſtante aſſeveratione, & multorum malorum à perverſis hominibus hoc nomine ſibi illatorum perpeſſione confirmavit, verum etiam cum ex Dei voluntate eo uſque malitia eorum progrederetur, ut truculentiſſima ac ignominioſiſſima crucis morte ejus conſtantiam expugnare tentaret, eam etiam, quo nobis omnes de ſuæ doctrinæ veritate dubitandi anſas præcideret, habenti animo ſuſtineret. Quare cum ita morte Chriſti, univerſa ipſius doctrina, adeoque etiam ſingularis illa de remiſſione peccatorum noſtrorum, Dei gratia in doctrina illa comprehenſa, nobis ſit confirmata, & ſpes vitæ illius immortalis, quæ revera cum priori beneficio idem eſt, (Tum enim perfectam peccatorum remiſſionem, cum & vitam æternam conſequemur) ingenerata ſit, ſimul etiam magna nobis eſt data cauſa, cur nos à peccatis ad ſerviendum Deo noſtro abducamus. Quis enim jam ſpe tanti præmii, concepta, quod ſine vitæ ſanctimonia nequaquam ſe adepturum novit, audebit in peccatis diutius perſeverare? Præclare Joh. Apoſtolus, *qui habet ſpem hanc in Deo* (quod nimirum eum ſit aliquando viſurus & futurus ei ſimilis,) *purificat ſeipſum quemadmodum ille purus eſt.* Quis enim niſi plane ſit rationis expers, tantum bonum ſpernere audeat? non ſpernere autem eſt per vitæ pietatem ac ſanctimoniam digne ſe tam ſublimi vocatione gerere.

Deinde morte Chriſti ſingularis nobis tum Dei Patris noſtri, tum etiam ipſius ſervatoris in mortales charitas eſt conteſtata ac comprobata. Dei quidem, quod dilectiſſimum filium ſuum, quo nihil unquam carius habuit, nec eſt habiturus, noſtri cauſſa qui gravium peccatorum ac divinorum judiciorum mancipia eramus, quo nos ab æterno interitu vindicaret, immortalitati autem aſſereret, diris cruciatibus, ac morti ignominioſiſſimæ objicere non recuſarit: Chriſti vero quòd huic voluntati divinæ obſequutus, animam ſuam noſtri boni & emolumenti cauſſa poſuerit. Unde Paulus inquit: *Deus ſuam nobis charitatem commendat, quod cum eſſemus adhuc peccatores, Chriſtus pro nobis eſt mortuus.* Quare licet cum eodem Apoſtolo in alio loco argumentari, *qui proprio ſuo filio non pepercit, ſed eum pro nobis tradidit, quomodo nobis cum eo non donabit omnia?* Si præpotens ille Deus, tantopere peccatores inimicos ſuos dilexit, ut eorum ſalutem unigeniti ſui impendio redimere non dubitarit: quomodo eis ad ſe converſis ſibique penitus jam addictis, gratiam hanc in Novo Fœd. oblatam, ſubtrahet, quam nullo ſuo cum detrimento, imo cum magna ſui nominis gloria ad exitum eſt perducturus? quomodo Jeſus Chriſtus, qui per mortem factus eſt Pontifex ad expiandum peccata populi, nunc exaltatus, & fine malorum ſuorum noſtra cauſſa ſuſceptorum potitus, priſtinæ ſuæ in nos charitatis immemor, huic ſuo muneri deerit, aut noſtri obliviſceretur? Quæ cum ita ſint, magnum ſane eſt in morte Chriſti, remiſſionis peccatorum noſtrorum certitudinis argumentum: ſed non minor etiam eadem mors Chriſti eſt aries ad expugnanda corda noſtra ut à peccato liberi, Deo noſtro qui nos tantopere dilexit, ſerviamus, & ſic peccatorum jugum excutiamus. Quid enim aliud ita præventi gratia divina, quid ita undique ut ſic dicam circumſepti ac circumdati beneficiis ejus divinis facere debemus, quàm ut exclamemus: *charitas Chriſti comprimit nos ut ita dijudicemus, quod ſi unus pro omnibus mortuus eſt, utique omnes mortui ſumus. Mortuus autem eſt, ut nos non amplius nobis vivamus, ſed ei qui pro nobis eſt mortuus.* φίλτρον, ut ajunt, amoris eſt amor, quare niſi impiè ingrati in Deum noſtrum eſſe malimus, redamabimus amantem: redamare autem alia ratione, quam voluntati ejus parendo non poſſumus. Hæc eſt charitas Dei, inquit Joh. 1. cap. 5. 3. ut mandata ejus cuſtodiamus. Chriſtus eodem pacto etiam inquit: *Qui mandata mea habet & ea cuſtodit is eſt qui me diligit.* Quis autem non libenter tantos Monarchas, ſummos ſuos benefactores aliqua ratione demereatur? quis non amore proſequatur? cum autem proſequi non poſſimus, quin mandatis eorum pareamus, par eſt, ut in id totis viribus incumbamus. Præterea mors Chriſti Domini hac ratione etiam ſingulare eſt contra vitia amuletum, quod cum ſciamus Chriſtum, ut nos à peccatis abſtraheret, morti tam atroci à Deo objectum fuiſſe, vel ex eo conſtet, quam res tetra ſit & abominanda coram Deo vitium omne ac turpitudo, quam ut è nobis extirparet, tantum ejus rei cauſa facere impendium non dubitarit. Quare quis tam contumax in ſuum creatorem erit, qui in eo quod tantopere odit, ac averſatur perſeverare audeat? imo quomodo omnes non accendemur, ut virtuti potius incumbamus, quæ eſt gratiſſima in oculis ejus & præmium nobis eſt allatura ſempiternum. Denique mors Chriſti hac ratione nobis eſt ad vitam piam & ſanctam ſingulari adjumento, quod circa eam & in ea celſiſſimæ quædam juxta ac difficillimæ virtutes, quibus nos, ad cœlum contendentes, inſignitos eſſe oporteat, reluceant, inprimis autem eximia ejus tolerantia ac patientia, qua dolores crucis acerriſſimos, & mortem omnium ignominioſiſſimam conſtanter ſuſtinuit ac pertulit, iter hoc grave & moleſtum, variis difficultatibus ac periculis circumſeptum feliciſſimè emenſus eſt. Quare cum longe facilius ſit ſequi, quam præire, nobis hac rationi viam commonſtravit, & vere ducem ſe ſalutis

æternæ præbuit, ut eundem tramitem ingressi virtutum difficillimarum, ipsiusque adeo si res exigat, mortis violentæ, tandem gratia & misericordia Patris nostri cœlestis adjuti, in optatissimo illo cœlestis felicitatis portu, conquiescere possimus. Quid ergo restat amplius, quam ut eum strenue sequamur ducem, & deposito peccatorum onere, citato gradu stadium nobis propositum decurramus? Si Deus id morte charissimi filii sui, quo impendio nihil majus, quæsivit, ut à peccatorum jugo liberaremur, cur ejus consilium non sequimur? cur Deo nos tanto auctoramento invitati, vel potius nobis ipsis desumus? Agite igitur [exhortatio addenda & fortasse amplificanda, remotis iis quæ vitia nobis solent commendare.]

Superest ut aliquid de postremis Apostoli verbis dicamus; quæ sunt: *resurrexit propter justificationem nostram.* Ubi primum resurrectionis nomen omnia illa complectitur, quæ eam sunt consequuta, seu universam Christi gloriam, quæ ipsi ex mortuus in vitam revocato contigit. Deinde vox justificationis ex more Sac. Literarum accepta, nihil revera diversum à remissione peccatorum nostrorum significat. Est enim justificatio nostra tam benigna Dei nobiscum transactio, ut nos qui injusti sumus, ac nocentes, tanquam justos ac innocentes tractet, peccata nostra clementer condonando, ac vitam æternam conferendo. Quare cum Apostolus dicit *Christum resurrexisse propter justificationem nostram*, sensus est; Hunc finem esse resurrectionis Christi, ut nos beneficiorum divinorum Fœd. Novo inclusorum, inprimis autem omnium maximi, vitæ nostræ sempiternæ, participes per ipsum fieremus. Propterea autem Apostolus hunc effectum peculiariter hoc loco resurrectioni Christi attribuit, quod per resurrectionem revera Christus, imperium ac potestatem in omnia consequutus est, adeoque tunc demum reipsa nos salvandi adeptus est potestatem: mors ipsius conditio tantum quædam fuit ipsi à Deo imposita, qua præstita potestatem hanc acquisivit ac per resurrectionem actu ipso obtinuit. In quo ipso etiam summam Dei in nos charitatem, ac benignitatem agnoscere debemus, quod non semet ipsum hujus tantæ suæ, quam nobis obtulit, gratiæ esse largitorem, sed Christum suum esse voluerit, in eo enim imbecillitati humanæ singulariter consuluit: erga eos enim quibus major nobiscum intercedit cognatio nescio quo majori semper fiducia ducimur, quam erga eos cum quibus ingens aliqua nobis dissimilitudo intercedit.

Si à Deo ipso esset nobis felicitas nostra obtinenda, etiamsi non possemus ipsi non credere, fortasse tamen comparatione summæ ipsius majestatis cum vilitate nostra, an illi tantopere res humanæ curæ sint futuræ, addubitaremus: sed postquam is unum e medio nostri naturæ nostræ participem, per varios dolores, cruciatus afflictiones, mortemque adeo truculentissimam, ad tantum fastigium evexit, ut eum Regem nobis & servatorem præfecerit, fidem in nobis erexit, ac ut cum Paulo loquar, nos cum eo excitavit: quomodo enim de auxilio ejus in calamitatibus nostris dubitabimus, quomodo defuturum saluti nostræ vel suspicabimur, qui ipse non ignarus mali, per has suas calamitates, miseris succurrere didicit? quem finem etiam afflictionum ejus fuisse, non obscure Sac. Lit. inprimis author Epistolæ ad Hebr. divini docet, dum inquit: Christus debuit fratribus per omnia assimilari. Quare ex his omnibus, quæ jam dicta sunt, clare perspicere possemus, Deum nihil plane eorum amisisse, quæ ex parte ipsius ad confirmandam divitem hanc ejus in nos collatam gratiam N. Fœderi insertam pertinent, nihil non quod incredulitatem ac infirmitatem nostram mirum in modum fulciret ac stabiliret fecisse. Unde etiam gratos nos ac memores hujus tanti beneficii præstare est necesse, nulla autem alia ratione possumus, quam si obsequentes nos ac morigeros divinæ ejus voluntati præbeamus: ad quod sedulo faciendum, cùm aliis rationibus nos excitare debemus, tum vel imprimis diligenti mortis Christi meditatione, ac ut ita dicam, ruminatione omnium ex ea manantium fructuum & insignium utilitatum. In resurrectione autem Christi Domini tanquam in vivo quodam exemplari ac speculo, nostram futuram felicitatem intueri, magnamque ex potestate ipsi data in cœlis ac in terra fiduciam capere, fore, sperantes, ut ille nos æternum salvet, si nos quoque firmam ac stabilem vocationem nostram ad extremum usque perduxerimus. Qua ex parte cum dubia sit admodum salus nostra (si enim nos nostro officio non defuerimus, nequaquam de Deo & Christo Domino dubitandum est) in eam curam sedulo incumbamus, ut eam ex parte nostra, quam optime ac firmissime communiamus. Hic murus aheneus esto, nil conscire sibi nulla pallescere culpa. Deus autem ille summus, qui filium suum pro nobis tradidit &c. Spem immortalitatis in animis nostris spiritu suo obsignet &c. Cui cum filio & per filium gloria in secula. Amen.

Concio in Epist. ad Coloss. cap. 3. ab initio.

VErba Pauli Apostoli in Epistola ad Coloss. cap. 3. ab initio sumemus consideranda. *Si igitur consurrexeristis Christo* &c. Qui scopus est totius ferme Sacri Codicis, ut nos ad vitæ pietatem ac sanctimoniam passim hortetur ac incendat, idem etiam est horum Pauli verborum, quemadmodum etiam eandem formam exhortandi hoc in loco retinet, quam in plærisque aliis servare videtur, ut nimirum suam admotionem validis rationibus fulciat ac corroboret. Quemadmodum enim in tota vita nostra Christiana nihil est tam necessarium, quam pietas ac sanctimonia, ita nihil tam difficile, & quod nobiscum non nascatur, sed summo studio acquiratur, ac indefessa cura retineatur. Quare jure merito nos Sac. Lit. quam crebertime ad eam extimulant, optimoque consilio hujus modi exhortationes validis communiunt ac firmant, rationibus. Hoc in loco à fronte & à tergo suæ admonitioni Apostolus robur addit: quare nos quoquè ductum verborum ejus sequuti, primam rationem videamus. Ea continetur in verbis; *Si consurrexistis* per quam cum Christo resurrectionem quid Apostolus intelligat, ex aliis Sacrarum Literarum clarioribus locis in quibus de eodem agitur, inprimis autem ex iis, quæ idem Paulus Rom. cap. 6. ab initio hac eadem de re disserit, facile est percipere, cum inquit: *Quid ergo dicemus* &c. *ut quomodo excitatus est Christus* &c. Ubi quemadmodum per mortem in qua etiam nos Christo conformatos asserit, intelligit abstinentiam à peccato, ut similes mortuis omni sensu carentibus, ad omnem iniquitatem ac malitiam veluti obtorpeamus, sicque animum nostrum obfirmemus ne ullis ullius illecebris ac delinimentis capiatur aut ducatur: ita etiam resurgere nihil est aliud, quam ut verbis ipsius Apostoli plenissimis utar, in novitate vitæ ambulare, seu ad vitam piam ac sanctum resurgere, ut quemadmodum idem Apostolus alibi inquit, amplius non nobis ipsis vivamus, sed ei qui pro nobis mortuus est & resurrexit 2 Cor. 5. 15. Potest etiam resuscitatio ista intelligi de resurrectione ad eandem cum Christo vitam, nempe cœlestem illam ac immortalem, non quidem quæ reipsa jam in nobis fuerit perfecta, sed quæ in spe ejus rei firma, & veluti jure, quod ad eam adipiscendam habeamus, consistat: de qua Paulus satis disertè alibi loquitur, dum inquit: nos jam esse per Christi resurrectionem in cœlum illatos. Verum ex præcedenti cap. hujus Epistolæ, ex quo verba nostra excerpta videntur, vel ejus quædam esse quasi conclusio, apparere videtur priori potius modo resuscitandi verbum esse hoc loco accipiendum. Ita enim ait ℣. 13. *Vos mortuos existentes*, quod non esse proprie accipiendum ac si jam reipsa id ac effectu ipso fuerimus consequuti; nemo est opinor qui ambigat: sed de efficacia

cacia ac virtute, quam nobis Christi resurrectio largitur ad hoc ut & nunc pii vivamus, & aliquando beatam immortalitatem consequamur: vel etiam de professione tantum, qua professi sumus, nos velle imposterum totos Christo consecrare, ac cœlestem vitæ rationem sequi, quemadmodum Christus à mortuis resuscitatus, cœlestem nunc vivit vitam ac vere divinam, quæ in immortalitate consistit. Qua de re hic idem Apostolus Rom. 6. Christus inquit resurgens ex mortuus non amplius moritur, mors illi non ultra dominatur, quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel, quod autem vivit, vivit Deo: Ita etiam vos &c. addito vers. 11. Dicimur ergo non resurrexisse simpliciter, sed *cum Christo* partim quia similis est nostra resurrectio spiritualis, resurrectioni Christi, partim quia virtute resurrectionis Christi, nos ad vitam piam sumus excitati; ita ut tum cum Christus resuscitaretur, nostra quoque resurrectio quodammodo fuerit perfecta. Etenim per Christi resurrectionem, indidit nobis Deus virtutem & efficaciam, qua nos à peccatis retrahere possimus, promissis divinis nobis abunde confirmatis, eorumque spe animis nostris inserta, effecit etiam in nobis ut piam vitam ac sanctam profiteremur, & sic à mortuis operibus tenebrarum nos resurrecturos testaremur, quo beatam illam immortalitatem reipsa aliquando consequi possimus. Utrumque hoc, quod diximus, nempe quod resurrectionis Christi tanta sit vis ad nos à morte spirituali ad pietatem vitæ excitandos, eaque à nobis agnoscatur, & quod nos professi fuerimus, nos ad vitam piam resurrecturos & vitam Christi eam quam per resuscitationem adeptus est, æmulaturos, magni est ad exhortationis Apostoli confirmationem, de qua postea acturi sumus, monenti. Si enim tanta vis est resurrectionis Christi, ad pietatem in nobis efficiendam, decet etiam nos ex parte nostra officio nobis imposito satisfacere, & adjumento illo pietatis, quod à Deo nobis suppeditatum est uti: præsertim si nos id facturos jam fuerimus professi, nisi aut fatui, qui divinam gratiam superbè contemnamus, aut levissimi ac temerarissimi, qui à tam præclaro proposito consultò discedamus, audire malimus. Quod quia non cadit in homines sana ratione præditos, satis firmiter Apostolus suam exhortationem infert. Ad quam priusquam accedamus; ex hoc Apostoli exemplo videre possumus, maxime Ministrorum ac in verbo divino præeuntium munus esse, ut tum sibi ipsis tum aliis vitam piam ac sanctam, quaqua via ac ratione id tentantes, inprimis reddant commendatissimam, in qua cum summa salutis nostræ vertatur, ita tamen ad eam tardi sumus, ut nunquam satis doceri possit; nunquam autem satis dicitur, quod nunquam satis discitur, inquit Seneca Philosophus. Hic addenda esset etiam exhortatio ad considerandam quam devotissime ac creberrimè Christi resuscitationem, siquidem tanta illius, sit vis ad pietatem in nobis generandam &c. Item, ut subinde memores simus promissorum, nostrorum quibus nos, Christo obstrinximus, & status ac conditionis nostræ, in quam translati sumus, quid ea postulet, quam vitæ rationem exigat. Exhortatio ipsa Apostoli continetur in verbis illis, *quæ sursum quærite.* Ubi 1. quid faciendum sit monet: deinde à contrario rem illustrans, quid omittendum sit docet, & utramque admonitionis partem rationibus munit. Priorem bis proponit, id est dum ait *ea quæ sursum quærite* deinde cum ait: *ea quæ sursum sapite.* Ubi primum quid per ea, quæ sursum intelligat videamus: tum quid sit illa quærere aut sapere. Per ea *quæ sursum sunt*, tum beata illa ac immortalis, ad quam vocati sumus, vita in primis intelligi debet, tum etiam vita pia ac sancta, sine qua nequaquam priorem illam assequi licet, intelligi potest. Nam cœlestem illam nostram felicitatem commodè ita ab Apostolo describi potuisse, nemo est qui ambigat. Vitam etiam nostram piam jure optimo ita ab Apostolo describi potuisse, apparet, inde quod tam præclara sit ac sublimis, ut jure divina ac cœlestis censeri possit. Quemadmodum contra, peccata, huic vivendi rationi ad quam nos hoc loco vocat Apostolus, adversa, vocat *membra nostra quæ sunt super terram.* vers. 5. Sed jam videamus quid sit *quæ sursum quærere aut sapere.* Bis enim idem diversis verbis exprimit. Magnam hujus rei necessitatem, hac sua iterata adhortatione ostendit Apostolus: inprimis autem vocabulo *quærendi* indefessam ejus curam ac studium significavit. Cum enim quippiam quærimus, si præsertim magni sit momenti, ab hac cura non prius abscedimus, quàm inveniamus, aut nulla spes amplius restet inveniendi. Sed est tanti curam istam ac solicitudinem subire tantorum bonorum causa, quæ & perfectissima sunt, quibusque nulla majora ac sublimiora vel cogitari possunt. Vita cœlesti ac divina, beata illa ac immortali gloria, quid celsius, quid sublimius esse potest? vita pia ac sancta quid præclarius? Quare cùm omnibus per Christi resurrectionem ad beatas illas sedes aditus est patefactus; qui omnem pietatem ac sanctimoniam professi sumus, hanc inposterum quoque quæramus necesse est, si reipsa tantum bonum consequi velimus. Verbum autem *sapite* ut alibi ita etiam hoc loco significat *desiderate, spirate*, superna illa unice cogitate. Hanc suam exhortationem magis adhuc confirmat Apostolus, dum in prioribus verbis, ea, quæ sursum esse dixerat, magis adhuc declarat, in posterioribus autem exhortationem suam à contrario illustrat, ubi dicit: *Ubi Christus est in dextera Dei.* Insignis sane loci illius commendatio, simulque magni momenti ratio, cur ea quæ ibi sunt, sectari summo studio debeamus: singularem quippe nostræ illius felicitatis, ad quam aspiramus, certitudinem exhibet, quod ibi habeamus nostrum Messiam, servatorem ac Regem nostrum, qui nobis lætum hoc de remissione peccatorum nostrorum nuncium, & nostra in cœlis hereditate, annunciavit, qui variis rationibus confirmavit, qui tanto amore mortale genus est prosecutus, ut hujus rei tanto magis confirmandæ gratia, mortem etiam dirissimam subire non recusarit, is ad cœlos ipsos evectus est. Dixit autem ipse, ubi futurus sit ipsemet, ibi servos quoque suos fore. Sed præterea, non solum in cœlis degit nunc Christus, verum etiam sedet in dextera Dei, hoc est sublimem in omnia tenet potestatem, ac imperium: verba enim ista *sedet in dexteris* &c. de regimine ipsius intelligenda esse, docet Apostolus, quod ita explicat 1 Cor. 15. pro eo enim quod Psal. habet *sede* &c. reponit, oportet enim eum *regnare* &c. Is igitur qui caput nostrum est, nos illius corpus, qui sponsus est, nos illius sponsa, qui ut author Epistolæ ad Hebr. inquit, nobis fuit per omnia assimilatus, is inquam in divino solio collocatus omnia nutu suo temperat. Quæ cum ita sint, magnum inde nobis oritur solatium, ac singulare incitamentum, ut exhortationi Paulinæ obsecundemus, & ea quæramus, quæ & tam excelsa sunt ac eximia ut in cœlis sint, ubi Rex noster est, & tam certa, ut in manibus misericordis nostri Pontificis sint reposita. Sed jam videamus quomodo adhortationem istam à contrario illustret, & quid ommittendum sit hominibus Christianis, doceat, postquam quid iis sit faciendum monuit. *Quæ sursum* inquit *sapite, non quæ super terram:* quasi dicat antequam esletis per resurrectionem Christi ad vitam cœlestem veluti excitati, licuit quodammodo terra occupari, at nunc longe alia est ratio, postquam felicitas nobis cœlestis promissa, & resuscitatione Christi atque in cœlis thronoque Dei collocatione confirmata: quare decet ut tam sublimi vocatione vos digne geratis, ac cœlum spiretis ac sectemini. Sequitur hujus rei ratio: *mortui estis enim:* per quam mortem quid intelligat, supra jam innuimus: nihil enim aliud, quam ut omni peccato ac injustitiæ seu pristinæ rationi vivendi moriamur, mundo & cupiditatibus ejus renunciemus, ut de nobis id vere dicere possimus

quod

quod Paulus Apostolus de se dixit *mundum sibi & se mundo esse crucifixum*: quibus verbis nihil aliud denotare voluit Apostolus, quam nihil se amplius cum mundo commune habere, nec mundo quicquam secum commercii esse, idem etiam nos esse professos docet Apostolus, dum inquit *mortui estis*, hoc est ad omnes peccatorum illecebras vos mortuis similes fore, quasi eas non sentiatis, nec illis tangamini, recepistis, seu Christi doctrina quam recepistis una cum iis, quæ eam confirmant, tantarum est virium, ut vos à vita terrena bona spectante, revocare & abstrahere possit. Ne quis tamen ex eo colligeret, eos hac ratione omni prorsus vita destitutos esse debere, subjicit Apostolus, *Et vita vestra abscondita* &c. ubi quid per vitam ejusque in Deo occultationem intelligat videamus. Per *vitam* de qua Apostolus, tum futura nostra felicitas, quæ hoc nomine frequenter in Sacris Literis, venit, tum vita pia ac sancta intelligi potest: de utraque enim jure dici potest, *eam esse cum Christo in Deo absconditam*: hoc est quemadmodum Christus quamdiu in cœlis residet, ab oculis nostris remotus in Deo occulitur; ita etiam utraque hæc vita nostra est in Deo abscondita: ac prior quidem quod in eo tanquam in suo authore resideat, ex ejusque consilio tam diu in manibus Christi sit futura, donec ejus revelandæ nobisque ex ingenti ejus gratia conferendæ præstitutum tempus veniat. Vita autem nostra, quam ducere debemus, spiritualis, in Deo abscondita jure optimo, vel ideo dici potest, quod caligantes mortalium oculos fugit & in paucorum admodum sensum incurrit, qui ei aliquod pretium ponant: Quia igitur quæ in cœlis sunt apud Deum à nostris oculis quam longissimè removentur: ideo vita nostra in Deo esse jure merito dici potest, cum adeò ab humanis oculis sit remota ut paucissimi splendore ejus capiantur. Propterea inquit Johannes Apostolus, *mundus non novit nos, quia Deum non novit.* Petrus autem prima Epistola cap. 4. Ethnicorum vitâ, eis ad quos scribit graphice depicta, cum eos ad sanctiorem, vitam exhortatus fuisset, subjungit *in quo admirantur non concurrentibus*, &c. Ita nimirum pauci esse solent veræ pietatis ac sanctimoniæ cultores, ut eorum respectu vix ac ne vix quidem in terris esse dici mereantur. Nos cum sciamus vitam nostram absconditam esse in Deo, par est, ut in eo etiam cor nostrum defigamus, eam quoad fieri potest hîc in terris repræsentemus, & oculis hominum aliorum visendam præbeamus, ad Dei gloriam, nostram autem æternam salutem. Ad extremum quando tandem vita nostra sit apparitura docet Apostolus, dum inquit *cum Christus revelabitur*, &c. Poterat enim quis quærere, quando tandem, vita illa æterna simus perfruituri & pietatis nostræ dignitas apparitura. Objectioni huic occurrens, tempus vitæ nostræ manifestationis cum Christi manifestatione conjungit. Ubi valde apposite ad rem, qua de agitur, Christum describit, & apparitionis ipsius in nobis effectum. Prius ibi *vita nostra.* Id est causa vitæ nostræ, seu qui ejus est primus secundum Deum autor, quique eam habet in manibus suis repositam, qui eam nobis est aliquando, inprimis autem beatam illam ac immortalem redditurus. Posterius ibi: *Tunc & nos*, &c. *gloriosi* qui nunc ignoramur, ab omnibus passim contemnimur, & flocci pendimur, tunc gloriosi conspiciemur. Deus enim per filium suum collata in nos suprema felicitate, quantum vitæ huic nostra, quam hîc duxerimus, piæ pretium ponat, manifesto declarabit. Quare nihil moremur, aliorum de nobis judicia, qui quod ex externis sententiam de nobis ferunt, cum satis humilem hac ex parte nostram sortem videant, miserrimos nos & abjectissimos reputant, veniet tempus, quo optatissimo fine omnium nostrorum laborum, contemptuum, calamitatum, potiemur, abducamus tantummodo animum à terrenis ad cœlestia, in his omne nostrum studium & animos nostros defigamus. In quo proposito nos Deus noster juvet pro infinita sua gratia & misericordia. Amen.

BIBLIOTEKA ŚLĄSKA

F I N I S.

INDEX RERUM,

Phrasiumque S. Scripturæ memorabilium. In hoc Tertio JOHANNIS CRELLII operum Tomo comprehensarum.

In quo a. *primam*, b *secundam paginæ columnam denotat.*

A.

IN Abrahamo quomodo benedicendæ dicantur omnes gentes? 139 a.
Accipere pro captare 65 a.
Accusare improprie 65 b.
Acontius citatur 207 b.
Actus pro facultate 215 b.
Adhortari nos mutuo debemus quotidie donec hodie cognominatur 300 a.
Adoratio quid proprie significet? 98 a. pro omni cultu Dei externo sumitur 59 a. 117 a.
Adventus Domini cur prope fuisse dictus sit 300 a quomodo describatur à Paulo? 250 b. cur dicatur illustris? ibid. ejus exspectatio nota Christiani veri 282 b.
Adversarii veritatis etiam convicti non fatentur errorem 55 a.
Afflictio quid? 222 b.
Afflictiones: ob eas nemo commoveri debet, cum in hoc positi sint Christiani, & prædictum quoque sit ab Apostolis 239 b. sed sunt argumentum futuri judicii Dei 249. a. eæ perpetiendæ salutis causa 204 a. 240 b.
Αγνότης quid? 234 a.
Agricolæ similis Christianus 271 b.
Agricultura justissimus acquirendi victus, modus 51 a
Ακαταστασίαι quid? 223 b.
Aliquis pro eximio 154 b.
Ambulare quomodo sumatur? 240 b. 258 a.
Amor sui non cupandus sed moderandus 199 a, b.
Αναλύσις pro migratione 281 b.
Ananiæ hypocrisis 148 b. ejus pœnam à Petro inflictam esse non constat 149 b.
Angeli qualis natura 49 a. cogitationes bonas hominibus possunt injicere 17 a. certi, singulis ecclesiis præfecti esse videntur, qui eas curant ibid. Angelorum myriades quænam sint ad quas Hebræi accessisse dicuntur? 303 b. cœtibus Christianorum intersunt 196 b. Christo subjecti 250 b. 251 a.
Angustia quid? & quomodo ab afflictione differat? 223 a.
Anima, Tabithæ mortuæ unde revocata 165 b.
Antichristi doctrina cur diu duret? 155 a.
Antiquiora non semper meliora 6 b. 59 a, b.
Aoristus cum verbo præterito vim præsentis habens 126 b.
Apollo: ejus in Ecclesia dignitas 176 b.
Apostasia est vel plena ac voluntaria, vel nondum consummata 286 a.
Apostatæ annon conversionis & gratiæ divinæ spem habere possint? 286 b.
Apostolorum exemplum an in omnibus sequi liceat? 162 a. eorum munus quale fuerit? 126 b. eorum authoritas in operibus mirandis minor quam Domini Jesu 167 a.
Appetitus à voluntate differentia 41 b.
Argumenta afferenda manifesta 258 b.
Aristoteles citatur 212 b.
Arma justitiæ quid 227 a.
Arrogantiæ vitium charitati adversum 199 a.
Articulus αἰτιολογικός 204 a.
Ascensio Christi 242 a, b.
Asia strictius accepta, pro Epheso 128 b. 206 b. 270 a.
Ἀσπόνδοι qui? 278 a.
Ἀστόργοι qui? 278 a.
Ἀσύνθετοι qui? 278 a.
Avaritia quid? 50 b. 52 a. in divitibus magis conspicua: etsi non iniquis mediis ditescant 51 a. id vitium fallax, habens prætextus speciosos 50 a.
Avarus etiam non parcus in hoc vitio esse potest 51 a, b.

B.

BAptismus fiebat immersione, in flumine 3 b. ei remissio peccatorum quatenus attribuatur? 35 b.
Baptismus Johannis ponitur pro ejus munere toto 126 b.
Baptismi varii apud Judæos ante Johannem fuerant & quales? 4 a. baptizabantur ab eis proselyti circumcisi 233 b.
Baptismus aquæ per se non magni faciendus 5 a.
Baptizare in Spiritu S. quid? 4 b. baptizabantur olim nudi 233 b. 243 b.
Baptizati in Christum in mortem ejus sunt baptisati, Christumque induisse dicuntur 233 b.
Barnabas vir pietate insignis 147 b.
Benedixisse panes & pisces quomodo Christus legatur 67 a. quomodo de Deo sumatur? qui dicitur nos benedixisse in omni benedictione spirituali insuper cœlestibus in Christo 190 a, b.
Benefaciendi vox ad liberalitatem restringitur sæpe 261 b.
Beneficia quomodo danda? 52 a.
Beneficentiæ vis 147 b. 164 a.
Beneplacitum bonitatis, quid? 254 b.
Benignitas pro comitate 199 a. 225 a. 243 b.
Bethlehem dicitur terra Judæ, & Ephrata, & quare 2. b.
Beza citatur 88 b. 97 a. 101 a. 114 b. 115 b. 123 a. 128 a. 195 a. 294 a. 297 a. 325 a. corrigitur 124 b.
Blasphemare, quomodo sumatur, & unde dicatur 10 b.
Blasphemi qui? 277 b.
Bonis cur male sit in hac vita, causæ 176 a.

C.

Cœlestis cur vocetur Jerosolyma? 303 a.
E Cœlo Christus quomodo descenderit? 71 b.
Captivam ducere captivitatem, quid? 242 a.
Caput viri Christus quomodo? 194 b. Christi Deus ibid. & 195 a.
Capitis velamen quatenus servitutis indicium 195 a, b.
Caro opponitur spiritui 325 a, b.
Castitatem servavit Paulus 224 a.
Ceremoniæ, dilectioni & aliis moralibus cedere debent 54 b.
Cur eas Deus aliquando vigere voluerit? 61 a.
Certantes se in omnibus continent, continereque debent, eis similes Christiani 271 b.
Χαίρειν quid? 318 a.
Charitas sine simulatione esse debet: ea quid? 226 b. 246 a. ejus commendatio ibid. b. & quid sit? 244 a. ejus effecta 198 b. & d.
Χρηστότης quid? 225 a.
Christus quomodo sapientia implebatur & in ea proficiebat? 22 a. b. benedicendi formulas aliis Judæis inusitatas habuit 47 a. impetum Judæorum ante tempus mortis declinabat 78 b. ejus sapientia 86 a. fuit Dominus adhuc in terra aliquatenus, postea perfectius 120 a. omnia per ipsum quomodo? 209 b. Legibus Dei circa salutem hominibus dandam quatenus adstrictus, vel non 61 a. & d. ejus acta pueritiæ & adolescentiæ cur non descripta? 19 b. & 20 a. discipulus vere quis? 90 a. Christi afflictiones id est propter Christum 202 b.
Christiani non statim absoluti 178 b.
Christiani in periculo præsertim à Magistratu constituti, preces ad Deum adhibere debent 144 a. 145 b. ab eis ritus publici rationem probabilem habentes non male usurpantur 164 b.
Christiana Religio pauperum statui melius convenit 295 b.
Cicero citatur 227 b.
Clamor, quis culpandus 12 b.
Cœpit facere, pro fecit 123 a.
Coactio carnalis in religione locum non habet 58 a.
Cogitare quidpiam ex nobis ipsis, quomodo non simus idonei 209 b.
Cognitio 198. a. pro prudentia 224 b. cur sumatur pro pietate? 252 a.
Cognitio sui 230 b. veritatis qualis requiratur ad salutem? 283 a, b.
Commune pro immundo 293 a.
Communio omnium rerum sequitur ex omnimoda æqualitate amoris erga proximum: qualis Jerosolymis olim fuit, non absolute necessaria 137 a. qualis nunc inter Christianos esse possit aut debeat 146 b. 147 a.
Communistarum institutum reprehenditur 137 b.
Concilia quædam Pontificum non bono animo congregata 109 b.
Concordia Christianorum qualis? 146 b.
Condonare alii aliis debemus 244 a.
Confessio Christi sit in salutem: ejus diversi modi 298 b.
Congregatio nostra non deserenda dicitur, sicut consuetudinis sit quibusdam, sed admonere nos jubemur 299 b. 300 a.
Congregationis Christianorum causæ 16 a, b. & 17 a, b.
Conjugium licitum etiam Episcopis 48 a.
Consilium pro decreto 132 a.
Consolationis Deus, scilicet author 201 b.
Consummati quomodo dicantur justi mortui? 307 a.
Controversiis litigantium de terrenis dijudicandis Ecclesiæ Pastores non facile se immiscere debent 49 b.
Conversantes non recte cum peccatoribus exemplo Christi se defendere nequeunt 32 b.
Conversionis requisita 1.
Conviviis extraneorum interesse quomodo liceat Christianis 54. a, b.
Cooperarii Dei dicuntur Apostoli & ministri Ecclesiæ 218 b.
Corona in corruptibilis Christianorum quæ sit? 282 a.
Creatio nova 238 a.
Credere omnia charitas quatenus jubeat? 200 a.
Cultus religiosi locus fixus sub Novo Fœdere nullus 16 a.
Cymbalum quid 197 b.

D.

Dæmon Paulo Apostolo testimonium honorificum cur dederit? 166 b.
Damascus urbs & sedes regis Syriæ 162 b.
Dare, rogatur Deus Ephesiis, spiritum sapientiæ ac revelationis 276 b. 277 a.
Dari aliquem Christo à Patre, quid significet? 71 b.
David cur Patriarcha dictus 133 b.
Davidis regnum Christo datum quomodo? 134 a.
Decretorum Dei circa hominum peccata modus 125 a. 145 a. ea minas continentia mutantur interdum salva justitia 295 a.
Definitum pro constitutum 132 a.
Demas quomodo Paulum reliquerit, seculo præsenti dilecto 282 b.
Depositum custodire jubetur Timotheus, & quale 270 a. depositum Pauli custodiendum à Deo quodnam? 269 b.
Descensus Christi Eph. 4. 9, quis? 242 b.
Deum amare quinam maxime debeant 28 a. Deus Pater, quomodo connectatur 200 b. pacis, quomodo Deus dicatur? 201 b. ei pro beneficiis benedicendum 200 b. ejus potentia eximia in mortuis excitandis 207 b. quomodo velit omnes homines servari 284 a.
Diabolus cogitationes malas hominibus potest injicere, & quomodo? 119 a. 148 b. ejus potentia in hominibus seducendis 234 b. 235 a.
Diaconi, eligendi, quales esse debeant 156
Dialectus pro lingua sumitur 126 a. 128 a.
Διαθήκη quid significet? 139 a.
Διδασκαλοὶ, quid? 176 a.
Dies Domini, quis peculiariter dicatur? 131 a.
Dies seculi, tempora significant antiqua 3 b.
Dies novissimi qui? 277 a. b.
Dignum esse supplicio quid significet? 291 a, b.
Dilectio Dei in quo consistat 41 a. sub Novo Fœdere fidem in Christum comprehendit 42 a, b. perfectior quam sub Vetere 42 b.
Disciplinæ Ecclesiasticæ quis sit finis aut scopus? 262 a.
Discipulorum Christi nomine quid notetur? 162 b. 164 a.
Divites non altum sapere debent, neque sperare in divitiarum incertitudine, sed in Deo illo vivente, præbente nobis abunde omnia ad fruendum, bene item agere, ditescere in bonis operibus, faciles esse ad impertiendum, & pronos ad communicandum, thesaurizantes sibi fundamentum bonum, ut apprehendant vitam æternam 51 b.
Divitum mundanorum mores 322 b.
Divitiarum studium Deo servire non permittit 40 a. vide Mammonas

Docto-

Doctores auditoribus scrupulos publice proponentibus respondere debent 20 b.
Doctrinam fictam pro divina venditans potest coargui 90 b.
Dogmata post Apostolos exorta, quo loco habenda, & eorum differentia 171 a.
Dominus cum articulo in Græco, Christum designat more Paulino 270 b. Jesus quomodo factus Dominus? 135 a, b.
Donum Timotheus negligere non debebat, quod datum ipsi erat per prophetiam, cum impositione manuum ministerii 266 b.
Drusius citatur 97 b. 155 a.
Dubitatio in precando quænam non reprehenda? 321
In dubiis argumentis veritas præponderans eligenda 45 b.
Δύναμις quid sit? 131 b. 267 a.

E.

EBrii noctu inebriantur 129 b.
Ecclesia à Christo quibus modis gubernetur 62 b. & d.
In Ecclesia primitiva non unus verba faciebat, sed plures per vices 300 a.
Effudisse dicitur Deus Spiritum Sanctum copiose in homines per Jesum Christum, ut justificati illius gratiâ hæredes efficerentur secundum spem vitæ æternæ 130 a.
Εἰς pro ἐν 95 b. 162 a. pro πρὸς 108 a. cum casu quarto, habet vim tertii 132 a.
Electi qui? vide 243 a.
Ellipsis figuræ exempla 219 b. 248 b.
Erasmus citatur, & refutatur 149 a.
Et pro sed 227 b. pro nam 216 a. 294 a. pro, id est 127 a. 200 b. pro particula illativa 274 b. 278 b.
Euangelica lex, cognoscenda accurate 229 b. 230 a.
Euangelistæ quinam dicantur, quomodo differant? 281 b.
Euangelium suum cur vocat Paulus 272 a. cur dictum verba vitæ 152 a. ejus doctrina audacter annuncianda cur 145 b. non è cœlo nunc exspectanda 163 b.
Euangelici cultus moralis præ legali perfectior, in quibus officiis consistat 217 b.
Eucharistico in ritu poculum ab omnibus Christianis usurpandum. 184 a, b. eum usurpando non fimus participes corporis & sanguinis Christi 186 b.
Εὐδοκία 15 b.
Examen sui Christianis instituendum 229 b. 230 a.
Exemplorum vis magna 234 b.
Expiatio solennis quo fine constituta? 290 a.
Externa facta non omnia sunt adiaphora 60 b.

F.

AFacie Domine quid significet? 252 a, b.
Facta quomodo omnia per Christum dicantur, & quæ dicantur abolenda 314 a, b.
Fama quatenus spernenda? 227 b.
Fœminarum virtutes præcipuæ quæ? 164 a.
In fœminis cur præcipue vitium scortationis notetur 26 a.
Fermentum expurgandum quodnam? 178 a.
Festum Christianorum quale? 179 a.
Fides pro assensu in doctrina 245 b. juncta cognitioni 78 a. in precante quæ requiratur? 321 a, b. pro doctrina Christi 157 a.
Fidei significationes diversæ 6 a. 198 a. 229 b.
Fides à sanandis requisita qualis 9 b. talis quod Christus absens miracula patrare posset, non Israelitis sed Ethnicis peculiaris 105 b.
Fides in Deum & Christum quid in se complectatur 233. a. 237 a. donum Dei quomodo esse dicatur 237 b.
Fides incrementum capere potest & debet 246 a.
Fiduciæ nostræ in Deum specimen spectandum quum humana auxilia subducuntur 207 b.
Filius Dei quis in Scripturis dicatur? minor titulus quam Deus 104 b. filius Dei & Christus idem denotant, & quid inde sequatur, ejus præstantia 291 b. 292 a.
Filii Dei homines quomodo 49 a, b.
Filii incredulitatis, inobedientiæ, iræ, regni, testamenti, &c. dicuntur 235 b.
Filii Prophetarum & Fœderis qui? 139 a.
Filii hujus seculi apud Lucam diversa significatione 48 a.
Fletus jejunio jungendus 2 a.
Fluctuatio in fide aut religione, vide Dubitatio.
Fœdus novum: extra id remissio peccatorum difficilior quam extra vetus 287 b.
In Forma alia quomodo se Christus manifestaverit 45 b. & 47 a.
Fractio panis quid notet 136 b. 137 b. non omittenda 187 b. 191 b.
Fratres Domini qui 124 b. fratres nominati Christiani 244 b.
Fundamentum qui habet, ab Ecclesiæ societate jure arceri nequit 170 a, b.

G

GAmaliel quis? 154 b.
Gangrænæ similes sermones vani 274 a.
Γάρ, quomodo usurpetur 191 b.
Gaudium ex malis alienis improbum 199 b.
Generatio in æternis locum non habet 49 a. quomodo generet Deus filios 233 a.
Genitivus substantivo subjunctus non semper in adjectivum resolvendus 252 b.
Gloria pro lingua 132 b.
Gloriæ cupido perniciosa contentionum mater 176 a. ea facile hominem à pietate avertit 227 b.
Gloriatio qualis conveniat Christianis? 322 a.
Glorificatio Dei quid denotet 255 b.
Gradus præmii in futura vita fore probabile est 173 b. 174 a, b.
Græci pro Ethnicis 116 b. & d. 234 a.
Gratia divina, pro donis Christi & muneribus in Ecclesia 241 b. cur etiam Christi dicatur 256 a. pro doctrina Christi, gratia divina plena 316 a.
Gratia Dei tum generalis tum specialis prævenien fidem nostram requiritur ad eam, non absque studii nostri ad istam gratiam applicatione 73 a. Paulo data quæ? 168 a. ad eam referenda nostra bona & benefacta 168 a, b. 209 b. 236 b. ea non abutendum 237 a, b.
Gratitudo quid? 244 a, b.
Gratiæ agendæ Deo pro aliis 245 a.

H.

HÆresis quid, ejus prætextu sævire in alios Christianis non convenit 162 b. 295 b. 296 a.
Hæreticorum pœna capitalis ab hominibus inferenda,

renda, ex Ananiæ & Sapphiræ pœna non recte probatur 150 b.
Hellenistæ qui? 156 a.
Hendiaduo figura 157 b.
Horæ olim quomodo distributæ? 129 b.
Humilitas est medium ad concordiam 55 b. vide Modestia. quid sit & unde gignatur 241 a. 243 b.
Hyperbole figura 128 a.
Hypocrisis seu justitiæ coram hominibus ostentatio, vana 40 b.

I.

JAcobus, qui scripsit Epistolam quis? 318 a.
Idololatria quid? 341 b.
Jehovæ nomen quid notet? 295 a.
Jejunium quotuplex, & quale religiosum? 2 b.
Jerusalem pro Ecclesia 302 a. b.
Jesus Christus dominator in Israële quomodo? 3 a. Ecclesiæ curam gerit 163 a.
Ignis quo baptizandi dicuntur homines, quid denotet? 4 b.
Ignis nomine cur Spiritus Sanctus significatus? 7 a. & Deus 317 b
Ignis probationis non est ignis purgatorii 172 a. igne quomodo omnis homo saliendus dicatur 14 a, b.
Ignis infernalis pœna manet impios 251. 289 a.
Ignorantia in rebus religionis reprehendenda 60 a.
Imago Deo non ponenda cur? 61 a.
Imago Dei vir quatenus? 196 a.
Imitari quos debeamus 258 b.
Implet Christus omnia quomodo? 242 b.
Imprecari an hæreticis liceat, exemplo Pauli & Petri 162 a.
In redundat 222 a.
In aliquo pro alicui 142 a.
In omni quid significet? 222 a.
Incontinentes qui? 278 a.
Incorruptibilitas quid? 314 b.
Induisse Christum quomodo baptizati in eum dicantur? 233 b. induere virtutes 243 a, b.
Infantes qui dicantur? 280 a
Infirmis interdum aliquid indulgendum 166 a, b.
Inflati quinam dicantur? 278 b.
Ingredi & egredi quid? 126 b.
Inimicus etiam cibandus potandusque 167 a, b.
Insidiæ adversariorum veritatis Euangelicæ 140 a, b.
Invidia quid? 199 a.
Joannes Baptista non id præcepit quod Legis disciplinam admodum superaret 5 b.
Joppe quid? 164 a.
Josephus in Ægypto typus Christi 57 a.
Ira quatenus prohibeatur 199 b.
Judæorum Pontifices Christo infensi sibi ab ejus doctrina metuentes alia prætexuerunt, sed consilia eorum callida Deus contra ipsos vertit 110. a, b. ii ab Ethnicis parum diversi moribus 235 a, b eorum ad Christianismum conversio futura qualis? 58 a.
Judæ Iscariotis proditionis præcognitio à Christo qualis fuerit? 77 a. de ea prædictio non nominatim facta à Davide 125 a, b.
Judex pro Rectore 306 a. omnium Deus ibid.
Judicare quid? 87 b. 296 a, b. 297 a. Sancti quomodo mundum judicaturi dicantur, & Angelos? 199 b. 180 a. pro vindicare 296 a.
Judicium pro jure seu legibus 12 a. & 13 a.
Judicium extremum: ejus dies in Dei Patris potestate, non exclusio nunc Christo 123 b.
De Judiciis Dei dissertatio 7 b. & seq.
Judicans alios ipse crimine vacare debet 86 b.
Justi resipiscentia non indigentes, qui? 33 b.
Justi consummati, ad quorum spiritus Hebræi accessisse dicuntur, quinam sint? & quinam eorum spiritus esse dicantur 307 a. quibus præmium à Christo promittitur, qui? 56 a.
Justificare seipsum quid? 42 b. & 43 a.
Justitiæ corona quid? 282 a.
Justum dupliciter accipitur 249 b.
Juveniles cupiditates quæ? 275 b.

K.

KAi vide & pro *etsi* 71 a. pro *quia* 75 b.
Καινοφωνίαι quid 273 b.

L.

LAborandum est Christianis 52 a. 259 b. labores duplices 223 b.
Lapides pretiosi à Paulo intelliguntur gemmæ 171 a.
Λαπρῶν, quid? 316 a.
Lavit nos Christus sanguine suo cujus lotionis figura fuit lotio pedum discipulorum 119 b.
Laudanda virtus aliorum quatenus? 247 b.
Levitæ à Sacerdotibus quomodo distincti 43 b.
Sub Lege dona Dei hominibus data minora quam sub Novo Fœdere 36 a.
Legis observatio per Christum non abolita, tantum rigor ei detractus 42 b.
Lex libertatis perfecta Euangelium 323 a. b.
Libertate sua quomodo non usus sit Apostolus 259 b.
Lingua Angelica, quid Paulo dicatur, 197 b.
Lingua peregrina ex Spiritus Sancti afflatu, quatenus locuti 127 b.
Linguarum notitia cur data 197 b. sapientiam non affert ibid.
Linguæ vitia 325 a.
Litera quid significet? 210 a.
Logomachiæ, quid? Et quæ mala ex iis nascantur? 273 a.
Longanimitas quid? 198 b. 224 b. 241 a. 243 b. 279 b.
Lotio mortuorum usitata 164 b.
Lutherani à Luthero se denominantes reprehenduntur 176 b.
Lux insignis à Christo refulgens 163 a.

M.

MAldonatus citatur 12 b. 14 a. 89 a. 98 b. 106 a, b.
Mammonas injustus cur dicatur 39 a.
Mansuetudo quid 241 a. 243 b.
Manus pro agendi facultate 145 a.
Manuum impositione consecratio 157 a. 161 b.
Super Mare ambulatio Christi quonam modo facta videatur? 68 b.
Maria virgo: eam in Christum authoritatem etiam nunc habere, male statuitur à Pontificiis 21 b.
Matrimonium vide conjugium.
Mediator, Dei & hominum, quomodo Christus homo dicatur 284 b.
Mediatoris munus, in quo consistat? 308 b.
Mens quid significet 41 b.
Mercatura vix absque peccato exercetur 51 a.
Meritum proprie dictum ad vitam æternam nullum 48 b. 238 b.

Mela-

Μεθοδεῖν quid? 135 b.
Metaphora 281 b. 282 a.
Militi similis Christianus 271 b.
Ministerii Ecclesiastici significationes 221 b.
Miracula. eorum loco nunc Christianis quid? 146 a.
Miracula olim doctrinæ Christi fulcra 54 b. Christi qualia? 64 a. 131 b. non probant Christum esse Deum altissimum 67 b.
Misericordia Dei quæ & qualis? 201 a. non proprietas Dei naturalis 290 b. misericordia quid? 243 b.
Missione non opus iis qui Apostolorum doctrinam repetunt 160 a.
Modestiæ indoles 55 a,b. 120 a,b.
A Morbis ut & morte non exemti etiam pii 164 b.
Mors quomodo Corinthiorum esse dicatur? 177 a, b. propter Christum etiam acerbissima subeunda 58 b. non est interitus sed transitus ad vitam æternam 118 b.
Mors vere quænam 92 a. violenta non necessario inferebat æternam 209 a, b. 291 a.
Mortis Christi fines & effectus 214. b. 215 a. ea pro omnibus suscepta quomodo? 215 a. b.
Mortui delictis & peccatis, quomodo Ephesii fuisse dicantur 234 b. cum Christo, quinam dicantur? 215 b. quomodo eis Euangelisatum dicatur 349. in Domino, cur propiores Domino censeantur, quam illi, qui in Domino vivunt? 212 a, b. eorum Spiritus ante resurrectionem gaudiis cœlestibus non frui probatur 307 b, & d.
Moses de Christo quatenus scripsit 65 b
Mulieres Diaboli fraudibus opportuniores 166 b. & Doctorum falsorum 279 a.
Multus pro magnus 222 b.
Mundus quomodo Corinthiorum esse dicatur? 177 a.
Mundanarum rerum amor obest ad vitam æternam 57 b.

N.

N*Atura Dei* pro revera & reipsa tales, non opinione tantum 235 b.
Necessitates quid 223 a.
Negare Christum quid? 273 a.
Neronis quinquennium laudabile 199. b.
Neutrum pro masculino 71 a. & 72 a.
Nihil ad subjectam materiam restrictum 97 b.
Nomen pro persona 142 a.
In Nomine Christi agere, quid? 167 a.
Non possumus pro non licet nobis 143 a.
Nosse pro approbare 274 b.
Non nosse Deum qui dicantur 251 b. 252 a.
Novum Testamentum seu Fœdus quid? 210 a.
Nunc, quomodo sumatur 312 b.

O.

OBservare debent Christiani alii alios quomodo 299 a.
Odisse, pro minus amare quam Christum 58. b. 118 a.
Offendiculum quid? Et quomodo à scandalo differat 221 a.
Omnis distributive 202 b.
Omne pro maximo 318 b.
Omnes pro plerisque 280 a.
Omnes homines servari quomodo Deus velit 283 b.
Per Opera legis quænam aut qualia opera Paulus intelligat 237 b. ad beatitatem quatenus faciant 324 a.
Opera Dei id est Deo grata 70 a.
Oratio obliqua mutata in rectam 123 b.
Otium vitandum 260 b.
Ovium Christi diversa significatio 103 a.

P.

Π*Ανήγυρις*, quid? 304 b. 305 a.
Panis fractus, communio corporis Christi dictus non desinit esse panis 186 b.
Panes à Christo turbis dati ubi creverint 67 a.
Parentum impiorum causa prolem piam Deus non punit 26 a.
Pascha nostrum quid? 178 b.
Patientia quid & quæ ejus effecta? 222 a, b. 319 a.
Pauli afflictionum fructus 203 b.
Pauperes pro afflictis 25 a.
Pax inter fructus Spiritus numeratur, & quid sit? 244 a. colenda cum quibus præcipue? 275 b.
Pro Peccante ad mortem non orandum cur? 297 b.
Peccatores quatenus Deus non exaudiat? 97 b.
Peccatrix pro meretrice cur ponatur? 26 a.
Peccatum maximum non credere in Christum 285 b.
Peccata post fidem commissa, an itidem remittantur à Deo, prout ea quæ fidem præcessere? 25 a, b.
In peccatis nasci quid significet? 97 b.
Peccatorum remissio quibus mediis obtinenda? 26 a.
Pentecoste quid? 127 a.
Per quid significet 2 Cor. 6. 8. 227 b.
Persecutio, vide crux, & afflictiones, quid? 279 b. 280 a.
Petrus cur nomine reliquorum discipulorum Christo responderit? 77 b. cur primo loco inter Apostolos? 124 b. 152 b. non major aliis Apostolis 161 a.
Pietatis forma quæ? 278 b.
Philippus diaconus 156 b. 160 a.
Piscator Joh. citatur 149 a. 192 a. 266 a. 276 b. 277 a. 293 b.
Placita quæ leges appellentur 19 b.
Planctus quid? 2 b.
Plenus spiritu dicitur etiam is cui adhuc spiritus addi potest 22 b. 23 a.
Plutarchus citatur 195 a.
In pœna quid spectandum 199 b.
Pœna impiorum interitus æternus 152 a.
Pœnitentia vera & plena quid? 276 b. perfectior vel imperfectior 6 a.
Populus interdum rectius judicat de rebus divinis quam primores 143 b.
Posse quomodo intelligatur 65 a. 269 a, b.
Potentia Dei in Paulo 2 Cor. 6. 7 quid? 227 a.
Præceptorum aliquorum divinorum neglectus quatenus veniam à Christo obtinere possit 62 a.
Præcipere est eorum qui habent authoritatem cum imperio 256 b.
Prædestinatio non sine conditione 275 a, b.
Præsens pro futuro 313 b.
Præteritum pro futuro 134 a. 208 a. 272 b.
Preces. earum à piis fusarum potentia 146 a. 208 a, b. eæ suscipiendæ quotidie sæpius 166 a. earum conditiones 319 b. 320 a.
Primogeniti in cœlis descripti qui? 304 b.
Quod Principes alicui doctrinæ non adhæreant, ideo eam esse falsam, argumentum vanum 83 a, b.
Principium principiato præstantius quatenus 196 a.
Pro non significat vice seu loco alicujus 74 b. 155. b. 203. a. 285. a.

Probitas quænam ad Christi doctrinam suscipiendam requiritur 6 a. 80 b.
Proditores qui? 278 a, b.
Promissio pro promisso 123 a.
Propheta, quis dicatur? 96 b. 195 a.
Propheta Israëlitis promissus quis? 138 a, b.
Prophetandi modi 130 b.
Prophetia, ejus species 197 b. potest esse sine pietate ibid. & 198 a.
Propheticorum dictorum certitudo, unde pendeat? 24 a.
Proselyti qui dicti? 128 b.
Prosopopœiæ exempla 310 a.
Proximus quis in V. & Novo Testamento, & quomodo diligendus? significat amicum 45 a.
Prudentia vulgi more etiam vafriciem complectitur 38 b.
Prudentia quid? 319 b. Apostolorum 143 a.
Pudorem incutere aliquibus interdum licet & decet 262 a, b.
Pudor quid notet? 317 a.
Pythagoræorum examen sui 229 b.
Python quid? & Pythonissæ 166 b.

R.

Reconciliationis cum Deo significatio duplex 219 a.
Redemptio per Christum qualis & quomodo facta sit, & quid voce redemtionis denotetur? 284 b. 285 a.
Regnum Dei quid? 249 a.
Regnum quod concuti non potest 315 b.
Relativum pro antecedente positum 274 a.
Religionis antistites religioni Christi adversati 162 b.
Religiosus opinione quis? 324 b.
Reliquiarum Sanctorum miraculosa effecta, ex umbra Petri per quam ægri sanati, non recte probantur 151 a, b.
Remissio peccatorum quid, & quotuplex? 10 a, b. 153 b. nostram erga Deum charitatem quatenus præcedat vel sequatur 29 a. non fit absoluta nisi post absolutam resipiscentiam 35 a.
Reprobi qui? 230 b. 231 a.
Resipiscentia, pro vitæ quoque mutatione in melius 135 b. quid complectatur 4 a. 153 b. eam quomodo Christus det? ibid. ejus nomine in Sacris Literis quid proprie notetur 33 b. ejus progressus 34 a, b.
Restitutio omnium quid significet? 138 a.
Resurrectio, per resurrectionem in S. Scriptura intelligi solet ea quæ est ad statum beatum 48 b. ea non esset opus mortuis si animæ piorum absque corporibus possent frui voluptatibus 272 a. ejus spem olim subvertentes 274 a.
Resurrectio Christi magnam vim ad fidem accendendam habet 56 a. majus robur habet quam mors ejus 216 a. ejus patefactionis gradus diversi 121 a.
Requies pro gaudiis cœlestibus 250 a. non ante adventum Christi piis dabitur ibid.
Ribera citatur 304 a.
Rixæ quid? 12 a.
Rogat Paulus Christianos adhortans ad officia 238 b. 239 a.

S.

SAbbati violatio cur grave peccatum habita? 289 b. 290 a.
Sale omnis oblatio seu victima salienda dicitur, & quomodo? 14 a, b. salem quomodo Discipuli habere jubeantur ibid.
Sal Christianus quatenus 59 a.
Salus quid significet? 220 a. 283 a. ea tota pendet à Dei benignitate 254 b.
Samaritæ qui & quomodo à Judæis alieni 43 b. 59 a. 91 b. 124 a. 159 a.
Sanctificatio quomodo sumatur? 292 b.
Sancti cur Christiani dicantur? 165 b. 243 a. 253 a.
Sanguis Christi cur sanguis fœderis 292 a, b. aspersionis, ad quem Hebræi accessisse dicantur, meliora loquens quam Abel, quid? & quomodo sanguine Christi aspergamur? 309 a, b.
Sapientia Christiana quæ 319 a, b. ejus acquirendæ media 320 b.
Satan Deo permittente multum potest 161 a.
Saulus quis 162 b.
Scandalum quid & quotuplex sit? 221 a, b.
Scientia requiritur ad facta, sed sine factis non valet 121 a.
Scriptura S. Veteris T. sæpe etiam ad alias res vel personas in N. Testamento, accommodatur, cum literali sensu de longe aliis rebus vel personis egerit 242 a. quomodo divinitus inspirata, & quis ejus usus 280 a, b.
Seculum, mundi hujus, quid? 234 b.
Seculum futurum quid & quod erit absque matrimonio 48 b. & cur? 49 a.
Secundum carnem quid limitet, & cui opponatur? 134 a.
Sedere ad dextram Dei, quid 135 a.
Semper pro creberrime 244 b.
Septenarius numerus celebris 156 b.
Sequi pastorem Christum quid significet? 100 a.
Sermo veritatis quid? 226 b.
Servator Christus dicitur præstantiori ratione post exaltationem 153 a, b.
Servus à Christo quis intelligatur 90 b.
Servus Dei Christus excellenter 11 b.
Si non semper dubitationem indicat 140 b. *Si forte* quid significet? 162 a.
Signum signati nomine appellatur 190 b. 191 a.
Similitudinis particulæ sæpe omittuntur 189 a.
Simplicitas pro liberalitate 320 b.
Simulatio Christi qualis 46 b. & 47 a.
Sinceritas in Christianis requiritur 179 a.
Sion, pro cœlo 301 b.
Sobrietas animi quæ 273 a.
Solis obtenebratione notantur calamitates gravissimæ 131 a.
Solicitudinem quam Christus prohibeat 52 a, b.
Solœcophanes, 205 b.
Somnia divinitus immissa 130 b.
Sortibus uti quatenus liceat 127 a.
Sperat charitas omnia quatenus 208 a.
Spes à fide quomodo differat? 298 b. ejus confessio ibid.
Spiritualis cultus Dei quis? 60 b.
Spiritus oppositus literæ, quid sit 210 a, b. spiritus gratiæ quid? 293 a, b.
Post mortem superstes, distinctus ab anima 307 a. 327 a.
Spiritus Deus, quomodo 61 a.
Spiritus Sanctus cur aqua viva vocetur 83 b. 267 a. cur Christo in terris versante non conferebatur hominibus? 83 b. Igni similis quatenus? 127 b.

est

est totum homogeneum 130 a. ejus partitio ibid. eo repleri quid significet? 143 b. 136 a. 226 a, b. ejus donum non alligatum baptismo 136 a. 161 b. non in manibus Apostolorum 161 b. ad pietatem quomodo excitet 5 b. quomodo testatus de Christo cum Apostolis 154 a. ejus significationes diversæ 6 b. 225 b.
Spiritus Sancti dono continentur omnia in oratione Dominica comprehensa 32 a. quod Spiritui Sancto mentitus sit Ananias & simul mentitus Deo, inde non evincitur Spiritum Sanctum esse Deum 147 b.
Spiritus Sancti blasphemia in Apostatis 294 a. is inter personas cœlestes omissus 303 b.
Spiritus in carcere quinam sint 1 Petr. 3. 19. 327 a. de personalitate Spiritus Sancti 332 b.
Stephanus Diaconus eximius 156 b.
Superbi quinam sint? omnibus invisi 277 b. probris afficiuntur 55 a.
Superbia hominum Deo exosa 210 a.
Superindui quid sit? 211 b. & d.
Synedrium quid? 152 a.
Synodorum utilitas 19 a.

T.

TAcitus historicus citatur 198 b. 272 a, b. Tangi se à Maria Christus quatenus noluerit? 122 b.
Tempus ultimum, quid significet? 130 a.
Tentare pro elicere quod carpas 41 a. & 85 b.
Tentationes, vide etiam afflictiones, pro afflictionibus enim non raro sumuntur 318 b.
Testes cur requisiti 290 b.
Testimonium Dei, pro Euangelio & testimonium Domini 267 b.
Θεοδίδακτοι, qui? 111 a.
In Theologia maxime probandum quod ad sanctimoniam maxime confert. 171 b.
Tolerantia aliorum 243 b. 244 a. malorum qualis 276 a, b.
Tormenta ad crimina exquirenda sub Lege Mosaica non fuere 291
Traditiones Pontificii inepte stabiliunt 193 b. & an traditionum non scriptarum necessitas confirmari queat? 258 b.
Trahi à Deo Patre, quid significet? 72 b. & 73 a, b.
Trajectio verborum, sensum reddit obscuriorem: ejus exempla 209 a.
Tranquilla vita Christianis degenda quomodo 261 a.
Translatio pro abolitione 313 b.

V.

VAtablus citatur 296 a. Venire quomodo Christus post Joannem dicatur 4 a.
Venire in mundum quid notet? 67 b.
Verbum Dei ad pietatem quomodo excitet? 5 b.
Verbum pro re 154 a. idem non eodem modo in eadem oratione usurpatum 94 a. 100 b. 231 a, b. Vide vocabulum. Verba citata non omnia ad propositum spectantia 130 a. veritatis quomodo recte secandum? 273 b.
Veritas pro Euangelio 283 a. ejus cognitio qualis requiratur ad salutem? ibid. a, b. pro notitia rerum ad religionem spectantium, & pro sinceritate, vide 179 b. 199 b.
Verum, quomodo sumatur? 87 a.
Viduæ curandæ 165 a.
Vigiliæ Pauli diversæ 223 b.
Vincti quomodo alligari soliti 270 b.
Vindicta pro pœna 251 b.
Vir gloria Dei, quomodo? 197 a.
Virtus 2 Petr. 1. 5. quid significet? 340 b.
In Virtutibus progressus faciendus 246 a.
Visiones Propheticæ quales? 130 b.
Vita æterna ut quis aburatur & ea excidat, non prorsus impossibile 40 a. ea an in Veteri Fœdere promissa 64 b.
Vitandi inordinate ambulantes Christiani 257 b.
Vitia aliorum tegenda quatenus? 199 b.
Vivere Deo quid? 216 a.
Vivus quomodo dicatur Deus? 297 a. 302 b.
Vivificare quid? 232 a, b.
Per Umbram Petri quomodo ægri sanati? 151 a, b.
Unitas non significat essentiæ unitatem 234 a.
Unus quomodo Deus? 284 a.
Vocatio nostra quid & quæ ejus circumstantiæ 240 b. 268 a. sumitur pro eo ad quod vocati sumus 254 a.
Voluptatum amor turpis 278 b.
Ut relatum non ad consilium sed ad eventum 127 a. 315 a.
Uxorum officium erga viros 197 a.

Y.

YΠίε πνός, quid denotet? 203 a. 215 a.

Z.

ZΗμιῶδες quid? 175 a.

INDEX ALTER

Locorum S. Scripturæ qui in hoc opere explicantur, illustrantur vel cursim attinguntur.

GENESIS.

Caput	Vers.	Pag.
XXII.	18	139. a.

DEUTERONOMIUM.

XVII.	2 & d.	289. b.
XVIII.	18	138. a, b.
XXIX.	4	276 b.

1. SAMUELIS.

VII.	6	2. a.

2. SAMUELIS.

XXIII.	2	335. a.
XXIV.	14	298. a.

PSALMI.

Caput	Vers.	Pag.
II.	1	144. b.
XVI.	8	132. b.
XLI.	10	125. b.
CIX.	39	126. a.
CX.	1	134. b. 135. a.

ESAIAS.

II.	2	302. a.
XLIX.	8	219. b.

JEREMIAS.

XXIII.	5, 6	331, b.

JOEL.

Caput	Vers.	Pag.
II.	12	1.
	28	129. b. & d.

MICHÆAS.

V.	6	2. b.

AGGÆUS.

II.	7	312. b.

MATTHÆUS.

II.	6	2. b.
III.	11	3. b.
IV.	11, 12	4. b.

Index Locorum S. Scripturæ.

Caput	Vers.	Pag.
VI.	33	53. *a.*
IX.	1 & d. ad 9.	9 *a.*
XII.	18 & d.	11. *a.*
XIII.	15	287. *a.*
XVI.	28	281. *a.*
XX.	16	173. *b.* & 174. *a.*
	26	174. *a*

MARCUS.

IX.	49	13. *b.*

LUCAS.

II.	14	15. *a, b.*
	41 & d.	15 *b.*
IV.	18, 19	24. *a.*
VII.	36 & d.	25. *b.*
X.	25 & d.	40. *b.* & d.
XI.	5 & d.	30 *b.*
XII.	10	294. *a.*
	13 & d.	49. *b.*
XIV.	1 & d.	54. *a.* & d.
	16 & d.	56. *a.* & d.
XV.	totum	32. & d.
XVI.	1 & d.	37. *a.* & d.
XX.	34 & d.	48. *a.*
XXIV.	13 & d.	45. & d.

JOHANNES.

I.	3	238. *a.*
III.	7, 8	331. *a.*
	19	237. *b.*
	34	7. *a.*
IV.	20 & d.	59.
V.	21	61. *b.*
	35 & d	63. & d.
	39	64. *a.*
VI.	totum	66. *a.* & d.
	37, 38, 39	110. *b.* & d.
VII.	totum	78 & d.
VIII.	totum	84. & d.
IX.	totum	94. *b.* & d.
X.	totum	99. *a.* & d.
	1 & d.	112.
XI.	totum ferè	105. *a.* & d.
XII.	2 & d. fere dim.	114. *b.* & d.
XIII.	1 & d.	118. *b* & d.
XX.	1 & d.	121. *a.* & d.

ACTA APOSTOL.

I.	totum	123. & d.
II.	totum	127. & d.
III.	21 & d.	137. *b.* & d.
	ult.	326. *b.*
IV.	à vs. 4. ad fin.	139. & d.
V.	totum	145 & d.
VI.	totum	155. & d.
VII.	1, 2	158.
VIII.	1 & d.	158. *b.* & d.
IX.	1 & d.	162. *b.*
	36 & d.	164. & d.
XIII.	2	334. *b.*
XV.	7	218. *a.*
	28	335. *a.*
XVI.	16 & d.	166.

Ad ROMANOS.

VI.	13	227. *a.*
VII.	10	210 *b.*
VIII.	38	181. *a.*
IX.	22 & d.	275.
XII.	20	167. *a.* & d.
XIV.	17	225. *b.* 226. *a.*
	21	221. *a.*

1. ad CORINTHIOS.

I.	26 & d.	322. *a.*
III.	9	218. *b.*
	10 & d.	168. & d.
	21 & d.	176. & d.
V.	5	307. *b.*
	7 & 8	177. *b.* & d.
VI.	2 & d.	179. *b.* & d.
VIII.	6	284. *a.*
X.	13	206. *b.*
	16, 17	183. & d. & 190. & d.
	28 & d.	192 & d.
XI.	1 & d.	193. & d.
	3	182. *b.*
	7	196. *b.* & d.
XIII.	1 & d.	197 *a.* & d.
	4 & d.	198. *b.* & d.
XIV.	26 & d.	300. *a.*
XV.	24	135. *a.*
	26	135. *a.*

2. ad CORINTHIOS.

I.	3 & d.	200. *a.* & d.
III.	4 & d.	209. *a.* & d.
	6 & d.	210. *b.* & d.
IV.	4	235. *a.*
	8	206. *b.*
	10	202. *b.*
V.	1 & d.	211. *b.* & d.
	9	213. *a.*
	11 & d.	213. & d.
	14 & 15	214. *b.* & d.
	16 & 17	216. *b.* & d.
VI.	1 & d.	218. *a.* & d.
X.	12 & d.	229 *b.* & d.
XIII.	5	229 & d.

Ad GALATAS.

III.	20, 21	231 *a.* & d.
	26 & d.	232. *b* & d.
IV.	8	235. *b.*

Ad EPHESIOS.

II.	1 & d.	234. *a.* & d.
	3	235. *b.*
III.	13	238. *b.*
IV.	1	240. *a.* & d.
	7 & d.	241. & d.
V.	18	226. *a.*

Ad PHILIPPENSES.

I.	23	212. *b.*
	29	237. *b.*

Ad COLOSSENSES.

III.	12	243 & d.

2. ad THESSALON.

I.	3 & d.	244. & d.
III.	6 & d.	256 & d.
	10	260. *a.*

1. ad TIMOTHEUM.

II.	4 & d.	282. *b.* & d.
VI.	20	265. *b.*

Ad TITUM.

II.	12	324. *b.*

Ad HEBRÆOS.

X.	23 & d.	298 *a*, & d.
	26 & d.	285. & d.
XII.	22 & d.	300. *b.* & d.

JACOBI.

I.	1 & d.	318. *a.* & d.
	5	319 *a.* & d.
	5 & d.	320. *a.* & d.
	9 & d.	321. *b.*
	25	32[illegible]. *a.* & d.
	26	3[illegible]4 & d.

1. PETRI.

I.	10	2[illegible]3 *b.*
III.	18 & d.	325 & d.
IV.	1	338 *b.*
	17, 18	343 *b.*

2. PETRI.

I.	5 & d.	344 *b.*

1. JOANNIS.

V.	16	209. *a.*

JUDÆ.

I.	22	347. *a.*

APOCALYPSIS.

II.	26	180. *a.*
XIV.	13	250. *b.* 251 *a.*

Errata in Tomo Tertio operum Exegeticorum Joh. Crellii.

Pag.	linea	error	correctio.
3. *b.*	32 à fine	Quid	Quis
	22 à fine	Nec	Nec
7. *b.*	24 à fine	positis	postremis
9. *a.*	14 à fine	evibus	quibus
16. *a.*	28	quæ	æquè
18. *a.*	29	eum	ea
	19 à fine	He	se
19. *b.*	29	nunque	nunquam
21. *b.*	45	pietatis	potestatis
23. *a.*	28 à fine	Etenim,	Etenim respectu ætatis proprie
	25. à fine	non tam	non tantum
39. *b.*	8 à fine	evadinis	evanidis
41. *b.*	24 a fine	impellare	impellere
45. *a.*	34	Lucæ 25.	Lucæ 24.
b.	11	lapso	rapto
128.	18 a fine	cordationibus	cordatioribus
131.	29	antea	authorem
232.	29	sigillam referenda,	sigillatim referenda
137.	16 a fine	pro asterismis,	pone, In cap. 3. vs. 22.
139.	46	eodem modo	In cap. 4. vs. 4.
141.	2[illegible]	prot.b'lior	probabilior
162.	4 a fine	preus	preces
169. *a.*	25 a f. & *b.* 24 a f.	facto	jacto
182. *b.*	23	1 Cor. 7. 7.	1 Cor. 2. 3.
184. *a.*	6	haud quamque	haudquaquam
189. *b.*	25	spe	specie
	28	accipi	accipi putant
206. *a.*	13	neque	meque
212. *a.*	17 a fine	cujusquam	cujusque
214. *b.*	27	meritus	meritos
226. *a.*	31	ubique	abique
234. *b.*	29	frimus	fumus
241. *b.*	9	prophetur.	prophetarum
266. & d.	pro 2 ad Tim. positum est supra paginas, 1 ad Timoth.		
281. *a.*	11	Matth. 16. 38.	Matth. 16. 28.
287. *b.*	9	pietatem	potestatem
296. *a.*	2	a Deo	adeò
312. *b.*	26	ponuntur,	ponuntur pro σωζομένοις
314. *b.*	6	supra vs. 32.	Sap. xi. 17.